PETRI DANIELIS HUETII
EPISCOPI ABRINCENSIS

DEMONSTRATIO EVANGELICA,

AD SERENISSIMUM

DELPHINUM.

SEXTA EDITIO

AB AUCTORE RECOGNITA, CASTIGATA,
ET AMPLIFICATA.



FRANCOFURTI,
SUMPTIBUS THOMÆ FRITSCHII
M DCC XXII.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆFATIO.

NOn eram ignarus, cum Chriſtianum dogma novo demonſtrandi genere aſſerere primum inſtitui, multos ſtudioſe contradicturos, mihique expectanda eſſe ſiniſtra iniquorum judicia, vel excipiendas etiam fortaſſe obtrectationes. Quod etſi vitare nullo modo poteſt, quisquis animum confert ad ſcribendum, calumniæ tamen in primis obnoxium me ſentiebam fore, qui arcem impietatis, atque hoc hominum genus oppugnare me profiterer, cujus maxime intereſt, vel propter depravatos mores, vel propter corruptas opiniones, omne Dei, Chriſti, Religionis & Fidei nomen extingui. Accedebant privatim cauſſæ aliquot eventus pertimeſcendi. Malevolorum primum livor & odium, quæ nimis ſæpe ſumus experti, etſi nos utroque indignos eſſe ſcimus. Noveram deinde ægre laturos plerosque, hoc ſumi ſcribendi argumentum, quod totius Theologiæ velut fundamentum eſt, ab eo, qui nunquam triviſſet Theologorum ſubſellia; quaſi niſi cum Scholæ pulvere imbibi Theologia non poſſit. Futuros quoque videbam parum æquos, qui in eodem verſati eſſent argumento, quaſi venirem ad poſſeſſa, partamque ſibi jam palmam præreptum irem. Formidandum vero potiſſimum intelligebam quoddam genus hominum, qui ut gregalium ſuorum dictis omnibus, factis, ſcriptis per occultas coitiones & factionem quærere commendationem ſolent; ſic reliquorum nomen obterere, quos a partibus ſuis alienos eſſe ſentiunt. Minime tamen his rebus deterritus ſum ab eo propoſito, quod vulgo utile exiſtimabam futurum: plusque apud me valuit Chriſtianæ doctrinæ propagandæ ſtudium, quam obtrectatorum perverſitas. Præſertim cum non defutura mihi prævideram candidorum hominum ſuffragia, quos æqui conſulturos ſperabam laborem hunc, pio rectoque animo ſuſceptum. Nec ſpem fefellit eventus. Prodiere apud exteros, & in hac Gallia, viri complures eruditi & integri, ab omni gratiæ, favoris, aut aſſentationis ſuſpicione longe poſiti, nec ulla mecum conjuncti vel popularitate, vel gratia, qui graviſſimis teſtimoniis commentarios noſtros ſunt proſecuti. Si nos aliqua tangeret gloriolæ cupido, poteramus exornare frontem libri hujus tam ſplendidis præconiis; verum talia ab aliis fieri malumus quam a nobis. Præterire id non poſſum, hominem quemdam longinquum & alienigenam, nobilem inter ſuos, optime de patria ſua meritum, doctis & laborioſis ſcriptionibus clarum, a Catholicis partibus averſum, lecto opere noſtro ita eſſe affectum animo, ut qua arte ac ratione conatus ſum Chriſtianæ legis adverſarios convincere, eamdem artem a nobis valde cuperet adhiberi ad dirimendas ſacræ doctrinæ controverſias, quibus tot jam annos, & nunc cum maxime, Chriſtianus orbis, non diſputationibus ſolum aut ſcriptis, ſed decretoriis etiam armis quaſſatur. Nec intra vota judicium hoc vir præclarus continuit.

Digitized by Google

Valde bellam atque gravem ſcripſit epiſtolam; in ſpeciem ad fratrem, hominem itidem dignitate, eruditione, rebus pro patria geſtis conſpicuum, a quo librum noſtrum dono acceperat, reipſa ad me: quam & Chriſtianiſſimi Regis legato, mihi amiciſſimo, in hac aula tunc agenti, perferendam ad me dedit. Ea quidem ad operam hanc quam dixi ſumendam magnopere me adhortabatur. Et feciſſem ſane pro viribus atque captu, ſi in partium illarum hominibus, qui tum apud nos erant, par ineſſe deſiderium cognoviſſem. Quam acceptum præterea eſſet in vulgus hoc commentarium, intelligere ſatis licuit, vel ex iteratis editionibus, vel ex facili atque promta exemplarium omnium venditione; multo vero magis ex eo, quod viri docti per Europam plerique ad ſuſcipiendum certatim Chriſtianæ cauſſæ patrocinium exemplo noſtro ſunt incitati. Incredibile dictu eſt, quam multi ab eo tempore libri prodierint, hujus argumenti; erudite omnes & luculenter, nonnulli etiam ſubtiliter & exquiſite elaborati. Qua re vel unica optime nos de re Chriſtiana meritos cenſemus, cum multis non ſcribendi ſolum occaſionem præbuerimus & materiam, ſed rationem quoque, argumentationes, ſententias, & ſcriptorum veterum teſtimonia. Quod & ante emiſſum opus in lucem factum animadvertimus, cum raptim ſublecta fuiſſent in officinis Typographorum folia, ut in prima editione Lectorem monuimus. Nec ita tamen efferimur aſſenſione hac literatorum hominum & vulgi plauſibus, ut reprehenſorum querelas æquo animo pati nolimus: nec concedi nobis poſtulamus, ut regnemus in literis. Regnare enim eſt, & quidem inique, opprimere judiciorum libertatem, & in verba legesque ſuas homines adigere. Itaque admonitiones benignas, & modeſtas animadverſiones accepimus placide; in nos noſtraque ſummum arbitrium amicis permiſimus; ultroque etiam laceſſivimus ſilentes, & ad contradicendum hortati ſumus. Verum usque eo ferendæ ſunt reprehenſiones, reprehenſiones dum ſint, & acerbitate careant. Quod ſi erumpant in contumelias & maledicta, remaledicere utique licet lege civili, & convitium convitio ulciſci. Nec ea tamen lege uti velim: alia patientiæ propoſita nobis a Chriſto lex eſt, quam ſequamur: *non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto; ſed e contrario benedicentes; quia in hoc vocati ſumus, ut benedictionem hæreditate poſſideamus.* Cum priſcus ille Cato Cenſorius, qui a virtute decus ſibi peperit, de militari diſciplina commentaretur, paratosque ſibi præſentiret adverſarios, qui alienæ ſcientiæ obtrectatione nomen quærerent, quam parum moveretur eorum malevolentia ſic declaravit: *Scio ego quæ ſcripta ſunt, ſi palam proferantur, multos fore qui vitilitigent: ſed ii potiſſimum, qui veræ laudis expertes ſunt. Eorum ego rationes ſino præterfluere.* Quamvis plurimum poſſit apud omnes graviſſimi & ſapientiſſimi viri exemplum, plus tamen poſſe debet apud nos præceptum Chriſti. Ac exiſtimaveram profecto, ſi conſilium noſtrum improbaſſent cæteri homines; at

1 Petr. 3, 9.

in viris

in viris certe ſanctioris inſtituti poſitum eſſe nobis certum tutumque præſidium, & iis qui pietatem colunt placiturum, qui cauſſam defendat pietatis. Verum evenit multo aliter. Quamvis enim plurimorum petulantiam & importunitatem ſenſi, præ cæteris tamen omnibus inſignis duorum protervitas fuit, quorum nomini parco, etſi non pepercerunt meo. Horum neuter læſus a me fuit unquam dicto, factove; immo ne notus quidem antehac, vel de facie, vel de nomine. Alter homo ſimplex, minimeque malus, ejus argumenti in ſe recepit tractationem; cujus cum plane rudis eſſet, noſtra aperte ſuppilare, in ſeque transferre aggreſſus, non ſententiis, non verbis abſtinuit: ut ſi omnia mea repetere velim, nudata cornicula riſum moveat. Hominis præterea neſcio cujus ſtudiis ac conſiliis ita uſus eſt, ut ejus quoque maledicentia opus ſuum aſpergeret; & ut aliena ſubnixus eruditione de rebus ſibi ignotis diſſeruit, ita alieno livore & improbitate nos proſcidit. Ergo non ullam in vegrandi libro paginam temere reperias, quæ non atroci aliquo adverſum nos convitio ſit inſignita. Ego vero, quæ ad doctrinam noſtro hoc opere traditam pertinent, ſuis locis excuſſi: contumelias bono viro, qui & alterius inſtinctu nos læſit, & non repugnanter, etſi alterius quoque juſſu, nobis ſatisfecit, facile condonans. Cum enim ad id ſtudeamus, ut nos ipſi erudiamus; ad id ſcribamus, ut alios; non injucundum fuit, per nos eum ita profeciſſe, ut jam alios docere ſe poſſe crederet. Alter deploratæ cauſſæ patronum ſe ferens, ubi argumenta deficerent, maledictis pugnare inſtituit; totque bonos ſcriptorum plauſtris violavit, ut jam contumelioſe ab eo appellari, laudari ſit. Pateremur, ſi ſatis habuiſſet imitari Rhetorem illum, qui in rebus adverſis ſe præfationibus de fortuna vindicabat. At toti prope humano generi bellum indicere, & obvios quosque ferociter pulſare, uti factum eſt ab eo, furere id quidem eſt; ut coercendus potius ſit qui faciat, quam dedocendus. Poteramus profeſſoriæ linguæ intemperiem ulciſci, & virorum doctorum ætatis hujus exemplo nos tueri, qui vel leviter perſtricti excandeſcunt, & convitiis prœliantur; ut cum aliquis ab iis liber exit, aliquot alios continuo ſubmitti videas, tanquam armatos ſatellites. Minime verò ingenii dignitatisque noſtræ eſt, certare verborum contumeliis. Aliter inſtituti ſumus, aliter viximus; nec committendum nobis eſt, ut quam ſcriptis defendimus Evangelicam doctrinam, factis prodamus. Sciantque adverſarii, qui ſe Evangelicos dici volunt, ſi ad maledicentiam ſua ſe invitat religio, noſtra nos ad patientiam vocari. Videamus tamen, quid in commentario noſtro bonus ille vir reprehendat. Farraginem eſſe ait Rabbiniſmi & diſputationum de libris Novi & Veteris Teſtamenti, & aliquibus eorum locis. Quo dicto nobiſcum una ſugillat multos ſuarum partium Criticos, quorum valde probata eſt opera, quique nuper in unum corpus tanto labore, tantisque ſumtibus, congeſti ſunt in Anglia. Addit, bona me malis, firma infir-

Digitized by Google

mis miſcuiſſe ; temerarium eſſe & inconſideratum delectum hunc rerum, levia argumenta, inanes conjecturas : quæ etſi generatim ita dicta, capitibus ſigillatim non adnotatis, levia ipſa ſunt & inania, librum tamen mihi indicari velim, in quo paria ſint rationum omnium momenta, par auctoritas. Ait deinde damnoſam eſſe tot opinionum in rebus ſacris tractandis varietatem, quibus alatur potius Deiſtarum impietas, quam opprimatur ; niſi eos abnormis libri moles a legendo deterreat. De mole libri non noſtra ſolum cauſſa eſt, ſed & tot eruditione & ſanctitate nobilium ſcriptorum, quorum ingentia volumina cum leguntur, ea voluptas eſt, is fructus, ut videantur etiam brevia; deque iis dici poſſit, quod olim de orationibus Demoſthenis, meliores eſſe quæ longiores. Uſus vero & ratio poſtulant, ut, quamcunque rem vocamus in quæſtionem, antequam de ea noſtram proferamus ſententiam, varias explicemus eruditorum opiniones, ut ex contentione cæterarum noſtræ veritas eluceſcat. Verum quid prodeſt ratione cum eo agere, cui impotens partium ſuarum ſtudium rationem excuſſit? Inde adeo probatiſſimi viri complures ſectæ hujus, neque mihi noti, neque rogati, pro candore ſuo per amicos ſignificarunt, ſe congerronis ſui facinus tam inhumanum deteſtari. Igitur cum maxime huc pertinet vetus illud Manilii: *Pro captu lectoris habent ſua fata libelli.* Captum dico, non ingenii ſolum acumen, aut ubertatem doctrinæ, ſed æquitatem etiam animi: quem animum ſi quis vel iracundia tumidum, vel ſuffuſum malevolentia, vel præjudicatis opinionibus excœcatum, vel cerritum, appellat ad legendum quantivis pretii opus, ſibi opinionibusque ſuis contrarium; exiſtent illico motus præcipites, quos non exquiſitis rationibus, non veritatis ipſius oppoſitu ſedare poſſis. Sed quod rideamus, homo idem ille alium nactus adverſarium, aliam orditur cantilenam, librumque me ait ſcripſiſſe mere Calviniſticum, ſive ut ejus verbis utar, *mere Hugonotticum:* quod quin ab eo ſit in laudis parte poſitum, pro immoderato ejus in hanc factionem ſtudio dubitare non poſſumus. Atque egregium hoc operis noſtri præconium expreſſit, id quod ſcriptum a me probatumque eſſe ait, Librorum ſacrorum divinitatem ex ſacris ipſis Libris demonſtrari; cum tamen probatio divinitatis Librorum ſacrorum præter inſtitutum meum ſit, & ſtrictim tantum delibata; nec ex Libris ipſis ſacris, ſed ex Traditione, tota fere petita ſit. Quod & alibi oſtendam pluribus. Quin etiam perlatum ad me eſt, exiiſſe nuper librum in Anglia, quo ex traditis a me Demonſtratione hac Evangelica principiis Catholicum dogma de ſacroſancto Euchariſtiæ ſacramento oppugnatur. Quidni vero? cum & ex ſacris Voluminibus tam aperte ſibi adverſariis oppugnetur a gregalibus factionis hujus. Credo jam prope idem ex principiis Euclidis vel Archimedis probare tentabunt. Plane ſimiles fatuorum illorum Chymiſtarum, qui ex primo Geneſeos capite artem conficiendi auri percepturos ſe prædicant. Quid eſt vero χορυβαντιᾶν, quid videre geminum

Digitized by Google

geminum ſolem, & duplices Thebas, ſi hoc non eſt? Ergo non ea ſolum, quæ nusquam ſunt, ſed futura quoque quæ nusquam erunt, & jam exitu ipſo falſitatis convicta ſunt, cernere ſe coram putant, & fanaticos ac prophetas agunt. Ita *Dominus miſcuit in medio eorum ſpiritum vertiginis, & errare fecerunt Ægyptum in omni opere ſuo, ſicut errat ebrius & vomens.* Sed pergamus objecta nobis crimina expendere. Sunt qui querantur, me, ſuſcepta dogmatis Chriſtiani probatione, nihil omnino probaſſe. Ac vetus quidem hoc convitium eſt, Chriſti diſcipulis ac Chriſto ipſi objectum, poſt edita miracula, ægros ſanatos, & receptam vitam: ſimulata illa, hos ſubornatos, fictum iſtud. Non tam acuta ingenia, quam dociles ac pios animos, poſtulat hæc divinæ veritatis diſciplina. Itaque nec eam recepiſſent adverſarii noſtri, etiamſi epicheremata attuliſſemus Geometricorum conſimilia. Deinde non omnes probationum moralium vim ſentiunt. Qui libros ſolent, non legere, ſed libare & ſaltuatim attingere: qui continenter quidem atque fractim, ſed oſcitanter legere, ſibique in longo opere ſomnum ſinunt obrepere: qui filum argumentationum non pervident: quos magna rerum varietas obruit, hos effugit Demonſtrationis noſtræ contextus & cohærentia. Idcircone nos hanc ingenii infirmitatem præſtabimus? Et occurriſſe tamen ſperabamus huic querelæ, cum ad calcem propoſuimus ſummam operis totius paucis verbis abſolutam, tam apte, tam conſerte colligatam, ut nulla ſui parte vitium minetur. Ac optaverunt multi, & ſæpe poſtularunt a me, ut librum in epitomen contraherem. Ego vero optabam id quoque, verum numquam impetravi ab animo, ut eumdem fœtum bis parturirem; atque hæc alienæ potius induſtriæ opera viſa eſt, quam meæ. Ab eadem incogitantia profecta eſt altera multorum criminatio, me nimis multa ad propoſitum haudquaquam pertinentia congeſſiſſe. Quorſum enim, inquiunt, tot fabulæ in opere ſerio? quorſum tot aliarum gentium ritus & hiſtoriæ? quorſum illæ diſputationes de propagata ad Græcos ſacrorum Codicum notitia? de Græcis horum interpretationibus? de eorumdem Canone? de origine linguæ Ebraicæ, & literarum Samariticarum & Judaicarum? Reſponſio eſt in promtu. Cum Librorum ſacrorum antiquitatem & γνησιότητα probare inſtituiſſem ex ſequentium ætatum teſtificatione, juxta primum noſtrum Axioma, nihilque priſca illa Græcia, eruditionis fere omnis per Occidentem parens & magiſtra, ac ipſa deinde Italia, fabulis ſuis habeant antiquius, quibus tota eorum continetur Theologia ac religio; aptiusne aliquid & cauſſæ noſtræ utilius afferri potuit, quam quod a me luculenter demonſtratum eſt, Mythologiam hanc omnem ex Codicibus ſacris, ſacrisque hiſtoriis, mutatis, diſſimulatis, interpolatis prodiiſſe? Cui tractationi annon conſequens erat altera illa de notitia librorum horumce Græcis prodita? Nam cui perſuaſeris, Theologiam ſuam ex Ebræorum voluminibus depromſiſſe Græcos, niſi hæc ad ipſos perveniſſe oſtenderis? Id vero ut demonſtres, rei quoque modus eſt demon-

Iſa. 19, 14.

Digitized by Google

demonſtrandus. Quo maxime pertinet quæſtio his proxime conjuncta de priſcis interpretationibus Græcis ſacrorum Voluminum, earumque ætate & antiquitate. Vel ſolam eam interpretationem, quæ Septuaginta illorum ſenum eſt, ſi Ptolemæi Philadelphi ævo concinnatam eſſe obtinuerimus, obtinuerimus una quoque Ptolemæo hoc vetuſtiores eſſe Codices ſacros, quod cauſæ noſtræ peropportunum eſt. Jam ſi inſtituto noſtro valde accommodatas eſſe conceſſeris has diſſertationes, multo magis idipſum de reliquis fatebere, quæ ſunt de legibus, ritibus & hiſtoriis aliarum gentium, Græca & Romana antiquiorum; Ægyptiæ puta & Phœnicæ. Has ſi manaſſe etiam conſtat ex ſcriptis Ebræorum, conſtat itidem nullum extare monumentum antiquius. Atque idem in pari cauſſa, eodemque argumento, demonſtratum quoque eſt a vetuſtis Eccleſiæ Patribus. Diſputatione vero de Canone diſputationes reliquæ de ætate Librorum ſacrorum continentur, ut illic Lectorem monui. Qui enim Canonis auctorem eſſe Esdram oſtenderit, uti factum a me eſt; ſimul oſtenderit, Esdra vetuſtiores eſſe Libros omnes in hunc Canonem conjectos, ac proinde genuinos: quo Propoſitionis quartæ veritas comprobatur. Nec inane veritatis argumentum petitur ex lingua, qua Libri hi conſcripti ſunt. Id uſurpare ſolent Criticorum filii, cum ſcripti alicujus antiquitatem ſcrutantur. Et ut nihil faceret ad rem, vel ad ornamentum operis addi potuit, tanquam corollarium. Verum quod aliis vulgo conceditur, nobis negatur. At quæ pars operis in plures incurrit criminationes, ea eſt, qua priſcos illos nobiliſſimarum & vetuſtiſſimarum gentium Deos aut Heroas Moſem diſſimulare probavimus. Quam cum a multis reprehendi cognoverim, nondum tamen cauſſam reprehenſionis intelligere potui. Nec enim jure objiciat quisquam, id eſſe præter inſtitutum: nam cum per ſcripta Moſis fere diſſeminata ſit apud exteras gentes ejus notitia, nihilque illæ habeant Numinibus ſuis antiquius; liquet quoque Moſaicorum ſcriptorum antiquitas, ſi Numina hæc Moſem perſonatum eſſe liquet. Atqui jamdiu id ſuboluit priſcis nonnullis ſcriptoribus, ſuboluit & recentioribus. Nec ſuboluit tantum, ſed & affirmate dictum eſt. Moſem eſſe Theuth Ægyptium, conditamque ab eo Hermopolin urbem, de nomine nempe Mercurii conditoris ſic dictam, nulla circuitione uſus aſſeveravit Artapanus: ejusque verba, ut obſervatione digna, in libros ſuos retulerunt Euſebius, & auctores Alexandrini Chronici, & Hypomnematis in Hexaemeron. Et in codice quodam Lactantii pro voce Thoth ſubjectum eſt Moſis nomen. Theuth autem ille, ſive Thoth, is ipſe eſt Phœnicum Taautus, Hermes Græcorum, Mercurius Romanorum, Tautates Gallorum, Theuth ſive Wodan Germanorum, Tiis Danorum, Teves Anglorum. Moſis item ſimulacrum eſſe Oſiridem, ſive Bacchum, pridem deprehenſum eſt Gerardo Johanni Voſſio, a quo non multum recedit Bochartus. Quem Mneven appellat Diodorus, idem Juſtino Martyri

Moſes

Digitized by Google

Moſes eſt. Typhone adumbrari Moſem, is quem dixi Bochartus clariſſime demonſtravit: Docuit nos mox laudatus Artapanus, eum, qui a Græcis dicitur Muſæus, ipſum eſſe Moſem. Herculem eſſe Joſuam luculente probavit memoratus nobis Voſſius. Laudi huic fuit, aliisque eruditis viris, ac Bocharto inprimis, demonſtraſſe ſub perſonis Saturni, & liberorum ejus, Jovis nempe, Neptuni, & Plutonis, latere Noachum, Chamum, Japhetum, & Semum; Ruthi ſimulacrum eſſe Apollinem Pythium; Mercurium Chanaani vel Jethronis, ſoceri Moſis; Nemrodum Bacchi; Magogum Promethei; Apim, & Serapidem, ac Mneven etiam Joſephi; Lilith, cujus meminit Iſaias, Ilythyiæ. Iſa. 34, 14. Conjecit quoque Bochartus, & accurata contentione declaravit, ex Silo, quem venturum ſpondet Jacobus, extitiſſe Silenum. Suſpicari Gen. 49, 10. ſunt quidam Zoroaſtrem Chami eſſe effigiem; alii Misraimi; Japeti nonnulli; nonnulli Chuſi; aliqui Aſſueri; alii Nemrodi. Exiit in lucem paucis abhinc annis literatiſſimi viri libellus, quo probatur Jabelem & Jubalem eſſe Mercurium & Apollinem; Adam & Sellam, Lamechi uxores, Junonem & Latonam; Noemam Venerem; Tubalcainum Vulcanum; item Mercurium Trismegiſtum eſſe Verbum Dei. Talia comminiſci ſtudioſis hominibus cæteris jus fasque eſt, mihi non eſt. Jam ſi noſtrarum ſuper his Moſis ſimulacris opinionum explorentur argumenta, etſi non omnium idem pondus eſt, eadem vis, at pleraque tamen ſunt hujusmodi, ut qui iis contradicat, is meridie facem velit accendere. Vel in noſtra Zoroaſtris cum Moſe comparatione, quam ſimilia omnia, quam paria ſunt! Parum diſcrepant patrum nomina; ſtatim ab ortu riſiſſe uterque dictus eſt; mundi principia quinque libris uterque tradidiſſe; idolorum cultum ſuſtuliſſe; ad mortem a rege eſſe quæſitus; a Deo ſervatus, immiſſis in impium regem venenatis culicibus; periculum fuga evaſiſſe; fluenta incolumis & ſiccus transmiſiſſe; exul uterque ſeceſſiſſe in montem, qui cœleſtibus ignibus ardere viſus ſit; illic Deum flammis obſitum oculis ſuis intueri non potuiſſe; legum prope earumdem codicem a Deo accepiſſe, flammasque inde retuliſſe; mirifico quodam cibo in deſertis paſtus eſſe; ignis perpetui ritum ſanxiſſe: ignota morte ex hominum oculis uterque evanuiſſe. His ſi adjungas, fuiſſe qui crederent, nullum unquam extitiſſe Zoroaſtrem, & perſonam eſſe commentitiam; quis homo frontis non perfrictæ unum videri neget eos, quorum vita, facta, caſus, mors, cætera adeo mirabilia, adeo inuſitata conſentiant? Janum ſcripſit Albricus radiatum & fulgidum pingi ſolere, baculum manu gerentem, quo ſaxum percutit, ex eoque aquam educit: ineptus ſcilicet ego, qui Moſem illic putem ineſſe: nam cui alteri tributum id perhibent hiſtoriæ, quam Moſi, baculi percuſſu aquas e rupe elicere? Venerem deſcribunt Orphica, Ægypti lavacra tenentem, in thuriferæ Syriæ campis vagantem, Nympharum choro ſtipatam, & tripudiantem in litore: o ego lævus, qui Mariam

Digitized by Google

Moſis ſororem illic agnoſcam, ex Ægypto digreſſam, trajecto mari ſaltantem in litore Syriaco, non longe a thurifera Arabia, tripudiantibus & tympana quatientibus mulieribus comitatam. Temerarius ego quoque, qui inde ortas opiner Muſas Græcorum nomen id habuiſſe ex Moſe, qui & cantionibus ſuis celeber fuit, & Græcis μῶσης dictus eſt, unde proclive fuit, & ſororem Mariam item pſaltriam μῶσαν appellare, & ſocias μῶσας· ut a Jovis nomine ζὰν, nomen ſoroři Græci fecerunt ζανὼ, quod eſt Latinorum Juno; ut a Baccho Bacchas dixerunt; deinde ex Mariæ & ſociarum cantibus ac tripudiis idem adſcriptum eſt Muſis officium: præſertim cum & Ægyptias fuiſſe Muſas ſcribat Diodorus, & Oſiridis ſocias, quem Moſem eſſe demonſtravit Voſſius. Stephanus Monachius Profeſſor Leydenſis, quem multo magis ob ſingularem bonitatem, candorem, æquanimitatem, innatum in maledicos & obtrectatores odium, & dilexi vivum, & nunc extinctum deſidero, quam vel ob popularitatem, vel ob eximiam eruditionem, qua paucos hac ætate pares habuit, ſcribebat ad me paullo ante obitum, deprehendiſſe ſe Venerem ipſam Mariam Moſis ſororem; ex ejusque nomine, quod *Gutta maris* מר ים exponi poteſt, finxiſſe Græcos Venerem ex ſpuma maris ortam. Gaudebam idem veniſſe in mentem viro erudito, quod jampridem mihi. Ergo acutam nominis originationem, quam primus excogitavit, gratulatus ſum; Venerem eſſe Mariam jam ante a me indicatum eſſe monui, quod ei exciderat. At qui iſta repudiant, iidem libros Veriſimilium, Suſpicionum, Conjecturarum, Dubiorum amplectuntur. Quid ergo cauſſæ eſſe dicam, cur levia hæc probentur in aliis; abſtruſiora iſta & certiora in nobis culpentur? Multa ſane concurrunt: ac id primum, quod dixi, partium ſtudium, quo ita nunc turgeſcunt animi, ut ex hoc Religionis quam quisque profitetur diſcrimine, vel ad vituperandum paratus ſit, vel ad laudandum. Facit id præterea præcipitis judicii temeritas, qua res non ſatis exploratas, nec ex momentis rationum ſatis perſpectas, nec fortaſſe ſatis intellectas, ſed oculis ſtrictim & per tranſennam delibatas, velut ſummo jure plerique dijudicant. In muſteo quodam opere, cum multa Demonſtrationis noſtræ Evangelicæ capita venenato dente arroſa ſunt, tum hoc præcipue, quod his Ethnicorum numinibus perſonam detraxi; palamque declarat novitius ille ſcriptor, parum ſibi probari, quod dixi, Moſem eſſe Adonin, Mercurium, Oſirin, Serapin, Anubin, Zoroaſtrem, Cadmum, Apollinem, ac plerosque porro Ethnicorum Deos. Egone vero Moſem dixi vel cogitavi unquam eſſe Cadmum? Cognoſcite vero diligentiam hominis & acumen. In Syllabo capitum libri hujus, nominibus Adonidis, Mercurii, Oſiridis, Zoroaſtris, Apollinis, & aliorum, permiſtum quoque Cadmi nomen ſtrictim inſpexerat. Nec attentius re explorata credidit, quorum nomina conjunxiſſem, eadem me de iis affirmaſſe; & opinionem

leviſſime

Digitized by Google

leviſſime ſuſceptam temere literis prodidit. Quemquamne animo tam incogitante & omiſſo, non modo ad ſcribendum, ſed ad aliena etiam ſcripta expendenda & vellicanda accedere? Et quæ hominis verecundia eſt, ne eſſem malevolentiæ ſuæ & inconſiderantiæ neſcius, librum ad me ſuum officioſe detulit. En laborum noſtrorum gratia; quos poſtquam graves & diuturnos in ſtudiis literarum excepimus, fructum omnem plebeji alicujus ſcriptoris levitas intercipit. Ac quæſivi mecum ipſe ſæpenumero cauſſam inſanæ hujus pruriginis contradicendi, carpendi, calumniandi. Mihi videtur illa valde probabilis, facile exiſtimare homines inconſultos, iis ſe fieri ſuperiores, quos erroris coarguant; quippe acutiorem hunc eſſe aut doctiorem, qui plus alio aut viderit aut ſciverit. Fruſtra. Homerum inſectatus eſt Zoilus, multaque ejus peccata deprehendit: nec Homerus tamen deſiit eſſe Homerus, vir ſcilicet maximus; nec Zoilus alius evaſit quam Zoilus, vir leviſſimus & deſpicatiſſimus. Multum præterea obfuit operi noſtro jejunitas bonarum illarum artium, quibus continentur ingenuæ & liberales doctrinæ, quæque ita exaruerunt hac ætate, ut qui eas excolat vix ullus ſit; qui excolentibus honorem habeat, plane nullus. Et tamen ad ea quæ tractavimus, ſine hoc inſtructu comitatuque accedere, perinde eſt, ut ſi ruborum mora, quod ajunt, velis ſine uncino diſtringere, aut ad iter ſine viatico te accingas. Quid vero præmii erit labori noſtro apud homines ſimiles hominis illius, cujus in libris nuper conſignata eſt inhumana illa & ferina vox: levem fore jacturam, ſi aboleantur ſuperſtites omnes veterum Philoſophorum aut Poetarum reliquiæ? Haudquaquam ſane ea mihi acceſſit confidentia, ii ſpiritus, ut libro noſtro præfigere auſim titulum hunc, quem Iſagogicis ſuis Canonibus præfixit Joſephus Scaliger: Ἐλευθερίων μαθημάτων καὶ παντοδαπῆς παιδείας ἀμύητος ἀδεὶς εἰσίτω· *Nemo liberalium diſciplinarum & omnigenæ doctrinæ expers ingrediatur.* Tantum licentiæ viro magno dabat quæſita meritis gloria. Certum tamen eſt, noſtros commentarios, quibus ex ſacris utriusque Teſtamenti fontibus hauritur Chriſtiana veritas; ex primigeniis vero exemplaribus, interpretationibus exoticis, ex profanis clararum gentium monumentis, Teſtamentum utrumque illuſtratur; nihil voluptatis aut fructus afferre poſſe iis, qui in his doctrinis ſunt peregrini, nec aliud ad intimam ſacrarum literarum notitiam præſidii quærunt, quam Quodlibeta & Poſtilla. Olim iſti fuit generi uſus apud priora ſecula: nunc in tanta luce florentium nuper, jam ſeneſcentium literarum, ex omnium retro ætatum memoria, ex reconditis & interioribus gentium omnium diſciplinis, corradendæ ſunt opes, arceſſenda ſubſidia, ad ſalutarem ſacrorum oraculorum intelligentiam & enodationem. Non id neſciebant Philo & Joſephus, non primi & doctiſſimi Patres Eccleſiæ. Quorum exemplum nos ſecuti ſi culpamur, culpantur nobiſcum una illi quoque.

Digitized by Google

Ex hac humaniorum artium ignoratione & contemtu conflata est inepta, & insulsitatis pleniſſima, & in libris nonnullis ad auctorum ignominiam expoſita querela, de inſtituta a me Priapi cum Moſe comparatione. Quod ſic interpretantur, quascunque commentitio huic Deo affinxit notas, quæcunque officia, quoscunque caſus, fabuloſa antiquitas, eadem me Moſi tribuere. Cauſſam ergo mecum dicat Artapanus, qui Moſem eſſe dixit Mercurium, hoc eſt, ſi egregios iſtos interpretes audimus, furem, lenonem, doctorem furacitatis, profeſſorem lenocinii, furum ac lenonum tutorem & magiſtrum. Cauſſam dicat Voſſius, qui Moſem auſus eſt affirmare eſſe Bacchum, ebrioſum videlicet & potatorem; dicat Bochartus, qui ſcribere non erubuit, ſanctiſſimum virum Moſem eſſe Typhonem, monſtroſum, ferum, inhumanum, impium, Deorum hoſtem; Silo vero, hoc eſt, Meſſiam orbi promiſſum, eſſe Silenum, Deum illum ridiculum, heſterno Jaccho venas ſemper inflatum. Plectamur & nos, qui Moſem eumdem eſſe ſcripſimus ac Adonin, mollem hunc ſcilicet puellum & effeminatum, Veneri & amoribus deditum, ex nefario & inceſto concubitu natum; qui Mariam ſororem Moſis eamdem eſſe ſtatuimus ac Venerem, Deam hanc nempe auctorem omnis libidinis & impudicitiæ. Plectamur iterum, qui alios propoſuimus Chriſti typos, Vaccam rufam, Hircum ἀποπομπαῖον, Adamum, Noachum, Samſonem, Davidem, Salomonem; quique Chriſtum proinde ſimilem finximus pecudum, ſtolidiſſimæ illius, hujus ſalaciſſimæ: item Adami, hominis noxii; Noachi repertoris vini, & aliquando temulenti; Samſonis, meretriciis amoribus impliciti; Davidis adulteri & homicidæ; Salomonis mulieroſi & impii; quaſi vitia hæc eadem Chriſto tribuamus: abſit dicto impietas. Præpoſteri homines & imperiti, quos jamdiu caſtigavit Hieronymus, cum ob aſſimilatum Adamo Chriſtum ab Apoſtolo Paulo, acta omnia, dicta, ac notas Adami in Chriſto requirerent. Meminiſſent pervulgati adagii, ſimilitudinem omnem claudicare. Ipſe ſe Lapidem, ſe Viam, ſe Vitem Chriſtus appellat; Johannes Agnum; Petrus & Paulus Petram, & quidem *offenſionis* ac *ſcandali*. An ut durus & ſaxeus, an ut pedibus noſtris proterendus, an ut truncus & ſtipes, an ut hebes eſſe ſignificetur? Pudet inſcitiæ & ſtuporis. Scirent vero cenſores noſtri, Priapum, ut & reliquos Ethnicorum Deos, effigies eſſe rerum naturalium, aut Heroum veteris ævi; plures ejusdem rei extare nonnumquam imagines in fabulari hiſtoria; eamdemque aliquando rem pluribus imaginibus ſignificari. Præclare Plinius: *Jovem, aut Mercurium, aliterve alios inter ſe vocari, & eſſe cœleſtem nomenclaturam, quis non interpretatione naturæ fateatur?* Id & ex Macrobio intelligas, qui Deos omnes unum eſſe Deum, atque eos Solis ſimulacrum, fuſe docuit; intelligas & ex aliis ſcriptoribus vetuſtis & novitiis, qui occultas fabularum ſignificationes explicarunt.

Hieron. in Eph. 5.

Matth. 21, 42. 44. Joh. 14, 6. & 15, 1. Joh. 1, 29. 1 Petr. 2, 6. & ſeq. Rom. 9, 33.

Plin. lib. 2. cap. 5.

Macrob. Saturn. lib. 1. cap. 17 & ſeq.

Digitized by Google

carunt. Atqui Priapo hi tradunt, vim genitalem Solis & fœcunditatem naturæ adumbrari. Quamobrem & cornu copiæ gestans fingebatur, & patre Baccho natus, qui Sol est Macrobio. Sed & Sol ipse dictus est nonnullis; fons nempe vitæ, & naturæ parens. Eumdem quoque esse volunt plerique ac Panem, qui naturæ universitatem vel nomine exprimit, eumdem plerique ac Bacchum sive Osiridem, eumdem ac Orum sive Apollinem, eumdem ac Mercurium, eumdem ac Typhonem. Quibus cum designari Mosem jam alii ostenderint, idipsum ab iis ostensum est, quod a nobis, Priapum videlicet esse Mosem. Quidquid vero obscœnitatis inerat in commentitii hujus Dei simulacro, idem extabat & in simulacris Panis, Ori, Osiridis, Mercurii, Marsyæ, & Termini. Sed quid ego conor expugnare inscitiam hujus ævi? ante expugnandus est livor & malignitas. Nunc satisfaciendum Geometris, quibus dolet, quod a me depressa est sua disciplina, quam & propter dignitatem, & multo magis instituti nostri gratia, extolli a me debuisse contendunt. Cum enim principia quædam moralia, ac ea præsertim, quibus incumbit opus nostrum, non minus certa statuamus esse quam Geometrica; quo plus, inquiunt, firmitatis concessum fuisset Geometricis, eo plus nostris roboris accessisset. Nos quidem satis multa videmur illic ad nobilissimæ disciplinæ commendationem attulisse. Verum est modus in rebus, nec postulandum est Geometris, ut vanis opinionibus, quibus inflati tument, cum veritatis dispendio obsequamur. Deinde cum utrorumque principiorum firmitatem ex plurium hominum assensu spectandam esse docuerim, exquirendus omnino fuit assensus ille, cautiæque ejus investigandæ; quo aliter fieri non poterat, quam rimandis Geometriæ vitiis, iisque consulendis & appellandis, quibus ea jam ante fuerant perspecta. Persequamur reliquas criminationes. Nimis multa vocabula Græca, quasi per ostentationem, operi asperssse me queruntur. Futilem enimvero & puerilem ostentationem, quam trivialibus magistris relinquimus. At si quis attendat animum, facile agnoscet, tum me solum usurpasse Græca, cum Latina deessent, subsidiumque in egestate a ditioribus sumsisse. Quod non in prosa solum oratione, sed & in versa quoque, a Romanis factitatum est. Cum Græca quædam attulisset Agellius, velut simili querelæ occurrens, subjecit: *Hæc ego supersedi vertere, quia novis & inconditis vocibus utendum fuit, quas pati aures per insolentiam vix possunt.* Atque idipsum re expertus sum: nam cum multorum desiderio vellem satisfacere, & in nova hac editione Græcis Latinam interpretationem subjungere, ea fuit verborum penuria, ut circuitione uti necesse aliquando habuerim. Eadem inopia coacti vocabula quædam adhibuimus, quæ non ferat purioris ævi Latinitas. Id nos excusavimus in ipso pene aditu operis; nec nunc quidem mutavimus admoniti, cum emendationem respuat

Agell. lib. 16. cap. 8.

Digitized by Google

inopia, cumque dogmatum & rerum ab usu communi semotarum tractatio munditiarum illarum fere aspernetur curam, nec repudiare liceat voces Ecclesiæ Christianorumque consuetudine consecratas, adscitis elegantioribus. Quod cum olim fecisset Castalio, sacrorum Librorum interpres, placuit fortasse Grammaticis, prudentioribus viris ineptire visus est. *Id commune omnium fere est artium*, inquit Cicero, *aut nova sunt rerum facienda nomina, aut ex aliis transferenda. Quod si Græci faciunt, quanto id magis nobis concedendum est?* Jam quid sit nova hac editione præstitum, si quis requirat; rem paucis verbis expediam. Emendata fuerunt quædam, nonnulla castigata, multo vero plura adjecta, illustrandi caussa vel confirmandi quæ reprehensorum stilo aut querelis fuerant perstricta. Sed nimis diu Lectorem moror: qui sive æquus nobis benignusque continget, quod optamus; sive alienus & aversus, quod patiemur facile, fruemur tamen recti consilii & optime collocatæ operæ conscientia.

Cicero 1. Academ.

Cum

Cum in Præfatione hac Auctor mentionem fecerit Viri cujusdam clarissimi, qui Demonstrationem Evangelicam, cum primum in Gallia prodiisset, a Fratre muneris loco sibi missam, justa commendatione fuerit prosecutus, ejus epistolam hic adponendam duximus.

VIRO ILLUSTRI

ESAIÆ PUFENDORFIO

S. D.

SAMUEL PUFENDORF.

QUibus verbis gratias tibi agam pro transmisso PETRI DANIELIS HUETII Opere de Demonstratione evangelica, reperire vix possum, Fratrum optime. Nam etsi quivis illustrium ingeniorum fœtus, queis ad solidam sapientiam proficitur, me delectent; fateor tamen, ita impense me istius Operis lectione captum, ut magnopere seculo gratulandum judicem, reperto tanto ingenio, cui infinitam eruditionis ac judicii vim circa ejusmodi potissimum materiam occupare placuit, quam nobilitate ac utilitate sua nulla alia superat. Augusta heic omnia, ornata, ad gravitatem composita, qualia maximi Regum Filio offerri decebat. Nihil heic occurrit, quod pulverulentam illam, aut ad lucra sacerdotum attemperatam Theologiam redoleat; sed omnia ad vindicandam divinorum librorum auctoritatem, eorundemque genuinos sensus accommodata. Nec minus placet mascula illa libertas, procul a superstitione ac servili obsequio remota; citra quam non video, qua ratione divini Codicis integritas adversus profanos homines eo modo vindicari queat, ut, si quis adhuc negare audeat illa, quæ ipso communi sensu comprobantur, cordatorum ludibrio sese exponat. In primis autem id egregium, quod hæc materia ad genuinam demonstrationum formam revocatur; per quam solam, exclusis vacillantibus disceptationibus, res ad liquidam & immotam veritatem deduci potest, & per quam totius operis compages ita conserta est, ut, qui eam convellere aggrediatur, communi hominum judicio se defectum, aut vesana malitia perditum arguat. Sic ut neque ex antiquis Patribus, neque e recentibus scriptoribus, ullum in hoc genere Opus videam, cui Huetii scriptum non æquiparari, aut anteferri mereatur. Enimvero uti hanc laudem, quidquid est bonorum & solide doctorum, Huetiano libro libenter tribuit; ita illud apud me peculiarem æstimationem meruit, quod ex eo spes mihi nata fuit alterius Operis, de quo nescio an multis in mentem venerit. De quo non possum, quin tibi nunc, Fratrum optime, paucis exponam.

Non puto ullum bonum & cordatum esse, qui non optet, quidquid est Christianorum, in unitate Spiritus Deum colere; quique non ingemiscat, tam horridis dissensionibus Ecclesiam Christi lacerari, ac tam acerbis odiis ob discrepantes circa sacra opiniones inter se dissidere, qui omnes Jesum Christum Salvatorem sese profitentur agnoscere. Has dissensiones non a genio veritatis divinæ, sed a malitia humani ingenii promanare, mihi quidem dubium non est. Nisi tamen omnia me fallunt, haud modica istarum litium pars e lubrico ac dissoluto modo provenit, quo Theologia vulgo tradi solet. Cui incommodo remedium haud spernendum afferri posse dudum persuasus fui, si Theologia Christiana in formam justæ artis

per

per continuas demonstrationes digestæ adornetur; ut nempe præmissis necessariis definitionibus, ac, si opus sit, postulatis, tum indubiis axiomatibus, capita Christianæ religionis ad salutem necessaria, sufficientia, & velut adæquata, ad modum propositionum mathematicarum demonstrentur. Sane quin tali forma concinnari possit doctrina Christiana, vel ex opere Huetiano apparet, quo præliminaris pars Theologiæ, atheis & Judæis opposita, feliciter absolvitur. Nec enim video, quid obstet, quo minus certa axiomata inveniri queant, partim e communibus supersciendi modo notionibus, partim e perpetuo & universali S. Scripturæ sensu, e quibus deduci queant articuli fidei, quorum notitia & assensus ad hoc requiritur, ut quis propositum a doctrina Christiana scopum adsequatur. Extra hæc si quæ Theologis vulgo agitatæ quæstiones supersint, eæ fundamentum fidei haud tangere, sed vel ex inani philosophia irrepsisse, vel ad sacerdotum emolumenta conflctæ, vel innoxiam aut inexplicabilem in hac mortalium conditione disceptationem habere, censendæ sunt; & circa quas dissensus non prohibeat, quo minus fratres, & unius corporis mystici membra haberi debeant, & qui eum caritatis gradum, quo Christianorum pietas præcipue exsplendescit, sibi invicem exhibere teneantur. Ac si HUETIUS in demonstrationis formam redigere potuit ea capita, e quibus veritas Christianæ religionis adversus atheos & Judæos evincitur; cur non ad eundem modum adornari queant ea capita, quæ ad hoc requiruntur, ut quis inter orthodoxos Christianos censeatur? Quin autem ejusmodi opus magnam utilitatem orbi Christiano, saltem per cultiorem Europæ partem, afferre queat, vix cuipiam dubium esse possit. Non quod putem id felicitatis assecuturum orbem Christianum, ut abolitis dissidiis, omnes in eundem sensum circa sacra conspirent, nisi per singularem rerum revolutionem animi ad saniora admittenda præparentur; sed ut veritate ad talem modum digesta, & in medio posita, qui recte sentiunt, etiam hoc adminiculo confirmentur: cæteri eo usque urgeri queant, ut si amplius contra tendant, vel morbo mentis laborare, vel vitiosum ob affectum aut respectum veritati impudenter reniti censeantur. Sed uti de utilitate ejusmodi operis fortasse paucis cordatis dubium erit; ita difficilius fuerit virum reperire, qui eidem pro dignitate conficiendo par sit. Nam in eo, præter exactissimam rerum divinarum notitiam, id quoque requiretur, ut is origines controversiarum inter Christianos agitatarum accurate norit, & quibus caussis atque respectibus istæ eousque indurverint. Tum ut summa animi moderatione & æquitate præditus sit; & qui mentem omnibus præjudiciis evacuatam in sola veritate investiganda defigere possit. Denique ut idem sapientem juxta ac potentem Principem habeat, cujus patrocinio tutus, hominum lucro & affectibus suis mancipatorum tumultus contemnere possit, quibus veritate nihil odiosius est. Ac ejusmodi viri instar cum fere ex HUETII opere conceperim, optarem sane, ut is altero hoc beneficio Christianum orbem devincere in animum induceret, talemque nobis tractatum adornaret, quo necessaria, plena, atque sufficientia dogmata, orthodoxum Christianum constituentia, designentur; simul caussas insinuaret, quare ab una vel altera parte, extra istæc posita scita tanto cum fervore, tantaque pertinacia propugnentur. Si ulla mihi cum Viro notitia intercederet, non dubitarem, ad suscipiendum pulcherrimum laborem eundem invitare. Sed ut ignotum ignotus ipse

super

ſuper tanta re, nulla velut præparatione facta, compellem, mea modeſtia non concedit. Cum autem tibi, Fratrum optime, ſine dubio veteres in Gallia amici ſint, quibus aditus ad eum Virum patet, magnopere rogo, velis per illos curare, ut huic jam propoſita inſinuentur. Saltem enim id obtinebimus, ut egregius iſte Vir exponat, quid ſuper ejusmodi inſtituto ipſe judicet, & quem fructum inde ſperet. Ac ubi ſemel iſtoc ipſi probatum fuerit, nec ejus tempora ferant manum eidem admovere; vix tamen dubium eſt, quin iſto in regno, magnorum ingeniorum feraci, inveniri queat ei operi moliendo par. Præſertim cum major huic auctoritas futura ſit, ſi id abs Romanam religionem profeſſo ſuſcipiatur, quam ab aliorum quopiam, qui ab hac Eccleſia diſceſſerunt. Id igitur ſi efficere queas, ac ut ejus Viri ſententiam hac ſuper re intelligere liceat, rem ſane mihi gratiſſimam feceris. Scripſi Holmiæ d. XXIV Febr. Anno MDCLXXXI.

Sequuntur litteræ Auctoris ad Marchionem de Feuquieres, Regis Galliæ in Suecia Legatum, ſuper eodem argumento datæ.

A MONSIEUR LE MARQUIS DE FEUQUIERES,

Ambaſſadeur extraordinaire du Roy Tres-Chrêtien en Suede.

MONSIEUR,

J'Ay veu la lettre, que Vous avez eſcrite depuis peu à Mr. l'Evéque de Condom, & j'y ay veu des paroles ſi obligeantes pour moy, que je me crois obligé de Vous en rendre tres-humbles graces, & Vous témoigner, combien je m'eſtime heureux, que la diſtance des lieux & la longueur des années, ne m'ait pas derobé la part, que Vous m'avez fait l'honneur de me donner dans voſtre ſouvenir. E'on m'a auſſi communique, Monſieur, la lettre de Monſieur de Pufendorf, à laquelle je donnerois volontiers toutes les loüanges qu'elle merite pour les marques, qu'elle porte d'eſprit, de bon ſens & d'erudition, ſi une partie de ces loüanges ne ſembloient retourner ſur moy, & eſtre une eſpece de payement de celles, dont il a honoré mon dernier ouvrage. Il me fait une propoſition dans cette lettre, laquelle ne m'eſt pas nouvelle, & qui m'a paſſé maintes & maintefois par l'eſprit depuis quelques années. Et ce que Vous avez ajouſté dans la voſtre, de la diſpoſition favorable, ut ſont preſentement les eſprits des quartiers ou Vous eſtes, de gouſter des moyens d'accommodement, reveille ſi vivement dans mon coeur le deſir, que j'ay depuis long temps de contribuer à un ſi ſaint & ſi grand ouvrage, que je tiendrois tresbien employé à ce deſſein non ſeulement mon loiſir & mes eſtudes, mais encore mon ſang & ma vie. Cependant je ne Vous diſſimuleray point, Monſieur, que de traiter cette matiere de la meſme methode, dont je me ſuis ſervi dans le livre, que je viens de publier, ainſi que le

Digitized by Google

propoſe Mr. de Pufendorf, j'y vois de tres-grandes difficultés & presque inſurmontables, non ſeulement du coſté du ſujet, mais encore du coſté des parties intereſſées, dont les uns pourroient blamer un trop grand relachement, qu'on apporteroit pour faciliter la reünion, & les autres pourroient tirer avantage des avances qu'on leurs feroit, ſans rien demordre de leur enteſtement. Ces difficultés ne me rebutent pourtant point. Et je puis Vous aſſurer ſans cajolerie, Monſieur, qu'apres le deſir de faire en cela quelque choſe d'utile pour les intereſts de Dieu, rien ne m'encourage devantage que l'honneur de voſtre approbation, que voſtre ditte lettre ſemble me permettre d'eſperer. Je connois le prix de cette approbation, Monſieur, & je la deſire avec l'ardeur & l'empreſſement, que l'on a, quand on eſt auſſi reſpectueuſement, & auſſi ſincerement, que je ſuis,

MONSIEUR,

le 10 May, 1681.

Voſtre tres humble Serviteur

L'ABBE' HUET.

PETRI

Digitized by Google

PETRI DANIELIS HUETII,
EPISCOPI ABRINCENSIS,

DEMONSTRATIO EVANGELICA,

AD SERENISSIMUM
DELPHINUM.

PRÆFATIO.

1. *Operis hujus argumentum*, II. *& occasio.* III. *Probari potest Religionis Christianæ veritas eo genere demonstrationis, quod non minus certum sit, quam demonstrationes ipsæ geometricæ.* IV. *Ad faciendam fidem inanis est, sine gratia DEI, omnis argumentatio.* V. *Ecclesiæ arbitrio & potestati Opus hoc permittitur.*

I.

Operis hujus argumentum.

POstquam Christianissimi Regis, parentis tui, jussu factum est, LUDOVICE DELPHINE, ut ad literarum & sapientiæ studia opera nostra uterere, gavisus sum equidem plurimum, cum intellexi institutionis tuæ curas in id potissimum conferri, ut timore Dei, unde omnis proficiscitur sapientia, animus tuus ante omnia subigeretur: quo & veræ hujus, ad quam contendis, eruditionis compos fieres; & majorum tuorum, ad quorum imitationem jam assurgis, pietatem referres. Et vero cum in te Deus plurima & amplissima beneficia larga manu contulerit; eam generis claritatem, cui, si fidem sequamur Historiæ neque decurratur ad fabulas, parem in tanta vetustate splendorem jactare nulla gens potest; Patrem ad multorum invidiam, ad omnium admirationem vere magnum, sic tanquam propositum tibi ob oculos, nunc bene agendi, olim etiam bene regnandi exemplar; formam corporis eximiam, & destinato tibi imperio dignam; laudis appetentem animum; liberale ingenium atque solers, quodcunque vult facile complectens, nec jam iis solum quibus ad humanitatem institui pueritia solet, sed interioribus etiam doctrinis informatum; candidos mores ac suaves, decenti gravitate temperatos; præclaram ad virtutem indolem, & magnarum etiam jam inde a parvulo rudimenta virtutum; tanto magis elaborandum est, ut tot donorum auctorem agnoscas, & ad ejus timorem ac cultum exciteris. Quod quamquam ultro ipse facis, & singulare præ te fers studium pietatis, adjuvanda tamen hæc tua voluntas est, ut Deum, quem sponte colis, jure abs te coli scias. Itaque ne muneri huic deessem, cujus in partem fueram adscitus, dedi operam, ut quæ sinceris documentis & accurata disciplina, menti tuæ indita est & impressa Dei notitia, eadem tibi hac scriptione traderetur. Quæ scriptio, tametsi ad primam hanc, quam vix tua designat ætas, adolescentiam minus accommodata videri potest, utilis erit certe in consequentes annos, postquam progressu temporis, usu rerum, & lectissimis præceptionibus, roboratus animus tuus ad majora se attollet.

Interea dum adoleverit, & maturitatem suam fuerit assecutus, grassantem in dies impietatem oppugnabit Liber iste, & quæ temere ac sine ratione abjicitur a multis Christi fides, eamdem ratione retinendam esse ostendet. Ea quippe est ætatis hujus corruptela, ut si quis præter solitum sapere videri velit, tum id se adepturum speret, cum vaticiniis Prophetarum, & Christi sanguine ac miraculis fundatam Religionem, tot gentium consensu receptam, tot virorum doctorum lucubrationibus assertam, magna sibi cura a parentibus traditam, nec penitus tamen sibi perspectam, homo in ejus gremio natus & eductus, mediocris fortasse ingenii, parum doctrina, temeritate satis instructus, pessumdat, & sic tanquam

Digitized by Google

ſubdolorum hominum figmentum, errorem ſtolidorum, ſolertiorum ludibrium, traducit ac proculcat. Quod ſi quis rem maturiori diſquiſitione dignam cenſet, ad ejusque examen plus aliquanto vel ſolertiæ confert, vel eruditionis, vel diligentiæ; ſic fere tamen ab animo paratus accedit, ut quantumlibet futile argumentum, divinationem, ſuſpicionem, conjecturam, rumorem, ſophiſma, adverſus Religionis Chriſtianæ veritatem valere velit; pro eadem, nullus idoneus videatur eſſe teſtis, nullus auctor ſatis locuples, nulla ſatis firma probatio; vixque tandem ἀποδεικτικοῖς (*demonſtrativis*) epicherematis, ac ne vix quidem difficilis ac faſtidioſus diſceptator concedat. In hujusmodi trutina examinata Religio, juſto quippe apparet eſſe levior levibus & iniquis ingeniis. Atque hoc porro nequitiæ omnis ſeminarium eſt. Quæ enim non ſe proripit ac projicit cupiditas, cum deſpicatui habetur criminum inſpector & ultor Deus? Quapropter ne ſerpat longius iſta vitiorum labes, fibræ primum ipſæ impietatis elidendæ ſunt: cujus tutiſſima cautio hæc eſt atque proviſio, ut adducantur in contrarium rationes, quibus innititur Chriſtiana Religio, ſuisque momentis æſtimentur. His enim probe confirmatis, & veritate perſpecta, falſitas omnis evaneſcat neceſſe eſt. Utilem in iis colligendis impenderunt operam, cum priſci Eccleſiæ Patres, tum viri eruditi complures, noſtra & patrum noſtrorum avorumque memoria. Ego unicum ſelegi de multis argumentum, ex Prophetiarum eventu conflatum, quod propoſui hoc Opere, & quo olim ad retundendam Judæi cujusdam, viri acuti ſane & ſubtilis, contumaciam uſus ſum.

& occaſio. II. Cum enim eſſem Amſtelodami, & Judæorum, quorum magna eſt his in locis frequentia, ritus ac myſteria penitius introſpicere vellem, ad eum deductus ſum, qui tum inter illos peritiſſimus, ac totius Judaicæ diſciplinæ conſultiſſimus habebatur. Multa inter nos de doctrina ipſorum, deque noſtra, ultro citroque agitata ſunt. Cumque diſſerentes nox oppreſſiſſet, ſequenti die convenimus, atque inde porro tertio; ſicque nobis totus menſis adeundo, colloquendo, diſputando contritus eſt. Memini autem aliquando me eum audire, cum diceret, levia eſſe & infirma quæcumque adverſus Judæos Chriſtiani veteres ſcripſiſſent, Juſtinus puta, Tertullianus, Cyprianus, Euſebius, & alii bene multi; nosque in ſacris voluminibus explicandis hebetes eſſe & plumbeos. Reſpondebam ego, Judæos ipſos anilibus fabulis, & putidiſſimis figmentis ſanctum Dei Teſtamentum deformaſſe: ex iis vero argumentis, quibus partes ſuas tutati ſunt Chriſtiani, vel id unum ad revincendam adverſariorum perfidiam ſatis eſſe, quod e vaticiniorum complemento peti ſolet: levi id fortaſſe manu & perfunctorie miſſum non alte penetraturum; quod ſi torqueretur validius, nulla arte vitari, nulla vi ſuſtineri poſſe. Ridebat ille, ut eſt ſuperbum & procax hoc hominum genus, & mirari ſe dicebat Chriſtianorum omnium ſupinitatem, meamque potiſſimum, qui telum hoc, quod nobis Prophetiæ ſubminiſtrant, futile ipſum ſponte ſua & imbelle, a noſtris etiam jactando ſæpius & intentando obtuſius factum; repellendo vero, a ſuis fractum penitus & contritum, denuo ad ſe perterrendum in manus ſumerem: cur de me ſperarem autem, quod nec præſtitiſſet Ammonius in libro de conſenſu Moſis & Jeſu; nec deinde Theodorus in libro ejusdem argumenti; nec Ariſto Pellæus in Diſputatione Jaſonis & Papiſci; nec Origenes in libris contra Celſum; nec alii quamplurimi Chriſtianarum partium pugiles; nec Apoſtoli ipſi & Evangeliſtæ; nec caput ac Princeps Apoſtolorum Petrus, etiamſi Chriſtianos collaudat, quod ad propheticum ſermonem ſic tanquam ad lampadem in caliginoſo loco lucentem attendant, firmiſſimum quippe id eſſe Chriſtianæ cauſæ præſidium; nec Jeſus ipſe denique, qui per tam crebras iterationes doctrinam ſuam Prophetarum teſtimoniis prætexebat? Judæos itidem & Ethnicos argumentum id floccifeciſſe, nec eo fuiſſe a crucifigendo Jeſu, & divexandis Chriſtianis abſterritos: inanem itaque ſumere me laborem, niſi demonſtrationibus, vel probabiliſſimis certe argumentis, pugnarem. Atqui ἀποδεικτικὸν (*demonſtrativum*) eſſe reſpondi argumentum illud, ſi quidem ordine ac ratione tractetur; ἀπόδειξιν πνεύματος (*oſtenſionem ſpiritus*) a Paulo appellari; quod vero ducitur ex miraculis (ἀπόδειξιν δυνάμεως. (*oſtenſionem virtutis*) ex Veteris porro Teſtamenti prædictionibus, in Novo exitum nactis, apparere Teſtamenti utriusque cohærentiam & concordiam; 2. Pet. I, 19. 1. Cor. II, 4.

Digitized by Google

am; atque hinc etiam utriusque, ac Christianæ proinde Religionis, quæ iis incumbit, veritatem liquido extare; asserta autem Christiana Religione reliquas sectas corruere, ut in iis convellendis nulla deinceps opera collocanda sit: brevissimam igitur hanc esse & simplicissimam veritatis aperiendæ viam; addebam etiam tutissimam, utpote quæ constet hoc genere demonstrationis, quod non minus certum sit, quam demonstratio quævis geometrica. Miraris, inquam, confidentiam meam; & merito sane: novum quippe illud est & paradoxum, tam certo sciri posse res hujusmodi, opacas sponte sua & obscuras, quam quæ sciuntur κατ' ἐπιστημονικὸν λόγον. *(per rationem qua gignitur scientia)* Verum id tamen esse, rebus addicam necessariis.

Probari potest Religionis Christianæ veritas eo genere demonstrationis, quod non minus certum sit, quam demonstrationes ipsæ geometricæ.

III. Scitum est Philosophorum omnium, talem esse demonstrationem, qualia sunt principia demonstrationis. Demonstrationem appello, quam Aristoteles ἀπόδειξιν, ratiocinationem videlicet, quæ veris & primis constat, vel iis quæ ex primis & veris quibusdam cognita sunt. Etsi non me fugit, haudquaquam satis probari purioris Latinitatis studiosis, ut ἀπόδειξις hoc sensu demonstratio appelletur. Verum hac dictione, aliisque vulgo receptis, parum licet probatis, abuti per Orbilios & Palæmones nobis liceat, cum aliæ commodiores in præsentia non suppetant. Cum igitur eadem sit vis demonstrationis, qualis est principiorum, non plus geometricis demonstrationibus adjungendum est fidei, quam principiis ipsis geometricis adjungi solet; quibus si dubium inerit quippiam vel subobscurum, Geometriam universam pervadet labecula istæc. Geometricorum autem ipsorum principiorum fides omnis a nativa ipsorum evidentia & claritate pendet, qua collustrata mens nostra facillime in iis acquiescit. Assensionis itaque & exploratæ cognitionis, tam principiorum istorum, quam reliquorum omnium, fons & origo, κριτήριον *(id quod dijudicatur)* & norma, si qua est, perspicuitas profecto ea est, qua animis nostris veritas illorum nota per se & aperta est: quæ si in theoreticis posita sunt, Principia; si in moralibus, Dictata naturæ appellantur. Quæ plurium ergo demerentur fidem, majorique omnium admittuntur consensu, clariora ea esse & certiora fatendum est. Ad eo ut quod de probabilibus dixit Aristoteles, de veris merito dici possit; vera nempe esse,

Arist. Top. lib. I. cap. I.

τὰ δοκοῦντα πᾶσιν, ἢ τοῖς πλείοσι, ἢ τοῖς σοφοῖς· καὶ τούτοις, ἢ τοῖς πᾶσιν, ἢ τοῖς πλείστοις, ἢ τοῖς μάλιστα γνωρίμοις καὶ ἐνδόξοις. *Quæ videntur omnibus, vel plerisque, vel sapientibus: atque iis, vel omnibus, vel plerisque, vel maxime notis & claris.* Nam cum ait, vera esse τὰ δι' αὑτῶν ἔχοντα τὴν πίστιν, *quæ habent fidem a seipsis*; nempe apud homines fidem habere vult. Quæ igitur apud plures homines habebunt fidem, veriora esse necesse est. Itaque Sallustius Philosophus, cum Axiomata, sive Notiones communes definire vellet, eas esse dixit, quas omnes homines veras esse faterentur. Nec aliud sane nomen ipsum indicat. Hoc principio nituntur formæ judiciorum in quibus ex suffragiorum numero de hominum vita & fortunis arbitria fieri solent. Minime vero hic paucos aliquot ingeniosos & solertes viros stolidorum multitudini, eruditos indoctis opponi velim, sed paria exæquari paribus, & similes utrobique rerum æstimatores adhiberi. Atqui theses quædam morales & practicæ, sive positiones, sive principia appellare mavis, vel experientia vel historica fide nixæ, plures assentientes habent, pauciores repugnantes, quam principia geometrica. Rem exemplis illustrabimus. Constantinopolim, primariam Turcici Imperii urbem, esse ad Bosphorum Thracium sitam, pro certo & comperto habemus, quam neque ego vidi, neque fortasse tu. Augustum olim Romæ imperium tenuisse, in confesso est apud omnes; quem hominum qui vivunt nullus vidit omnino, & ex libris tantum ac fama novimus. Digitum adnotum igni adustum iri, nemo homo est tam stipes aut bardus, nemo tam opiniosus & pertinax, qui non fateri malit, quam experiri. Quis futurum dubitat, ut ver hyemem excipiat, æstatem autumnus consequatur? Quis adeo refractarius & pugnax in disputando, quæ gens est adeo barbara, quæ Solem occasurum, quæ se aliquando morituram non agnoscat? Nemo se cogitare, se esse, se hominem esse, se ex muliere, se ex hac muliere natum esse, se corpore præditum esse, se capite, pedibus, manibusque instructum negare ausit. Atque hæc quidem ita credimus, ac pro eorum veritate fortunas omnes velimus vitamque adeo ipsam pacisci, & ex eorum explorata notitia res nostras componamus. Geometrica vero principia pro veris habent acuti tantum quidam & subtiles

Sallust. de Diis & mundo cap. I.

Digitized by Google

ſubtiles viri ; reliquorum hominum magna pars ne capit quidem ; nonnulli etiam præfracte negant. Cum Auguſtinus olim inter Philoſophorum Chriſtianorumque dogmata incertus diu multumque fluctuaſſet, tandem ad Scripturæ S. veritatem amplectendam hac præcipue ratione adductus eſt, quod ſibi videretur ineptum, tam multa credere, quæ neque vidiſſet, neque cum gererentur affuiſſet, velut in gentium hiſtoria, in locorum & urbium deſcriptionibus; fidem habere medicis, amicis, aliisque multis, ſine quorum ope vita haudquaquam vitalis eſſe poteſt ; pro certo denique habere ſe, his ortum eſſe parentibus, quod aliis duntaxat renunciantibus cognoviſſet; Libris vero ſacris derogare fidem, quorum auctoritatem omnes fere gentes ſuſciperent. Ruſticum conſule de vicibus temporum, de Solis ortu & occaſu, ſine ulla dubitatione reſpondebit ; nec a dictis facta abludent ; arabit, ſeret, metet, reliqua, prout poſtulabit tempeſtas, adminiſtrabit: quære utrum duæ rectæ lineæ ſpatium comprehendant, nec ne; quære, ſi in duas rectas lineas altera recta incidens internos angulos, & ad easdem partes ſitos, minores faciat duobus rectis, utrum duæ illæ rectæ in infinitum productæ ex ea parte concurrent, in qua ſiti ſunt anguli minores duobus rectis; hæſitabit ſcilicet, titubabit. Principia geometrica Academici repudiant; repudiant & Sceptici, multaque iis confutandis ſubtiliter & erudite diſſerunt: dictatis tamen naturæ, & præceptis moralibus, quæque ſunt ad vitæ uſus opportuna, obſequendum eſſe cenſent. Democritus adverſus demonſtrationes acriter decertavit, iisque Canones ſuos oppoſuit. Plurima adverſus easdem collegit Sextus Empiricus. Ratiocinandi artem aſpernatus eſt Seneca; & ante eum Epicurus, qui & Geometriam, & reliquas artes Mathematicas, utpote ab initiis non veris profectas, veras eſſe non poſſe docebat: id perſuaſit Polyæno Lampſaceno familiari ſuo, magno Mathematico ; idemque ex mente Epicuri pronunciat L. Torquatus apud Ciceronem; pronunciat & Ariſtotelis interpres Simplicius. Alia via adverſus Geometriam graſſabatur Zeno Epicureus, imperfecta ejus eſſe docens initia, unde nihil effici poſſet, niſi alia quædam adjicerentur, quæ in iis prætermiſſa ſunt: quam ejus ſententiam toto libro confutare conatus eſt Poſidonius. Quamquam & alii prodierunt ſubinde, a quibus querela eadem inſtaurata eſt. Quin etiam a Mathematicis nonnullis in controverſiam vocata ſunt Geometriæ principia, ut oſtendam deinde : eaque nuperrime oppugnavit acriter Hobbius Anglus. Qui fidem principiis moralibus a me propoſitis, eorumve ſimilibus, detraheret, adhuc repertus eſt nemo. Utra ergo certiora dicenda ſunt? moralia certe; ſiquidem æqua eſt eorum diſceptatrix & judex humana ratio, cujus nutus & decreta, non ex ingenioſorum aliquorum effatis, ſed ex univerſorum hominum, cum acutiorum, tum tardiorum conſenſu exiſtimantur. Ut quod Joſephus de Hiſtoria, nobis de Principiis illis fari liceat: τῆς μὲν γὰρ ἀληθοῦς ἐστι τεκμήριον ἱστορίας, τὸ περὶ τῶν αὐτῶν ἅπαντας ταυτὰ καὶ λέγειν καὶ γράφειν. *Indicium enim eſt veræ hiſtoriæ, ſi de rebus iisdem omnes eadem & dicant & ſcribant.* Elegantius etiam, nec ſemel Cicero : *Omnium conſenſus, naturæ vox eſt.* Adſtipulantur Jurisconſulti, quorum hoc ſcitum eſt: *Quod a majori parte fit, ab omnibus fieri exiſtimatur.* Atque hinc factum putant veritati nomen apud Græcos: ἀλήθεια *enim eſt* τὸ μὴ λῆθον, *quod non latet.* Et Seneca : *Apud nos veritatis argumentum eſt aliquid omnibus videri.* Quod ſi igitur æque explorata eſt moralium quorumdam principiorum veritas, ac geometricorum, demonſtrationes itidem morales, quæ ab his capitibus fluunt, haud minus certæ erunt, ac demonſtrationes geometricæ. Atqui Religionis Chriſtianæ veritatem demonſtrari poſſe ajo ex iis principiis moralibus, quibus fidem experientia magiſtra conciliat, quæque nemine adhuc contradicente, & tritiſſimo ac pervulgatiſſimo omnium uſu & conſenſu recepta ſunt. Quidni vero, cum & virtutem ipſam per principia, per poſtulata, inquam, & hypotheſes, perinde tradi poſſe probaverit Plato in Menone, ut Geometria tradi ſolet? cum de officiis Marco filio præcepta tradens Cicero, quo facilius quæ poſuerat explicaret, Geometrarum morem ſequi ſe velle dixerit, quædam ut ſibi concederentur poſtulando ? cumque Proculus Elementa ſua Theologica & Phyſica per Definitiones, & Propoſitiones, ac Demonſtrationes more Geometrico digeſſerit ? Quæ cum

Auguſtinus Conf. lib. V. cap. I.

Joſeph. lib. I. contra Apion.

Cic. lib. I. Tuſc.

L. 160. D. De div. reg. jur. Sen. Epiſt. 117.

Cic. lib. III. de Offic.

Cic. I. de fin. Simpl. in Ariſt. de anima l. 1. cap. 1.

Digitized by Google

cum dissideni, tum illud quod e vaticiniis ducitur argumentum, in eam digessi formam, quæ esset ἀποδεικτικὴ τοῦ ἐπιστημονικοῦ, *demonstrativa & scientiæ effectrix*, sicque ejus explicata est a me ratio, ut multum de sua pertinacia adversarius meus remittere videretur.

Facien-a fidem nis est gratia l omnis umera-o.

IV. Hoc qualecumque est, tibi, Sereniſſime DELPHINE, fuse exposui hoc Libro, multaque præterea per otium meditata & collecta adjeci. Argumentum ipsum quidem vetus est, at argumentatio nova. Quotusquisque enim est, qui Christi fidem propugnans, Prophetarum oracula non allegat? Et merito quidem eorum obducitur auctoritas: hoc est enim adversus impiorum assultus tutissimum perfugium, & velut ancora sacra. Quamvis autem nostræ Religionis eluceſcat inde manifesto veritas, nullæ tamen ad capessendam fidem sufficiunt argumentationes, nisi accedat gratia Christi, cujus solius ope fidem eam consequimur, sine qua, juxta Pauli decretum, placere Deo non possumus. Merum quippe ea Dei donum est, non rationis nostræ fœtus. Duplex est siquidem via, per quam in animos nostros illabitur cognitio rerum; alia sensuum ac rationis, alia fidei: obscura illa, anceps & fallax, ad veri notitiam malefida & intuta, infinitis obsepta Philosophorum tricis & quæstionibus; clara hæc, aperta, & constans, prælucens animo, ejusque ancipites motus & fluctuationes admisso cœlesti lumine componens. Plane corneam hanc portam dicas, Poetarum carminibus celebrem; eburneam alteram. Cui fidem largitus est Deus, probationes non requirit: qui fide caret, nulla illi sufficit demonstratio. Neque vero ita ex ratione pendet Græcanica Philosophia, ut non fidei etiam alicujus necessitatem agnoscat: cum enim in rebus sacris promtum a nobis postulet Deus ad dictata sua, nutusque, animi obsequium, parem in civilibus Plato docilitatem desideravit: unamque hanc ex præstantissimis legem esse censuit, quæ vetat, ne juvenum quisquam in leges inquirere audeat, & quænam bene constitutæ sint, & quænam secus, definire; at unumquemque jubet eas sic tanquam a Diis profectas admittere. Nec aliter erga res divinas animatos esse vult; verum quæcunque super iis, etiam sine probabilibus vel necessariis argumentis, credenda proponuntur, ea pronis bibi auribus & animis præcipit. Cum ergo salutem nostram Deus gratiæ suæ donum esse velit, & fidei nostræ fructum; idcirco non perspicacis & certæ, sed cœcæ & hebetis rationis nobis concesit usum, ne manifestam sacrorum mysteriorum notitiam ratione adepti, fidem aspernaremur. Atque ita Christianismo longe minus adversari videntur, quam existimatur vulgo, eæ Philosophorum disciplinæ, quæ incertum habent ac dubium, quidquid sensuum & rationis ope cognoscimus, quæque sustinent se ab omni assensu. Sic enim præjudiciis expurgatos animos ac opinionibus liberos, Deo regendos, & fidei divinæ moderandos facile permittunt, *consilia destruentes*, utar verbis Apostoli, *& omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, & in captivitatem redigentes, omnem intellectum in obsequium Christi.* 2. Cor. X. 4. 5. Egregia multa in hanc sententiam variis locis differit Augustinus; velut istud in libro de moribus Ecclesiæ. *Unde igitur exordiar*, inquit, *ab auctoritate, an a ratione? Natura quidem ordo ita se habet, ut cum aliquid discimus, rationem præcedat auctoritas: nam infirma ratio videri potest, quæ, cum reddita fuerit, auctoritatem postea per quam firmetur assumit: sed quia caligantes hominum mentes consuetudine tenebrarum, quibus in nocte peccatorum vitiorumque velantur, perspicuitati, sanctitatique rationis aspectum idoneum intendere nequeunt, saluberrime comparatum est, ut in lucem veritatis aciem titubantem, & veluti ramis humanitatis opacatam, inducat auctoritas.* Augustin. De morib. Eccles. Cath. cap. 2. Tum subjicit: *Nihil in Ecclesia Catholica salubrius fieri potuit, quam ut rationem præcedat auctoritas.* Augustin. ibid. c. 25. Quamobrem ex operum suorum portentifica vi rationem credendi & argumentum eos capere jubet Christus, quos auctoritas sua non perpulerat: *Non creditis quia ego in Patre, & Pater in me est, alioquin propter opera ipsa credite.* Joh. XIV. 11. Augustinus alibi: *Nisi esset & aliud credere, & aliud intelligere, & primo credendum esset quod magnum & divinum intelligere cuperemus, frustra Propheta dixisset: Nisi credideritis non intelligetis. Ipse quoque Dominus noster, & dictis, & factis ad credendum primo hortatus est, quos ad salutem vocavit. Sed postea cum de ipso dono loqueretur, quod erat daturus credentibus, non ait, Hæc est autem vita æterna, ut credant; sed, Hæc est, inquit, vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum.* Augustin. De liber. arbitr. libr. II. c. 3. Isa. VII. 9. juxta LXX.

Plat. lib. 1. De legib.

Digitized by Google

inde jam credentibus dixit: Quærite & invenietis; nam neque inventum dici potest, quod incognitum creditur, neque quisquam inveniendo Deo sit idoneus, nisi antea crediderit, quod est postea cognoturus. Eadem inculcat passim; sed & totum De utilitate credendi librum scripsit. Quin etiam extiterunt subinde viri ingenio ac eruditione præstantes, qui ut viam munirent doctrinæ Christi, prius ex hominum animis eradicandam censuerunt Philosophiam, & Scepticis ad id argumentis commode ac feliciter usi sunt: atque eo tutius, quod scirent, & aperte prædicarent, irrita fore eadem vimque omnem amissura, si adversus Christianam disciplinam torquerentur: quippe cujus principia non ab hominibus, rebusve humanis, sed a Deo ipso ducerentur. Verum hæc alias, neque enim locus patitur, neque res, ut plura congeram. Quorsum igitur ista Demonstratio? nempe ad parandam & confirmandam fidem, quam per scientiam gigni in nobis, nutriri, defendi, ac roborari scisit Augustinus; non quasi per propriam & præcipuam caussam, sed ut per extraneum & ascititium adminiculum, quo in obsequium Christi, debitæque Christo fidei, mens nostra sensim flectitur. Præterea cum fere mihi concertatio sit adversus impios, apud quos inanis est eorum principiorum auctoritas, quæ a Deo tradita & revelata sunt, & ex quibus Theologia nostra pendet; alia scilicet ascisenda fuerunt principia nullis obnoxia controversiis, & ab omnibus explorate cognita, & sine dubitatione percepta: ut hinc demum intelligant, ne in humanæ quidem rationis argutiis ullum sibi quærendum esse adversus vim veritatis perfugium.

Augustin. lib. XIV. de Trin. c. 1.

V. Deum optimum maximum oro ac veneror, ut Opus hoc ad nominis sui gloriam susceptum benigna gratiæ prosequatur aura; nec laboris nostri fructum mendis & erroribus patiatur intercipi, quos mihi, sive per actuosum hoc vitæ genus & inquies, sive per imbecillitatem, cujus mihi sum conscius, & excidisse bene multos sentio & agnosco; Lectorumque sic corda temperet, ut omni pertinaciæ tumore depresso ad hanc veritatis disciplinam dociles se præbeant; atque ita paratis eorum animis sic tanquam egregie subacto agro, bonæ frugis, sinceræ videlicet fidei, semina committat; in me vero præclarum illud fidei suæ donum, quod pro immensa sua bonitate largiri dignatus est, probe confirmet & augeat; *Ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.* Hoc interim quidquid est operis, sanctæ Ecclesiæ Catholicæ, Apostolicæ & Romanæ arbitrio permitto, cui non in istam solum lucubrationem, sed & quascunque moliar olim, integrum jus ac potestatem esse volo. Sed nunc tandem aggrediamur ad rem ipsam.

Ecclesiæ potestati & arbitrio Opus hoc permittitur.

1. Cor. IX. 27.

DEFINITIONES.

QUod in principio facere Geometræ solent, ut rerum de quibus sunt acturi notitiam definiendo aperiant & circumscribant; deinde ut concedi sibi postulent nonnulla, quæ ab omnibus conceduntur vulgo, nec sine injuria negari posse putant; tum ut manifesta quædam & confessa omnibus effata proponant; idem mihi faciendum est, ut ordine procedat nostra Demonstratio, & concedatur ἐπιστημονικῶς, *per rationem ex qua gignitur scientia.* Principium ergo ducamus à Definitionibus, quarum prima hæc esto:

DEFINITIO I.

Liber genuinus is est, qui ab eo auctore scriptus est, à quo scriptus esse dicitur, & eo circiter tempore, quo scriptus esse fertur.

Explicatur prima Definitio.

HErodoti puta historiam genuinum librum dicimus, quod & Herodotum, cujus nomine inscripta est, auctorem habeat; & iis circiter lucubrata sit temporibus, quibus lucubrata esse fertur. Quamvis enim Pamphila, ex cujus verbis ætas Herodoti intelligitur, initio belli Peloponnesiaci tres & quinquaginta annos non natum eum esse, sed natum videri dixerit, neque satis constet, quo ætatis suæ

Digitized by Google

sue anno Historiam scripserit; quia tamen paucorum annorum controversia est, non idcirco è genuinarum scriptionum serie expungitur. Quod si Constantini temporibus confictum fuisset hoc opus, uti Jacobo Gauderio persuasum fuit, in genuinorum censum neutiquam veniret. Imo, nec genuinus diceretur, si constet quidem fœtum esse Herodoti, ac commentitia esset Herodoti ætas, & insigne esset temporis discrimen: puta si, qui circa Olympiadem octogesimam tertiam creditur floruisse, vixisset ævo Constantini: cum genuinus è contrario possit esse liber incerti auctoris, vel penitus ignoti, modo scriptus sit eo circiter tempore, quo scriptus esse fertur. Quamobrem Definitioni omnino addenda fuit hæc temporis notatio. Altera hæc est Definitio.

DEFINITIO II.

Liber coætaneus is est, qui eo circiter tempore scriptus est, quo res in eo scriptæ contigerunt.

Explicatur secunda Definitio.

LIbrum σύγχρονον poteram appellare, non *coætaneum*, aut *coævum*: verum jam benignum Lectorem oravimus, vocum ut aliquot sequioris ætatis nobis concedat usum, quos eruditæ & castæ Latinorum aures non admittunt. Porro hujus librorum generis, quos definimus, est Thucydidis historia; quippe quæ ea narret, quibus Thucydides ipse interfuit. Talis est Xenophontis liber De expeditione Cyri, quo ea habentur, quibus Xenophon ipse præfuit. Auctores hujusmodi Lampridius *Scriptores suorum temporum* appellat. Docet autem Verrius Flaccus *earum proprie rerum esse Historiam, quibus rebus gerendis interfuerit is, qui narret.* Qua tamen Historiæ definitione omissa, illam damus:

Lamprid. in Alex. Sev. c. 29. Verr. Flac. de verb. sing. lib. IV. apud Gell. lib. V. c. 18.

DEFINITIO III.

Historia est narratio rerum, quæ jam contigerant eo tempore, quo Historia illa scripta est.

Explicatur tertia Definitio.

DIxissem paucioribus verbis vulgus Grammaticorum secutus, Historia est narratio rei gestæ: sed cum Prophetia itidem, qua Hierosolymitanum excidium prædicitur, sit narratio rei gestæ, & gestæ quidem à multis annis, jamdiu enim excisa sunt Hierosolyma, vitanda fuit ambiguitas, ut intelligeret Lector jam tum rem fuisse gestam, non modo cum hæc quam definimus legeretur Historia, sed etiam cum scriberetur, atque ita Historia distingueretur à Prophetia, cujus quarto loco Definitionem pono his verbis:

DEFINITIO IV.

Prophetia est narratio rerum futurarum, quæ nondum contigerant eo tempore quo Prophetia illa edita est, quæque ex naturalibus causis prævideri non possint.

Explicatur quarta Definitio.

NAm est etiam præteritorum & præsentium prophetia: *Prophetiza nobis, Christe, quis est qui te percussit?* ajebat impius Satelles, postquam colapho Jesum ceciderat. Sic asinas, quas nudius tertius amiserat, esse inventas Samuel Propheta Sauli significavit. Sic quæcunque Næaman inter & Giezi pacta fuerant Elisæus perspecta habuit. Sic Epimenidem Cretensem, quem Prophetam Paulus Apostolus appellat, de futuris haudquaquam vaticinatum fuisse testatur Aristoteles in Rhetoricis, sed de præteritis, at obscuris. Quamquam eum & de futuris Athenienses, Lacedæmonios, ac Cretenses monuisse Plato, Plutarchus, & Diogenes Laertius asseverant. προφήτης, inquit Procopius, ὁ προφάσιων ἢ τὸ μέλλον ἢ τὰ παρόντα λανθάνοντα. *Propheta is est, qui prædicit, vel futurum, vel præsentia occulta.* Plurima in id argumentum congerit Theodoretus, Præfatione in Psalmos, quem consuli velim. Prudens quoque illa & sagax futurorum præsensio, Prophetia est. Hinc vetus illud Euripidis:

Tit. I. 12.

Plat. 1. de legib. Plutarch. Solon. Diog. Laert. Epimen. Procop. init. ἐξηγ. in Isa.

Μάντις δ' ἄριστος ὅστις εἰκάζει καλῶς.
Qui bene conjecit, vatem perhibebo optimum.

Et illud Menandri:

Ὁ νοῦν πλεῖστον ἔχων, μάντις πλείστων.
Qui plurimum mente pollet, plurimorum vates est.

Hinc & illud Ovidii:

Augurium ratio est & conjectura futuri.

Ovid. I. Trist. Eleg. 8. Corn. Nep. Attic. Philostr. vit. Apoll. lib. IV. c. 15.

Et Cornelius Nepos: *Facile existimari potest, prudentiam esse quodammodo divinationem.* Et Apollonius apud Philostratum negat se vaticinandi peritia præditum, quam Deus Philosophis largiri soleat. Hoc sensu insignis Propheta habendus est Thales Milesius, qui exploratis ac præcognitis naturæ viribus uberum olearum proventum prædixit. Hæc Prophetiarum genera non sunt institutæ disputationis, sed ea tantum quæ futura spectant, & ad quæ nullum positum est in naturalium

Digitized by Google

ralium causarum consideratione præsidium. Progrediamur ad quintam Definitionem, quæ talis est:

DEFINITIO V.

Religio vera ea est, quæ res solum veras ad credendum propositas habet.

Explicatur quinta Definitio.

SCio Religionem proprie dictam definiri à Theologis, virtutem per quam Deo debitum cultum exhibemus. Hic autem latius Religionis nomen patere volo, & ad omnia virtutis officia pertinere, quibus Deum nobis conciliamus; adeo ut virtutes quoque theologicas, fidem, spem, & charitatem complectatur. Quo sensu dixi Augustinus Deum coli fide, spe, & charitate. Ex nostra autem Definitione sequitur, falsas esse Ethnicorum Religiones, utpote quæ res falsas ad ad credendum habent propositas; & falsam itidem Judaicam, utpote quæ rebus veris detrahat fidem; quod tantumdem est, ac falsis fidem adjungere: perinde enim fallitur, qui vera habet pro falsis, ut qui falsa pro veris. Sive autem pertinacia, sive ignoratione occæcatus aliquis, rebus fidei obsequium meritis assensum non præbeat, in falsa æque Religione hærebit. His verbis concluditur sexta Definitio:

Augustin. Enchir. c. 3.

DEFINITIO VI.

Messias est homo Deus à Deo divinitus missus ad hominum salutem, & à Prophetis in Veteri Testamento prædictus.

Explicatur sexta Definitio.

MEssiam esse hominem Deum negant quidem Judæi, & Christiani nonnulli; si modo Christiani dicendi sunt Carpocratiani, Ebionitæ, Samosateni, eorumve fraterculi Sociniani. Fatentur illi tamen Messiam, si non hominem Deum, at hominem divinum esse, & reliquæ Definitionis parti ultro assentiuntur. Verum ex postrema hac Definitionis parte infra quoque asseremus veritatem prioris, quæ nihil nunc quidem facit ad propositum. Capitalis hæc est & decretoria Christianorum cum Judæis controversia, utrum JEsus Nazarenus sit Messias: atque eo pertinet postrema definitio quæ talis est:

DEFINITIO VII.

Religio Christiana ea est, quæ JEsum Nazarenum Messiam esse statuit, & quæcunque in Libris sacris, sive Veteris, sive Novi Testamenti, de eo scripta sunt, pro veris habet.

Conferuntur Definitiones nostræ cum Definitionibus Geometrarum.

His septem Definitionibus contenti simus. Nullæ in iis ambages, tricæ nullæ, tenebræ nullæ; cujusmodi in ipso Geometricarum definitionum aditu densissimæ occurrunt: nam & ea definiuntur quæ nusquam sunt, nec fuerunt unquam, neque humana industria esse possunt; & ita definiuntur, ut nihilo plus intelligas. Cum enim punctum esse dicunt, cujus nulla est pars; vel lineam, longitudinem latitudinis expertem; verbis id sane dicunt, mente ipsi neutiquam percipiunt: quantumvis enim contendant ingenii vires, nunquam rem in animum inducere poterunt partium penitus inopem, vel longitudinem latitudine penitus carentem, vel longitudinem, ac latitudinem sine ulla altitudine. Quæ si nusquam sunt nec esse possunt, proinde nec circuli, nec triangula, aliæve planæ figuræ, imo nec sphæræ, aut pyramides, aut cubi, aliave corpora, in quorum consideratione ars Geometrarum versatur. Non sum nescius multa in contrarium afferre ipsos, & magnifice se jactare. Geometria, inquiunt, scientia est rerum æternarum: τῦ ἀεὶ ὄντος γεωμετρικὴ γνῶσίς ἐστι *Geometrica cognitio est rei quæ semper est:* punctorum & linearum adamantina vis est, æterna, & immutabilis, juxta Platonem: animo, non manibus materiam Geometria subministrat: ἡ μὲν γὰρ τῶν πράξεων ἕνεκά ἐστι, τὸ δὲ γνώσεως τοῦ μᾶλλον. *Operibus quidem perficiendis addicta non est; sed cognitionem solum præbet,* inquit Plato alibi: puncta, lineas, superficies, & quæ ex his gignuntur Geometrica corpora, etiamsi imaginari non possumus, animo tamen cognoscimus. Ego vero non intelligo quo sensu æterna dici possint, quæ ne sunt quidem. At puncta & lineas reipsa existere docuerunt Ammonius & Proclus, nec non & ipse Aristoteles, axes nempe, polos, & centra in orbibus cœlestibus. Fateor, corpora ipsa existere; ipsorum vero centra, axes, polos, & superficies, corpora ipsa esse ajo, ut facile demonstrari potest. Tangat planum unus aliquis ex orbibus illis cœlestibus per unum è polis suis; vel corpus ipsum globi cœlestis tanget planum, vel non tanget: si tanget, cum tangat per polum, sequitur polum esse corpus ipsum; si non tanget, at polum suum sibi inhærentem tangit; eundem vero tangit & planum, nec tamen globus tangit planum, unde efficitur polum habere partes, quod est contra definitionem puncti: nam si non haberet partes, totus

Plat. L. X. de Reip.

Plat. Polit.

Ammon. in Categor. cap. de quanto Procl. L. II. in Euclid. Arist. Metaph. L. II. c. 2.

Digitized by Google

totus polus tangeretur a globo, atque item totus à plano ac proinde sese contingerent globus & planum, quod mox negabatur. Igitur puncta & lineæ in orbibus cœlestibus, ipsa sunt orbium corpora. Viderunt id Stoici, quamobrem sola cogitatione hæc existere censuerunt, reipsa vero corpora esse, & lineam quidem corpus sine latitudine, superficiem vero corpus sine altitudine; quod perinde est ut si dicant, lineam latam esse sine latitudine, superficiem altam sine altitudine: cum corpus sive solidum, ex definitione, longum sit, latum, & altum. Respondent, altam hanc, latam illam esse, sed mente abstrahi ab illis latitudinem, & altitudinem: quam sententiam defendebant Ammonius, & Alcinous, & nuper amplexus est Hobbius, aliique nonnulli. At cum abstrahi latitudinem & altitudinem ajunt, vel animo agente & operante ejusmodi sejunctionem fieri volunt; quo animum, quantumlibet sese torqueat viresque intendat, pervenire posse omnino negamus: vel fieri id putant, animo longitudinem solum spectante, ad altitudinem & latitudinem non attendente, earumque velut oblito; quemadmodum cum itineris alicujus exploramus longitudinem, nullam habemus rationem latitudinis: uti nec crassitiei, cum areæ spatium. Verum qui obliviscitur latitudinis & altitudinis, deque iis non cogitat, uti eas ad rem longam non addit, ita neque ab ea detrahit. Ad principii autem percipiendam cognoscendamque naturam, non satis est ad unam partem definitionis attendere, de altera non cogitare; sed utraque pars menti obversari debet: definitas enim & determinatas rerum formas, expressas & accuratas circumscriptiones, postulat Geometria; & in definitione puncti, partes omnes actu detrahi & recidi jubet; latitudinem & altitudinem definitione lineæ; crassitiem, in definitione superficiei; non otioso animo insuper haberi tantum & prætermitti. Alioquin incertam animo informabimus & ancipitem principiorum notitiam; quæque ex iis fluent demonstrationes, ancipites itidem erunt & ambiguæ. Proclus quidem ea nos imaginari posse credidit, non ut ἀμέριστα, *individua*, nam fieri id non posse sciebat; neque ut μεριστὰ, *dividua*, nam tantumdem id fuisset, ac si ea nos imaginari non posse dixisset; sed ita ut ab ἀμερίστοις *individuis*, ad μεριστὰ *dividua*, fieret progressio. At si ea non imaginamur ut ἀμέριστα *individua*, quomodo ab ἀμερίστοις *individuis*, quæ non imaginamur, progrediemur ad μεριστὰ *dividua*? Contra vero à μεριστοῖς, *dividuis*, cujusmodi res sensiles sunt, quarum species phantasia nostra in se recipit, progredi tentamus ad ἀμέριστα *individua*, verum deficimus in conatu, neque ad metam pertingimus. Qui vero animo, non phantasia, nos ea percipere volunt, ratione id nobis persuadere non possunt: ostendant enim aliquid esse posse in intellectu, quod non fuerit in sensu; tum fatebimur punctum in intellectu esse posse, etiamsi nequeat esse in sensu. Præterea animum eorum, qui punctum se percipere ajunt, de meo animo æstimare possum? cur ego animo percipere non possum, quid ipsi percipere se ajunt? cur id nihilo magis percipiunt alii, qui Definitiones illas aspernati sunt? Tantum vero abest, ut id animo percipere possim, ut potius valida mihi argumenta animus meus suppeditet, quibus commentitia principia hæc nec esse, nec percipi posse persuadeor. Urgent tamen Geometræ, atque hæc esse saltem ajunt in mente Dei. Esto: an id definire possunt, quod est in mente Dei, nec in mente humana esse potest? nam ignotum non potest definiri: quod autem in mente mea non est, ignotum mihi est. Quales ergo dicemus esse eos, qui ignotarum sibi rerum naturam & proprietates explicare audent? Dixi, nihil esse in intellectu, quod non fuerit in sensu, juxta decretum Peripateticæ Scholæ: contra vero Plato, ejusque gregales, Timæum, aliosque Pythagoreos secuti, animas nostras, vel ab ipso ortu, rerum formis imbutas, ac disciplinarum principiis informatas esse volunt, & nativis prodire instructas dotibus, non peregrinis & adventitiis, è rerum sensilium & materiæ sinu eductis. Movet hanc quæstionem Proclus, & acute ac subtiliter disputat, an formæ illæ ac species animis nostris insitæ, à rebus sensilibus proficiscantur, sive κατὰ ἀφαίρεσιν τῶν ὑλῶν, *per detractionem eorum quæ constant materia*, sive κατὰ συναθροισμὸν τῶν ἐν τοῖς καθ' ἕκαστα καὶ μεριστῶν, εἰς ἕνα τὸν κοινὸν λόγον, *per coacervationem eorum quæ sunt particulatim in singulis in unam communem notionem*: an vero sint ἐντοφυεῖς, *à natura insitæ* in animis nostris, non extrinsecus ascitæ. Postremam hanc opinionem amplectitur, & juxta magistri sui

ſui effata in anima conſtituit πρωτουργούς τινας ἀρχὰς; *principia primaria quadam vi & efficientia prædita*, figurarum, numerorum, rationum, & motuum; hæc figurarum omnium, numerorum, rationum & motuum exemplaria eſſe ζωτικῶς καὶ νοερῶς, τῇ ψυχῇ δημιουργικὰς ἰδεῶν δυνάμεις *per modum quemdam, vitæ efficientem & intelligentia præditum, animæ ab opifice jam inde ab initio inſita.* Splendida ſane dictu ſunt iſta, quorum tamen ſi penitius ſpectamus argumenta, ſtatim concident. Nam primum hoc aſſert Proclus, res ſenſiles, καὶ ὑλικὰς, *& quæ materia conſtant*, certi nihil & accurati, puri nihil, ſinceri, ac immobilis habere, nihil expers partium, nihil latitudine carens, aut craſſitudine; hæc autem ineſſe formis illis ac ſpeciebus mathematicis, quas animo comprehenſas habemus; non ergo oriri à rebus ſenſilibus; productum ſiquidem producente nobilius ac perfectius eſſe non poſſe; igitur ex anima ipſa educi. Quæ cum ait Proclus, ſumit τὸ ἀμφίβολον τύμενον ἀντὶ τοῦ ὁμολογουμένου *controverſum pro conceſſo:* nec enim concedimus, puncta, vel lineas, vel ſuperficies, vel circulos, formasque mathematicas, nos animo comprehenſas tenere; nec, quæ ex his conflantur, demonſtrationes accuratas, puras, ſinceras, & immobiles eſſe fatemur; quippe ex ſenſilibus ortas, quæ fluxa, mobilia, mutabilia, craſſa, & ſectilia ſunt. Nihilo validius pugnat, cum ait: meliores fore demonſtrationes, quæ à ſenſilibus proficiſcuntur, utpote à cauſa & principio; deteriores quæ ab univerſalibus & ſimplicibus, ſi ſenſilia cauſſæ ſint & principia univerſalium; cum tamen ſcitum certumque ſit, ex magis univerſalibus conflari demonſtrationes, proindeque priora hæc eſſe, & præſtare ſingularibus, non igitur ex iis oriri. Quod utique recte concludi negamus: ex ſenſilibus enim & ſingularibus efficiuntur univerſalia; ex univerſalibus vero gignitur ſcientia, & demonſtrationes conſtant. Quemadmodum autem validius telum concinnatur ex ramo arboris, trabs ſolidior ex trunco, quam ex radice; cum tamen truncus & rami ex radice oriantur; ita certior & firmior conflatur demonſtratio ex univerſalibus, quam ex ſingularibus, & ſenſilibus, & materia concretis univerſalia efflorescant. Tantum igitur demonſtrationibus iis veritatis ineſt, quantum univerſalibus illis principiis, quæ quidquid veri certique habent, à ſenſilibus & ſingularibus acceperunt. Urget denique Proclus, & animam materia ignobiliorem nos fingere cauſſatur, cum docemus à natura ipſa materiam accipere rerum πρωτουργὰ παραδείγματα, *primaria exemplaria*, & manifeſtiores formas καὶ ὑλικώτερας, *ſubſtantia præditas*, quæque magis ſunt; animam vero poſtmodum ab his ſimulacra educere ac ſpecies, & in ſeſe informare. Quæ cum ita fieri fatemur, nihil tamen de animæ dignitate detrahimus; aliter enim formas à natura recipit materia, mere ſcilicet παθητικῶς, *paſſive*, aliter eas anima colligit ex materia, & ſenſilibus, per vim nempe activam, qua præſtat anima, & inertem ſuperat otioſæ materiæ ceſſationem. Quam infirmis igitur opinio iſthæc radicibus hæreat, perſpicuum eſt; unde liquet vere autumaſſe Ariſtotelem, animam tabellam eſſe, ſive album quoddam formis ac rationibus vacuum, non nativis rerum imaginibus depictum, ſed externas & aſcititias formas impreſſas gerens. Id quod fateri cogitur Proclus, cum animam, externam quamdam mentis imaginem eſſe docet, & in mente res contineri παραδειγματικῶς, *tanquam exemplaria*, in anima εἰκονικῶς, *tanquam imagines*, menti nempe rerum exemplaria νοερὰ, *quæ vim dant intelligendi*, ineſſe ἐντογόνως, *ab ipſo ortu*, quæ in anima ſui ſimilitudines exprimant, eamque pingant & exornent. Pluribus hæc perſecutus ſum, nec tamen abs re; tum etiam propter dignitatem quæſtionis ac momentum, & ut appareat quo jure dixerit Proclus, jam à multis confutatam opinionem hanc quam tuemur, ac convictam. Aliæ præterea ſunt Geometricarum definitionum labes. Reciprocari debere invicem definitionem & definitum, decretum eſt Philoſophorum. Homo eſt animal rationis particeps; animal rationis particeps eſt homo: æqua eſt & legitima converſio. Jam fac periculum in definitione puncti; *Punctum eſt cujus nulla eſt pars:* id ergo cujus nulla eſt pars, eſt punctum: atqui Dei nulla eſt pars: Deus igitur punctum eſt. Falſum hoc & ineptum; inepta ergo puncti definitio. Præterea cum ait ὁ ταχυμητὴς, *Elementorum Geometricorum Auctor ſive Euclides*, punctum eſſe cujus nulla eſt pars, id voluit, nullam ejus eſſe poſſe partem, atque ita ἀμερὲς, *partibus carens*, confundit cum ἀμερίστῳ, *individuo*. Gravius etiam peccat, cum lineam definit,

longi-

longitudinem illatabilem; aut ſuperficiem, longitudinem & latitudinem altitudine carentem. Quid hoc monſtri eſt? Longitudo accidens eſt, linea ſubſtantia eſt; (utamur enim vocibus Philoſophorum) qui ſubſtantiam definire queas per accidens? Dixiſſent rem eſſe longam ſine latitudine: pateremur. Pergamus vero. Tertia definitio hæc eſt: *Lineæ extrema ſunt puncta.* Sexta, *Superficiei extremæ ſunt lineæ.* Hæc quam falſa ſint, non quæro, quæ ſunt falſiſſima. Certe propoſitiones hæ ſunt, non definitiones. Rectam lineam ſic definiunt, *Quæ ex æquali ſua puncta interjacet*, nulla, vel certe intricatiſſima ſententia. Aliter itaque eam definivit Plato, aliter Archimedes, aliter & alii, quorum definitiones affert Lycius ille Proclus. Pari vitio laborat & ſeptima, quæ eſt planæ ſuperficiei. Quamobrem & alias ejus definitiones Proclus propoſuit. De natura anguli quantæ extiterint controverſiæ Geometrarum, cognoſcitur ex ejusdem Procli diſputationibus, quas cum legeris incertior eris multo quam dudum. Quam autem ejus definitionem dat Euclides, eam ſequentibus Propoſitionibus haudquaquam tuetur, ut optime Ramus animadvertit. Quid ſimile vero in noſtris Definitionibus? quid non ſimplex? quid non apertum? quid non communi omnium aſſenſione comprobatum? Sed jam tranſeamus ad Poſtulata. Nonnulla ſunt enim quæ Lectorem mihi gratificari velim; atque ea quidem ejusmodi, quæ ſine injuria negare non poſſit. Primum hoc eſt:

Procl. L. 1. in Euclid.

Procl. L. 1. in Euclid.

POSTULATA.

POSTULATUM I.

Poſtulctur adhiberi hic animum docilem & veritatis ſtudioſum, non refractarium & pertinacem.

NEc enim hic animum convinci, quam perſuaderi velim. Illud rationes fortaſſe noſtræ efficere poterunt; ea eſt Chriſtianæ cauſæ veritas: hoc de ſola animi æquitate & candore ſperare licet. Quod ſi ab æquo lectore impetro, uti me impetraturum confido, alterum hoc facile mihi concedet.

Poſtulata primi æquitas oſtenditur.

POSTULATUM II.

Tam certo ea credi quæ hic probabuntur, quam creduntur reliqua quæ paris roboris rationibus nituntur.

I. *Poſtulati ſecundi æquitas oſtenditur.* II. *Præmittuntur nonnulla de Poſtulatis Geometrarum.*

I. QUidni hoc impetrem quod poſtulo, cum non hic de lana caprina, non de vanis Philoſophorum quæſtionibus, non de temporariis rebus controverſemur; ſed de re omnium maxima, unde ſalus æterna pendet, vel nunquam deſitura calamitas? Quod ſi ex iis quæ vel experientia teſte, vel lumine naturali duce, vel ratione, vel morali fide habemus perſpecta aut perſuaſa, vitæ hujus normam abſque dubitatione ulla aut tergiverſatione ſumimus; cur non paris auctoritatis rationibus ad idem in re longe graviſſima faciendum impellimur, æterna nimirum beatitate conſequenda: Ad iter accingeris in craſtinum: æſtate ligna reponis in hyemem, hyeme glacies in æſtatem: ſeris arbores quæ alteri ſeculo proſint; nec certi tamen habes quicquam, vel de ſeculo futuro, vel de futura æſtate & hyeme, vel de die craſtino, præter conjecturam, quam de præteritis feciſti. Spe lucelli fortunas omnes ſuas mari committit mercator, & ad Indos mittit, quos nunquam adiit, & quos eſſe fando tantum accepit. Quod ſi res propoſuero, ſimilibus argumentis, moralibus nempe, comprobatas & compertas, cur non parem adjunges fidem? cur in fluxis rebus & vanis tantum hujusmodi rationibus tribues, in graviſſimis & æterniis tantum iisdem detrahes? cumque Geometrarum imperia patienter feras, nec eorum poſtulatis quantumlibet iniquis parere detrectes; æquiſſimo huic poſtulato non annues?

Poſtulati ſecundi æquitas oſtenditur.

II. Iniqua dixi Poſtulata Geometrarum, qui ea concedi ſibi volunt, quæ nec facta ſunt unquam, nec futura, nec ulla arte humana fieri poſſunt. A puncto ad punctum lineam duci, quovis centro & intervallo circulum deſcribi jubent, ut facile factu, ὡς πρόχειρον καὶ ἐυπόριστον, *ut factu & inventu facile*, (ſic enim loquitur Proclus) cum nec punctum eſſe poſſit, nec linea. Neque me fugit quid cauſſentur Geometræ: lineam & circulum animo fieri poſtulant, non reipſa; ex iisque animo informatis easdem ajunt utilitates capi, ac ſi opere fierent; & quamvis circulus perfectus fieri non poſſit, quem tamen deſcribimus circulum, uſu non diſcrepare ab eo qui perfectus ſit. Hic vero Geometriam πρακτικὴν, *activam*, cum theoretica ſe confundere non in-

Præmittuntur nonnulla de Poſtulatis Geometrarum.

Procl. L. 1. in Euclid.

Digitized by Google

telligunt: nos autem non quærimus quid ex imperfectis principiis ad vitæ commoda opis & emolumenti proveniat, verum qua vi polleant illa ad legitimæ & ἐπιστημονικῆς, *ex qua gignitur scientia*, demonstrationis conclusionem. Deinde ea non magis animo quam re fieri posse ajo. Cæterum dubitabat Timon in libris contra Physicos, an aliquid sumendum esset ex Hypothesi; atque hanc Hypotheseon licentiam Sextus Empiricus solerter coercuit. Plurima præterea Euclidis Postulatis inesse vitia mox probabimus, postquam Communes notiones aliquas præmiserimus, quarum prima hæc est:

AXIOMATA.

AXIOMA I.

Omnis liber est genuinus, qui genuinus habitus est ab omnibus proxime & continuata serie sequentibus eum ætatibus.

Axiomatis primi veritas confirmatur.

HOc Axioma si quis vocaverit in controversiam, jam certum nihil habebit in literis. Cæsaris Commentarios genuinos esse non aliunde scio, quam ex proxime consequentium ætatum aliarumque iis succedentium constanti testimonio: nam & genuinos agnoscunt Cicero, & Hirtius, ac deinde Strabo, tum Suetonius, & Plutarchus, & Grammatici postmodum veteres, ac reliqui subinde ad hanc usque ætatem Scriptores. Ludovici XI. Francorum Regis gesta persecutus est Philippus Cominæus. Hunc Historiæ, quæ ipsi adscripta est, verum esse auctorem credimus, quia id a Matthæo Attrebate domestico ipsius audivit Johannes Sleidanus, & aliis ipse postea prodidit, unde & nos demum accepimus. Idem Axioma usurpabat Moses, cum beneficiorum Dei, totiusque Historiæ sacræ veritatem apud populares suos comprobare vellet. *Hæccine,* Deuter. XXXII. 6, 7, 8. inquit, *reddis Domino, populе stulte & insipiens, numquid non ipse est pater tuus, qui possedit te, & fecit, & creavit te? Memento dierum antiquorum, cogita generationes singulas: interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi; majores tuos, & dicent tibi: quando dividebat altissimus gentes; quando separabat filios Adam, constituit terminos populorum juxta numerum filiorum Israel.* Simile illud est Psalmo LXXVII. 3. & seq. Psalmi septuagesimi septimi: *Quanta audivimus & cognovimus ea, & patres nostri narraverunt nobis? Non sunt occultata a filiis eorum in generatione altera, narrantes laudes Domini, & virtutes ejus & mirabilia ejus quæ fecit. Et suscitavit testimonium in Jacob, & legem posuit in Israel. Quanta mandavit patribus nostris nota facere ea filiis suis, ut cognoscat generatio altera, filii qui nascentur & exurgent, & narrabunt filiis suis, ut ponant in Deo spem suam, & non obliviscantur operum Dei, & mandata ejus exquirant.* Item Lucas: *Quoniam quidem multi conati sunt ordinare narrationem, quæ in nobis completæ sunt, rerum: sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt, & ministri fuerunt sermonis; visum est & mihi assecuto omnia a principio diligenter, ex ordine tibi scribere, optime Theophile, ut cognoscas eorum verborum, de quibus eruditus es, veritatem.* Augustinus quoque adversus Faustum Manichæum, adulteratos esse novi Testamenti libros fingentem, hoc ipso Axiomate pugnabat: *Platonis*, inquit, *Aristotelis, Ciceronis, Varronis, aliorumque ejusmodi auctorum libros unde noverunt homines quod ipsorum sint, nisi eadem temporum sibimet succedentium, contestatione continua? Multi multa de literis Ecclesiasticis conscripserunt, non quidem auctoritate canonica, sed aliquo adjuvandi studio, sive discendi: unde constat quid cujusque sit, nisi, quia his temporibus, quibus ea quisque scripsit, quibus potuit insinuavit atque edidit; & in alios atque alios continuata notitia, latiusque formata, ad posteros etiam usque ad nostra tempora pervenerunt, ita ut interrogati cujus quisque liber sit, non hæsitamus quid respondere debeamus?* Quod si quis ne id quidem ad fidem faciendam satis firmum putet, videat quo argumento probare possit proavita bona hæreditario jure ad se pertinere: nec tutior est enim publicarum tabularum, aut domesticorum instrumentorum auctoritas, quam Historiæ: imo etiam infirmior; illorum enim custodes sunt pauci homines & obscuri; hujus vero universus orbis. At enim inquies, supponuntur quandoque libri; suppositus est Prochori liber De vita Johannis; suppositus est & ille Abdiæ Babylonii De certamine Apostolorum; atque ita non rudibus solum & imperitis, sed acutioribus etiam fit fucus & eruditioribus. Contingere id quidem potest, si auctorum jampridem fato functorum usurpatur nomen, & aliquando

Luc. I. 1, 2, & seq.

Augustin. L. XXXIII. adv. Faust. c. 6.

Digitized by Google

aliquando ſane contigiſſe fatendum eſt; vivis illis, vel nuperrime defunctis, vix ac ne vix quidem fieri poteſt: nam quis id pateretur, ſe vivo? quis non ſuppoſitionem proderet? Neid quidem adverſum recens defunctos licet; quippe reclamarent amici, propinqui, hæredes, quorum in poteſtatem ſcripta defuncti ac libraria omnis ſupellex veniſſet. Neque vero auſit id ipſe hæres, eruditione, ſi forte, inferior, ſtilo diſſimilis. Præterea quæ facti gratia? quæ merces in re litteraria, unde quæſtus nullus, nulla viro alienum nomen uſurpanti, ſuum diſſimulanti gloria? Denique demus id quoque, ſupponi poſſe libros vivis ſcriptoribus, vel recens defunctis; quid, teſtamenta nonne ſupponuntur? nonne adulterantur tabulæ? num propterea nulla eſt teſtamentorum, vel tabularum auctoritas? quæ ſi manet integra ut certe manet, manere quoque integram librorum illorum fidem æquum eſt, juxta poſtulatum ſecundum. Progrediamur itaque ad aliud Axioma, quod eſt hujusmodi:

AXIOMA II.

Omnis hiſtoria eſt verax, quæ res geſtas ita narrat, uti narrantur in multis libris coætaneis, vel ætati proximis qua res geſtæ ſunt.

Axiomatis ſecundi veritas confirmatur. Joſeph. Lib I. contra Apion.

HOc pronuntiato, & ſuperiore, tota nititur Hiſtoriæ fides, totius antiquitatis memoria: τῆς μὲν γὰρ ἀληθοῦς ἔστι τεκμήριον ἱστορίας, ἡ παρὰ τῶν αὐτῶν ἅπαντες ταυτὰ καὶ λέγοιεν καὶ γράφοιεν *Veracis enim hiſtoriæ indicium eſt, ſi de rebus iisdem omnes eadem dicant, & ſcribant;* inquit Joſephus; cujus verba hæc ſupra jam attuli. Unde enim virum quemdam bello clarum, cui Cæſari nomen fuit, aliquando vixiſſe ſcio? ex Cæſaris nempe ipſius Commmentariis, ex Hirtii, Ciceronis, Bruti, Livii, Vellei, Lucani, aliorumque ſcriptis, qui vel temporum illorum, quibus Cæſar vixit, æquales fuerunt, vel ſuppares. Horum autem ſcripta genuina eſſe ex ſuperiore Axiomate oſtenditur. Non aliter enim ſciri aut credi poſſunt, quæcunque ipſi oculorum noſtrorum teſtimonio non cognovimus, quam ex aliorum verbis: alioqui mediterraneus Oceanum eſſe non credet; nec Americam, aut Indiam eſſe credent Amſtelodamenſes, qui patrio ſolo nunquam exceſſerunt, & virgula divina ſibi ſuppeditari putabunt pretioſiſſimas merces, quæ inde quotannis referuntur. Teſtium autem eo major eſt fides, quo a re geſta propius abfuerunt; adeo ut æqualium certior ſit, quam recentiorum; præſentium, quam abſentium; certiſſima vero ſit eorum, qui rem oculis ipſi ſuis inſpexerunt. Quoniam autem æquales, & præſentes, & oculatos teſtes rebus geſtis diu ſupereſſe non patitur brevitas vitæ; inde fit ut res a noſtra, vel patrum, aut avorum memoria remotas, non niſi ex aliorum relatione noſcere vel credere poſſimus, rerum oblivionem reparante hominum ſtudio, dum longinquitatem temporum memoria excipiente, monumentisque poſteritati traditis repræſentant. Quod in rebus igitur ætate noſtra actis valet oculatorum teſtium fides, idem in rebus ab ævo noſtro diſſitis valet coætaneorum librorum auctoritas. Unde intelligitur quo pertineat effatum hoc, & ſuperius, & quantam ex eorum labefactione rerum perturbationem incidere neceſſe ſit. Tertium illud eſt:

AXIOMA III.

Omnis Prophetia eſt verax, quæ prædixit res eventu deinde completas.

MAniſeſto id ſequitur ex Prophetiæ definitione ſuperius allata, & res eſt in promptu, nec eget diſputatione. Propheta quidem ille vera prædicens, mendax cæteroquin eſſe poteſt, & pios homines a veri Dei cultu abducere vel falſis ipſe religionibus implicari; qualis exhibetur Balaamus in libro Numerorum; & qualis ille eſt Propheta, quem interfici jubet Moſes in decimo tertio capite Deuteronomii. Nihilominus tamen Prophetia ipſa verax eſt. Poſtremum Axioma hoc eſt: Axiomatis tertii veritas confirmatur.

AXIOMA IV.

Omnis Prophetica facultas a Deo eſt.

I. *Axiomatis quarti veritas confirmatur.* II. *Conferuntur Poſtulata & Axiomata noſtra cum Poſtulatis & Axiomatis Geometrarum.* III. *Laus Geometriæ.*

I. ANnuntiate quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus quod Dii eſtis vos: inquit Iſaias. Idem alibi ſic loquentem induxit Deum: *Quis ſimilis mei? vocet & annuntiet:* Axiomatis quarti veritas confirmatur.

Digitized by Google

Isa. XLI. 23. & XLIV. 7. Isa. XLVIII. 13. & seq.

riet: & ordinem exponat mihi, ex quo constitui populum antiquum; ventura & quæ futura sunt annuntient eis. Rursus idem: *Priora ex tunc annuntiavi, & ex ore meo exierunt, & audita feci ea; repente operatus sum, & venerunt ..... Prædixi tibi ex tunc, antequam venirent indicavi tibi, ne forte diceres: Idola mea fecerunt hæc, & sculptilia mea, & conflatilia mandaverunt ista. Quæ audisti, vide omnia, vos autem num annuntiastis? Audita feci nova ex tunc & conservata sunt quæ nescis; nunc creata sunt, & non ex tunc; & ante diem, & non audisti ea; ne forte dicas, Ecce ego cognovi ea. Neque audisti, neque cognovisti.* Atque hac quidem propria & certa nota Prophetam θεόπεμπτον καὶ θεόλεκτον, *a Deo missum & Deo afflatum* a Pseudopropheta Moses discrevit, si quæ ab hoc prædicta essent, eventus non comprobasset. *Quod*

Deut. XVIII. 22.

in nomine Domini, inquit, *Propheta ille prædixerit, & non evenerit, hoc Dominus non est locutus, sed per tumorem animi sui Propheta confinxit.* Unde sequitur, quæcumque prædicta sunt, & eventu deinde completa, hæc Dominum esse locutum. Quin etiam si Pseudoprophetæ contingat aliquando prænuntiare verum, hoc ipsum Deo auctore

Deut. XIII. 3.

pronuntiatur. *Si Pseudopropheta*, inquit alibi Moses, *vera prædixerit, & te voluerit deinde a Deo avertere, cave facias, te enim tentat Dominus.* Hinc illud Tertulliani:

Tertull. Apol. c. 20.

Idoneum testimonium divinitati, veritas divinationis. Homini vero penitus occulta est futurarum rerum cognitio. Quid mirum vero, cum & præteritorum notitia multis tenebris obsepta sit, nec ea nisi per nubila mens humana cernere valeat? *Multa hominis affli-*

Eccl. VIII. 6.

gio, inquit Ecclesiastes, *quia ignorat præterita, & futura nullo scire potest nuntio.* Monitum quoque est Salomonis in Proverbiis:

Prov. XXVII. 1.

Ne glorieris in crastinum, ignorans quid superventura pariat dies. Nulla mihi cum Judæis super hoc Axiomate concertatio est: imo vix ulla quidem cum Ethnicis: uni quippe Deo futurorum cognitionem omnes fere adjudicant: eorum dico, non quæ ex præsentibus vel præteritis ita apta sunt, ut a peritis, & prudentibus prævideri possint, sed quæ in fortuna posita sunt. Unde vates futurorum præscios, divinos & μάντεις; & Astrologiam, *divinas artes* appellaverunt. Homines, juxta Orphica carmina,

μήτέ τι εἰδότας,
οἵτε κακοῖο προσερχομένοιο νοῆσαι
φράδμονες.

Neque boni cujusdam
Scientes sunt, neque malum venturum
noscere
Periti.

Scitum illud Hesiodi:

μάντις δ' οὐδείς ἐστιν ἐπιχθονίων ἀνθρώπων
οὔτις ἀν εἰδείη Ζηνὸς νόον αἰγιόχοιο.

Vates autem nullus est inter homines terræ incolas:
Qui noverit mentem Jovis Ægiochi.

Cujus & illud est:

κρύψαντες γὰρ ἔχουσι θεοὶ νόον ἀνθρώποισι·

Dii mentem suam homines celant:

Item illud Pindari:

τὰ θεῶν βουλεύματα ἐρευνᾶσαι,
βροτέᾳ φύσει δύσκολον·

Deorum consilia explorare
Humanæ naturæ difficile.

Et hoc Anacreontis:

πόθεν οἴδαμεν τὸ μέλλον; Anacr. Od. 41.
ὁ βίος βροτοῖς ἄδηλος·

Unde cognoscimus futurum?
Vita hominibus ignota est.

Et id Æschyli:

διὸς ἱμερος οὐκ εὐθήρατος ἐτύχθη. Æschyl. Supplic.

Jovis voluntas facile deprehendi non potest.

Atque id quoque:

μελαίνα ξυνωχίαι
μερόπεσσι λαοῖς.

Obscuri sunt casus
Hominum seclis.

Nec non & istud:

τί δὲ μέλλει φρένα δίαν
καθορᾶν, ὕψιν ἄβυσσον;

Quomodo potero mentem divinam
Pervidere, quæ oculis penetrari non potest?

Sic & Sophocles:

τὰ μὲν δὴ νῦν μέλλοντ' οὐδεὶς ὀφορᾷ. Sophocl. Trachin.

Nemo ergo futura perspicit.

Sic & Menander:

οὐδὲς τὸ μέλλον ἀσφαλῶς ἐπίσταται.

Nemo futurum certo novit.

Non aliter Solon:

πάντων δ' ἀθανάτων ἀφανὴς νόος ἀνθρώποισι.

Omnium Deorum incognita mens est hominibus.

Insigne

Gell. L. XIV. c. 1. Insigne & hoc Pacuvii, quod affert Gellius: *Nam si qui, quæ ventura sunt, provideant, Æquiparent Jovi.*

Sciscit & Favorinus Philosophus apud eundem; *tolli quod maxime inter Deos atque homines differt, si homines quoque res omnes post futuras prænoscerent.* Et præclarus ille inter Romanos vates Marcius, cum fidem vaticiniis suis facere vellet, *Nam mihi*, inquit, *ita Jupiter fatus est.* Adde hoc Horatii:

Liv. L. 25. Hor. Carm. L. III. Od. 29. *Prudens futuri temporis exitum*
Caliginosa nocte premit Deus.

Manil. L. 5. Et istud Manilii:

Pene Deos, & qui possunt ventura videre.

Juven. Sat. 6. Et id præterea Juvenalis:

Et genus humanum damnat caligo futuri.

Stat. Theb. 3. Accedat & illud Statii:

Quid craftina volveret ætas
Nescia mens hominum fati, sortisque futuræ.

Hieron. in Dan. Egregie itaque Hieronymus: *Confutentur magi, confutentur arioli, & omnis scientia sæculatis literaturæ, præscientiam futurarum, non esse hominum, sed Dei; ex hoc probatur Prophetas Dei spiritu locutos, quia futura cecinerunt.* Cum hanc quæstionem tractarent veteres Philosophi, in varias sectas dissipati sunt. Alii Deo prorsus detraxerunt futurorum præsensionem: proindeque ab homine, rebusque cæteris omnibus multo id magis abjudicarunt. In eo errore versati sunt Epicurei; eodemque videtur inclinare Cicero, cum

Cicer. L. 2. D. divin. ait: *Nihil est tam contrarium rationi & constantiæ quam fortuna, ut mihi ne in Deum quidem cadere videatur, quid casu & fortuito futurorum sit. Si enim scit certe illud eveniet. Sin certe eveniet, nulla fortuna est. Est autem fortuna: rerum igitur fortuitarum nulla est præsensio.* Sed hæc Academicorum more, pertentantium sententias omnes, nulli adhærentium, disputata sunt a Cicerone. Eadem injuria Deum rerum opificem, quem bonum esse negabat, afficiebat Marcion: sic

Tertull. L. 2. contr. Marcion. enim loquentem hunc inducit Tertullianus: *Si Deus bonus & præscius futuri, & avertendi mali potens, cur hominem, & quidem imaginem & similitudinem suam, imo & substantiam suam, per animæ scilicet censum passus est labi de obsequio Legis in mortem, circumventum a Diabolo? Si enim & bonus, qui evenire tale quid nollet; & præscius, qui eventurum non ignoraret; & potens, qui depellere valeret, nullo modo evenisset, quod sub his tribus conditionibus divinæ majestatis evenire non posset. Quod si evenit, absolutum est e contrario Deum neque bonum credendum, neque præscium, neque potentem.* Sciscunt alii minime demittere se Deum ad rerum singularium curam, sed in universalibus tantum consistere: quæ mens fuit Aristotelis, recentiorumque aliquot Peripateticorum, Alexandri Aphrodisæi, Themistii, & Averrois. Ex quorum opinione consectarium est, ad Deum futurorum, ut vocant, contingentium cognitionem neutiquam pertinere, cum ne præsentium quidem contingentium cognitio ad eum pertineat; ita nec ad alium quemvis. At Stoici Deum solum futura hæc prænoscere volunt, nec quemquam præterea alterum. *Nota est Diis*, inquit Seneca, *operis sui series, omniumque illis rerum per manus suas iturarum scientia in aperto semper est; nobis ex abdito subit; & quæ repentina putamus, illis provisa veniunt ac familiaria.* Alter Seneca: *Quis est qui futurorum scientiam sibi vindicet? nova oportet sortis sit, qui jubente Deo canat: non eodem contentus sit utero, quo imprudentes nascimur: quamdam imaginem Dei præferat, qui jussa exhibeat Dei: sic est.* Celsus quoque Philosophus, εἴ πως πνεῦμα θεῖον κατιὸν ἐκ θεοῦ προαγγέλλει τὰ θεῖα, τοῦτ' ἂν εἴη τὸ πνεῦμα τὸ ταῦτα κηρύττον, ὃ δὴ πλησθέντες ἄνδρες παλαιοὶ πολλὰ κἀγαθὰ ἤγγειλαν. *Si forte divinus Spiritus ex Deo descendens, divina prænuntiat, nempe Spiritus hac prædicans, is est, quo repleti viri antiqui multa, eaque bona nuntiarunt.* Jamblichus, magni inter suos nominis Philosophus, egregium opus scripsit De mysteriis, in quo passim micant lucidissimæ veritatis scintillæ, & strictura quædam Christianismi. Postquam enim fulgere cœpit Christi Philosophia, jam inde Ethnicam Philosophiam lucis suæ radiis late perfudit. Id cum in Porphyrii, Procli, aliorumque scriptionibus perspicias, tum maxime in hoc, quem memoramus, Jamblichi libro. Illic totam fatidicam vim, quod vel solius tamen rationis ductu noscere potuit, ad unum Deum referendam esse sæpius inculcat:

Senec. L. 4. de Benef. cap. 32.

Senec. Suas. 4.

Celsus apud Origen. contr. Celsum L. 7.

Jambl. sect. III. c. 1. & 7. & 8.

πρόγνωσις δὲ οὐκ ἔστιν ἓν τῶν ἐν τῷ γίγνεσθαι, οὐδ' εἶον φυσική τις ἀπεργάζεται μεταβολή, οὐδέ τι τέχνασμα ἐξεύρηται τοῦτο εἰς τὴν τῶν βίων κατασκευὴν χρήσιμον μεμηχανημένον, οὐδ' ὅλως ἀνθρωπικόν ἐστι τὸ ἔργον, θεῖαν δὲ χρὴ ὑπεροφυᾶ, ἄνωθεν τὴν ἀπὸ τοῦ θείου κατα-

πεμπό-

πεμπόμενον· ἐνθουσιῶντες τε καὶ ἐξόντων ἐντοφαῖς προγόνται. Hæc ita vertit eruditissimus Galæus, cujus beneficio librum hunc patrio sermoni restitutum, & egregio ornata excultum, adepta est respublica literaria: *Præscientia revera nihil est ex omnibus quæ generantur, nec ad modum Physicæ mutationis efficitur: sed nec inventa est & excogitata, tamquam ad vitæ usum necessaria. In universum nihil in se humani habet; sed divinum quid & supernaturale est, cœlitusque ad nos dimittitur, ingeneratum & sponte sua præexistit.* Et deinde: ὅτε δαιμόνων, θεῶν δὲ γίνεται ἐπίπνοια· *Sed nec illa afflatio* (ἐνθουσιασμὸς) *a Dæmonibus fit, sed a Diis.* Tum: ἔτι δὲ προηγούμενον τοῦτο τὸ κατέχεσθαι ὅλως αὐτὸς ὑπὸ τοῦ θείου, ὧ ἀκολουθεῖ ὕστερον καὶ τὸ ἐξίστασθαι ψυχῆς μὲν ὧν καὶ τινος τῶν ἐν αὐτῇ δυνάμεων, ἢ νῷ, ἢ ἐνεργειῶν, ἢ σωματικῆς ἀσθενείας, ἢ ἄνευ τούτων, ὃν ἄν τις ὑπολάβοι δικαίως τὸν ἐνθουσιασμὸν εἶναι, ὃδὲ ἂν ὅτω γίνεσθαι εἰκότως ἂν ὑπόθοιτο· ὅτε γὰρ ἀνθρώπινόν ἐστι τὸ τῆς θεσφορίας ἔργον, ὅτε ἀνθρωπίνοις μορίοις καὶ ἐνεργήμασι τὸ πᾶν ἔχει κῦρος· ἀλλὰ ταῦτα μὲν ἄλλως ὑπόκειται, καὶ χρῆται αὐτοῖς ὁ θεὸς, ὡς ὀργάνοις· τὸ δὲ πᾶν ἔργον τῆς μαντείας ὅλ ἐαυτῶ πληροῖ καὶ λαμβάνει ἀπὸ τῶν ἄλλων ἀφείμενος, ὅτε ψυχῆς κινηθείσης ὑδ' ὁτιῶν, ὅτε σώματος ἐνεργεῖ καθ' αὑτόν· *Præcipuum autem est, ipsos afflatos penitus a Deo obsideri: quam quidem obsessionem postea sequitur, tamquam accidens, extasis & alienatio. Non rectè igitur quis existimaverit enthusiasmum pendere ab anima, aut ab aliquibus animæ facultatibus, aut ab intellectu, aut ab operationibus, aut a corporea valetudine, aut sine hac fieri, aut non fieri. Opus namque plusquam humanum est divinus raptus, nec facultatibus operationibusque mortalibus innititur, quanquam iis quasi subjectis & organis utatur Deus; qui tamen totum vaticinii munus per se præstat, & penes se pure, separatimque ab aliis omnibus (anima & corpore nihil ministrantibus) operatur.* Quæ & aliis locis fusè iterat. Quamobrem Porphyrium præceptorem suum haud segniter castigat, quod vaticinii causam in quadam animi motione posuerit; quæ cum instabilis sit & inordinata, vaticinium, quod constans esse debet & stabile, ex ejusmodi motione pendere non potest. Nec ab hac doctrina deflexit Proclus ille Diadochus sæpe jam a me laudatus, cum Platonis Alcibiadem primum interpretaretur. Idem dogma sequacibus suis non uno Alcorani loco tradidit Moslemiorum signifer Muhammedus. Pythia, auspices, augures, engastrimythi, aruspices, genethliaci, non aliunde quam a Deo ipso futurorum præsensionem ad se olim pervenire putabant; Deum quippe, mundi animum, omnia pervadere, & futura hominibus variis modis portendere. *Quod quæris, Deus est,* inquit Manilius, Astrologum ad capessenda præcepta sua adhortans. Qui natura significari futura sine Deo posse censebant, (si quorum tamen tanta stoliditas fuit) quid esset naturæ ne satis quidem intelligebant: nam vel cœcam & temere vagantem opinabantur, proindeque futuri insciam; vel intra certos fines, & tanquam ex præscripto agentem; atque ita vel a Deo gubernatam, vel quæ Deus ipsa esset; quorum utrumvis dixerint, Axioma nostrum confirmaverint. Præterea neque rerum naturalium, neque earum etiam quæ fortuitæ appellantur, ulla fieri potest, nisi ex concursu plurium causarum. Harum pariter causarum nulla suis caret superioribus causis, nec illæ quoque antecedentibus allis: itaque ad unumquemque producendum effectum tanta causarum multitudo necessaria est, ut totam rerum universitatem, & omnem earum connexionem ac seriem comprehendat. Hinc Marcus Aurelius: πάντα πάντων τῶν γινομένων συναίτια. *Omnia omnium quæ fiunt simul causa sunt.* Quisquis igitur futurum illum effectum prænoverit, ex causis prænoscat necesse est; cum infinitæ sint, παντοδαὴς *omnium peritus est*, & omnia sciat necesse est. Atqui solus Deus παντοδαὴς, *omnia sciens* est, neque id in humanam naturam cadit. Præclare Jamblichus ex interpretatione Ficini: *Ergo est impossibile judicare certos eventus, cum omnium causarum concursum comprehendere nequeamus, nisi per inspirationem divinam id assequamur.* Præclare & Cicero: *Si quis talis possit esse, qui colligationem causarum omnium perspiciat animo, nihil eum profecto fallet: qui enim teneat causas rerum futurarum, idem necesse est omnia teneat, quæ futura sint. Quod cum facere nemo nisi Deus possit, relinquendum est homini, ut signis quibusdam sequentia declarantibus futura præsentiat.* Sed quid communem hanc notionem pluribus tueor, cum ex Prophetæ Definitione, quam attulimus quarto loco, necessario consequatur? nam si Prophetia est narratio rerum futurarum,

Manil. L. 4.

L. IV.

Cicer. De divin. L. 1.

Iambl. sect. III. c. cap. 27. & 28.

Alcor. Sur. 41. & 44.

Digitized by Google

turarum, quæ ex naturalibus cauſis prævideri non poſſunt, petenda eſt cauſa ſupra naturam, Deus videlicet.

Conferuntur Poſtulata & Axiomata noſtra cum Poſtulatis & Axiomatis Geometrarum.

II. Jam vero confer paucisſima hæc & ſimplicisſima Principia, & conſentiente hominum omnium uſu & auctoritate recepta: cum multiplici geometricorum Principiorum ſerie; quanto pluribus hæc dubitationibus obnoxia deprehendes? Vel ſolæ Geometrarum altercationes indicant, ecquæ ſit illorum

Procl. L. 3. in Euclid. ἀναμαρτησία, *veritas quæ nullam poteſt falſitatem admittere.* Infinitis controverſiis oppugnata fuiſſe non negat horum aſſertor Proclus Diadochus. Pleraque deſiderari, præter ea quæ ab Euclide aſſumta ſunt, atque hæc in exemplum tantum fuiſſe propoſita, Geometræ quidam tradiderunt. De Poſtulatorum & Axiomatum diſcrimine magna inter ipſos concertatio eſt. Diſcrepare ea inter ſe cenſuit Geminus, ut Problemata a Theorematis. Poſtulata Geometriæ propria eſſe volunt quidam; Axiomata vero communia eſſe diſciplinarum, quæ circa quantum & circa quotum verſantur. Ariſtoteles Poſtulata vult eſſe, quæ cum ab audiente ſtatim non concedantur, & demonſtrari poſſint, ut principia tamen admittantur; Axiomata vero, quæ demonſtrari non poſſint: unde ſequitur Axiomata non eſſe quæ Euclides propoſuit, quippe quæ ab Apollonio Pergæo, eo qui ob inſignem artis peritiam magnus Geometra dictus eſt, aſſumtis aliis Principiis univerſa demonſtrata ſint. Proindeque Principia nulla ſunt, cum ex Philoſophorum, Geometrarumque conſenſu, ἀναπόδεικτα, *quæ demonſtrari non poſſunt*, eſſe debeant: quod ſæpius iterat Proclus, & diſerte teſtatur Plato his

Plat. in Phæd. verbis: ἀρχὴ δὲ ἀγένητον. ἐξ ἀρχῆς γὰρ ἀνάγκη πᾶν τὸ γιγνόμενον γίγνεσθαι, αὐτὴν δὲ μηδ' ἐξ ὁτου. ἁ γὰρ ἔκ τω ἀρχὴ γίγνοιτο, οὐκ ἂν ἀρχὴ εἴη γένετο, *Principium autem expers eſt originis: ex principio ſiquidem, quidquid oritur, oriri neceſſe eſt; ipſum autem ex nihilo. Nam ſi ex re aliqua oriretur principium, principium utique non eſſet.* Quæ ſumſit Plato pene πρὸς λέξιν *ad verbum*, ex Timæo; Cicero vero ex Platone, cum alibi, tum maxime in Somnio Scipionis.

Sext. Empir. adv. Mathem. L. 3. Adverſus Geometrarum Poſtulata uti poſſumus hoc argumento, quo univerſas ipſorum Hypotheſes Sextus Empiricus ſcite & argute confutat: Quæ poſtulas, vel fieri poſſunt, vel non poſſunt; ſi fieri poſſunt, cur jure tuo non uteris, & quæ vi obtinere poteras, precibus impetrare mavis: ſi fieri non poſſunt, cur iniqua poſtulas, & tibi a me concedi vis quod nec in mea, nec in tua poteſtate eſt? Culpant Euclidem Geminus & Proclus, quod inter Poſtulata reſcripſerit, quæ poterant demonſtrari; nempe Principia ab illo credita ſunt, ſecus ab iſtis. Culpant ii quoque Apollonium, quod axiomata demonſtrare ſit aggreſſus, quæ erant ἀναπόδεικτα, *quæ demonſtrari non poterant.* Ex his colligitur incertam eſſe Poſtulatorum & Pronuntiatorum notitiam & numerum. Propoſitionem hanc, *Omnes recti anguli inter ſe ſunt æquales*, inter Axiomata collocant Ariſtoteles, Geminus, & Theon; at Proclus inter Poſtulata, quam & demonſtravit. Tum & propoſitio hæc, *Si recta linea in duas rectas incidens inter nos, & in eadem parte ſitos angulos duobus rectis minores fecerit, producta duæ hæ rectæ in infinitum ad eam partem concurrent, in qua ſiti ſunt anguli minores duobus rectis*; hæc, inquam, Propoſitio e numero Poſtulatorum expungitur a Theone, & inter Axiomata rejicitur: e numero vero Principiorum eximitur a Gemino & Proclo, quod demonſtrari queat, multisque ad id egeat Definitionibus & Theorematis, & quod ejus ἀντίστροφον, *ex adverſo reſpondens*, Euclides demonſtraverit in decima ſeptima propoſitione libri primi; & quod multas habeat difficultates, quas Ptolemæus extricare conatus eſt. Jam vero ipſa axiomata quod attinet, ea a nemine vocari in dubium confidenter aſſeverat Proclus, licet Ariſtoteles vel ipſo Proclo teſte, de illis nonnullas moveri quæſtiones faſſus ſit. Neque vero hoc animi tantum gratia factum putem, ut Ariſtoteles cenſuit: id apparet ex Apollonii epicherematis, qui cum ea demonſtranda ſuſcepit, demonſtratione indigere utique credidit, nec pro Principiis habuit; apparet & ex Heronis ſententia, qui tria tantum Axiomata propoſuit, cum duodecim ponat Theon, viginti Clavius, novem Campanus, iisque innumerabilia adjungi poſſe putet. Decem vulgo recepta ſunt. His nonnulla adjicit Pappus, quorum tamen quædam non eſſe ἀναπόδεικτα, *quæ demonſtrari non poſſunt*, oſtendit Proclus, qui & decem illis alia adjunxit. Hoc Axioma, *Quæ ſibi mutuo congruunt, æqualia ſunt*, pertinet ad quantitatem ſibi mutuo applicandarum & ſuperponenda-

Digitized by Google

rum rationem, quæ licet a Proclo & Archimede usurpata, tota mechanica est, & Geometriæ ignominia merito dici potest. Quamobrem quartæ Propositionis libri primi Euclidis vulgata demonstratio, quæ hoc constat Axiomate, vitiosa dicta est ab eruditis Geometris; & pro Definitione, non Theoremate habendam hanc Propositionem duxit Peletarius; quamvis eandem, & ipse, & Candalla, aliter ac vulgo fit, demonstrare conati sint. Eo etiam ferunt progressos Philosophos quosdam, ut totum negarent esse majus sua parte. Et Carneades, quo nemo præclarius de Philosophia meritus est, negavit, Galeno teste, quæ æqualia alteri essent, inter se esse æqualia. Axioma vero istud, *Duæ rectæ spatium non comprehendunt*, frustra propositum esse, juxta Gemini sententiam ratus est Proclus, utpote quod demonstrari possit, quemadmodum & a Proclo factum est. Inter Postulata vero a Campano rejicitur. Videant nunc Geometræ an sua Principia clariora sint animo, quam clara sunt oculis quæ sunt aspectabilia, quod ad Principii naturam requirebat Speusippus: & an ita certa sint, ut calidum esse ignem certum est; aut ut alia certa sunt, quæ sunt manifestissima, & quæ qui negent, aut ratione aut castigatione opus habeant: haud minus enim certa esse debere Axiomata Proclus definiebat. In quo id notari velim, cum summam & exploratam in Principiis veritatem requirerent Speusippus & Proclus, talem eam desideraſſe, qualis reperitur in rebus vel experientia vel sensuum ope cognitis; atque ita significasse, se moralium principiorum fidem, pro certissima habere, neque de iis, deque Geometricis, a nobis diversa sentire.

Galen. de optim. discipl.

Jam ipsas, quæ ex his derivantur Principiis, demonstrationes si aggrediamur, multis eas, quod necesse fuit, magnisque laborare vitiis comperiemus: ipsis Geometris testibus, quorum nonnulli Demonstrationes quasdam Euclidis reprehenderunt. Agnovit Proclus plures ejus Propositiones mutuam sibi elementorum, hoc est causarum vicem præstare: unde omnino efficiatur falsas esse Propositionum illarum causas ac demonstrationes; alioquin res una sui ipsius causa esse posset. Agnovit is quoque Geometriam in usus suos adhibere Dialectica omnia instrumenta ac probationes; proindeque incerta multa, & veri tantum speciem non vim habentia. Agnoverunt alii Proclum secuti, Demonstrationes plerasque ab Euclide, aliisque præstantioribus Mathematicis usurpatas, infirmas esse, nec gignere scientiam; sed eam tantum cognitionem quæ ad discentium usus sufficiat. Prodiit ante annos aliquot liber De proportionibus, in quo παραλογισμοῦ, *falsæ ratiocinationis*, arguitur Euclides in aliquibus circa propositiones Demonstrationibus. Ex hoc Axiomate, quod ea æqualia esse scisit quæ sibi mutuo congruunt, deducta est ut diximus, Demonstratio quartæ Propositionis libri primi Euclidis; quam cum respuant Geometræ insignes, respuant quoque necesse est Propositiones omnes quæcunque hujus subsidium arcessunt. Sunt autem quamplurimæ, totamque Geometriam vitium hoc inficit. Argumentandi genus, quod constat deductione ad absurdum, & quo Archimedes usus est, ut παραλογιστικὴν, *fallaci ratione nitens*, repudiabat Josephus Scaliger; atque item illud, quo æquale aliquid alteri esse concluditur, quod ne majus eo sit, nec minus. Docebat certe Chrysippus magnitudines ejusdem generis, puta superficies, posse esse neque æquales, neque inæquales. Demonstrationes illas, quæ conflantur deductione ad impossibile, ad id genus referebat Averroes, quod appellatur Demonstrationum signi; quæ nimirum veritatis indicium sint, non causam contineant scientiæ; quod postulat natura demonstrationis. Vero, inquiunt; at si qui Geometriæ errores sunt artificium, non artis ipsius, in quam error non cadit. Atqui nos aliam artem non novimus, quam quæ ab artificibus inventa & tradita est. Quoniam vero omnibus ignota est Geometria hæc quæ jactatur esse erroris expers, id utique de re sibi incomperta temere affirmant Geometræ, & nos merito repudiamus. Adde nec ullam esse artem, vel scientiam, quantumlibet erroribus obnoxiam, quæ joculari hac responsione defendi non possit. Legi digna sunt, quæ subtiliter disseruerunt Piccolomineus & Barocius de cognitione quæ per Mathematicas disciplinas comparatur. Hæc si diligenter explorarent Geometræ, causam esse intelligerent, cur supercilium ponant. Plura in id argumentum afferre possem, sed ea colligere otii nostri non est.

Aver. I. de cœlo. comm. 96.

Digitized by Google

est. Atque hæc sane ad institutam disputationem sufficiunt.

Laus Geometriæ. III. Quid igitur ? Geometriam aspernamur? non equidem obtusa adeo pectora gerimus : imo vero, artis miramur subtilitatem, præclaraque ad veri notitiam ἐπιχειρήματα, *argumenta*, & dia reperta Geometrarum. Quantæ hinc porro humano generi utilitates extiterint, quis adeo hebes est & fungus qui nesciat? Quapropter si quis Geometriæ contemnat opem, maximis se ipse exuat commodis, eique ritu ferino vita ducenda sit. Hanc olim studiose coluimus plurimaque nos inde ad reliquas disciplinas adjumenta percepisse profitemur: & si quid ex aliis, in quibus elaborandum nobis est, studiis otii supereset, nobilissimæ huic doctrinæ libenter & jucunde tribueremus. Verum quantum ab eorum barbarie ab eorum barbarie absumus, qui suam dignitatem detrahunt Geometriæ, cujus præstantiam nec intelligunt; tantum ab iis recedimus, qui veritatem ejus extollunt in immensum, plusque ipsi habendum esse censent fidei, quam cæteris rebus humanis, sensuumque adeo suorum testimonio, aut experientiæ magistræ, aut evidentiæ denique cuilibet & perspicuitati morali. Nam certiores has esse ajo ad veritatis cognitionem vias, quam quas Geometræ insistunt. Nec tamen in moralibus illis Principiis & decretis nunquam errari puto: hoc tantum volo, quædam esse Principia moralia, cujusmodi ea sunt quæ proposuimus, quorum non minus integra sit auctoritas, & explorata fides, quam geometricorum; ac proinde Demonstrationes quas ex illis ad Christiani dogmatis assertionem deducemus κατ' ἐπιστημονικὸν λόγον, *per rationem ex qua gignitur scientia*, haud minus veras habendas esse, quam quæ ex geometricis Principiis nascuntur. Decretum certe est a Simplicio & Philopono explanatoribus Aristotelis, & a Proclo Platonis interprete, & ab ipso quoque Platone, rerum divinarum scientiam certiorem esse scientia quæ versatur circa animæ naturam: certiorem vero scientiam hanc Mathematicis disciplinis. Unde intelligant impii, & Dei, omnisque religionis osores ac perduelles, quantum eos fallat ratio, dum inania hominum opinantur esse figmenta, quæcunque de Deo, Deique cultu & obsequio, ac rebus divinis sibi ad credendum tradi solent.

Simplic. & Philop. in Aristot. De anim. L. I. cap. 1. Procl. in Euclid. L. 1. Plat. in Phædr.

PROPOSITIONES.

POSITIS Principiis quibus omnis nostra nititur Demonstratio; nunc ipsa ex iis educenda est. Quoniam autem in rerum gestarum veritate perscrutanda, & in moralibus explicandis quæstionibus fere versatur hæc disputatio, minime a nobis expectanda est geometrica illa brevitas ac simplicitas, quam non fert rei natura. Recte enim ab Aristotele definitum est initio Nicomacheorum, ad rerum singularum naturam ac modum institui tractationem & accommodari debere. Sed ut diffusior & uberior sit argumentorum tractatio, inerit iis tamen ἐπιστημονικὴ, vis ex *qua gignitur scientia*, quam initio pollicitus sum. Decem Propositionibus absolvitur Demonstratio ista, quarum prima hæc est.

PROPOSITIO I.

Genuini sunt libri Novi Testamenti.

I. *Probatur γνησιότης librorum Novi Testamenti*; II. *Evangelii secundum Matthæum*; III. *Evangelii secundum Marcum*; IV. *Evangelii secundum Lucam*; V. *& ejusdem Actorum Apostolorum*; VI. *Evangelium secundum Johannem*; VII. *& ejusdem Epistolarum, Primæ*; VIII. *Secundæ, ac Tertiæ*; IX. *& Apocalypseos*: X. *tum Epistolarum Pauli*, XI. *ac præsertim Epistolæ ad Ebræos*: XII. *deinde Epistolæ Jacobi*, XIII. *& ambarum Petri*; XIV. *ac demum Epistolæ Judæ*. XV. *Probatur præterea γνησιότης librorum Novi Testamenti ex vetustate codicum quorundam.* XVI. *Refelluntur argumenta adversariorum. Primum argumentum.* XVII. *Secundum argumentum.* XVIII. *Tertium argumentum.*

Probatur γνησιότης I. GEnuinos appello libros, scriptos ab iis auctoribus, a quibus dicuntur esse scripti, & iis circiter temporibus, quibus scripti esse feruntur, juxta primam Definitionem.

Digitized by Google

librorum Novi Testamenti.

Cum autem ex primo Axiomate constet librum omnem esse genuinum, qui genuinus habitus est ab ætatibus proxime & continuata serie sequentibus, consectarium est, librum hunc esse genuinum, quem proxime subsequentes ætates ab eo auctore scriptum esse censuerunt, a quo scriptus esse dicitur, & eo circiter tempore, quo scriptus esse fertur. Atqui Novi Testamenti libros proximæ & continuata serie sequentes ætates ab iis auctoribus scriptos esse crediderunt, a quibus dicuntur esse scripti, & iis circiter temporibus, quibus scripti esse feruntur. Unde concluditur genuinos esse libros Novi Testamenti. In assumtione probanda vertitur hujus cardo Propositionis.

Quatuor Evangeliis constat Novum Testamentum, quæ singula singulis scriptoribus, Matthæo; Marco, Lucæ, & Johanni tribuuntur: tum Actis Apostolorum, quorum auctor fertur esse Lucas idem Evangelista; quatuordecim Epistolis, quæ Paulo adscribuntur uno consensu omnes, præter postremam quæ est ad Ebræos; de hujus enim scriptore aliqua extitit inter eruditos contentio; Epistola Jacobi unica, ejus qui frater Domini appellatus est, Petri duabus; tribus Johannis Apostoli, unica Judæ; & Apocalypsi demum Johannis; qui Apostolus ne fuerit, an alter aliquis, nonnullis aliquando dubium fuit.

Evangelii secundum Matthæum.

II. Non hic Lectorem longis disputationibus, & magno testimoniorum apparatu morabor; cum id quod agimus, jam actum sit velut ex instituto ab Eusebio in Historiæ Ecclesiasticæ libris: & res sane clarior est, quam ut in ea confirmanda multum laborandum sit. De singulis tamen Novi Testamenti libris agam breviter, quantum sat erit ad fidem cordatis Lectoribus faciendam: ac primum de Evangelio secundum Matthæum. Testimonia ex eo manifeste depromta affert in sua ad Corinthios Epistola Clemens Romanus, Apostolicorum temporum æqualis, & a Paulo ipso celebratus in Epistola ad Philippenses. Afferuntur indidem & nonnulla in altera Epistola, quæ Clementis ejusdem nomen præfert. Quippiam etiam indidem depromtum comparet in Epistola, Barnabæ nomine inscripta: laudatur præterea ab Ignatio, qui Christum a mortuis suscitatum vidisse se gloriabatur; laudatur & a Polycarpo Apostolorum, Johannisque potissimum discipulo, & a Papia Johannis itidem auditore, & Polycarpi sodale. Quocirca solum Matthæi probabat Cerinthus hæreticus, Apostolorum æqualis, reliqua repudiabat. Hos excipit Justinus Martyr, librorum omnium Novi Testamenti laudator assiduus, præterquam Epistolæ Pauli ad Philemonem, Catholicæ Judæ, & duarum Johannis postremarum; quarum, propter brevitatem, nulla citandi videtur ipsi data occasio. Succedit Athenagoras; huic Irenæus, Polycarpi discipulus, quique se primam Apostolorum successionem attigisse jactabat. Is scriptum a Matthæo narrat Evangelium patria lingua, cum Romæ Petrus & Paulus Evangelium promulgarent. Tum subsunt Scriptorum agmina, libris iisdem auctoritatem suam asserentium: quibus commemorandis supersedeo, nam res liquet, nec de recentioribus illis dubitatur. Tota de primis illis contentio est.

Evangelii secundum Marcum;

III. Marcum Petri discipulum, ab eoque in Epistolis laudatum, Evangelii, quod ejus nomine circumfertur, fuisse conditorem scripsit idem, quem proxime nominavi, Papias Hierapolitanus Episcopus; scripsit & Clemens Alexandrinus. Ejus auctoritate sæpe utitur Justinus, ut dixi. Ex iis quæ Petrum prædicantem audierat Marcus, Evangelium hoc esse conflatum Irenæus tradidit. Hinc crebra ejus mentio apud alios suppares Irenæo. Porphyrius quoque dum quædam in eo temere carpit, ipsius antiquitatem & γνησιότητα confirmat.

Evangelii secundum Lucam; 2. Cor. VIII. 18.

IV. Lucæ, qui Paulum peregrinantem affectatus est, Evangelium Paulus ipse elogio consecravit in Epistola posteriore ad Corinthios, his verbis: *Misimus etiam cum illo fratrem, cujus laus est in Evangelio per omnes Ecclesias; non solum autem, sed & ordinatus est ab Ecclesiis comes peregrinationis nostræ.* Idem Evangelium a Paulo significari volunt his verbis, quæ sæpe ab eo usurpata reperias; *Secundum Evangelium meum.* Auctor Eusebius. Itaque testem eum sæpe allegat Clemens Romanus in memoratis Epistolis ad Corinthios, ac deinde Justinus. Nonnihil etiam ex eo petitum habet Epistola Barnabæ. Sed & proxime laudatum Pauli testimonium ex altera ad Corinthios, Ignatius ad Ephesios scribens ipsi accommodavit. Meminit ejus & Irenæus; solumque illud Evangelium, aliis rejectis, admiserunt Cerdo & Marcion.

Euseb. Hist. L. III. c. 4.

Digitized by Google

Marcion. Scio hunc duo ejus priora capita, sic tanquam suppositicia, expunxisse: verum suam illis asseremus γνησιότητα in Propositione nona tum cum Mariæ virginitatem tuebimur.

& ejusdem Actorum Apostolorum. Philastr. Hæres. 36. Euseb. Hist. L. IV. c. 29.

V. Actis quoque Apostolorum cum fidem haberi vetent Cerinthus, quemadmodum ab Eusebio; Cerinthum autem Apostolorum temporibus vixisse constet, Severum M. Aurelii ævo, libri vetustas hinc deprehenditur. Se autem hujus scriptorem prodit Lucas in Procemio ad eundem Theophilum, quem in Evangelii sui aditu compellat, illicque se res a Christo gestas literis jam ante mandasse significat. Ita hi sibi libri, alter alteri, auctoritatem conciliant. Egregium autem cum universæ Evangelicæ historiæ, tum præcipue Evangelio Lucæ, atque Actis etiam Apostolorum ab eo scriptis, antiquitatis testimonium commodat Philostratus, Severi Augusti æqualis. Pleraque enim Christi, Apostolorumque miracula ex his libris adeo manifeste in Apollonium suum transcripsit, ut ne a verbis quidem ipsis usurpandis abstinuerit. Id nos luculenter in propositione nona demonstrabimus.

Evangelii secundum Johannem;

VI. Ad Evangelium scribendum jam magno natu Johannes Apostolus animum adjecit. Ejus ipse se auctorem manifeste declarat ad calcem operis. Nec video quo argumento vel auctore freti nonnulli conjecerint postremam hanc partem a Johanne altero, Ephesino Episcopo, Ephesinæ Ecclesiæ nomine, post Johannis Apostoli obitum fuisse adjectam. An quod Johannem de futura sua morte tam certo ac definite loqui non posse senserint? Quasi scire non potuerit se communi moriendi lege natum esse, atque hæc Christi verba de se, *Si eum volo manere donec veniam, quid ad te?* Joh. XXI. 22. sibi immortalitatem neutiquam spondere, & perversam iis afflictam esse sententiam a fratribus. Deinde quod additur: *Et scimus quia verum est testimonium ejus*, Joh. XXI. 24. id putant nonnisi a pluribus scripta esse de uno; non ergo a Johanne solo de seipso; quippe non simul, & plurali numero, & singulari, de se potuisse loqui. Ego contra ajo pervulgata esse generis hujus exempla apud scriptores. Sic Christus ad Nicodemum, in eodem Johannis Evangelio: *Amen, amen dico tibi, quia quod scimus loquimur.* Joh. III. 11. Præterea vox *Scimus*, non ad Johannem solum; sed ad reliquos etiam Discipulos spectat: ac si dixisset, Ego, ac discipuli reliqui, scimus ea vera esse, quæ de Christo testificatus sum. Ad hæc cum ait: ἑτεροκρούσαντος *sub aliena persona* de se: *Hic est Discipulus ille qui testimonium perhibet de his, & scripsit hæc*, constabat sibi, qui supra pari modestia se ipse dissimulavit, cum dixit; *Erat ergo recumbens unus ex Discipulis ejus in sinu JEsu, quem diligebat JEsus.* Joh. XIII. 23. Postremo unicum clausulæ hujus auctorem Joh. XXI. 25. ista indicant: *Nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros.* En tibi scriptorem de se numero singulari loquentem: quod utique non fecisset, si nomine Ephesinæ Ecclesiæ, uti volunt, numero plurali supra fuisset usus. Cæterum multa ex hoc Evangelio testimonia depromit Justinus, Johannis ætati proximus, testis locuples, & nulli exceptioni obnoxius. Ejus item auctoritatem usurpat paulo recentior Irenæus. Refert denique Clemens Alexandrinus in libris ὑποτυπώσεων, se accepisse a majoribus postremum omnium Evangelistarum Johannem res Christi gestas memoriæ prodidisse. Præterea de rerum origine differens Amelius, Platonicus Philosophus, suppar his temporibus, ex Evangelio Johannis, quem celato nomine Barbarum appellat, prima verba usurpat, a Christi licet religione alienus. Amel. apud Euf. Præp. L. XI. c. 19.

VII. Johanni quoque adscribuntur Epistolæ tres, & Apocalypsis. Primam Epistolam citra controversiam ab universis Christianorum Ecclesiis nunquam non admissam fuisse, & Johanni Apostolo tributam, reliqua venisse aliquando in contentionem, deque eorum auctore dubitatum esse tradit Eusebius. Ac e prima quidem Epistola testimonia sumsit Papias, quo nemo melius veritatem illius perspectam habere potuit: quippe qui Johannis fuerit auditor, ut supra dixi. Laudant eandem Irenæus, Tertullianus, Clemens Alexandrinus, Origenes, & reliqua deinceps Ecclesiasticorum auctorum caterva. Inter quos Insignis est Dionysii Alexandrini testificatio libro secundo De promissionibus: ab uno siquidem eodemque auctore profecta esse docet Evangelium & Epistolam Catholicam, quæ Johannis nomen gerunt; idque cum ex verborum ac sententiarum consonantia, tum ex consimili scriptionis genio demonstrat. & ejusdem Epistolarum, Primæ. Euseb. Hist. L. III. c. 24.

VIII. De Secunda, ac Tertia major est dissceptatio; nec ea tamen de vetustate ipsarum, sed de auctore; quem quidam Apostolum Johannem, nonnulli Johannem alium Pres- Secundæ ac Tertiæ.

Digitized by Google

byterum, Christi itidem discipulum esse volunt, Johannis Apostoli æqualem. Johanni quidem Christi discipulo secundam adscribit Irenæus, & testimonium ex ea recitat. Observatione vero dignum est testimonium alterum, indidem alibi ab eo depromtum, quod tamen e prima Epistola petere se ait. En tibi ipsius verba: *Quos & Dominus nobis cavere prædixit: & discipulus ejus Johannes in prædicta Epistola fugere eos præcepit, dicens: Multi seductores exierunt in hunc mundum. Qui non confitetur JEsum Christum in carne venisse, hic est seductor & Antichristus.* Quam prædictam appellat Johannis Epistolam, ea est Prima, proxime ab eo laudata, cum verba tamen, quæ affert, jaceant in Secunda. Sane videtur sanctum virum fefelliſſe locus huic consimilis, qui in Prima extat: *Multi Pseudoprophetæ exierunt in mundum. In hoc cognoscitur Spiritus Dei. Omnis spiritus, qui confitetur JEsum Christum in carne venisse, ex Deo est: & omnis spiritus, qui solvit JEsum, ex Deo non est. & hic est Antichristus.* Clemens Alexandrinus Johannis majorem Epistolam, hoc est Primam citat. Ex quo efficitur Johannis ejusdem esse reliquas duas, vel alterutram certe, Apostoli nimirum, quem Primæ auctorem esse demonstravimus. Nam si unica Johannis Apostoli haberetur Epistola, cur majorem eam appellaret, qua minorem nullam auctor idem dedisset? Has postremas duas cum reliquis Catholicis in censum sacrorum Librorum conjecit idem Clemens in libris ὑποτυπώσεων, ut auctor est Eusebius. Tertullianus testimonia ex Secunda, tanquam Canonica, depromit. A multis quidem dubitari ait Origenes, an genuinæ sint Secunda, & Tertia, hoc est, an Johannis Apostoli; se tamen id concedere. Dionysius Alexandrinus, ubi de Johannis Apocalypsi disserit, ut eam Johannis alterius ab Evangelista esse probet, a Secunda & Tertia, Johannis Epistolis discrepare ostendit. Sexcentos tulerunt anni sequentes, qui eas Johanni Apostolo absque hæsitatione tribuerunt. Meminerimus præterea eum nos genuinum appellare librum, qui ab eo auctore scriptus est, a quo dicitur esse scriptus; & eo circiter tempore, quo scriptus esse fertur: has autem Johannis Epistolas cujuscunque sint auctoris, sive Johannis Apostoli, sive alterius Johannis Presbyteri, eo tempore scriptas esse constat, quo feruntur esse scriptæ, cum uterque hic Johannes Christi fuerit discipulus; ab eo autem auctore sunt scriptæ, a quo dicuntur esse scriptæ, Johannis enim Presbyteri præ se ferunt nomen, nec quisquam ab eo scriptas esse negat: is autem, sive sit Apostolus Johannes, sive Johannes alter, certe Johannes Presbyter est, quicunque tandem ille est. Qui etiamsi incertus esset adhuc & dubius, ita ut olim fuit, (quem tamen Johannem Apostolum esse cum Ecclesia Catholica certum habeo) nihilominus staret nostra sententia; nam cum ab incerto auctore scriptæ essent, & ejusdem auctoris incerti nomen præ se ferrent, fatendum certe esset scriptas fuisse ab eo auctore, a quo vulgo dicerentur esse scriptæ. Atque eadem valere debet ratio ad propugnandam Apocalypseos, Epistolæ ad Ebræos, Secundæ Petri, aliarumque Jacobi & Judæ duarum fidem. Denique ut Christianis excuterentur duæ illæ Johannis Epistolæ, tam breves illæ sunt & exiguæ, ut sua nihilominus Christianæ Religioni, absque illarum ope constare possit auctoritas.

Iren. L. I. cap. 12.

1. Joh. IV. 1. & seq.

Clem. Alex. Strom. 2.

Euseb. Hist. L. VI. c. 14.

Tertull. de carne Christi. cap. 24.

Dionys. Alex. L. II. de promissionibus.

IX. Veniat nunc ad examen Apocalypsis, de cujus ætate ambigit nemo, ut quæ vel Johanni Apostolo adscribatur, uti fit ab Ecclesia Catholica; vel Johanni, qui Marcus cognominatus est, & Paulo socium se dedit; vel Johanni Presbytero; vel (quæ fuit Alogorum væsania ab Epiphanio confutata) Cerintho Hæresiarchæ, quemadmodum referunt, Cajus in disputatione adversus Proclum Cataphrygarum patronum, & Dionysius Alexandrinus libro secundo De promissionibus. Hos enim omnes eadem ætas vidit: de auctore solum controversia est. Hunc esse Johannem Apostolum affirmate tradit Justinus, his temporibus non multo inferior, quibus in literas relata est Apocalypsis. Affirmat hoc ipsum Irenæus, qui & recens fuisse sua ætate hoc opus testatur, & sua pene memoria, sub finem nempe imperii Domitiani, visa esse Johanni, quæ in Apocalypsi memorantur. Addit Hieronymus eam interpretatos esse Justinum, & Irenæum; quorum neutrum apud Eusebium reperias, ex quo opus De scriptoribus Ecclesiasticis, in quo hæc habentur, Hieronymus consarcinavit: nam ubi Eusebius recenset opera Justini, ait Johanni Apostolo Apocalypsim manifeste

& Apocalypseos.

Epiphan. in Alog.

Justin. Dialog. cum Tryphon.

Iren. L. IV. c. 37. & 50. & L. V. c. 30. & apud Euseb. Hist. L. V. cap. 8.

Euseb. Hist. L. IV. c. 18.

Digitized by Google

nisesse tribuere Justinum in libris adversus Tryphonem, interpretatum fuisse non ait. Nisi forte pro eo quod extat in Eusebio; μεμνηται δὲ καὶ τῆς Ἰωάννου ἀποκαλύψεως, σαφῶς τὸ ἀποστόλου αὐτὴν εἶναι λέγων. *Meminit & Apocalypseos Johannis, Apostolum manifeste adscribens*; legerit Hieronymus: ἑρμηνευτὴς δὲ καὶ τῆς Ἰωάννου ἀποκαλύψεως. In ejusdem vero Chronico, ad annum decimum quartum Domitiani, hæc legas: δωμετιανὸς κατὰ νέρωνα δεύτερος χριστιανοὺς ἐδίωξεν ἐπὶ ἐυτῷ δὲ καὶ ὁ ἀπόστολος Ἰωάννης εἰς πάτμον ἐξορίζεται, ἔνθα τὴν ἀποκάλυψιν ἑώρακεν, ὡς ὁηλοῖ εἰρηναῖος. *Domitianus alter a Nerone Christianos persecutus est. Sub eo Johannes Apostolus in Patmon relegatur, ubi Apocalypsin vidit, quemadmodum declarat Irenæus.* Ubi legisse videtur Hieronymus: ἣν ὁηλοῖ εἰρηναῖος. Vertit enim: *quam Irenæus interpretatur.* Sed hæc obiter. De Apocalypseos conditore idem ac Justino, & Irenæo, persuasum fuit Tertulliano Clementi Alexandrino, Apollonio adversus Cataphrygas, Origeni, & plurimis demum, ac omnibus propemodum aliis. Et in hoc certe opere, præter stilum, licet observare plurima, quæ Johannis Evangelistæ ingenium sapiunt.

Tertull. adv. Marc. L. III. c. 14. & L. IV. c. 5. Clemens Alex. apud Euf. Hist. L. III. c. 23. Apollon. apud Euf. Hist. L. V. cap. 18. Orig. in Matth. & in Joh. & ap. Euf. Hist. L. IV. cap. 25.

Tum Epistolarum Pauli.

X. Pauli Epistolæ jam inde ab ipsis Ecclesiæ primordiis inter Christianos summo consensu receptæ sunt. Eas quidem repudiabat Ebion ille Hereticus, Apostolorum ætate conjunctus; & deinde Severus Encratitarum hæreseos assertor; ac postmodum Elcesaitæ, ab Elxæo orti, quem vixisse Trajani temporibus docet Epiphanius. Sed & ipsi ab Ecclesia Dei repudiati sunt. Hinc tamen Epistolarum ætatem, colligas. Honorificam præterea earum mentionem facit Petrus in posteriore Epistola. Clemens ille, qui cum Petro & Paulo se conversatum fuisse non obscure indicat, in priore sua ad Corinthios Epistola, ex Pauli Epistolis depromtas locutiones usurpat. Ex utraque ad Timotheum testimonia depromit Judas in sua. Priorem ad Corinthios, & illas quæ ad Galatas & Philippenses scriptæ sunt, in testimonium adducit Polycarpus Johannis Apostoli auditor; & nonnulla ex illis, aliisve Athenagoras. Ex eadem ad Philippenses arcessit quippiam Barnabas in Epistola Catholica. Probabat omnes Tatianus, Athenagora non multo recentior, exceptis iis quæ sunt ad Timotheum. Tuebantur eamdem opinionem Encratitæ a Tatiano subornati. Et Marcion deinde, ac Basilides, in alias temere grassati sunt. Tangit illos obiter Clemens Alexandrinus, qui & Pauli auctoritate disputationes suas sæpenumero prætexit; quod & luculentius deinde a Tertulliano, aliisque recentioribus factum est.

2. Pet. III. 15. 16.

Jud. 17.

Clem. Alex. Strom. 2.

XI. De una ad Ebræos Epistola non levis habita est inter Veteres disceptatio, cum Paulo eam adjudicarent nonnulli, Lucæ vero tribuerent alii, alii Barnabæ, quidam Clementi. Eos quippe non moror, qui Tertulliano affinxerunt; si quorum tamen adeo insignis esse potuit oscitantia & supinitas, cum Tertullianus ipse meminerit Epistolæ hujus, eamque Barnabæ vindicaverit; cumque eam respuerint Tertulliano vetustiores Tatianus, Marcion, & Cajus in Dialogo adversus Prochum. Ex eorum igitur ætate, quorum esse fertur, non minus antiquam eam esse deprehendas, ac vulgo creditur. Pauli quippe æquales fuerunt Lucas, Barnabas, & Clemens. Longe vero certiorem temporis, quo scripta est, notam reperire licet in ipsis Epistolæ verbis, ex capite secundo; quibus salutaria documenta a Christo primum tradita, se demum ab iis qui audierunt accepisse ait. Ipse certe Clemens multas inde in Epistolam suam ad Corinthios transfert sententias, easque ἐυτολέξει, *ipsis verbis*, ut illam ex Ebræo in Græcam linguam convertisse ipsum non immerito existimari posse censuerit Eusebius. Contra vero Clemens Alexandrinus in libris ὑποτυπώσεων, eundem orationis colorem in Actis Apostolorum, atque in hac Epistola reperiri affirmat; quippe illorum auctorem esse Lucam, hujus scriptorem. Et facile agnoscas germanum Epistolæ hujus scriptorem a Clemente Alexandrino, & Eusebio creditum esse Paulum. Quod si tantorum virorum judiciis judicium quoque meum interponere liceat, Græce primum scriptam esse non absurdis argumentis existimaverim. Sed res est alterius disquisitionis: nunc quod agimus. Origines re in utramque partem discussa, non temere eam a majoribus Paulo adscriptam fuisse ait; & quæcunque Ecclesia eam ut Pauli opus suspexerit, laudandam censet; quippe sententias sibi Pauli ipsius videri, dictionem & compositionem esse alterius, qui

ac præsertim Epistolæ ad Ebræos. Tertull. De pudic. c. 20. Hier. De script. Eccles. in Paulo.

Ebr. II. 3.

Euf. Histor. L. III. c. 38.

Origen. L. V. in Joh.

Apostoli

Apostoli dictata exceperit, & in literas retulerit. Hieronymus in Epistola ad Dardanum scribit, non ab Ecclesiis solum Orientis, sed ab omnibus retro Ecclesiis, ut germanum Pauli fœtum fuisse admissam; quæ quamvis a Latinis in Canonem sua ætate nondum relata esset, se tamen veterum Scriptorum auctoritatem sequi, neglecta temporis sui consuetudine. In Epistola quoque ad Evagrium, recipi eam ait ab omnibus Græcis & a nonnullis Latinorum. Propterea vero ab his in Ecclesia legi solitam non fuisse tradit Philastrius, quod ab Hereticis depravata, & additamentis quibusdam fuisset inquinata. Utut est, satis apparet vetustas Epistolæ, eo tempore neutiquam inferior, quo scripta esse fertur: & quamvis incerti eam auctoris esse concederemus, vel Pauli nimirum, vel Barnabæ, vel Lucæ, vel Clementis; cum incertum quoque olim fuisse ostenderimus, a quo illorum esset profecta, sequitur ejus esse auctoris cui vulgo adscribitur, incerti nimirum, sed unius tamen ex illis quatuor; ac proinde genuinam esse juxta primam Definitionem. Nos tamen eam, quæ Paulo Apostolo Epistolam hanc adscribit, amplectimur sententiam; non solum quod plurimorum sese ac graviorum scriptorum auctoritate tueatur, sed etiam quod Ecclesiæ Catholicæ decreto fuerit roborata: & quod Timothei meminerit, fratremque ut in aliis Epistolis appellet.

Philastr. Hæres. 88.

Ebr. XIII. 23.

XII. Sequitur Epistola Jacobi. Hæc in eorum Scripturæ sacræ librorum censum conjicitur ab Eusebio, qui dubiæ erant auctoritatis, & admittebantur a nonnullis, ab aliis repudiabantur; nec multos ex Antiquis ejus meminisse ait. Saltem igitur aliqui ex antiquis meminerunt. Inter Epistolas Canonicas recensuisse illam Clementem Alexandrinum in libris ὑποτυπώσεων, testis est idem Eusebius. Ejus verba usurpat non semel Tertullianus. Ipsius quoque patrocinium sibi Cyprianus asciscit. Asciscit & Origenes Eusebio antiquior; idemque novi Testamenti Scriptores enumerans, Jacobum haud quaquam prætermittit, uti nec Athanasius in Synopsi, nec Gregorius Nazianzenus in Carmine de libris Canonicis. Eamdem Epistolam, licet initio controversam, procedente tempore auctoritatem obtinuisse Hieronymus asseverat. Cum ergo longe vetustiorem hanc esse appareat Clemente Alexandrino, & Tertulliano; incidit profecto ejus ætas in Apostolorum tempora. Cum vero citra ullam hæsitationem Jacobo hanc tribuat Origines, jamdju inoleviſſe opinionem istam necesse est. Atque id quidem sufficit ad sanciendam fidem Epistolæ hujus, de qua non præcipua nobis est cum Christi adversariis velitatio.

dejndeEpistola Jacobi Euseb. L. II. Hist. c. 23. L. II. c. 25. & L. VI. c. 14. Tert. adv. Jud. c. 2. & L. de orat. cap. 8. Cypr. adv. Novat. Orig. Hom. XIII. in Gen. & Hom. VII. in Jos. Hieron. de script. Eccl. in Jacob.

XIII. Huic succedunt ambæ Petri Epistolæ, quarum prior est extra controversiam inter Christianos: ταύτῃ οἱ πάλαι πρεσβύτεροι, ὡς ἀναμφιλέκτῳ, ἐν τοῖς σφῶν αὐτῶν κατακεχρήνται συγγράμμασι. *Hac prisci Presbyteri, ut auctoritatis neutiquam controversæ, in suis scriptionibus usi sunt:* inquit Eusebius. Scribit idem alibi testimonia ex ea petiviſſe Polycarpum, ab Apostolis ipsis Christiana doctrina imbutum, multisque qui Christum Dominum viderant familiariter usum, & Papiam Johannis discipulum, atque iis ætate proximum Irenæum, & alios veteres Christiani dogmatis assertores. Factum idem sæpe videmus ab Origene, qui & Petrum ipsius auctorem esse non semel prædicat. Major inest Secundæ concertatio, quam inter dubias collocari ab aliquibus, & Petro abjudicari scribunt Origenes, Eusebius, & Hieronymus, propter stili cum priore discrepantiam. At aliter se de ipsa sentire declarant iidem, & Petro indubitanter adscribunt. Et merito quidem: quippe cum in monte sancto se Christo adfuisse dicat Auctor, & Paulum charissimum suum fratrem appellet, seque jam priorem Epistolam scripsisse significet. Sed & nonnulla ex ea transtulit Judas in suam, palamque testimonio illius usus est. Hanc itaque in sacrorum Librorum serie inter Catholicas Epistolas posuit Clemens Alexandrinus in libris ὑποτυπώσεων, & Athanasii postmodum Synopsi, & Gregorii Carmini, in quo sacri percensentur Libri, inseri merita est.

&ambarum Petri.

Euſ. Hiſtor. L. III. c. 3. & 39. L. IV. c. 14. L. V. c. 8.

Orig. Tom. V. in Joh. & Hom. XIII in Geneſ. & Hom. VII. in Joſ. Euſ. Hiſt. L. III. c. 25. Hier. de ſcript. Eccl. in Petro. 2. Petr. I. 17, 18. 2. Petr. IV. 15. 2. Petr. I. 3.

XIV. Idem atque illa persequitur argumentum Epistola Judæ, & utraque insectari videtur Simonem, & Nicolaum, Hæreticos; ipsorumque Discipulos, Apostolorum æquales. Itaque altera alteri præstat opem, & fidem facit. Venit quoque in contentionem illa Judæ, ut testificantur Origenes, Eusebius & Hieronymus, eam tamen consecutam demum fuisse ait auctoritatem, & inter

ac demum Epiſtolæ Judæ.

Digitized by Google

inter ſacras Scripturas numeratam. Idem affirmat Origenes compluribus locis, ejusque verbis ſe defendunt Tertullianus, & Cyprianus; eamdemque Canonicorum librorum Catalogo intexuerunt Clemens Alexandrinus in libris ὑποτυπώσεων, Athanaſius in Synopſi, Gregorius Nazianzenus, aliique porro omnes. Prætera cum ex Veteribus non multos ejus meminiſſe ab Euſebio traditum ſit, hinc colligitur aliquos ſaltem ex antiquis illis ejus meminiſſe. Sed hæc nimis; quoniam non ex harum, ut dixi, Epiſtolarum auctoritate præcipue pendet ea, quam ſuſcipimus, Chriſtianæ doctrinæ defenſio. Cæterum & ex Apoſtolorum Epiſtolis, & Actis, ipſisque Evangeliis non pauca depromta reperias in Dialogo, Luciani operibus inſerto, cui titulus eſt Philopatris.

Orig. Hom. XIII. in Gen. & in Joſ. & in Matth. Euſ. Hiſt. L. II. c. 23. & 24. & L. III. c. 25. Hieron. de Script. in Judas Tert. De hab. mul. c. 3. Cyprian. adv. Nov.

XV. Quid quod ſcriptas ipſis Apoſtolorum manibus literas, in Apoſtolicis quibusdam Eccleſiis ſuo tempore recitari ſolitas fuiſſe teſtificatur Tertullianus in libro De præſcriptionibus? Quippe manu ſua pleraſque ſcripſiſſe ſe Epiſtolas non uno loco prædicat Paulus. Sed & Johannis Evangelium ſancti ipſius Apoſtoli manu ſcriptum Epheſi ad Honorii usque tempora ſervatum fuiſſe proditum eſt a nonnullis. Atque ex fide primigeniorum iſtorum exemplarium, quæ ſervabantur in Eccleſiarum tabulariis, dirimebantur controverſiæ, & hæſitantium dubitatio tollebatur. Clariſſime id colligitur ex genuina Ignatii Epiſtola ad Philippenſes: nam quæ interpolata eſt, nativum loci intellectum pervertit. Queritur Ignatius adeo pertinaciter hærere nonnullos archivorum teſtimonio, ut nihil prorſus admittant, quod in iis non extet: qua religione ac ſcrupulo perimebatur traditio, fideique ipſius meritum tollebatur. Ergo ſubjicit ſanctiſſimus Martyr, Chriſtum, Chriſtique crucem, ſuamque adeo fidem, archivum ſibi eſſe, tabularium, & exemplar, in quo velit acquieſcere. Quid quod exemplaria quædam Novi Teſtamenti, vel aliquarum ejus partium, hac ætate extant, tantæ vetuſtatis, ut proximo Apoſtolorum ævo ſcripta videri queant?

Probatur præterea γνησιότης librorum Novi Teſtamentiex vetuſtate Codicum quorumdam, Refelluntur argumenta adverſariorum.

XVI. At enim probaſſe non ſatis eſt genuinos eſſe libros Novi Teſtamenti: nam nec plures eſſe probandum præterea eſt. Multa quippe olim circumferebantur Evangelia: velut illa fuerunt ſecundum Ægyptios, ſecundum Ebræos, ſecundum duodecim Apoſtolos, ſecundum Petrum, ſecundum Paulum, ſecundum Matthiam, ſecundum Bartholomæum, ſecundum Thomam, ſecundum Andream, ſecundum Philippum, ſecundum Thaddæum, ſecundum Barnabam, ſecundum Nicodemum; & Syriacum Evangelium, & illa Baſilidis, Apellis, & Tatiani. Multa quoque Apoſtolorum nominibus inſcripta legebantur Acta: velut illa Andreæ, & Philippi, & Thomæ, quæ cenſura ſua notavit Gelaſius Papa. Aliæ etiam Pauli uſurpabantur Epiſtolæ, velut illæ ad Laodicenſes, & illæ ad Senecam: aliæ quoque Apocalypſes; quales illæ Pauli, & Thomæ, & Stephani, & Petri: aliæque ſcriptiones apocryphæ complures, quarum nonnullæ jam inde a primævis Eccleſiæ temporibus ortæ Lucam perpulerunt, ut Evangelii ſui veritatem falſis & tenebricoſis ſcriptionibus opponeret, quemadmodum ipſo ſacri operis initio profitetur. Jam tum enim præſagiebat futurum, id quod comprobavit eventus, ut ex his radicibus hæreſeon fructus ſuccreſcerent. Verum quæ ratio genuinorum Evangeliorum aſſerit auctoritatem, petita ex ſuffragiis proxime & continuata ſerie ſequentium ætatum, eadem apocryphorum auctoritatem elevat ac diluit; utpote quorum falſitatem deprehenderint & prodiderint ſuccedentia tempora, nec conſtantem illis ac perpetuum conſenſum præbuerint. Hoc enim inter apocryphos iſtos fœtus, & eos intereſt qui ἀντιλεγόμενοι, *Controverſi*, dicebantur, & interceſſioni nonnullorum erant obnoxii; velut Epiſtola ad Ebræos, aut Apocalypſis, quod his robur & auctoritatem addiderit poſterior ætas, illis detraxerit. Tanta præterea inerat illis doctrinæ, ſententiarum, ac verborum a genuinis diſcrepantia, quemadmodum ab Euſebio proditum eſt: ut ſi horum ſatis comprobata a nobis eſt γνησιότης, uti certe eſt, conficta illa eſſe & ſuppoſita omnino neceſſe ſit. Hoc argumento Pauli & Theclæ περιόδων, *peregrinationum* vanitatem arguit Hieronymus, quod iis continerentur narrationes quædam, quarum nulla extaret in Actis Apoſtolorum mentio.

Gelaſ. Dec. part. I. diſt. 15.

Euſ. Hiſtor. L. III. c. 25.

Hier. De ſcript. Eccl. in Lucas.

Primum argumentum.

XVII. Objici quoque poſſunt teſtimonia nonnulla, non ex Veteri ſolum, ſed ex Novo etiam

Secundum argumentum.

Digitized by Google

etiam Teſtamento à Patribus deprompta, quæ nusquam in iis reperias: quale illud eſt apud Patres Chriſto tributum: δόκιμοι τραπεζίται γίνεσθε. *Eſtote probi nummularii:* & qualia multa proferre poſſemus, quorum in ſacris libris neque veſtigium apparet, neque vola. Item alia quædam, aliter à Patribus relata, ac in Evangeliis ſcripta leguntur; cujusmodi illud eſt in Clementis Epiſtola ſecunda uſurpatum: εἰ τὸ μικρὸν οὐκ ἐτηρήσατε, τὸ μέγα τίς ὑμῖν δώσει; λέγω γὰρ ὑμῖν, ὅτι ὁ πιστὸς ἐν ἐλαχίστῳ, καὶ ἐν πολλῷ πιστός ἐστιν. *Si exiguum non ſervaſtis, quis magnum vobis dabit? Dico enim vobis, qui fidelis eſt in minimo, & in multo fore fidelem:* quæ alio modo apud Lucam concepta ſunt. Quod ſi hæc luxata dicamus, vel ex Exangeliis extrita, quænam Evangeliis demum conſtabit fides, librariorum vel Criticorum temeritatem paſſis, itidem ut aliis vulgaribus ſcriptis contingit? ſi ex apocryphis Evangeliis petita, parem apocryphis tributam à Patribus illis fidem fatendum erit, quæ Canonicis tributa eſt. Certe ſi quis nonnulla è ſacris Voluminibus, ipſisque adeo Evangeliis excidiſſe neget, palam eum revincet diſcrepantia codicum, & collectiones variantium lectionum jampridem inolitarum, quemadmodum ipſi fatebantur Origenes, Ambroſius & Hieronymus. Quæ ſane lectionum varietas nulla eſſet, ſi par usque quaque fuiſſet vocularum omnium coagmentatio, & contextus integritas. Cæterum vel ex iis collectionibus ſatis apparet, quam leves eæ ſint diſcrepantiæ: quamque exigua & nullius ad ſanciendam Chriſti fidem momenti, quæcunque diuturnitate temporis eraſa ſunt. Nam ſi aliqua in Libris ſacris olim habita eſſent propugnandis Chriſtianæ fidei dogmatis utilia, ea procul dubio libris ſuis inſeruiſſent vetuſti Eccleſiæ Patres, à quibus reliqua cauſæ ſuæ opportuna tam ſtudioſe collecta ſunt, antequam vitium ullum paſſos eſſe Codices ſanctos, vel dici, vel credi poſſit. Nullum autem ejusmodi teſtimonium in Patrum ſcriptis reperire licet, quod non alii quoque magno uſurpent conſenſu, & Codices ſacri præ ſe ferant. Atque ea ſane Patrum, tum vetuſtiorum tum recentiorum in repetendis Nov. Teſt. verbis conſenſio, validiſſimum eſt & certiſſimum probandæ illius integritati & ſinceritati argumentum, ab Auguſtino uſurpatum. Quas autem ſententias indidem Patres alio verborum ordine depromunt ac concepta ſunt, minime vero id probat luxatas eas eſſe ac diſtortas in Libris ſacris, ſed à Patribus orationi ſuæ accommodatas. Tritior quippe hæc eſt apud illos teſtimoniorum è Scriptura ſancta depromendorum ratio, cum uſurpantur ipſæ duntaxat ſententiæ, negliguntur verba, quam cum utraque recitantur. Sic ipſi Novi Teſtamenti Scriptores è Veteri teſtimonia proferre ſolent.

Origen. Hom. in Matth. Ambroſ. in Rom. VI. Hieron. in Gal. V. & Præf. in Pent. & Præf. in 4. Evangel.

Auguſt. de utilitate credendi cap. 3.

XVIII. Denique ad id quod objici poteſt, plerosque Novi Teſtamenti libros fuiſſe ab Hæreticis aliquibus repudiatos, ideoque non conſtantem fuiſſe omnium in admittendis iis conſenſum, ac proinde genuinos haberi non poſſe; expedita eſt ac proclivis reſponſio, hoc ipſo in approbandis iis Eccleſiæ conſenſum apparere, quod quicunq; illorum labefactare tentarunt fidem, ab Eccleſia exterminati ſunt. Nempe quem quisque N. T. librum veſaniæ ſuæ putabat adverſari, hunc ſcil. calculo ſuo damnabat. Hinc Manichæi quasdam N. T. partes cauſæ ſuæ opportunas recipiebant, reliqua aſpernabantur, quorum audaciam hac ætate imitati ſunt Anabaptiſtæ. Hinc Evangelium ſecundum Ebræos probabant Ebionitæ, reliqua parvi pendebant. Hinc ſelecta quædam excipiebant ex Lucæ Evang. Marcioniſtæ, aliique ipſorum gregales; Cerinthus vero, & Carpocrates totum penitus repudiabant. Nempe ſic unusquisque cauſæ ſuæ ſerviebat. Evangelium Johannis ſpreverunt Alogi, quod Dei λόγου, quem prædicaverat Johannes, non agnoſcerent. Similes ob cauſas Acta Apoſtolorum non admittebant Severiani; Pauli quoque Epiſtolas abjiciebant iidem, & Elceſaitæ. Unus illis error, ſed variis partibus illudebat. Cum doctrinam ſuam ex libris ſacris debuiſſent temperare, Libros contra ſacros ad doctrinam ſuam accommodabant. Media incedit Chriſti Eccleſia, & quem ab initio tramitem tenuit, huic conſtanter inſiſtere perſeverat. Patet ergo luculenter ex ſuperioribus genuinos eſſe libros Novi Teſtamenti. Quod erat probandum.

Tertium Argumentum.

PROPOSITIO II.

Coætanei ſunt libri Novi Teſtamenti.

EX ſuperioris Propoſitionis veritate pendet hujus probatio. Nam cum genuinos eſſe libros Novi Teſtamenti demonſtravimus, ſequitur ſcriptos eſſe eo circiter tempore quo feruntur eſſe ſcripti, juxta primam Definitio-

Probatur ſecunda Propoſitio.

Digitized by Google

finitionem. Atqui feruntur esse scripti iis circiter temporibus, quibus res in iis scriptæ contigerunt, nempe non longe post obitum Christi, in ipsis Ecclesiæ primordiis cum jam cœlesti gratia roborati Apostoli, novæ Legis mysterium Judæis primum, deinde orbi universo promulgarent. Coætanei sunt autem libri, qui iis circiter temporibus sunt scripti, quibus res in iis scriptæ contigerunt, uti Definitione secunda tradidimus: unde sequitur coætaneos esse libros Novi Testamenti. Quod erat probandum.

PROPOSITIO III.

Historiæ in Novo Testamento scriptæ, veraces sunt.

I. *Probatur ex consensu Scriptorum Novi Testamenti, & suffragiis exterorum, veraces esse historias,* II. *de Johanne Baptista, Jacobo fratre Jesu, Jesu ipso, & aliis in Novo Testamento commemoratis;* III. *iterum de Jesu;* IV. *tum de ejus patria & parentibus;* V. *de nova stella Magis visa, & infantibus ab Herode occisis;* VI. *de virtutibus Jesu,* VII. *ejusque morte;* VIII. *de Solis defectione, & terræ motu, quæ moriente Jesu contigerunt.* IX. *Refelluntur nonnulli, qui hanc Eclipsin, & hunc terræ motum esse negant ea, quæ à Phlegonte notata sunt.* X. *De morte Jacobi fratris Domini.* XI. *Expenditur memorabile Josephi testimonium de Christo Jesu, & defenditur.* XII. *Refelluntur argumenta adversariorum. Primum argumentum.* XIII. *Secundum argumentum.* XIV. *Tertium argumentum.* XV. *Quartum argumentum.* XVI. *Quintum argumentum.* XVII. *Sextum argumentum.* XVIII. *Seorsim refellitur Tanaquilli Fabri dissertatio super hoc Josephi Testimonio de Christo Jesu.* XIX. *De editis à Discipulis Christi prodigiis.* XX. *De virtutibus Christianorum.* XXI. *De Christianæ Religionis incrementis, & Christianorum martyriis.* XXII. *Christo Jesu divini honores tributi ab aliquibus Romanorum Imperatoribus.* XXIII. *Defenditur adversus Casaubonum Lampridii testimonium de Templis Jesu Christo ab Hadriano extructis.* πρόβλημα I. *Jesus est Messias.*

Probatur ex consensu scriptorum Novi

VErax ea est historia, quemadmodum scisit Axioma secundum, quæ res gestas ita narrat, uti narrantur in multis libris coætaneis, vel ætati proximis, qua res gestæ sunt. Scriptæ autem in Novo Testamento historiæ sunt ejusmodi. Facilis est assumtionis hujus probatio. Cum enim coætaneos esse constet Novi Testamenti scriptores; & singulæ illius historiæ, paucis quibusdam exceptis, non ab uno aliquo ex illis sed ab omnibus uno consensu traditæ sint; puta quæ Matthæus de Christi Jesu morte, à Marco eadem, & à Luca, & à Johanne, & à Paulo scripta sint, qui Matthæi æquales fuerunt; plane fatendum est scriptas in Novo Testamento historias, ita narrare res gestas, uti narrantur in multis libris coætaneis. Verum ad pleniorem Propositionis hujus assertionem, Ethnicorum etiam, qui ætatis hujus proximi fuerunt aliorumque qui dissenserunt à Christianis, testimonio pugnabimus. Minime vero ad id necesse est singula Jesu, Apostolorumve Acta repetere, vel alio etiam pertinentes N. T. historias persequi, quod ab Eusebio factum est: nos illustriora tantum Christi, Christianorumve gesta ac casus hac tractatione complectemur, utpote quorum præcipue controversa est fides, & ex quorum confirmatione reliquorum probatio consequitur.

Testamenti; & suffragiis exterorum, veraces esse historias,

II. Ac primum Johannem cognomento Baptistam Judæos ad virtutem & pietatem adhortationibus excitasse, atque lavacrum dimittendis peccatis adhibuisse, multos ad se allexisse, & ab Herode demum cæsum fuisse, testis est Josephus uterque, Matthiades, & Gorionides. Meminit ille quoque Jacobi fratris Christi Jesu, Christique adeo ipsius, ut mox demonstrabo fusius; meminit Quirini, Pontii Pilati, Festi, & Felicis; meminit Caiphæ; meminit Johannis, & Alexandri, quorum nomina capiti Actorum quarto Lucas inseruit; meminit Herodis, Herodiadis, & Agrippæ, in iisque commemorandis Novo Testamento consentit.

de Johanne Baptista, Jacobo fratre Jesu, Jesu ipso, & aliis in Novo Testamento commemoratis;

III. Iisdem temporibus vixisse in Judæa virum quemdam, nomine Jesum, nemo, opinor, tam obductæ frontis est, qui infitiari ausit, neque tot retro sæculis extitit quisquam qui negaret. Si quis fecerit tamen, os ei occludet Josephus; tum Ethnici insignes, Suetonius, Tacitus, Plinius Junior, Porphyrius, Phlegon Trallianus, Celsus, Numenius, Lucianus; item Trajanus, Antoninus Pius, & Marcus Philosophus, aliique sexcenti.

iterum de Jesu,

Joseph. Antiq. L. XX. c. 8. Sueton. in Claud. c. 25.

IV. Oppidulo terræ Judææ ortum fuisse

tum de ejus

Digitized by Google

patria & parentibus; Celſ. apud Origen. contr. Celſ. L. I.

Jeſum, paupercula puella, fabri materiarii uxore, victum opera ſua quæritante natum, in Ægyptum profugiſſe agnoſcit Celſus Chriſtiani nominis hoſtis infenſiſſimus. Bethlehemi natum probant Tabulæ Cenſuales Romanorum, ad quas provocabat Juſtinus in Apologia ſecunda, & Tertullianus ſæpe adverſus Marcionem, & Chryſoſtomus. Profeſſio illa, quam in Auguſti cenſu ediderunt Joſephus & Maria Jeſu mater, ac Jeſus ipſe infans, in tabulas diligenter relata eſt, tabulæ ipſæ aſſervatæ ſunt in tabulariis, neque earum fidem tam confidenter appellaſſent vetuſti illi Chriſtianæ doctrinæ defenſores, niſi perfectam eam probe & exploratam habuiſſent. Quo validiſſimum ſane veritatis argumentum continetur. Præterea ſpelunca, in qua Jeſum filium peperit Maria, ab ipſis Chriſtianæ Religionis adverſariis ſequenti ævo Bethlehemi oſtendebatur, & in ea fuiſſe Jeſu Chriſtianorum doctoris ac Magiſtri cunabula prædicabant. Teſtis Origenes in libris contra Celſum: teſtis & Euſebius, qui ſua ætate idem fieri ſolitum narrat ab incolis loci, fama ipſis à majoribus tradita. Itaque locum hunc templo Helena mater, donariis Conſtantinus filius decorarunt. Atque hinc etiam ad ſedem in eo figendam, ejusque ſanctitatem per Epiſtolas celebrandam invitatus eſt Hieronymus. Nec illic Jeſum id lucem editum negant Judæi: imo id ultro agnoſcit R. David Ganz in germine Davidis.

Euſeb. Dem. L. VII. c. 2.

de nova ſtella Magis viſa, & de infantibus ab Herode occiſis;

V. Novum ſidus poſt Chriſtum natum apparuiſſe, ad eumque Magos veniſſe; non diffitetur Julianus, ſed ad cauſas naturales ſtellæ ortum accommodare ſtudet. Atrocem Herodis adverſus infantes, ſuumque adeo filium ſævitiam memorabili dicto Auguſtus proſecutus eſt, *Præſtare Herodis porcum eſſe, quam filium.* Auctor Macrobius in Saturnalibus, cujus verba ſuo loco accuratius expendemus.

Macrob. Saturn. L. II. c. 4.

de virtutibus Jeſu, Thalm. Part. IV. L. 6. Abod. Elilim c. 1. Celſ. apud Origen. contr. Celſ. I. II. Julian. apud Cyrill. L. VI. contr. Julian.

VI. Prophetam fuiſſe Jeſum, futuraque ab eo cognita & prædicta tradidit in Chronicis Phlegon, Hadriani Imperatoris libertus. Edita ab ipſo prodigia confeſſi ſunt Ebræi proceres, Thalmudici conditores operis; nec teterrimi Chriſti adverſarii inficiati ſunt, Celſus, & Julianus; quorum ille, cum rem negare non poſſet, falſam rei cauſam commentus eſt, incantamenta ſcilicet & præſtigias; hic rem non negat, ſed verbis elevare ſtudet. Profligatam à Jeſu, & coërcitam vim Dæmonum queritur Porphyrius; ubi non mirum eſſe ait peſte urbes vaſtari, unde Æſculapius, aliisque Dii excellerint; quippe poſt admiſſum Jeſu cultum nihil Deos hominibus vulgo prodeſſe.

ejusque morte.

VII. Mortem vero Chriſti quod attinet, tot eam monumentis, tam claris & inſignibus conſignatam reperies; nihil ut certius & manifeſtius memoria vetus tradiderit. Commemorabilis in eam rem Taciti teſtificatio, qua cum à Nerone Chriſtianos exquiſitos affectos ſupplicis dixiſſet, hæc addit: *Auctor nominis ejus Chriſtus, qui Tiberio imperitante per Procuratorem Pontium Pilatum ſupplicio affectus erat.* Hinc Chriſtus ἀνεσκολοπισμένος *palo affixus*, à Græcis appellatur: à Judæis vero uſitato nomine, תלוי *Suſpenſus*; & Chriſtiani, עובדי תלוי, *Cultores Suſpenſi.* Et in Thalmudico libro Sanhedrin legitur פצח תלאוהו לישו בערב *In veſpera Paſchatis ſuſpenderunt Jeſum.* Chriſtum quoque Judæi appellare ſolent שתי וערב קרוע *Laceratum in ſtamine & ſubtemine*; hoc eſt, in cruce: quod ut ſubtemen in ſtamen, ſic palus transverſarius in arrectarium imponitur.

Tac. Ann. L. XV.

de Solis defectione, & terræ motu, quæ moriente Jeſu contigerunt.

VIII. Mirabilis illa Solis defectio, & ingens terræ motus, quæ moriente Chriſto contigerunt, itidem narrantur à Phlegonte illo ſupra laudato, libro Olympicorum Chronicorum decimo tertio: τῷ δ' ἔτει τῆς σβ' ὀλυμπιάδος ἐγένετο ἔκλειψις ἡλίου, μεγίστη τῶν ἐγνωρισμένων πρότερον, καὶ νὺξ ὥρας ς' τῆς ἡμέρας ἐγένετο, ὥστε καὶ ἀστέρας ἐν οὐρανῷ φανῆναι· σεισμός τε μέγας κατὰ βιθυνίαν γενόμενος τὰ πολλὰ νικαίας κατεπέσατο. Quæ ſic vertit Hieronymus: *Quarto autem anno CCII. Olympiadis* (is eſt ſcilicet Tiberii decimus octavus, qui annus Chriſto mortalis fuit) *magna & excellens inter omnes, quæ ante eam acciderant, defectio Solis facta. Dies hora ſexta ita in tenebroſam noctem verſus, ut ſtellæ in cœlo viſæ ſint, terræque motus in Bithynia Nicææ urbis multas ædes ſubverterit.* Atque hæc ipſa in aliis Ethnicorum commentariis reperiri teſtatur in Chronicis Euſebius; teſtantur & alii. Quos inter præcipua eſt Thalli auctoritas, quem libro Hiſtoriarum ſuarum tertio eamdem Eclipſin memoraſſe prodidit inſignis temporum metator Africanus. Eamdem autem notari & in Evangeliſtis, & in Phlegonte hiſtoriam; tria oſtendunt potiſſimum; quod in eumdem

Digitized by Google

dem annum utramque incidat, annum nempe Tiberii decimum octavum; quod eadem diei hora contigerit utraque, sexta nimirum; & quod ingens terræ motus utriusque admirabilitatem vehementer auxerit. Merito itaque Christianorum causam apud Ethnicos agens in Apologetico Tertullianus, miraculi hujus testes citat tabularia ipsorum & publica Tertul. Apoc. c. 21. instrumenta; sive quæ à Rectoribus Provinciarum, sive quæ ex instituto Cæsaris Romæ conficiebantur, in quæ diurna referebantur Acta Populi & Senatus. *Eodem momento*, inquit, *dies medium orbem signante Sole subducta est; deliquium putaverunt qui id quoque super Christo prædicatum non scierunt, & tamen eum mundi casum relatum in Archivis vestris habetis.* Archiva eadem Nicomediæ coram Præside citavit quoque Lucianus Antiochenus martyr, cum diceret: *Consulite annales vestros, invenietis Pilati temporibus, dum pateretur Christus, media die fugatum Solem, & interruptum diem.* Accuratissima vero & attentissima observatione dignum est, quod habet nupera Sinensis Historia Hadriani Gressonii, adnotasse Sinas in rerum suarum monumentis, ad id tempus, in quod annum ætatis Christi tricesimum secundum nos Christiani conferimus, circa mensem Aprilem, solare deliquium præter ordinem naturæ, & leges curriculis Astrorum præfixas contigisse: qua rei novitate Quamvutium Imperatorem vehementer fuisse commotum.

Keppl. in Eclog. Refelluntur nonnulli, qui hanc Eclipsin, & hunc terræ motum esse negant ea, quæ à Phlegonte notata sunt. Voss. Harmon. Evang. L. II. c. 10. Origen. in Matth.

IX. Factum itaque est imprudenter à Keplero, viro alioqui candido, & Astronomicæ artis peritissimo, & contra ac Christianum hominem decuit, cum memoratam illam à Phlegonte Solis Eclipsin in annum secundum rejecit Olympiadis CCII, diem vero Novembris mensis vicesimum quartum. Nihilo magis ferri potest Gerardi Vossii, optimi itidem viri & eruditissimi ratio, cum aliam à Phlegonte notari vult Eclipsin, quam quæ in Evangeliis descripta est. Cujus opinionis has causas affert. Phlegon, inquit, hanc Eclipsin pro naturali habuit. Unde id collegerit, non addit. At deceptum eum, perinde ut alios eximiæ eruditionis viros, verisimile est vocabulo Eclipsis, quo naturalem duntaxat sideris defectum significare rati sunt. Id quantum à vera ratione repulsum sit, mox ostendero. Scripsit quidem Origenes non adnotasse Phlegontem plenilunio casum contigisse. At neque interlunio factum id adnotavit. Quare rem in medio reliquit. At longe aliter verba Phlegontis interpretatus est Africanus; φλέγων, inquit, ἱστορεῖ ἐπὶ τιβερίου καίσαρος ἐν πανσελήνῳ ἔκλειψιν ἡλίου γεγονέναι; *Narrat Phlegon imperante Tiberio Cæsare Solis Eclipsin plenilunio contigisse.* Hæc extant in Chronographia Georgii Syncelli. Philoponus quoque, libro secundo De mundi creatione, Phlegontis testimonium longe aliis conceptum verbis repræsentat ac Eusebius. τούτου τοῦ σκότους, inquit, μᾶλλον δὲ τῆς νυκτὸς ταύτης καὶ φλέγων ἐν ταῖς ὀλυμπιάσιν ἐμνήσθη· λέγει ὅτι γὰρ δευτέρῳ (lege τετάρτῳ, ut legit ipse Philoponus pagina sequente) ἔτει τῆς διακοσιοστῆς δευτέρας ὀλυμπιάδος, ἐγένετο ἡλίου ἔκλειψις οὐκ ἐγνωσμένων πρότερον. *Harum tenebrarum, vel hujus potius noctis meminit & Phlegon in Olympiadibus. Ait enim anno quarto ducentesimæ secundæ Olympiadis, contigisse Eclipsin Solis, cujusmodi nulla ante cognita est.* Quæ ne quis apud ipsum Philoponum mendosa putet, subjicit: ὅτι δὲ τῆς ἐν τῷ σταυρῷ τοῦ δεσπότου χριστοῦ γενομένης τοῦ ἡλίου ἐκλείψεως, καὶ οὐχ ἑτέρας, ἐμνήσθη καὶ φλέγων, πρῶτον μὲν ἐκ τοῦ λέγειν μὴ ἐγνῶσθαι τὴν τοιαύτην ἔκλειψιν τοῖς πρότερον χρόνοις, ἐστὶ δῆλον. *Meminisse autem Phlegontem ejus Eclipseos, quæ contigit cum Christus Dominus de cruce penderet, & non alterius, liquet primum ex eo quod ait superioribus cognitam non esse Eclipsin hujusmodi.* Quæ si germana Phlegontis lectio est, Eclipsin quidem vocaverit Solis defectum hunc, sed cui Eclipsi nunquam similis contigerit. Recte sane; nam quocunque modo Sol deficiat, ἐκλείπειν dici potest, & omnis defectus, sive ordinarius, sive extraordinarius, est ἔκλειψις. Testem damus Herodotum, qui Solem ait ἐκλελοιπέναι, cum Xerxes trajecit in Græciam: ἐρημεμένου δὲ ὁ ἥλιος ἐκλιπὼν τὴν ἐκ τοῦ οὐρανοῦ ἕδρην ἀφανὴς ἦν, ἐπὶ νέφεων ἐόντων, αἰθρίης τε τὰ μάλιστα, ἐντὸς ἡμέρης τε νὺξ ἐγένετο. *Eo vero movente, Sol suam in cœlo stationem deserens apparere desiit, cum nullæ tum nubes essent, verum aëre valde sudo: & pro die nox facta est.* Atqui ordinaria Eclipsis hæc non fuit, sed prodigialis & portentosa, ut demonstravit Petavius. Portentosa fuit & illa Solis, quæ contigit in excessu Augusti: & tamen dixit Dio: ὁ ἥλιος πᾶς ἐξέλιπε. Et Pseudo-Dionysius Areopagita: τί λέγεις περὶ τῆς ἐν σωτηρίῳ σταυρῷ γεγενούσης ἐκλείψεως; *Quid ais de Eclipsi, quæ in salutari cruce contigit?* De Carneade sic disserit Hesychius illustris:

Herod. L. VII.

Petav. de doctr. temp. l. X. c. 24. Dion. L. LVI.

Digitized by Google

καρνεάδης λίβυς φιλόσοφος τελευτήσαντος, ἡ σελήνη ἐξέλιπε, καὶ ὁ ἥλιος ὅμοιος ἐγένετο. *Carneade Libye Philosopho mortuo, defecit Luna, & Sol obscurus factus est.* Quæ verba Suidas descripsit. Vides Solem & Lunam simul defeciſſe; quo caſu, incertum eſt: non uſitati haud dubie fuerunt hi defectus: & tamen Luna dicitur ἐκλελοιπέναι. Quare valde falluntur Scaliger & Voſſius, qui Phlegontem ſignificaſſe naturalem Eclipſin ex eo colligunt, quod Eclipſeos vocabulo uſus ſit. Fallitur etiam Origenes, qui quod apud Lucam, pro eo quod vulgo legitur, καὶ σκότος ἐγένετο ἐφ' ὅλην τὴν γῆν ἕως ἐνάτης, καὶ ἐσκοτίσθη ἥλιος. *Et tenebræ factæ ſunt in univerſam terram, usque in horam nonam, & obſcuratus eſt Sol;* exemplaria nonnulla habuerint, καὶ σκότος ἐγένετο ἐφ' ὅλην τὴν γῆν, ἕως ὥρας ἐνάτης, ἐκλείποντος ἡλίου. *Et tenebræ factæ ſunt in univerſam terram usque in horam nonam, deficiente Sole;* ſuppoſita hæc opinatur ab hæreticis, ad depravationem ſententiæ, ut reprehenſionibus obnoxia eſſent Evangelia. Utcunque enim ſcripſerit Lucas, eadem exurget ſententia, ab omni reprehenſione tuta. Fallitur & ipſe Africanus, qui Thallum reprehendit, quod hunc defectum Eclipſin appellaverit. Nec audiendus Chryſoſtomus, qui negat patiente Chriſto Solarem Eclipſin contigiſſe. Mala autem fide Phlegontem citat Bodinus in peſtilenti Dialogo, cui titulum fecit, De abditis rerum ſublimium arcanis, in quo Judaicum omne ſuum virus evomuit. Fingit enim Phlegontem Eclipſin hanc in annum quartum Olympiadis CCX. contuliſſe, verſante Sole in Piſcibus; cum anno quarto Olympiadis CCII. adſcripſerit Phlegon, de loco ſolis ſiluerit. Falli denique videtur Tertullianus, cum ait loco proxime indicato: *Deliquium putaverunt, qui id quoque ſuper Chriſto prædicatum non ſcierunt:* deliquium enim vere fuit; at inſolitum, & præter naturam. Sed redeamus ad Voſſium. Terræ motum inquit, in Bithynia fuiſſe narrat Phlegon, at ſilet de terræ motu in Palæſtina: nempe ſingulas regiones motu hoc concuſſas percenſere non inſtituerat; ſed eam notare ſatis habuit, quam vehementer afflictam, ac præ multis perculſam eſſe ſciverat. Si tam miraculoſa, inquit, Eclipſis variis terris fuiſſet conſpecta, non ſolus Phlegon ejus meminiſſet. Vero; & meminit quidem Tallus; meminerunt & Sinenſes: & ut meminiſſet præter Phlegontem nemo, parum infitiali argumento tribuimus. Eadem quoque ratione uſus jam ante fuerat Origenes, cum probare vellet Judæam ſolam has tenebras ſenſiſſe; cujus rationis infirmitas convicta eſt. Poteramus & Dionyſii Areopagitæ teſtimonio pugnare, qui in Epiſtola ad Polycarpum, rem a ſe, & ab Apollophane Sophiſta Heliopoli Ægypti obſervatam narrat: verum quoniam has Dionyſii Epiſtolas, aliasque ejusdem ſcriptiones in controverſiam vocari video, neque ſane immerito, ſi quid judicio valeo, hæc prætermittimus.

Scalig. in Euſeb. Chron. Origen. in Matth. Luc. XXIII. 44. 45.

X. Jacobi interitum, ejus qui fuit frater Chriſti, (ἀδελφόθεον Græci appellant) quemque ſibi viſum fuiſſe tradidit Paulus, in literas retulit Hegeſippus, ſcriptor Apoſtolorum temporibus proximus, in quinto libro Commentariorum, cujus narrationem Hiſtoriæ ſuæ Euſebius intexuit. Caſum eumdem Jacobi, paulo quidem aliter ac Hegeſippus, & Anani Pontificis, a quo letho datus eſt, crudelitatem diſertis & inſignibus verbis commemorat Joſephus, atque id factum bonos omnes deteſtatos eſſe ait, hancque potiſſimum fuiſſe cauſam, cur Deus ejusmodi impietatem ulciſcens teterrima ſtrage Hieroſolymam exſcinderet. Teſtimoniorum Joſephi alterum recitat Origenes in libris contra Celſum: utrumque Euſebius; quorum nunc unum duntaxat apud Joſephum reperire licet. Nos utrumque, quoniam ad rei memoriam illuſtria ſunt, & expreſſam JEſu Chriſti mentionem continent, hic recitabimus: ταῦτα δὲ συμβέβηκεν Ἰουδαίοις κατ' ἐκδίκησιν Ἰακώβου τοῦ δικαίου, ὃς ἦν ἀδελφὸς Ἰησοῦ, τοῦ λεγομένου χριστοῦ. ἐπειδήπερ δικαιότατον αὐτὸν ὄντα οἱ Ἰουδαῖοι ἀπέκτειναν. *Hæc autem contigerunt Judæis, in ultionem Jacobi juſti, fratris JEſu, qui dicitur Chriſtus: quoniam eum, cum juſtiſſimus eſſet, Judæi interfecerunt.* Tum alibi: ὁ δὲ νεώτερος ἄνανος, ὃν τὴν ἀρχιερωσύνην εἴπομεν παραλαβόντα, θρασὺς ἦν τὸν τρόπον, καὶ τολμητὴς διαφερόντως. ἅτε δὴ οὖν τοιοῦτος ὢν ὁ ἄνανος καθίζει συνέδριον κριτῶν. καὶ παραγαγὼν εἰς αὐτὸ τὸν ἀδελφὸν Ἰησοῦ, τοῦ χριστοῦ λεγομένου (Ἰάκωβος ὄνομα αὐτῷ καὶ τινας ἑτέρους, ὡς παρανομησάντων κατηγορίαν ποιησάμενος, παρέδωκε λευσθησομένους· ὅσοι δὲ ἐδόκουν ἐπιεικέστατοι τῶν κατὰ τὴν πόλιν εἶναι, καὶ τὰ περὶ τοὺς νόμους ἀκριβεῖς, βαρέως ἤνεγκαν ἐπὶ τούτῳ.

De morte Iacobi fratris Domini. Gal. I. 19. Euſeb. Hiſt. L. II. cap. 23.

Orig. L. I. & II. contr. Celſ. & in Matth. 13. Euſeb. Hiſt. L. II. c. 23. Joſeph. Antiqu. L. XX. cap. 8.

Junior

Digitized by Google

Junior autem Ananus, quem summum sacerdotium assumsisse diximus, confidens erat animo, & summopere audax. Talis ergo cum esset Ananus, judicium confessum cogit, & coram eo sistens fratrem JEsu, qui dicitur Christus, (Jacobo illi nomen erat) & alios quosdam, compacta illis dica, tanquam violatarum legum, lapidibus necandos tradidit. Quicunque vero ex urbis incolis erant aequiores, & leges accurate servabant, egre id tulerunt. Prior locus e Josephi libris erasus est. Quem quoniam tam aperte & fidenter usurpant Origenes, & Eusebius, cum ille disputaret adversus Ethnicos, uterque vero in media Judæorum colluvie scriberet, & eum praeterea designat Hieronymus, minime credi potest vel confictum ab iis fuisse, vel ab aliis, aut omnino suspectum fuisse & dubium. Simile & illud est, quod Josepho praedicat Hieronymus, & post Hieronymum Freculphus, & Suidas manifestissime eum confiteri decimo octavo Antiquitatum libro, *Johannem Baptistam vere Prophetam fuisse*, quod tamen illic nusquam occurrit. Ait alibi Suidas scripsisse Josephum, ὅτι ἰησοῦς ἐν τῷ ἱερῷ μετὰ τῶν ἱερέων ἱγιαζε *JEsum in templo cum Sacerdotibus victimas adoleviisse:* quæ in ipsius libris hodie non comparent. Quid ergo? falsarios dicemus Origenem, Eusebium, Hieronymum, & alios? minime vero. Longe credibilius est haec e Josephi libris expunxisse priscos illos Judæos; qui cum adversus patres suos tam memorabilem impietatis testificationem a gentili suo, clarissimo scriptore, litteris consignatam pati non possent, hanc dolo malo abolere conati sunt: atque ita majorum suorum caedes ac saevitiam fraudibus suis & nefariis artibus cumularunt. Atque id quidem tanto probabilius est, quanto facilius esse constat e scriptis detrahere quippiam, quam in ea infarcire. Similis fuit in re graviori Judæorum dolus, quos historiam Susannæ ex Ebraicis scripturæ sacræ voluminibus detraxisse queritur Origenes in Epistola ad Africam: cum divinorum oraculorum codices sacrilega manu violare maluerint, quam majorum suorum, virorum scilicet in hac gente spectabilium, impietatem & impudicitiam ingenue confiteri.

Hieron. de script. Eccl. in Josepho, & in Jacobo. Freculph. Tom. II. Chron. L. II. cap. 5. Suidas in Ἰώσηπος. Suidas in Ἰησοῦς.

XI. Id si fit, veri quoque fuerit haud absimile, pari vafritie inductum olim esse ab iis Josephi locum alium, doctorum contentionibus celebrem, in quo Christi JEsu virtus, prodigia, interitus, reditus ad vitam, Prophetarum de eo vaticinia, & Christianorum constans adversus eum pietas, ac fides clarissime praedicantur. Id non abs re fuerit huc referre emendatum ex codicibus Regiis: Γίνεται δὲ κατὰ τοῦτον τὸν χρόνον ἰησοῦς, σοφὸς ἀνὴρ· εἴ γε ἄνδρα αὐτὸν λέγειν χρή· ἦν γὰρ παραδόξων ἔργων ποιητὴς, διδάσκαλος ἀνθρώπων, τῶν ἡδονῇ τ' ἀληθῆ δεχομένων· καὶ πολλοὺς μὲν Ἰουδαίους, πολλοὺς δὲ καὶ τῶν ἑλληνικῶν ἐπηγάγετο· ὁ χριστὸς οὗτος ἦν. καὶ αὐτὸν ἐνδείξει τῶν πρώτων παρ' ἡμῖν ταυρῷ ἐπιτετιμηκότος σταυροῦ, οὐκ ἐπαύσαντο οἱ τὸ πρῶτον ἀγαπήσαντες. ἐφάνη γὰρ αὐτοῖς τρίτην ἔχων ἡμέραν πάλιν ζῶν, τῶν θείων προφητῶν ταῦτά τε καὶ ἄλλα μυρία θαυμάσια περὶ αὐτοῦ εἰρηκότων· εἰσέτι τε νῦν χριστιανῶν ἀπὸ τοῦδε ὠνομασμένων οὐκ ἐκλέλοιπε τὸ φῦλον. *Fuit autem hoc tempore JEsus, vir sapiens: si tamen virum illum oportet dicere. Erat enim mirabilium operum effector, magister hominum qui vera libenter amplectuntur. Et plurimos quidem ex Judæis, plurimos etiam ex Gentibus ad se pertraxit. Hic erat Christus: cumque eum a primoribus gentis suæ accusatum Pilatus ad crucem damnasset, ab eo diligendo non absistuerunt, qui primum cœperant. Nam post tertium diem redivivus ipsis apparuit; cum divini vates haec, aliaque quamplurima admiranda de eo prædixissent. Neque ad hanc diem defecit denominatum ab eo Christianorum genus.* Præclarum enim vero ad Christiani dogmatis confirmationem testimonium, utpote ab homine Judæo, magnique nominis auctore profectum, si non anxia hominum nimis curiosorum & odiosa sedulitas pene illud labefactasset. Collecta sunt aliquot abhinc annis, & in unum libellum compacta, quæcunque ad loci hujus examen recentiores Scriptores disputarunt; aliis adulterinum, & a priscis Christianis pio dolo Historiæ Josephi assutum contendentibus; aliis contra germanum Josephi fœtum esse defendentibus. Me vero quando instituti operis ratio non patitur quæstionem inexploratam prætermittere, meamque in re tot jam controversiis agitata dissimulare sententiam, confidenter pronuntio me iis assentiri non posse, a quibus in dubium vocata est testimonii hujus sinceritas. Cur ita sentiam, facit constans & perpetuus codicum omnium Josephi, sive exaratorum calamo

Expenditur memorabile Josephi testimonium de Christo Jesu, & defenditur. Joseph. Antiq. L. XVIII. c. 4.

calamo, sive typis impressorum, in eo retinendo consensus. Facit & Eusebii auctoritas, qui illud, & in libris Demonstrationis Evangelicæ, & in Ecclesiastica Historia, tanquam legitimum & geminum repræsentavit. Expressit id quoque Latine Hieronymus in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis. Retulit id ipsum in Epistolas suas Isidorus Pelusiota; in Historiis vero suis consecrarunt Hermias Sozomenus, Georgius Cedrenus, & Nicephorus Callisti, & in Lexico suo Suidas, & in Historia sua Theodorus Metochita, & in Excidio urbis Hierosolymitanæ Hegesippus; atque hinc porro continua serie ad nos usque propagatum est: quod ad probandam scriptionis γνησιότητα satis esse docuimus. Suadet idem præterea & ratio: nec enim probabile est Josephum, scriptorem non indiligentem, cum res Judæorum persequeretur, de eo viro tacuisse, qui maximos in ea gente, ac per universum fere orbem excitavit motus, sectam de nomine suo condidit, complures habuit discipulos, & Christi sibi nomen assumsit; quo solo celebrari potuit inter Judæos, apud quos magna erat Christi expectatio, quippe eorum nomina haud quaquam silentio prætermiserunt in suis Historiis, qui titulum hunc sibi arrogarunt. Quis eum putet elogio dignos censuisse Johannem Baptistam, & Jacobum ἀδελφόθεον, indignum vero mentione Christum JEsum existimasse, cujus longe clarius nomen fuit? cum præsertim Jacobum laudans, ut notum hunc faceret, fratrem esse scripserit JEsu, qui Messias dictus est; quem videlicet longe notiorem esse sciebat. Tantum certe abest, ut locum hunc a Josepho profectum mirer, ut potius mirabile mihi videatur, arbitrari potuisse quemquam de JEsu Josephum siluisse; neque quisquam est in Josepho non omnino peregrinus, qui non solitam ejus requireret diligentiam, si testificationem suam tantæ JEsu claritati non commodasset. Consentit ad hæc orationis filum, & dictionis color; talis nimirum, qualis Helleniſtarum esse solet. Locutiones etiam quasdam observare licet Josepho familiares. Has igitur habeo causas, cur germanum esse censeam hunc locum, quæ sunt hujusmodi, ut non certioribus vel certissimum scriptoris cujuscunque testimonium defendi posse putem.

Euſ. Dem. Evang. L. IV. Hiſt. L. I. c. 11. Hieron. De ſcript. Eccl. in Joſepho. Iſidor. Peluſ. L. IV Epiſt. 125. Sozom. L. I. c. 1. Cedren. Hiſtor. Comp. p. 169. Nicephor. Hiſt. L. I. c. 39. Suidas in Ἰώσηπος.

Refellun-

XII. Nunc quid opponant Adversarii videamus. Origenem non uno loco aperte scripsisse ajunt, JEsum a Josepho non fuisse pro Christo agnitum: idem quoque Theodoretum asseverasse: imo vero, vaticinia Prophetarum Messiæ prænuntia Josephum, sive assentatorie, sive ex animi sententia, Vespasiano accommodasse; cum in hoc tamen loco JEsus clarissimis verbis Messias fuisse dicatur: ὁ χριστὸς οὗτος ἦν, *Hic erat Christus.* Unde efficitur, vel hæc in Josephi exemplaribus, quibus usi sunt, non extitisse, vel falsis & suppositiis habuisse. Ego vero respondeo in mutilos & Judæorum manus expertos codices incidere potuisse Originem, & Theodoretum, ut ostendam paulo post; ac proinde insigne hoc Josephi testimonium nunquam vidisse. Fac tamen vidisse; aliter sumere potuerunt & debuerunt verba hæc: ὁ χριστὸς οὗτος ἦν; ac prima fronte videntur esse sumenda: non enim id significatum voluit Josephus, Jesum esse revera Christum hunc, qui ab Israelitis expectabatur, sed vulgata appellatione Christum nominari fuisse solitum; quod alibi conceptis verbis expresserat; Ἰησοῦ τοῦ χριστοῦ λεγομένου, *JEsu, qui Christus dicitur.* Nam ita nuncupandi JEsu mos invaluerat. Sic Matthæus: ἐξ ἧς ἐγεννήθη Ἰησοῦς, ὁ λεγόμενος χριστός *De qua natus est JEsus, qui vocatur Christus.* Sic & hi etiam qui ab illo averſi erant: velut Pilatus cum diceret: *Quem vultis dimittam vobis, Barnabam, an JEsum, qui dicitur Christus?* Et paulo post: *Quid igitur faciam de JEsu, qui dicitur Christus?* Impii quoque Satellites: *Prophetiza nobis, Christe, quis est, qui te percussit.* Et summi Sacerdotes cum Scribis: *Christus Rex Israël, descendat nunc de cruce.* Ethnicis etiam non alio nomine innotuerat, quam Christi. Unde Suetonius in Claudio: *Judæos impulsore Christo assidue tumultuantes Romæ expulit.* Et Tacitus: *Auctor nominis ejus Christus, qui Tiberio imperitante per Procuratorem Pontium Pilatum supplicio affectus erat.* Nec aliter Plinius in Epistola ad Trajanum, & Lampridius in Alexandri Severi vita. Atque inde demum conflata Christianorum appellatio. Audiendus Eusebius, qui in Evangelica Demonstratione sic disserit: διὸν νῦν μᾶλλον ἁπάντων τῶν πώποτε παρ' ἑλλήνοις σωματικώτερον χριστὸν τὸν εἰκαιμένην χριστὸς παρὰ τοῖς πᾶσι ξεβόητου νῦν τῆς ἐξ αὐτοῦ χριστιανῶν προσηγορίας τὴν εὐπάσαν ἔπλησεν οἰκουμένην.

Matth. I. 16.

Matth. XXVII. 17. 22.

Matth. XXVI. 68. Marc. XV. 32.

Sueton. Claud. cap. 25. Tacit. Annal. L. XV. c. 44. Lampr. Alex. c. 29. & 43. Euſ. Dem. Evang. L. V. & Hiſt. L. I. cap. 3.

Tur argumenta Adversariorum. Primum argumentum.

Unde

Digitized by Google

Unde & præ cæteris omnibus, qui unquam apud Ebræos corporali unctione sunt delibuti, solus per omnem terram Christus ab omnibus appellatus est, & nomine Christianorum ex ipso ducto universum orbem complevit. Et in primo Historiæ: τῆς δ' ἐκ ἰουδὸν γενομένης ἀσωμάτου καὶ ἐνθέου δυνάμεως μέγα καὶ ἐναργὲς τεκμήριον τὸ μόνον ἰουδὸν ἐξ ἁπάντων τῶν πώποτε ἀσέτι καὶ νῦν πᾶσι τοῖς ἀνθρώποις καθ' ὅλης τῆς οἰκουμένης χριστὸν ἐπιφημίζεσθαι, ὁμολογεῖσθαί τε καὶ μαρτυρεῖσθαι πρὸς ἁπάντων ἐπὶ τῇ προσηγορίᾳ, παρά τε ἕλλησι καὶ βαρβάροις μνημονεύεσθαι. *Incorporeæ autem & divinæ virtutis, quæ in ipso fuit, magnum & luculentum indicium est, quod solus ipse ex omnibus, qui unquam extiterunt ad hanc diem, nunc quoque ab omnibus hominibus per universum orbem Christus vulgo appellatur, & ab omnibus communi consensu & testificatione hoc celebratur cognomine, & à Græcis ac Barbaris prædicatur.* Itaque cum dixit Josephus, ὁ χριστὸς οὗτος ἦν, suppleri voluit, ὁ λεγόμενος. Similis ἐλλείψεως opportunum nobis exemplum suppeditat λείψανα, hoc est, tabella inscripta αἰτία, seu titulo crucis Christi: nam cum scripsit Pilatus: *JEsus Nazarenus Rex Judæorum*, subaudiri voluit, *a seipso dictus:* quod & adscribi postulabant Judæorum Pontifices. JEsum ergo Josephus perinde Christum esse voluit, ut Pilatus Regem Judæorum. Sic intellexit Hieronymus: nam verba hæc; ὁ χριστὸς οὗτος ἦν, ita reddidit: *Et credebatur esse Christus.* Attendit ad sensum Auctoris, verba insuper habuit. Quæ cum ita sint, minime mirum est dixisse Origenem, & Theodoretum, non eam fuisse probatam a Josepho sententiam, quæ JEsum esse Christum statuit; & Josephum ipsum Prophetarum de venturo Christo prædicta alteri aptasse. Urgebunt adversarii: Si Josepho persuasum non fuit JEsum esse Messiam, planum eum ac deceptorem utique existimare debuit, quippe qui Messiam se esse falso jactarit; nedum eum celebrare laudibus, & Deo proximum facere. Ego vero Josephum periti Historici munere egregie functum esse dico; cujus officium est, res uti gestæ sunt, suis licet partibus adversas, candide referre, uni veritati studere, suum vero ipsius judicium neutiquam interponere. Id præclare a Josepho præstitum est. JEsum mirabilia opera patrasse dixit, hominibus præcepta dedisse, plurimos sectatores habuisse, dictum & habitum esse Christum, a primariis viris accusatum, a Pilato in crucem actum, Discipulis post mortem redivivum apparuisse, in hunc vaticinia Prophetarum convenire, ab eoque Christianorum sectam originem nomenque duxisse. Horum omnium adeo perspecta fuit & contestata veritas, ut sine livoris suspicione a Josepho prætermitti non potuerint. Quid vero sentiret ipse, quid Christiani, quid Judæi, non apposuit. Nam quod ait doctrinam JEsu susceptam esse ab iis qui veritatem amant, non ita intellige, quasi pro veris ipse se habere significet, quæcunque JEsus effatus est. Id vero sibi vult, Discipulos JEsu veritatis studium præ se ferre, atque hanc præ cæteris laudem affectare. Cæterum si quis pertendat in Christianorum partes videri saltem inclinasse Josephum, per me id credere liceat, dummodo certum sit hunc iis verbis sententiam suam consignasse, quibus nullam criminandi sui ansam præbuerit. Quo artificii genere alias callide utendum eum deprehendemus.

Joh. XIX. 19. 21.

XIII. Objiciunt præterea plurimos e priscis Christianæ sectæ propugnatoribus tam valido testimonio causam suam nunquam estotutatos; non Justinum, non Tertullianum, non alios plerosque; non Photium præcipue, qui Josephi summarium & censuram dedit; non Josephum ben Gorion, qui Historias suas Judaicas ad Josephi Matthiæ filii exemplar expresit: quod fecissent utique, si vel cognitus ipsis fuisset iste locus, vel pro legitimo eum habuissent. Nempe causæ fuerunt doli Judæorum, qui ex pluribus eum libris extriverant jam inde a primis post Josephum temporibus; cum alia de Jacobi nece, de Johanne Baptista, de JEsu ipso supra memorata testimonia ab iisdem erasa esse vehementer, ut dixi, suspicio sit. Firmat conjecturam nostram Baronii adversus Judæos expostulatio, a quibus abrasum fuisse scribit hoc Josephi de Christo JEsu testimonium, in veteri quadam ipsorum membrana, qua Josephi Historia de Græco in Ebraicam linguam conversa continetur. Hanc Baronii criminationem adversus Judæos cum falsitatis suspectam conjecturis suis facere voluit Casaubonus, parum certe æquum Baronio, spectatæ integritatis & diligentiæ viro, se præbuit: facti enim erat, non juris controversia; in qua fidem probo viro derogare, vel tarditatem solerti objice-

Secundum Argumentum.

Baron. ad Ann. Chr. XXXIV. cap. 226.

Casaub. Ann. Exerc. XVI. ad an. XXXIV. c. 221.

Digitized by Google

objicere, qualem fuisse Baronium constat, hominis fuit nimio partium studio abrepti. Atqui si recentiori candidi cujusdam & literati viri stamus testimonio, visitur hodieque codex ille in Vaticana Bibliotheca, & Baronium absolvit. Firmat quoque nostram conjecturam, cum aliorum, tum præcipue Justini Martyris, cum Tryph. Justini consimilis adversus Judæos querela, dum procaces & adulteras manus sacris ipsos Voluminibus intulisse ait, si quando perfidiæ ipsorum contrarium aliquid occurreret. Adulteratis ergo, & nobili hoc testimonio multatis plerisque Josephi exemplaribus, fieri aliter non potuit, quam ut quicunque iis uterentur Christiani scriptores, patrocinium causæ suæ haudquaquam ex eo possent adsciscere. In ejusmodi fortasse codicem incidit Photius. Quanquam, quod ad ipsum attinet, aliter factum puto: nec enim credibile est ignorasse virum summæ diligentiæ & doctrinæ, hunc locum in aliis Josephi codicibus bene multis reperiri. Discere saltem id potuerat ex Eusebio, aliisque rei hujus testibus. Verum in excerptis suis nullam tam clari testimonii injecit mentionem, quippe nec totius ἀρχαιολογίας, *narrationis antiquitatum*, Josephi χρηστομαθίαν, *excerpta*, aut epitomen dare instituerat. Legatur Tmema ipsius CCXXXVIII. paucula tantum ibi de Herode selecta deprehendentur. Si Josephi testimonium de Christo JEsu, idcirco adulterinum esse creditur, quod a Photio prætermissum sit, adulterini quoque habeantur quatuordecim priores libri Antiquitatum, a Photio itidem illic prætermissi. Verum particulam tantum libri hujus delibavit. Itaque non ἐκλογὰς, *Selecta*, inscripsit, quæ illuc attulit ex Josepho, sed ἐκλογὴν, *Selectum*. Atque hanc ipsam ἐκλογὴν non ea fide descripsit, ut detrahere quicquam, vel adjicere religio ipsi fuerit. Quædam in ea habentur, quæ non extant in Josepho: cujusmodi hoc est: ἐτῶ· ἡρώδης ἐστὶν, ἀντικάτρου τοῦ ἰδουμαίου καὶ τῆς ἀραβίσσης (κύπρις δ' ὄνομα αὐτῇ) παῖς, ἐφ' ᾧ καὶ χριστὸς ὁ θεὸς ἡμῶν ἐπὶ σωτηρίᾳ τῷ ἡμετέρῳ γένει παρθενικῆς ἀποτίκτεται μήτρας· καθ' ὃν καιρὸς ἡρώδης, τὸ μὲν δεσπότην διήμαρτε, φονεὺς δὲ πολλῶν νηπίων γίνεται. *Hic est Herodes, Antipatri Idumæi & Arabissæ (Cypris autem nomen ipsi fuit) filius: sub quo Christus Deus noster pro salute nostri generis virgineo utero editur: adversus quem furore actus Herodes, aberravit quidem a Domino, plurimorum autem infantium interfector fuit.* Si abjudicamus Josepho, quæcunque non repræsentavit Photius; eidem æquum est adjudicare, quæ Photius exhibuit: ergo & JEsum Deum esse, & Virgine natum, & humani generis Servatorem scripsit Josephus, & βρεφοκτονίας, *cædis infantium*, Herodis meminit, utpote quæ istic a Photio commemorentur. Videant ergo Adversarii utrum malint; vel prius hoc Josephi de JEsu testimonium, vel postremum hoc nobis concedere. De Josephi Archæologia jam ante egerat Photius Tmemate LXXVI. at ejus initium ac finem designasse contentus, in reliquis de Josepho tantum ipso disseruit: propterea ne dicemus supposititi am esse omnem Archæologiam Josephi, præter finem & initium? Huc adde jampridem doluisse viris eruditis, frivola quædam diligenter excerpsisse aliquando Photium ex futilibus Scriptoribus, cum optimos Auctores & perutiles satis leviter delibarit. Queritur in Epistolis Scaliger neglexisse eum totos Diodori libros, quibus antiquitates Assyriorum, Chaldæorum, & Phœnicium continebantur; cum Jamblici Babylonica accurate repræsentarit. Ex Gorionidæ vero silentio quid homo sanus possit colligere, non intelligo: Nam Judæi alicujus satis recentis fœtum esse absurdam hanc historiam, acute probavit Scaliger adversus Munsterum, eique viri deinceps eruditi complures assensi sunt. Atqui Josephum Græcum, non accurate interpretari, sed in pauciora contractum popularibus suis exhibere fraudis architecto propositum fuit. Quis autem miretur verpum illum, pro more recentium Judæorum vafrum & versipellem, tam illustrem locum gentiles suos celasse, neque testificatione sua confirmatum invisse? Itaque existimare possumus duas causas habuisse Gerioniden, quamobrem id testimonium in librum suum non retulit, studium brevitatis, & partium suarum. Cæterum quam parum valeat infitiale argumentum commemorare nihil attinet.

Justin. Dial. cum. Tryph. Euseb. Hist. l. 4. c. 18. Hackspan. de usu libr. Rabb. c. 1.

Scalig. Ep. 401. ad Rhodomann.

Scalig. Elench. Trihær. 4. 5.

XIV. Quod cum iis quæ præcedunt, & quæ sequuntur, minus cohærere videatur ille locus, hinc aliam repudiandi illius rationem ducunt Adversarii; atque eam quidem levem prorsus, si quid video, & infirmam. Familiare quippe est Historicis disconvenien-

Tertium argumentum.

tes

tes & diversas narrationes congerere, prout rerum postulat varietas, nulla argumentorum commissura. Ni faciant, magna quippe voluptate Lector, magnis historia fraudetur ornamentis, infinitis sese Scriptor angustiis impediat, & in connectendis singulis & aptandis frustra desudet; ac legem praeterea pervertat Historiae, quae temporum ordinem, non rerum persequi debet; uti praeclare hic a Josepho factum est. Nam quamvis ea, quae proxime subest, Paulinae & Decii Mundi historia contigerit ante Christi mortem, quae narratur in hoc Josephi loco, non minus propterea ordo temporum ab eo servatus est: nec enim mortem tantum Christi, sed vitam etiam, munus, ac res gestas, velut in brevi tabella complexus est; quam in id tempus conjecit, quo vixisse eum constabat; non vero singula per annos digesta explicare instituit. Quem morem nobilissimos Historicos servasse demonstrat Casaubonus.

Casaub. adv. Baron. Exerc. 11. ad An. 21. c. 11.

XV. Ad haec falsum esse ait Blondellus, quod illic legitur, πολλὺς ἑλληνικὺς ἐπηγάγετο, *Plurimos e gentibus ad se pertraxit*: cum ex Ethnicis unam tantum, alteramve mulierem ad suam sectam Jesus Christus traduxerit. Verum id qvidem; at totas subinde gentes per Apostolos ad se convertit. Ad suum ergo tempus respexit Josephus, qvo maximis jam incrementis Christianum nomen florebat; & Christo jure tribuit, qvod per Christum, ac Christi virtutem facere se Apostoli praedicabant.

Quartum argumentum. Blondell. Ep. ad Arnold.

XVI. Addit deinde Christianos, ex Gentibus & Judaeis promiscue collectos, φῦλον, *gentem*, dici non potuisse. De significatione dictionis, φῦλον, disputent Grammatici: ego quidem pro certo habeo, κατὰ σχῆμα, *per figuram*, sectam Christianorum, φῦλον, recte dici posse. Praeterea quis ab Hellenista Judaeo accuratam Graecae orationis munditiem expectet?

Quiatum argumentum.

XVII. Absurdum postremo esse ait, Josephum, cujus in Ethnicorum vanitatem potius, quam in Apostolorum disciplinam animus inclinabat, fatentem inducere, Prophetas praedixisse casus ac gesta Christi JEsu, ac reditum praesertim ad vitam. Verum eodem sensu id dictum est, ac superius illud: ὁ χριστὸς οὗτος ἦν. Quod perinde est, ut si dixisset, cum credatur hic esse Christus, praedictiones Prophetarum, quae genti nostrae Messiam spoponderunt, in eo feruntur exitum habuisse.

Sextum argumentum

XVIII. Nunc adoriendus mihi est Tanaquillus Faber, municeps & popularis meus, vir ingenio florens, dum viveret, & liberalibus disciplinis perpolitus; qui (nec id enim fileri decet) cum ex sanctae Ecclesiae Catholicae sinu, in quo natus fuerat & institutus, juvenili quadam levitate profugisset; aetate maturior & consilio in eum redire rursum, & agnitum errorem ejurare gestiebat; quemadmodum paucis ante obitum annis, pro candore suo, literis ad me datis significavit: verum nimis cunctantem inopina mors oppressit. Is testimonii hujus veritatem & γνησιότητα epistola bene longa oppugnavit, partim recusis argumentis, quae jam ab aliis fuerant intentata, & nos proxime retudimus; partim novis excogitatis. Nos singula expendemus. Ac primum observat Sacerdotum genere prognatum fuisse Josephum, addictum sectae Pharisaeorum, quos prae aliis Christus JEsus sibi incessendos proposuerat; proindeque verisimile non esse laudatum eum esse a Josepho, qui Josephi gregales gravissimis injuriis affecerat. At Pharisaeus quoque fuit Paulus, & Christianae quidem legi infensissimus, cui tamen demum paruit: Josephus contra, generis ut voles ἱερατικοῦ, *ad Sacerdotes pertinentis*, & Pharisaeorum sodalis, Vespasianum tamen capitalem Judaicae gentis hostem, aut Messiam esse credidit, aut credere se finxit. Styli deinde discrepantiam vir eruditus obtendit: frigidum esse ait, & laxum, haerere, sudare, balbutire, qui hoc ἔμβλημα *hanc insertam* operi accudit. Felicem Tanaquillum, cui tam emunctas nares largitus est Deus: nobis quidem tam acutis & solertibus esse non licet; nam nihil horum mihi subolere fateor, nec ovum mihi videtur ovo similius, quam περιοχὴ haec reliquarum Josephi scriptionum similis est. Tum haec culpat verba: ἦσάν τις. *JEsus quidam*: quam postremam voculam notare ait vilem aliquem homuncionem, cum sequentia maximis eum laudibus ornent. Eusebianae quidem Historiae codices dictionem, τις, exhibent; secus vero libri Demonstrationis Evangelicae; secus ipsa Josephi exemplaria, quae plurima consului; secus Hieronymus, cujus haec interpretatio est:

Seorsum refellitur Tanaquilli Fabri Disertatio super hoc Josephi testimonio de Christo JEsu.

Euseb. Demonstrat. Evangel. l. 3. c. 5.

Digitized by Google

Eodem tempore fuit JEsus, vir sapiens; secus Isidorus Pelusiota, & Gedrenus, & Suidas, & Nicephorus, & Metochita, & Hegesippus. Quocirca expungendam esse voculam hanc ex Historia Eusebii manifestum est. Sed nec expungatur, genuinaque sit, attamen negamus de ejus dignitate detrahi, cui tribuitur. An Zachariæ ignobilitatem & humilitatem notare volebat Lucas, cum diceret: ἱερεὺς τις ὀνόματι Ζαχαρίας. An Ananiæ Paulus, cum diceret: ἀνανίας δέ τις. An Tertulli oratoris Lucas, cum diceret: ῥήτορός τερτύλλου τινός. An Johannis Apostoli Justinus martyr, cum diceret: ἐπειδὴ καὶ παρ' ἡμῖν ἀνήρ τις, ᾧ ὄνομα ἰωάννης. *Quandoquidem & apud nos vir quidam, cui nomen Johannes?* An Ciceronis Augustinus, cum diceret: *Perveneram in librum cujusdam Ciceronis?* An suam Hippolytus, cum de se diceret apud Ovidium:

Fando aliquem Hippolytum, vestras si contigit aures,
Occubuisse neci.

Subest postea apud Josephum: εἴγε αὐτὸν ἄνδρα λέγειν χρή· ἦν γὰρ παραδόξων ἔργων ποιητής· *Si modo eum oportet virum dicere: erat enim mirabilium effector operum.* Ad ea sic ratiocinatur Faber: Josephus hominem dici non vult JEsum; Deum igitur esse vult; quod de Messia suo nunquam Judæi arbitrati sunt: ac Deos itidem habere debuit Mosem, Eliam, Elisæum aliosque mirabilium quoque operum perfectores. Nego enimvero Judæos Messiæ suo θεότητα, *Deitatem* nunquam adscripsisse, quod contra factum infra in propositione nona a me demonstrabitur. Præterea dictum hoc esse apparet κατὰ σχῆμα, *per figuram*, & oratorio more, ut prodigiosum a JEsu patratorum admirabilitatem, & beneficiorum in homines collatorum magnitudinem extolleret: ac si dixisset: Tanta gessit Christus JEsus, ut Deo quam hominibus propior videatur. Vere Arnobius: *Etiamsi esset id verum*, Christum natum esse hominem, *tamen pro multis & tam liberalibus donis, quæ ab eo profecta in nobis sunt, Deus dici appellarique deberet.* Apollonium Tyaneum, ob præstigias quasdam, quibus fucum stolidis faciebat, naturæ alicujus humanum modum supergressæ, & Diis proxime dixerunt esse Tigellinus, Hierocles, quidam etiam Deum. Prisci Heroes propter res præclare gestas & beneficentiam, Dii ab hominibus habiti sunt. Hinc natum proverbium, Homo homini Deus. Unde Plinius: *Deus est mortali, juvare mortalem.* Hinc orti omnes Ethnicorum Dei. Hinc & Reges plerique & duces divinos honores consecuti sunt. Danaus, apud Æschylum, jubet filias sacrificiis & libaminibus prosequi Argivos, haud secus quam Deos, quod ab iis benigne exceptæ sint. Lycurgo Spartani Templum condiderunt tanquam Deo. Agesilaum Thasii propter collata ab eo in se beneficia, retulerunt in numerum Deorum, Antigonum & Demetrium Athenienses, & ante eos Alexandrum; quem & Apelles fulmine armatum pinxit. Ex consilio Hammonis Ptolemæum Rhodii Deum renuntiant, eique lucum consecrant, propter suppetias sibi adversus Demetrium latas. Antiochus Dei cognomen meruit, propter liberatos Timarchi tyrannide Milesios. Dionem Syracusani, ob restitutam sibi non semel libertatem, Servatoris & Dei titulis decorarunt. Deus dictus est Theodorus Philosophus, Jupiter Menecrates medicus. Deum fecit Pythagoram sua schola: & Pythagoræ discipuli Charondas, Zaleucus, Timaratus, Theætetus, Helicaon, Aristocrates, & Phytius, a civitatibus suis, quas legibus instruxerant, Diis pares honores tulerunt. Magi Platoni defuncto victimas immolaverunt, amplioris sortis esse quam humanæ rati. Apud Romanos Siccius Dentatus, propter navatam fortiter & feliciter ipsius ductu operam, Pater, Servator, & Deus appellatus est. Faliscorum liberi Camillo, qui eos sibi a Præceptore proditos liberaliter dimiserat, eadem nomina tribuunt. Divinis honoribus & titulis, dum etiamnum in vivis essent, affecti sunt, Augustus, Tiberius, & Antoninus Pius. Deos se jusserunt nuncupari, Caligula, Domitianus, & Diocletianus. Itaque & Joves, & Tonantes, & domus eorum cœlum & astra in adulationem prona hæc ætas appellavit. Ne ab hac quidem assentatione erga Caligulam & Claudium abstinuit Seneca, dictis Philosophus, reipsa opum & honorum etiam per sordidas artes appetentissimus. Recentiores quoque Cæsares Christianos certatim Deos fecerunt. Sic & Persæ reges suos: quamobrem Atossa, apud Æschylum, Dei conjux, & Dei mater dicitur, quod Darii conjux esset, & mater Xerxis.

Luc. 5, 1. Act. 22, 12. Act. 24, 1. Just. Dial. cum Tryph. Augustin. Confess. l. 3. c. 4. Ovid. Met. l. 15. Tigell. ap. Philostr. vit. Apoll. l. 4. c. 15. Hierocl. apud Eus. in Hierod. Plin. l. 2. c. 7. Æschyl. Supplic. v. 9. 87. & seq. Æschyl. Pers. v. 158.

Digitized by Google

xis. Perſarum Regem Mitranes Deum appellat apud Heliodorum. Ismaëlem Sophum, poſt partam victoriam ſui milites dixerunt Deum. Phraates Parthorum rex Deus eſt cognomento dictus. Sic dicti & Æthiopibus ſuis Reges, & exteri etiam aliquando Ægyptiis, puta Darius, cum adhuc ſuperſtes eſſet. Charicles item, in Heliodori Æthiopicis; Calaſirin Soſpitatorem ſuum & Deum nuncupat. Tigranes idem cognominis habuit. Divinos honores Buttæ ſuo exhibuerunt Indi, Zamolxi ſuo Getæ. Cicero: *Te in dicendo ſemper putavi Deum:* propter facundiam. Item: *Diſpoſitio argumentorum, in qua tu mihi ſemper Deus videri ſoles.* Quod imitatus Quintilianus: *Hunc*, inquit, Oratorem, *ut Deum homines intuebantur.* Terentius: *Facio te apud illum Deum*, dum tuas virtutes prædico. Et alio loco: *Non tu hunc habeas plane præſentem Deum;* qui victum tibi large præbeat. Pleni ſunt hujusmodi locutionum Scriptores antiqui, quorum ſcrinia compilare nihil neceſſe eſt. Factum id apud Ethnicos dixiſſet Faber; non item apud Judæos, cultores veri Dei, quem de ſe ipſum dixiſſe ſciebant: *Dominus zelotes nomen ejus, Deus eſt æmulator*: quamobrem Herodem, cum ſimile palpum ſibi obtrudi paſſus eſſet, impietatis pœnas dediſſe. At ſæpe tamen magiſtratus in Libris ſacris dicuntur Dii. Sichemitis Dei titulum Antiocho Epiphani tribuere, cum ad eum ſcriberent, religio nulla fuit. Nec locutionibus hujusmodi Chriſtiani pepercere. Gregorius Nazianzenus Chriſtianum ait Filium Dei fieri, cohæredem Chriſti, & Deum ipſum; & eumdem adhortatur ut egenis Deus fiat, Dei miſericordiam imitando. Auctor Commentariorum in Pſalmos, qui Hieronymi nomen præferunt: *Quamdiu homines ſumus, mentimur; quando autem fuerimus Dii, deſinimus mentiri. Si quis igitur ſanctus, Deus efficitur: & quando factus fuerit Deus, deſinit eſſe homo, & jam non mentitur.* Et Boetius: *Deus natura unus, participatione plures.* Veneti fractis a Ludovico XII. Francorum Rege rebus ſuis, ad Maximilianum Cæſarem mittunt Oratorem Antonium Juſtinianum; qui ut eum ad miſericordiam flecteret, dixit Venetam Rempublicam pro Deo cœleſti aliquo colere eum ac venerari. Quod a Guicciardino in literas relatum eſt. Notiſſimum eſt Matthiæ Corvini Bannoniæ Regis epitaphium, quod refert Jovius:

Corvini brevis hæc urna eſt, quem magna fatentur
Facta fuiſſe Deum, facta fuiſſe hominem.

Triſtem poſtmodum ac putidam elegantiam his ineſſe ſcribit Faber: διδάσκαλον ἀνθρώπων τῶν σ' ἀληθῆ σὺν ἡδονῇ δεχομένων. Mihi vero inaffectatum hoc eſſe videtur & ſimplex, tantumque ab omni triſtitia, quantum ab omni adſcita & ambitioſa elegantia abeſſe, quod ſic reddas: *Præceptor hominum qui veris libenter aſſentiuntur.* Tum ſubjungit eum inſanire qui hæc ſcripſerit: τῶν θείων προφητῶν ταῦτά τε καὶ ἄλλα μυρία περὶ αὐτῶ θαυμάσια ἐφηνότων. *Cum divini Prophetæ hæc, aliaque plurima admiranda eo prædixiſſent.* Attendiſſet Faber, quicunque JEſum eſſe vel haberi dixerit Chriſtum, & tertio poſt obitum die ad vitam rediiſſe, quod proxime dixerat Joſephus, conſequens eſſe ut dicat eumdem Prophetarum oraculis eſſe vel credi prænuntiatum: quod ſexta noſtra probat Definitio.

Poſtquam JEſum queſtus eſt Faber nimiis in hoc teſtimonio elatum fuiſſe præconiis, nunc contrariam orditur næniam, neque ſatis multa de Chriſto JEſu, pro eo ac meritus fuerat, dicta eſſe arguit ab eo qui Meſſiam eum credidiſſet. Ait itaque Joſephum, ſi teſtimonii hujus verus fuiſſet auctor, debuiſſe quid eſſet Chriſtus, quæ ejus officia, Græcis exponere, in quorum gratiam ἐκκλησιαστικὴν ſuam ſcripſiſſe eum opinatur, propter hæc ipſius verba ex Præfatione: τάυτην δὲ τὴν ἐνεστῶσαν ἐνεχειρήθην πραγματείαν, νομίζων ἅπασι φανήσεσθαι τοῖς Ἕλλησιν ἀξίαν σπουδῆς. Quæ ſic interpretanda eſſe cenſet Faber: *Hanc commentationem ſuſcepi, ratus Græcis omnibus viſum iri ſtudio dignam.* Atqui in gratiam Romanorum, non Græcorum opus hoc eſſe conditum ſciunt, quibus Joſephi cognita vita eſt. Verum Fabro fraudi fuit vox, Ἕλληνες, quæ Ethnicos omnes, non Græcos ſolum, notat apud Helleniſtas, & veteres Chriſtianos. Utut eſt, hoc ipſo argumento, quo nos urget, ſententiam noſtram confirmat. Fatemur enim Joſephum exponere debuiſſe quid eſſet Chriſtus, & fuiſſe haud dubie expoſiturum, ſi JEſum pro Meſſia habuiſſet: cum inexplicatum prætermiſerit, recte concludimus non id ſibi voluiſſe, JEſum vere eſſe Chriſtum, ſed eum eſſe qui Chriſtus cognominatus eſt.

Heliod. l. 5.
Heliod. l. 4.
Cic. l. 1. & 2. de orator.
Quintil. l. 12. c. 10.
Ter. Ad. 4. 2. 40.
Phorm. 2. 1. 30.
Exod. 34, 14.
Greg. Naz. Orat. περὶ φιλοπτωχίας.
Comment. in Pſal. 115, 11.
Boet. Conſ. l. 3. Proſ. 10.
Guicciard. Hiſt. Ital. l. 8.

Digitized by Google

Cognominis autem hujus causas explicare nihil necesse fuit. Collato deinde Josephi testimonio de Johanne, cum hoc testimonio de JEsu, paratragœdiat, & magnam inter utrumque discrepantiam pro suo acumine observat, quam nos neutiquam agnoscimus. Tum quærit cur illic nulla extet de præcursione Johannis Baptistæ mentio: quia nimirum neque doctrinam Judæorum de expectato Messia hoc opere exponere statuerat, neque JEsum Messiam sibi persuaserat. Hic ipse vero Faber, qui nihil de præcursione Johannis dictum esse questus est, rationem comminiscitur quare id fieri non debuerit. Non vult, ubi velis; ubi nolis, cupit ultro: ita in utrumque paratus est, quicquid respondero, contradicere. Secundum ista, inter hunc locum, & quæ proxime antecedunt, quæque subnexa sunt, disconvenire docet, quod nos jam supra refellimus. Tum locum indicat, in quem aptius fuisset insertus; & deinde fallendi præcepta dat, ac ipsa subjicit verba, quibus ad fraudem comparandam uti debuisse ait fabricatorem doli: cujusmodi sane non egebat documentis, qui non fallebat. Exin Hieronymum, quod Græca hæc, ὁ χριστὸς οὗτος ἦν, sic non expresserit, *Hic erat Christus*, sed ad hunc modum, *Hic credebatur esse Christus*, fraudis conscium facit; atque ita duos damnare mavult, quam unum absolvere. Talem injuriam sanctissimo viro factam nollem, quem credere satius erat verba neglexisse testimonii quod germanum putabat, sicuti revera erat, sententiam ipsam retulisse. Vanam vero esse conclusionem, quam ex Justini Tertulliani, Clementis Alexandrini, Origenis, & Photii silentio elicit, superius obducta a nobis secundo argumento responsio perspicuum facit. Causam quoque attulimus in primi argumenti confutatione, quamobrem Origenes & Theodoretus, quos laudat, etiamsi integris usi essent Josephi exemplaribus, & hunc in iis locum legissent, non propterea tamen existimare debuerint Josephum esse Christianum. Quod vero ex Origenis testimonio consequi opinatur, Josephum, non modo in gratiam Christi JEsu non scripsisse memorata hæc, quæ nunc agitamus verba, sed alia contra loco eodem scripsisse, quæ ad JEsu minuendam existimationem, eumque vulgo traducendum pertinerent, omnino mihi præter rationem creditum ac dictum esse videtur. En tibi verba ipsa Origenis de Josepho, e Tomo undecimo in Matthæum: καίτοι θαυμαστὸν ἐστιν, ὅτι τὸν Ἰησοῦν ἡμῶν οὐ παραδεξάμενος εἶναι χριστὸν, οὐδὲν ἧττον ἰακώβῳ δικαιοσύνην ἐμαρτύρησε τοσαύτην. *Et vero mirabile est, quod cum JEsum nostrum non agnosceret esse Messiam, nihilominus tale justitiæ testimonium Jacobo dederit.* Rursum in libro primo contra Celsum: ὁ δ' αὐτὸς (Ἰώσηπος) καίτοι γε ἀπιστῶν τῷ Ἰησοῦ, ὡς χριστῷ. *Idem autem* (Josephus) *etsi JEsum esse Christum non credebat.* Ex his, inquam duo colligit Faber, Josephum non habuisse JEsum pro Christo, proindeque adulterinum esse testimonium, in quo dixisse fingitur Josephus JEsum esse Christum; imo etiam Josephum adversus JEsum scripsisse. Prioris conclusionis falsitatem arguit legitima, quam attulimus, horum verborum expositio: ὁ χριστὸς οὗτος ἦν quæ ita accipienda sunt, ut accepit Hieronymus: *Credebatur esse Christus.* Posteriorem refellunt hæc ipsa, quibus nititur Faber, verba Origenis, *JEsum non agnosceret esse Messiam; JEsum esse Christum non credebat:* idem enim de Pilato, idem de Herode, idem de Suetonio, idem de Tacito, idem de Antonino Pio, idem de Marco Philosopho dici potest. An ideo recte concludemus Pilatum, Herodem, & alios quos dixi adversus Christum scripsisse? Nec ista fine stetit critica Tanaquilli facultas: non modo enim in Origenis verbis eam olfecit sententiam, quæ nobis non suboluisset unquam, Josephum videlicet adversus JEsum scripsisse, sed & ea insuper, quæ scripserat, odoratus est; (quod facere quoque attentavit Johannes Cloppenburgius in Epistola ad Capellum) atque auctorem item adulterandi Josephi, & strophæ artificem conjectura deprehendit esse Eusebium. Nos aperte & simpliciter agimus, & ut iis detrahere non audemus fidem, quæ palam sunt; ita nec iis quæ nusquam sunt, adhibere: nec tantum nobis licere arbitramur, ut testimonium, codicum omnium consensu priscorumque Scriptorum suffragiis nixum, repudiemus; ac conjecturas interim acutas, ut voles, & eruditas, sed meras tamen conjecturas admittamus. Cum cæteroqui Christianum hominem deceat parti huic favere quam defendimus; & anteposita quidem

Digitized by Google

quidem veritate rebus cæteris, optare saltem, ut quæ veram doctrinam confirmare possunt, vera ea ac sincera sint. Sed nunc institutum persequamur.

De editis a Discipulis Christi prodigiis. Sueton. Ner. c. 16. Lucian. Peregrin.

XIX. Edita a Christi Discipulis prodigia, quorum in actis meminit Lucas, quod adhuc obscura essent nascentis Ecclesiæ primordia, in Ethnicorum libris non multum sane celebrantur. Quanquam Suetonius, cum Christianorum religionem appellat, *superstitionem novam ac maleficam*; & cum Lucianus scribit Peregrinum, postquam Christo nomen dedit, non mediocrem sibi auctoritatem conciliasse πρὸς τὸν ἑξῆς βίον, νῦν τὴν τετάρτην, hoc est, prodigiorum sive effectricem vim, sive ostentationem & jactantiam; & si quis præstigiator ac planus ad Christi partes transiret, multis opibus brevi locupletari; videntur mirificam ipsorum virtutem incantamentis & veneficiis tribuere. Porphyrius pœnam a Petro Ananiæ & Saphiræ illatam commemorans, trahit eam quidem in calumniam, non tamen negat. Mox autem ut adolescere cœpit Ecclesia, perpetrata a Christianis miracula Scriptores temporum illorum æquales memoriæ tradiderunt. Velut insigne illud, quod Marco Aurelio adversus Marcomanos & Quados pugnanti contigit, cum Romano exercitui, angustiis locorum presso, & aquæ penuria laboranti, imbres de cœlo Christiani milites impetrarunt, dum grandine & fulminibus copiæ Barbarorum obruerentur. Id Marcus ipse Imperator literis suis ad Senatum datis publice testatus est. Itaque Christianæ causæ patrocinium miraculum hoc jactasse Apollinarem Hierapolitanum Episcopum scribit Eusebius; in suo nempe, uti conjicio, ad Marcum Imperatorem Apologetico. Rem tanquam vulgo cognitam & creditam refert Tertullianus in libello supplici ad Scapulam Africæ provinciæ Præsidem; auctoritate etiam literarum Marci Aurelii confirmat in Apologetico ad Romani Imperii Antistites. Quod sane facere non essent ausi, vel Apollinaris, vel Tertullianus, si res dubia fuisset, aut litteræ suppositæ. Eusebius, Orosius, & Xiphilinus, extare illas sua cujusque ætate ex aliorum quidem fide narrant: at Hieronymus in interpretatione Eusebiani Chronici, non ex aliorum relatu, sed velut rem sibi compertam asseverat. Ne id quidem fecissent Tertullianus, aut Apollinaris, si prodigii hujus auctor fuisset, vel Ægyptius ille magus Arnuphis, quemadmodum Dion aut a se, ab aliis confictum prodidit; vel Julianus magus alter, quem miraculi hujus effectorem a quibusdam dictum fuisse ait Suidas. Adscribit Julius Capitolinus Marci Imperatoris pietati & precibus, Antonini Pii Themistius, patrem cum filio confundens, qui & eum in tabula quadam depictum vidisse se narrat, cum imbres de cœlo poscere & impetrare; milites vero exciperent galeis & potarent. Utris tribuat, Magisne, an Marco, dubitat Claudianus: sic enim ait:

Porphyr. apud Hier. Epist. ad Demetriad. De Virgin. ser. c. 7. & Euseb. Præp. Evang. l. 5. c. 1.

Euf. Hist. l. 4. c. 26. & 27. & l. 5. c. 5. Tertull. & Scapul. c. 4. Apol. c. 5. Euf. Chron. Oros. l. 7. c. 15. Xiphilin. Marc. Aur. Dion. apud Xiph. in Marc. Aur.

Suidas in ἄρνουφις & in Ἰουλιανός. Jul. Capitol. Marc. Aur. c. 24. Themist. Orat. ad Theodos. Claudian. in 6. Cons. Honor.

Chaldæa mago seu carmina ritu
Armavere Deos: seu, quod reor, omne Tonantis
Obsequium Marci mores potuere mereri.

Lampridius in Heliogabalo: *Quum Marcomanis bellum inferre vellet, quos Antoninus pulcherrime profligaverat, dictum est a quibusdam per Chaldæos ac Magos Antoninum Marcum id egisse, ut Marcomani populo Romano semper devoti essent atque amici; idque factum carminibus & consecratione.* Facile equidem Baronio assentior, suspicanti Christianorum precibus concessum a Deo beneficium, Magis tribui ab Ethnicis, qui Christianos magiæ insimulabant. Probari potest hæc conjectura proxime allatis Lampridii & Claudiani suffragiis: quos enim Magos appellant, ipsi videntur esse Christiani: nam Ethnici, rerum ad Christianos pertinentium imperiti, Christianos a Judæis neutiquam distinguebant: Judæi autem Chaldæorum progenitorum suorum nomine noscebantur. Hinc Philo Libros sacros ex Chaldaica lingua conversos fuisse ait. Hinc oraculum vetus, quod referunt Justinus & Eusebius:

Baron. Annal. 176. c. 8.

Phil. l. 2. de vit. Mos. Justin. in Præn. Euf. Demonstr. l. 3.

μοῦνοι χαλδαῖοι σοφίην λάχον, ἠδ' ἄρ' ἐβραῖοι
ἀυτογένητον ἄνακτα σεβαζόμενοι θεὸν ἁγνῶς.
Soli Chaldæi sapientiam sortiti sunt & Ebræi,
Pure colentes Deum regem per se genitum.

Chaldæi & Ebræi, ἓν διὰ δυοῖν *unum per duo*, Chaldæi enim proprie dicti vanissimis religionibus dedidi erant. Priscianus in Periegesi Judæos appellat,

Chaldæo nimium decoratam sanguine gentem,
Arcanisque Dei celebratam legibus unam.

Verum hos perperam cum Phœnicibus confundit. Adde Magorum præstigiis numquam

Xiphil. in Marc. Aur. l. 1.

quam delectatum fuisse Marcum: quod de eo Xiphilinus, & ipse quoque de se Marcus affirmat in aureo libello τῶν εἰς ἑαυτόν. *Præceptorum sibi traditorum.* Habetur harum Marci literarum ad Senatum exemplar apud Justinum, ad calcem Apologiæ secundæ; sed ejus νοθείαν & ὑβδηλίαν, *falsitatem & suppositionem*, tum etiam novitatem, quod Justiniano recentius sit, tot argumentis approbaverunt viri eruditi, Criticæ artis principes, Josephus Scaliger, & Salmasius, ut nihil contra opponi possit.

Scalig. Animm. in Euseb. Chron. Salm. in Jul. Capit. Marc. Aur. Aug. de Civit. Dei l. 5. c. 15.

Memorabile & illud prodigium est, quo Eugenii & Arbogastis rebellionem fregit Theodosius, & adversus *robustissimum exercitum magis orando quam feriendo pugnavit*, ut Augustini verba usurpem. Is se milites qui prælio interfuerant, audisse refert, cum dicerent, *extorta sibi esse de manibus quæcumque jaculabantur, cum a Theodosii partibus in adversarios vehemens ventus iret non solum, quæcunque in eos jaciebantur, concitatissime raperet; verum etiam ipsorum tela in eorum corpora retorqueret.* Rem inusitatam, & mirabilem dicendo amplificavit Orosius; carminibus vero suis celebravit Claudianus, a Christi fide licet alienus, & ad virtutem Dei, pietate Theodosii ac precibus inflexi, retulit:

Oros. l. 7. c. 35. Claudian. de tert. Cons. Honor.

O nimium dilecte Deo, cui fundit ab antris
Æolus armatas hyemes, cui militat æther,
Et conjurati veniunt ad classica venti.

Hieronym. adv. Vigilant. c. 4.

Ad Martyrum sepulcra mirificam sese vim exeruisse identidem, & naturæ vires superasse, non inficiati sunt Porphyrius, & Eunomius, sed Dæmonum præstigiis tribuerunt.

De virtutibus Christianorum.

XX. Jam vero Christianorum pietas, assiduæ ad Deum conciliandum preces, insignis hominum omnium caritas, mirabilis in iuppliciis tolerandis constantia, inexpugnabilis fides, & ab omni scelerum contagione integer animus, tam claris Ethnicorum testimoniis expressa sunt, ut ne ipsa quidem contradicere possit pertinacia. Quid enim ad horum testificationem illustrius nobili illa Plinii ad Trajanum epistola, qua se tormentis adhibitis Christianorum crimina quæsivisse ait, nec aliud reperisse quicquam, quam cœtus ipsorum antelucanos, carmina Christo quasi Deo decantata, sanctum scelerum vitandorum etiam adhibito sacramento propositum, cibi una capiendi consuetudinem? Damnat tantum superstitionem pravam & immodicam, tum & pervicaciam ac inflexibilem obstinationem; nos singularem pietatem ac fidem, tum & invictam fortitudinem, & in proposito servando perseverantiam ac firmitatem interpretamur. Itaque Rescripto suo Christianos conquiri vetuit Trajanus, delatores puniri jussit. Quod ipsum tamen ut iniquum merito carpit Tertullianus frustra obloquente Balduino Jurisconsulto, quasi ita etiam Christianos beneficio obstrinxerit Trajanus, qui pejora adversus eos non decreverit. Nam sic quoque benefici erga viatores dicendi erant Sciron & Procrustes, qui quos misere necabant, crudelius etiam tortos poterant interficere. Scripserat item ad Hadrianum Serenius Granianus, Proconsul Asiæ, iniquum esse Christianos nullius criminis reos indicta causa in vulgi gratiam trucidari. Rescripsit Imperator ad Minutium Fundanum Serenii successorem, jubere se, si quid adversus leges admissum esset à Christianis, id ab illis animadverti; sin per calumniam accersiti essent, delatorem ipsum pro criminis gravitate pœnas luere. Hoc rescriptum Apologeticis suis ad Antoninum, Aurelium, & Verum Imperatores intexuerunt, & celebrarunt Justinus, & Melito Sardianus, viri æquales temporum illorum, res ætate sua gestas, & vulgo notas palam referentes, cum eos ipsos alloquerentur, quorum intererat præcipue harum rerum veritatem habere perspectam. Stabilitatem quoque, & ἀδιατρεψίαν, *inflexibilem constantiam*, Christianorum, licet aliud agens, summopere tamen extollit. Arrianus Philosophus, sub Hadriano Imperatore doctrinæ fama conspicuus. Hac enim præcipue nota discerni ait: τὰς βεβαπτισμένας ὑπὸ τῶν παραβατῶν, hoc est, baptismo rite initiatos, ab iis, qui licet baptismo tincti essent, Christi tamen fidem ore tantum, non operibus profitebantur, si constantem animum & firmum, non varium & ancipitem præ se ferrent. Galenus quoque cum Medicorum & Philosophorum quorundam pertinaciam notare vellet, citius ait Christianos religionem suam ejuraturos, quam illi meliorem sententiam induant. *Proh mira stultitia, & incredibilis audacia!* inquit Cæcilius apud Minutium Felicem, *spernunt tormenta præsentia, dum incerta metuunt & futura: & dum mori post mortem timent, interim mori non timent: ita*

Tertull. Apol. c. 2.

Arrian. Epict. l. 2. c. 9.

Galen. de differentia pulsuum l. 3.

Digitized by Google

ita illis pavorum fallax spes solatia redivia blanditur. At Marcus Aurelius Imperator, Christianæ rei parum consultus, martyrum constantiam in adeunda morte, animo solum & fortitudini, non pietati potius illorum & fidei tribuebat. Quamobrem in eximia illa, & Christiano homine prope digna, præceptorum corrigerie, quibus se ipse ad bene beateque vivendum ac moriendum instituebat, considerate & graviter sapientem mori jubet, non, inquit, more Christianorum, animose solum & fortiter, quasi in prælio res geratur. Hinc adeo Christiani, Desperati dicti sunt, & Parabolani; quo nomine vulgo signabantur quidam projectæ audaciæ homines, qui sponte, & auctoramenti spe ad bestias pugnabant, vel petauro per ignem trasiliebant. Confectores iidem, à conficiendis bestiis, & παραικινδυνευμένοι, *sese periculis temerarie objicientes*, dicebantur. Parabolanorum quoque appellatio ordini cuidam Alexandrinorum Christianorum tributa est, qui neglecto mortis periculo ægros, quolibet morbo, etiam peste laborantes, curabant. At ex hoc mortis contemtu tantos sibi sumserunt animos, ut ad Alexandrinorum Episcoporum, sub quorum dispositione erant, tutandas partes, in apertam demum seditionem nonnunquam eruperint, & coërcendi fuerint ab Imperatore, & ad certum numerum redigendi. Id apparet ex legibus Codicis Theodosiani. Sed hæc post fuere: primus autem Ethnicis Imperatoribus Martyres Christi, Paraboli dicti sunt, & Parabolani, quod corpori suo minime parcerent, sed laniandum in carnificinam darent. Facit huc etiam Epistola ad Commune Asiæ, non ab Antonino Pio, (ut censuerunt Eusebius, Xiphilinus, & Zonaras, & novissime Petrus Halloxius, & ut præfert inscriptio ipsa Epistolæ in Justini codicibus editæ) sed ab eodem Aurelio Imperatore scripta (ut constat ex Chronicis ἐπιλογισμοῖς, *ratiociniis*, & ex fastis, tum Siculis, tum Onuphrianis; & ut ostendit lemma Epistolæ ipsius, quemadmodum repræsentatur ab Eusebio.) Hac epistola Christianorum commendatur pietas, & constantia in toleranda morte potius, quam ut Ethnicorum impietati obsequantur; tum & fortitudo in periculis; præcipue vero cum terra motibus quassaretur; quo tempore animo concidentibus Ethnicis, tum maxime Deo confidebant Christiani. Addit Imperator complures Provinciarum Rectores ad Patrem suum de iis scripsisse, ipsumque adeo Rescriptis suis cavisse, ne quis negotium iis facesseret, nisi adversus imperium quidpiam molirentur; se Constitutionem eamdem velle servari; delatos Christianismi nomine absolvi, delatores puniri. Hoc decreto adductus videtur Melito Sardianus, ut in Apologia ad eundem Imperatorem, ipsum diceret idem ac patrem Antoninum, & avum Hadrianum de Christianis sentire. Quippe & Rescripto ad civitates Græcas vetuerat Antoninus Pius tumultus adversus Christianos concitari. Laudatur id Rescriptum ab hoc ipso Melitone in eodem Apologetico, & a Marco etiam Imperatore commemorata superius Epistola ad Commune Asiæ. Cum ergo Apollonium datæ Christo fidei accusasset quidam; crurifragium, & capitale supplicium adversus accusatorem decretum est; uti narrat Eusebius. Lucianus quoque, pietatis omnis ac religionis desisor, cum Christianam traducere vult, eam vel maxime extollit: nam in bello adversus Peregrinum Philosophum, qui ad Christi castra transierat, eoque nomine fuerat in carcerem detrusus, summa Christianos eum caritate ac liberalitate prosecutos fuisse ait, pias mulieres custodiæ foribus assedisse, viros consolandi & adjuvandi gratia a Communi Christianorum legatos somnum una & cibum cepisse: summa id eos alacritate facere solitos, cum aliquid ejusmodi incidisset, neque labori aut bonis parcere, universa in egenos prompto animo profundere, mortem contemnere & sponte obire, se quippe futuros immortales sperare; sic a suarum legum latore accepisse, unò eos inter se germanitatis vinculo obstrictos esse; & postquam semel a Diis Ethnicorum desciverunt, ad ejus præscriptum vitam instituerunt, & debitum ei cultum ac honorem exhibuerunt, tum vero sua omnia præ eo parvi facere, & sibi, Christianisque reliquis communia dicere. Quæ omnia ab impuro Sophista in Christianorum opprobrium jacta, vera agnoscimus, summoque ipsis honori esse arbitramur. Clariora etiam reperias in Dialogo, qui inscribitur Philopatris, & Luciani nomen præ se fert: Christi quippe & Christianorum nominatim meminit, plurima profert ex Evangelio, & Apocalypsi Johannis

Marc. Aur. l. 9.

Euf. Hist. l. 4. c. 26.

Euf. Hist. l. 4. c. 26.

Euf. Hist. l. 5. c. 21.

Cod. Theodos. l. 16. Tit. 2. de Episc. Eccl. & Cleric. leg. 42. & 43. Euseb. Hist. l. 4. c. 12. Xiphil. Antonin. Pio. Zon. Tom. 2. in Anton. Pio. Euf. Hist. l. 4. c. 23.

Digitized by Google

nis, ex Actis Apostolorum, & ex Epistolis Pauli, cujus os & habitum depingit, & evectionem in cœlum refert. Christum appellat Chrestum, pro temporum illorum more, quo nomen id a bonitate, non ab unctione ductum credebatur ab Ethnicis, apud quos ungendorum Sacerdotum aut Regum mos erat inusitatus. Illud ex Suetonio, & Galeno, & ex vetustissimis Ecclesiæ Doctoribus, Justino, Theophilo Antiocheno, Clemente Alexandrino, Tertulliano, & Lactantio intelligitur. Error fortasse ductus est ex inolescente jam tum apud aliquos perverso illo more confundendæ pronuntiationis Græcarum vocalium η & ι, quem ab Æolibus Latinæ linguæ auctoribus profectum suspicor, quibus ι in η mutare proclive fuisse tradunt Grammatici. Hinc apud Martialem Chrestillæ nomen degeneravit in Christillam; hoc in Christianam. Ex eadem prava jotacismi consuetudine factum reor, ut Veteres scripserunt χρηστὸς, cum diphthongo. Ex Christianarum autem rerum peritia, quæ Major in hoc Dialogo, quam in reliquis Luciani scriptionibus elucet, colligi potest eum alterius esse auctoris.

Sueton. Claud. 25. Galen. de diff. pulsuum. l. 3. Justin. Apol. 2. Theoph. ad Autol. l. 1. Clem. Alex. Strom. 2. Tertull. Apol. c. 3. Lactant. Instit. l. 4. c. 7. Const. Orat. ad cœtum Sanct. c. 18. in Acrostich. Martial. l. 2. Epigr. 31.

XXI. Cæterum ex Luciani Pseudomanti, & libello de morte Peregrini, sed & multo magis ex Tranquilli, Plinii, & Taciti memoratis testimoniis discere licet, quanta incrementa Christiana jam res cepisset. Quo pertinet L. Senecæ, his etiam temporibus antiquioris, adversus Judæos, quorum nomine tunc Christiani vulgo cogniti erant, expostulatio, quam refert Augustinus: *Interim usque eo sceleratissimæ gentis consuetudo convaluit, ut per omnes jam terras recepta sit. Victi victoribus leges dederunt.* Quæ verba in suum Itinerarium transtulit Numatianus, de Christianis sub Judæorum nomine sic disserens;

Latius excisæ gentis contagia serpunt:
Victoresque suos natio victa premit.

Idem de Judæis a Dione proditum est, καί ἐστι, inquit, καὶ παρὰ τοῖς ῥωμαίοις τὸ γένος τοῦτο, κολασθὲν μὲν πολλάκις, ἀνῃρήθη δὲ ἐπὶ πλεῖστον, ὥστε καὶ ἐς παράμιξιν τῆς νομίσεως ἐκνικῆσαι. *Est etiam apud Romanos genus istud, imminutum quidem sæpe numero, adeo tamen auctum, ut vim legum pervicerit.* Quamobrem Tertullianus in Apologetico, multitudinem Christianorum, innocentiæ ipsorum argumentum esse dicit; quippe non solum bello cuilibet pares ipsos fore, si arma sumere vellent; sed inermes etiam Reipublicæ plurimum esse nocituros ἀκονιτὶ καὶ ἀνυμάχητοι, *sine pulvere & sanguine*, secessione solum facta; quæ si fieret, ad magnam solitudinem ac vastitatem Romanum Imperium fuisse rediturum. Invalescente itaque Christiana secta, Reipublicæ metuentes magistratus, novi dogmatis defensores coërcendos censuerunt. Eos Claudius exiliis, exquisitis tormentis Nero pro indole sua multavit. Auctor Suetonius; auctor & Tacitus, cujus hæc verba sunt: *Pereuntibus addita ludibria, ut ferarum tergis contecti; laniatu canum interirent; aut crucibus affixi, aut flammandi, atque ubi defecisset dies in usum nocturni luminis urerentur.* Qua rei atrocitate permotus Historicus, ab his licet partibus sese alienissimum ferens, vulgo id fuisse damnatum, & publicam miserationem excitasse scribit. Immanem hanc quoque sævitiam carpit Juvenalis:

Sueton. Claud. c. 25. Neron. c. 16. Tac. Ann. l. 17. c. 44.

Juven. Sat. 1. & 8.

Pone Tigellinum, tæda lucebis in illa,
Quæ stantes ardent, qui fixo gutture fumant,
Et latus mediam sulcus diducit arenam.

Et alibi:

Ausi, quod liceat tunica punire molesta.

Saxum visitur Romæ, Neroni inscriptum, *Ob provinciam latronibus, & his qui novam generi humano superstitionem inculcabant, purgatam.* Iisdem temporibus Pomponiam Græcinam, insignem feminam, Plautii conjugem, superstitionis externæ, hoc est, uti verisimile fit, fidei Christo datæ ream, mariti judicio permissam fuisse narrat Tacitus. Sequentibus dehinc annis, cum Flavium Clementem, Domitiani patruelem, ejusque uxorem Flaviam Domitillam, Domitiani sororem, Glabrionem quoque & alios complures, Judaicæ religioni addictos fuisse, eamque ob causam Cæsaris sævitiam expertos scribat post Dionem Xiphilinus, intelligere licet fuisse Christianos: nam sub Judæorum appellatione, ut dixi, Christiani quoque apud Ethnicos harum rerum parum consultos vocitebant. Unde Suetonius Judæos, impulsore Chresto, tumultus edidisse scribit. Itaque Domitillam confessione Christiani nominis nobilitatam, & in exilium fuisse actam tradunt Eusebius, & Hieronymus: quod de hominibus imperatorii generis, propterea-

Tac. Ann. l. 13. c. 32.

Xiphil. Domit.

Sueton. Claud. c. 25. Euseb. Chron. l. 2. & Hist. l. 3. c. 18. Hier. Epitaph. Paulæ c. 3.

que

Dc Christianæ Religionis incrementis & Christianorum martyriis.

August. de Civit. Dei l. 6. c. 11.

Rutil. Numat. l. 1. Itin.

Dio. l. 37. Xiphilin. Pompejo.

Tertullian. Apol. c. 37.

Digitized by Google

que illustribus, & vulgo notis confictum esse & falsum nemo sanæ mentis dicere queat. Atque hanc sane Clementis & Domitillæ calamitatem, per Stephanum mulieris libertum Domitiano interitum conflasse narrat Philostratus. Atqui declarat ea res, quantum jam potuerit Christiana disciplina, quæ hujus ordinis & loci homines, aulicis delitiis innutritos, & falsorum numinum cultui insuefactos, ad meliorem sententiam traducere & instituere potuerit. Denique per hæc & sequentia tempora tam male accepti sunt publice ac privatim Christiani, ut non temperarit sibi nobilis ille Jurisconsultus Ulpianus, consiliarius Alexandri Severi, & Magister Scrinii, quin scriptis suis Christianum dogma sibi confutandum proponeret.

Philostr. Apollon. l. 8. c. 10.

Christo Jesu divini honores tributi ab aliquibus Rom. Imp.

XXII. Mirifica hac ergo Christi, Christianorumque virtute excitati Imperatores aliquot Romani, Christum censuerunt inter Deos referendum, honoresque illi divinos tribuerunt. Princeps in his Tiberius, de rebus à Christo præclare gestis certior factus à Pilato, retulit ad Senatum, ut inter Deos allegeretur. Abnuit quidem Senatus, sive propter supplicii dedecus, quo extinctus est Christus; sive propter Judaicæ gentis infamiam, quam his verbis jam ante notaverat Cicero: *Sua cuique civitati religio, Læli, est; nostra nobis. Stantibus Hierosolymis, pacatisque Judæis, tamen istorum religio sacrorum à splendore hujus Imperii, gravitate nominis nostri, majorum institutis abhorrebat: nunc vero hoc magis, quod illagens, quid de Imperio nostro sentiret, ostendit armis; quam cara Diis immortalibus esset, docuit, quod est victa, quod elocata:* sive quod se inconsulto rem jam transactam esse videret Senatus; sive quod externa sacra recipi jam vetuisset, ut est apud Livium; sacrificulos, vatesque Foro, Circo, Urbe prohibendos esse, vaticinos libros conquirendos & comburendos, & omnem denique disciplinam sacrificandi, præterquam more Romano, abolendam esse decrevisset. Utut est, perseveravit Tiberius in sententia & benevolentia adversum Christianos, & pœnis propositis eos accusationibus prohibuit. Auctorem habemus Tertullianum, scriptorem quidem Christianum, sed fidei nihilo magis suspectæ, cum hæc objecerit Senatui ipsi, Populoque Romano, qui rei falsitatem facile deprehendisset ex Commentariis publicis, iisque potissimum, quibus res sub Pilato gestæ continebantur, & quorum fidem non semel implorat Justinus. Hæc vero longe diversa erant a suppositiis aliis Pilati Actis, quæ Maximi subinde ævo conficta sunt. Quibus autem utebantur Tessarescædecatitæ Hæretici, Justini ætati proximi, ea videntur ex prioribus illis, quæ allegabat Justinus, sed adulterata & corrupta, profluxisse, utpote discrepantia ab illis & diversa. Quæ Templa passim Hadrianus sine idolis condidit, ea ferebatur esse Christi nomini consecraturus, nisi sacrorum consultores deterruissent, veriti ne id si fecisset, ad Christi partes relicto idolorum cultu universi transirent. Proditum id à Lampridio, in cujus sententiam mox diligenter inquiram. Narrat idem Alexandrum quoque Severum Christo Templum extruere, eumque in Deum cooptare voluisse, & pie coluisse in larario, sæpiusque hoc effatum, sive a Judæis, sive a Christianis sibi traditum pronuntiasse, & per præconem, quum aliquem emendaret, proclamari jussisse: *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris.* Denique in præjudicium pro Christianorum causa trahere possumus; id quod jam fecerunt Melito, & Tertullianus, & ex utroque Eusebius; quotquot nefarii & crudelitate insignes fuere Romanorum principes, bellum indixisse Christianis; eosdem fovisse, vel esse certe sivisse, quotquot æquitas sua & probati mores nobilitarunt.

Cicero pro Flacco.

T. Livius l. 39.

Tertull. Apol. c. 5. & 21.

Justin. Apol. 2.

Lamprid. Alexandr. Sev. c. 43 & 51.

Melit. apud Euseb. Hist. l. 4. c. 26. Tertullian. Apol. c. 5. Euseb. Hist. l. 5. c. 5.

XXIII. Sed revertamur ad Lampridium, quem haud me fugit Casaubono pœnas dedisse, quasi vanis vulgi opinionibus obsecutus Templa Christo destinata fuisse tradiderit, quæ sibi ipse Hadrianus in omnibus civitatibus condere cœperat, & suo nomini consecrare proposuerat, ut habet Spartianus in illius vita. Cogitabat autem, inquit Casaubonus, illuc simulacra mittere Hadrianus, vel præsens ipse consecrare, postquam essent absoluta. Quod cum morte præventus perficere non potuerit, & Templa complura mansserint imperfecta, multis post hanc ætatem annis vulgo creditum est Templa illa simulacris carentia, Christi Jesu honori ab Hadriano fuisse extructa. Causam cur hæc in animum suum induceret, & Lampridio contradiceret, non aliam habuit Casaubonus, quam patrum vetustiorum ea de re silentium. Verum Lampridii mentem parum videtur

Defenditur adversus Casaubonum Lampridii testimonium de templis Jesu Christo ab Hadriano extructis.

Digitized by Google

introspexisse vir solers cæteroquin & eruditus: non enim scripsit Historicus Templa illa quæ exstruere cœperat Hadrianus, mansisse sine numinibus, sed Hadrianum *Templa in omnibus civitatibus sine simulacris jussisse fieri*; quo significatur certum destinatumque fuisse Hadriani consilium, ut Templa Christo exstruerentur, nullis omnino vel exornata, vel exornanda idolis; cum ea quæ sibi, suoque nomini ipse condebat, simulacris insignita essent. Hujusmodi fuit illud, quod Jovi Olympio, ipsique Hadriano, Athenis dedicatum, aram habuisse, quam ipse sibi Hadrianus erexerat, refert Spartianus. Inerant præterea & plura ejus simulacra, ut testatur Pausanias in Atticis. Pergit Lampridius loqui de Templis Christo Jesu ab Hadriano excitatis: *Quæ hodie*, inquit, *quia non habent numina, dicuntur Hadriani.* A quibus ita dicuntur? utique ab Ethnicis, qui cum Templis nomina tribuere soleant, à Diis petita, quorum honori consecrata sunt, appellare illa noluerunt de famoso inter eos, & invidioso Christi nomine. Addit Lampridius: *Quæ ille ad hoc parasse dicebatur*; ab Ethnicis nimirum dicebatur; nam quis putet Lampridium, hominem itidem Ethnicum, ea de re Christianos consuluisse, fidemve illis tribuisse ullam? Ergo ab Ethnicis acceperat, Hadrianum ad hoc parasse templa, ut in iis Christus coleretur; verum a Sacerdotibus prohibitum, veritis ne si invalesceret Christiana religio, Ethnica concideret, ab incepto destitisse: quod adversariis nostris attestantibus credendum est. Fallitur præterea Casaubonus, cum scripsit jussisse Hadrianum templa fieri in omnibus civitatibus, suo nomini sine dubio consecranda, testemque citat Spartianum. Narrat enim Spartianus Hadrianum templa sui nominis consecrasse, non consecranda solum destinasse. Quæ ergo Templa sibi extruere cœperat Hadrianus, eadem absolverat, & instruxerat simulacris, & suo demum nomini consecraverat. Quæ vero Christo ædificari mandaverat, iis simulacra vetuerat inferri, & monitu Sacerdotum imperfecta fere reliquit. Cujus generis fuit Tiberiadense, & aliud Alexandrinum, quæ a Judæis in profanos usus conversa fuisse refert Epiphanius. Verum illud a Josepho Comite, hoc ab Athanasio, repurgata ac perfecta sunt, & Christo non tam tributa quam restituta. Minime vero jactandum id & extollendum censuerunt Christiani Scriptores; quod Ethnicis parata esset responsio, Templa quidem Hadrianum Christo extruere cœpisse, verum pœnituisse postea propositi, & mandatum revocasse, proindeque Christo destinata quidem fuisse Templa hæc, non dedicata.

Spartian. Hadr. c. 13.

Spartian. Hadr. c. 13.

Epiphan. Ebion. Hær. 30. c. 12. & Arti- an. Hær. 69. c. 2.

Satis igitur luculenter docuisse videor scriptas in Novo Testamento historias ita res gestas narrare, uti narrantur in multis libris ejusdem ætatis, vel ætati certe proximis, qua res gestæ sunt. Hoc si tenemus, quod non potest convelli, profecto veraces esse historias in novo Testamento scriptas necesse est. Quod erat probandum.

ΠΟΡΙΣΜΑ.

Jesus est Messias.

Quod si veraces sunt historiæ, quæcunque in novo Testamento scriptæ extant; si tot miracula patravit Jesus, si tot Prophetias edidit, quæ deinde sunt eventu comprobatæ; si postquam ipse rebus terrenis exemtus, & in cœlum receptus est, vim portentificam & prodigialem, sanctumque adeo Spiritum in Discipulos suos immisit; sicuti, dum inter ipsos versaretur, fuerat pollicitus; adeo ut gentium omnium linguis loquerentur, ægros sanarent, mortuos revocarent ad vitam; fatendum omnino est divinum hominem fuisse Jesum, pium ac sanctum, Deo afflatum, Deoque plenum; quem fraudis, vafritiei, ac vaniloquentiæ suspectum habere nefas sit. Atqui se ipse Messiam esse palam professus est. Igitur Messias fuit. Id proponimus pro re nata, & in antecessum, quod suo loco fusius demonstrabitur.

PROPOSITIO IV.

Genuini sunt Libri Veteris Testamenti.

AB iis enim auctoribus scripti sunt, a quibus dicuntur esse scripti & iis circiter temporibus, quibus scripti esse feruntur. Id ut obtineamus, definite ac partite loci hujus quæstio tractanda est, ac singulæ Veteris Testamenti partes sigillatim explorandæ. Magnum opus, si res fuse agatur & enucleate pro merito suo. Nos adhibebimus modum, & intra legitimos fines nostra sese diligentia continebit: non ita in arctum desilientes, ut

Librorum Vet. Test. antiquitas generatim probatur.

quæstio-

Digitized by Google

quæstiones aliquas instituto operi haudquaquam penitus conjunctas obiter attingere occasione data religio fit; neque vero ita exspatiantes, quoad ingens ac prope infinita materies & ubertas rerum postulabit. Ac primum duobus argumentis omnium fere Veteris Testamenti librorum antiquitatem probabimus. Prius arcessemus ex Librorum sacrorum Canone, qui ab Esdra, auctoritate Synagogæ magnæ, Artaxerxis Longimani temporibus, conflatus est: ut ad calcem Propositionis hujus demonstrabo. Unde sequitur libros ipsos, qui eo continebantur Canone, fuisse ea, quam dixi, ætate antiquiores. Alterum argumentum subministrat vetus interpretatio Græca, sive ab Interpretibus Septuaginta elaborata Ptolemæi Philadelphi ævo, quod vulgo creditur; sive multo recentiore, uti viris quibusdam eruditis visum est; sive partim ab his, partim ab aliis, ut opinati sunt nonnulli; omnium certe consensu ante Christi ætatem concinnata. Cum in ea enim libri haberentur iidem qui in Canone, prorsus hinc efficitur Christi temporibus esse vetustiores. Ex ea etiam scire licet, nomina ac titulos libris præfixos, unde ad agnoscendos auctores non inania sæpe capimus argumenta, minime illuc fuisse recentiorum hominum studio appositos, sed jam inde a prima origine istas sedes occupasse. His generatim præmissis, singulis deinceps libris suum continget examen, sua probatio: supervacua cæteroquin futura, si mihi res esset cum Christianis, qui non genuinos modo, sed divinos quoque libros illos fatentur; nunc vero adversus impios disputantibus nobis plane necessaria; juxta illud Gregorii Magni:

Greg. M. Præfat. in Job. *Quis hæc scripserit, valde supervacue quæritur, cum tamen auctor libri Spiritus sanctus fideliter credatur. Ego vero a quo scripti sint libri sacri diligenter quæsivi, quippe adversus eos disputans, qui Spiritum sanctum auctorem eorum esse non credunt.*

DE LIBRIS MOSIS.

Divisio dissertationis hujus de libris Mosis. AC ordiemur primum a Mosis Pentateucho: qui quoniam librorum omnium, qui supersunt, antiquissimus est, utile juxta erit & operosum vetustatem ejus & γνησιότητα quæsitis undique argumentis tueri. Quod ut ordine fiat, Scriptorum primo sacrorum utemur testimoniis; tum decurremus ad auctores reliquos: inde alterius generis ascisce-mus probationes, & ostendemus Mosem ipsum, ac res ab eo gestas & literis proditas, unicum fere fontem fuisse, unde universæ propemodum per orbem gentes confinxerunt Deos suos, Heroas, & auctores, totamque Theologiam suam hauserunt; Phœnices dico, Ægyptios, Persas, Indos, Thraces, Germanos, Gallos, Britannos, Hispanos, ipsos etiam Americanos; præcipue vero Græcos, & Romanos: quos omnes Mosem, personatum quidem, at certis tamen inter noscendum indiciis, retulisse inter Deos, & divino cultu prosecutos esse reperiemus: quod mirabile sane est, & impietati retundendæ summopere efficax. Nam quæ se expugnari non patietur pertinacia, siquidem ostendero quidquid apud antiquissimas gentes, & ingenii ac doctrinæ laude imprimis florentes, divinum, præstans, illustre, & valde vetustum habitum est, Deos puta, Diisque prognatos Heroas, conditores etiam urbium, ac legumlatores, nihil aliud fuisse quam expressas ad Mosis exemplar imagines; & quem divinis honoribus tot homines magno affecerunt consensu, hunc summi, quem nos colimus, Dei cultorem ac servum se tulisse? Si cui ergo prolixior æquo fortasse videbitur argumenti hujus tractatio, is reputet apud se utilitatem rei ac momentum ad causam, quam tuemur, obtinendam, ita breviorem etiam fatebitur. Atque hæc cum ipse mecum commentarer, miratus sum equidem sæpe numero in tanta literarum, ac sacrarum præsertim luce, neminem extitisse adhuc, qui hanc aperiret scenam, detractaque tot commentitiis Heroibus, ac Diis larva, quam iis prisci ævi superstitio imposuit, Mosem Mosi restitueret, ac publice agnoscendum proponeret. Id a me factum est hac dissertatione; nec ita quidem ut hoc argumentum exhausisse me putem, quod operis haudquaquam patiebatur ratio, neque ipse iniquis excluſus spatiis potuissem; sed unde tamen excitari possint studiosi ad persequenda reliqua, & antiquitates sacras e profanis Historiis eruendas. Huic disputationi subjiciemus alteram non dissimilis generis quæ reliquas Græcorum fabulas ex libris Mosis arcessitas esse & expressas evincemus. Indidem derivatos esse priscos earum prope omnium, quas dixi, gentium ritus complures demonstrabimus. Tum quæremus post-

Digitized by Google

modum quomodo sacrorum Librorum notitiam habuerint Græci, quos Ebraicæ ac externarum linguarum rudes fere & imperitos fuisse constat ; & an librorum Mosis interpretatio aliqua fuerit Alexandri ævo vetustior. Dehinc linguæ Ebraicæ, literarumque Samariticarum & Judaicarum originem perscrutabimur. Demum refellemus argumenta, quibus librorum Mosis oppugnari solet & dignitas & γνησιότης. Ac tandem de depravationibus Pentateuchi paucis tractabimus.

CAPUT PRIMUM.

I. *Probatur Scriptorum sacrorum testimoniis γνησιότης librorum Mosis.* II. *Utrum solum Deuteronomium, an universum Pentateuchum in Templo Helcias Pontifex repererit.*

Probatur Scriptorum sacrorum testimoniis γνησιότης librorum Mosis, Exod. 17, 14.

I. NUnc ergo probemus consequentes proxime & continua serie ætates Libros illos, qui dicuntur esse Mosis, adscripsisse Mosi, ac proinde ea ætate esse scriptos, qua scripti esse feruntur. Ac primum res a populo Dei gestas in literas retulisse Mosem liquet ex decimo septimo capite Exodi, in quo Amalecitanam victoriam jubet Mosem Deus *scribere ob monimentum in libro.* Mandata quoque a Deo accepta libris commisisse ostendunt illa e vigesimo quarto libri ejusdem capite ; *Scripsit autem Moyses universos sermones Domini:* & paulo post: *Assumensque volumen fœderis legit audiente populo :* Et hæc e tricesimo tertio: *Hæ sunt mansiones filiorum Israël, qui egressi sunt de Ægypto per turmas suas in manu Moysi & Aaron, quas descripsit Moyses juxta castrorum loca, quæ Domini jussione mutabant :* nec non & ista tricesimo quarto: *Scribe tibi verba hæc, quibus & tecum, & cum Israel pepigi fœdus.* Deutereronomium vero a Mose primum, & deinde a Josua fuisse descriptum, clarissimis indiciis testatum extat: sed hoc præcipue tricesimi primi capitis Deuteronomii : *Scripsit itaque Moyses legem hanc, & tradidit eam Sacerdotibus filiis Levi, qui portabant Arcam fœderis Domini, & cunctis Senioribus Israël :* nempe ut ad latus Arcæ fœderis servaretur. Tum eam septimo quoque anno publice prælegi sancit. Alio loco jubet Moses Regem Israelitis olim præficiendum, Deuteronomium a Sacerdotibus Leviticæ tribus acceptum describere. Canticum præterea jussu Dei scribit Moses, atque id Israëlitas docet, ut habetur in postremis Deuteronomii capitibus. Frequentem hujus Deuteronomii usum, & latarum in eo legum custodiam commendat auctor libri Josuæ: ipsum vero Josuam in lapidibus Deuteronomium descripsisse narrat in monte Hebal; & populum hinc precibus, inde diris devovisse, juxta traditum sibi a Mose præceptum in ipso Deuteronomio. Librum Justorum, qui capite decimo libri Josuæ laudatur, & libri secundi Regum capite primo, quidam putant esse librum Exodi ; R. Selomoh ipsum Pentateuchum. Josue præterea, in libro ipsius nomine inscripto, mandata executus esse dicitur, quæcunque a Mosi tradita fuerant: quod ut accurate fieri posset, descripta esse oportuit. Id confirmatur loco hoc Exodi: *Scribe hoc ob monimentum in libro, & trade auribus Josuæ:* & ex isto libri Josuæ: *Confortare igitur, & esto robustus valde, ut custodias & facias omnem Legem, quam præcepit tibi Moyses servus meus : ne declines ab ea ad dexteram vel ad sinistram, ut intelligas cuncta quæ agis. Non recedat volumen Legis hujus ab ore tuo, sed meditaberis in eo diebus ac noctibus, ut custodias & facias omnia quæ scripta sunt in eo.* Ex his sequitur Legem Mosis Josuæ temporibus scriptam extitisse: nec Legem solum secundam, quæ Deuteronomium est; sed priorem etiam, quæ posteriore amplior fuit; nam multa habuit prior Lex, quæ repetita non sunt in secunda. Atqui non posteriorem solum, sed priorem quoque descriptam habuisse Josuam necesse fuit, ut universis Mosis præceptis obtemperaret, & populum quoque in eorum obsequium flecteret: nam pars hæc præcipua fuit mandatorum Mosis. Itaque ante latum Deuteronomium Josuam præceptis instruit Moses, quæcunque ipse a Deo acceperat. Hæc enim leguntur capite Numerorum vicesimo septimo: *Fecit Moyses ut præceperat Dominus : cumque tulisset Josue, statuit eum coram Eleazaro sacerdote, & omni frequentia populi. Et impositis capiti ejus manibus cuncta replicavit, quæ mandaverat Dominus.* Et Josue ipse morti proximus, sic affatur Israëlitas : *Estote solliciti, ut custodiatis cuncta, quæ scripta sunt in volumine Legis Moysi.* Imprimis vero notabilis est locus ille libri ejusdem Josue: *Tunc ædificavit Josue altare Domino Deo Israël in monte Hebal*

Exod. 24, 4. 7.
Exod. 33, 1. 2.
Exod. 34, 27.
Deut. 31, 9. 10. 11. 25. 26.
Deut. 31, 19. 22.
Jos. 1, 8. & 23. 6.
Jos. 8, 31. & seq.
Jos. 10, 13. 2. Reg. 1, 18.
Jos. 8, 35. & 11, 15.
Exod. 17, 14.
Jos. 1, 7. 8.
Num. 27, 22. 23.
Jos. 23, 6.
Jos. 8, 30 & seq.

Digitized by Google

Hebal, ſicut præceperat Moyſes famulus Domini filiis Iſraël, & ſcriptum eſt in volumine Legis Moyſi, Altare de lapidibus impolitis, quos ferrum non tetigit: & obtulit ſuper eo holocauſta Domino, immolavitque pacificas victimas. Et ſcripſit ſuper lapides Deuteronomium legis Moyſi, quod ille digeſſerat coram filiis Iſraël. Hic manifeſte diſtinguitur primaria lex Moſi a Deo in monte Horebo tradita, quæ תורת משה *Lex Moſis* appellatur, a ſecundaria Lege משנה תורת, hoc eſt, Deuteronomio. Nam ex priori Exod. 20, 5. Lege citatur caput Exodi viceſimum, quo aram de ſectis lapidibus ædificari vetitum eſt. Hinc quoque, ut ex aliis quoque locis, quos infra afferam, refelluntur, qui Deuteronomium ſolum a Moſe ſcriptum eſſe cenſent, non reliquas partes Pentateuchi. Commemorantur quoque mandata Moſis in libro Judicum, his verbis: *Dimiſitque eos, ut in ipſis experiretur Iſraëlem, utrum audiret mandata Domini, quæ præceperat patribus eorum per manum Moyſi, an non.* Frequentior etiam horum mentio in libris Regum: velut cum Amaſias narratur interfectis patris ſui percuſſoribus, a filiis eorum manum abſtinuiſſe: *juxta quod ſcriptum eſt in libro legis Moyſi, ſicut præcepit Dominum dicens: Non morientur patres pro filiis, neque filii morientur pro patribus: ſed unusquisque in peccato ſuo morietur.* Atqui hæc conceptis verbis extant in Deuteronomio. Adde iſthæc e ſecundo capite tertii Regum: *Obſerva cuſtodias Domini Dei tui, ut ambules in viis ejus, ut cuſtodias ceremonias ejus, & præcepta ejus, & judicia, & teſtimonia, ſicut ſcriptum eſt in lege Moyſi, ut intelligas univerſa quæ facis* & hæc quoque e viceſimo primo capite quarti Regum: *Si cuſtodierint univerſam Legem, quam mandavit eis ſervus meus Moyſes:* tum & illa viceſimo tertio capite libri ejusdem: *Similis non fuit ante eum Rex, qui reverteretur ad Dominum in omni corde ſuo, & in tota anima ſua, & in univerſa virtute ſua, juxta omnem Legem Moyſi.* Paria his extant in Paralipomenis. Tale hoc e decimo ſexto capite libri prioris: *Juxta omnia quæ ſcripta ſunt in Lege Domini, quam præcepit Iſraëli:* & hoc quoque e decimo ſeptimo capite poſterioris: *Docebantque populum in Juda, habentes librum Legis Domini:* atque id etiam e viceſimo tertio capite ſequente: *Ut offerrent holocauſta Domino, ſicut ſcriptum eſt in Lege Moyſi:* tum & illud e viceſimo quinto capite ſequente: *Cumque roboratum ſibi videret imperium, jugulavit ſervos qui occiderant Regem, patrem ſuum, ſed filios eorum non interfecit, ſicut ſcriptum eſt in Lege Moyſi: Non occidentur patres pro filiis, neque filii pro patribus, ſed unusquisque in peccato ſuo morietur.* Plurima apud Esdram, qui fuit *ſcriba velox in Lege Moyſi*, Moſaicæ Legis mentio. Sic tertio capite: *Et ſurrexit Joſue filius Joſedec, & fratres ejus, & ædificaverunt altare Dei Iſraël; ut offerrent in eo holocautomata, ſicut ſcriptum eſt in libro Moyſi viri Dei:* ſic ſexto: *Et ſtatuerunt Sacerdotes in ordinibus ſuis, & Levitas in vicibus ſuis, ſuper opera Dei in Jeruſalem, ſicut ſcriptum eſt in libro Moyſi.* Crebro etiam in libro Nehemiæ commemoratur Lex Moſis. Sic capite nono: *Et legerunt in volumine Legis Domini Dei ſui quater in die:* & capite ſequenti: *Ut ambularent in lege Dei, quam dederat in manu Moyſi ſervi Dei:* & paulo poſt bis in teſtimonium eadem Lex adducitur: in decimo tertio quoque capite: *In die autem illo lectum eſt in volumine Moyſi, audiente populo: & inventum eſt ſcriptum in eo, quod non debeant introire Ammonites & Moabites in Eccleſiam Dei usque in æternum.* Quæ itidem ut alia in libris Moſis ſcripta leguntur. Præciptum vero illud eſt, quod extat in eodem libro Nehemiæ, Esdram Moſaicæ Legis volumen prælegiſſe univerſæ Iſraëlitarum genti, & interpretationibus explanaſſe. Jam vero liber Pſalmorum, quorum Moſem auctorem habent nonnulli, quid aliud eſt quam frequens Moſaicorum mandatorum iteratio? Pſalmi præcipue, ſeptuageſimus ſeptimus, centeſimus quartus, centeſimus quintus, & centeſimus triceſimus quintus, totam Pentateuchi hiſtoriam ab initio repetunt. Teſtimoniis Moſaicæ Legis aliquoties utuntur Prophetæ, Baruchus & Daniel. Meminit uterque dirarum, quibus impii devoventur in Lege Moſis. Sic præterea Baruchus ſecundo capite: *Sicut locutus es in manu pueri tui Moyſi, in die qua præcepiſti ei ſcribere Legem tuam:* & Daniel decimo tertio: *Erudierunt filiam ſuam ſecundum Legem Moyſi.* Inſigne & illud Malachiæ: *Mementote Legis Moyſi ſervi mei, quam mandavi ei in Horeb ad omnem Iſraël, præcepta,*

Judic. 3, 4.
4. Reg. 14, 6.
Deut. 24, 16.
3. Reg. 2, 3.
4. Reg. 21, 8
& 23. 25.
2. Par. 16, 14.
2. Par. 17. 9.
2. Par. 23, 19.
2. Par. 25, 34.
1. Esdr. 7, 6.
1. Esdr. 3, 2.
1. Esdr. 6, 18.
2. Esdr. 9, 3.
2. Esdr. 10, 29. 34. 36.
2. Esdr. 13. 1.
2. Esdr. 8, 1. & ſeq.
Bar. 1, 20. Dan. 9, 11. Deut. 27, 15. & ſeq. 28, 15. & ſeq. & 29. & 30. & 31. & 32. Bar. 2, 28. Dan. 13, 3.
Mal. 4, 4.

Digitized by Google

Tob. 7, 14. *cepta, & judæa.* Tobiæ conſanguineo ſuo Saram deſpondere ſe ait Raguel, *ut conjungeretur cognationi ſuæ ſecundum Legem Moyſi.*

Eccl. 45, 6. & 24, 33. Jeſus Siracides eximio Moſem ornat elogio, creatumque eſſe ait Iſraëlitici populi legumlatorem: quod apud eum non ſemel legere licet.

2. Mach. 7. 30. Plurima denique in Machabaicis libris Moſaici operis commemoratio: velut in ſeptimo capite libri ſecundi: *Non obedio præcepto Regis ſed præcepto Legis, quæ data eſt nobis per Moyſem:* quo capite & Cantici Moſis

2. Mach. 7, 6. Deut. 32, 36. fit mentio, ex eoque teſtimonium quoddam profertur.

II. Notabile vero imprimis illud eſt, quod habent Libri Regum, & Paralipomena, Helciam Pontificem, cum ſarta tecta Templi curaret, librum Legis, ipſa Moſis manu ſcriptum, ut indicare videntur Paralipomena, & Interpretes plerique volunt, in Domo Domini reperiiſſe: quem ad ſe miſſum cum Joſias legiſſet, ejusdem juſſu, univerſo populo audiente fuiſſe recitatum. Id ad omnes Moſis libros referendum manifeſto cenſet Joſephus, quod ad unicum Deuteronomium pertinere arbitrati ſunt, Athanaſius, Chryſoſtomus, & recentiores plerique: propterea, opinor, quod librum eumdem ab Helcia repertum fuiſſe crediderunt, quem manu ſua deſcriptum ad latus Arcæ fœderis locari juſſerat Moſes, ut narratur Deuteronomii ipſius triceſimo primo capite; hunc autem, non totam Legem, ſed Deuteronomium ſolum fuiſſe complexum, multorum opinio eſt: & quod decimo ſeptimo capite ſcriptum legitur de futuro Iſraelitarum Rege: *Poſtquam ſederit in ſolio regni ſui, deſcribit ſibi Deuteronium Legis hujus in volumine, accipiens exemplar a Sacerdotibus Leviticæ tribus, & habebit ſecum, legetque illud omnibus diebus vitæ ſuæ, ut diſcat timere Dominum Deum ſuum, & cuſtodire verba, & ceremonias ejus, quæ in Lege præcepta ſunt.* Huc accedit quod libri Joſuæ capite octavo, cum aram Domino extruit Joſue in monte Hebal, factum hoc legitur, *ſicut ſcriptum eſt in volumine Legis Moyſi;* cum id Deuteronomii viceſimo ſeptimo capite, nec alio præterea Pentateuchi loco reperiatur: & quod decimo quarto capite libri quarti Regum teſtimonium recitatur ex *libro Legis Moyſis,* quod Deuteronomii viceſimo quarto capite, nec alibi uſpiam in Lege habetur: & quod in libro Nehemiæ arceri jubentur ab Eccleſia Dei Moabitæ, & Ammonitæ, prout lectum fuerat *in volumine Moyſi,* quod non alibi quam Deuteronomii capite viceſimo tertio occurrit: & quod teſtimonia aliquot e Lege Moſis depromuntur a Barucho, & Daniele, quæ extra Deuteronomium fruſtra requiras. Ea jam a me ſuperius allata ſunt. Verum & reliquos præterea Pentateuchi libros *in latere Arcæ* ſimul fuiſſe aſſervatos & ab Helcia repertos, neque negat Auctor libri Regum, neque rationibus ſuis Toſtatus conficit, quæ ſunt ejusmodi, ut facile ex illis appareat poſitum fuiſſe in latere Arcæ Deuteronomium, non ut priores quatuor illinc fuiſſe excluſos nos fateri cogat, cum præſertim cenſeant Judæorum plerique, non Deuteronomium ſolum, ſed & totam Legem in Arca a Moſe fuiſſe incluſam. Viſum id eſt Iſaaco Abrabanieli, & R. Levi ben Gerſon. Plus aliquid legitur in Debarim rabba, nempe Moſem inſtante morte tredecim exemplaria Legis deſcripſiſſe, quorum duodecim in uſum cederent duodecim tribuum, unum vero in Arca ſervaretur, ex quo reliqua emendari poſſent, ſi quæ forte iis labes inoleviſſet. Hæc retulit & amplexus eſt Maimonides, & ad eorum probationem uſus eſt ipſis verbis Moſis: *Tollite librum iſtum, & ponite eum in latere Arcæ fœderis Dei veſtri, ut ſit tibi contra te in teſtimonium.* Hinc etiam occaſionem habuiſſe videtur Epiphanius, aliique poſt Epiphanium complures, ut crederent non Legem ſolum totam, ſed & libros omnes Canonicos intra Arcam fuiſſe reconditos, cum inde Apocryphi ſecluderentur; quod vanum tamen eſt ac frivolum; nam in Arca ſolas fuiſſe Tabulas lapideas a Deo ſcriptas diſcimus ex libris Regum, & Paralipomenon: Lex autem fuit ad latus Arcæ exterius; quod & urna aurea mannæ plena, & Aaronis virga, hoc eſt, ſi Jonathanem Paraphraſtem Chaldæum audimus בקופסא *in capſa*, ad latus dextrum Arcæ: vel ſi Gemaram Thalmudici libri שקליים, in גלוסקום *in γλωσσοκόμῳ*, hoc eſt, ſcrinio. Cum autem poſt Templi ædificationem, Tabernaculum, plurimaque Tabernaculi vaſa & ſuppellectilem, in Templi ipſius Gazophylaciis fuiſſe repoſita veriſimile ſit, illuc quoque illatam fuiſſe capſulam, legis volumini recondendo deſtinatam, credere par eſt: quæ poſtquam diu illic neglecta

Utrum ſolum Deuteronomium an univerſum Pentateuchum in Templo Helcias Pontifex repererit? 4. Reg. 22. & 23. 2. Par. 34, 14. & ſeqq. Joſ. Ant. l. 10. cap. 5. Ath. Epiſt. ad Marc. Chryſ. Homil. 9. in Matth. 2. & Hom. 7. in 1. Corint. 2. Deut. 31, 9. 11. 24. 26.

Deut. 17, 18. 19.

Joſ. 8, 31.

Deut. 27, 5. & ſeq.

4. Reg. 14, 6

Deut. 24, 16

2. Eſdr. 13, 1. Deut. 23, 3.

Bar. 1, 20. & 2, 28 Dan. 9, 11. 13. & 13. 63.

Toſt. Qv. 10. in 4. Reg. 22.

Abrab. in Deut. 31. 9. 26. R. Levi ben Geri. ibid.

Maimon. Præfat. in Jad. Chazac. Deut. 31. 26.

Epiph. de pond. & menſ. c. 4.

3. Reg. 8, 9. 2. Par. 5, 10. Ebr. 9, 4. Jonath. in Deut. 31, 26

Digitized by Google

glecta & ignorata jacuit, tandem ab Helcia Pontifice reperta sit. Quamobrem non in Arca Domini, sed *in domo Domini* repertum a se librum Legis prædicat Helcias; non fimeto infossum, ut conjectavit Chrysostomus, sed, ut Ebræi sentiunt, in capsula illa reconditum, quæ stante Tabernaculo fuerat ad latus dextrum Arcæ. Sed de his infra. Libet huc adjicere Arabum quorundam opinionem, qui tradunt Phinee quinque libros Legis, servatam Mannæ portionem, Tabulas duas, virgam Mosis, & illam Aaronis quæ folia produxerat, in urnam æneam congessisse; tum vas plumbo obturatum clam abdidisse in spelunca, cui deinde inædificatum est Templum Salomonis. Quæ somnia sunt vanæ gentis. Ad testimonia vero illa e Deuteronomio depromta quod attinet, sciendum est fuisse Deuteronomium, velut compendiariam priorum Pentateuchi librorum explanationem, & Legis totius breviarium, in familiarem & quotidianum populi Israelitici usum compositum. Id declarat ipse Moses, cum ait initio Deuteronomii: *Cœpit Moyses explanare Legem & dicere: Dominus Deus noster locutus est ad nos in Horeb.* Prioris fœderis iterationem, ad quasi novum fœdus fuisse significant illa e vicesimo nono capite Deuteronomii: *Hæc sunt verba fœderis, quod præcepit Dominus Moysi, ut feriret cum filiis Israel in terra Moab, præter illud fœdus quod cum eis pepigit in Horeb.* Atque hinc porro Liber ille dictus est Deuteronomium, secunda Lex; relata in literas itidem ut prima; quam primam Legem si quis a Mose scriptam ut secundam negare ausit, opprimetur hoc loco Exodi: *Scripsit autem Moyses universos sermones Domini.* Et deinde: *Assumensque volumen fœderis, legit audiente populo.* Atque ea sane a Deo ipso fuerat jam ante ex parte descripta: sic enim habetur in Exodo: *Dixit autem Dominus ad Moysem: Ascende ad me in montem, & esto ibi, daboque tibi Tabulas lapideas, & Legem, ac mandata quæ scripsi, ut doceas eos.* At Deuteronomium cum esset Legis, ut dixi, summarium, hinc illud præcipit Moses suspendi pro signo in manibus, inter oculos collocari, postibus domuum adscribi, nocturna ac diurna manu versari, propter brevitatem nimirum & condiscendi facilitatem. Res itaque illic delibatas tantum, & quasi perstrictas animadvertere licet, quæ jam fuerant enucleatius descriptæ. Quod autem tritior ejus esset & promptior usus, idcirco testimonia ex eo peti solebant. Cum hominum esset eruditiorum, & accuratiorem rerum notitiam quærentium, tractatio reliquorum Librorum: ex quibus tamen non pauca itidem depromta videas in recentioribus Scripturæ sacræ Libris. Cujusmodi est illud secundi Paralipomenon: *Immolaverunt autem Phasè quarta decima die mensis secundi. Sacerdotes quoque, atque Levita tandem sanctificati obtulerunt holocausta in domo Domini. Steteruntque in ordine suo juxta dispositionem, & Legem Moysi hominis Dei.* Et capite sequenti: *Pars autem Regis erat, ut de propria ejus substantia offerretur holocaustum mane semper & vespere; Sabbatis quoque, & Calendis, & solennitatibus cæteris, sicut scriptum est in Lege Moysi.* Et capite trigesimo quinto: *Et immolatum est Phasè, asperserunt-que Sacerdotes manu sua sanguinem, & Levita detraxerunt pelles holocaustorum, & separaverunt ea, ut darent per domos, & familias singulorum, & offerrentur Domino, sicut scriptum est in libro Moysi.* Et in Nehemiæ libro, capite decimo, plurima recensentur ex Lege Mosaica: quæ sane in Deuteronomio nusquam leguntur. Plura hujusmodi proferre possem. Adde & allata Deuteronomii verba, *Deuteronomium Legis hujus*, ab Onkelo, Aben Ezra, & Kimchio, aliisque Interpretibus exponi, *Legis exemplar*, ἐκτύπωσιν, *descriptionem*, minime vero ad quintum Pentateuchi librum referri. Sed hæc sufficiunt, & ad reliqua properandum est.

4. Reg. 22, 8 Chrys. in Matth. 2. Homil. 9. & in 1. Cor. 2. Hom. 7. Abulfarag. Histor. Or. Dyn. 2.

Deut. 1, 5.

Deut. 29. 1.

Ex. 24. 4. 7.

Exod. 24, 12

2. Paral. 30. 15. 16.

2. Par. 31. 3.

2. Paral. 35. 11. 12.

CAPUT SECUNDUM.

I. *Probatur aliorum Scriptorum testimoniis* γνησιότης *librorum Mosis:* II. *Sanchoniathonis*, III. *Homeri, & Hesiodi*, IV. *Pentateuchi Samaritani*, V. *Thaletis*, VI. *Solonis*, VII. *Pherecydis*, VIII. *Pythagoræ*, IX. *Anaxagoræ*, X. *Hellanici*, XI. *Charondæ*, XII. *Socratis*, XIII. *Theopompi, & Theodectis*, XIV. *Platonis*, XV. *Ægyptiacarum Mercurii Columnarum, quæ quid fuerint ostenditur*; XVI. *Aristotelis*, XVII. *Hecatæi*, XVIII. *Eudoxi*, XIX. *Berosi*, XX. *Abydeni*, XXI. *Demetrii Phalerei*, XXII. *Septuaginta Interpretum Scripturæ sacræ, & Aristeæ*, XXIII. *Ezechieli*, XXIV.

Digitized by Google

Manethonis, XXV. *Philochori*, XXVI. *Ariſtobuli Judæi*, XXVII. *Polemonis*, XXVIII. *Eupolemi*, XXIX. *Demetrii Judæi*, XXX. *Cleodemi*, XXXI. *Theodoti*, XXXII. *Philonis Senioris*, XXXIII. *Alexandri Polyhiſtoris*, XXXIV. *Apollonii Molonis*, XXXV. *Caſtoris Rhodii*, XXXVI. *Diodori Siculi*, XXXVII. *Chæremonis*, XXXVIII. *Trogi Pompeji*, & *Juſtini*, XXXIX. *Nicolai Damaſceni*, XL. *Ptolemæi Mendeſii*, XLI. *Strabonis*, XLII. *Apionis*, XLIII. *Philonis*, *Joſephi*, & *Juſti Tiberienſis*, XLIV. *Auctorum libri tertii*, & *quarti Esdræ*, & *tertii Machabæorum*, XLV. *Juvenalis*, XLVI. *Plutarchi*, XLVII. *Philonis Byblii*, XLVIII. *Galeni*, XLIX. *Ptolemæi Chenni*, L. *Taciti*, LI. *Plinii*, *Apuleji*, LII. *Luciani*, LIII. *Numenii*, LIV. *Longini*, LV. *Porphyrii*, LVI. *Trebellii Pollionis*, LVII. *Jamblichi*, LVIII. *Juliani τῷ παραβάτῃ*, LIX. *Helladii Beſantinoi*, LX. *Artapani*, LXI. *Thalli*, LXII. *Hiſtiæi*, LXIII. *Lyſimachi*, LXIV. *Poëmatis vetuſtiſſimi Phocylidi adſcripti*, LXV. *Onkeloſi*, *Jonathanis*, *Hieroſolymitani Interpretis*, *Hagiographorum Paraphraſtis*, *Syri Interpretis*, *Aquilæ*, *Theodotionis*, *Symmachi*, *Hierichuntinæ*, & *Nicopolitanæ Interpretationis*.

Probatur aliorum Scriptorum teſtimoniis. γνησιότης librorum Moſis

I. EX ſuperioribus, ni fallor, ſatis luculenter demonſtratum eſt, quam perpetua, jam inde a Moſis ævo, & certa Libris ejus conſtituerit auctoritas: quam ſi externis jam confirmare libet teſtimoniis & aliorum Auctorum aſciſcere auxilia, qui vel Moſis ipſius, vel Moſaicarum ſcriptionum aliqua ſe notitia imbutos fuiſſe prodiderunt, a proximis Moſi temporibus, ad confirmatum jam in orbe Chriſtianiſmum, clarius etiam Propoſitionis hujus veritas eluceſcet. Tam alte ergo repetitis diſquiſitionis hujus initiis, per conſequentes ætates noſtra decurret oratio.

Sanchoniathonis.

II. Ac ordiemur primum a Sanchoniathone Berytio, antiquiſſimo Phœnicarum rerum Scriptore, quem Trojanis vetuſtiorem fuiſſe temporibus, & Moſe uno alterove ſæculo recentiorem, ex Phœniciæ regum ſucceſſionibus probari ſcribit Porphyrius. Hujus opus e lingua Phœnicum Græce reddidit Philo Byblius, unde nonnulla excerpſit Euſebius, & libris ſuis de Evangelica præparatione intexuit. Atque ea quidem talia ſunt, ut attendenti appareat pleraque ipſum e Moſis fontibus in lacunas ſuas derivaſſe. Non eſt otii noſtri rem accuratiori examine ventilare, & ab aliis jam hæc occupata provincia eſt. Id obſervandum nobis eſt, quod tradidit Porphyrius, & eſt ad rem quam tractamus appoſitum, commentaria accepiſſe Sanchoniathonem ab Jerombalo Sacerdote Dei Jevo, & Judæis veriſſima prodidiſſe. Jerombalum autem eum eſſe Gedeonem, ex libro Judicum, ubi non ſemel Jerobaal cognominatur, ſciunt eruditi, & docuit Suidas, ſed in vocis originatione falſus eſt; quemadmodum in ipſa re Georgius Syncellus, qui Jerombalum Gedeonis fratrem eſſe credidit, nominis duplicis ambiguitate deceptus. Quæ autem a Gedeone commentaria Sanchoniathon accepit, quid aliud eſſe dicamus, quam ipſos Moſis libros, quorum doctrina tinctæ ſunt & aſperſæ, ut dixi, ſuperſtites Sanchoniathonis reliquiæ? Omnem vero dubitationem tollit, quod notatum eſt a Philone Byblio, Sanchoniathonem, cum de rerum principiis & mundi origine commentaturus eſſet, ſumma diligentia Taauti libros evolviſſe, utpote quem ſciret eſſe literarum repertorem, & primum commentaria reliquiſſe; ab eoque ſumſiſſe ſcribendi argumentum. Tum poſteaquam Sanchoniathonis diſſertationes de mundi & animalium procreatione expoſuit, hæc omnia ait in Taauti Coſmogonia fuiſſe deſcripta, quæ ſibi comperta ex ſignis & conjecturis mens ipſius nos docuit; atque hunc Taautum, ab Ægyptiis Thoyth, a Græcis Mercurium appellari. Jam vero hæc omnia mecum argumenta recollige: De mundi generatione ſcripſit Taautus; ſcripſit & Moſes: literarum inventio Taauto tribuitur; tribuitur & Moſi ab Eupolemo, Theodoreto, & Iſidoro: Taauti libris ad opus ſuum lucubrandum uſus eſt Sanchoniathon, idemque a Gedeone commentaria ad id ipſum accepit; Moſis doctrinam ſpirant paſſim & repræſentant Sanchoniathonis reliquiæ, planeque in locis & nominibus exprimendis conſentiunt, vel ipſo Porphyrio teſte: quis non inde conjiciat Taautum illum fuiſſe Moſem? At nos id quoque infra multiplici argumentorum congerie clarius etiam & certius

Porphyr. apud Euſ. de præp. Ev. l. 1. & 10.

Jud. 6, 32. & 7, 1. & 8, 35. Boch. Chan l. 2. c. 17. Suidas in Ἱεροβάαλ. Georg. Syncell. Chronogr. ad annum Mund. 4115

Philo Bybl. apud Euſ. de Præpar. Evang. l. 1.

Eupol. ap. Clem. Al. Strom. l. 1. Theod. in Gen. Inter. 61. Iſidor. Origin. l. 1. c. 3.

Porphyr. l. 4. contr. Chriſt.

Digitized by Google

tius approbabimus. Neque me fugit de Sanchoniathonis antiquitate multum detraxisse Scaligerum, aliosque post eum novitios Scriptores. At certum nobis est adhærere sententiæ Porphyrii, Eusebii, Cyrilli, & Theodoreti, innixæ successionibus regum Phœnices, petitisque inde Chronologicis ratiociniis: quoad nos ab hac opinione validiora dimoveant argumenta, quam quæ hactenus allata sunt.

Scaliger. in Fragm. pag. 40.

III. Sanchoniathonem excipient Homerus, & Hesiodus, quorum scriptis nullum antiquius habent Græci: nam Orphica quæ circumferuntur, Pisistrati ævo haudquaquam vetustiora sunt. Homerum studiorum causa Ægyptum petiisse tradit Diodorus: imo & Ægyptius a plurimis existimatus est, ut asseverat Clemens Alexandrinus. Cum autem dubitare nos non sinant ea quæ dicturi sumus inferius, quin tum apud Ægyptios vigeret Mosis memoria, atque illuc jam penetrassent ipsius scriptiones, quis illas, unde tantarum rerum notitiam poterant comparare, neget ab iis lectas & sublectas, qui illuc discendi gratia proficiscebantur? Multis id confirmat Justinus in Paræneſi, & libri ipsi Homeri loquuntur, in quibus sexcenta deprehendere licet ex Mose depromta. Velut cum scribit Deos peregrinorum habitu urbes circumire, ad exploranda hominum bene vel male facta. Id ipsi suppeditavit Moses, cum tres Angelos Abrahamo apparuisse scribit Augurium, ejusque expositio, quæ habentur in Odyssea, cum aquilas in capita procorum involantes mortem ipsis Augur portendere declarat; nonne similis ostenti imitatio est, quod Ægyptio pistorum magistro in somnis contigit, & in paris eventus significationem traxit Josephus? Multa etiam hujus generis apud Hesiodum nanciscare. Græcanicæ Theogoniæ architectos fuisse Homerum & Hesiodum disertis verbis Herodotus pronuntiat: quam multa autem in tota hac Mythologia e Mose manifesto petita? quod & infra probabimus. Chaos Hesiodo memoratum, ex Mosis verbis confictum esse agnoscunt omnes. Aristoteles libello de Xenophane, Zenone & Gorgia, Chaos illud Hesiodi, ex quo orta sunt omnia, nihil esse diserte pronuntiat. Hesiodi ejusdem Erebus, ipsum est אפל Mosis. Diem Nocte satum, proindeque recentiorem finxit: Moses quippe vespertinum tempus matutino antepositi, & post tenebras lucem creatam dixit. Septimum diem sacrum esse, & hic docuit, & Homerus, qui & eo cuncta perfecta fuisse addit, ut ab Aristobulo adnotatum est. Hominem luto formatum, & primorum hominum vitam nostra hac fuisse diuturniorem scripsit Hesiodus: quæ mere Mosaica sunt. Ate Homeri, Pandora Hesiodi, Eva est parens generis humani. Omnia Homerum ex Oriente depromsisse, demonstraturum se spondet non semel Heinsius in Aristarcho sacro. Prodiit libellus ante annos aliquot, quo locutiones Homericæ & Hesiodeæ, Mosis aliorumque Scriptorum sacrorum locutionibus similes colliguntur. Ex quibus cognoscitur tantam Ebraismorum segetem, nonnisi ex Librorum sacrorum lectione suboriri potuisse. Atque hinc factum opinor, ut Aristeæ Proconnesii, qui sæpe confunditur cum Aristæo Apollinis filio, quem Mosem esse ostendemus, discipulum credi ab aliquibus Homerum Strabo & Eustathius prodiderint.

Homeri, & Hesiodi.

Diod. l. 1.

Clem. Al. Strom. 1.

Hom. Od. ε.

Hom. Od. β.

Herod. l. 2. cap. 53.

Aristob. ap. Eus. Præp. l. 13. c. 12.

Heins. Ar. sacr. part. 1. c. 1.

Strab. l. 13. Eustath. in Hom. Il. β.

IV. Ex omnibus argumentis, quæ ad fidem Mosaicis libris adstruendam colligi possunt, vix validius ullum reperias, quam quod ex Pentateuchi Samaritani vetustate & auctoritate ducitur. Cum enim jam inde ab Jeroboami perduellione, decem tribus secessione facta suis legibus, suaque Religione uti cœpissent; majorque deinde exarsisset invidia, postquam Templi Hierosolymitani, Urbisque adeo ipsius instaurationem Esdras interpellantes devovit, & horrendi carminis pronuntiatione sacras & infames esse jussit, capitale demum odium, & perpetua dissociatio consecuta est ab Alexandri Magni temporibus, ex quo Manasses Jaddi Pontificis frater, Sanabelletis Satrapæ, qui Darii nomine Samariam regebat, filia uxore præter fas & Legis præscriptum ducta, Sacerdotio exauctoratus est. Cujus injuriæ impatiens, ne amatam conjugem dimitteret, confugit ad socerum, & templo ab eo in monte Garizim extructo præfectus, Pontificem se gessit. Tempore ab hoc nullus amor populis, nec fœdera fuerunt, sed implacabile dissidium, quod ad hanc diem perseverat. Et tamen utraque gens suum Pentateuchi codicem habet, nihil vel parum certe dissentien-

Pentateuchi Samaritani.

Digitized by Google

tem; hunc Samaritanis literis exaratum, qui veteres fuerunt Chananæorum characteres; illum Judaicis, qui post captivitatem Babylonicam ex Assyriis detorti sunt. Etsi probabile est viros gentis utriusque eruditos, & studiosos Legis, quorum in ea emendanda summa erat diligentia, adversariorum codicibus nonnunquam esse usos, aliosque ex aliis vel castigasse vel suppleviſſe. Nam populorum odia & dissensiones ad privatos aliquando parum vel nihil pertinent: & flagrante nonnunquam bello animadvertimus constare nihilominus literatorum commercia; vel iis certe desitis, mutuo tamen utrosque librorum usu frui. Quæcumque autem alios ex aliorum codicibus vel supplevisse vel emendavisse fateamur, levia hæc sunt, vel nihil potius ad totius libri summam, quæ in utrisque codicibus par & integra permansit. Ex hac autem amborum codicum consensione recte colligitur, tales ad hoc tempus perseverasse, quales tum fuerunt, cum gentis utriusque divortium intervenit: cum neque dici neque credi possit, totas conspirasse gentes ambas, in utroque
Joh. 4, 9. codice confingendo, & supponendo: *Nec enim contebantur Judæi Samaritanis.* Quamvis negari non possit, privatos fortasse utrimque homines aliquos mutuam familiaritatem coluisse. Quo circa ad Mosaicarum librorum γνησιότητα comprobandum hoc argumento jure usus est R. Joseph in libro Ikkarim.

Thaletis. V. Circiter trigesimam quintam Olympiadem florebat Thales, oriundo Phœnix, Ægyptiorum & Chaldæorum sine controversia
Joseph. l. 1. contr. Ap. Laert. in Thalete. discipulus, uti de ipso prædicat Josephus. In Epistola autem Thaletis ad Pherecydem, quæ refertur a Laertio, & κιβδηλίας (*falsitatis*) mihi suspecta est, in Ægyptum penetrasse se ait, non ut cum Astronomis solum, sed & Sacerdotibus congrederetur. Quem deinde morem adeundæ Ægypti tenuerunt vetustiorum Græciæ Philosophorum plerique, ut ex ipsis fontibus puriores patriæ doctrinæ latices haurirent. Non semel igitur candide agnoscit Plato, aliique complures, quæcunque de rebus divinis a Græcis disputata sunt, ex Æ-
Diodor. l. 1. & 5. Plutarch. de Iſid. & Osiric. gyptiis scholis esse profecta. Idem argumentum persequuntur Diodorus, Plutarchus, & alii, clarissimosque Græcanicæ eruditionis, & Philosophiæ antistites, Melampodem, Dædalum, Musæum, Orpheum, Homerum, Thaletem, Solonem, Pherecyden, Pythagoram, Lycurgum, Anaxagoram, Democritum, Oenopidem, Eudoxum, & Archimedem, in Ægyptum philosophandi causa se contulisse narrant, & Ægyptiis magistris esse usos, quorum & nomina recensent. Ex Ægyptiorum ergo quos adierat, & Phœnicum ad quos genus ferebat, rivis, in quos magnam Mosaicæ doctrinæ copiam confluxisse mox ostendemus, abunde Thales hortulos suos irrigavit. Hinc Deum definiebat, quod rerum omnium antiquissimum est: atque hanc ajebat esse Mentem, quæ cuncta ex aquis formavit. Hinc hominum cogitata Deo perspecta esse sciscebat. Hinc hominum animos primum immortales esse dixisse fertur. Hinc lucem tenebris posteriorem esse statuit. Quæ non ex apothecis Philosophiæ, sed ex intimis veræ Theologiæ myrotheciis depromta sunt.

Solonis. VI. In dubia eadem & suspecta ad Pherecyden Epistola, Solonem itineris in Ægyptum socium habuisse se ait Thales, & cum Sacerdotibus ac Astronomis Ægyptiis utrumque esse conversatum. Idem testatur Plato in Timæo. Sonchin & Psenophin Sacerdotum illorum celeberrimos nominat Plutarchus. Tradit Diodorus Solonem, itidem ut Lycurgum, multa de legibus Ægyptiorum in legum suarum collectionem transtulisse; cum alibi Mosaicis legibus usos Ægyptios docuisset. Inde fit ut pleraque Athenienſium instituta Mosaicis fuerint consimilia, ut paulo post notabimus. Inde inter illustriora ejus effata celebratur illud, quo Diis honorem, parentibus reverentiam exhiberi præcipiebat. Atque ea sane e Decalogo petita erant.
Plutarch. Sid. & Osirid. Diodo. l. 2.

Pherecydis. VII. Ægyptiorum quoque & Chaldæorum discipulus fuit Pherecydes; imprimis vero Phœnicum, ex quorum secretis voluminibus, cum nullo magistro usus esset, magnam fertur adeptus esse rerum divinarum peritiam. Secreta hæc Phœnicum volumina, Mosis volumen interpretor, quod arcanum Juvenalis appellat. Phœnicibus autem tribuitur, qui sæpe apud exoticos Scriptores, ut non semel a me notatum est, pro Judæis veniunt. Vel Sanchoniathonis fortasse opus recte intelligas, quod a Mosaico exceptum est.
Juven. Sat. 14.

VIII.

Digitized by Google

VIII. Hos excipit Pythagoras Samius, in Syria natus, Juxta Jamblichi, aliorumque sententiam. Is itaque patriæ revisendæ desiderio, Sidonem, Tyrum, & Byblum navigavit, ac totam fere lustravit Syriam; & Chaldæos, Ebræos, Arabes, ac Ægyptios præceptores habuit. Scribit Jamblichus Sidone congressum fuisse Pythagoram cum Mochi Physiologi successoribus. Mochi historici Phœnicis, qui res gentis suæ patria lingua prodidit, meminerunt Athæneus, Josephus, & Tatianus. Ochus appellatur apud Diogenem Laertium, & Suidam. At is quem commemorat Jamblichus, de rerum natura disseruit. Itaque hic ipse est, quem Moschum Sidonium appellat Strabo, quemque Physica tractasse ait, & Trojano excidio fuisse vetustiorem. Meminit ejusdem & Sextus Empiricus, ab eoque doctrinam suam Democritum petivisse statuit, auctore Posidonio. Hinc ergo emendandus Jamblichius, & pro, Μόχυ, quod etiam in scriptis Codicibus reperi, scribendum, Μόχυ. Atqui, Μόχος, ipsissimum videtur, משה Moses, qui merito φυσιολόγος dictus est, utpote qui scripserit de rerum primordiis, quique Trojanum bellum ætate præcessit, & Sidonius credi potuit ab iis qui patriam ipsius ignorabant, vel quod in hac potissimum urbe propagata fortasse fuerit ipsius doctrina, multique eam amplexi sint; vel propter Judææ viciniam: nonnunquam enim cum Phœnicibus Judæos confundi certum est. Adeundæ Ægypti auctor Pythagoræ fuit Thales: abeuntem Polycrates commendatitiis ad Amasim Ægypti regem literis prosecutus est, Amasis vero ad Ægyptios Sacerdotes. Quo cum perveniisset, Sonchidi Archiprophetæ in disciplinam se tradidit. Ac primum eum circumcisum ferunt: tum deinde per viginti duorum annorum decursum, non Astronomicis solum, & Geometricis, sed sacris etiam, & interioribus doctrinis institutus est, & omnibus Deorum mysteriis initiatus. Chaldæos quoque, Assyrios, & Persarum Magos audivit, & magna demum disciplinarum merce ditatus Philosophiam suam instruxit. Quam multa autem Mosaica, inter Judæos & vicinas gentes conquisita, illuc contulerit, optimus testis Hermippus, qui Judæorum dogmata ac leges Pythagoram in suam transtulisse Philosophiam scripsit; ut ex Josepho, & Origene discimus. Testis & Aristobulus Judæus apud Clementem Alexandrinum, & Eusebium. Horum ille colligit aliquot Pythagoræ dogmata, & Mosaicis consentire ostendit; velut illud e Decalogo, quo sculptilibus interdicitur, expressisse Pythagoram ostendit; cum vetuit imaginem Dei annulo inscribi. Mosem etiam secutos esse docet Pythagoreos, cum hominem ad Dei imaginem conditum esse definierunt. Quod eorum dogma ex testimonio Jamblichi, & laudati ab Jamblicho Archytæ Tarentini facile colligitur. Multa ad hæc similia congerit, quæ prætereo. Eodem pertinent alia quoque jam observata a Grotio: cujusmodi est ea lex, qua morticinorum prohibetur esus, quamque inter præcepta sua Pythagoras retulit. Cum nudis pedibus idem sacra fieri jussit, nonne mandatum Mosi de rubo ardenti editum videtur in mente habuisse, quemadmodum ab Ambrosio notatum est? Nonne ex eodem sumsit asperfionum & levationum usum, per quem eam dicebat comparari munditiem, quæ Deorum cultui esset idonea? Integrum quoque præceptum Mosis repræsentavit Pythagoras, quo ne frugiferæ succiderentur arbores interdixit. Ex historia Balaami & Asinæ prodiit Pythagoricum illud, non transeundum illac, ubi asinus procubuerit. Adde Timæum Locrum Pythagoreum, & Platonem in libro, quem Timæi hujus nomine inscripsit, de mundi opificio pleraque Mosis doctrinæ consona differere. Adde & veri persimilem conjecturam Seldeni & Wendelini, qua mirificam illam Pythagoræ τετραγράμματον ipsum esse suspicantur Dei nomen יהוה, atque ejus notitiam a Daniele jam sene Pythagoram, cum in Babylonia degeret, accepisse. Danieli adjungi poterat & Ezechiel, ut ostendam infra. Notabile hoc habet Plutarchus, Pythagoram, & Platonem asseverasse mundum a Deo esse factum, & suapte natura corruptioni esse obnoxium. Idem alibi pleraque Pythagoræ dogmata, Numæ Pompilii dogmatis consentanea profert; quæ ex Mosaicis legibus expressa esse manifestum est. Velut cum Deum neque corrumpi posse, neque sensu percipi, sed intelligi solum uterque statuit: & cum vetuit Numa Deum ad hominis, aut animalis cujuscunque formam exprimi; unde nec centum ac septuaginta prioribus Romani regni annis ulla

Pythagoræ, Jambl. de vit. Pyth. l. 10. c. 2. Euseb. Præp. l. 10. c. 4. Cleanth. apud Malchum de vit. Pyth. & Clem. Alexand. Strom. 1. Jambl. de vit. Pyth. l. 1. c. 3. Athen. l. 3. Joſ. Antiq. l. 1. c. 4. Tatian. Orat. contr. Gent. Diog. Laert. Proœm. Suidas in ἄχος. Strab. l. 16. Sext. Emp. adv. Math.

Joseph. l. 11. contr. Ap. Origen. l. 1. contr. Celſ. Clem. Alex. Strom. l. 2. & 5. Euseb. Præp. l. 9. & 13.

Grot. de verit. relig. Chr. l. 1. & Annot.

Ambroſ. Epiſt. l. 3. Ep. 20.

Selden. de Diis Syr. Synt. 2. c. 1. Godofred. Wendel. Diſſert. de Pythagor. Tetracty. Plut. de Placit. Philoſoph. & in Numa.

Digitized by Google

Dei effigies Romæ extitit: & cum farinam ac vinum sacrificiis uterque adhibuit. Adde & referre Malchum, sive Porphyrium, certas quasdam victimarum partes nonnunquam comedisse Pythagoram, qui animatorum cæteroquin esu fere abstinebat; alias victimarum partes constanter respuisse. Sciebat enim quarundam victimæ partium esum ex præscripto Mosis Sacerdotibus concedi. Et Cyrillus hæc ipsius verba refert, quibus Deum unum esse statuit, rerum omnium principium patrem, & effectorem; mundi lucem, animam, & vitam. Quamobrem cum Pythagoram ex Columnis Mercurii in Ægypto doctrinam suam hausisse docet Jamblichus in libro de mysteriis, pertinere id utique videtur ad libros Mosis, ut mox ostendam. Denique cum scripserit Cyrillus Pythagoram Zoroastris imitatatorem fuisse & æmulum; Jamblichus vero, composuisse eum suam Philosophiam ad Orphei doctrinam; Zoroastres autem & Orpheus fuerint ipse Moses, quod infra probaturus sum; nonne merito dicendus est Pythagoras Mosis hausisse disciplinam, suisque tradidisse? Atque ex hac Mosaicæ doctrinæ affectatione factum puto, ut Judæis prognatum eum plerique crediderint, quemadmodum refert Ambrosius in Epistola ad Irenæum. Splendide ergo hallucinantur Lactantius, & Theodoretus, cum mirari se ajunt, quod cum Pythagoras ad Ægyptios, Magos, & Persas veritatis indagandæ studio penetrasset, ad Judæos tamen non accesserit, penes quos tunc solos veritas erat, & ad quos facilius ire potuisset. Conceptis enim verbis tradit Porphyrius in vita Pythagoræ, Ægyptios, Arabes, Chaldæos & Ebræos ipsum adiisse, ab iisque vaticinandi per somnia scientiam accepisse. Sæpissime autem Ebræis Deum in somnis occulta revelasse, Jacobi, & Josephi probant historiæ. Quod non pietate promereri, sed arte comparare Ebræos esse solitos Ethnici arbitrabantur. Alia vero, atque insigniora veritatis monumenta ab illis hausit Pythagoras. Præterea cum inter Ægyptios, ac Persas tanquam in medio positi Judæi ultro citroque commeanti Pythagoræ sese velut obviam darent; vix credibile est apud eos saltem non inter junxisse.

Malch. in vita Pyth.

Cyrill. contr. Jul. l. 3.

Jambl. de vit. Pyth. l. 1. c. 28.

Ambrof. Epist. l. 3. Ep. 20. Lactant. Instit. l. 4 c. 2.

Theodor. Therap. Serm. 4. c. 2.

IX. Anaxagoram de sacris Mosis fluentis Philosophiam suam temperasse, etiamsi taceret Theodoretus, satis declarant Diogenes Laertius, Plutarchus, Eusebius, qui ipsum scriptioni suæ hoc initium fecisse scribunt: Omnia simul erant, deinde Mens superveniens ea in ordinem digessit. Idem prius scripsisse Linum narrat quoque Diogenes, qui & Anaxagoram sua vult inde sumsisse. Vero: Linum enim ipsum esse Mosem suo loco demonstrabimus. Genesin autem Moses ea sententia exorsus est, ex qua operis sui exordium Anaxagoram expressisse liquet.

Anaxagoræ,

Theodoret. de cur. Græc. affect. serm. 2. de princ. Laert. Anaxag. & Proœm. Plutarch. de Placit. Philos. l. 1. c. 3. & 7. Euf. Præp. l. 10. c. 14.

X. Justinus in Paræneſi, postquam a Græcis proditum dixit Judæos ex Ægypto secessisse Mose duce, testem inter alios Hellanicum citat, vetustissimum historicum Mytilenæum. Citat & Cyrillus tanquam Mosis memorem.

XI. Suppar illi Charondas, qui Thurinam civitatem a Sybaritis, & Athenienſibus recens extructam legibus temperavit. Is cornutus pingitur in vetustis Nummis, itidem ut & alii legumlatores, ad exemplum Mosis; nempe ut qui in legum ferendarum munere pares esse studuerant, vultu quoque similes & specie viderentur.

Hellanici, Charondæ,

XII. Mosaicarum quoque sententiarum aura aliqua afflatum fuisse Socratem sensisse videntur Aristobulus apud Eusebium, & Clemens Alexandrinus. Ipse vero Socrates in Phædro Platonis, Teuth Ægyptium plurimarum rerum inventorem prædicat. Teuth autem Mosem esse docebimus.

Socratis. Euf. de Præp. Ev. l. 13. Clem. Al. Strom. 5.

XIII. Hic sibi locum postulant, quæ de Theopompo, & Theodecte dicta a Demetrio Phalereo referunt Aristeas, & Josephus: hunc nempe oculorum, illum mentis usu fuisse divinitus orbatum, quod nonnulla de sacris Voluminibus delibata scriptionibus suis intexuissent, & vulgassent Judæorum mysteria; ac agnito demum & emendato errore fuisse utrumque sanitati restitutum.

Theopompi & Theodectis, Arist. de 70. Interpr. Joſ. Antiq. l. 12. c.

XIV. Ægyptios quoque Hierophantas adiit Plato, & Sechnuphidi præcipue Heliopolitæ in disciplinam se tradidit. Illic etiam ex Columnis Mercurii Philosophiam arripuit, itidem ut Pythagoras, & Eudoxus, quemadmodum testatur Jamblichus in libro de mysteriis. De quibus Columnis quid sentiam mox explicabo. Narrat præterea Aristobulus Peripateticus partem aliquam Scripturæ sacræ, ante Senum Septuaginta ætatem, ipsiusque adeo Alexandri expeditionem

Platonis.

Aristob. apud Euseb. Præp. Ev. l. 9. c. 6. & l. 13. c. 12.

Digitized by Google

& Clem. Alex. Strom. 1. Numen. apud Euseb. Præp. Ev. l. 11. c. 10. & Clem. Alex. Strom. 1. Cyrill. contr. Jul. l. 1. & 2. Joſ. l. 2. contra Apion. Juſtin. Paræn. & Apol. 2. paſſim Clem. Pæd. l. 3. & Strom. 1. & 5. & alibi ſæpe. Theodoret. de cur. Græc. affect. Serm. 2. Auguſt. de civ. Dei, 8. c. 11. & de Doctr. Chr. l. 2. c. 28. & Retract. l. 2. c. 4.

nem, in Græcam linguam fuiſſe converſam, atque inde pleraque Platonem hauſiſſe. Inde Numenius Pythagoreus Platonem nihil aliud eſſe dixit, quam Moſem Atticiſſantem. Et Cyrillus ait Platonem, item ut Pythagoram, de Deo æquiora quam reliquos gentis ſuæ Philoſophos ſenſiſſe, quod diutinam ſecerit inter Ægyptios manſionem, apud quos Magi nomen atque virtus magno tum erat in pretio & admiratione. Quapropter libros Moſis involaſſe Platonem uno ore arguunt Joſephus, Juſtinus, Clemens, Theodoretus, & alii. Perſuaſum etiam aliquando fuit Auguſtino; Jeremiæ Prophetæ conſuetudine uſum fuiſſe Platonem, dum eſſet in Ægypto; ſed rationibus temporum accuratius ſubductis eam demum opinionem repudiavit. Certum tamen eſt, cum in Ægyptum appulit Plato, maximum illic tum fuiſſe Judæorum numerum, ex iis videlicet prognatorum, quos una cum Jeremia traduxerat illuc Johanan, poſt interfectum ab Iſmahele Godoliam; tum & eorum, qui regionis vicinitate, aliisve cauſis invitati, illuc migraverant.

Verum etiamſi alia nos indicia deſtituerent, vel ſola Platonicæ doctrinæ cum Moſaica conſenſio, alterius ab altera propagationem oſtenderet. Res abiret in immenſum, ſi ſingula perſequerer; præcipua duntaxat delibabo quædam, unde documentum de reliquis ſumi poſſit. De mundi primum opificio ita diſſerit Plato in Timæo, & Timæus ipſe Locrus, ut Moſem pene ipſum diſſerentem putes: nam & Deum ſupremum rerum opificem agnoſcunt, & mundum ab eo creatum ad exemplar, ſive ideam æternam, in mente ejus expreſſam. Mundi materiam προϋπάρχουσαν *(prius extantem)* & æternam ſtatuiſſe Platonem ex illis Moſis verbis: *Terra autem erat inanis & vacua*, contendunt Interpretes plerique, & Juſtinus in Paræneſi; quaſi inanem illam terram aliam eſſe crediderit, quam quæ priore Geneſeos verſu a Deo creata dicitur. Certe ἀγέννητον illam appellat Plato, & ἦσαν πρὶν γὰρ τὸ πᾶν γενέσθαι, *Exiſtentem priusquam omnia fierent.* In commodum ſenſum trahunt id Platonici quidam, & Chriſtianis dogmatis accommodant, materiam dicentes, itidem ut ideam, in Dei decreto æternam ſpectaſſe Platonem. Verum ſatis illi, & ex Theogonia Heſiodi, & ex Pythagoreorum, ex Anaxagoræ, ex Stoicorum, ac deinde Valentinianorum, & Marcioniſtarum conſenticnte cum Platonicis decretis doctrina refelluntur. Finem hunc ſibi, cum mundum crearet, propoſuiſſe Deum ait Plato, ut optimum opus, & bonitatis ſuæ particeps conderet; quod poſtquam perfectum vidit, mirifice eſſe delectatum. Nempe a Moſe acceperat, Deum opera ſua, poſtquam creata ſunt, probaſſe: *Vidiſque DEUS*, inquit Moſes, *cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* Aſtra ad determinanda temporis ſpatia, condidiſſe Deum dixit Plato, juxta Moſis effata, verbis etiam ejus uſurpatis. Dum res verbo creaſſe pronuntiat ἐντολῇ, *(ipſis verbis)* in Timæo. Itaque univerſitatem rerum creatam a DEO & conſervatam cum animo conſideraret ipſe, & Socrates, & Pythagoras, Dei vocem audire ſibi videbantur: ut dixiſſe illos tradunt Ariſtobulus apud Euſebium, & Clemens Alexandrinus: quippe legerant apud Moſem verbo Deum res condidiſſe: *Dixitque Deus, Fiat lux, & facta eſt lux.* Hominem partim a Deo, partim a Dei miniſtris ipſius juſſu creatum eſſe docuit Plato in Timæo. Idem hominem Dei ſimulacrum eſſe, a Moſe acceptum tradidit. Paradiſum voluptatis a Moſe deſcriptum refert Jovis hortus, Platoni commemoratus, ut notatum eſt ab Euſebio. Sed & ſerpentis hiſtoriam expreſſit allegorice. Primorum hominum vitam ita deſcripſit, ut Adami & Evæ vitam poſſis agnoſcere: & Diluvii meminit: & νομοθεσίαν *(Legum lationem)* ſuam condere exorſus, eumdem narrationis ordinem tenuit, quem Moſes eſt perſecutus. Servitutem a Græcis lege ſua prohibuit, quemadmodum ab Ebræis Moſes, ſeptimo ipſos anno in libertatem reſtitui jubens, ſi qui fuiſſent ſervituti mancipati: τῶν γὰρ ἑβραίων οὐδεὶς ἐδούλευεν. *Ebræorum enim nullus ſerviebat:* inquit Joſephus. De reſtitutione rerum furto ſubreptarum, & nocturni furis cæde, & bove cornu feriente, paria fere utrique placuerunt. Rempublicam ſuam in duodecim tribus, perinde ut Iſraeliticam, diſcretam eſſe voluit Plato. Ideas ſuas quemadmodum a Moſe ſumſerit, docent Juſtinus & Clemens, & ex eo ac Philone Euſebius. Deum unicum eſſe demonſtravit Plato in Timæo, aliisque locis: id ipſi Moſem perſuaſiſſe idem Euſebius oſtendit, quem

Plat. Tim.

Gen. 1, 31.

Ariſtob. apud Euſ. Præp. Ev. l. 13. Clem. Alex. Str. l. 5. Gen. 1, 3.

Plat. l. 3. de Leg. & Tim. Euſ. Præp. l. 12.

Joſeph. Antiq. l. 8. c. 2.

Juſtin. Paræn. Clem. Alex. Str. 5.

Euſ. Præp.

Ev.l.11.c.13. Cyrill. l. 8. contr. Jul. Plat. Tim. Exod. 3. 14. Euſ. Præp. Ev.l.11. c.9. & 10. Auguſt. de civ. Dei l.8. c. 11.

quem Cyrillus aſſectatur. Deum ita definit Plato, ut ipſe ſe Deus, cum ait: *Ego ſum qui ſum.* Declarat id pluribus Juſtinus in Paræneſi, & ex Numenio Euſebius & Auguſtinus. Quod niſi Socratis ſupplicio fuiſſet abſterritus, citra ambages, Moſem ſecutus, de Deo diſſeruiſſet; ſed vera de Dei natura ad vulgum proloqui tutum ſibi non eſſe faſſus ipſe eſt. Nec aliam ob cauſam priſcis Chriſtianis Platonis dogmata placuerunt, adeo ut

Plut. Tim.

Platonici haberentur, frequentioremque Platonicorum operum lectionem Julianus ipſis objiceret, quam quod recoctus ipſis & perſonatus Moſes videretur eſſe Plato, aut, ut ait Numenius, Moſes Atticiſſans. Hinc ſatis extat, Moſis libros Platonem diligenter

Juſtin. Paræn. Euſ. Præp. l. 11. & 12. Lactant. Inſt. l. 4. c. 2. Auguſtin. de civit. Dei l. 8. c. 11.

excuſſiſſe. Plura collegerunt Juſtinus & Euſebius. Lactantium itaque & Auguſtinum non multum moror, quorum ille, uti ſupra jam ex parte notavi, mirari ſe ait, quamobrem Pythagoras & Plato Ægyptios, Magos, & Perſas, non item Judæos adiverint; cum Syriam luſtraſſe Pythagoram, utrumque autem cum Judæis eſſe converſatum oſtenderim: Auguſtinus vero Platonem Libros ſacros evolviſſe negat, ut qui nondum eſſent Græco ſermone donati, quod refellemus infra; vel certe per interpretem quid iis libris contineretur didiciſſe, quod facile conceſſerim.

Ægyptiacarum Mercurii Columnarum, quæ quid fuerint oſtenditur

XV. Quæſitu dignum eſt, quid fuerint illæ Mercurii Columnæ, quibus ad Philoſophiam velut magiſtris uſi ſunt Pythagoras, Plato & alii. Sciendum eſt ante repertum papyri uſum, ſaxis veteres animi ſenſa ſignaſſe. Vetuſtiſſima fuit hæc conſuetudo apud Phœ-

Herod. l. 2. c. 102. 103. Strab. l. 17. Lucan. l. 3. Plin. l. 6. c. 29. Tac. Ann. l. 11. c. 14. Procl. in Tim. Ariſtoph. Sch. in Nub. & Av. Diod. l. 1.

nices & Ægyptios. Diſerte id docent Herodotus, Strabo, Lucanus, Plinius, Tacitus, Proclus, & Ariſtophanis Scholiaſtes. Mos ille diu perſeveravit, etiam poſt inventam papyrum; præſertim ſi quid vulgo notum eſſe vellent, vel poſteris. Eximia generis hujus monumenta quamplurima extabant olim in Ægypto, quæ a Diodoro deſcripta ſunt. Mirabiles imprimis fuere ſubterranei quidam ſeceſſus, prope Thebas Ægyptias, quos Syringes appellabant, magno labore excavati, Veteribus memorati, Ammiano

Ammian. Marc. l. 22.

præcipue, qui eorum parietibus Hieroglyphicas literas inſculptas fuiſſe perhibet ante Diluvium, a viris, qui calamitatis hujus præſcii priſcorum rituum rationem ad poſteritatis memoriam hac arte commendarunt. Inſignes horum operum reliquias ad noſtram ætatem ſupereſſe Viatores teſtantur. Lex à Deo in Tabulis lapideis deſcripta eſt. Moſes jubet Deuteronomium lapidibus inſcribi. Inde cipporum ſive columnarum lapidearum uſus ad ſepulcra; non, ut vult Servius, *mortuis nobilibus ſuperpoſitarum, ad oſtendendum eorum columen*, ſed excipiendis elogiis, cujusmodi vetuſtiſſimæ duæ memorantur a Diodoro, ad Iſidis & Oſiridis ſepulcra ſacris literis ſignatæ. Inde columnis in Tingitana erectis Phœnices ſe a Joſua patria exterminatos adſcripſerunt. Inde columnæ Amphictyonum, Olympionicarum, & ducum victorum. Refert Plutarchus tria Epigrammata, ab Athenienſibus inciſa Hermis, poſt res ad Strymonem a Cimone præclare geſtas. Hermas illos, Mercurii Columnas recte appelles. Sic enim proprie dicebantur ſimulacra Mercurii: & ſic quoque baſes quadratæ, quibus aliorum Deorum capita imponebantur. Hinc Hermathenæ, Hermeraclæ, Hermerotes: Sed & vetuſtum idolum Germanorum *Irmenſul* nomen habuit, quod *Mercurii Columnam* interpretari poſſis. Memorabiles & Roſtrata Duillii, & illæ Appii Claudii, & nobiles illæ Trajani & Antonini. Hinc & eæ, quibus fœdera incidebantur: velut illa, cui leges fœderis Romanos inter & Latinos icti Servius Tullinius impreſſit; & illa Amarynthia Straboni memorata, in qua Eretrienſes & Chalcidenſes deſignaverant genera armorum, quibus de compacto uterentur: & illæ, quibus Alexandri fœdera cum Mitylenæis & Tenediis inſculpta ſunt. Inde & columnæ ad regionem fines determinandos poſitæ, quarum frequentem fuiſſe apud Veteres uſum ſcripſit Strabo. Tales fuerunt illæ, quas ad ſignandos terrarum a ſe domitarum limites adſcriptis titulis Seſoſtris deſtituit: talis fuit & celebris illa, in Iſthmo Corinthiaco a Theſeo collocata, ad fines Joniæ & Peloponneſi notandos. Talis fuit & quam Rhegini in litore poſuerunt. Plurima hujusmodi ſuppeditat liber inſcriptionum Gruteri. At nihil hoc in genere Marmora Oxonienſia æquiparare queat; quibus inſigniores priſcorum Græcorum Epochæ, Fœdus Smyrnæorum & Magnetum, aliaque egregia vetuſtatis monumenta inſcripta ſunt. Quibus lapides deerant, ut Babylonii,

Deut. 27. 2. 3. Joſ. 8. 31.

Serv. in Æn. 8. Plut. in Cim.

Strab. l. 10.

Strab. l. 3.

Plut. Theſ.

Digitized by Google

Ionii, hi lateribus utebantur. Quamobrem
Ezech. 4, 1. Ezechieli Babylone degenti mandat Deus, ut in latere civitatem Jerusalem describat. Talem fuisse opinor columnam Acicari, è quâ Democritus apud Babylonios sua expressit. Coctilibus quoque laterculis siderales plurimorum annorum observationes inscripsisse eosdem, docet gravis Auctor Epigenes apud
Plin. l. 7. c. 56. Plinium. Quem morem retinuisse Ptolemæum, cum observationes suas in cippis incideret, testificatur Olympiodorus in Phædonem. Ut fileam de gemina hac columna, lapidea altera, altera lateritia, cui Sethi nepotes Astronomicæ doctrinæ præcepta, si Jo-
Joseph. Antiqu. l. 1. c. 3. Phil. de vit. Apoll. l. 5. c. 1. sephum audimus, inciderunt. Ex auro autem & argento conflatas fuisse scribit Philostratus columnas illas Gadibus positas, quas in domo Parcarum ignotis vulgo literis inscriptas esse, ab Hercule, ut suum ordinem elementa servarent, dicebat Apollonius Tyanæus; quasque a Columnis illis Herculeis
Strab. l. 3. vulgo notis distinguit Strabo. Perhibet hic ipse Strabo, extitisse in templo Herculis Gaditano æneas columnas, quibus inscripti erant sumptus in templi constructionem facti. Aurea fuit Panchaica illa in Jovis Triphilii templo columna, in qua Cœli, Saturni, & Jovis descripta Panchaicis literis fuisse facinora narrant ex Euhemero Messenio Diodo-
Diod. l. 5. apud Eus. Præp. l. 2. c. 2. Lact. l. 1. c. 11. rus & Lactantius. Trunci quoque arborum, pugillares axes, & cippi lignei excipiendis inscriptionibus adhibebantur. Jussu Dei quædam in ligno Ezechiel descripsit. Noti Solonis axes, in quibus Athenienſibus leges tu-
Ezech. 37, 15. & seq. lit. Romani præcipue, sub prioribus Regibus, antequam columnarum ænearum usum opum amplificatio, & luxus invexisset. Fœdera sæpe illis incidebant. Numæ commentarios, legesque ac ritus sacrorum quernis tabulis Ancus Martius adscripsit. Sed & in ligneo clypeo; pelle bubula tecto, antiquis literis notatæ sunt leges fœderis Tarquinium Superbum inter & Sabinas. At jam ante in columnis æneis exaraverat Servius Tullius leges Panegyreos Latinorum a se institutæ. Hæc fere in Templis proponebantur. Æneæ erant duodecim illæ Tabulæ, in quibus Leges a Decemviris signatæ sunt; æneæ & in quibus fœdus suum cum Judæis Romani sculpserunt Machabaicis temporibus. Æneis usi sunt & Græci, velut illa, in qua inducias trium cennalium Athenienſes inter & Lacedæmonios conditiones sunt expressæ: & in qua decretum adversus Antiphontem incisum. Idonei quoque ad id visi sunt postes & limina ianuarum, muri & columnæ domorum, tum publicarum, tum privatarum.
Deut. 6, 9 Unde Israelitas jubet Moses præcepta Decalogi in liminibus domorum describere. Leges Athenienſium in ligneis cippis descriptæ proſtabant. Sic quoque scripsisse Ægyptios & Scythas docet Eustachius. Hinc vox
Eustach. in Hom. Il. ζ. Theocr. Schol. in Idyll. 6. γράφειν, *scalpere & scribere* significat, ut & hic & Theocriti Scholiastes tradunt: quemadmodum & Ebræis חקק. Sed quid ego pluribus hæc persequor, quæ nuper exquisita & recondita eruditione tractata sunt a Stepha-
Monach. Proleg. ad Var. fac. 1. no Monachio, de cujus singulari in retinendis amicitiis fide, animo liberali, doctrina invidiam doctissimis, non hujus ævi qui perpauci sunt, sed prisci factura, nihil a me dici potest, quod virtus ejus non superet. Meminerimus præterea vetustissimum apud Ægyptios legum-latorem habitum fuisse Mosem, ut constat ex Diodoro. Mosem autem Mercurium esse, certissimis rationibus infra conficiam. Suspicor igitur doctrinam Mosis de principiis rerum, ipsiusque Leges, cum pro veris & æquis haberent Ægyptii, & apud se ratas esse vellent, in columnis ligneis vel lapideis descriptas publice proposuisse; atque has Columnas, quod doctrinam continerent Mosis, qui Mercurius dicebatur, Columnas Mercurii esse dictas. Historiam vero creationis rerum iis inscriptam, interpolatam fortasse, & figmentis, quibus dedita ea gens est, perspersam, γενικὰ τῦ ἑρμῦ appellat Manethos apud Eusebium: quod interpre-
Euſ. Chron. Græc. l. 1. tor, Mosis Genesin; quam & ספר תולדות *Librum generationum*, dictam ab Ebræis ostendit Scaliger. Fallor, an ea sunt, quæ
Scalig. in Euſ. Chron. Gr. l. 1. Mart. Cap. l. 2. *Deorum stemmata* appellat Martianus Capella, in subterraneis adytis Ægyptiorum adscripta eminentibus saxis, quæ nominat Stelas? Tradunt autem Eusebius & Georgius Syncellus, has Columnas sacris notis inscriptas a
Georg. Syncell. Chronogr. Thoyth, sive priore Mercurio, in Seriadica terra fuisse positas, ac deinde post diluvium ex sacra lingua in Græcam esse translatas, & sacris Ægyptiorum penetralibus conclusas ab Agathodæmone, sive altero Mercurio, Tati patre. Videntur certe Columnæ illæ principia mundi, ut dixi, juxta Mosaicam doctrinam esse complexæ; atque inde petita esse,

Digitized by Google

quæ ſacris Ægyptiorum libris continebantur, ſubnexis tantum ſequentis ævi geſtis. Videntur item plurima naturæ arcana exarata in iis fuiſſe: ait enim Melampus ἱερογραμματεὺς *(ſacer ſcriba)* initio libri de palpitationibus, multa ſe ex ſecretis Columnis deprompta ad Ptolemæum Regem ſcripſiſſe. Publica autem conditi fuerant auctoritate hi libri, & in tabulariis ſervati; unde commentaria ſua Manethos deſcripſit. Eſt apud Jamblichum, Bitin prophetam Ammoni regi quædam eſſe interpretatum ex Mercurialibus libris, quos in adytis Saitici Templi ſacris literis exaratos repererat: hos in Græcam linguam ex Ægyptia converſos eſſe Mercuriales dicti ſunt libri iſti; quod ex Mercurii Columnis eſſent delibati. Hinc inſtructi ſunt Pythagoras & Plato. Sæpe item laudantur a Veteribus. Quoniam autem illi libri Ægyptiorum ex Columnis Mercurii fuerant excerpti, idcirco ex Columnis Mercurii eruditi dicebantur, quibus facta fuerat librorum illorum copia & ex Columnis Mercurii petita itidem dicebantur, quæ ex myſticis illis voluminibus fuerant collecta. Id oſtendit Epiſtola Manethonis ad Ptolemæum Philadelphum, in qua compilaſſe ſe fatetur ſcriptos a proavo ejus Mercurio, poſteriore videlicet, libros. Quamquam negare nolim ad Columnas ipſas aditum Ægyptiis Magiſtris patuiſſe.

Jamblich. de myſt.

Quod autem ait Manethos apud Euſebium & Georgium Syncellum, Mercurii Columnas ante Diluvium extitiſſe in Seriadica terra, in eo videtur columnas Mercurii Ægyptias confundere cum Columnis duabus, lapidea una, lateritia altera; quibus Sethi nepotes ſideralem ſcientiam inſculptam commendaſſe Joſephus tradidit: quarum & lapideam (legendum enim hoc loco, λιθίνην, non ut vulgo editum extat, πλινθίνην,) ſua ætate in Syriade manſiſſe affirmat. Pſeudo-Euſtathius in Hexaemeron fuiſſe eam ſcribit ἐν γῇ Σηιριάδ, *in terra Seiriad*, ad ſua usque tempora. Cedrenus: ἥτις σώζεται, ὡς Ἰώσηπος μαρτυρεῖ, ἕως τοῦ Σιριδον ὄρους, ἕως νῦν. *Quæ ſervatur, ut teſtis eſt Joſephus, in Sirido monte, ad hoc tempus.* Igitur Euſebius Mercurii Columnas confundit cum Columnis poſterorum Sethi; & quoniam has κατὰ τὴν Σιριάδα poſitas legerat ibidem & illas ſtatuit. Hinc factum ut Syriadem, & Seriadicam terram, circa Ægyptum quærerent nonnulli. Nam Seres Æthiopica gens eſt, & Ser fluvius inſulam Seriam in mari rubro efficiens, & Seres oppidum in vicinia Ægypti. Verum quis credat Sethum, aut Sethi filios in Æthiopiam penetraſſe, cum vix credibile ſit, ante Diluvium, Aſia exceſſiſſe quemquam? Opinabar ipſe quoque Siriadem terram dictam Ægyptum, quaſi Niliacam: Nilus enim eſt Siris. At propius vero videtur ſignari a Joſepho Syriam illam; quam ad Cophenem fluvium ipſe alibi locat: vel legendum σιριάδα, ut intelligatur Sehirath, locus in Galgalis, in quo fuiſſe פסילים τὰ γλυπτὰ, *lapides ſculptos* docet nos liber Judicum. Quæ veriſimillima eſt conjectura ampliſſimi Voſſii, quem & pro ſua ſingulari virtute ſummopere colo, & pro veteri noſtra neceſſitudine valde amo.

Joſeph. Antiquit. l. 1. c. 7.

Jud. 3. 19. 26

Voſſ. de ætat. mundi, c. 10.

Joſeph. Antiquit. l. 2. c. 3.

XVI. Ariſtotelem cum Judæo quodam in Aſia fuiſſe converſatum, Clearchus Ariſtotelis diſcipulus memoriæ prodidit. Frequens quippe fuit hoc tempore Græcorum conſuetudo cum Judæis, qui & bellis interfuerunt Alexandri, & ſub eo, ipſiusque ſucceſſoribus ſtipendia meruerunt. Verba Clearchi recitant Joſephus & Euſebius. Itaque Ariſtoteles rerum omnium cauſam eſſe dixit Deum & Materiam; quod ex eodem fonte, Moſis videlicet doctrina, quippe adulterata & corrupta, videtur eſſe profectum, unde ſententiam eamdem hauſiſſe Platonem diximus, qui & Ideam præterea addidit: eamdem hauſerunt & Stoici. Idem poſt principem Deum Deos alios inferiores, ſub intelligentiam tantum cadentes poſuit, Angelos nimirum; auctore Moſe, vel aliis certe Scriptoribus ſacris. Denique in libello de mundo vetuſtam quamdam ait eſſe doctrinam, quæ Deum rerum omnium conditorem & ſervatorem eſſe ſtatuit, quod ad Moſem utique videtur pertinere. Promtum ergo & facile fuit Ariſtobulo Judæo oſtendere, ex Moſe & Prophetis Peripateticam Philoſophiam manaſſe; quod factum ab eo teſtatur Clemens Alexandrinus.

Ariſtotelis.

Joſeph. l. 1. contr. Apion. Euſeb. de Præp. Ev. l. 9. c. 5. & 6. Clem. Alex. Str. 1.

Clem. Alex. Str. 5.

XVII. Æqualis fuit Ariſtotelis Hecatæus Abderita, qui de Judæis librum reliquit. Hujus quoque extabat liber de Abrahamo: quem librum Hiſtoriæ hujus Judaicæ partem fuiſſe opinantur quidam. Horum accedo ſententiæ: nam non ad Abrahamum ſolum, ſed & ad Ægyptios quoque pertinebat hic Hecatæi liber, ut cognoſcitur ex Clementis quinto Stromate. Hæc autem hiſtoria

Hecatæi Abderitæ.

Judæorum

Judæorum instituta ita probabat, ut vel religionem Judaicam eum esse amplexum suspicatus sit Herennius Philo, vel librum certe suppositum esse: futili sane & inani conjectura. Quid enim mirum, hominem eruditum, Alexandri & Ptolemæi Lagidæ æqualem ac socium, ac proinde cum Judæis sæpe conversatum, res eorum voluisse cognoscere, quæ magnam antiquitatis ac veritatis speciem præ se ferebant, cognitas magni, ut debuit, fecisse, dignasque censuisse quæ ad notitiam Græcorum venirent. An æqua causa hæc est, cur moveatur de auctore controversia? Pari ergo jure veniant in dubium tot prisci Scriptores, quos in testimonium adducunt Josephus, Clemens, & Eusebius, tanquam antiquitatum Judaicarum peritos, & Judaicæ gentis fautores. Narrabat præterea hoc opere Hecataeus, quomodo erga suas leges affecti essent Judæi, easque constanter & fortiter retinerent: id quod ajebat se ab Ezechia summo eorum Pontifice audivisse, qui gentis suæ instituta, & vitæ rationem e libro, in quo descripta hæc erant, audiente se prælegebat. Librum hunc autem, Mosaicum volumen esse ajo. Causam idem alibi affert, cur neque Mosaicæ legis, neque memoratorum in ea virorum meminerint Historici, vel Oratores, vel Poëtæ; quod nempe sacra mysteria ore impuro enuntiari minime liceat. Quæ quidem rei non veræ vera ratio est: quam multorum enim scriptis celebrata sit Judaica Lex, satis indicat hæc a nobis instituta disquisitio.

Eudoxi, XVIII. Conuphidem in Ægypto audiit Eudoxus Cnidius. Illic autem ex Columnis Mercurii Philosophiam didicisse ipsum commemorat Jamblichus. Atqui Columnas illas Lege Mosis ac doctrina fuisse inscriptas non infelici conjectura supra deprehendimus.

Megasthenis, XIX. Nec prætereundus hic est Megasthenes, a quo condita est Indicarum rerum Historia, qui postquam ad Orientis intima penetravit Seleuci Nicanoris temporibus, opus suum condidit; in quo cum scripserit naturæ historiam perspectam Judæos habuisse, Mosis Genesin manifesto visus est indicare.

Berosi, XX. Sequitur Chaldaicæ historiæ florentissimus scriptor Berosus, quam ex vetustis quidem Annalibus Chaldæorum collegit. Attamen de generis humani corruptela, & effuso puniendis hominum noxis Diluvio, deque Arca in Armeniæ vertices delata, qua sobolis humanæ reparator Noachus servatus est, ita differit, ut a Mose plurima, vel ipsum, vel quos secutus est Annales, habuisse appareat. Atque hunc subinde affectati sunt Abydenus, & Alexander Polyhistor, ex quorum ruderibus Mosaici auri ramenta eruemus.

Abydeni, XXI. Demus ergo hic locum Abydeno, qui idem videtur ac Abydenus ille Palæphatus, Aristotelis, ut ferunt, amasius: uterque enim in scribendis historiis industriam suam exercuit; & ut hic Arabica, Cypriaca, & Deliaca scripsit, ita ille Assyriaca, Medica, & Chaldaica, paris argumenti res ac tituli. Nec moror varietatem scripturæ in nomine hoc exprimendo, quam observavit Scaliger: nam ea ex inolito in veteribus libris jotacismo provenit. Fragmentum porro insigne ex ejus Assyriacis & Medicis affert Eusebius in libris de præparatione Evangelica; in quo Diluvii Noachici, Arcæ ad Armenios montes appellentis, & avium inde emissarum casus, turris quoque Babylonicæ historia, ita narrantur, ut Mosem tanquam [illegible] agnoscas.

Scalig. in Euf. Chr.

Euseb. de Præp. Ev. l. 9. c. 12.

Demetrii Phalerei, XXII. Quod Mosem Græce loquentem audimus in interpretatione Septuaginta Seniorum, id Demetrio Phalereo debemus. Hoc enim auctore & incentore egregia hæc & memorabilis opera ad literarum sacrarum illustrationem collata est. Ex quibusdam Josephi verbis adversus Apionem, existimari possit aliquid de Judæis scripsisse; sed si veris locum damus, videtur illic Josephus Phalereum Demetrium confudisse cum Demetrio Judæo, qui de Judæorum regibus dissertationem edidit. Quod & a viris eruditis alias peccatum est.

Joseph. adv. Apion. l. 1.

Septuagintalium interpretum Scripturæ sacræ & Aristeæ. XXIII. Hic recensendi celeberrimæ hujus Librorum sacrorum Interpretationis Græcæ auctores Septuaginta, & ipse rei narrator Aristeas: cujus tamen nomine inscriptum quod extat opus, genuinum esse contendere nolim. Interpretationis quoque hujus historiam, & auctores in controversiam revocari scio. Sed ne ipsi quidem sententiæ receptæ oppugnatores, negant sub Ptolemæo Philadelpho Græcis literis explicatos esse Libros sacros. Et ex Prologo Ecclesiastici manifestum est ante tempore Ptolemæi Evergetis extitisse Græcam interpretationem Legis & Prophe-

Digitized by Google

Prophetarum. Atque hoc mihi in præsentia satis est.

Ezekieli, XXIV. De numero Septuaginta horum Interpretum fuisse Ezekielum unum, Judaicarum tragœdiarum poëtam, quibusdam persuasum esse video. Certe non Eusebium solum, & Clementem Alexandrinum præcessit ætate, sed & Alexandrum Polyhistorem, qui fuit L. Sullæ æqualis; & Demetrium Judæum, qui ex ejus scriptis fragmenta depromit apud Eusebium. Vixisse autem Demetrium hunc, inter Ptolemæos, Philopatora, & Lathyrum, paulo post patefaciam. Drama ejus hodieque extat, ἐξαγωγὴ inscriptum, quo Ebræorum exitus, duce Mose, explicatur.

Euseb. de Præp. Ev. l. 9. c. 21. Clem. Alex. Str. 1.

Manethonis, XXV. At Manethos Sebennyta in Ægyptiaca Historia luculentam Mosaicarum rerum collegit memoriam, sive ex sacris Columnis a priore Thoyth positis, sive potius ex libris sacris, qui ex Columnarum inscriptionibus fuerant expressi. Hæc autem supra demonstravi fuisse ex Mosaicis libris deli- [illegible] Consulito ergo fragmenta Scriptoris hujus apud Josephum; Israëlitici populi historiam a Mose traditam, quanquam fabulis aliquot infuscatam, reperies. Sed & Mosis ipsius meminit nominatim, quem leges Ebræis posuisse, & Osarsiphum esse dictum narret, at genere Heliopoliten fuisse mentitur.

Joseph. l. 1. contr. Apion.

Philochori, XXVI. Meminit & Mosis Philochorus Athenienſis, tanquam vetustissimi Judæorum ducis. Id discimus ex Justini Paræneſi. Vixit autem Philochorus Ptolemæi Philopatoris temporibus.

Aristobuli Judæi, XXVII. Librorum Mosis explanationem lucubravit Aristobulus Judæus, Peripateticus Philosophus. Unum hunc quoque de Septuaginta Interpretum numero fuisse commiscitur Anatolius apud Eusebium, quod temporum ratio non patitur; nam Ptolemæi Philometoris magister fuit, eique opus suum inscripsit, atque inde nonnulla profert Clemens Alexandrinus; nec alius est ab eo cujus mentio fit libro Machabæorum posteriore: uti quidem censent Clemens Alexandrinus, & Eusebius; sed reclamante Scaligero, & aliis post Scaligerum nonnullis. Multum hic operæ ac studii in literis sacris posuit, & Judæorum Legem plurimum Pythagoræ, Platoni, ac Peripateticis Philosophis instrumenti ad veri disquisitionem subministrasse ostendit, & ante Ptolemæum Philadelphum Græcam Mosis interpretationem extitisse. Verba ipsius in volumina sua Clemens & Eusebius retulerunt.

Euſ. Hist. Eccl. l. 7. c. 32. Clem. Al. Strom. 1. 2. Mach. 1, 10. Clem. Al. Strom. 5. Euſ. Præp. l. 8. c. 9. Scalig. in Euſ. Chr. Clem. Al. Str. 1. & 5. Euſ. Præp. l. 13.

XXVIII. Ptolemæi Epiphanis ævo floruit Polemon, è cujus Græcanica historia insigne affert monumentum Africanus, de exitu Israelitarum ex Ægypto. Africani verba ipsa & in Chronicis Canonibus, & in libris de præparatione Evangelica consecravit Eusebius. Mosis ipsius, tanquam ducis Judaicæ gentis diserte meminisse Polemonem scribi Justinus in Paræneſi, & ex Justino Cyrillus adversus Julianum.

Polemonis, Euſeb. de Præp. Ev. l. 10.

XXIX. Subnectendus huic Eupolemus, quem quoniam laudat apud Eusebium Alexander Polyhistor, sequitur antiquiorem fuisse Sullæ temporibus. Certe hunc ipsum esse Eupolemum filium Johannis, quem ad Romanos fœderis ineundi causa misit Judas Machabæus, multa persuadere possunt; nam & tempora congruunt; etenim quinto Demetrii Soteris anno, Ptolemæi vero Evergetis duodecimo videtur historiam suam contexuisse, ut apparet ex προθεσμία ab illo petita, quam notat Clemens Alexandrinus. Unicus me movet Josephi locus, quo inter Græcos locat Eupolemum & Philonem Seniorem, & Libros Sacros neutiquam ipsis lectos fuisse fatetur. Sed tamen videtur Græcos eos dixisse, quia Helleniſtæ erant. Ait deinde non potuisse ipsos sancta Volumina satis accurate persequi, quia propter linguæ sanctæ ignorationem, quam pauci omnino hoc ævo callebant, ad exemplaria Ebraica non poterant recurrere. Fieri sane potuit, ut cum animum appulerunt ad scribendam historiam, non tam Veterum commentariis, & priscis inhærerent memoriis, quam traditionibus πατροπαραδότοις (*propagatis a Patribus*) vel famigerationibus: quod scriptores faciunt nimis multi. Quid si aperte dicamus hic halucinatum Josephum, cum inter Græcos Eupolemum recenset, quem Hieronymus Judæum fuisse asseverat, perinde ut Aristobulum & Demetrium? Sed & in hoc Demetrio errasse videtur Josephus, cum Phalereum eum esse putavit, qui longe alius est, Judæus nempe, & qui de Judæorum regibus scripsit, uti mox declarabimus. Eupolemum Mosis & Judaicæ gentis antiquitatem retulisse

Eupolemi, Euſ. Præp. Ev. l. 9. c. 17. 1. Mach. 8, 17. 2. Mach. 4, 11. Clem. Al. Strom. 1. Joſ. l. 1. contr. Apion. Hieron. de ſcript. Eccl. in Clem. Alex.

Digitized by Google

retuliſſe in literas, itidem ut a Joſepho factum eſt, tradit ibidem Hieronymus. Illuſtria ejus fragmenta profert apud Euſebium is quem dixi Polyhiſtor. Moſem ille alicubi ſcripſit primum ſapientem fuiſſe, cum tamen Abrahamum reliquos ſapientia præſtitiſſe antea dixiſſet. Sed notabile imprimis habet illud, falſum licet, Judæis primum Moſem literas tradidiſſe, Judæos Phœnicibus, Phœnices Græcis. Verius hoc adjicit, primum leges Judæis Moſem poſuiſſe.

Euſ. Præp. Ev. l. 9. c. 17, 26. 30. & ſeq.

Demetrii Judæi, Euſ. Præp. Ev. l. 9. Hieron. de ſcript. Eccl. in Clem. Alex.

XXX. Celebratus ab Alexandro Polyhiſtore apud Euſebium Demetrius ille ſupra a me memoratus, quem Judæum fuiſſe, itidem ut Ariſtobulum & Eupolemum, indicat Hieronymus, & Moſis ac Judæorum ἀρχαιογονίαν *(antiquitatem)* demonſtraſſe, quemadmodum e Joſepho factum eſt. Librum de Judæorum regibus fortaſſe ſignificat, quem ab ipſo lucubratum eſſe narrat Clemens Alexandrinus. Quibus temporibus vixerit, ignoratur vulgo. Mihi certe conſtat inter Ptolemæi quarti, ſive Philopatoris, & Ptolemæi Lathyri ætatem floruiſſe. Hujus enim ætate vixit Alexander Polyhiſtor, a quo citatur; illius vero meminit Demetrius ipſe in fragmento quod affert Clemens Alexandrinus. Longe ampliora hoc fragmenta, ex Alexandri illius libris depromta ſervavit Euſebius, quibus Jacobi profectio in Meſopotamiam, & reliqui ipſius, filiorumque ac nepotum caſus ad mortem usque continentur; nec non & Moſis fuga in Madianitarum regionem ad Jethronem, ejusque cum Sephora conjugium; ac mirifica item virtus, qua amaros fontes conjecto ligno dulces effecit in Mara; unde in Elim profectus eſt, ubi duodecim fontes & ſeptuaginta palmas reperit. Atque hæc accurate ad Moſaicæ ſcriptionis veritatem exacta ſunt. Perperam, ut dixi, confunditur a Joſepho Demetrius ille Judæus cum Phalereo: nam conjungitur illic cum Philone Seniore, & Eupolemo, qui Judæi fuerunt, quemadmodum ab Hieronymo quoque cum Eupolemo & Ariſtobulo conſociatur, & a Clemente Alexandrino cum Philone Seniore. Cum ergo Demetrium Judæum illi ſignificaverint, debuerat idem a Joſepho ſignificari.

Clem. Al. Strom. l.

Euſ. Præp. Ev. l. 9. c. 21. & 29.

Joſ. l. 1. contr. Apion. Hier. de ſcript. Eccl. in Clem. Al. Clem. Al. Strom. l.

Cleodemi, Joſ. Antiq. l. 1. c. 16.

XXXI. Cleodemum præterea, qui & Malchus dictus eſt, laudat Alexander idem Polyhiſtor, apud Joſephum. Prophetam quoque appellat, & juxta Moſis narrationem hiſtoriam Judæorum elaboraſſe ait: tum ſubjicit ejus fragmentum de liberis Abrahami, ex Chætura natis.

Theodoti,

XXXII. Theodoti quoque auctoritate ſe tuetur Alexander Polyhiſtor, & ex ejus libro de Judæis particulas depromit verſa oratione ſcriptas: unde librum hunc non aliud fuiſſe colligas, quam Moſaicæ hiſtoriæ metricam expoſitionem. Narrantur illic, Jacobi in Meſopotamiam ad Labanem profectio, duplex ibi cum Lia & Rachele conjugium, undecim marium liberorum, & puellæ unius procreatio; reditus Jacobi ad ſuos, Dinæ ſtuprum, Sichemo ac Sichemitis illatus a Symeone & Levi, reliquisque Dinæ fratribus interitus. Quibus demum Joſephi caſus ſubjuncti erant. Atque ea penitus ad mentem Moſis, neque ulla re diſcrepantia. Plane is ipſe eſt, quem Joſephus primo contra Apionem Judæorum meminiſſe ait ὡς παρέργως *(non obiter.)* Eumdem eſſe qui res Phœnicum Phœnicia lingua proſecutus eſt, & Sanchoniathonis continuavit hiſtoriam, quique Græce a Læto redditus eſt, ut extat apud Tatianum, viri graves & eruditi affirmarunt. Ego vero vix credere auſim tantum in Phœniciæ & Græcæ linguæ facultate potuiſſe, ut geminam hiſtoriam utraque lingua conderet. Et vero præter nominis ſimilitudinem nulla cauſa eſt, cur id ſibi perſuadeat quisquam.

Tatian. Or. contr. gent. Voſſ. de hiſt. Gr. l. 3. Boch. Chan. l. 2. c. 17.

Philonis Senioris, Clem. Al. Strom. l. Euſ. Præp. Ev. l. 9. c. 20 & 24.

XXXIII. Laudat & Philonem Seniorem Alexander Polyhiſtor. De regibus Judæorum ſcripſiſſe illum, & alia ac Demetrium de iis ſenſiſſe, teſtis eſt Clemens Alexandrinus. Citantur a Polyhiſtore apud Euſebium libri ejus de Hieroſolymis, ex iisque nonnulla depromuntur fragmenta, numeris poeticis adſtricta, quibus Abrahamus, Iſaacus, Jacobus, & Joſephus celebrantur. Sive autem is auctor eſt libri Sapientiæ, qui Salomonis nomen præfert, quod nonnullis Scriptorum veterum perſuaſum fuiſſe affirmat Hieronymus; ſive eum collegit ſolum & deſcripſit, quod communi ſententiæ magis eſt conſentaneum; ſive liberiori interpretatione expoſuit, quod mihi videtur probabilius, Moſis libros compilaſſe credi poteſt, & multa in hunc librum tranſtuliſſe. Judæum fuiſſe notat Hieronymus. Unde erroris manifeſtus eſt Joſephus, qui in Græcorum ſeriem conjecit, & Codi-

Hier. Præf. in l. Salom.

Hier. Præf. in l. Salom. Joſ. l. 1. contra Apion

Digitized by Google

cem ſacrum legere ipſum non potuiſſe ait: vel ita certe exponendus eſt Joſephus, uti expoſuimus ſupra, cum de Eupolemo ageremus; nempe cum eſſet Ebraicæ linguæ imperitus Philo, Ebraico exemplari uti non potuiſſe.

Alexandri Polyhiſtoris.

XXXIV. Fuit æqualis Ptolemæi Lathyri ſæpe jam laudatus Alexander Polyhiſtor, qui non plurimas ſolum Moſaicæ hiſtoriæ partes e vetuſtis auctoribus excerptas Commentariis ſuis complexus eſt, velut ex Beroſo Coſmogoniam, figmentis licet deformatam, & Diluvii, ac Arcæ Noachi in Armenios montes delatæ, & avium ad explorandam aquæ altitudinem emiſſarum hiſtoriam: ex Eupolemo vero, Artapano, Cleodemo, & Demetrio, turris Babylonicæ ædificationem, Abrahami ex Ur Chaldæorum profectionem in Phœniciam, e Phœnicia in Ægyptum, famis tolerandæ cauſa, Pharaonis amorem adverſus Saraiam, Abrahami victoriam ex Loti hoſtibus, oblata ei a Melchiſedeco dona; liberos ejus ex libera & ex ancilla ſuſceptos, ex priore nempe Iſaacum, quem Riſum nominat (quippe id ſonat vox Iſaac;) inchoatum Iſaaci, non conſummatum ſacrificium; alios etiam ex Chætura genitos liberos; tum deinde accuratam Jacobi, & liberorum ac nepotum ejus hiſtoriam, ad Moſem usque & Aaronem, Chami etiam, Chanaani, Meſraimi, Enochi quoque & Mathuſalæ mentionem; poſtmodum ſtuprum Dinæ, & Sichemi interitum ex Theudoto; ſed Moſis etiam Judaicæ Legislatoris res geſtas Moſemque ipſum, ut antiquum Judæorum ducem laudat. Quæ cum ita ſint, comminiſci ſane non poſſum, quo auctore, quave ratione ſcripſerit, Judæorum Legem opus eſſe Ebrææ mulieris, cui nomen Moſo. Quanquam & ſexum utrumque ab exoticis Scriptoribus Moſi tributum fuiſſe infra oſtendemus.

Apollonii Molonis,

XXXV. Apollonio Molonis gravem impingit calumniæ & ſycophantiæ dicam Joſephus, quod leges a Moſe ſancitas, Moſemque adeo ipſum fictis criminibus, & probris vexarit. Errorem quoque ejus notat in aſſignando tempore exitus Judæorum ex Ægypto; & diluit demum oblatas ab eo adverſus Judæos criminationes, quod alienos ritus, & falſas reliquarum gentium de Deo opiniones repudiarent. Apollonium Molonis dixi, non, ut Joſephus ipſe eum appellat, Apollonium Molonem: qua re Apollonium Molonis, qui μαλακὸς dictus eſt, cum Molone perperam confundit, quos eſſe diſtinguendos docet Strabo. contr. Apion. Strab. l. 14.

XXXVI. Moſem noverat & Caſtor, ſive Rhodius, ſive Galata, Dejotari gener, & inter eos recenſetur a Juſtino, qui Moſis tanquam vetuſtiſſimi Judæorum principis meminerunt. Caſtoris Rhodii Juſt. Paræn.

XXXVII. Memorabili teſtimonio Moſem Diodorus Siculus proſequitur, quo & virtutes ejus prædicat, & ait primum Ægyptiis leges poſuiſſe. Verba Diodori referunt Juſtinus & Cyrillus, verum variante ſcriptura: ſic enim legitur in vulgatis Diodori codicibus: Diodori Siculi, Diodor. l. 1. Juſt. Paræn. Cyrill. l. 1. contr. Julian.

μετὰ γὰρ τὴν παλαιὸν τοῦ καθ' ὅλου βίου κατάστασιν τὴν μυθολογουμένην γεγονέναι ἐπὶ τε τῶν θεῶν καὶ τῶν ἡρώων, πᾶσαί φασι πρῶτον ἐγχρίπλοις νόμοις χρήσασθαι τὰ πλήθη βιῶν τὸν Μνεύην, ἄνδρα καὶ τῇ ψυχῇ μέγαν, καὶ τῷ βίῳ κοσμιώτατον τῶν μνημονευομένων.

Nam poſt vetuſtum hoc in Ægypto vivendi genus, quod Deorum & Heroum ævo viguiſſe fertur, primum Mneven ajunt, magni animi virum, & inter celeberrimos de vita præclare meritum, vulgi multitudini perſuaſiſſe, ut legibus uteretur non ſcriptis, ad easque vitam accommodaret. Ita vero habent edita exemplaria Juſtini: πᾶσαί φασιν ἐγγράφοις νόμοις πρῶτον χρῆσθαι τὰ πλήθη καὶ βιῶν Μνεύην ἄνδρα καὶ τῇ ψυχῇ μέγαν, καὶ τῷ βίῳ ἱκανώτατον μνημονευόμενον. Paria fere habet Cyrillus, qui hunc Juſtini locum videtur, cum ſcriberet, reſpexiſſe. Certe utrum, Μνεύην, an Μωϋσῆν, ſcripſerit Diodorus, dubitatio eſt. Verum quomodocunque legas, parum intereſt, cum Mneves, ſeu Mnevis, ipſe ſit Oſiris; Oſiris autem, ipſe Moſes: quod ſuo loco demonſtrabitur. Videtur id quidem ignoraſſe Diodorus, &, ne verum diſſimulem, Μνεύην, ſcripſiſſe; nam paulo poſt Moſem inter latores legum nominatim recenſet. Sed nihil adverſus verum valere debet Diodori ignoratio; cum præſertim poſt fabuloſa Deorum & Heroum tempora leges tuliſſe dicat Mneven, virum magnum, quem & alibi Menam appellat: quæ tamen nomina diverſa ſunt, & originis diverſæ. Atque hoc Moſi aptius convenit, qui vere vir magnus fuit, quam Heliopolitano illi Deo, qui vir dici non potuit, cum Deus eſſet. Mnevis ille, ſeu Menas Diodori, Men appellatur ab Herodoto, Minæus a Joſepho, Minis a Plutarcho, Menis ab Æliano, Maneros a Julio Polluce, qui & eum Muſarum diſcipulum Diodor. l. 1. Herod. l. 2. c. 99. Joſ. Antiq. l. 8. c. 2.

Joſ. l. 2.

Plut. de Isid. & Osir. Ælian. de anim. l. 11. c. 10. & 40. Jul. Poll. l. 4. c. 7.

pulum vocat, quod Moses, seu Mercurius literarum repertor habitus sit, & Musicæ artis peritus. Quam ob causam & Apollo μουσηγέτης *Musarum dux* dictus est, & Bacchus quoque, quos Mosis esse typos ostendemus. Adstipulantur nostræ conjecturæ sequentia Diodori verba, quibus ait finxisse Mneven se leges illas accepisse a Mercurio, qui Moses est. Porro non ἀγράπτοις, sed ἐγγράφοις, vere legitur apud Justinum & Cyrillum: alioqui legumlatores Ægyptios recensens Diodorus, primum notasset auctorem ἐγγράφων legum, haud secus ac ἀγράπτων. Præterea si primus leges ἀγράπτους Ægyptiis posuit Mneves, quibus ante Mnevem legibus usos eos dicemus? nam credibile non est exleges penitus vixisse per octodecim annorum millia, dum a Diis & Heroibus, prout habent ipsorum fabulæ, regerentur. Subjungit Diodorus commentum esse Mneven leges suas sibi a Deo traditas, quemadmodum & Minoem, & Lycurgum, & Zatraustem, & Zamolxim παρὰ δὲ τοῖς Ἰουδαίοις Μωσῆν τὸν λαὸν ἐπικαλούμενον θεόν· ἔτι θαυμαστὴν καὶ θείαν ὅλως ἔννοιαν ἔνιοι κρίναντες, τὴν μέλλουσαν ὠφελήσειν ἀνθρώπων πλῆθος, ἅτε καὶ πρὸς ὑπεροχὴν καὶ δύναμιν τῶν εὑρῶν λεγομένων τὰς νόμους ἀποβλέψαντα τὸν ὄχλον, μᾶλλον ὑπακούεσθαι διαλαβόντας. Hoc sibi vult Diodorus, latores illos legum, eas a Diis sibi traditas finxisse, sive quod mirabilem & divinam prorsus eam existimarent esse cogitationem, quæ hominibus tanto futura esset usui: sive quod libentius obtemperaturam arbitrarentur multitudinem, dum ad auctores legum tanta dignitate & potestate pollentes respicerent. Hæc autem quamvis aperta & perspicua, parum tamen videtur intellexisse sanctissimus martyr Justinus, apud quem ita conceptus est ille locus: παρὰ μὲν τοῖς Ἰουδαίοις μοῦσῆν τὸν καλούμενον θεὸν, ἅτε θαυμαστὴν καὶ θείαν ὅλως ἔννοιαν ἔνιοι κρίναντες τὴν μέλλουσαν ὠφελήσειν ἀνθρώπων πλῆθος, ἅτε καὶ πρὸς ὑπεροχὴν καὶ δύναμιν τῶν εὑρῶν λεγομένων τὰς νόμους ἀποβλέψαντα τὸν ὄχλον, μᾶλλον ὑπακούεσθαι διαλαβόντος. Hæc sensu a superioribus discrepant: Nam sibi volunt Mosem apud Judæos Dei nomen fuisse consecutum, sive quod a divina mente profectas crederent leges hominibus adjumento futuras; sive quod promtiores ad obsequium homines fore censerent, si ad eorum præstantiam & virtutem oculos intenderent, qui repertores legum habebantur. Atque hanc lectionem secutus est Cyrillus: sed vitiosam, ut videtur, & corruptam. Constat tamen ex hoc loco, cognitum saltem Diodoro & memoratum Mosem, Judaicæ gentis legumlatorem, & Dei Jao, sive Jehova nomen invocantem, quæ ad hujus disputationis propositum sufficiunt. Sed & splendidioribus præterea Mosem celebravit præconiis, quæ ex libris sequentibus excerpsit Photius: quanquam plurimis dehonestata fabulis, in Judæorum contumeliam, ut mos erat Ethnicorum, vel odio gentis, vel veritatis ignoratione. In eo autem quod adjecit Diodorus, hæc habuisse se ex Hecatæo Milesio, vel diligentiam requiras vel candorem. Nam Hecatæum Abderitam secutus est, non Milesium. Nisi id Photii peccatum est, qui quod multa ex Milesio promsisse Diodorum sciret, indidem quoque petita hæc esse ratus est, quæ habuisse se significaverat Diodorus ex Hecatæo, non adjecta patriæ notatione. Præterea cum Judaicis rebus usque adeo faverit Abderita, ut vitio id ipsi datum sive ab Herennio Philone, quis putet tam vanis, tamque injuriosis criminationibus eos appetiisse, quorum disciplinam moresque probabat?

Phot. Cod. 244. ex Diod. l. 34. & 40.

XXXVIII. Claruit Augusti ætate Ægyptiacæ conditor historiæ Chæremon, qua Ebræos narrat excessisse ex Ægypto, duce Mose: sed narrationibus suis mendacia aspergit; uti fieri solitum ab aliis: velut cum Josephum Mosi expeditionis hujus comitem adjungit.

Chæremonis.

XXXIX. Tulit eadem ætas Trogum Pompejum laudatissimum Historicum, cujus opus in epitomen contraxit Justinus, Antonini Pii temporibus. Paucis ille complexus est gesta Mosis, at ea tamen aliquot fabulis inquinavit. Quæcunque tamen affert Trogus, utcunque adulterata, ex Mosaicis tamen adytis deprompta esse liquet. Notabile hoc præ aliis, quod Judæis Sacerdotibus justitiæ religione temperatæ testimonium præbet.

Troji Pompeji, & Justini.

XL. Herodis & Augusti familiaritate floruit Nicolaus Damascenus, auctor Historiæ universalis: qui cum & Syrus esset, & Herodis Judæorum regis amicus, res profecto Judaicas ignorare non potuit. Ex hac ergo ipsius Historia narrationibus suis confirmandis testimonia quædam affert Josephus.

Nicolai Damasceni.

Celebra-

Digitized by Google

Celebratiſſimum illud eſt, quo Moſis Judæorum legislatoris libros advocat. In eo de Arca Noachi agens, & Armeniæ monte ad quem appulit, appellari ait montem hunc, βαρίδα. Ab Arca ipſa ita dictum vere exiſtimabat Scaliger: naves enim, βαρίδες, appellabantur: & religionibus ac templo conſecrata fuit ab incolis illa Baris: cujus vocis originem, vulgo ignorabilem, docuit me Æſchyli Scholiaſtes. Is ad hæc Æſchyli verba: ξέρξης δὲ πάντ' ἐπέσπε δυσφόρους βαρίδεσσι πόντιας, ſic diſſerit: ὁ ξέρξης δὲ πάντα τὰ κακὰ ὑλονόησι ἐπέσπε, γὴ ἐπεσπάσατο τοῖς βαρίδεσσι νανσὶ, τοῖς ἀπὸ τῆς βάρεως ὕσως, ἥ τίς ἐστι πόλις περσίδος, ἐξ ἧς καὶ αἱ νῆες βαρίδες. *Xerxes autem mala videlicet omnia oppetiit, & attraxit navibus Baridibus, Bari profectis, quæ Perſiæ urbs eſt, ex qua & naves Barides dictæ.* A Perſis tranſiit ea vox ad Jonas, ut intelligitur ex Corinthi libro de dialectis: hinc ad Græcos & Latinos. Sed hæc obiter.

Scalig. ad Fragm. Æſchyl. Perſ. v. 522.

XLI. Hoc ævo vixiſſe videtur Ptolemæus Mendeſius, qui res Ægyptias tribus libris complexus eſt. Minime ille quidem Ebræorum præeunte Moſe exitum ex Ægypto prætermiſit, quem ad Amoſios regis Ægypti tempus retulit. Verba ipſius repræſentavit Apion, ex Apione Clemens Alexandrinus. Meminerunt eorumdem Juſtinus in Præneſi, Tatianus, Africanus apud Euſebium, & Cyrillus.

Ptolemæi Mendeſii, Clem. Al. Strom. 1. Euſ. Præp. Ev. l. 10. c. 10 Cyr. in Jul. l. 1.

XLII. Huic ſubjiciemus Strabonem, virum pretii quantivis, qui de Moſe & Judæis ſummo candore diſſeruit. Scribit enim profanos Ægyptiorum mores exoſum Moſem, collecta ingenti piorum hominum multitudine conceſſiſſe in Judæam, illicque fixis ſedibus, & ſanctis Dei colendi ritibus inſtitutis, adjectoque potiſſimum & ejurato idolorum cultu, non tam vi & armis, quam pietate imperium confirmaſſe: verum in pejus deinde vergentibus Judæorum animis, puram religionem ſuperſtitionibus fuiſſe labefactatam; & quæſitum ſanctitate ac integritate vitæ imperium gentem nefariam tyrannide & latrociniis auxiſſe. Falſa quidem veris nonnulla admiſcet, ſed viro veritatis amanti, ac res ab aliis ſibi traditas ingenue referenti condonanda.

Strabonis, Strab. l. 16.

XLIII. Quæ a Ptolemæo Mendeſio acceperat, non retulit modo Apion Grammaticus, ſed ſuo etiam aſſenſu comprobavit, peſſime licet erga Judæam gentem affectus, quam & ſcriptis proſcidit. Moſem igitur Judæis Ægyptum fugientibus præiviſſe fatetur, cum Argis Inachus, Amoſis in Ægypto regnaret. Itaque eum in teſtimonium adducit Juſtinus; adducunt & Tatianus, & Africanus apud Euſebium. Verba ipſa exhibet Clemens Alexandrinus. Verum longe plura affert Joſephus ex libris Grammatici hujus, qui ſincerum licet veritatis vas incruſtare tentet, Moſis tamen res geſtas mirifice confirmat.

Apionis, Juſtin. Paræn. Euſ. Præp. Ev. l. 10. c. 10 Clem. Al. Strom. 1. Joſ. l. 2. in Apion.

XLIV. Huc conferendi, Philo Judæus Apionis hujus æqualis, qui eruditiſſimis lucubrationibus Moſem illuſtravit; Flavius Joſephus Judaicarum Antiquitatum vernaculus vindex, qui Veſpaſiani ac Titi præcipue temporibus enituit; & Juſtus Tiberienſis Joſephi æqualis & adverſarius, qui Chronicon regum Judæorum ſcripſit, & a Moſe auſpicatus eſt.

Philonis, Joſephi, & Juſti Tiberienſis.

XLV. Cuinam vero potiſſimum ætati tribuendi ſint Auctores apocryphorum librorum Esdræ, tertii & quarti; item tertii Machabæorum, incertum eſt: neque vero hæc eſt præſentis loci tractatio. Conſtet modo expreſſas in iis Moſaici operis notas extare.

Auctorum libri tertii & quarti Esdræ, & tertii Machabæorum.

XLVI. Arcano Moſis volumine Judaicum jus contineri, atque a Judæis ediſci, ſervari, & metui, ſcriptum reliquit Juvenalis.

Juvenalis, Juv. Sat. 14.

XLVII. Columbæ e Deucalionis arca ad explorandam tempeſtatem emiſſæ meminit Plutarchus. Atque id quidem vel a Moſe ſumſit ipſe, vel quod potius exiſtimaverim, ab aliis qui a Moſe ſumſerant. Quanquam ex ſacris Libris ſuos ipſum, & Plotinum, & Numenium, & alios complures, exornaſſe vult Theodoretus. Quæcunque certe de Typhone narrat in libro de Iſide & Oſiride, ad Moſem pertinere, & nos dicemus infra, & alii demonſtrarunt: velut cum ait Typhonem Aſino vectum per dies ſeptem fugiſſe, & liberos demum Hieroſolymum & Judæum genuiſſe. Quippe legitur in Exodo: *Tulit Moyſes uxorem ſuam & filios ſuos, & impoſuit eos ſuper aſinum.* Poſt ſex dierum fugam, ſeptimo conquieviſſe Moſem fabulantur Trogus & Apion. Idem habet Tacitus, atque id præterea, Judæorum *exundantem per Ægyptum multitudinem, ducibus Hieroſolymo ac Juda,*

Plutarchi, Plutarch. l. Terr. an aquar. anim callid. Theodor. de curand. Græc. aff. Serm. 2. Exod. 4. 20. Juſtin. l. 36. c. 2. Joſeph. l. 2. in Apion. Tacit. Hiſt. l. 5. c. 2.

Digitized by Google

& Judæ, proximas in terras exoneratam. Scribit ibidem Plutarchus ex Phrygum historiis Typhonem filium fuisse Isaaci, qui fuit Herculis filius. Comitem quoque eum adjungit Æthiopissæ Reginæ; hoc est, ut videtur, Sephoræ, quæ filia fuit Raguelis, horum locorum reguli, juxta Artapanum, Ezekielum, & alios, quæque Æthiopissa appellatur
Num. 12, 1. in libro Numerorum, hoc est Chusitis: nam Chus, quæ Arabia est, Æthiopia fere redditur ab Interpretibus. Pluribus id argumen-
Boch. Hieroz. Part. 1. l. 2. c. 34. tum persecutus est Bochartus in Hierozoico.

Philonis Byblii, XLVIII. Locum hic sibi vindicat Philo Byblius Sanchoniathonis interpres, cujus opus ad Mosis libros esse expressum supra docuimus.

Galeni, Gal. de diff. pulſ. l. 3. & de uſ. Part. l. 11. c. 14. XLIX. Huic subjungemus Galenum Pergamenum, qui quam pertinaciter Mosi adhærerent Judæi, in opere de differentia pulsuum; quam pie etiam ac prolixe de infinita Dei potentia sentiret Moses, obiter in libro de usu partium corporis humani significavit.

Ptolemæi Chenni, Phot. Cod. 190. L. Fuit etiam hoc ævo Ptolemæus Alexandrinus, Hephæstionis filius, cognomento Chennus, cujus ineptissimum hoc commentum refert Photius, Mosem Judæorum legislatorem Alpha fuisse dictum, quod vitiligine laboraret, quæ ἀλφὸς Græce appellatur. Veteri hac calumnia jamdiu ante Ptolemæum istum vexati sunt Judæ, conflasse ipsos agmen hominum impetigine ac lepris affectorum, atque collecta hac hominum languentium colluvie Syriam repetiisse. Hoc
Joseph. l. 1. contr. Ap. ipsis objecerunt Manethos, Lysimachus, Diodorus, & Apion; Josephus vero confutavit.

Taciti, Tacit. Hist. l. 5. c. 3. & 4. LI. Objecit id & Trogus apud Justinum; objecit & Tacitus, qui veram Mosis, totiusque Judaicæ gentis historiam infuscavit aliis plerisque figmentis; cujusmodi multa hoc tempore adversus Judæos, vulgo odiosam gentem jactabantur. Sed tamen non tantum fama mendax potuit, ut penitus veritatem extingueret: multis illa siquidem, iisque illustribus sese in hac narratione Taciti prodidit indiciis.

Plinii, Auleji, Plin. l. 30. c. 1. Apul. Apol. 2. LII. Hausit Plinius ex eadem mendaciorum fæce, quod de Mose scripsit, magicæ nempe cujusdam factionis auctorem ipsum fuisse. Hausit & Apulejus, inter famosos Magos Mosem celebrans.

LIII. Lucianus quidem de Mose pertinaciter siluit; sed Mosaica tamen nonnulla habet, veluc accuratam Diluvii, & Arcæ historiam, quam se à Græcis accepisse ait. Multa quoque de Adonide & Osiride narrat, quibus adumbrari Mosem suo loco a nobis demonstrabitur. At Auctor Dialogi, qui inscribitur Philopatris, & inter opera Luciani edi solet, Luciano licet videatur aliquanto vetustior, & circa Trajani tempora lucubratus, mundi creationem ipsis fere Mosis verbis narrat, eumque auctorem citat, & βραδύγλωσσον appellat, quod impeditioris esset & tardioris linguæ. Luciani, Lucian. de Dea Syr.

Numenii, LIV. Numenius autem Apameus, Pythagoricus juxta & Platonicus Philosophus, vir magni inter eruditos nominis, non apertam modo & explicatam Mosis injecit sæpe mentionem, sed suos etiam libros Mosaica doctrina locupletavit. Tradunt id Porphyrius, & Porphyr. de antr. Nymph. Origenes; plurima vero affert Eusebius, unde id constare possit. Fertur imprimis hoc Orig. contr. Cels. l. 4. ejus dictum, τί γάρ ἐστι πλάτων, ἢ μωσῆς ἀττικίζων; Euseb. de *Quid est enim Plato, nisi Moses Atticissans?* Præp. Ev. quibus ingenue agnoscit Ethnicus Philoso- l. 9. c. 6. & phus, Platonem illum qui a suis divinus ap- 8. Lu. c. 10. pellatus est, dogmata sua a Mose sumsisse. Mosem præterea, non Prophetam solum dicit, ut testatur Porphyrius, sed Theologum etiam, & legum divinarum interpretem, ut ejus verba indicant, quæ recitat Clemens Alexandrinus. Alio loco Musæum eum nomi- Clem. Al. Strom. 1. nat, Judæorum ducem, virum Dei precibus exorandi scientissimum, & calamitatum Ægypti auctorem.

Longini, LV. Longinus, Zenobiæ Palmyrenorum reginæ a consiliis & studiis, criticæ artis princeps, in aureolo libello περὶ ὕψους *de sublimi genere dicendi*, eximio Mosem elogio exornat; nam Dei potestatem pro dignitate cognovisse & elocutum fuisse ait: quippe qui, inquit, initio legum Deum dixisse scribat: *Quid? Fiat lux, & facta est; Fiat terra, & facta est.* Verumtamen quæ hic tanquam sublimia & ἐσχηματισμένα *(figurata)* affert e Mose Longinus, ut ejus styli ἀδρότητα *(granditatem)* approbet, simplicissima sunt. Rem quidem narrat Moses longe maximam, sed stylo λιτῷ *(simplici.)* Atque hinc adducor ut credam, hæc aliunde Longinum accepisse: nam si ad ipsos recurrisset fontes, & Mosis libros evolvisset, summam deprehendisset ubique χαρα-

Digitized by Google

χλιαρος ἰσχνότητα, *(characteris tenuitatem)* quam persecutum esse Mosem puto, propter dignitatem materiæ, quæ doceri contenta respuit omnem ornatum. Cum cæteroqui cognoscatur ex ipsius Canticis, & ex libro Jobi, quem ejus fœtum esse ostendam, in sublimi hoc genere dicendi exercitatissimum fuisse. Alio præterea argumento cognoscitur verba Mosis in peregrino loco Longinum reperiisse; quod nempe aliter ab eo recitentur, ac a Mose scripta sunt. Nec enim Mosis illud est: *Fiat terra, & facta est:* nec interrogatio illa, *Quid?* quam manifesto tanquam ex Mose retulit Longinus, cujus ipsa verba recitare instituerat; nihil ipse de suo intrusit, uti neque in aliis plurimis Scriptorum recitandis testimoniis. Huc adde hujusmodi geminationes verborum, quas ornatus causa usurpare solent Græci, & Latini, apud Ebræos crebras esse & familiares, & extra omnem styli granditatem usurpari solitas. Nam juxta Quintiliani legem, pro figuris non sunt habenda, quæ communia sunt. Talia sexcenta obvia sunt in libris sacris. Paucula sufficient: atque hoc primum Exodi; *Extende virgam tuam, & percute pulverem terræ, & sint sciniphes in universa terra Ægypti. Feceruntque ita. Et extendit Aaron manum, virgam tenens, percussitque pulverem terræ, & facti sunt sciniphes in hominibus & in jumentis.* Et deinde: *Extende manum tuam in cœlum, ut fiat grando in universa terra Ægypti. Extenditque Moyses virgam in cœlum, pluitque Dominus grandinem super terram Ægypti.* Sic Centurio apud Matthæum: *Dico huic, Vade, & vadit: & alii, Veni, & venit: & servo meo, Fac hoc, & facit.* Dixit Christus Matthæo: *Sequere me: & surgens secutus est eum.* Sic postea homini debili: *Extende manum tuam, & extendit.* Sic cœco apud Johannem: *Vade, lava in natatoria Siloe: abiit ergo, & lavit.* Sic cœcus ipse: *Dixit mihi, Vade ad natatoria Siloe, & lava: abii, lavi.* Frequentia hæc sunt & in Thalmudicis & Rabbinis. Deum fere sic notant: *Qui dixit, & factus est mundus.* Quæ si quis geminata esse ad vim conciliandam vel leporem existimet, ridebimus, & Ebraismi imperitum dicemus: cum apud Græcos & Romanos, juxta Quintilianum Ciceronis præcepta secutum, *Geminatio verborum habeat interdum vim, leporem alias: sintque orationis lumina & quodammodo insignia, cum duplicantur, iteranturque verba.* Atque hinc error Longini, Græcis insuefacti literis, Ebraicarum ignari. Ut paucis rem conficiam, sciendum est in oratione quadruplex esse genus ὕψους, sive granditatis: granditatem verborum, cum aut translata sunt, aut facta aliunde, aut plane nova, aut prisca: granditatem collocationis verborum, ex qua concinnitas oritur, quæ disjectis iisdem verbis, & aliter collocatis intercidit: granditatem sententiarum, quæ manet mutatis etiam verbis, aut alio ordine dispositis: & granditatem denique rerum, quæ tota in natura ipsa posita est. Priora genera tria pertinent ad oratorem, deque ipsis tradit præcepta, & ad artem suam revocat. In quartum nullum oratori jus est; totum est enim in rebus. Cum autem in controverso Mosis loco nulla sit granditas verborum, quæ simplicia sunt, propria, & usitata; nulla collocationis verborum, quæ trita Ebræis est & pervulgata; nulla sententiæ, quæ eadem extat apud Scriptores omnes sacros, & exoticos etiam plerosque, Deum nimirum verbo res omnes condidisse; omnino dicendum est, granditatem esse in re, qua major vel sublimior nulla fingi potest. Atqui Longinus, arte Rhetor, præcepta tradens artis oratoriæ, solerter quidem deprehendit illic inesse granditatem. Verum quæ sita erat in re, eam ad verba perperam retulit, & a præceptis artis suæ pendere putavit. Quod cavisset sane pro suo acumine, si loci sententiam ex Mosaici ipsius operis, non ex tenuis fragmenti sectione spectasset. Hæc fusius persecutus sum, quam fortasse postulabat locus; sed id extorsit a me legitima opinionis nostræ a nuperis quibusdam Scriptoribus oppugnatæ defensio.

Quintil. l. 9. c. 3.

Exod. 8, 16. 17.

Exod. 9, 22.

Matth. 8, 9.

Matth. 9, 9.

Matth. 12, 13

Joh. 7, 7. 9.

Quintil. l. 9. c. 1.

LVI. Longinum audivit Porphyrius Tyrius Philosophus, qui res Judaicas tractavit peculiari opere, & scriptis a se libris pestiferis Christianos oppugnavit. Atque utinam tam æqua de his sensisset, quam recte scripsit Mosem verissima de Judæis narrasse, quemadmodum deprehendisse se significat ex conflictu Commentariorum Sanchoniathonis. Itaque ex ἀπιλογισμοῖς *(ratiociniis)* temporum, juxta Porphyrii rationes ductis, colligit Eusebius Mosem annis plusquam octingentis Trojæ ἅλωσιν præcessisse, celeberrimos vero Græciæ

Porphyrii,

Euseb. de Præp. Ev. l. 10.

Græciæ Philosophos, Pythagoram, Democritum, & reliquos sequentis ævi, annis mille & quingentis. Quin etiam de Essæis Judæis loquens Porphyrius, eos esse ait βίβλοις ἱεραῖς, καὶ διαφόροις ἁγνείαις, καὶ προφητῶν ἀποφθέγμασιν ἐμπαιδοτριβημένους *In sacris libris, & variis expiationibus, & Prophetarum oraculis a tenera ætate exercitatos:* Legem & Prophetas his vocibus significans. Mosem quoque designare volens, τὸν νομοθέτην *Legislatorem* appellat κατ' ἐξοχήν *(per excellentiam.)*

Porphyr. περὶ ἀποχ. ἐμψ.

Trebellii Pollionis, Trebell. Poll. Claud. c. 2.

LVII. Narrat Trebellius Pollio, jactare solitos Mathematicorum doctissimos, non amplius quam centum & viginti annos homini ad vivendum esse concessos, *etiam illud addentes; Mosem solum, Dei (ut Judæorum libri loquuntur) familiarem, centum viginti quinque annos vixisse: qui quum quæreretur quod juvenis interiret, responsum ei ab incerto fuerunt numine, neminem plus esse victurum.*

Joseph. Antiq. l. 1. c. 7.

Simile quid habet Josephus, nempe vitæ terminum annorum centum & viginti spatio Deum circumscripsisse post Mosem, qui tantumdem vixit. Incertum illud numen hoc ipsum est quod designat Lucanus cum ait; *Incerti Judæa Dei.* Hic ipse est ἄγνωστος θεὸς in Actis Apostolicis, & Philopatride Dialogo, qui Luciano perperam adscribitur, memoratus. Hic ipse denique, cui Samaritæ in Epistola ad Antiochum, quæ extat apud Josephum, Templum ἀνώνυμον in monte Gatizim extructum esse scribunt. Causa porro fingendæ hujus querelæ Mosis de immatura sua morte & fato præcoce, his videtur inesse verbis Deuteronomii: *Moyses centum & viginti annorum erat, quando mortuus est: non caligavit oculus ejus, nec dentes illius moti sunt.*

Lucan. l. 2.

Act. 17, 23.

Joseph. Antiq. l. 12. c. 7.

Deut. 34, 7.

Jamblichi,

LVIII. Porphyrii auditor fuit Jamblichus Chalcide Syriæ natus. Is librum suum de mysteriis Ægyptiorum decerpsisse se ait ex Columnis Mercurii, quas Mosis doctrina fuisse inscriptas ostendimus.

Juliani τῦ παραβάτυ,

LIX. At minime mirum, cognitum fuisse & memoratum Mosem Juliano Imperatori τῷ παραβάτῃ *(transfugæ)* qui in Ecclesia Christi adolevit. Mosis enim & Prophetarum, aliorumque Veteris ac Novi Testamenti scriptorum oraculis fundata nititur Christianorum fides.

Procli,

LX. Porphyrii vesaniam lacessendis Christianis imitatus est Proclus Lycius, quam Johannes Philoponus luculenter confutavit. Commentum hoc suæ expositioni Tetrabibli Ptolemæi inseruit (si modo Procli ea est) Mosem reciprocante æstu sibi fuga consuluisse. Quod ab antiquioribus Judaici nominis hostibus acceperat.

Helladii Besantinoi,

LXI. Quod de Mose scripserat Ptolemæus Chennus, Alpha scilicet fuisse dictum, quia corpus scabie & vitiligine compunctum ac turpatum gereret, idem literis prodidit Helladius Besantinous, cujus vanitatis testem laudat Philonem. Id extabat in illius Crestomathiis, è quibus excerpta quædam Photius repræsentavit.

Phot. Cod. 145. & 279.

Atque hos quidem scriptores retulimus, juxta temporum suorum seriem; reliquos qui sequuntur, quoniam ignotæ sunt & incertæ ætatis, nullo certo ordine, sed prout quemque tulerit fors, digeremus.

Artapani,

LXII. Primus occurrit Artapanus, Alexandro Polyhistore vetustior, qui Commentarium de Judæis reliquit, unde nonnulla apud Eusebium depromit Alexander; in quibus Abrahami & Josephi casus plerique diserte narrantur. Insigne vero & nobis perutile fragmentum illud affert, in quo Palmenothen Ægypti regem ait Artapanus male erga Judæos affectum, filiam suam Merrhin Cenephri, sive Nechephri, ut legitur apud Clementem Alexandrinum, aut Chenebroni, ut in Fastis Siculis, superioris Ægypti regi despondisse: quæ cum sterilis esset, Moysem Judæum adoptasse, qui Musæus à Græcis dictus est, & Orphei præceptor fuit; hunc deinde, postquam virilem attigit ætatem, optimis institutis Chenephris imperium fundasse, & egregiis inventis exornasse; quorum ea fuit apud Ægyptios admirabilitas, ut divinos ipsi honores sub Mercurii nomine tribuerent; solum Chenephren virtuti Mosis invidentem, bellatum adversus Æthiopes, sic tanquam in certissimum mississe interitum; verum rem cecidisse præter spem, gloriam enim eum hoc bello reperisse; boum usum ad terræ cultionem ostendisse Nacheroti; & submissum demum Chanethothen sicarium ad interficiendum Mosem, dum Merrhin defunctam humaret, ab ipso Mose fuisse interfectum; eum deinde cum Aarone fugisse in Arabiam ad Raguelem hujus regionis toparcham, & ejus filiam duxisse. His subnectit,

Euf. Præp. Ev. l. 9. c. 18, 23. 27.

Clem. Alex. Strom. 5.

Digitized by Google

visum Mosi in deserto ignem, & vocem auditam, quæ eum juberet ab Ægyptiaca captivitate eximere Judæos, & in antiquam patriam reducere; id exequi parantem, ab Ægypti rege fuisse in vincula conjectum, sed noctu patentibus sponte custodiæ foribus ad regem introiisse, apertis vi divina regiæ valvis, & nemine prohibente: viso Mose attonitum regem petiisse ab eo Dei nomen, cujus ope talia perpetrare auderet; quo ad ejus aurem insusurrato corruisse mutum, & mortuo similem, sed vitæ statim a Mose restitutum, signum ab eo legationis postulasse; tum prodigia Mosem edidisse prope eadem quæ in Exodo narrantur: his regem valde perterritum, copiam Ebræis abeundi fecisse; eaque impetrata, & spoliatis Ægyptiis ausugisse Ebræos, & observato a Mose Maris Rubri recessu, uti quidem memorant Memphitæ, incolumes trajecisse; juxta Heliopolitanorum vero sermonem, diviso mari a Mose, vi mirificæ illius virgæ; quo cum incauti sese intulissent Ægyptii, aquis fuisse obrutos: at in deserto per annos triginta errasse Ebræos, cum manna cœlesti alerentur: procerum fuisse Mosem, rufum, canum, capillatum, majestate oris venerandum. Hæc Artapanus isto loco; e quibus nonnulla apud Clementem, & in Chronico Alexandrino reperiuntur.

Clem. Alexand. Strom. 1.

LXIII. Mosis, circa Ogygis & Inachi tempora Judæorum ducis ac principis, mentionem extitisse in Syriaca Thalli historia testis est Justinus in Paræneſi.

Thalli,

LXIV. De campo Sennaar in Babylonia sito disserit Histiæus Milesius Phœniciæ Historiæ scriptor apud Josephum; quod mere Mosaicum est.

Histiæi, Joseph. Antiquit. l. 1. c. 5.

LXV. Mosem & promulgatas a Mose leges calumniis & maledictis proscidit Lysimachus quidam incertæ ætatis & originis, quem conjectant nonnulli Alexandrinum esse Lysimachum, Thebaicorum auctorem. Fabulatur ille Judæos, dum in Ægypto agerent, Bocchori regnante, lepris ac scabie languentes, morbi luem in vulgus ita diffudisse, ut sterilitas consequeretur: quibus malis ut occurreretur, ex Ammonis responso Bocchorin jussisse in mare ægros demergi; reliquos in desertis locis expositos, Mose duce, in Judæam ausugisse. Atque id commentum variis mendaciunculis exornat. Sed ea demum a Josepho explosa sunt.

Lysimachi,

Joseph. l. 1. & 2. contra Apion.

LXVI. Ægre recensemus in hac serie νουθετικὸν (*monitorium*) Poëma, quod Phocylidis sibi nomen præscribit, Mosaicis quidem præscriptis manifesto perspersum, quorum partem adnotavit Josephus Scaliger in Animadversionibus Eusebianis, partem nos quoque observavimus; sed quod Helleniſtæ Judæi videtur esse fœtus, aut Christiani potius satis recentis, utpote cujus veterum Patrum nullus omnino meminerit. Locum hic ergo suum, nominis solum ratione tueri potest, quod vetus alter Poëta gessit, Simonidis, Theognidis, & Anacreontis æqualis.

Poematis νουθετικοῦ, Phocylidi adscripti,

LXVII. Huc addam Chaldaicas Paraphrases Onkelosi, Jonathanis ben Uziel, Hierosolymitani Interpretis, & Josephi Cæci, cui Hagiographorum vulgo adscribitur Paraphrasis; Syriacam quoque Veteris Testamenti interpretationem; etsi ambigua horum ætas est & controversa: Aquilam præterea Sinopeum, Theodotionem Ephesium, proselytum utrumque Judæum, & Symmachum Samaritanum; quorum primus imperium tenente Hadriano; alter sub Marco Aurelio, vel Commodo, vel prius etiam; & tertius demum sub Commodo, & iterum sub Severo Libros sacros Græco sermone repræsentarunt. Repertæ quoque sunt Scripturæ sanctæ interpretationes duæ; altera Hierochunte sub Caracalla, Nicopoli altera sub Alexandro Mammeæ filio.

Onkelosi, Jonathanis, Hierosolymitani Interpretis, Hagiographorum paraphrastis, Syri Interpretis, Aquilæ, Theodotionis, Symmachi, Hierichuntinæ & Nicopolitanæ interpretationis.

Ex hoc auctorum censu manifestum est, a proximis usque Mosaico ævo temporibus ad adultum jam in orbe Christianismum, pervulgatum fuisse Mosis nomen, & scriptæ ab eo historiæ ac conditæ Legis vestigia palam extitisse; vereque dixisse Constantinum Imperatorem, Mosem reliquos omnes, qui ante ipsum vixerant, sapientia adeo superasse, ut qui deinceps inter Ethnicos clariores fuerunt Sapientes & Philosophi, sapientiam ejus sibi imitandam proposuerint: e contrario autem longe a vero aberrasse Hecatæum Abderitam, cum scripsit nullum vel Oratorem, vel Poëtam, vel Historicum Ebraicæ Legis meminisse.

Const. Or. ad Coet. Sanct. c. 7.

Hecatæi apud Jos. Ant. l. 12. c. 2. & Euseb. Præp. Ev. l. 8. c. 3.

CAPUT TERTIUM.

I. *Universa propemodum Ethnicorum Theologia ex Mose, Mosisve actis aut scriptis manavit:* II. *Velut illa Phœnicum. Taautus idem ac Moses.* III. *Adonis idem ac Moses.*

Digitized by Google

Moſes. IV. *Thammuz Ezechielis idem ac Moſes.* V. Πολυώνυμος; *fuit Moſes.* VI. *Marnas Gazenſium Deus, idem ac Moſes.*

Univerſa propemodum Ethnicorum Theologia, ex Moſe, Moſisve actis, aut ſcriptis manavit.

I. ETſi ea, quam contexuimus, teſtimoniorum ſeries, ſive quæ nobis Scriptores ſacri, ſive quæ exotici ſuppeditant, usque quaque cohæret, neque ulla prorſus parte dehiſcit; atque illa juxta inſtituti operis leges, ad demonſtrandum Moſem Moſaicorumque ſcriptorum antiquitatem & γνησιότητα poſſit ſufficere, alio tamen inſuper utemur genere probationum, ac priſcos illos gentium Deos & Heroas, quicunque per univerſum fere orbem culti ſunt; earumdem etiam conditores plerosque ac legumlatores, totamque Ethnicorum Theologiam, ex Moſe ipſo, Moſisve actis, aut ſcriptionibus manaſſe demonſtrabimus. Quo argumento vix validius ullum, aut ſplendidius, ex eorum genere quæ ratio ſuppeditat, ad ſanciendam Scripturæ ſacræ dignitatem reperire queas. Iterum enim dicam, quod nimis ſæpe dici non poteſt: quid in cauſam noſtram magis prodeſſe poſſit, quam ſi planum fiat vetuſtiſſimas & optime conſtitutas civitates hunc ut Deum coluiſſe, Deumque habuiſſe, qui ſummi, quem nos colimus, Dei ſervum ſe profiteretur? Hoc autem ne cui incredibile videatur, aut mirum, attendat primum Iſraelitas Ægypto reduces, poſtquam promiſſam ſibi a Deo Chananæam, velut poſtliminio repetitam, armis occuparunt, veri Dei cultum a Moſe ſibi traditum inter vicinas gentes pro ſua pietate propagaſſe; nec aliter fieri potuiſſe, quam ut Phœnicum Theologia Moſaicis dogmatis imbueretur. Quemadmodum enim ex gentis utriusque, Iſraelitarum, in quam, & Phœnicum commercio & vicinitate factum eſt, ut Iſraelitæ, ſanctæ licet & divinæ legis myſteriis inſtituti, haudquaquam immunes ſe Phœniciæ impietatis labe tuerentur; ita longe facilius evenit, ut tot portentis aſſerta Moſaicæ doctrinæ veritas Phœnicum animis illaberetur: cum præſertim a Chananæa gente plerique in media Palæſtina inter ipſos Iſraelitas diu incolumes permanſerint: velut familia meretricis Rahab, Gabaonitæ, Jebuſæi, aliique complures. Itaque poſterioris ævi Scriptores utramque gentem confuderunt; atque ipſi etiam Phœnices ſe e Mari quondam Rubro in Phœniciam fuiſſe transgreſſos commemorabant: quod de Ebræis audiverant, ad ſe pertinere exiſtimantes. Hoc etiam facilius Iſraeliticæ religionis notitiam habuit Ægyptus, per tot annos Ebræorum hoſpes, altrix, & domina; & poſt eorum ſeceſſionem crebris deinde commerciis, fœderibus, connubiis, bellis, exiliis, peregrinationibus, eidem genti permixta. Idem prope de Perſis dicas, Aſſyriorum ac Babyloniorum ſucceſſoribus, per quos domiti Iſraelitæ, & in Orientem migrare juſſi, diutinam inter eos moram traxerunt; pars etiam illic in perpetuum conſedit. Ex Perſide porro ſtricturæ quædam Ebraicæ doctrinæ in vicinæ Indiæ tenebris fulſerunt. Per Phœnices vero Ægyptios ejusdem diſciplinæ aura Græci, ac pleræque per Occidentem maritimæ gentes, per Græcos Romani afflati ſunt. Atqui dignum erat oblatæ veritati integritatem ſuam ſervare, quod longe ſecus evenit: eam quippe tot figmentorum involucris obſepſerunt, ut vix tandem explicari, & perplexis fabularum nodis expediri queat. Ex quibus intelligat Lector non inanem nos operam ſumere; nec induſtriæ noſtræ exercendæ gratia, aut τοξαστικῆς (*artis conjecturalis*) oſtentandæ, ſed unius veritatis ſtudio ductos, vetuſta gentium numina in ſacris Voluminibus quærere. Verum res ipſa facit indicium.

Velut illa Phœnicum Taautus idem ac Moſes.

II. Ac initium capiemus a Phœnicibus, in quorum antiquitatibus Moſem latentem deprehendere licet ſub Taauti perſona, qui Deus ab ipſis habitus eſt. Quam multa ei cum Moſe conveniant, jam ſupra breviter oſtendimus, cum ageremus de Sanchoniathone; & idem quoque tam certis infra evincemus rationibus, cum de Thoyth Ægyptiorum (quem Mercurium eſſe Græcorum, & Taautum Phœnicum non ſemel affirmant Philo Byblius & Porphyrius) diſſeremus, ut nullus dubitationi poſſit locus ſupereſſe. Nunc pauca hæc præmittemus in anteceſſum, unde rei veritas liquido cognoſcatur. Ægypti regem fuiſſe Taautum narrat ibidem Philo: Moſem paterni regni ſucceſſorem deſtinaverat Thermuthis Ægyptiorum regis filia; eique rex ipſe diadema ſuum impoſuerat, ut legitur apud Joſephum: atque hunc etiam σοφὸν, βασιλέα, νομοθέτην Clemens appellat. Et regium titulum ſibi ipſum aſciſcere volunt docti Interpretes hoc loco Deuteronomii: *Erit apud rectiſſimum rex.* Sapientia inter Phœnices præſtitiſſe Taautum

Phil. Bybl. & Porphyr. apud Euſ. Præp. Ev. l. 1.

Joſ. Antiq. l. 2. c. 5. Clem. Alex. Str. 2. Deut. 33, 4.

Digitized by Google

Porphyr. apud Euſ. Præp. Ev. l. 1. Act. 7, 22 Eupol. ap. Clem. Alex. Str. 1. Theodor. in Gen. Interr. 61. Iſid. Orig. l. 1. c. 3.

tradit Porphyrius in libro de Judæis: eruditum fuiſſe Moſem omni ſapientia Ægyptiorum acta Apoſtolorum indicant. Literarum repertor Taautus creditus eſt: idem de Moſe tradiderunt Epolemus, Theodoretus, & Iſidorus, ut jam a me notatum eſt. Cum gentium origines ab orbe condito Sanchoniathon vellet cognoſcere, Taauti commentarios conſuluit, quibus Coſmogonia continebatur: Moſes initia gentium a mundi exordio diligenter eſt perſecutus. Primus quæ ad Dei pertinerent cultum, Taautus retulit in literas; primus retulit & Moſes. Sacras appellat Porphyrius Taauti lucubrationes: ſacris notis inſcriptæ erant Columnæ Mercurii, & ex iis deſcripti fuerant ſacri Ægyptiorum libri, quibus Moſis, ut ſuperius obſervavi, doctrina explicabatur. Prima rerum exordia Chaos & Spiritum ponit Sanchoniathon, Taauti diſciplina eruditus: hæc ex Moſaicæ Geneſeos initio ſunt manifeſte deprompta: ut & alia pleraque, quæ a Bocharto adnotata prætereo. Unam repetam Abrahami, Saræ, & Iſaaci immolandi hiſtoriam, quam ſub Iſraelis, ſive Saturni, Anobret, & Jehud nominibus exponi a Porphyrio, ante Bochartum notavit Scaliger. Et Jehud quidem eſſe יחיד, *Unigenam*, uterque vidit. Anobret alii aliter interpretantur; optime Bochartus, *Ex gratia concipientem.* Iſrael poſitum mihi videtur pro, ἴλ, ſic enim Saturnum dictum docet ibidem Philo Byblius Sanchoniathonem interpretans. Nam librarii vocem ἰσραήλ ſic contrahere ſolent, ἰ ϛλ, &, ἴλ. Cum ergo a Phœnicibus dictum Saturnum, ἴλ, legiſſet incautus librarius, hoc eſt, ישׂ, id ſignificare putavit, ἰσραήλ, atque ita reſcripſit. Nihil tamen affirmare velim. Alia porro memoratu digna de Abrahamo, ſub Saturni nomine, refert ex Sanchoniathone Philo; Cœlo nempe patri unigenam filium totum flammis abſumptum ſacrificaſſe; tum ſibi circumcidiſſe virilia, & commilitones omnes idem ut facerent adegiſſe. Quis negare poteſt hæc eſſe ex Moſe petita? Scribit Porphyrius, ſumma fide de Judæis Sanchoniathonem diſſeruiſſe, cum ab Hierombalo, quem Gedeonem eſſe ſuperius docui, commentarios accepiſſet: commentarios illos fuiſſe libros Moſis, ex eo qui tradidit, conjecturam ducere licet: atque iidem videntur eſſe qui traditi ſunt ab Hierombalo commentarii, ac commentarii Taauti, quibus ad operis itidem ſui lucubrationem uſus eſt Sanchoniathon. Taautus denique ſerpentibus divinitatem quamdam adſcripſit: Moſes ſerpentem æneum mirifica quadam & divina vi pollentem palam propoſuit. Minime porro credendum eſt, Moſis libros ita fuiſſe aſſectatum Sanchoniathonem, ut rerum principia deſcribens nusquam ab iis receſſerit. Ea excerpſit duntaxat, quæ cum gentis ſuæ religionibus, & receptis dogmatis conſentirent. Neque vero, quæ a Sanchoniathone ſcripta erant, fideliter retulit interpres Philo Byblius. Ex iis quæ extant apud Euſebium facile agnoſcas, quam multa ſibi in interpretando permiſerit. Moſem itaque Sanchoniathon, Sanchoniathonem Philo Byblius interpolavit. Hinc plurima e Taauti libris a Sanchoniathone deprompta eſſe dicuntur, quæ a Moſaica tamen doctrina prorſus abhorrent.

Porphyr. apud Euſ. Præp. Ev. l. 1.

Bochart. Chan. l. 2. c. 2.

Scalig. Fragment. p. 48.

Porphyr. apud Euſ. Præp. Ev. l. 1.

III. Alteram Moſis imaginem Phœnices affinxerunt Adonidi, qui non ab iis ſolum, ſed a vicinis quoque gentibus inter Deos celebratus eſt. Natus quippe dicitur Adonis in Sabæis, Arabica gente: Moſes in Arabia annos complures traduxit. Scribit Apollodorus in Adonidis etiamnum infantis forma commotam Venerem, clam Diis omnibus eum occuluiſſe in arca, & Proſerpinæ tradidiſſe; hanc pupum tam bellum conſpicatam retinuiſſe, atque ea re excitatam inter Deas contentionem Jovem ſedaſſe, hac lege atque omine, ut tertiam anni partem penes ſe maneret Adonis, tertiam penes Venerem, penes Proſerpinam tertiam: unde τριφίλατος dicitur Theocrito. Sciebant enim figmenti hujus artifices Jocabed Moſe filio auctam, *videntem eum elegantem abſcondiſſe tribus menſibus; cumque jam celare non poſſet, ſumſiſſe ſiſcellam ſcirpeam, & poſitum intus infantulum* abjeciſſe in carectum, hoc eſt in certam perniciem & præſentem mortem dediſſe; ſive, ut lepide fabulatores dixerunt, Proſerpinæ tradidiſſe; miſertam vero Pharaonis filiam extractum aquis infantem ipſi matri Jocabedæ commiſiſſe alendum, ſpectataque demum pueri venuſtate ſibi adoptaſſe; hunc vero prodeuntibus ſubinde annis ad Deum frequenter itaſſe. Ex quibus ſatis aperte extat, cur partim apud Venerem, partim apud Proſerpinam, partim apud Jovem annum degere dictus

Adonis idem ac Moſes.

Apollod. l. 3

Theocr. Idyll. 15. Exod. 2, 2. 3.

Digitized by Google

dictus sit. Sororis suæ filius esse fertur Adonis, quod sororis suæ industria Moses infans servatus ac velut renatus sit. Φιλέρημος esse Adonis, hoc est loca sola sectari, dicitur in Orphicis: Moses in desertis totum fere vitæ tempus contrivit. Ibidem jactatur Adonidis prudentia: summam prudentiæ gloriam rebus gestis tulit Moses. Illic Adonis omnium altor vocatur: Mosis precibus, manna, coturnices, & aquam Ebræis esurientibus & sitientibus Deus largitus est. Fulgidus & tenebricosus esse dicitur Adonis, & in cœlum ex inferis, ad inferos de cœlo ultro citroque commeare: his consimilia narrantur de Mercurio: nam partim atra facie, partim aurea exhibetur ab Ægyptiis, geminoque mundo, cœlesti & inferno, commercia facere dicitur: Mercurium autem ipsissimum esse Mosem infra demonstrabimus. Philosophum fuisse Adonin tradunt, auctor Chronici Alexandrini, & Cedrenus: Moses de mundi, rerumque omnium principiis disseruit.

Orph. Hymn. in Adon.

Virg. Ecl. 10. *Et formosus oves ad flumina pavit Adonis:* pavit & Moses in Arabia. Canticis gaudere Adonin Orphica narrant, quod Mercurio etiam Lyræ repertori tribuitur. Horum comminiscendi causæ fuerunt, quod pastoralem vitam egit Moses; quod de Sina monte ad suos reversus, primum lucida, deinde velata facie in medium processit; quod in summo montis ejusdem cacumine, ac velut in cœli suburbiis Deum sæpe affatus est, postmodum vero ad nutum ipsis turbulenti ac seditiosi cives, Core, Dathan, & Abiron terra absorpti sunt, *descenderuntque vivi in infernum;* & quod Deo hymnos non semel Moses decantavit. Sed & longe plura Adonis communia habet cum Baccho, quem expressam esse Mosis imaginem constabit ex sequentibus. Imo vero, non alium esse Adonin, atque Bacchum, & similibus utrumque religionibus cosi, disertis verbis a Plutarcho traditum est. Sexus utriusque particeps uterque fingitur in Orphicis, & apud Ptolemæum Chennum; cornutus uterque, & ἀρρενόθηλυς, quæ Mosi quoque tribui inferius patebit. Bacchus autem idem est qui Osiris, ac Osiris proinde Adonis est. Hinc illud Ausonii Epigramma:

Num. 16, 33.

Plutarch. Symp. l. 4. Quæst. 5.

Auson. Epigr. 30.

Ogygia me Bacchum vocat,
Osirin Ægyptus putat,
Mysi Phanacen nominant,
Dionysion Indi existimant,
Romana sacra Liberum,
Arabica gens Adoneum,
Lucaniacus Pantheum.

Martianus Capella Osirin appellat Byblium Adonem; & utriusque mors ac reditus ad vitam, hujus apud Phœnices, illius apud Ægyptios, pari luctu & gaudio utrobique celebraretur. Osirin autem & Liberum nemo Solem esse nescit. Unde efficitur Mosem, non Adonin solum, & Osirin, & Bacchum esse, sed Apollinem quoque, quod pluribus etiam infra probabitur. Adonin autem esse Solem & asseverat Macrobius, & Orphica ostendunt, cum ipsum omnium altorem, & σβεννύμενον καὶ λάμποντα, *extinctum & lucentem* appellant: quotis enim quibusque annis & diebus Sol σβέννυται καὶ λάμπει. Et extinguitur quidem, cum in inferioribus versatur Zodiaci signis, & a nobis velut ad Proserpinam, hoc est ad inferius hemisphærium abit; fulget rursum superiora signa repetens, cum lucis & dierum incremento. Præclara est Macrobii super hoc argumento dissertatio. Et extingui quidem prius dicebatur quam fulgere, quia annum a Septembri mense auspicabantur Ægyptii & Phœnices; quo tempore Solis lumen & calor decrescere incipiunt, & ad hyemem vergit annus: vel quia in occasu Solis diei initium Ebræi constituebant; quem morem ab illis acceperunt Græci veteres; unde Dianam, quæ Luna est, & nocti præest, priusquam Apollinem, sive Solem, natam esse fingebant; Ægypti vero a media nocte diem inchoabant: vel quod Phœnices, & Ebræi, & Arabes, quemadmodum & Numidæ, & Galli veteres, ac Germani, & nunc quoque Poloni, ac Bohemi, ex noctibus temporum suorum spatia, non ex diebus computant. Minime vero mirandum est eodem Adonis figmento res tam discordis naturæ, Mosem puta, & Solem, priscos illos Mythologos adumbrasse: hic enim φυσικῶς significatur, ille ἱστορικῶς, quod in plerisque sæpe factum jam alii observarunt. Adonin statis diebus mulieres quotannis solenni ritu complorabant; propterea quod Mosem per dies triginta Ebræi luxerunt, ut legitur sub finem Deuteronomii. Quod spectat vero ad hortulos illos, quos in testis atque etiam in suburbiis diligenti cura excolebant

Macrob. Sat. l. 1. c. 21.

Deut. 34. 8.

lebant mulieres; ἀδωνιάζουσι, & Adonios appellabant, Regem Adonidem hortorum curæ impense fuisse deditum narrantes; minime id quidem pertinet ad historiam Mosis; nec aliam appellationis hujus causam comminiscor, quam vocum, אדון, & ארן, similitudinem, quarum illa *Dominum*, sive *Adonin* significat; hæc *voluptatem*, sive *Eden*. Proclive ergo fuit propter vocum consonantiam, גן ערן, *hortum voluptatis*, quo nomine Phœniciæ mulieres hortulos illos suos in suburbiis, & in vasis voluptatis gratia consitos appellabant, reddere, גן אדון, *hortum Adonidis*.

Thammuz Ezechielis idem ac Moses.

Ezech. 8, 14.

IV. Scribit Ezechiel se per Aquilonare ostium in Templum introeuntem offendisse mulieres plangentes Thammuz. Vertit Hieronymus, *Adonidem*, & sic intellexit quoque Procopius: ita ut planctus ille mulierum, sit ἀδωνιασμός. Nec enim moror fabulam illam de Thammuz, quam refert Maimonides in More Nevochim. Equidem Tethmosin dictum Mosem reperio apud Cedrenum; quæ vox ab appellatione Thammuz non valde recedit. Pharaoni certe, quo regnante Ægypto profugerunt Ebræi, Themosi nomen fuisse docet Manethos apud Josephum. Thammuz dicitur Philastrio & Eusebio, quorum uterque Josephum secutus est. Theuth quoque sive Mercurium, qui Moses est, ut mox apparebit, Ægypti regem Thamum adiisse, artiumque, quas callebat, specimina coram eo edidisse, gravissimus auctor Plato testatur. Verum non hæc eodem modo apud Chronologos temporibus divisa sunt: quidam enim, ipseque adeo Manethos, vetustiorem Mose Themosin faciunt. Memoratur etiam ab eodem Manethone Timæus Ægyptiorum rex, Themosi antiquior, quo regnante Judæos scribit Ægyptum invasisse. Quanquam autem in re adeo incerta, & propter antiquitatem obscura vix conjecturis supereſt locus, suspicor nihilominus Thammuz, sive Themosin, aut Tethmosin dictum fuisse eum Ægypti regem, non quo regnante Moses excessit Ægypto, sed quo natus est: nam consonum nomini huic nomen habuit ejus filia Thermuthis, quemadmodum appellatur a Josepho, & aliis; nam ex Thamuz fieri potuit Thermuthis, ut a νόμος, *norma*; *a tego*, *tergus*. Atqui nomina patronymica, de patrum nominibus facta, apud Ægyptios liberis aliquando fuisse imposita, probari potest ex Josepho, qui ait Sethonem dictum fuisse Rameſſes, de nomine patris Rhamse: & scimus ex Georgio Syncello Ægyptiorum reges plura nomina gessisse. Cum autem Mosem Thermuthis adoptasset, a casu quo ex aquis extractus est, Mosem dixit, de patris vero sui, suoque adeo nomine, Thammuz ipsi nomen feciſſe suspicari possum. Sin potior videtur eorum sententia, qui *Thermuthidis* nomen, *Aspidem* exponunt: (Aspidem enim, ut Deum, colebant Ægyptii, & de Deorum suorum nominibus sibi nomina sæpenumero faciebant) non valde equidem repugnabo: constet modo probabile videri nomen *Thamuz* de nomine *Themoseos* factum esse.

Hieronym. Ezech. 8, 14 & Epist. 13. ad Paulin. Procop. in Isa. 18. R. Mos. ben Maim. More Nevoch. Part. 3. c. 29. Joseph. l. 1. contr. Apion. Philastr. Hær. 23. Euſ. Chron.

Plat. in Phædr. Maneth. apud Joſ. l. 1. contr. Apion.

Joſ. l. 1. contr. Apion.

V. Discimus porro ex libro de vita & morte Mosis, quem edidit Gaulminus, singulos propemodum ipsius agnatos & affines nomina ei indidisse, & a patre quidem vocatum fuisse Chabar; a matre, Jechotiel; ab avia, quam ait observasse infantem in Nilo expositum, vel sorore potius, Jared; ab Aarone, Abizannach; a Caatho, Abigedur; a nutrice, Abizuco; ab Israelitis, Schemaja. R. Eliezer in Pircke scribit Mosem a parentibus nominatum fuisse Jekothiel, quo die circumcisus est; & præterea propter elegantiam, בוש, esse dictum. Hoc ipso die accepisse nomen Phaltiel; vel, ut habetur in Sidra Vajicr. Paralipomenon, Jamchil, tradit Isa bar Ali. Plurima ex his nominibus reperias apud R. Gedaliam in Catena Cabalæ. Hic quidem Mosem, a sorore dictum vult Jether, a quibusdam Tobia, sæpe etiam Sopher, ab Ægyptiis Honios; quod vitiose scriptum est pro Monios. Aliis Ebræis Magistris placet decem ipsum nomina gessisse. Sed & nonnulla, ex iis quæ attulimus, refert & interpretatur Hieronymus: *Jared* ירד *vocatur*, inquit, *id est Descendens*, *quod e monte descenderit*: *pater Jedor*, *id est sepium*, *eo quod quasi quadam sepe Legis circumdederit populum*: *Heber*, חבר, *junctor*, *eo quod populum Dei servitio junxerit*: *pater Socho*, *id est Prophetia*, *eo quod ipse sit doctor Prophetarum*: *Icuthiel*, יקותיאל, *id est sperans in Deum*, *eo quod spem habuerit liberandi populum de Ægypto*; *sive quod se parentum de aquæ periculo liberatus sit*: *pater* ונוח, *qui interpretatur Gubernator*, *eo quod magnam populo in eremo gubernationem exhibuerit*, *sive quod doctrina* sua

πολυώνυμος fuit Moses.

Hieronym. Quæst. Ebr. in Paral.

Digitized by Google

Clem. Al. Strom. 1. *sita quotidie gubernaret.* Clemens Alexandrinus ab Amramo patre, cum circumcideretur, Joachimum nuncupatum fuisse ait; Melchi vero in cœlo, postquam illuc evectus est, juxta Mystarum doctrinam. Osarsiphum ab Osiridis nomine Ægyptii dixerunt, ut ait Manethos; Tisithen, ut Chæremon. Admosin & Tethmosin, atque item Melchiam dictum fuisse narrat Cedrenus: quod postremum nomen agnoscunt etiam Pseudo-Eustathius in Hexaemeron, & Georgius Syncellus. Auctor libri de agricultura, ex Ægyptia lingua in Arabicam conversi, quem citat Aben Ezra, scribit Mosem Ægyptiace Monios fuisse appellatum; cujus vocabuli originem infra quæremus. Alpha præterea nomen fuisse Mosi, quod vitiligine laboraret, quæ ἀλφὸς Græce appellatur, Ptolemæus Chennus, & Helladius Besantinous mentiuntur; cujus ineptiæ testem hic Philonem citat: otiosorum Græculorum figmentum, Judaicæ religionis auctorem ita suggillantium, supra jam a me castigatum. Ipsius etiam Thermuthidis, quæ Mosi nomina fecit, non unum nomen fuit; Phareis & Pharia appellatur a Georgiis, Syncello, & Cedreno, nomine patronymico, quod a Pharaone, vel a Pharo Poetæ ut videtur deflexerunt, & ut proprium Georgius uterque accepit. Bathja dicitur R. Eliezero in Pirke, & R. Gedaliæ in Catena Cabalæ, hoc est, Dei filia. Merrhin & Merrhinam nominat Artapanus. Muthidem alicubi Cedrenus appellat, sed voce, ut opinor, a librariis corrupta ex Thermuthidis nomine, quod filiæ huic Pharaonis alibi tribuit. At Saido ben Batrik dicitur Styun in Annalibus Alexandrinis.

Maneth. & Chær. apud Joseph. l. 1. contr. Apion.

Aben Ezra in Exod. 2.

Artapan. apud Euf. Præp. Ev. l. 9.

Marnas Gazensium Deus idem ac Moses. VI. Locum hic sibi postularet Marnas Gazensium Deus, quem Jovem Cretensem esse docet Stephanus: hunc quippe non alium esse quam Mosem rationes evincunt necessariæ. Verum de eo oportunius infra differemus.

CAPUT QUARTUM.

I. *Moses ab Ægyptiis inter Deos relatus.* II. *Theuth, sive Mercurius, idem ac Moses.* III. *Osiris, sive Bacchus idem ac Moses.* IV. *Apis & Mnevis, iidem ac Moses.* V. *Serapis, idem ac Moses.* VI. *Orus, idem ac Moses.* VII. *Anubis, idem ac Moses.* VIII. *Vulcanus, idem ac Moses* IX. *Typhon, idem ac Moses.* X. *Probatur Veterum testimoniis Mosem ab Ægyptiis Deum fuisse habitum.* XI. *Refellitur Simplicius Mosaica doctrinæ originem ad Ægyptios referens.*

I. IN Ægyptiorum quoque Theologia multiplex apparet Mosaicæ doctrinæ vestigium. Imo, Mosem ipsum, quem mira apud se patrasse, & Regis sui impietatem ac contumaciam egregie ultum esse, & summas deinde res in Arabiæ desertis gessisse acceperant, majorum suorum edocti damnis, & edomita tandem supremo fine invidia, divinis honoribus consecrarunt; credula quippe gens, & ad idolorum cultum proclivis, & in Deos referre solita quæ sibi commoda essent, vel noxia. Paucis id demonstrare operæ pretium est. *Moses ab Ægyptiis inter Deos relatus.*

II. Inter Ægyptiorum Deos celebrabatur imprimis Mercurius, Theuth ab iis dictus, ut est apud Platonem; vel Thoyth, ut apud Ciceronem, & Martianum Capellam, qui ex ἰσοψηφίοις, hoc est arithmetico literarum vocabuli hujus valore, per eam artem, quam Gematriam Rabbini appellant, collecto mira quædam comminiscitur. Idem Alexandrinis Thoth dicitur; Taautus, ut dixi, Phœnicibus; quem Varro, Togatorum licet doctissimus, rerum sane exoticarum valde rudis, cum Cœlo & Saturno perperam confundit. Hunc Mercurium, non vanis opinationibus, & verisimillimis ductus conjecturis, ipsum esse Mosem existimo. Ea sane est copia argumentorum, ut iterare nihil attineat, quæ supra attulimus, cum Taautum Mosem esse probaremus. Ad nomen Thoyth quod spectat, persuasum fuit Scaligero, & aliis, factum illud ex תורה, quæ dictio inter primas Geneseos Mosaicæ dictiones occurrit. Nempe Auctori de scriptione sua nomen finxerunt. Scribit Julianus Apostata Monimum & Azizum cum Sole Edessæ coli. Quo loco pro, Ἔδεσσαν, haud dubie legendum est, Ἔμεσαν: nam sacram Soli urbem esse ait; quod de Edessa nemo, de Emesa plerique tradunt. Præterea id de Edessa prædicat Julianus, postquam de Phœnicum Theologia se acturum dixit, atqui Emesa Phœniciæ, sive Syriæ Apamenæ urbs est; Edessa Mesopotamiæ. Deinde Azizum Emesæ regnasse scripsit Josephus; Deo illi nempe cognominem, quem Julianus commemorat. Denique alias etiam Emesæ & Edessæ

Theuth, sive Mercurius, idem ac Moses. Plat. in Phædr. & Phileb. Cicer. l. 3. de natura Deorum. Mart. Capell. l. 2. Varr. de ling. Latin. l. 4. c. 9.

Scalig. not. in Fragm.

Julian. Hymn. in Sol.

Joseph. Antiquit. l. 20. c. 9.

Digitized by Google

Edeſſæ nomina permiſta & confuſa obſervavi. Monimus ergo Emeſæ colebatur, quem ex Jamblichi ſententia Mercurium eſſe Julianus ibidem aſſeverat. Atqui ſupra obſervavimus Auctorem libri de agricultura, laudatum ab Aben Ezra, ſcripſiſſe nomen Ægyptiacum Moſi fuiſſe, Monios. Addit Aben Ezra idipſum in Græcorum libris reperiri, atque vocabuli, Monios, interpretationem eſſe dictionem, Moſes. Cum ait vocem, Monios, extare in libris Græcorum, videtur nomen, Monimos, intelligere; ac proinde voces, Monimos, Monios, & Moſes, unam eamdemque perſonam ſignant. At R. Iſaac Abrabaniel, etſi nomen, Monios, Moſi inditum plane non negat, ejus tamen nominis interpretationem eſſe vocem, Moſes, negat; quippe ait nomina propria in aliam linguam minime transferri ſolere, etſi verba ipſa unde prodierunt transferuntur. Moſem itaque a Matre Moſem dictum cenſet, non a Pharaonis filia. Vocem autem, Monios, ipſum eſſe ſuſpicatur vocabulum, Moſes, ſic interpolatum & corruptum ab Interpretibus, dum ex Ebræa lingua in Ægyptiam, ex Ægyptia in Arabicam, & ex Arabica fortaſſe in Græcam tranſit. Conjecturæ huic aliam ſubjicit, vocem, מוניוס, *Monios*, ipſam eſſe dictionem, מאניוס, quæ Græcæ, *Magnum*, ſonat; Latine, puto, dicere voluit. Hæc eſt igitur Rabbini ſententia, *Monios*, nomen eſſe proprium, quod ex voce, *Magnus*, detortum ſit, ſeu potius ipſam eſſe dictionem, *Magnus*. At credibile profecto non eſt quempiam, qui libros Latine ſcriptos legerit, Latinæ linguæ fuiſſe adeo imperitum & rudem, ut tritiſſimæ vocis, *Magnus*, ſignificationem ignoraverit, & pro nomine proprio acceperit. Præterea quis credat Ægyptium ſcriptorem, ex Latino auctore didiciſſe nomen Moſis? nec nomen ſolum, ſed etiam nomen Ægyptium? Ac ſi quis dicat ſcriptorem Gallum, Caroli magni itidem Galli nomen a Perſico aliquo auctore didiciſſe. Nam conceptis verbis affirmat Aben Ezra, in libro de agricultura, Ægyptia primum lingua ſcripto, deinde Arabice converſo, & in libris quoque Græcis ſcriptum reperiri, nomen Ægyptium Moſis fuiſſe, Monios. Obiter Lectorem monebo librum illum de agricultura ab Abrabaniele appellari, ספר התצאבת, & ספר תצבה, hoc eſt, *Librum Sabiorum*, ſive mavis, *Librum Orientalem*; ab Arabico nomine, *Tſeba*, quod Apelioten ventum ſignificat, unde Sabii dicti, Maimonidæ, aliisque Arabibus ſcriptoribus tam ſæpe commemorati; hoc eſt צבאים, *Orientales*, quo nomine Chaldæi deſignantur. Nam ex Chaldæa primum profectos eſſe Sabios docet Abulfaragius. Hi autem hæretici habentur a Judæis & Arabibus, qui iisdem erroribus infectos fuiſſe narrant vetuſtiſſimos Chaldæos, atque in hac ſecta natum & eductum fuiſſe Abrahamum, ſed eam demum ejuraſſe. At Sabii ipſi auctorem diſciplinæ ſuæ jactant Sabium Sethi filium, Adami nepotem. Doctiſſimos viros hæreſeos ſuæ affines habuerunt: in his Thebith ben Corrah, & Albathegnium, præſtantiſſimos Aſtronomos. Alias nominis eorum originationes affert doctiſſimus Pocockius, easque veri non abſimiles. Velut illa, quæ nomen arceſſit ab Arabico verbo, *Tſeba*, quod eſt, *priſtinos Dei cultus novis admiſſis relinquere*. Cui confirmandæ afferre poſſumus nomen Chriſtianorum illorum Balſarenſium, qui ſancti Johannis vulgo dicuntur. Hi hodieque appellantur, Sabbi, uti a peregrinatoribus accepimus. Quod nomen tribui ſolet antiquarum religionum perduellibus & transfugis. Verum certiſſimam eam eſſe quam damus, oſtendit libri hujus de agricultura titulus, quem citat Abrabaniel, Nam hunc Sabiorum fœtum eſſe docet Moſes ben Maimon. Sed revertamur ad propoſitum. Fuit tempus, cum exiſtimarem dictionem, Monios, factam eſſe ex epitheto Mercurii, Νόμιος. Fuit & cum ſuſpicarer, quemadmodum ex Ebraico משה *traxit*, factum eſt nomen, Moſes: ſic ex Ebraico מן-המים, vel מן-מים *ex aquis*, factum eſſe nomen, Monimos, cum legatur in Exodo, dixiſſe filiam Pharaonis כי מן-המים משתיהו *quia ex aquis traxi eum*. Verum vocabuli hujus veriloquium omnino petendum eſt ex Ægyptia lingua. Id exponens Gaulminus ait, *Mo*, Ægyptiace, *aquam*, ſonare: *Ni*, vero, *ex*; Monios igitur ἀντολεξεὶ (*ad verbum*) eſſe, *ex aqua*, ſive ὑδογενῆ, ut in ſuppoſitiis Orphicis appellatur. Equidem apud Philonem, Joſephum, & Clementem Alexandrinum, μῶς, ſive μῶσ, ſive μῶυ Ægyptium, exponitur, *aqua*. In Scala quoque magna Ibno Cabar a Kirchero edita, reperio, ϖιμώϑ, ſignificare,

Aben Ezr. in Exod. 2.

R. Abrab. in Exod. 2.

Pocock. in Albufar. de morib. Arab.

Maimon. in More nevoch. l. 3. c. 29.

Exod. 2, 10.

Gaulm. in l. de vita & mort. Moſis.

Phil. l. 1. de vit. Mof. Joſeph. Antiq. l. 2. c. 5. Clem. Alex. Strom. 1.

Digitized by Google

ficare, *aquam*; νὶμ vero, *ex*. At, ὕσης, juxta Joſephum, vel σῶς, juxta alios, *ſervatum* ſonat. Nempe opinor, ab Ægyptio, σὶ, quod eſt, *capere*, & dictioni præfixum activa vi pollet, paſſiva ſubnexum. Abjecto ergo ex πιμώθ, articulo πὶ, fieret Græcanica forme, Μωϋνιμσὶ, vel Μωϋνιμύσης, aut Μωνιμύσης, ſive Μώνιμος, vel Μόνιμος, quo nomine dictum fuiſſe Mercurium tradit Jamblichus, ut notavi ſupra. Ex Monimos autem facile prodiit Monios, extrita literam, quod nonnunquam fieri docent Grammaticorum filii cum præſertim in nominum propriorum coagmentatione ſæpiſſime pars aliqua excidat. Ita, *Samuel*, factum eſt ex, *Saul-meel*; *& Abraham*, ex *Ab-rahamon*; & διαλόγος ex διδηολόγος. Porro, *Monios*, *&*, *Mnevis*, una videtur eademque vox, poſitura ſolum literarum diſcrepans. Mnevin autem Moſem eſſe demonſtrabo. Atqui ab Ægyptiis ad Emeſenos vicinam gentem facile tranſit vocabulum, Monimos. Græcum etiam Mercurii nomen, ἑρμῆς, ex Moſis hiſtoria prodiit; nam cum dixerimus ſupra Ægyptios nonnunquam de patrum nominibus appellaſſe filios, credibile eſt ipſos Moſi nomen Amrami patris tribuiſſe. Id nomen Cares intulerunt ex Ægypto in Græciam, atque ex eo inſulæ Imbro nomen fecerunt, in qua colebatur Mercurius, quem Imbramum Cares appellabant. Auctor Euſtathius in Dionyſii Periegeſin. Imbramus ille qui Mercurius eſt, ipſe eſt Amram, ſive Moſes patris Amrami nomen gerens. Hoc autem nomen, עמרם, ſi ad Græcanicum morem refingas, erit ἄμβρας, ſive ἴμβρας, inſerto β, propter euphoniam: atque inde transpoſitis literis fiet ἄρμας, vel ἴρμας, vel ἔρμας, quod eſt ἑρμῆς.

Joſeph. Antiq. l. 2. c. 5.
Euſtath. in Hexaem.

Vidimus nomina Mercurii ex Moſe eſſe profecta; nunc videamus res ipſas. Mercurium Thebæum fuiſſe narrat Clemens Alexandrinus, Cicero vero Nilo patre natum; Moſes Ægyptius fuit, & infans Nili aquis impoſitus, atque inde extractus a Thermutide Pharaonis filia, ejusque famulabus. Id etiam cauſæ fuit, cur in Tricrenis lotus a Nymphis Mercurius creditus ſit, quemadmodum Pauſanias in Arcadicis ſcriptum reliquit. Vulcanus, in Luciani Dialogis, Apollini prædicat Mercurii recens nati venuſtatem, eamque omnibus placere ait; formæ quoque ſuæ elegantiam illic jactat Mercurius: ſcitulus quippe infans fuit Moſes & pulchellus, uti legitur in Exodo, cujus rei fama & ad Ethnicos manaverat; ſic enim de eo Juſtinus: *Quem præter paternæ ſcientiæ hæreditatem, etiam formæ pulchritudo commendabat*. Mercurio ſexum utrumque tributum eſſe ab antiquis, cum utriusque inſignibus lancea & colo, Albricus obſervat: leges accepiſſe Judæos a muliere, cui nomen Moſo, ſcripſit Alexander Polyhiſtor, ut habetur apud Suidam. Horæ naſcentem Mercurium exceperunt, & aluerunt; lac ſuum Juno ipſa præbuit: Moſes a regiis puellis Nilo extractus, ab ipſa regis filia educatus eſt. Quidam Mercurium Arcadem dixerunt; propter Ægyptiorum & Argivorum, qui Arcadibus vicini fuerunt, affinitatem, ab Ægypto & Danao Beli filiis prognatorum, ut eſt in fabulis. Paſtorum Deus habitus eſt Mercurius, ut ex Homeri Iliade probat Pauſanias, & ut habetur in Epigrammatis Anthologiæ. Hinc appellatur νόμιος a Sophocle & Ariſtophane, μηλοσσόος ab aliis: hinc lacte & melle placabatur. Paviſſe quoque oves ferunt, & boves dono ei ab Apolline datas, quo tempore fiſtulam paſtoralem compegit. Panos etiam Ægyptiaci Dei, & paſtorum patroni pater fuiſſe dicitur. Paſtoralem vitam egit Moſes, & ſoceri ſui Jethro oves duxit; & præfuit Iſraelitis, qui ſe paſtores ovium a prima origine fuiſſe profitebantur, & pecudum cultui in Ægypto præcipue dediti fuerunt: unde, Hycſos, dictos fuiſſe Ægyptio vocabulo, hoc eſt, *Reges Paſtores*, tradit Manethos apud Joſephum. Νόμιον Mercurium Phurnutus, quem rectius Cornutum appelles, commodiori ſenſu dictum putat a latione legum: quod appoſite quadrat in Moſem legumlatorum omnium antiquiſſimum & nobiliſſimum. An a paſtione pecudum, quæ fere fit in montibus, Mercuriales omnes montes dici poſſe perhibet Scholiaſtes Sophoclis? an quod eximia quædam Moſi in montibus contigerint? velut in Sinai leges a Deo accepiſſe, in monte ſublatis ad Deum manibus victoriam adverſus Amalecitas genti ſuæ impetraſſe; in Hor Aaronem moriendi cauſa duxiſſe, eique filium Eleazarum illic ſucceſſorem ſubdidiſſe; ipſum in monte Nebo obiiſſe. Ponitur Mercurius & inter piſcatorum Deos,

Exod. 2, 2.
Juſtin. l. 36. c. 2.
Albric. de Deor. imag.
Pauſan. Corinth.
Antholog. l. 4. Epig. 57.
Sophocl. Oedip. Tyr.
Ariſtoph. Theſmoph.
Joſeph. l. 1. contr. Apion.
Sophocl. Schol. in Philoct.

Clem. Alex. Strom. 1.
Cicer. l. 3. de natura Deorum.

Digitized by Google

litorumque præfides, propter mare rubrum a Moſe trajectum. Mercurius unus fuit e Cabiris Samothracum Diis, Camillus dictus, vel Caſmilus, vel Cadmilus, ἀπὸ τῆς διακονίας (*a miniſterio,*) inquit Plutarchus. Nam veteri Etruſcorum lingua Caſmillus miniſtrum ſignificabat, quam vocem Romani eadem notione uſurparunt; ac præcipue in ſacris. Teſtes Dionyſius Halicarnaſſeus, Feſtus, Macrobius, & Servius. Hinc Pacuvius Medeam dixit, Cælitum camillam, hoc eſt, miniſtram. Mercurius autem miniſteria in cœlo, etiam infima obibat, quod apud matrem queritur in Luciani Dialogis. Itaque τῶν θεῶν ὑπηρέτης, *Deorum miniſter,* dicitur in veteribus Epigrammatis, & Mercurius Miniſtrator in Inſcriptionibus. Atqui Moſes ſervus Dei quaſi proprio & peculiari cognomento dictus eſt. *Et crediderunt,* inquit ipſe de ſe, *Domino, & Moyſi ſervo ejus.* Dominus ipſe alibi: *At non talis ſervus meus Moyſes. Quare ergo non timuiſtis detrahere ſervo meo Moyſi?* Rurſus: *Mortuusque eſt ibi Moyſes ſervus Domini.* Et paulo poſt: *Et factum eſt poſt mortem Moyſi ſervi Domini, ut loqueretur Dominus ad Joſue, & diceret ei, Moyſes ſervus meus mortuus eſt.* Et Paulus ad Ebræos: *Et Moyſes quidem fidelis erat in tota domo ejus* (Dei) *tanquam famulus.* Præſtigiator fingitur Mercurius, propter edita a Moſe per totum vitæ decurſum prodigia. Quæcunque autem adverſus Magos Ægyptios vi divina geſſit, incantamentis, & vi Dæmonum gerere creditus eſt. Caduceum Mercurio tribuitur, virga nimirum ſerpentibus intexta, portentorum effectrix: virgæ ſcilicet illius mirificæ inſtar, quæ a Moſe demiſſa in terram colubri more reptavit, veneficorum Ægyptiorum abſorbuit virgas, & mirabilia ſubinde opera patravit. Atque his etiam ratio ineſt, cur ἀργειφόντης, *Argi interfector,* Mercurius dictus ſit: nam quæ vulgo afferri ſolet, cædes nempe paſtoris illius πολυομμάτου (*multis oculis inſtructi*) qui Argus dicebatur, nænia eſt ſopiendis infantibus idonea. Verius eſt quod propoſuit Pauſanias in Lexico, ἀργειφόντην, ſonare, ὀφιοκτόνον, ac ſi dicas *anguicidam*; quippe, ἄργην, *anguem,* notare. Idem hoc teſtantur Grammatici veteres, Heſychius, Harpocration, & Suidas: teſtificatur & Plutarchus eo ſenſu dictionem hanc apud Poetas aliquos reperiri. Addit Euſtathius, Pauſaniam non ſubjeciſſe cauſam, cur ὀφιοκτόνος dictus ſit Mercurius; at nos ſubjiciemus: nempe quod Magorum Ægyptiorum virgas in angues converſas, illa Moſis anguis itidem facta, deglutierit: vel quod ſerpentium ignitorum lethalem vim Moſes propoſito æneo ſerpente repreſſerit. Unde nata quoque fabula Pythonis ſerpentis, interfecti ab Apolline, quem aliud eſſe Moſis ſimulacrum ſequentia demonſtrabunt. Pergamus vero Mercurium cum Moſe contendere. Argum Mercurius juſſu Jovis occidit, *ob eamque cauſam in Ægyptum profugiſſe,* ait Cicero: ſic enim emendandus eſt ex Lactantio: virum Ægyptium interfecit Moſes ad Iſraelitarum ſalutem a Deo excitatus, & ex Ægypto profugit. Furax habetur Mercurius, & furum Deus: quippe vaſis aureis & argenteis, ac plurima veſte Ægyptios ut fraudarent Ebræi, Moſes auctor fuit. Unde Trogus de Moſe: *Dux exulum factus ſacra Ægyptiorum furto abſtulit.* Boves Apollinis abegiſſe dicitur Mercurius: Moſes Pharaonem fugiens e ripis Nili, qui Siris & Oſiris dicitur itidem ut Apollo, abegit *oves & armenta & animantia diverſi generis multa nimis.* Auctum id ajunt a Mercurio etiamnum cunis involuto; memores Moſem in cunis Nilo innataſſe. Statuæ Mercurii pro foribus domorum ponebantur ad arcendos fures; unde προθυραῖος dictus eſt, a cardine nimirum januæ, & προπυλαῖος. Quam etiam ob cauſam σηκὸς appellatur ab Homero; hoc eſt, juxta Heſychium, & Phurnutum, σωτήριος, οἰκοφύλαξ, *domorum ſervator:* an quod ſuadente Moſe & jubente, domorum poſtes ac ſuperliminaria ſanguine aſperſerunt Ebræi, atque ita majores natu filios a tranſeuntis Domini cæde prohibuerunt? Semitalis Deus, ſive ἐνόδιος, ac itinerum præſes exiſtimatus ac dictus eſt Mercurius; ἡγεμόνιον etiam appellari auctor eſt Phurnutus: quod per annos quadraginta in deſertis & aviis locis viæ ducem Iſraelitis ſe Moſes præbuit. Inde lux veteri Epigrammati ad Fortunam Prænestinam, quod habetur in Catalectis, ubi de mercatore agitur, qui erat, ut habet ipſum Epigramma,

ire per altos
Conſuetus portus:

tum

Plutarch. in Numa. Dionyſ. Hal. l. 1.

Feſtus in Flamin. Macr. Sat. l. 3. c. 8. Serv. in Virg. Æn. 11.

Anth. l. 2. c. 25. Sponii Miſcellan. Sect. 3.

Exod. 14, 31.

Num. 12, 7.

Deut. 34, 5.

Joſ. 1, 1.

Ebr. 3, 5.

Pauſanias apud Euſtath. in Iliad. β.

Heſych. in Ἀργεῖφόντην.

Idem & Harpocr. & Suidas in Ἄργος.

Plutarch. Demoſth.

Cic. l. 3. de nat. Deor. Lact. Inſt. l. 1. c. 6.

Juſtin. l. 36. c. 2.

Exod. 12, 38.

Homer. Iliad. v. Heſych. in σῶκος.

Phurn. de nat. Deor. in Mercur.

Phurn. de nat. Deor.

Digitized by Google

tum etiam:

Fortunæ simulacra colens, & Apollinis Aras,
Arcanumque Vii.

Viam ajo esse Mercurium, a viis quibus præest sic dictum, quod perinde est, ut si ἐνόδιον dicas, vel Semitalem; mercatorum & nautarum Deum, Viacum & Trivium appellant Inscriptiones Gruteri; & viis ac semitis delectari tradunt Epigrammata. Cabiri, quorum unum fuisse Mercurium, sive Mosem diximus, navigantibus præerant & favebant. Diserte id produnt Apollonius, Diodorus & Suidas. Arcana autem fuisse Samothracum mysteria nemo nescit. Atque hoc est *Arcanum Vii.* Erat in Troade, quemadmodum refert Pausanias, ad sepulchrum Herophiles Sibyllæ, in luco Sminthei Apollinis, statua Mercurii, ad lævam aquas habens in labrum defluentes: propter aquas nimirum a Mose ex rupe eductas. Quam ob causam Priapus quoque, quem non alium esse probabo quam Mosem, viam ad fontes indicat in Priapeiis. Observavimus supra, scriptum reliquisse Philonem Byblium, Taauto deberi inventionem literarum, primamque commentariorum lucubrationem. Idem de Mercurio Ægyptio, præter Ciceronem, Diodorum, Plutarchum, & alios, memoriæ prodidit Plato in Phædro & Philebo. Ait ille scribendi ac legendi artem excogitavisse Theuth Ægyptium, & variarum rerum fingendis nominibus operam dedisse: quia, opinor, Mosaicos libros omnium quos cognovisset antiquissimos esse accepérat. Sine ulla vero ambage Eupolemus, quem secuti sunt Theodoretus, & Isidorus, Mosem affirmat primum fuisse sapientem, & Judæis Grammaticam tradidisse, Judæos Phœnicibus, Phœnices Græcis. Quod merito tamen refellit Augustinus. Ægyptiis leges tradidisse Mercurium docent Cicero, & Ælianus. Ἱερογραμματέα Osiridis Diodorus fuisse ait, & sacrorum doctrinam prodidisse. Paria his habet Johannes Tzetzes. Narrat Porphyrius Taautum rudes populos, & rerum divinarum sacrarumque ignaros ad Dei cultum traduxisse. Addunt Strabo, Manilius, Arnobius, & alii, siderum cursus ab eo observatos, anni dierumque rationes ordinatas; & Philosophiæ auctorem extitisse. Artem numerandi, & Geometriam eidem, præter Astronomiam adscribit Plato, Lyram Hermeus, Musicam Plutarchus; Rhythmicam & metricam Philo, tum & Symbolicam Philosophiam, ac artes denique cæteras liberales. Institutissimum omni genere doctrinæ fuisse Lactantius affirmat, & propter multiplicem rerum scientiam Trismegistum dictum. Verum in eo pueriliter halucinatus est, aliisque errandi causam dedit, quod ab hoc Mercurio vere scriptos censuit libellos istos, qui Pœmandræ & Asclepii titulis inscripti, & Mercurio Trismegisto adscripti circumferuntur; adulterinum opus, & a primi, secundive Ecclesiæ seculi Christianis quibusdam male feriatis, ac ut videtur hæreticis suppositum. Rerum omnium inventionem Mercurio suo tribuisse Ægyptios testificantur Jamblichus in libro de mysteriis, Cyrillus in primo libro adversus Julianum, & Johannes Tzetzes, propterea quod libros ei suos inscripsisse, & sapientiæ totius præsidem existimasse. Quid ita vero? quia scilicet rerum omnium primordia libro suo Moses complexus est, nec mundi solum & naturæ, sed religionis etiam & Theologiæ, historiæ quoque humani generis & animalium, Geographiæ, politicæ scientiæ, castrensis disciplinæ, æqui bonique ac legum ferendarum doctrinæ, staticæ artis, architectonicæ, fabrilis, fusoriæ, sutoriæ, baphicæ, coriariæ, phrygionicæ, aliarumque complurium; sanxit idem sacrificia ac perpetuos ritus sacrorum; annum sacrum & civilem festis distinxit quibusdam, spatia temporum in certas discrevit periodos; & Israelitis leges tulit. Merito ergo scripsit Pseudo-Eustathius in Hexaemeron, & ante Eustathium Artapanus in libro de Judæis, armorum, navigiorum, antliarum, tollenonum, sacrarum literarum, & civilis disciplinæ inventionem Mosi Ægyptios debere. Merito quoque dixit Clemens Alexandrinus: ἦν γὰρ ὁ μωϋσῆς ἡμῖν προφητικὸς, νομοθετικὸς, τακτικὸς, στρατηγικὸς, πολιτικὸς, φιλόσοφος *Est ergo nobis Moses præscius futurorum, legumlator, aciei instruendæ, exercitus ducendi, Reipublicæ administrandæ peritus, & Philosophus.* Quemaddum autem e Taauti libris nonnulla proferuntur a Porphyrio, quæ nuspiam extant in libris Mosis, ita plurima Mercurii hujus Ægyptii opera recensentut a Clemente Alexandrino, & Cyrillo, quæ nullus sanæ mentis ad Mosem referre ausit: etsi Mosaicam doctrinam, licet non puram, sed commentis adulteratam

Anth. l. 4.
Apollon. Arg. l. 1. Diodor. l. 5. Suidas in Σαμοθρᾴκια
Pausan. Phocic.
Priap. Epigram. 69.
Phil. Bybl. apud Eus. Præp. Ev. l. 1.
Cicer. l. 3. de natura Deorum.
Diodor. l. 1.
Plutarch. Sympos. l. 9 quæst. 3.
Eupol. ap. Clem. Al. Strom. 1. & Eus. Præp. l. 9. c. 29.
Theodor. in Gen. Interr. 61.
Isidor. Or. l. 1. c. 3.
August. de civit. Dei l. 18. c. 39.
Cicer. l. 3. de natur. Deorum.
Ælian. Var. Hist. l. 14. c. 34.
Diodor. l. 1.
Tzetz. Chil. 4.
Porph. apud Eus. Præp. Ev. l. 1.
Strab. l. 17.
Manil. l. 1.
Arnob. l. 2.
Plat. Phædr.
Lactant. Inst. l. 1. c. 6.
Joh. Tzetz. Chil. 4.
Plutarch. de Isid. Phil. de vita Mos. l. 1.
Artap. apud Eus. Præp. Ev. l. 9. c. 27
Clem. Al. Strom. l. 1.
Porphyr. apud Eus. Præp. Ev. l. 1.
Clem. Al. Strom. l. 6.

teratam ſpirant, ut optime Cyrillus adnotavit. Multa ſcilicet propter viri auctoritatem & antiquitatem, ei, ut fieri amat, adſcripta ſunt a ſubdolis hominibus, favorem ſcriptionibus ſuis & plauſum illuſtri nomine conciliantibus: quemadmodum & Pœmandram deinde non multo poſt Chriſtum eidem Chriſtiani attribuerunt. Parem habuit cauſam librorum ſuppoſitio, qui ſub Zoroaſtris nomine prodierunt. Manethos Ægyptius Moſi nomen Oſarſiph fuiſſe commemorat, ex nomine Oſiridis. Equidem ab Oſiridis, hoc eſt Solis, obſervatione factum id nomen conjecerim; nam Ebraicum צפה *ſpeculatorem* ſonat. Sic apud Philonem Byblium, ζωφασημίν, hoc eſt, צופה שמים, redditur, ὑφανῶ κατόπλου, *Cœli ſpeculatores*. Igitur Oſarſiph, ſi verbum verbo reddas, erit, *Solis ſpeculator*; quia nimirum Moſes, ut erat Ægyptiorum diſciplinis inſtructus, Aſtronomiam apud eos præ cæteris diſciplinis florentem videtur coluiſſe. Θεόπλης *(Deiſpeculator)* appellatur a Georgio Syncello, & Theodoro Metochita. Hujus diſciplinæ quantum ſtudioſi fuerint Ægyptii, præclare exponit apud Heliodorum Calaſiris Ægyptius antiſtes: duplicem ſiquidem eſſe ait ſapientiam Ægyptiorum; aliam vulgarem, quæ necyomantia eſt; aliam divinam, quæ vera ſapientia eſt; ἣν ἱερᾶς, inquit, γῆ πρφητικὸν γένος ἐκ νέων ἀσκήμεν, ἄνω πρὸς τὰ θεῖα βλέπουσαν, θεῶν συνόμιλον, καὶ φύσεως κρατῆσαι μέτοχον, ἄστρων κίνησιν ἐρευνῶσαν, καὶ μελλόντων προγνῶσιν κεκτᾶσθαι. *Cui nos Sacerdotes & Prophetis prognati ab adoleſcentia aſtademus; cœleſtia ſpectantem, Deorum ſociam, naturæ divinæ participem, aſtrorum motus ſcrutantem, & notitiam futurorum lucrifacientem.* Scio afferri a nonnullis aliud nominis hujus etymon, qui Oſarſiph idem eſſe volunt ac πύρσσος, *ab igne ſervatus*, quod non aquis ſolum, ſed & ignibus Moſes liberatus ſit. Verum præſtat Manethonem ſequi, qui ab Oſiride id nominis deductum eſſe diſerte affirmat. A שפה repetebat vetus amicus noſter Stephanus Morinus; quod eſt *perdere, deſtruere*. Ac ſi *Oſiridis interfectorem* dixiſſes, quod Typhoni convenit. Acute, & erudite, ut cætera excellentis hujus viri omnia. Quod ſi quis Oſarſiph corruptum putet ex dictione, Oſirapis, quæ juxta Clementis Alexandrini ſententiam conſtat nominibus Oſiridis & Apios, me quidem non valde repugnantem habebit. Eſt apud Plutarchum, Bacchum Iſidis filium apud Ægyptios, non Oſiridem, ſed Arſaphen appellari, atque ea voce *Fortem* ſignificari. Videtur profecto id vocabulum detortum ex Oſarſiph. Ut enim Moſes eſt Bacchus, quemadmodum probabitur infra, ita Oſarſiph eſt Arſaphes. Poſtquam autem primigenia vox Oſarſiph degenerare cœpit in Arſaphes, ignorato etymo, adulterina aſcita eſt ſignificatio. Deorum hominumque nuntius ac ſequeſter dictus eſt Mercurius, & Jovis juſſa deferre ad homines, hominum preces ad Deum allegare, propter itiones crebras Moſis, & diutinas manſiones in Sinæ montis faſtigio, ac crebra cum Deo colloquia, & Dei mandata ad homines perlata. Hinc Moſes ipſe de ſe: *Ego ſequeſter & medius fui inter Dominum & vos in tempore illo, ut annuntiarem vobis verba ejus.* Unde factum quoque reor, ut Mercurio conſiliario & ſcriba uſum Saturnum dixerit Sanchoniathon apud Euſebium: uſum Oſiridem, atque item Iſidem dixerit Diodorus. Petaſatus pingitur Mercurius: Moſes velato vultu alloquebatur Iſraelitas, ne acies eorum ad radiorum a ſe prodeuntium fulgorem hebeſceret. Unde & Mercurium ait Æſchylus noctem ante oculos & tenebras ferre. Vel ita certe peregrinantis habitu exhibetur Mercurius, *tanquam vias aggredi præparet, & Solem pulveremque declinet*, inquit Arnobius: quod res memoratu digniſſimas Moſes peregrinus geſſerit. Petaſum Mercurii media parte album, media nigrum fuiſſe ſcribunt; ejus quoque ſimulacrum, partim atra, partim aurea facie ab Ægyptiis pingebatur: quia poſt habitum cum Deo congreſſum, Moſes de monte deſcendens luminoſa facie prodiit. Quæ cum legiſſent, ac perperam accepiſſent Interpretes, & pro lumine cornua Moſi affinxiſſent, vocis קרן ambiguitate decepti, hinc hirco ſeſe aſſimilaſſe Mercurium Fabulatores dixerunt, ut tutius Penelopes amore frueretur; unde & arietem humeris vel ſub ala geſtans pingi ſolet, & κριοφόρος appellatur, ex eoque ipſius & Penelopes concubitu Pan dicitur eſſe natus, quem hircina quoque forma Ægyptii itidem ut Græci repræſentant. Cornua etiam iſta Moſis cauſæ fuerunt, cur τριπέφαλος Mercurius a Lycophrone, Harpocratione, aliisque dictus ſit. Ex his quoque Moſis radiis, & fulguribus,

Cyrill. contr. Jul. l. 1, 2. & 4.

Maneth. apud Joſ. l. 1. contr. Apion.

Heliod. l. 3.

Clem. Al. Protrept.

Plut. de Iſid. & Oſir.

Deut. 5. 5.

Euſ. Præp. Ev. l. 1. c. 10. Diodor. l. 1.

Æſchyl. Choep. v. 815.

Arnob. l. 6.

Digitized by Google

ribus, ac tonitribus in Sinai monte editis, cum Deus Mosem alloqueretur, factum est, ut Jovis fulmen Mercurium surripere voluisse dixerit Lucianus. Ex his utique Deum inter & homines obitis a Mose legationibus, Mercurius legationum ac fœderum repertor creditus est. Ad inferos quoque legatus mitti fertur, quod velut ad Mosis imperium Core, Dathan, & Abiron, adversus legem ipsius perduelles, terræ hiatu hausti sint, & *descenderint vivi in infernum*, ut notavimus supra, cum de Adonide ageremus. Mercimoniis præfectus est Mercurius, & ponderum mensurarumque inventor creditur, quamobrem pingebatur cum sacculo, & a negotiatoribus plurimum colebatur: quippe Moses in emtionibus, venditionibus contrahendis fraudes legibus suis coërcuit, ponderum & mensurarum æqualitate sanxit, & fœnebrem licentiam sustulit. Lyræ, fistulæ pastoralis, atque adeo Musicæ repertor Mercurius existimatus est: geminum hymnum, omnibus Poëticæ artis pigmentis splendescentem, Deo Moses decantavit. Idem buccinam eam reperit, quæ Asosra ab Ebræis appellatur, & describitur a Josepho: cum alioqui lyra, & alia pleraque instrumenta musica ex Oriente prodierint. Id nomina ipsa satis ostendunt: ex כנור factum est κίνυρα; ex נבל, νάβλα; ex תפף, τύμπανον; ex סבכא, σαμβύκη; ex Gingra, qui Phœnicum lingua fuit Adonis, γίγγροι, genus quoddam tibiarum; & ex אבוב, *tibia*, (cujus etymon est in primitivo אבב, unde אביב, *calamus spicæ*; quia olim tibiæ fiebant e calamis) nomen habuerunt Ambubajæ, quod perinde est ut si tibicinas dicas. Hinc Juvenalis:

Lucian. Dial. Apoll. & Vulc.

Num. 16, 33.

Joseph. Antiq. l. 3. c. 11.

Juv. Sat. 3.

Jampridem Syrus in Tiberim defluxit Orontes,
Et linguam, & mores, & cum tibicine chordas
Obliquas, nec non gentilia tympana secum
Vexit, & ad circum jussas prostare puellas.

Strab. l. 10. Habet idipsum Strabo, qui citharam tradit ab aliquo Asiaticam dici, & Musica instrumenta peregrinis nominibus appellari, Nablia, Sambucam, Barbiton, Magades, & alia plurima. Legas quæ de Tyriorum institorum saltationibus, instrumentis musicis, & Assyriaco modo scripsit Heliodorus, quantum ea gens Musicæ dedita fuerit, intelliges. Mercurio veteres vitulo fecisse auctor est Ovidius, propter conflatum ab Aarone vitulum aureum, quem combustum igni, in pulverem comminutum, & in aquam conjectum Moses Judæis propinavit: nam quæ Deo cuique valde odiosa essent animalia, hæc ipsis sacrificabant. Atque inde est quod & porcus Mercurio cæsus fuit; ut indicat Aristophanes: ob vetitum nimirum Mosaicis legibus porci esum. Scribit Plutarchus, alii- que seniorum Mercuriorum simulacra pedibus, manibusque truncata exhiberi, quadam vero parte nimium parata; propterea quod senes, non celeritate pedum, vel manuum robore, sed mentis vigore ac fecunditate res administrare solent; quæ Mosis ita propria sunt, ut non alteri cuiquam magis conveniant. Cyllenium dictum vult Festus, non a Cyllene monte, sed quasi κύλλον, truncum & manibus carentem; quod omnia sine manibus sermo conficiat. Futurorum prænotionem & artem divinandi ab Apolline Mercurium accepisse narrant: hinc Fatalis dicitur in veteri Lapide; hinc Jovis decreta, hoc est fatum hominibus pandere dicitur; hinc Oraculum apud Pharenses habuisse eum narrat Pausanias; hinc & futura in somnis homines monere fingitur a nonnullis: Moses a Deo propheticam habuit facultatem, & inter prophetas censetur. Quam ob causam Psonthomphaneeh, hoc est, *Futurorum præscium*, haud secus ac Josephum, fuisse ab Ægyptiis appellatum, legitur in Chronico Alexandrino. Summa Mercurium inter & Herculem necessitudo ac societas ab antiquis constituitur, adeo ut communes eorum fuisse statuas Aristides prodiderit: atqui Herculem Josiæ typum esse infra demonstrabo. Scribit Apollodorus Jovem, simul ac soluta femoris sutura Bacchum enixus est, Mercurio eum tradidisse; hoc est Mosem Mosi; nam & Mercurium Mosem esse jam ostendi satis; & Bacchum quoque Mosem esse mox ostendam; sic enim unum eumdemque hominem multipli ci specie, plures homines una persona Fabulatores adumbrabant. Symbolum Mercurii canem fuisse docet Plutarchus, & facie canina ipse pingebatur: quod Calebum Moses socium habuerit. Vox autem *Caleb*, Ebraice *canem* significat. Facit huc Chronologorum

Heliod. l. 4.

Ovid. 4. Metam.

Plut. An seni sit gerenda Resp.

Orat. Inscr. p. 64.

Pausan. Achaic.

Aristid. Orat. in Herc. Apollod. l. 3.

Plut. de Isid. & Osir.

quorum-

quorundam, ac imprimis Augustini sententia, qui Mercurium Mosis ætati conjungunt. Facit huc & adnotatio quædam inserta antiquæ editioni Lactantii, ad locum supra allatum e libro primo Institutionum, in qua legitur codicem quemdam manuscriptum Bibliothecæ S. Pauli Lipsiensis, pro voce *Thoth*, substituere, *Mosin*. Finem faciam dissertationis hujus in opportunissimo ad opinionem nostram Artapani testimonio, quod proferunt Eusebius, & Auctor Alexandrini Chronici, cuique adstipulatur Auctor Hypomnematis in Hexaemeron, quod Eustathio tribuitur. Illic legitur Mosem ab Ægyptiis pro Deo habitum fuisse & cultum, & Mercurium appellatum; cumque bellum gereret adversus Æthiopas, condidisse urbem, & Hermopolin appellasse. Atqui Hermopolin a Mercurio Ægyptio esse conditam perhibet Lactantius. Unde veterum ipsorum testificatione cognoscitur, Mosem esse Mercurium.

Aug. l. 18. de civ. Dei, c. 8.

Lact. l. 1. Inst. c. 6.

Eus. l. 9. Præp. Ev. c. 27.

Osiris, sive Bacchus, idem ac Moses.

III. At non in Theuth solum, sive Mercurio, sed sub Osiridis quoque persona, quem eumdem esse ac Dionysium, sive Liberum Indorum domitorem asseverant Antiqui, Mosem Ægyptii coluerunt. Cum enim non politicis solum & œconomicis, sed militaribus etiam virtutibus claruerit, illas in Mercurio, has in Osiride, seu Libero adumbrarunt prisci illi artifices fabularum. De Mercurio vidimus, & quidem ita luculenter, ut mirabile sit in re tam perspicua neminem adhuc, quod sciam, verum olfecisse. Bacchum autem quoniam doctorum hominum studiis jam deprehensum est Mosis esse simulacrum, argumenta eorum contrahemus in pauca; tum si quid ad rei confirmationem suppeditet penus noster, adjiciemus. Nati sunt in Ægypto Moses & Bacchus, in arcam uterque inclusus, & in profluentem abjectus. Huic Mosi nomen, illi Misi, ut est in Orphicis. Utrique tributus est sexus uterque. Bimater uterque; nam & velut alteram matrem Thermuthin Pharaonis filiam habuit Moses, *quem illa adoptavit in locum filii*, ut loquitur ipse Moses; & bis etiam propriæ matri, primum a natura, deinde a Thermuthide traditus est alendus. Venustus uterque & forma præstans. Eductus uterque in Arabia; hic ad Sinam montem, ille ad Nysam, quæ Sina ipsa est, ut diserte habent Fasti Siculi. Exulavit uterque. Bacchus, cujusdam virga in terram projecta serpentis instar repetenda est, ut illa Mosis. Bacchi chorus fruebatur lucis aspectu, dum Indi tenebris obsiti erant, quemadmodum Israelitæ inter Ægyptios. Fugiens uterque Ægyptios, pedibus mare Rubrum trajecit. Transmisit ille fluvios Hydaspem & Orontem thyrso arefactos; hic Rubrum mare mirifica virga bipertitum. Cornutus uterque fingitur. Leges tulit uterque duplici tabulæ inscriptas. Νομίος uterque fuit: de Mose quidem vidimus supra: de Bacco testatur vetus Epigramma Anthologiæ. Bacchæ, itidem ut Moses, virga aquas de rupe elicuerunt. Hic serpentem æneum erigit; illæ se tortis serpentibus incingunt, serpentibus coronantur, Bacchicorum orgiorum insigne habent serpentem, & iis qui Sabaziis sacris initiantur symbolum est serpens sinum pervadens. Calebum, quod vocabulum exponitur canis, socium habuit Moses, canem Liber, Mosis jussu racemum e promissa terra retulit Calebus: Bacchi auspiciis reperta est satio vitis. Denique manat utrique terra lactis, mellis ac vini fluentis.

Anthol. Lib. de. 38.

Hæc ab aliis jam observata sunt: ista a me. Osarsiph Ægyptiis dictus est Moses, Bacchus Arsaphes, ut jam dixi: quas voces non affines solum, sed easdem esse proclivis est suspicio. Fulminibus ambustam esse Semelen, & inter ignes natum Bacchum prodit fabularis historia; unde πυριγενὴς, & *Ignigena* dicitur; propter visum Mosi in rubo ignem, & habita eidem cum Deo colloquia inter ignes & fulgura. Hinc καμπτὴν διόνυσον, τὸν πάλαι σελαγῆν, τυτέϊ μετὰ λαμπάδων καὶ πυρὸς χορεῦσαι καὶ διάπυρον ἄνακτα θεόν. *Commessatorem Bacchum cum tædis fulgere, hoc est cum lampadibus & igne tripudiare, & fervidum ac igneum esse Deum*, ajunt Aristophanes, ipsiusque Scholiastes. Hinc instituta Baccho λαμπτῆρες *(Fulgida)* apud Pellenenses λαμπτηρία ἑορτὴ *(Festum lampadum)* Pausaniæ in Achaicis commemorata. A Nymphis educatus fuisse dicitur Bacchus; quod in Nili aquas projectus sit Moses: nam Nymphæ aquæ sunt. Casus ille Mosis aliis causam fingendi dedit, Bacchum statim a partu conclusum in arcam ligneam, & in mare fuisse cum matre abjectum. Moses ille in Orphicis Hymnis laudatus, qui idem Bacchus est, Isidis filius fingitur, & cum ea ac famulabus ad Nili fluenta exultans

Aristoph. Nub.

Orph. Hymn. in Misem.

Exod. 2. 10.

taris & tripudians exhibetur; quod ancillis comitata Thermuthis, cum ad Nilum lavandi causa descenderet, Mosem in Nilo expositum servaverit. Hinc a Mercurio ad Macrin Aristæi filiam alendi causa deportatum volunt quidam: hoc est Merrhin Pharaonis filiam, quod ipsi nomen Artapanus tribuit. Volunt alii ab Ino matertera fuisse nutritum; hoc est a matre, cui Moses ex indicio sororis alendus traditus est a filia Pharaonis. Ex hujus Misis nomine factum videtur Misagenis nomen, qui Masinissæ filius fuit, Livio sæpe memoratus; quemadmodum a Jove Diogenes, a Mercurio Hermogenes, ab Oro Origenes: ut facilis inde conjectura sit Misis sive Mosis religionem ad Numidas quoque transiisse. Auctor est Philostratus, Indos quosdam existimare, Bacchum Indi fluvii filium esse, quod Moses velut Nilo patre renatus sit. Scribit Diodorus Osiridis exercitum duxisse Herculem; quod Mosis exercitus ducem habuerit Josuam, cujus effigiem esse Herculem infra approbabo. Virorum ac mulierum exercitum Bacchus circumduxit, perinde ut Moses. Nefarios uterque & facinorosos suppliciis affecit. Bacchum cognomine γιγαντοκτόνου *(interfectorem gigantum)* dicit vetus Poeta, propter expugnata Mosis auspiciis *monstra filiorum Enac de genere giganteo*, & excisas *reliquias Raphaim, quas percussit Moyses atque delevit*, ut est in libris Numerorum, & Josue. Ab Indis in Græciam victor Bacchus fingitur remeasse; quia Ægyptus contermina est Æthiopiæ, quam ab India veteres Geographi non distinxerunt: Moses autem adversus Æthiopas bellum gessisse dictus est, ut supra docui; & ex Ægypto deinde, quæ vicina Æthiopiæ regio est, in Asiam progressus, ab India venire dictus est; quemadmodum Nilus Virgilio, *amnis devexus ab Indis* dicitur. Bacchus patriam in libertatem vindicasse, & in rei monumentum urbem condidisse, & de facti nomine Eleutheras appellasse dicitur a Diodoro; unde ἐλευθερεύς, & ἐλεύθερος cognominatus est a Græcis, Liber a Romanis, teste Alexandro apud Plutarchum: Moses populares suos Ægyptiaca servitute exemit. Mercurio χθονίῳ *(terrestri)* Bacchi nomen Orphica tribuunt, quia Bacchus & Mercurius, unus idemque est, Moses videlicet. Ob eam causam Ægyptii Mercurio, sive Thoth dicarunt, & de ejus nomine appellarunt Septembrem mensem, quo vindemiam colligere solent. Unde vetus epigramma Anthologiæ:

Πρῶτος Θὼθ ἔδαη δρεπάνην ἐπὶ βότρυν ἐγείρειν.
Primus Thoth novit falcem uvis admovere.

Hinc quoque ortum est, quod de Jove narrat Apollodorus, cum partum Semeles Junonem celare vellet, Bacchum mutasse in hœdum, & Mercurio tradidisse deferendum ad Nymphas Nysæ montis. Comatus & crines flavos gerens inducitur Bacchus, propter radios quibus Mosis vertex cingebatur. Mitra eidem imponitur, & quidem Tyria, propter Aaronis mitram. Aaronem autem fratrem cum Mose, itidem ut Amramum patrem, historici Scriptores sæpe confundunt. Trogo quidem Mosis filius Aaron esse dicitur, & Aruas appellatur. Terram Bacchus concutit, quamobrem μεγιχθὼν, *Terram rumpens*, nominatur in Orphicis, flammæque ejus opera e terra erumpunt: terræ hiatu hauriuntur Core, Dathan, & Abiron, cum adversus Mosem rebellassent; tum alii ejusdem perduellionis rei erumpentibus ignibus succensi sunt. Thyrsum Bacchus, sive ferulam, sive baculum manu gestat, unde θυρσοτινάκτης *(Tyrsum concutiens)* & σκηπτοῦχος *Sceptriger*, & ναρθηκοφόρος *(narthecem ferens)* dicitur; propter mirificam virgam Mosis. Columnæ symbolo designabatur Bacchus, & περιστύλιος *(Circum-columnius)* appellabatur, & columnas plerasque, expeditionum suarum monumenta, passim dicebatur posuisse; propter columnam illam nubis, diurni Israelitarum itineris ducem, igneam vero nocturni. Id tangit Clemens Alexandrinus. Non unius autem figuræ fuerunt quas Columnas, sive κίονας veteres dixere. Quadratæ fuerunt aliquando: cujusmodi fuit illa apud Arabes, quos hoc simulacro coluisse auctor est Maximus Tyrius Deum aliquem sibi incompertum. Vetustissimam autem fuisse apud eos religionem hanc tradunt Clemens Alexandrinus, & Arnobius. Plane is est λίθος τῦ βραχθὼν *(Lapis Brachthanis)* Euthymio memoratus in Saracenicis a Sylburgio editus, in Alcaaba, sive Meccano Templo servatus, quem Arabes ante Muhammedi tempora sibi cultum, non tamen post invectam ab eo novam religionem divinis honoribus prosequi desierunt. Is quanquam Veneris effigies esse dicitur

T. Liv. l. 42. c. 29. & 61. & 63. & 67. & l. 44. c. 4. Philostrat. Vit. Apoll. l. 2. c. 4.

Diod. l. 1.

Anth. l. 1. c. 38.

Num. 13. 34. Jos. 13. 12.

Virgil. 4. Georg.

Diod. l. 4. Pausan. Attic. Hesych. in ἐλεύθερος Plut. in Ῥωμαϊκοῖς Orph. Hymn. ἐρεῦ χθονίῳ.

Ant. l. 1. c. 9.

Apollod. l. 3.

Just. l. 36. c. 2

Orph. Hymn. Τριετηρ. & Hymn. εἰς περιστύλιον.

Clem. Alex. Str. 1.

Max. Tyr. Dissert. 38.

Clem. Al. Protrept. Arnob. l. 6.

Digitized by Google

dicitur ab Euthymio; quoniam tamen lapides plerique Meccæ colebantur, vel Brachthanem, vel alium istorum quempiam Bacchi apud eos educati simulacrum esse conjecturam licet ex superioribus facere. Etsi non nescio lapides olim rudes fere & informes, vel in umbilicum fastigiatos, vel quadratos, Diis referendis fuisse positos. Niger est lapis Brachthan; ut alia plurima Deorum simulacra, utpote, inquit Porphyrius, quorum obscura est & incognita natura. At candidus alter visitur Hispahani, quem ex Arabia itidem ab Ali Propheta advectum putant Persæ, & summopere venerantur. Et candidum quoque olim fuisse lapidem Brachthan bardi Arabes putant. Sed redeamus ad Bacchum. Τελετάρχης dicitur, quasi dicas, rituum & ceremoniarum auctorem: Deorum quippe colendorum rationem, legesque ac judicia sanxisse fertur; quod Israeliticæ religionis & πολιτείας (*Reipublicæ*) ex Dei præscripto conditor fuerit Moses. Proditum est a veteribus Bacchum, cum Ammonis Jovis templum extrueret, nullam intulisse Dei imaginem, sed unius & veri Dei clara symbola inesse voluisse: apte id congruit in Mosem, qui Israelitas in Ægyptiorum πολυθεότητα proclives ad veri Dei cultum revocavit. Prudentem fingunt Bacchum & ἐυβουλίαν (*boni consilii*) qua laude floruisse quoque fertur Ægyptius ille Mercurius, cum eum sibi consiliarium Osiris adhibuerit, & ad bellum proficiscens jusserit monitis atque consiliis Isidem juvare: quia maximis rebus gestis summæ prudentiæ Moses specimina edidit, unde σύμβουλος συνετώτατος (*consiliarius prudentissimus*) vocatur a Josepho. Bacchi demessa fuisse pudenda, in cistam condita, & a Cabiris in Thusciam delata, cur fingerent veteres, causæ fuit istud quod legitur in Exodo: *Tulit illico Sephora acutissimam petram, & circumcidit præputium filii sui, tetigitque pedes ejus, & ait: Sponsus sanguinum tu mihi es. Et dimisit eum, postquam dixerat, Sponsus sanguinum, ob circumcisionem.* Hinc φαλλοφορίαι (*Phallorum lationes*) Ægyptiorum & Græcorum in sacris Osiridis & Bacchi. Hinc Præbia, fascini forma, quæ collo puerorum legimus pro amuletis fuisse appensa. Rem aliter narrat Diodorus, Typhonem nimirum post interfectum Osiridem & membratim sectum, virilia ejus projecisse in fluvium; atque ea demum cum Isis, cæteris viri membris collectis, non reperisset, divinis honoribus in templis consecrasse. Alii Bacchum ajunt a Titanibus discerptum & elixatum a Cerere fuisse restitutum. Diversis modis narratæ ejusdem fabulæ una tamen origo est. Etsi pertinere id quoque potest ad Thermuthidem, per quam Moses ab undis servatus est. Cur autem ἐξορθιάζον τῷ ᾠδῷ fingeretur simulacrum Osiridis, ut est apud Plutarchum, hæc ipsa fuit causa, qua effectum esse diximus, ut eadem forma Mercurio tribueretur. Musicæ deditus fuisse fertur Bacchus, & Satyros saltatores & cantores secum, Musasque adeo ipsas circumegisse; & tympanorum ac cymbalorum, non in acie modo, quod testatur Diodorus, sed in Deorum etiam, suique adeo ipsius cultu ac cerimoniis, quemadmodum habet Arrianus, usum Indis tradidisse; propter hymnos a Mose recitatos: quo canente *sumsit Maria prophetissa, soror Aaron, tympanum in manu sua, egressæque sunt omnes mulieres post eam cum tympanis & choris, quibus præcinebat.* Inde est quod Oxydracæ, qui se Baccho prognatos ferebant, orgia cum tympanis celebrabant, & Indorum reges in publicum prodeuntes tympana cum tintinnabulis præcessisse refert Strabo. His peram & confuse intellectis sic disseruit Tacitus: *Quia Sacerdotes Judæorum tibia tympanisque concinebant, hedera vinciebantur, vitisque aurea Templo reperta; Liberum patrem coli domitorem Orientis quidam arbitrati sunt, nequaquam congruentibus institutis: quippe Liber festos lætosque ritus posuit; Judæorum mos absurdus sordidusque.* Plutarchus quoque Tabernaculorum festum, quod post collectas fruges & vindemiam agebatur, Bacchicam quamdam celebritatem & θυρσοφορίαν (*thyrsorum lationem*) esse censet; Sabbathum etiam meram esse βακχείαν (*Bacchi festivitatem*) eo die sese largius invitare Judæos, & vino madere; nomen Sabbatho esse a Sabo, Levitis a Lysio; vel ab Evio, quæ Bacchi cognomina sunt. Hæc valde inepta sunt; sed ex iis tamen apparet confusam Mosis & Bacchi notitiam Græcos habuisse; & qui sanciti fuerant ab illo ritus, in hujus honorem institutos existimasse. Credat aliquis ex nomine serpentium, quibus incinctæ Bacchæ procedunt, factam vociferationem Evoe, & Evan, quam in ore habebant, unde

Porphyr. apud Eus. Præp. Ev. l. 3. c. 7.

Plutarch. de Isid. & Osirid.

Diod. l. 2.

Arrian. Indic. Exod. 15, 20.

Strabo l. 15. Tac. Hist. l. 5. c. 5.

Joseph. l. 2. contr. Apion.

Plutarch. Symp. l. 4. Quæst. 5.

Exod. 4, 25. 26.

Diod. l. 1.

Digitized by Google

unde & Evantes dictæ, & Bacchus Evius: nam ſerpentem Syri חויא appellant. Clemens Alexandrinus in Paræneſi, de Bacchis: ἐκστεμμένοι τοῖς ὄφεσιν, ἐπολολύζοντες εὐάν. *Coronati ſerpentibus, ululantes Evam.* Quod
Epiphan. Hær. 80. arripuit Epiphanius: ὁι τοὺς ὄφεις ἐκστεμμένοι, inquit, εὐάζοντες τὸ, οὐά, οὐά. *Qui ſerpentibus coronati ſunt, vociferantes, Va, Va.* Pergit Clemens: σημεῖον ὀργίων βακχικῶν ὄφις ἐστὶ τετελεσμένος· ἐκτύπωται γοῦν κατὰ τὴν ἐκφορὰν τῶν ἀβρήκτων φωνὴν, τὸ ὄνομα τὸ ἐμὸν ἀσυνθέτως ἐρμηνεύεται ὄφις θήλεια. *Inſigne orgiorum Bacchi, ſerpens eſt ſacris dicatus. Nunc igitur juxta accuratam Ebræorum linguam, vox Hevia aſpirata exponitur Serpens femina.* Verum ad eos potius accedimus, qui hæc referunt ad inſanos te-
Prov. 23, 29. mulentorum clamores, a Salomone in Proverbiis notatos, אוי, quod eſt οὐὰ Epiphanii, & אבוי, quod eſt οὐοῖ. Itaque Clementi & Epiphanio aſſentiri non poſſum, qui Bacchantium ſerpentes, & clamores, Evam hominum omnium matrem, & inſidiatorem ſerpentem notare putant. Nam quid Bacchi myſteriis cum Eva? Præterea ut ſplendorem vultus ſui amiculo obducto Moſes occuluit, ita Oſiridis imaginibus velamen flammeum ἐμπεχόνην φλογοειδῆ, circumponi Plu-
Plut. de Iſid. & Oſir. tarchus teſtatur; & luteam ipſi pallam Poetæ tribuunt. Tribuunt & veſtem floridam, propter Pontificalem veſtem Aaronis. Tribuunt & muliebrem, propter adſcriptum Moſi ſexum utrumq;. Copias ſuas æſtu fatiſcentes ad
Diod. l. 2. ſalubres montis Meri fontes deduxit Bacchus; ſuas Moſes ſiti laborantes, aquarum ſcatebris e montis Orebi rupe virgæ ſuæ tactu elicitis recreavit. Baccho tribuuntur vaticinia, ob propheticam facultatem Moſi a Deo conceſſam. Juvenis & ſenex fingitur, barbatus & imberbis, ob crudam vegetamque ſenectutem Moſis. Mille formas habere dicitur, ut Apollo & Proteus; montibus gaudere, ut Pan; tauriformis eſſe, ut Apis; hœdi formam gerere, ut Mercurius; qui Moſis effigies fuerunt ut Bacchus: quod nos & jam ſupra & mox demonſtrabimus. Erro nominatur, propter diuturnos Moſis in deſertis errores. Nominatur & μηνοχοεύς, quaſi *oviſalum* dicas, propter paſtoralem vitam a Moſe diu actam. Bacchus mare ſubiit, cum Lycurgum fugeret; Moſes, cum Ægyptios. Ignotum de-
Diodor. l. 1. nique Oſiridis ſepulcrum fuit, juxta Diodorum: quod & de ſepulcro Moſis Literæ ſacræ teſtantur. Quæ cum ita ſint, jam apparet, cur res Bacchi & Herculis fabuloſas eſſe exiſtimaverit Eratoſthenes cum plerisque aliis; veras Megaſthenes cum paucis: falſæ quippe fuerunt in Baccho & Hercule; veræ in Moſe & Joſue.

IV. Oſiridi ſacri erant boves illi, Helio- *Apis & Mnevis, iidem ac Mo-* politanus & Memphiticus; hic Apis dictus, ille Mnevis: vel erant potius ipſe Oſiris, *ſes,* quem Moſem eſſe diximus. De Apide id Plutarchum docuerunt Ægyptii Sacerdotes, quemadmodum fatetur ipſe in libro de Iſide & Oſiride. Præterea apud Euſebium narrat Euſ. Præp. Ev. l. 9. Artapanus, Nacherotem Ægyptium, cum a Moſe quæreret ecquid hominibus valde eſſet utile, hunc boum genus reſpondiſſe, qui terram arant: Chenephrem itaque Ægypti regem, taurum nominaſſe Apim, eique Templum extrui juſſiſſe. Quoniam ergo cauſæ fuit Moſis dictum, cur hoc cultu Apim conſecraret Chenephres, promtum fuit poſteris, qui Moſem ipſum haud ſecus ac Deum jam ſancte venerabantur, ut mox dicemus, Apim cum Moſe confundere. Polemo quidem apud Africanum Apidem Phoronei filium Moſis æqualem facit. Quid aliud autem apud Georgium Syncellum dicamus iſta ſignificare: ἐπὶ αὐτοῦ Κεκρὼ ὁ Μόσχος θεοποιεῖται, Ἆπις ἐκλήθη. *Eo regnante (Aſetho) Moſchus inter Deos relatus, Apis appellatus eſt.* Mnevem autem eſſe Moſem colligitur ex Juſtino in Paræneſi; ubi teſtimonium proferens ex Bibliotheca Diodori, quo de Sacerdotibus Aegyptiis audiviſſe ait primum legislatorem fuiſſe Mnevem, pro Μνεύην quod præferunt hodiernæ Diodori editiones, Juſtinus ſcribit Μοῦσιν. Unus nimirum idemque eſt Mnevis & Moſes. Firmatur id ex nomine Monios, quod Moſi tributum eſſe diximus ſupra. Voces autem Monios & Mnevis elementorum ſolum ordine diſcrepant. Firmare id etiam poſſum ex dictione Μόσχος quæ Græcis vitulum & bovem ſonat. Μόσχος autem ipſum eſt Moſis nomen, ut oſtendi ſupra, cum de Pythagora agerem. Appellationem vero hanc ex Aegypto tranſiſſe in Græciam minime mirabitur, quicunque meminerit Aegyptiorum diſcipulos fuiſſe Græcos, totamque Græcanicam Theologiam ex Aegypto manaſſe per frequentia gentis utriusque commercia, & crebras Philoſophorum Græcorum peregrinationes, & Afric. Chr. l. 3. apud Euſ. Præp. Ev. l. 10. c. 10

Digitized by Google

manſiones in Aegypto, condiſcendæ Philoſophiæ cauſa. Id ſæpe fatetur Plato; fatentur etiam Diodorus, Plutarchus, Proclus, Jamblichus, & alii; quod commemoravi jam ſupra, & infra quoque multiplex erit commemorandi locus. Cum igitur Moſchi nomen aſciverunt Græci quidam, non ad obviam & patentem nominis ſignificationem, ſed ad nobiliorem & occultam ſpectaſſe reor, utpote non ignaros penitus, id nominis virum quemdam magnum prius geſſiſſe. Scio Apin imaginem Joſephi eſſe habitum, nec infitiari velim; nam eidem fabulari perſonæ ſæpe duorum hominum facta veteres affinxerunt. Minime quoque negare auſim vetuſtiorem Moſe ipſo apud Aegyptios fuiſſe bovum cultum, qui propter inſignem animalium illorum utilitatem toto Oriente hodieque viget; & in quem pronos fuiſſe Iſraelitas, Aegyptiis moribus imbutos, oſtendunt Aaronis & Jeroboami facinora. Sed Apin ob memoratas cauſas cum Moſe permiſtum fuiſſe contendo.

Serapis, idem ac Moſes. Sanchon. apud Euſ. Præp. Ev. l. 1. Macrob. Sat. l. 1. Tac. Hiſt. l. 4. c. 83. 84.

V. Serapin quoque eumdem eſſe ac Oſirin docuit Sanchoniathonis interpres Philo Byblius, & multis oſtendit Macrobius. Itaque Serapis etiam fuerit Moſes. Id confirmat Ptolemæi Lagidæ ſomnium, quod refert Tacitus, oblatum ei ſecundum quietem Serapidem, viſum in cœlum igne plurimo attolli. Hinc origo nominis: nam שרף eſt *incendere*, unde & שריפים dicti, quod reddit Dionyſius ἐμπρησταὶς, θερμαίνοντας, Gregorius *incendentes*, *ardentes*, ut notavimus in Origenianis. Indidem ergo Serapis, quod igne plurimo in cœlum tolleretur; non pro Oſirapis, ut volunt Clemens Alexandrinus & Cyrillus; nec pro Soroapis, vocabulo conflato ex σορὸς, *(loculus)* & Apis, ut tradit Clemens ex Nymphodoro, & ex Varrone Auguſtinus; neque ex Aegyptiaca voce σάῤῥω, quæ *diem feſtivum* ſonat, ut docet Plutarchus. Merito autem appellationem ex igne habuit Moſes, qui vultu flammeo de monte ad ſuos reverſus eſt, & inter ignes legem a Deo accepit. Gemmæ formam exhibet Pignorius in Expoſitione menſæ Iſiacæ, in qua ſculpta videtur imago Serapidis cornuti & radiati, virgam tricuſpidem angue circumplicatam geſtantis. Symbola hæc ſunt Moſis, qui radiatus de Horebo deſcendit, qui cornutus pingitur vulgo, cujus geſtamen virga fuit in ſerpentem non ſemel mutata. Tricuſpis illa eſt, qualem Neptuno ad temperandos maris fluctus Mythologi tribuunt: quippe Rubri maris undas protenſa virga diſcedere juſſit Moſes & coire; Aegypti aquas vertit in ſanguinem, ex iisque ranas eduxit.

Clem. Alex. Protrept. Cyrill. l. 1. contr. Julian. Clem. Al. Strom. 1. Auguſt. l. 18 de civit. Dei, c. 6. Plutarch. de Iſid. & Oſirid.

Orus, idem ac Moſes. Macrob. Sat. l. 1. Euſ. Præp. Ev. l. 3.

VI. Oſiridis filium fuiſſe Orum plerique cenſent; eumdem ac Oſiridem Macrobius & Euſebius. Is pingebatur alatus, ſceptrum dextra geſtans, obſcœnam partem ſiniſtra tenens: quæ omnia Mercurio, qui Moſes fuit, tribui fuiſſe ſolita, partim diximus ſupra, partim ſciunt omnes. Item etiam fuit ac Priapus, quo, ut oſtendemus paulo poſt, Moſes quoque expreſſus fuit.

Anubis, idem ac Moſes. Apul. Met. 11.

VII. Anubin eumdem eſſe ac Mercurium ſuadet Apulejus: *Ille*, inquit, *ſuperum commeator ac inferum, nunc atra, nunc aurea facie ſublimis, attollens canis cervices arduas, læva caduceum gerens, dextera palmam virentem quatiens.* Suadent & Hieroglyphica Georgii Herwarti, in quibus eumdem hunc habitum geſtat Anubis, ſi dexteræ ornatum excipias, qui non palmæ termes, ſed ſphæra eſt. Cur autem Plutarchus eumdem Anubin & Hermanubin appellari ſcribat, cauſa eſt, quod ſtatuta inferiore parte ſimilis eſſet Hermarum, nempe quadrata. Suadet & Servius in octavum Aeneidos. Typhone, quem eſſe Moſem ſumus mox probaturi, natum eum priſca ætas docuit. Sane, quod idem eſſe fertur ac Mercurius, quod ſuperos & inferos adire, quod facie ambigua eſſe, quod virgam circumplexosque eam angues gerere, hæc Moſem aperte indicant, ut ex ſuperioribus manifeſtum eſt. Sphæram vero propterea huic tribui crediderim, quod Cœli ac Terræ originem Moſes docuerit. Canino capite cur pingatur, hæ cauſæ ſunt in promtu; vel ejus vigilantia & ſapientia, quibus virtutibus Moſes imprimis enituit; vel quod, ut eum nonnunquam cum Joſua ejus miniſtro, ſic cum Calebo ejus legato poſterior ætas confuderit. Caleb autem canem ſignificare quis neſcit?

Plutarch. de Iſid. & Oſirid.

Vulcanus, idem ac Moſes.

VIII. Celeberrimum quoque inter Ægyptios Deos Vulcanum, nil aliud quam perſonatum eſſe Moſem approbabimus. Vulcanus Ægyptiis Opas dictus eſt, Cicerone teſte. Ignorabili vocabulo *Opas* ſubſtituendum *Phthas* viri docti jampridem ſuſpicati ſunt,

vel

Digitized by Google

vel fortaſſe *Aphthas*; Vulcano enim Phthas & Aphthas nomen fuiſſe ſcribit Suidas. Narrat Euſebius Phtha Ægyptiorum eundem eſſe ac Vulcanum Græcorum; patrem ipſi fuiſſe Cneph rerum opificem, qui cum ovum ore emiſiſſet, inde Phtha eſſe procreatum. Alia quidem de Cneph & Phtha traduntur ab Jamblicho in libro de myſteriis, alia a Proclo. In eo conſentit uterque eumdem eſſe Amun, Phtha, Vulcanum, & Oſiridem. Atqui jam obtinuimus Oſiridem eſſe Moſem. Vulcanus ergo Moſes eſt. Multis de Phtha illo erudite ſane & ingenioſe diſſerit Kircherus in Prodromo Copto; eumdemque eſſe docet ac Taautum Phœnicum, Thoth Alexandrinorum, Græcorum Vulcanum ac Mercurium, & Suadam ſive Πειθώ, cujus & nomen a φθὰ derivatum opinatur. Quæ ſi vera ſunt, jam cauſam certe vicimus. Sed & September menſis, quia a Deo Thoth nomen habuit, Phtha quoque appellabatur. Pro Phtha in libris quibusdam ſcriptum reperias φθὼ, ſed perperam. Perperam quoque pro Cneph, apud Jamblichum legitur Emeph, quod miror Kircherum non vidiſſe: nec enim ſolum adulteratam ſcripturam vocabuli Emeph retinuit, ex eaque ſententiam invita Minerva extundere tentavit; ſed & legitimum Euſebii Cneph corruptum eſſe temere opinatus eſt. Cneph ille, rerum omnium parens eſt & conditor Deus; ortus, juxta Plutarchum, & interitus expers; is ipſe, ni fallor, qui Cnuphis appellatur a Strabone, cujus templum Syenæ viſebatur. Hunc cave confundas cum Deo altero Ægyptiorum, qui poſtremus eſt Decanus ſigni Cancri, & dicitur χνυβις, cujus nomen ac figuram ſæpe reperias in περιάμμασι, & τελέσμασι, ſive τοιχώμασι, quæ Taliſman appellantur. Græce diceres, χρυσῆς, ab Ægyptia voce νὺβ, quæ exponitur *aurum* in Scala magna Ibno Cabar, quam edidit idem Kircherus. Quapropter Eratoſthenes Regis Thebi nomen, χνῦβος, interpretatur, χρυσῆς; & Ariſtides in Oratione Ægyptiaca *Canobum* exponit, χρυσοῦν ἔδαφος, *aureum ſolum*. Atque hæc vox in Americanas inſulas tranſiit, in quibus *Cauni*, *aurum* ſonat; *Caunoboa*, *domum auream*. At alius erat Cneph ſive Cnuphis, ac Chnubis. Cneph pingebatur ab Ægyptiis ſupra caput habens πτερὸν βασίλειον *(alam regiam)* πτερὸν *alam* ſignificat: quoniam autem alis pullos ſuos aves protegunt, fovent, & inumbrant, hinc apud Scriptores ſacros crebra *umbræ alarum*, *tegminis alarum*, *velamenti alarum* mentio: hinc & σκιάδια, ſive umbellas Græci πτερὰ *(alas)* dixerunt. Heſychius, πτερόν, σκηνή. Alam autem Ebræi כנף appellant. Chaldæi quidem tentorium vocant קנף, ſed dictio eſt alterius originis, & a Græco κωνωπεῖον detorta, quod tentorii genus erat, ab Ægyptiis ad arcendos culices excogitati. A כנף autem prodiiſſe videtur nomen Cneph; ex qua voce ad Græcæ linguæ genium accommodata κνεφαῖος dictus eſt ſupremus ille Deus. Thebæos quosdam mercatores de Deo diſſerentes inducit Pſeudo-Athenagoras in Eroticis, unumque illum eſſe pronuntiantes, & κνεφαῖον dictum, idcirco quod nec oculis ſpectari, nec animo comprehendi poſſit. Agnoſcis obiter originem Græcæ vocis κνεφαῖος, quæ *obſcurum*, *& tenebroſum*, *& minime aſpectabilem* ſonat, quamque a κενὸς φάους *(lumine vacuus)* vel a νη privativa particula & φάος inepte derivarunt Heſychius & Etymologus. Nempe dictio κνεφαῖος arceſſenda eſt ab Ægyptia voce Cneph, illa ab Ebraica כנף, quæ πτερὸν, *alam*, *& umbellam* ſonat; quia, ut dixi, Deus opifex rerum umbella protectus pingebatur, quod erat ſymbolum λόγου δυσευρέτου, καὶ κεκρυμμένου, καὶ οὐ φανεῦ. *Mentis cognitu difficilis*, *& occultæ*, *nec palam apparentis*. Deos omnis alatos fingebat Taautus, teſte Sanchoniathone apud Euſebium. Saturni vero non humeros ſolum, ſed & caput alatum expreſſit, ut una ala eſſet ἐπὶ τῦ ἡγεμονικωτάτου νῦ, *ſuper mente ſummum principatum obtinente*: altera ἐπὶ τῆς αἰσθήσεως: *ſuper ſenſu*. Et alas, & umbellam exhibet globus quidam, ſeu potius diſcus alatus, ſupra caput myſtici Scarabæi ſcalpi ſolitus. Hoc Cnepho tegmen & cauſa nominis fuit. In Tabulis Hieroglyphicis Ægyptiorum a Pignoria & Herwarto editis, Dii plerique pinguntur alato capite & humeris. Cnepho etiam Ægyptii imponebant caput accipitris, qui natura ſua alatus eſt. Teſtis apud Euſebium Porphyrius. Teſtis apud eumdem Orpheus Jovem alis inſtructum eſſe. Palladem alatam fingunt Homerus & Æſchylus; Martem, Valerius Maximus; hunc & Romulum Virgilius; Momum Alcæus in Anthologia. Et in Quæſtionibus Platonicis quærit Plutarchus, cur dixerit Plato in Phædro, naturam alæ, quæ gravia ſurſum evehit, eorum maxi-

Suidas in φθάς. Euſeb. Præp. Ev. l. 3.

Kircher. Prodr. Copt. c. 6.

Kircher. Prodr. Copt. c. 5. & 6. & ult.

Plut. de Iſid.

Strab. l. 17.

Euſeb. l. 3. Præp. Ev. c. 11.

Athenag. Erot. l. 6.

Heſych. Etym. & Suidas in κνεφας.

Euſeb. Præp. Ev. l. 1. c. 10.

Euſeb. Præp. Ev. l. 1. c. 10.

Orph. apud Porph. Euſeb. Præp. Ev. l. 3. c. 9. Hom. Iliad. α.

Æſchyl. Eumen. Val. Max. l. 1. c. 8. Virgil. l. 6. Anthol. l. 1. c. 11. Plutarch. Quæſt. Plat. c. 5.

Digitized by Google

me esse participem, quæ sunt circa corpus Dei. Alas quoque accipitris cum licio purpureo capite gestantem Ægyptium ἱερογραμματέα *(scribam sacrorum)* exhibent Diodorus, & Clemens Alexandrinus, propter similes videlicet causas. Nec alia fortasse est origo alarum, quæ Mercurii petasum tegebant. Nec alia etiam causa, quamobrem Dynastæ Mamlucorum Circassorum Ægypti, cum regia pompa ornati procedebant, supra caput suum avem & conopeum gestari vellent, uti legimus in Historiis Arabum. Tota vero Nasamonum gens hunc gestandarum in capite alarum morem usurpavit, ut scimus ex Dione Chrysostomo. Nunc quoque apud Turcas quidam sanctius institutum professi homines pennas capiti imponunt, ut se meditationi rerum cœlestium deditos, & divinorum arcanorum participes esse significent. Discimus ex Aristophane, supra Jovis caput aquilam collocari fuisse solitam, noctuam supra caput Minervæ, accipitrem supra caput Apollinis; vel, si Albricum sequimur, corvum nigrum. Symbolum hujus πληρῶ βασιλέα *(ala regia)* Cnephi vertici impositæ sic interpretatur, ut dixi, Eusebius, ὅτι λόγος δυσεύρετος, καὶ κεκρυμμένος, καὶ ὁ φανὸς, καὶ ὅτι ζωοποιὸς, καὶ ὅτι βασιλεὺς, καὶ ὅτι νοερᾶς κινήσεως. διὸ καὶ τὸ πληρῶ φύσις ἐν τῇ κεφαλῇ κεῖται. *Quod mens cognitu difficilis est, & abscondita, nec palam apparens, & quod vitam præstat, & quod regina est, & quod more intelligentis rei movetur. Quamobrem & alæ ortus in capite est.* Nos rei hujus causam arcessimus ex ipsis Mosis verbis, qui Deum sic inducit loquentem: *Non poteris videre faciem meam: non enim videbit me homo, & vivet.* Unde David de Deo: *Et posuit tenebras latibulum suum.* Et alibi: *Nubes & caligo in circuitu ejus.* Et Salomon: *Dominus dixit, ut habitaret in nebula:* vel ut habent Paralipomena, *in caligine.* Isaias: *Vere tu es Deus absconditus.* Et Paulus: *Qui solus habet immortalitatem, & lucem inhabitat inaccessibilem; quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest.* Et Pseudo Orpheus apud Justinum & Eusebium:

ἀυτὸν δ' οὐχ ὁρῶ, περὶ γὰρ νέφος ἐστήριχται·

Ipsum autem non video, nubes enim eum circumstitit.

Sed & Angeli Dei nomen, capite decimo tertio libri Judicum, est, פלאי, & capite nono Isaiæ Messiæ nomen est פלא. Radix utriusque est פלא, *abscondit fuit.* Consulatur insignis Doctor Maimonides in More nevochim. Scribit Justinus in Paræneticō, Acmonem priscum Auctorem Deum appellare, πάγκρυφον *(totum latentem)* Mercurium autem aperte pronuntiare difficile esse Deum cognoscere; qui vero cognoscere potuerit, cognita eloqui non posse. At Amun, qui juxta Jamblichum & Proclum idem est ac Phtha, sive Vulcanus, & Osiris, ut dixi, proindeque idem ac Moses; Amun, inquam, Ægyptiorum lingua *occultum* significat, Manethone Sebennyta teste apud Plutarchum: quod Moses de monte descendens faciem suam ex Dei congressu fulgidam velamine occuluerit. Jamblichus vero, qui Amun Mosem esse nescivit, & intellectum opificem esse censuit, appellationis illius attulit rationem his verbis: quod *Opifex intellectus, qui & veritatis est dominus atque sapientia, quatenus in generationem progrediens occultam, latentium rationum potentiam traducit in lucem, Amun Ægyptiaca lingua vocatur.* Sed hæc obiter. De origine vero nominis Phtha Kirchero assentior, qui a persuadendo factum putat: פתח enim Ebræi reddunt, *persuasus est;* unde & πάθω, nam ut oratione mentes mollit ac flectit Mercurius, sic res alias Vulcanus flexibiles & tractabiles præstat; quamobrem & Mulciber dictus est, hoc est μαλίχιος *(mansuetus)* Hinc emendandus Philo Byblius, qui de Chrysor sive Vulcano disserens, ait καλεῖσθαι ἀυτὸν καὶ Διαμίχιον. *Vocari eum & Diamichium.* Id exponit Bochartus, *Jovem machinatorem*, ab Ebraico מחי, quod *machinam* sonat. Perperam: legendum enim, Διὰ μαλίχιον *(Jovem Mansuetum)* Jupiter μαλίχιος inter Græcos fuit valde celebratus. Διάσια in ejus honorem instituta fuerunt apud Athenienses. Sed & ita cognominatus fuit Bacchus, ut legitur non semel apud Plutarchum & Athenæum. Bacchus autem Moses est. Non minus commode originem vocabuli Phtha referre possis ad dictionem פתח, quæ transiit ad Ægyptios, ut docet Ibno Cabar in Scala magna. Significat autem *aperuit, solvit;* quod omnia pervadat & dissolvat ignis. Aliter Jamblichus, qui Phtha nuncupatum vult, *Quatenus sine mendacio peragit omnia:* hoc est, aperte & candide. Atque ita etiam origo nominis esset

Diod. l. 1. Clem. Alex. Strom. l. 6.
Euseb. Præp. l. 3. c. 11.
Dio Chrys. Orat. 71.
Aristoph. Anib.
Albric. de Imag. Deor. c. 4.
Exod. 33, 20.
Psal. 17, 12. & 96, 2.
1. Reg. 8, 12.
2. Paral. 6, 1.
Isa. 45, 15.
1. Tim. 6, 16.
Justin. Paræn. Euseb. Præp. Ev. l. 13. c. 12.
Judic. 13, 18.
Isa. 9, 6.
Jambl. de myster.
Plutarch. de Isid. & Osirid.
Phil. Bybl. apud Euf. Præp. l. 1. c. 10.
Bochart. in Chan. l. 2. c. 2.
Plut. in Anton. & περὶ σαρκοφαγίας, l. 1. Athen. l. 1.

Digitized by Google

esset פתח. Utramvis nominis originationem sequare, sive a פתה, sive a פתח, in Mosem nomen congruet, qui refractarias & pervicaces Israelitarum mentes molliit, & ad Dei obsequium flexit; & maris claustra, vastasque solitudines hostilibus copiis infessas, & difficilem longamque viam, ac prope inviam Ebræis aperuit. Cæterum multa quæ de Vulcano commenti sunt artifices fabularum, in Mosem cadunt. Osiridis, quem Mosem esse dixi, æqualem facit Tzetzes. Nilo genitus Vulcanus dictus est a Cicerone, & Diogene Laertio, quod infans inter Nili undas & carecta Moses repertus sit. Alii Jove supremo Deo natum Vulcanum volunt, ob singularem in Deum pietatem, qua qui præditi sunt, filii Dei appellantur. Ea de causa filium suum appellat Israelem Deus in Exodo, & apud Jeremiam. Quo respexit Paulus cum hæc ad Corinthios scriberet: *Propter quod exite de medio eorum, & separamini, dicit Dominus, & immundum ne tetigeritis, & ego recipiam vos: & ero vobis in patrem, & vos eritis mihi in filios & filias, dicit Dominus omnipotens.* Sic & apud Oseam: *Et erit in loco ubi dicetur eis: Non populus meus vos, dicetur eis, Filii Dei viventis.* Sic apud Johannem: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus; qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt.* Sic apud Paulum: *Quicunque enim spiritu Dei aguntur, ii sunt Filii Dei.* Quod & alibi pluribus inculcat. Qui autem præter pietatem mansuetudine ac clementia præcellunt, ii præcipuo quodam jure filii Dei dicuntur. Auctor Christus apud Matthæum: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur:* Et paulo post: *Ego autem dico vobis, Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri qui in cœlis est.* Insignis autem Mosis lenitudo prædicatur in libro Numerorum: *Erat enim Moyses vir mitissimus super omnes homines qui morabantur in terra.* Alii Vulcanum statuunt, sola Junone sine opera mariti editum: propterea quod a Thermutide Moses servatus, & velut vita donatus, ac demum adoptatus est. Itaque filius ejus sine patre Moses censebatur. Vulcanum ἀνδρόγυνον esse sciscit Ægyptiorum Theologia, ut auctor est Horus Apollo; quod & de Baccho, qui Mosis itidem simulacrum fuit, dictum fuisse supra docuimus. Juno se Vulcani filii deformitate & claudicatione offensam, cum debilem eum & loripedem inter Deos peperisset, de cœlo præcipitasse in mare; hunc vero Thetidis, ipsiusque sororum beneficio susceptum & servatum fuisse, narrat apud Homerum, Hymno in Apollinem: quem Hymnum esse Homeri auctore Thucydide probare possumus. Sed & primo Iliados Vulcanus ipse se a Jove de cœlo deturbatum affirmat. A Mose quoque fabula isthæc profluxit, qui a matre in aquam abjectus, a filia Regis nobilibusque puellis extractus & educatus est. Vel quod conscenso monte Sinai post mansionem illic diutinam, & longa cum Deo colloquia, in cœlum abiisse creditus, tandem velut cœlo delapsus, ex insperato apparuerit. Vel potius claudicatione Vulcani notatur dubitatio illa & hæsitatio Mosis ad aquas contradictionis, qua offensus Deus Terræ promissæ ingressu hunc prohibuit. Clauditas enim illa symbolum est & nota hominis ἐνδοιάζοντος καὶ ἐπαμφοτερίζοντος (*dubitantis, & in utramque partem nutantis.*) Quamobrem Elias, Israelitas Deum inter & Baal ancipites & incertos, his incessit verbis: *Usque quo claudicatis in duas partes; si Dominus est Deus, sequimini eum; si autem Baal, sequimini eum.* Eadem notio est locutionis hujus ex Epistola ad Ebræos: *Gressus rectos facite pedibus vestris, ut non claudicans quis erret, magis autem sanetur.* Primum in Ægypto regnasse Vulcanum narrat Diodorus; Cicero custodem Ægypti fuisse; Stephanus & Eustathius de Vulcani nomine Ægyptum Ἥφαιστον esse dictam: nempe quod Ægyptum Moses servaverit, tum cum Æthiopas Ægypto imminentes armis domuit; ut refert Josephus. Vulcanus uxorem duxit Venerem, quam Sephoram esse Mosis uxorem infra ostendemus. Totius Ægyptiorum philosophiæ auctorem esse Vulcanum Laertius docuit; quod rerum origines, & mundi principia luculentis scriptis Moses tradiderit. Diodorus, propter repertum ignem, primum Vulcanum Ægypti regnum tenuisse commemorat; cujus etiam beneficii gratia Vulcanalibus λαμπαδηφορίαν, sive Lampadis certamen in Ceramico celebrabant Athenienses. Qui honos & Prometheo, propter idem ignis reperti beneficium, tributus est. Quamobrem & ara

Joh. Tzetz. Chil. 10. Hist. 335.
Cicer. l. 3. de nat. Deor.
Laert. in Procem.
Exod. 4, 22.
Jerem. 31, 9.
2. Cor. 6, 17. 18.
Ose. 1, 10.
Joh. 1, 12. 13.
Rom. 8, 14.
Num. 12, 3.
3. Reg. 18. Ait.
Ebr. 12, 13.
Diod. l. 1.
Cicer. de nat. Deor. l. 3.
Stephan. in ἄγυπτος.
Eustath. in Dion. Per.
Joseph. Antiq. l. 2. c. 10.
Diog. Laert. Procem.
Diod. l. 1.

Digitized by Google

& ara utrique communis est. Prometheus autem Moses est. Inde & conflatum Vulcano nomen: nam ἥφαιστος est אהיו אש, *Pater ignis*, juxta Bochartum, non ἀπὸ τοῦ ἅπτω, quod vult Cornutus. Inde etiam perpetuus ignis a Siculis alebatur in Ætnæo Vulcani Templo, cui custodes additi sunt sacri canes, blandientes piis hominibus, in impios ferocientes. Hæc quam Mosi conveniant, ex superioribus satis liquet, in quibus declaravimus, cur Bacchus λαμπτὴς & διάπυρος dictus sit. Canum vero custodia Templo apposita, originem trahere videtur a Calebo, ad lustrandam Terram Chananæam cum aliis missо, & officio gnaviter ac fideliter functo, quem servum suum Deus idcirco agnoscit & appellat. Caleb autem, ut sæpius jam dixi, Ebraice canem sonat. Eamdem ob causam fabulati sunt Veteres, canem vivum ex ære a Vulcano fuisse fabrefactum, & ita ab arte comparatum, ut nulla cum oblata præda effugeret, & Jovi dono datum. Nec enim ignis solum, sed & præclarorum operum, & artium præcipue omnium quæ per ignem exercentur, inventio Vulcano tributa est: cujus figmenti causas supra attulimus, cum quæreremus, cur Mercurio rerum omnium inventionem Ægyptii adscripserint. Arma Jovi adversus Gigantes formasse & subministrasse dictus est Vulcanus, quod ad Mosis preces Core, Dathan & Abiron, aliorumque seditiosorum impietatem Deus ultus sit; vel quod ejus ductu ac consiliis populus Dei filios Enac, robustissimam ac procerissimam gentem subegerit. Pandoram ornatissimam feminam, malorum omnium inter homines auctorem, e luto Vulcanus finxisse fertur; quod Evam, & illatam humano generi ab Eva perniciem Moses posterorum memoriæ commendarit. Quod vero mirabilem Dei in creando orbe prudentiam, artem & consilium Moses scriptis celebraverit, idcirco dictus est Vulcanus Jovi, Minervam e capite parienti, obstetricis officium præstitisse. Diis in cœlo domos extruxisse fertur Vulcanus, & homines quoque in antris prius habitantes domorum ædificandarum & incolendarum rationem docuisse; Deo quippe Tabernaculum erexit Moses; & Israelitis exulibus, & ad alienum arbitrium viventibus certos lares, propriasque domos quæsivit. Futura quoque per ignem prænoscere dictus est Vulcanus, quod in igne Mosem allocutus Deus futura præmonuerit.

Bochart. Chan. l. 1. c. 12. Corn. de nat. Deor. De Vulc.

IX. At non omnes Ægyptii vi veritatis ac detrimentis suis convicti Mosi debitas laudes tribuerunt, sed refractarii plerique & pertinaces mitem in eum & placidum animum numquam sumserunt; & dum ab his Adonidis, Theuthi, Osiridis, aut Vulcani appellationibus honestabatur & titulis, Typhonis contumelioso nomine ab illis infamabatur. Vetustum quippe hunc Typhonem Ægyptiorum commentis celebratum, & maledictis proscissum, ipsum esse Mosem, ex lectione libelli Plutarchi de Iside & Osiride deprehenditur. Probarem id pluribus, nisi instituta nuper Bocharto, viro doctrinæ singularis, rei hujus demonstratio similem nobis operam eximeret. Typhonem autem, quem contumeliis sæpe afficiunt Ægyptii, eumdem sacrificiis placant aliquando, παρηγοροῦσι θυσίαις, καὶ πομπαῖσιν. *Leniunt sacrificiis & mitigant*, inquit Plutarchus. Quod Typhoni ergo, qui Moses est, præstabant Ægyptii, cultum nimirum & sacrificia, idem Mosi sub Osiridis, alteriusve persona præstitisse nihil mirum est.

Typhon, idem ac Moses.

Bochart. Hier. Part. 1. l. 2. c. 34.

Plut. de Iſid. & Oſir.

X. Liquet ex superioribus de nihilo esse quod objicit Bochartus, verisimile non esse Mosem, Aegyptiis & Phœnicibus odiosum, pro Deo benefico ab illis fuisse habitum: credibilius quippe est timorem ab Aegyptiis plerisque, religiosum hunc erga Mosem cultum primo expressisse. *Primus in orbe Deos fecit timor*, ajunt Ethnici Poetæ. Ab aliis æquioribus æstimatoribus rerum, & edita a Mose prodigia pro merito mirantibus, vir magnus, uti erat, & excellentis virtutis habitus est. Id legitur in Exodo: *Fuitque Moses vir magnus valde in terra Ægypti coram servis Pharaonis & omni populo.* Alios autem probabile est, quem vivum oderant, extinctum amavisse, & meritis honoribus coluisse; sopita & sedata per mortem invidia. Testis Cyrillus, qui virtutem Mosis, & mirabilem sapientiam summæ apud Aegyptios admirationi fuisse non semel asseverat; quippe non Judæos solum, quod & Justinus confirmat, sed aliquos etiam ex Aegyptiis Dei nomine Mosem affecisse scribit, gnaros fortasse hæc ipsi Deum dixisse: *Ecce dedi te Deum Pharaoni.* Testis & Josephus, qui Mosem ait ab Aegyptiis ita mirabilem & divinum

Probatur Veterum teſtimoniis Moſem ab Ægyptiis Deum fuiſſe habitum.

Exod. 11, 3.

Cyrill. l. 1. & 2. contra Julian. Juſtin. Paræn.

Exod. 7, 1. Joſeph. l. 1. contra Apion. & Antiq. l. 3. c. 13.

Digitized by Google

divinum existimari, ut eum sibi vindicent, ac Heliopoliten fuisse fingant. Idem in fine libri tertii ἀρχαιολογίας tradit Mosem, propter leges latas, quibus tantum inesse videbatur divinitatis, sua ipsius natura majorem fuisse existimatum. Nec aliud sonat, si recte intelligas, hoc Georgii Syncelli testimonium supra a me adductum, ἐπὶ ἀσὴθ (Ἀσὴθ) ὁ Μόσχος θεοποιεῖται Ἄπις ἐκλήθη. *Eo regnante (Asetho) Moschus Diis adscriptus, Apis appellatus est.* Moschus enim ipse Moses est; sic interpolato a Græcis nomine ipsius משה. Quid quod Artapanus apud Eusebium, & Auctor Hypomnematis in Hexaemeron, quod Eustathio Antiocheno adscribitur, & Cedrenus, Mosem etiam in vivis agentem, Deum ab Aegyptiis habitum fuisse narrant? Quid quod tradit Suidas, quemdam ex Hierogrammateis Aegyptio regi prædixisse futurum, ut olim nasceretur aliquis inter Israelitas, virtute præstans & meritis, qui Aegyptiorum dominatum & potentiam esset accisurus & depressurus, res vero Israelitarum ac gloriam valde promoturus; quibus Mosem designabat. Quæ si vera sunt, nihil sane non augustum atque ingens, & humana sorte sublimius sentire potuerunt de eo, cujus ortum majoribus suis a Deo præsignificatum esse acceperant. Prona sane erat illa gens ad ea inter Deos adscribenda, quæ sibi utilia vel damnosa sentiebat, velut Solem & serpentes, *Omnigenumque Deum monstra.* Quod a Persis Oromasden & Arimanium colentibus, & a Græcis Apollini maleficam vim, & beneficam; pestilentiam, & medicinam; lyram, & sagittas adscribentibus, aliisque gentibus plurimis factum legimus. Neque vero putandum est ab Aegyptiis esse profectum, quicquid in Bacchi & Mercurii historia Græcia mendax ausa est: quamvis enim διονυσιακὴν τελετουργίαν *(Bacchicas ceremonias)* & φαλλοφορίαν *(Phallorum gestationem)* & Mercurii fabulam ad Græcos transtulerit, sive Cadmus Aegyptius Thebæus, ut vult Diodorus, sive Orpheus, ut idem statuit, sive Melampus Amythaonis filius, ut habet Herodotus, verisimile tamen est Græcos eas coloribus suis, & multiplici eventorum figmento pro consuetudine exornasse.

Euseb. Præp. Ev. l. 9.

Suidas in Ἱερογραμματεῖς.

Diod. l. 1.

Herod. l. 2. c. 49.

Refellitur Simplicius Mosaica doctrina

XI. Præclare etiam ex iis quæ diximus intelligitur, quam temere & impudenter affirmaverit Simplicius, adversus Johannem Philoponum disputans, quæ a Mose de rerum creatione tradita sunt, esse fabulosa, & ex fabulis Aegyptiorum expressa. Quod contra est; cum ex divina Mosis doctrina Theologiam suam adornasse Aegyptios satis clare superiora demonstrent. Nempe animis multorum insederat falsa hæc opinio, Ebræos Aegyptiorum esse progeniem, quam Scriptores Ethnici complures in libros suos retulerunt. Ergo verisimile his factum est, avorum Aegyptiorum doctrinam retinuisse nepotes Ebræos. Verum si Ebraicarum rerum, & priscæ historiæ consultiores fuissent, intellexissent utique toto cœlo discrepare Ebraicam Theologiam, & Aegyptiam; & Ebræos oriundo Chaldæos fuisse, non Aegyptios. Quanquam cæteroquin non negaverim Mosem, cum jura conderet, retinuisse leges aliquas Aegyptiorum, quæ cultui divino, sanctitati morum, & rectæ rationi non officerent: præsertim cum iis servandis jam insuefactos Israelitas, in earum obsequium facile consensuros esse sciret.

originem ad Aegyptios referens.

Simpl. in l. 8. Physic. Sect. u.

CAPUT QVINTUM.

I. *Ex libris Mosis fluxit prisca Persarum religio.* II. *Zoroastres, idem ac Moses.*

Ex libris Mosis fluxit prisca Persarum religio.

I. INdidem quoque e libris Mosis prisca fluxit Persarum religio, quam hodieque aliqua ex parte retinent plerique Persidis incolæ, Arabes etiam nonnulli, & qui e Persida in Indiam paulo post Jesdegirdis tempora a Muhammedanis expulsi profugerunt. Quoniam autem jam inde a primis Reipublicæ Christianæ temporibus Persidem, totumque Orientem pervasit Christi religio, quæ Mosis Mosaicæque doctrinæ notitiam, partim figmentis his in locis dissimulatam emendavit, partim obsoletam vetustate renovavit, magna cautione prisca veterum Persarum dogmata a recentioribus seponenda & dijudicanda sunt. Nam quod Deum unicum, æternum, immensum agnoscunt; quod mundum a Deo conditum non aliter narrant ac Moses; quod Deum post singulorum dierum opus, quietis causa, cessasse volunt; quod primos hominum parentes a Deo esse procreatos, & horum gratia facta reliqua; Adamo, illi, huic, Evæ nomen fuisse; quod Luciferi perduellionem, & perpetuas adversus homines insidias prædicant; quod Diluvium, & generis humani repara-

Digitized by Google

reparationem fatentur; quod Noachum, alterum Adamum appellant, magna hæc ex parte debere videntur institutioni & disciplinæ Christianæ, in multis licet ab illis adulteratæ. Quod Legumlatoris sui matrem scalptori nupsisse; quod post missum ad eum Angelum a Deo, gravidam se sensisse; quod ex Astrorum inspectione natum Zoroastrem, eique imperium in animos hominum destinatum deprehendisse illorum temporum Astrologos; quod Regem, qui tum per vim regnum obtinebat, veritum ne ab infante recens nato olim solio deturbaretur, mulieres omnes uterum ferentes trucidari jussisse; quod absentem a parentibus anxie quæsitum esse dicunt: quod baptismatis ritum servant; quod quamdam sacræ Confessionis adumbrationem retinent; quod acceptas injurias condonari, & ex animo deleri jubent, hæc ex Evangelicis historiis ac præceptis manifesto arcessita sunt.

Zoroastres, idem ac Moses.

II. Quod autem inter Deos suos principem ponunt Tauthe, eique filium adscribunt Moymin, ut traditum est a Damascio in libro nondum edito περὶ ἀρχῶν, qui servatur Oxonii, id ex vicinis populis Phœnicibus, & Ægyptiis, cum quibus maxima gesserunt bella & commercia, omnino videntur sumsisse, quorum Taautum & Theuth supremum Deum eumdem ac Mosem esse ostendimus. Apud Ægyptios etiam est Emesenos diximus Mosi nomen fuisse Monimos & Monios. Sed & Solis, ignisque colendi ritus, cui Persæ obsequuntur ad hanc diem, ac plurimæ veteris eorum instituti reliquiæ; præcipue vero Zoroastris historia & præcepta, etsi ab ultima vetustate, & a multis ante natum Christum annis ad eos a majoribus transmissa sunt; non apud Deos tamen nata, sed exotica & adventitia esse non inani conjectura opinatus
Agath. l. 2. est Agathias, uti paulo post declarabimus. Hunc Zoroastrem legumlatorem, doctrinæ suæ & religionis reformatorem, ac morum censorem venerantur. De eo multiplex est prorsus incerta virorum doctorum sententia. Alii Chamum Noachi filium esse censent; quidam Chami filium Mesraimum; Japetum nonnulli, nonnulli Chus; alii Assur; quidam Nemrod. Alia mihi est, nec levibus conjecturis nixa opinio, non alium eum fuisse quam Mosem. Non prorsus quidem tempus convenit: verum adeo discrepantia de Zoroastris ætate ab Auctoribus tradita sunt, ut hæc varietas falsa omnino de ejus ætate scripta esse, ac fuco circumlitam esse veritatem satis probet. Nec enim Eudoxum, Aristotelemve moror, qui sex millibus annorum Platone vetustiorem Zoroastrem finxerunt; nec Hermodorum Platonicum, aut Hermippum, qui eum annorum millibus quinque Trojanum bellum præcessisse rati sunt, & Plutarcho ac Suidæ idem sentientibus præiverunt. Hos pro merito confutat Plinius. Sunt qui Nini æqualem faciunt, & Abrahamo paulo antiquiorem, atque ita Christi ortum plus duobus annorum millibus prævertisse. His consentiunt recentiores hujus ætatis Persæ, Abrahami æqualem statuentes Persarum regem Gustaphum, qui acceptam a Zoroastre religionem in Persida propagavit. Nec desunt tamen, qui Gustaphum illum quingentis annis solum Christo antiquiorem opinantur. Alia est Xanthi Lydi ratio, a Zoroastre ad Xerxis transitum sexcentos annos ponentis. Id propius ætatem Mosis accedit; cujus obitus mille circiter annis Diabasin Xerxis antecessit. Auctor est Agathias, Hystaspis æqualem fecisse eum Persas suis temporibus, nec facile ætatem ejus deprehendi posse. Cyri avum fuisse vult Ismael Abulfeda in Historia. Cambysis æqualem ponit Said ebn Batrik; ponit & Gregorius Abulfaragius. Hystaspen ipsum esse conjicit Pocockius in his literis apprime versatus. Ex hac sententiarum fluctuatione id colligo, suppositiam esse Zoroastris personam, cui etsi vera subest Mosis persona, falsa tamen ipsa est, & tota figmentis consuta, de qua certi nihil cognitum est, aut literis proditum. Idem concludas & ex ignoratione patriæ Zoroastris: de ea quippe non minus quam de ætate inter scriptores disconvenit. Sinam recentiores Persæ apud Indos degentes faciunt: at Carmaniæ incolæ Franco patre genitum, hoc est homine ad occasum nato, qualis fuit Moses in Ægypto natus, quæ ad Persidis occasum sita est. Atqui hodierni hi Persæ Carmanienses majorum suorum doctrinam alienis opinionibus & ritibus minus oblitam ac permistam videntur retinuisse, quam priores illi Indiæ inquilini, a patria sua jamdudum exterminati, & moribus exterorum ac dogmatis imbuti. Itaque valde a prioribus religione & cerimoniis discre-

Eud. & Arist. apud Plin. l. 30. c. 1.
Hermod. apud Laert. Procem.
Hermipp. apud Plin. l. 30. c. 1.
Plutarch. de Isid. & Osirid.
Suidas in Ζωροάστρης.
Plin. l. 30. c. 1.
Xanth. apud Laert. in Procem.
Agath. l. 2.
Abulfed. Hist. cap. de Persis.
Abulfarag. Hist. Dyn. 5.
Pocock. in Abulfar. de morib. Arab. pag. 147.

discrepant: quamquam & in multis conveniunt, ut facile eamdem originem possis agnoscere. Zoroastrem, nunc Persam, nunc Medum ponit Clemens Alexandrinus, Persomedum Suidas, plerique Bactrianum, alii Æthiopem: quos inter ait Arnobius ex Æthiopia interiore per igneam Zonam venisse Zoroastrem. An quod ex Chusitide regione uxorem duxit Moses? Chus autem ab Interpretibus Septuaginta, & deinde a Josepho, aliisque plurimis, Æthiopia nunquam non exponitur; quod ut ita aliquando esse intelligendum alibi docuimus, ita longe sæpius Arabiam notare alii demonstrarunt. Ergo Mosis uxor, Chusitis cum esset, & ex Arabia orta, in libro tamen Numerorum Æthiopissa vocatur. Hinc & Moses Æthiops credi potuit, qui tot annos transegit in Arabia apud socerum Jethro, & tamdiu per Arabiam gentem Israeliticam circumduxit. Alia præterea opinionis hujus causa esse potest bellum, quod adversus Æthiopas gessisse Mosem Josephus scriptum reliquit. Quod autem Æthiops habitus sit, inde factum est, ut Sina quoque, & Persa, & Medus fuerit existimatus. Veteris enim Geographiæ imperiti Æthiopiam & Nili fontes versus ortum esse sitos rati sunt: quocirca Memnonem Æthiopem, Auroræ filium dixerunt; idemque Susis & Thebis Ægyptiis colebatur: & Nilum ab ortu fluere scripsit Statius, & Persidem præterfluere Virgilius. Sed & Æthiopum Asiaticorum meminerunt Herodotus & Philostratus. Nec alius videtur Zoroastres Proconnesius; etsi distinguit Plinius. Omnino is est, quem Petrus Comestor in Historia Ecclesiastica Thraciæ regem fuisse narrat. Quod & Mosi convenit: nam Thraciam pro Palæstina sumunt aliquando fabulatores; cujus rei infra aperiemus causas, cum de Orpheo disseremus. Has inter se pugnantes sententias acute conciliaturos se existimarunt nonnulli, si plures statuerunt Zoroastras. Præluxit illis Plinius, qui unus Zoroastres fuerit, an postea & alius, non satis constare ait: item Suidas, qui Zoroastrem alium Bactrianum, Persomedum alium statuit. Certe regem illum Bactrianorum, qui cum Nino-parum prospere conflixit, non Zoroastrem, sed Oxyartem ex Ctesia Diodorus appellat. Neque qui unicum Zoroastrem posuit, sed vel æquo vetustiorem, aut recentiorem; neque qui plures, rem uti erat assecuti sunt. Unus utrique error, sed variis partibus illusit, quia hunc esse Mosem uterque ignoravit, quod sequentia ostendent. Levius ii peccarunt, sed peccarunt tamen, qui Zoroastrem cum Ezechiele confuderunt, uti suo loco demonstrabitur. Felicius conjecit Goropius Becanus, qui neque Zoroastrem, neque Mercurium Trismegistum, neque Orpheum unquam extitisse contendit. Oromasi sive Ormasdis filium esse Zoroastrem finxerunt fabularum architecti, alludentes ad Amrami nomen, qui fuit pater Mosis. Risisse eum ferunt, quo die natus est, quia matri suæ Moses, statim ut natus est, apparuit elegans, quod exponit Interpres Arabs, *venuste ridens*. Præceptorem habuisse Azonacem scripsit Hermippus: at supra notavimus Abizannac unum fuisse ex nominibus Mosis, secunda litera extrita; ut fit in *omitto*, quod est *obmitto*, in *ostendo*, quod est *obstendo*, in *rudis*, quod est ῥάβδος. Zoroastri ergo Azonacem præceptorem dare, tantumdem est ac ad scriptam Zoroastri doctrinam ad Mosem referre. Ad nomen quod spectat, non Zoroastrem, sed *Zardust* Persæ appellant. Hanc vocem Græcorum nonnulli pro more inter eos recepto ad linguæ suæ genium temperatam recuderunt in Zoroadus, & Zaradas. Utroque enim nomine, Agathia teste, Zoroastres appellatus est. Zaradas autem sive Zoroadus, sive ut a Theodoro Mopsuesteno appellatur apud Photium Zasrades, idem est qui Zaras Pythagoræ præceptor, Alexandro Polyhistori memoratus, & qui Zaratas Plutarcho, & qui Zares Suidæ, & qui Zaroes Pseudo-Abdiæ, & qui Zabratus Porphyrio dictus, quippe in corruptis, ut videtur, Clementis Alexandrini codicibus Nazaratus perperam appellatur, & qui, ni valde fallor, Zathrausles vocatur apud Diodorum, & legumlator Arimasporum fuisse dicitur. At longe plures Zoroastrem nuncuparunt, & quasi vox esset Græcanicæ originis, ex ζωὸς & ἄστρον conflata, *vivum sidus* exposuerunt. Dinon ἀστροθύτην, sive ut aliis legendum placet, ἀστροθεάτην interpretatur. Persæ vero *Zardust* exponunt, *amicum ignis*, atque id illi nomen ex eo factum esse dicunt, quod cum eum mater gestaret in utero, cœlum ardens, & igneo rubore undique perfusum aliquando viderit; fortasse & propter

Clem. Alex. Strom. 1. Suidas in ζωροάστης. Arnob. l. 1. Observ. in Origen. Num. 12, 1. Jos. Antiq. l. 2. c. 5.

Gorop. in Gallic. Plin. l. 7. c. 16.

Hermipp. apud Plin. l. 30. c. 1.

Alexander Polyh. in libro de Pythagoricis symbolis, apud Cyrill. l. 4. contr. Jul. Agath. l. 2. Phot. Cod. 81. Plutarch. περὶ τῆς ἐν τιμαίῳ φυσικολογίας. Suidas in πυθαγόρας Abd. Hist. Apost. l. 6. Porph. in vit. Pythag. Clem. Al. Strom. 1. Diod. l. 1.

Scat. Theb. l. 4. & 8. Virgil. 4. Georg. Herod. l. 3. Philostr. vit. Apoll. l. 3. c. 6. Plin. l. 30. c. 1.

Suidas in ζωροάστρης. Diod. l. 2.

Dinon ap. Laert. in Procem.

propter visum Zoroastri ipsi flammis coruscantem Deum, & delatum de cœlo ignem. Utramque nominis originem tangere videtur Clemens Recognitionum auctor, cum ait Persas *extructo sepulchro ad honorem ejus, tanquam amicum Dei, ac fulminis vehiculo ad cœlum sublatum adorare ausos esse, & quasi Vivens astrum colere. Hinc enim & nomen. Post mortem ejus Zoroastrum, est hoc Vivum sidus, appellatum esse.* Originem prioris partis vocabuli hujus indicent, si qui vetustam Persarum linguam callent; in postrema certe nominis parte dictio אשׁ facile dignoscitur, quæ Chaldaice *ignem* sonat. Persæ dicunt *Ateschi*, transpositis literis. Quam vocem retinuerunt Tartari. Qua ratione & Magus, sive Cultor ignis nuncupatur. Quemadmodum autem isthæc appellatio Mosi conveniat, facile intelligitur & ex conspecto illi Deo in rubo ardenti, & in fastigio Horebi montis inter ignes & fulgura, & ex splendida ejus & candenti facie post habita cum Deo colloquia. Quo accedit pervulgata inter Rabbinos narratio, qua Mosem ferunt ex ardentibus Ægyptiorum catinis evasisse, quibus Ebræi torrebantur. Inde est quod Zoroastres Carmanienses Persis *Zerateuch* nuncupatur, hoc est juxta ipsorum expositionem, *Argento lotus*, quod Regis Persarum jussu, inquiunt, certius explorare volentis quam Deo carus esset, in vas liquefacto argento plenum se ipse dimiserit, ex eoque illæsus exierit. Legitur in Annalibus Alexandrinis Saidi Ebn-Batrik, Nemrodum, cum in Oriente vidisset aliquando erumpentem e terra ignem, accessisse ad eum propius, & adorasse; ac ignis exinde instituisse cultum, eique Andeschanum præfeciisse (vel Audeschanum potius, hoc est שר אש (*ministrum ignis*) quem de medio ignis Diabolus allocutus est; Nemrodum autem vixisse Zorodaschti temporibus, qui fuit auctor religionis Sabiorum, & ab aliis Zoroastres appellatur. Notavimus supra eumdem existimatum esse Nemrodum ab aliquibus ac Zoroastrem. Non eumdem, sed æqualem ponit Said: verumtamen ex iis quæ de Nemrodo narrat, manifestum est confundi eum cum Zoroastre. Mirabilis autem ille casus conspecti huic & adorati ignis, ex eoque locuti Diaboli; quem ex Mosis historia detortum esse perspicuum est, Zoroastrem offendit simulacrum esse ad Mosis effigiem expressum. Sunt qui Zoroastrem, ut dixi, nomine proprio *Mog*, hoc est *Magum*, dictum fuisse putant. Hoc si sit, ab auctore Mago disciplina Magorum habuerit vocabulum. Magastiam, vel Magichagistiam (non, ut in Ammiano legitur, Machagistiam,) mystico nomine Plato appellat: quasi dicas μαγικὴν ἀγιστείαν (*magicam religionem.*) Arabibus certe dicitur *Magus*. Cum hunc enim ignis colendi ritus tradidisse hominibus, ac Dei mysteria nuntiasse narrant, non alium quam Zoroastrem fuisse satis ostendunt. Nomina autem *Magus* & *Mog* ex nomine Mosis recusa, & recocta credere licet. Ut ex משׁה factum μάγος, hinc μάγος, ita Magus & Mog; quemadmodum ex βλαισὸς, *valgus*: cum præsertim Arabica litera, quam in dictione Magus g exprimit, efferatur per g molle, quale illud est quod nos Galli pronuntiamus ante e & i vocales. Hoc autem elementum sic pronuntiatum accedit ad sonum Ebraicæ literæ ע. Dixi a Mago, sive Zoroastre, nomen habuisse Magorum scientiam; quippe scientiæ ipsius auctor habitus est. *Primum artes Magicas invenisse, & mundi principia, siderumque motus diligentissime tractasse* scribit Justinus. Atque id inter Auctores magno consensu convenit. Quippe *eruditus erat Moyses omni sapientia Ægyptiorum, & erat potens in verbis & in operibus suis*; & totam prodigiis suis ac mirifica vi conturbavit Ægyptum, & Jamnis ac Mambris incantamenta retulit. Quapropter Plinius nobilissimos magicæ artis auctores recensens, Mosis simul cum Zoroastre meminit: *Est & alia*, inquit, *magices factio, a Mose, & Jamne, & Jotape Judæis pendens, sed multis millibus annorum post Zoroastrem.* An inde rati sunt quidam, apud Laertium, Magorum discipulos fuisse Judæos, an quod a Chaldæis orti sunt? Cæterum magiam Zoroastris, non præstigiatricem illam γοητικὴν intelligi volunt Veterum peritissimi, sed Dei cultum & divinarum rerum scientiam. Sic visum locupleti auctori Platoni, quem itidem ut Pythagoram, Empedoclem, & Democritum, ad eam comparandam *navigasse, exiliis verius, quam peregrinationibus suscepti*, docet Plinius. Multus est in magica arte tuenda Apulejus, quem si cui consulere vacat, is magiam Zoroastris intelliget *esse Diis immortalibus acceptam, colendi*

Clem. Recogn. l. 4. c. 28.

Ammian. Marcell. l. 23.

Justin. l. 1. c. 1. Act. 7, 22.

Plin. l. 30. c. 1.

Laert. Procem.

Plat. Alcib. 2.

Plin. l. 30. c. 1. Apul. Apol. 2.

Digitized by Google

colendi eos ac venerandi pergnaram, piam scilicet & divinisicientem, jam inde a Zoroastre nobilem, cœlitum Antistitem: & *Magum* Persarum lingua, nihil aliud quam *Sacerdotem* sonare. Non multum hinc abeunt Dio Chrysostomus, & Porphyrius, cum homines rerum divinarum peritos, & Dei cultores, Magos ajunt a Persis appellari; id enim Persica dialecto vocem hanc significare. Philo Magos vult esse Philosophos naturæ arcana rimari solitos. Dicit Hesychius Persas appellare Magum, qui pius sit, & Theologus, & sacerdos. His adstipulatur Suidas, cum Magos Persas, Zoroastris disciplinis institutos, Philosophos esse tradit, & Dei amantes. Itaque Zoroastrem creationis mysteria a Deo edoctum fuisse Persæ affirmant, futurorum prænotione, aliarumque rerum complurium scientia imbutum, quæ revelare nefas esset; mundi quoque tractasse principia perhibet Justinus, & res Astrologicas, de quibus libri quinque ei adscripti a Suida memorantur: Mosis quippe de mundi creatione, huic a Deo tradita, quinque libri extant, quibus futura multa vaticinatus est, & præter legem ἔγγραφον *(scriptis traditam)* quam habemus, ἄγραφα *(non scripta)* multa & disciplinarum principia, ut volunt Ebræorum magistri, senioribus Israelitis & sapientioribus prodidit: quem cum Stephanus in Actis eruditum omni sapientia Ægyptiorum esse dixit, Matheſin præcipue & medicinam intelligi voluit, ut exponit Clemens Alexandrinus. Est apud Abulfedam vetustiores Zardusto Magos duo rerum principia posuisse, lucem ac tenebras; sive Deum ac Diabolum; hanc ipsorum doctrinam reformasse Zardustum, cum luce ac tenebris antiquiorem docuisset esse Deum, unicum ac socio carentem, lucis & tenebrarum, & mundi ex earum permistione conflati opificem. Abulfaragius vero Eliæ discipulum a nonnullis creditum fuisse narrat, & Persis Messiæ adventum prædixisse, atque ejus vaticiniis præmonitos Magos stellam Messiæ nuntiam agnovisse. Addunt alii ex Arabibus, idola ipsum sustulisse. In his Mosem licet deprehendere, qui veram originis mundi a Deo uno rerum omnium opifice conditi historiam æquales suos, magnis, ut videtur, ignorantiæ tenebris circumseptos, & posteros quoque scriptis voluminibus docuit, quorum initium a tenebris & luce ducitur. Eliæ discipulus creditus est, cum Eliæ magister credi debuisset, qui Legis a Mose traditæ disciplinam ac præcepta secutus est, & ex eadem gente est prognatus. Messiæ adventum vere prædixit Moses, & libris suis clarissimas tanti beneficii prædictiones inseruit. Quamobrem fieri potuit, ut Magi illi qui Christum Jesum adorandi causa adierunt, cum ex aliis indiciis, tum ex Mosaicarum scriptionum lectione genus ejus, sedem, ac ætatem cognoverint. Denique idolorum cultum gravissimis verbis Moses interdixit. A rege Sinensium, apud quos fingitur natus, insidiis appetitum & morti destinatum Zoroastrem narrant, submissis etiam percussoribus. Alii regis Persarum, infanti plagam gladio inferre parantis, manum illico exaruisse fabulantur; & tamen prodigiali pœna haudquaquam absterritum in ignem inferri Zoroastrem jussisse: verum Dei omnipotentis nutu ardentem rogum in roseum cubile conversum molliter puerum excepisse, & leni somno fovisse: nec ita tamen resipiscente Rege, cum nova ei compararet supplicia, Deum hominis impietatem venenatis culicibus immissis ultum esse. Moses, itidem ut reliqui Israelitici generis pueri, ad mortem ex regis Ægyptii mandato damnatus, in profluentem missus est; atque inde servatus cum esset, rursum ad supplicium a Pharaone quæsitus est. At is longo post tempore, ex Madianitico exilio redux in patriam, Regis tum in Ægypto Israelitas durissima tyrannide prementis pertinaciam magna culicum vi excitata multavit. Zoroastrem deinde a regis Sinensis insidiis tutum ajunt in Persidem profugisse: Moses a Pharaonis malevolentia incolumis in Madianitidem regionem concessit: rursumque Israelitas Ægyptiorum sævitiæ fugiendo subduxit. Zoroastre ad Persas fugiente, fluvios iter morantes congelasse dicunt; mirificum maris Rubri duce Mose transitum hac fabula significantes. Quod autem Moses rupem virga percussam aquas dare coegerit, id adumbrarunt Persæ fabula alia, quam ex Eubulo narrat Porphyrius; primum apud Persas Zoroastrem speluncam quamdam fontibus scatentem Mithræ consecrasse. Dio Chrysostomus in oratione quæ Borysthenica appellatur, nonnulla habet ex doctrina Persarum, ad hanc dissertationem perapposita. Zoroastrem dicit

Dio Chrys. Or. 36. Porphyr. περὶ ἀποχ. ἐμψ. l. 4.

Phil. liber. Quod omnis probus liber.

Hesych. in Μάγοι.

Suidas in Μάγοι.

Justin. l. 1. c. 1.

Suidas in ζωροάστρης.

Act. 7, 22.

Clem. Al. Strom. 1.

Abulfed. Hist. cap. de Persis.

Abulfarag. Hist. Dyn. 5.

Porph. de antr. Nymph.

Digitized by Google

sapientiæ & æquitatis studiosum, vitatis hominum congressibus in montem secessisse, qui de lapsis de cœlo ignibus conflagravit: hac rei novitate perterritos fuisse Persarum primores: qui cum monti succederent, & Deum precibus placare vellent, illæsum ex igne prodiisse Zoroastrem, bonoque eos animo esse jussisse, & quosdam sacrificiorum docuisse ritus, tanquam a Deo sibi in monte traditos: postea vero, non vulgo se immiscuisse, sed cum hominibus solum ad pietatem colendam natis esse conversatum, & divini cultus peritis, quos Persæ Magos dixere. Non valde discrepant quæ de Zoroastre Persæ recentiores tradidere: Zoroastrem enim narrant in Perside profugum, cum aliquando solus in agro devia loca sectaretur, in cœlum fuisse evectum, & Deum flammis obsitum vidisse, non oculis quidem suis, qui tantum fulgorem ferre non poterant, sed ascititiis Angeli oculis; ab eoque librum legis, quem Zundavastaw appellant, accepisse, & ignem de cœlo in terras detulisse. Nempe Mosem audiverant in Arabia oves aliquando pascentem, ad radices Horebi montis rubum ardentem vidisse; cui cum inesse Deum intellexisset, *abscondisse faciem suam, non enim ausum esse aspicere contra Deum;* & in eodem postmodum monte *Facie ad faciem locutum esse* Deum Mosi *de medio ignis*, & inter flammas ac fulgura Legem manu Dei scriptam (librum Arabes appellant) accepisse, *cum totus mons Sinai fumaret, eo quod descendisset Dominus super eum in igne, & ascenderet fumus ex eo, quasi de fornace, esset que omnis mons terribilis;* ipsumque ad suos subinde remeantem, perfusam luce nova faciem, & igne cœlesti coruscam retulisse; & ad contundendam Pharaonis pervicaciam fulgura & tonitrua grandine missa de cœlo eduxisse, ut habetur in Exodo. Inde quoque est quod habent Suidas & Glycas, optasse Zoroastrem igne cœlesti interire; & quod habent Fasti Siculi & Cedrenus & Gregorius Turonensis, reipsa de cœlo tactum periisse; & quod habet Auctor Recognitionum, a Dæmone, quem importunius frequentabat, igni succensum arsisse. Sunt qui ex hominum oculis evanuisse garriant: unde Carmanienſium Persarum plerique in cœlum evectum fuisse affirmant; nonnulli in sandapilam forte oblatam se prope Bagdadum condidisse, in eaque raptum fuisse ab Angelis. Quibus ignoratio sepulcri Mosis continetur. Deum non aperta facie, & revelato vultu, sed ignibus obductum, & tectum flammis, Zoroastri visum esse volunt Persæ; quia Mosi dixit Deus: *Videbis posteriora mea, faciem autem meam videre non poteris.* Prodigiis fidem Legi suæ Zoroastrem adstruxisse volunt, itidem ut Mosem suæ. Zoroastrem in desertis caseo vixisse annis viginti, ita temperato, ut vetustatem non sentiret, tradidisse nonnullos refert Plinius: ita videlicet mannæ in deserto Israelitis subministratæ, & tolerati a Mose per quadraginta dies ac noctes in monte jejunii, & vestium post annos quadraginta neutiquam detritarum portentum hoc commento dissimularunt. Ad hæc in multis conveniunt Zoroastris & Mosis leges. Alienas facultates concupisci vetat Zoroastres, vetat & Moses, studium legis suæ valde commendat Zoroastres, itidem ut Moses suæ. Ciborum mundorum & immundorum discrimen statuit Zoroastres, perinde ut Moses; atq; horum usu, cadaverum, aliarumque rerum impurarum contactu uterque interdixit. Id retinent etiam nunc Persæ, magnisque religionibus contractam fœditatem eluunt. Adipem adolent in sacrificiis, quod solenne fuit & in illis Ebræorum. Injurias condonari sanxit uterque. Ad legem uterque suam addi quicquam vetuit, aut ab ea detrahi. Unum uterque Pontificem maximum esse jussit, cui frequens præscribitur lavationum usus, & bonorum omnium decimæ attribuuntur. Cum uxore ægra ex καταμηνίοις congredi Pontificem vetuit Zoroastres, Moses Israelitas universos. Mulieres hoc affectu laborantes, ab hominum consortio segregatas seorsum degere jubet uterque. Suilla Persæ abstinent; abstinent & Israelitæ. Statuas Persæ non habent, nec Ebræi. Delatum autem a se de cœlo ignem subjectis pabulis indesinenter & perpetuo ali ita sanxit Zoroastres, ut præcipuum illud & velut Legis suæ χαρακτηριστικὸν (*quo ab aliis distinguitur*) mandatum esse voluerit. Adeo ut vocabulum *Magus*, quod Zoroastris sequacibus tribuitur, apud Persas & Arabes, pro Cultore ignis, tralatitio usu sumi soleat, Guebri hodie dicuntur. Atque hunc ritum non apud ipsos natum, sed a Chaldæis, vel aliunde, uti & ipsorum pleraque, traductum merito suspicatus est Agathias. Scilicet hoc ipsum

Exod. 3, 6.
Abulfirag. Dyn. 2.
Exod. 19, 18.
Exod. 9, 23.
Suidas in Ζωροάστης.
Mich. Glyc. Ann. part. 2.
Greg. Tur. l. 1. Hist. Franc. c. 5.
Clem. Recogn. l. 4. c. 27.
Exod. 33, 23.
Plin. l. 11. c. 42.
Exod. 20, 17 Deut. 5, 18. & seq.
Levit. 11.
Levit. 19, 18
Deut. 4, 2.
Num. 18, 21. Lev. 18, 19.
Levit. 11, 7. Exod. 20, 4.
Agath. l. 2.
Lev. 6, 12. 13

ipsum est præceptum Mosis: *Ignis autem in altari semper ardebit, quem nutriet sacerdos subjiciens ligna mane per singulos dies, & impositio holocausto desuper adolebit adipes pacificorum. Ignis est iste perpetuus, qui nunquam deficiet in altari.* Hinc orta apud Judæos festivitas, quam appellabant ξυλοφορίαν (*Latinum lignorum*) qua ligna in Templum portare consueverant, ad ignis illius inextincti pabulum. Meminit Josephus. Et ab Antiocho Epiphane extinctum fuisse Diodorus perhibet. Is porro ritus apud exteras gentes propagatus est, quæ in prytaneis suis ignem perpetuum magna cura asservare solitæ sunt. Vetustissimum hunc esse apud Chaldæos morem memoriæ prodidit R. Moses ben Maimon in More nevochim. Invaluit eadem consuetudo apud Medos & Cappadocas; apud Dugbimos quoque Benjamino Tudelensi memoratos, & in Asiæ insulis Chenerag ignem adorantes, in eumque se sponte sæpe, itidem ut apud Indos fieri solitum legimus, cultus & obsequii causa immittentes, seque vivos concremantes. Invaluit & apud Phryges, aliasque Asiæ gentes. Memoriæ proditum est a Saido Batrikide, Bahramum Persarum regem Jezdegirdis filium, profligatis Turcis, & interfecto ipsorum rege Chacano, duodecimo Theodosii Junioris anno, Aderbijanum Armeniæ urbem petiisse; cumque ad consecratum illic igni Templum accessisset propius, prolapsum equo, incessisse pedibus, ædemque ingressum hostium spolia Deo suspendisse. In cultum ignis consensisse Caimachitas Indicam gentem, & priscos Turcos ad Orientem sitos intelligas ex Geographo Nubiensi. Consensit in eamdem religionem tota Ægyptus, quam in templis ignem immortalem servasse ait Porphyrius. Unde tot in hac regione Vulcani simulacra. Jarbas apud Getulos,

Centum aras posuit, vigilemque sacraverat ignem,
Excubias Divum æternas.

ut habet Virgilius. In templo Gaditano Herculis ignem arsisse perpetuum tradit Silius. Factum id etiam in templo Jovis Ammonis: factum apud Arabes, qui statis singulorum dierum horis igni sacrificabant, seque ei devovebant, ut accurate refert R. Menachem Lonzano: factum & in Delphico templo; quippe & alius Mosis typus Apollo fuit, ut infra demonstrabimus: factum & Athenis in templo Minervæ Poliadis: nec Athenis solum, sed & in omnibus Græciæ urbibus, ut probatum est a Casaubono in Athenæum: factum & in Ætneo Vulcani templo, & in Erycino Veneris, auctore Æliano: factum id quoque Romæ a Vestalibus, traducto more ad Romanos ab Albanis, qui eum a Lavinienſibus, hi a Trojanis acceperant: vel traducto potius a Græcis: dubitat enim Prudentius, a Phrygia, an a Græcia arcessenda sit ea consuetudo; mihi vero haud paulo fit verisimilius per colonias Græcorum in Italiam fuisse illatam. Ipsi demum Romanorum Imperatores, Regum Persarum exemplum secuti, ignem sacrum sibi præferri voluerunt. Nec ita pridem ignis perpetui servandi ritus exolevit apud Lithuanos, Samogitos, & Moscovitas, cum quibus olim per Armeniam & Iberiam, ut hodieque, commercia Persis esse potuerunt: cum præsertim celeberrimum in Caucaso regionibus illis imminente Pyreum per multa secula inrestinctum perseverarit. Id manere ad hanc diem affirmavit Teixeira, aliique complures; quod falsum esse deprehendit Olearius, oculatus testis, scriptor integerrimæ fidei. Hunc a Persis ritum profecto acceperunt Sermaticæ istæ gentes; & vetustissimum quidem hoc est, cum Sauromatas ignem venerari tradiderit Nymphodorus in libro de barbaricis institutis, ut testatur Clemens Alexandrinus. Scribunt idem de Tartaris Gulielmus de Rubruquis, & Johannes Plancarpinius. A gentibus istis Borealibus transit eadem consuetudo ad Britannos, apud quos in ædibus Minervæ perpetui ignes alebantur; transiit & ad Hibernos, apud quos virgines sacræ Kildarienses ignem a multis annis, vel potius seculis servasse narrat Giraldus Cambrensis. Ignis Brigidæ vocabatur, quasi rei auctor pia virgo fuisset. Cœnobium ipsum dicebatur, Domus ignis. Verum ab Ethnicis traductum fuisse institutum indicat Henrici Archiepiscopi Dublinensis factum, qui superstitionem hanc, utpote profanam, & Christiana pietate indignam abolevit. Quamquam & renovatam subinde, ad Henricum octavum perseverasse, sunt qui constanter affirment. Quin etiam morem eumdem servasse Mexicanos notat Herrera. Sed & Sinas quoque, apud quos natum Zoroastrem volunt Persæ recentiores,

Joſ. de bell. Jud. l. 2.
Maimon. in Mor. nev. l. 3. c. 30.
Casaub. Anim. in Athen. l. 15. c. 19.
Ælian. de anim. l. 10. c. ult. l. 11. c. 3.
Prudens. l. 2. contra Symmach.
Olear. Tom. 1. l. 4.
Clem. Al. Protrept.
Rubruq. c. 3
Plano. c. 3.
Geogr. Nub. Clim. 4. Part. 10. Clim. 3. Part. 9. Clim. 5. Part. 9.
Porphyr. περὶ ἀμψ' ἀπεχ. l. 2.
Virg. Æn. 4
Sil. l. 3.
R. Menach. Lonz. in Dunh. manib.
Giral. Cambr. Topogr. Hibern. Distinct. 2. c. 34.
Herr. Des. 3 l. 2. c. 15.

ignem

Digitized by Google

ignem adorare, & injecti succini cremationē colere narrant peregrinatores. Legimus porro apud Maximum Tyrium, priscos Persas censuisse ignem esse divinitatis simulacrum; quæ videtur Brachmanum quoque fuisse opinio. Item Porphyrius: θεοῖς γὰρ ἡμῖν τὸ πῦρ ἀθάνατον φυλάττομεν ἐν τοῖς ἱεροῖς, ὃ μάλιστα ἑαυτοῖς ὁμοιότατον *Diis enim ignem immortalem servamus in Templis; utpote qui sit ipsis quam simillimus.* At postmodum, non ut Dei imaginem, sed ut Deum ipsum, ignem coluerunt. Quo eos fortasse perpulit istud Mosis: *Dominus Deus tuus ignis consumens est.* Item illud: *Scies ergo hodie quod Dominus Deus tuus ipse transibit ante te, ignis devorans atque consumens, qui conterat eos, & deleat, atque disperdat ante faciem tuam velociter.* Vere itaque adversus Apionem prædicat Josephus, cum alios ritus plerosque a Judæis accepisse gentes propemodum universas, tum maxime λύχνων ἀναπάνεις (*Lychnorum incensiones*) Redeamus ad Zoroastrem, ex cujus fama & existimatione provenit eorum fallacia, qui sub ejus nomine Oracula quædam magica Græce scripta incautis obtruserunt. Edita illa sunt cum Pselli & Plethonis scholiis; sed si nares admoveris, fraus subolebit. Vetustiora quidem illa sunt, nihilo tamen γνησιώτερα (*sinceriora*) Oracula, quæ Crœsi temporibus extitisse narrat Nicolaus Damascenus. Insinceros quoque eos dixerim libros, quos Chaldaice scriptos, & Chaldaicis commentariis illustratos, & effata ac sententias complexos Johannem Picum habuisse ferunt; insincerum & librum Zind, mihi de nomine solum cognitum, quo ritus magicos, & ignis colendi disciplinam ajunt contineri; de cujus vocabulo quæri potest an aliquid habeat commune cum vocabulo Lituanorum Zincz, quo ignem significari legimus apud Matthiam Michovium: insinceros & quos Hermippus, Plinio teste, ducentis versuum millibus sub Zoroastris nomine conditos indicibus quoque positis explanavit. Ex iisdem falsariorum incudibus profectus est supra memoratus Persicarum Legum codex Zundavastaw, quem vetustissimum tamen conjicio, & eumdem fortasse, qui ab Eusebio Collectio sacra Persicarum rerum appellatur. Indidem profectus & quem se in arcanis habere jactabant, qui Prodici Philosophi doctrinam sectabantur, ut est apud Clementem Alexandrinum; indidem & quos commemorat Suidas; & qui de Magia, Zoroastris nomine, scripti circumferebantur, ut habet Auctor Recognitionum; & quem tradit Auctor Astrologiæ cujusdam Persicæ, Ebraice redditæ, ab eo lucubratum, & Regnum Dei fuisse inscriptum, & manibus Persarum assidue gestari esse solitum. Narrat Porphyrius, Plotini temporibus a Christianis suppositos fuisse & confictos libros plerosque, in his Apocalypsin Zoroastris, cujus νοθείαν (*suppositionem & falsitatem*) a se, cum sermonibus, tum scriptis fuisse demonstratam. Hoc genere fraudis nimis sæpe usi sunt priscorum Ecclesiæ temporum Hæretici. Adulterinæ illæ lucubrationes, quarum meminit Porphyrius, Gnosticos auctores habuerunt, ad quos & confutationem suam scripsit. Nec dictu facile est, quantum Reipublicæ Christianæ nocuerint ejusmodi fallaciæ: nec enim Hæreticos ab Orthodoxis discernebant Ethnici. Illorum itaque doli & nefariæ artes infamiam utrisque & odium conflabant. Cæterum Persas in Zoroastrem gesta Mosis contulisse hinc etiam confirmatur, quod & in Dario Notho simile quiddam ausi sunt. Refert enim Teixeira, Homayæ Darii matri vates prædixisse, futurum ut ex ea nasceretur filius, qui Persis magnarum calamitatum auctor esset: id veritam matrem flumini Jehuni infantem in arca commisisse; rusticum fluvio arcam extraxisse, repertumque infantem ob mirificam pulchritudinem alendum suscepisse, & nomen ex casu illi fecisse, quippe Darabeum significare, qui arca inclusus in flumine expositus sit. Quæ quamvis fabulosa sunt, asserunt tamen veritatem. Nunc cum ex hac dissertatione clarissime pateat Zoroastrem ipsum esse Mosem, & vetustissimæ Persarum religionis fontem esse Mosaicam Legem, Mosis certe antiquitas luculenter mihi videtur esse comprobata.

Max. Tyr. Orat. 38.

Porphyr. περὶ ἀμψ. ἀποχ. l. 2.

Deut. 4, 24. Deut. 9. 3.

Joseph. l. 2. contr. Apion.

Nic. Dam. Hist. l. 7. in Exc. Const. Porphyr.

Matth. Mich. Sarmat. l. 2. c. 2. Plin. l. 30. c. 1

Euseb. Præp. Ev. l. 1.

Clem. Al. Strom. 1. Suidas in Ζωροάστρης. Auct. Recogn. l. 4. c. 27. Porphyr. in Vit. Plotin.

Teix. l. 19. c. 1.

CAPUT SEXTUM.

I. *Ex libris Mosis fluxit prisca Indorum religio; cum Guzarattensium,* II. *tum & Coromandelensium:* III. *item Sinarum & Japonensium.* IV. *Qui factum ut ad Indos Mosaica doctrina penetrarit.*

I. VEtustissimam esse Indorum Guzarattensium religionem nemo nescit. Præcipua *Ex libris Mosis fluxit prisca Indo-*

Digitized by Google

Prima religio cum Guzaratensium,

cipua ejus dogmata libro quodam continentur, cui nomen fecerunt Chaſter; tantæ antiquitatis, ut omnem apud illos memoriam ſuperet exoleta lingua ſcripto, & ab hominum, præterquam doctorum aliquot, uſu intermiſſa. Antiquos etiam habent priſcorum Brachmanum codices, quos novitii Brachmanes ſtudioſe legunt. Tam manifeſtis autem & illuſtribus inſignita eſt ſecta hæc Moſaicæ hiſtoriæ & doctrinæ monumentis, ut nulli dubium eſſe poſſit, quin ex iis expreſſa ſit: nam & de mundi, & primi hominis, primæque mulieris creatione eadem diſſerit, deque primæ horum progeniei vitioſitate, exitio, & reparatione. Deum narrant de cœlo delapſum in montem Meropurbateum, luce & radiis coruſcum, Bremavio Patriarchæ legum ſuarum codicem Chaſter de nube tradidiſſe: quia videlicet Moſem a Deo ſic Legem in Horebo monte accepiſſe audiverant. Meropurbateum montem Meron eſſe ſuſpicor Indiæ montem, Nyſſæ proximum, hederis & vitibus conſitum, ab iis celebratum qui Bacchi res geſtas memoriæ commendarunt: nam & hinc ortum eum ferunt. Meros autem, quæ vox Græce *Femur* ſonat, occaſionem dediſſe creditur Græcis Bacchum e Jovis femore natum fingendi. Æque certe commentitius videtur ille mons Meros; ac Bacchi ortus: ſed tamen cum Bacchum conſtet Moſis eſſe effigiem, uti probatum eſt a nobis, eum ſibi ſub alio nomine aſciſcentes Indi, Meron quoque in fabulas ſuas tranſtulerunt. At fabulæ hujus de Baccho intra Jovis femur inſuto, longe aliam poſſumus & probabiliorem originem aperire, quæ & Bocharto in mentem venit. Vox ירכה non femur tantum, ſed rei etiam cujusque latus notat. Sic in libro Judicum: בירכתי הר־אפרים *In latere montis Ephraim.* Sed & voci μηρός, quæ vulgo *femur* ſonat, eamdem ſignificationem tribuunt Interpretes Septuaginta: vertunt enim ἐν μηροῖς ὄρους ἐφραίμ. Cum ergo aſcenſum Moſis in Horebum montem, diutinamque manſionem narrarent Ebræi, rem ita videntur expoſuiſſe: האלהים ובשש בירכתו אל תחר. Vel cum rei geſtæ hiſtoriam recte percepiſſet Græcus aliquis, atque his eam deinde verbis fortaſſe retuliſſet: ὅτι μοϋσῆς ἐνέβη εἰς τὸ ὄρος τοῦ θεοῦ, καὶ κεχρόνικε ἐν τῷ μηρῷ αὐτοῦ. Exiſtimavit incautus Lector μηρὸν θεοῦ (*femur Dei*) eſſe intelligendum; cum ſignificaretur μηρὸς ὄρους (*latus montis*;) cumque Moſem illic in foramine a Deo poſitum fuiſſe accepiſſet, intra foramen femoris ſui a Deo inſutum fuiſſe, vel ſibi perſuaſit ipſe, vel aliis perſuadere voluit. Tota hæc gens in certas tribus diſtincta eſt, quarum nulla eſt unquam per connubia, vel adoptiones, vel affinitates conſociatio: quippe ſic in duodecim tribus discretam Iſraeliticam gentem cognoverant; inter quas quemadmodum Levitica ſacris dedita eſt, ita apud illos ſacris procurandis Brachmanes vacant. Megaſthenis, accuratiſſimi rerum Indicarum ſcriptoris, qui Alexandri magni temporibus apud ipſos Indorum reges hiſtoriam ſuam concinnabat, verba ea repræſentat Clemens Alexandrinus, ex quibus intelligas veteribus Græcis, in iis quæ ad naturam pertinent, Brachmanes & Judæos fere conſentire. Itaque de mundi origine ea credidiſſe ipſos ex Megaſthene refert Strabo, quæ credenda eſſe Moſes docuit; a Deo videlicet conditum, ab eodem regi, & olim interiturum. Paradiſi terreſtris notiam habuiſſe eos, cognoſcitur ex colloquio Calani cujusdam cum Oneſicrito, quod refert Strabo. Portentificam ipſos virgam geſtaſſe teſtatur Philoſtratus; inſtar ſcilicet Moſaicæ. Veſtes olim ipſis geri ſolitas deſcribit Philoſtratus, non multum earum abſimiles, quas Judæorum Sacerdotes gerebant. Olei quoque unctione ad conſecrationem utebantur; & nudis pedibus incedebant, perinde ut Moſes cum ad rubum ardentem acceſſit. Decalogi præcepta vetuſtis literarum monumentis ſibi tradita retinent; ex quibus etiam literis futurum cognoverunt, ut omnes homines unicæ legis imperio contineantur. Præclare hæc intellexit Guliel-mus Poſtellus noſtras, cum ſcripſit in Commentario ad Jezirah, Brachmanes *ad hanc usque diem ſervare ſacra doctrinæ præcepta, in quibus eadem præſcripta habent, quæ & Moſes cœlitus accepit.* Prodidit ſupra memoratus Megaſthenes, Strabone & Arriano teſtibus, nefas eos habuiſſe vitiatam Deo aut mancam victimam offerre, & quamdam ſervaſſe legem talionis; quæ conſentanea ſunt præceptis a Moſe in Exodo & Deteronomio traditis: & lege apud eos cautum fuiſſe, ne Indus quisquam ſe daret in ſervitutem; quam legem a vetuſtis ipſorum Philoſophis

Megaſth. l. 3. Indic. ap. Clem. Al. l. 1. Strom.

Strab. l. 15.

Philoſtr. Apoll. l. 3. c. 4. & 5.

Strab. l. 15. Arrian. ind.

Exod. 21, 24 Deut. 15, 21.

Bochart. Chan. l. 1. c. 18.

Digitized by Google

Diod. l. 2. losophis latam esse Diodorus affirmat. Nempe ortum habuit ex hoc decreto Mosis in Le-
Lev. 25, 39. & seqq. vitico: *Si paupertate compulsus vendiderit se tibi frater tuus, non eum opprimes servitute famulorum, sed quasi mercenarius & colonus erit: usque ad annum Jubilæum operabitur apud te, & postea egredietur cum liberis suis, & revertetur ad cognationem, & ad possessionem patrum suorum: mei enim servi sunt, & ego eduxi eos de terra Ægypti: non veneat conditione servorum; nec affligas eum per potentiam, sed metuito Deum tuum.* Nunc etiam, dum peregrinantes matutinis horis ad iter se accingunt, Sacerdotes ipsorum perticam depangunt in terram, cujus summitas circumplicata est serpentis simulacro. Id venerantur singuli, & salutant: traducto nimirum more ex æneo serpente Mosis, vel ex serpente, a quo Eva decepta est. Secta quædam apud Indos est, in qua fratris defuncti uxorem frater superstes ducere tenebatur. Qui mos mere Mosaicus lege lata non ita pridem sublatus est. Atque hæ causæ fuerunt, cur ex decem tribubus ortos Brachmanes nonnulli crediderint.

tum & Coromandelensium. II. At non una est Indorum omnium Ethnicorum de rebus divinis sententia: nam sectæ sunt apud eos longe plures, quarum omnium discrimina notare nihil necesse est, De Coromandelensibus huc adjecisse quædam sufficiet. Hi quamvis a Guzarattensibus discrepent religione & moribus, non pauciora tamen retinent Mosaicæ doctrinæ vestigia: nam & ipsum quoque Mosem sub Annuræ nomine celebratum ipsis fuisse nonnulli arbitrati sunt. Deum unicum, mundi conditorem agnoscunt. Cassiopam a Bramma Dei filio genitum ferunt citra mulieris consortium, primum Brachmanum parentem fuisse, Diti uxorem duxisse, liberos alios pietate insignes & æquitate, alios impios procreasse; sic Adami, (quem & de nomine Bengalenses norunt) Evæ, Abelis, & Caini historiam adumbrantes. Ante orbem conditum nihil extitisse ajunt præter
Gen. 1, 2. Deum & aquam, propter illud Geneseos: *Et spiritus Domini ferebatur super aquas.* Gigantum fabulam ad sextum Geneseos caput expressam habent. Coram idolis suis saltant, itidem ut Ebræi coram vitulo aureo: quem tamen morem, ut verum fatear, videntur utrique ab Ægyptiis accepisse. Quemadmodum enim ritus plerosque hausere Ægyptii ab Ebræis, ita Ebræi vicissim ab Ægyptiis, apud quos diuturnam fecerunt moram, multos acceperunt. Indorum vero Ethnicorum, de quibus agimus, religio ab Ægyptiis fere, sed & a Persis, aliisque prodiit, qui institutis Ebraicis imbuti, eadem ipsis communicarunt. Porro sacra illa coram idolis saltatio invaluit apud omnes propemodum gentes, jam inde ab antiquis temporibus. Ad idola accedentes Brachmanes tintinnabulum gestant, instar tintinnabulorum summi Ebræorum Pontificis. Pueris aures perforant, quos in perpetuam servitutem Deo sunt mancipaturi; quo ritu, inter Ebræos, dominis suis servi in perpetuum se addicebant. Ex inextincto Ebræorum igne prodierunt lychni interdiu noctuque coram idolis Indorum ardentes. Puerperas & pueros a partu recentes immundos esse, atque hanc immunditiam aquis ablui rentur; tum pueris nomina paucis ab ortu diebus imponunt: quæ Ebræorum institutis omnia consentiunt. Incesta, & adulteria supremo supplicio sanciunt, juxta præscriptum Mosis. Solis Brachmanibus, itidem ut Levitis, patent interiora Templi, reliqui arcentur. Lustricis aquis lavantur utrique ad eluendas impuritates, & noxas expiandas. Morticinorum contactu sese pollui censent utrique. Cibaria idolis Brachmanes apponunt, instar Panum propositionis. Brachmanes puellas impuberes ducere tenebantur, quod & de summo Judæorum Pontifice scribunt Rabbini. Ritus nuptiarum apud Brachmanes perficitur oryza ter a sponso in caput sponsæ profusa: quod frumento profuso Judæi faciunt. Atque hujus moris imago fuisse videtur confarreatio. Brachmanibus & Judæis usurpatur mortuorum lavatio. Brachmanis cædes, itidem ut Judæi, peregrinationibus expiatur. Celebris est apud illos Merowæ montis mentio, de quo mira quædam narrant; quæ vox nomina Meropurbatei & Meri montium repræsentat, de quibus proxime egimus. Scribit præterea Rabbinorum doctissimus Maimonides, idolorum cultores Indos Adami & Evæ, vetitæ arboris, & serpentis fallacis historiam sua etiamnum ætate novisse. Verum, ne quid dissimulem, hæc Coromandelensium Indorum religio, multo videtur Guzarattensi recentior, utpote Judæorum

Maim. Meren. Part. 3. c. 29.

Digitized by Google

dæorum posterioris ævi institutis aliquot persperſa. Redolet quoque Christianorum doctrinam, vel olim a sanctis Apostolis Thoma & Bartholomæo, & deinde a Pantæno, aliisque ; vel ex Persarum Christianorum commercio acceptam. Nam Brammam quemdam Deo genitum, Deum inter & homines μεσίτην & sequestrum fingunt, eademque ipsi tribuunt quæ nos Christo. Summum Deum sub Christi nomine in mundum venisse ajunt, & Dæmonem totius orbis victorem debellasse, ejusque vinculis exemisse sexdecim captivarum puellarum millia, atque has subinde ipsius pulchritudine captas ei nupsisse ; quæ Christum animarum nostrarum vindicem, & inferorum domitorem apertissime repræsentant. Narrant iidem Gayazoram mundi peccata sustulisse, & a Deo deinde morti fuisse datum, sed ea tamen lege, ut qui corpori ejus massam, sive farinam coactam aqua & subactam imponeret, amicos defunctos vinculis tartareis liberaret. Quæ germanæ sunt & similia veteris illius calumniæ, a Cæcilio apud Minutium Felicem memoratæ, qua dicebantur Christiani infantem farre contectum iis apponere qui sacris imbuebantur, ut eum cæcis, occultisque vulneribus confoderent. Hæc autem sacrosanctum Eucharistiæ mysterium & sub specie panis delitescens Christi corpus non obscure adumbrant. Utcunque est, satis evincunt superiora vetustissimæ Indorum religionis architectis multum instrumenti ac copiæ Mosaicos libros suppeditasse.

III. Plurima quoque Mosaica a Brachmanibus magistris acceperunt Sinæ & Japonenses. Mosi consentiunt de Deo uno, qui nec videri oculis, nec animo comprehendi, nec simulacris exhiberi queat. Consentiunt de origine rerum, de Paradiso terrestri, de primo homine. Nec abludunt distinctiones & metationes temporum. Arbori, cui insidere Deum mundi conditorem putant, anguem circumplicant : sic nempe serpentem dolosum adumbrantes, qui Evæ verba dedit. Sodomæ & Gomorrhæ interitum traduxerunt in suà : pari causa, sceleribus nempe gentis : & pari exitu, cum magna urbs terræ hiatu hausta est, & lacus, quem Chin vocant, rudera contexit. Mosis a matre in fluvium missi ac deinde servati historiam usurpant. Mirabile ejus factum, cum aquas populo sitienti dare silicem jussit, tribuunt Leanghooio, exercitus Sinensis ductori, & adversus Tartaros bellum gerenti : tribuunt & seni alteri, qui terram baculo increpitam alio loco & tempore aquas fundere coegerit.

IV. Indi porro mysteriis Ebraicis per Ægyptiorum commercia, fortasse & Ebræorum ipsorum, videntur fuisse imbuti. Ebræos enim Arabicum, Persicum, & Indicum mare illustrasse persuadent navigationes jussu & auspiciis Salomonis in Ophir susceptæ. Nec enim putandum est, hoc fine ita ipsorum constitisse classes, ut non in alias quoque regiones excursus tentaverint. Manifesta extant in Promuntorii Comorinensis nomine Ebraicæ linguæ vestigia. Appellari id Rescomaran scribit Marcus Paulus : hoc est ראש כומרין. *Promuntorium sacerdotum Ethnicorum*, sive Brachmanum. Nam Benjamin Tudelensis כוהרים appellat præstigiatores sacerdotes, qui insulas Indicas colunt. Incolæ regionis Indiæ Tanguth filios suos redimunt ariete, quem & sacrificant ritu Ebraico, ut est apud eumdem Paulum. Ad eos nempe pervenisse videtur Mosaica lex de redemtione *omnis primogeniti*, *aperientis vulvam in filiis Israël*, *tam de hominibus*, *quam de jumentis* ; quorum quædam ove mutabantur. Ægyptios vero in Indiam plerosque confluxisse docent nos Historiæ. Narrat Diodorus Osirim ad Indos penetrasse, illic regnum per duos & quinquaginta annos tenuisse, præclara multa gentem rudem & incultam docuisse, urbes condidisse, leges posuisse, multasque in India passim Ægyptiorum colonias disseminasse : adeo ut posteriores Indi ortum Dei hujus patriæ suæ adscripserint, quem veteres ex occiduis partibus venisse dicebant. Nec me fugit hanc Osiridis in Indiam expeditionem, perinde ac illam Herculis, (quem itidem ut Bacchum, alii Thebanum, Ægyptium alii fuisse volunt) fabulosam & esse, & haberi ab Eratosthene, atque id a Strabone adversus Megasthenem egregie esse probatum. Causas quoque figmenti hujus perspectas habeo, quas & supra tetigi. Verumtamen malæ hæ & infabre cusæ fuissent fabulæ, nisi prisca gentis utriusque commercia colorem iis aliquem, forsitan & occasionem dedissent. Sed missis iis recurramus ad Historiam, unde cognoscimus

Qui factum, ut ad Indos Mosaica doctrina penetrarit.

Marc. Paul. l. 3. c. 43.

Marc. Paul. l. 1. c. 45. Exod. 13, 2. 13.

Diod. l. 1. & 2.

scimus Sesostrin totam Asiam, ad Indiam usque, maris Indici insulas, & terras mari finitimas imperio suo subjeciſſe: & longis navibus ex Arabico sinu profectum in Indiam perveniſſe: cognoscimus & in Indiam confugiſſe Ægyptios complures, cum Ægyptum Cambyses invasit. Multas quoque in India ditiones jam inde a priscis temporibus poſſederunt Arabes: quosdam etiam ad Indum fluvium collocat Dionysius Periegetes. Crebra quoque cum Indis Ægyptios agitaſſe commercia oſtendit iter ab Ægypto in Indiam a Plinio & Solino propoſitum, tanquam ſingulis annis ſolitum frequentari. Nec obſcura id probant argumenta. Velut utrorumque conſimilis opinio de mundo a Deo in ovi figuram condito; illa vaccarum reverentia, quam ab Ægyptiis eſſe profectam tradit Artapanus; duplex Indorum lingua, ut duplices Ægyptiorum characteres: Sinica ſcribendi ratio Hieroglyphicæ Ægyptiæ perſimilis, cujus apud utramque gentem egregia monumenta in ſpeluncarum ſaxis conſignata ſunt, myſtici quoque Indorum characteres, quorum ſpecimen ex Johanne Lucena exhibet Kircherus in Prodromo Copto: (quo libro, & longe fuſius Oedipi Ægyptiaci prima parte, Syntagmate quinto, demonſtrat Ægyptiacos ritus in Orientem permanaſſe;) Dei nomen utriusque prope idem, Thoth his, Tao illis; Pyramis quædam a Brachmanibus culta, & Dei cujusdam oſſa complecti credita, ut refert Clemens, Pyramidum Aegyptiarum inſtar; Pyramides item utrobique ſepulcris impoſitæ; gentis utriusque in certas tribus ac prope easdem diſtinctio, quas accurate adnotatas habes apud Strabonem, Diodorum, & Arrianum; lex utrisque poſita, qua non aliam artem condiſcere ulli licet quam paternam; ex inſtituto Seſonchoſidis, qui Seſoſtris eſt. Teſtis Dicæarchus quem laudat Scholiaſtes Apollonii; mulierum domi continendarum a Sinis uſurpata ratio, pedibus earum tam arcte ab infantia conſtrictis, & citra naturalem modum coactis, ut iis vix inſiſtere, ac ne vix quidem ingredi poſſint, Aegyptii inſtituti affinis, quo eamdem ob cauſam mulieres calceis omnino uti prohibebantur; veſtimentorum in utraque gente par ornatus, intextis ſerpentium figuris; magnum utrobique Chymicæ artis ſtudium; fabula de Phœnice ave utrobique jactari ſolita, quem Fung Sinæ appellant; dictione ex Occidente petita, ipſum quippe eſt Phœnicis vocabulum; par apud Aegyptios, Indos, Sinas & Japonenſes ſimilium idolorum, & in ſerpentium formam fere fabricatorum cultus; & præcipua omnia Pythagoricæ Philoſophiæ capita, quæ ab Aegyptiis fere Pythagoras acceperat, quæque Brachmanes pertinaciter ad hanc diem retinuerunt; potiſſimum vero doctrina Metempſychoſeos, quam primi Aegyptii tradiderunt, ut auctores ſunt Herodotus, & Clemens Alexandrinus, & a quibus profecta in Indiam & Sinenſes tractus manavit. In quo turpiter lapſus eſt Philoſtratus, qui doctrinam hanc a Pythagora inventam, Brachmanibus ab eo traditam, ab his in Aegyptum fuiſſe transmiſſam ſcripſit. Idola Japonenſes colunt bubulo capite, quædam canino, haud ſecus quam Aegyptii. Cum ait ergo Lucianus, primos omnium hominum Aegyptios Deorum habuiſſe notitiam, templaque iis ac lucos poſuiſſe, ſic intelligo, profani idolorum cultus & πολυθεότητα (*multorum Deorum cultus*) auctores Aegyptios extitiſſe; ab iisque plurimas gentes, Indos in his, eadem dogmata ac ritus accepiſſe. Optimis illi quidem ad colendum Deum ritibus a primis gentis ſuæ auctoribus, Noacho oriundis, olim fuerant inſtituti; quamobrem nulla olim in ipſorum templis ſimulacra viſebantur, uti neque apud Syros: quemadmodum ibidem Lucianus affirmat. Verum progreſſu temporis a priſtina pietate ad neſarias religiones deflexerunt. At vera religio penes Ebræos fuit; quam a Noacho, & deinde ab Abrahamo per manus ſibi traditam conſtanter retinuerunt. Sed hæc uberiorem ſibi tractationem depoſcunt.

Plin. l. 6. c. 23. Solin. c. 54. Artapan. apud Euſ. Præp. Ev. l. 9. Clem. Alex. Strom. 3. Strab. l. 15. & 17. Diodor. l. 1. & 2. Arrian. Indic. Apollon. Schol. Arg. l. 4. v. 272. Herod. l. 2. c. 123. Clem. Al. Strom. l. 3. & 6. Philoſtrat. Vit. Apoll. l. 3. c. 6. Lucian. de Dea Syr.

CAPUT SEPTIMUM.

I. *Moſes a gentibus ad Septentrionem & Occaſum poſitis agnitus & cultus: a Thracibus,* II. *Germanis,* III. *Gallis,* IV. *Britannis,* V. *Hiſpanis,* VI. *& ipſis etiam Americanis.*

CAeterum Theuthi illius, ſive Mercurii Aegyptii, de quo dixi, quemque jam Moſem credere licet, cultus apud exteras gentes ita propagatus eſt, ut inter Thraces, Germanos, Scythas, noſtrates Gallos, & ipſos quoque Britannos, ac Hiſpanos ſummum numen habitus ſit. De Thracibus teſtis *Moſes a gentibus ad Septentrionem & Occaſum poſitis agnitus & cultus a Thracibus,*

Digitized by Google

Herod. l. 2. c. 30. & l. 5. c. 7. stis locuples Herodotus, qui non popularem apud eos Deum esse Mercurium ait, sed Regum tantum, qui summis illum religionibus colunt, & cujus solius numen jurant, seque ab eo prognatos ferunt. In mediis quidem Bosphori Thracii angustiis Mercurii fanum in

Polyb. l. 4. rupe visebatur, Polybio teste. Erat & in Bithynia Thraciæ proxima, & trans Bosphorum posita, locus ἑρμοῦ δόμοι *(Domus Mercurii)* dictus, non ab Hermo Athenienſi nescio quo, Thesei socio, ut vult Plutarchus,

Plutarch. Theseo. sed a Mercurio ipso, ut Pythopolitæ in vicinia siti asseverabant. Commemorat Arrianus simulacrum Mercurii ad oram Ponti Euxini positum; fluvium Isidis, non longe a Phasíde; & portum Isiacorum. Erat & Lampsáci simulacrum Priapi, quem Mosem esse ostendam, & navigationibus præerat, ob mare Rubrum a Mose cum copiis feliciter transmissum. In Imbro etiam, Thracica insula, colebatur Mercurius, alio nomine Imbramus dictus; unde & Imbrus insula nomen habuit. Scriptum id reliquit Eustathius ad Dionysium Periegeten: ἡ δὲ Ἴμβρος, inquit, θρᾳκικὴ μέν ἐστι νῆσος, ἱερὰ καβείρων τῶν δευτέρων· ὀνομα δὲ ἔσχηκεν ὅτι κάβειροι. Ἵδρυτο δὲ ἐντεῦθι τῶν ἑρμῆς, ὃν Ἴμβραμον λέγουσιν οἱ κᾶρες, ὡς ἐν τοῖς ἰδίοις ἐπεγράφετο· *Imbrus Thracica insula est, sacra & ipsa Cabiris. Cabiri autem Deorum nomen est. Ibidem colebatur & Mercurius, quem Imbramum Cares appellant, ut scriptum extat in Ethnicis.* Stephani Ethnica intelligit, in quorum Epitome quæ supereſt, verba hæc reperias: Ἴμβρος, νῆσος ἱερὰ καβείρων τῶν ἑρμοῦ, ὃν Ἴμβρον λέγουσι μάναρες *Imbrus, insula Cabiris & Mercurio sacra, quem Imbrum Beati appellant.* Ultra emendatior scriptura, Stephani, an Eustathii, statuere promtum est. Cares quippe Lemnum occupasse scribit Cornelius Nepos, unde facilis conjectura est, nec a vicinis locis abstinuisse. Ergo Stephanum sic emendabis ex Eustathio: ὃν Ἴμβραμον λέγουσιν οἱ κᾶρες· *Quem Imbramum appellant Cares.* Quod & alii e priscis scriptoribus confirmant. Nos autem in Imbrami vocabulo, Amrami, qui fuit Mosis pater, nomen perspicue agnoscimus, cui euphoniæ gratia b insertum est. Sic in Gallicis vocibus, *chambre, nombre*, ex *camera & numerus*; sic in γαμβρὸς, ex γάμος in μεσημβρία, ex μεσημέρια. Itaque Septuaginta Interpretes Ebraicum nomen ממר reddiderunt Ἀμβρὰμ, quemadmodum legendum quoque est in exceptis Demetrii, quæ repræsentat Alexander Polyhistor apud Eusebium; non uti legitur in vulgatis codicibus, Ἀβραάμ. Ex Ἀμβρὰμ vero manifesto fecerunt Cares Ἴμβραμον. Patrum autem nomina filiis aliquando tribuisse Aegyptios supra ex Josepho probavimus. Itaque Moses patris Amrami nomen tulit, & ab eo Imbrus insula nomen traxit. Ex Aegypto autem Amrami & Mosis notitiam Cares & Jones attulerunt, jam inde a Psammitichi ævo; quo Aegypti regnum tenente, sedem ipsos in ea regione fixisse Herodotus memoriæ prodidit: vel ad eos intulerunt Phœnices, cum patria relicta Bithyniam, Thraciam, & finitima loca duce Phœnice; Rhodum quoque, & vicinas regiones, Cadmum secuti insederunt. Clare id intelligas ex Diodoro. Sed & alias illuc venisse Phœnicum colonias ostenditur ex Ergea Rhodio apud Athenæum, & Conone apud Photium, & aliis. Igitur in Rhodi vicinia loca de Phœnicum nomine appellata agnoscunt Ptolemæus, & Stephanus; & Cariam Phœnicen fuisse dictam docet nos ex Corinna & Bacchylide Athenæus. Sed & Pamphyliam ac Pisidiam Cariæ vicinas regiones Plutarchus Phœnicen appellat; & vicini Solymi Φοίνικον ὄρος nuncupantur a Quinto Smyrnæo, & Phœnicio genere prognati a Chœrilo prædicantur. Quid quod & Samum Jonicam ab Amramo quoque nomen traxisse veri haud dissimile est? ab Imbraso siquidem fluvio, cui & Parthenio nomen fuit, Imbrasiam esse dictam tradit Strabo. Nam vocem Amram ad nominum suorum formam flectentes Græci dixerunt Ἄμβρας & Ἴμβρας. Ut pro Adam & Abraham, Adas & Abrahas. Ab Ἴμβρας prodiit Imbrasus. Sed & Imbrum quidam e veteribus appellant. Samum autem Jonicam frequentibus Phœnicum commerciis fuisse frequentatam satis superque a Bocharto probatum est. Huc facit & Serapidis Templum, quod in Thracia extitisse Polybius perhibet; cujus Dei effigiem ex Ponto accivit Ptolomæus Lagides: facit & Liberi, quem Mosem esse probavimus, receptus apud Thraces cultus, & a Poëtis tantopere celebratus: facit & Vulcano, qui Moses quoque est, honos in Lemno Thracica insula habitus: in qua & Mercurii montem ponit Aeschy-

Euseb. Præp. l. 9. c. 21.

Herod. l. 2. c. 61. & 152. & 154. & l. 7. c. 11.

Diod. l. 5.

Athen. l. 8. Phot. Tim. 186.

Ptol. l. 5. c. 2.

Athen. l. 8. Stephan. in Ἄτυρα & Φοίνικα. Plutarch. in Alex. Quint. Chœril. apud Joseph. l. 1. contr. Apion. Smyrn. l. 1.

Strab. l. 10. & 14.

Corn. Nep. in Miltiad.

Boch. Chan. l. 1. c. 8.

Polyb. l. 4.

Æsch. Agam. v. 291. Apoll. Sch. l. 1. Argon.

Aeschylus. Adde mysteria Cabirorum, non ex Phrygia profecta, nec a Cabiris Phrygiæ montibus, quod tradit Apollonii Scholiastes, vel potius Scholiastæ; (erudita hæc enim & optima Scholia, Lucilli, Tarrhæi, Sophoclei, & Theonis, doctissimorum Grammaticorum esse docet Aristophanis Scholiastes:) sed e Phœnicia. Beryti enim cultos fuisse discimus ex Sanchoniathone, & Damascio. Unum autem e Cabiris fuisse Bacchum prodit idem Scholiastes Apollonii, unum quoque ex illis fuisse Mercurium asseverat ex Dionysodoro. Horum vero fratrem fuisse Aesculapium narrant Philo Byblius ex Sanchoniathone & Damascius apud Photium. Atqui Serapidem, Bacchum, Mercurium, & Aesculapium, unius Mosis simulacra fuisse partim jam vicimus, partim infra vincemus. Itaque mera Mosis mysteria in Cabirorum mysteriis delitescere credendum est. Recepta autem ea fuerunt, & in Imbro, ut ex Stephano & Eustathio docuimus; & in Lemno ut habet Hesychius; & in Samothrace, quæ Thraciæ insulæ sunt, ut Veteres testantur. Delata fuisse & ad Tyrrhenos a Cabiris ipsis fratribus scribit Clemens Alexandrinus. Delata & ab Aenea in Italiam fuisse colligitur ex ejus narratione apud Virgilium:

Aristoph. schol Nubib. Sanchon. apud Euseb. l. 1. Præp. Evang. Damasc. apud Phot. Cod. 242. Apoll. Sch. l. 1. Argon. Eul. Præp. l. 1.

Hesych. in Κάβειροι. Clem. Al. Paræn.

Virgil. in Æn.

Feror exul in altum
Cum sociis, natoque, Penatibus, & Magnis DIs.

Magni Dii sunt Dii Cabiri, hoc est כבירים, sic dicti a כבר, quod Ebraice & Arabice significat, *magnus fuit; potens fuit.* Unde in Augurum libris *Divi potes* appellabantur, θεοὶ δυνατοὶ in Samothrace, ut est apud Varronem: θεοὶ μεγάλοι διδυμαῖοι κάβειροι, *(Dii magni Dioscori Cabiri)* ut habet Vetus Marmor apud Gruterum. Aliud apud eundem CASTORI ET POLLUCI DIIS MAGNIS. Pervenisse ea & ad insulam usque Britanniæ finitimam tradit Artemidorus. Quin & Samothracen ipsam, prius Leucosiam, deinde a Sao Mercurii & Rhones filio Samum fuisse dictã docuit Aristoteles in Samothraces Republica, ut legitur apud Apollonii Scholiasten. Samon appellatur a Dionysio Halicarnasseo. Ubi & Mosem denuo in Mercurio agnoscis. Et vero cum Josaphatus & Ochazias, hic Israelis rex, ille Juda, inita simul societate commercia subinde cum Thracibus & Ponti accolis agitaverint, ut refert Josephus, vel inde Mosem & Amramum noscere potuerunt. Verum igitur est, quod probandum suscepéram, Mosis famam, & cultum ad Thraces quoque penetrasse.

Varr. de R. R. l. 4. Gruter. Inscr. p. 315. 98. Artemid. apud Strab. l. 4. Apoll. Sch. l. 1. Argon. Dion. Halic. c. 1.

Joseph. Antiq. l. 9. c. 1.

II. De Germanis illustre est Taciti testimonium, quo præcipuos in illis honores Mercurium occupasse docet. Tum addit: *Pars Suevorum & Isidi sacrificat. Unde caussa & origo peregrino sacro, parum comperi, nisi quod signum ipsum in modum Liburnæ figuratum docet advectam religionem.* Unde vero advectam? nempe ex Aegypto ubi Isis colebatur, per Euxinum Pontum, atque inde per Danubium in Suevos, & ex illis in reliquam porro Germaniam. Atque inde fortasse est; quod in veteri Calendario apud Gruterum, inter festos dies notatur Isidis navigium. Certe ad fontes Danubii penetrasse Aegyptios Osiride duce testatur Diodorus, Herodotus vero duce Sesostri Scythas & Thraces subegisse, in eorum regionibus trophæa statuisse, perveniisse ad Phasim, & in Colchide partem exercitus reliquisse; at Eustathius Osirin aratri usum docuisse Tauros Scythicam gentem. Alio postea nomine Germanos appellasse Mercurium observat Paulus Diaconus, & Wodan, seu Gwodan dixisse. Id autem ex Mosis doctrina habuerunt, quod non ex DEI magnitudine esse censerent, in ullam eum humani oris speciem assimilari. Itaque statuas Deorum non habebant; imo ne templa quidem. Auctor idem qui superiorum Tacitus. Quanquam templa extiterunt aliquibus in locis, vel posteriori certe ævo excitata sunt. Proxima his erant ingentia labra, instar ænei illius labri a Mose conflati. Tempora noctium computabant, non dierum, perinde ut Galli: ex Mose, ut videtur, qui noctem die antiquiorem posuit. Sortes ducebant ex virgis: an ab illa Aaronis, quæ inter cæterarum tribuum virgas sola floruit? Ciborum mundorum & immundorum discrimen nunc quoque observant Moscovitæ. Quid si dicamus Germanorum vocabulum sapere Mosaicum aliquid? Scimus quidem ex Tacito Germanicæ id esse originis. An ab *Herman?* Tam enim ab *Herman* duci potest *Germanus*, quam e Latino *Germanus* ductum est Hispanicum *Hermano*. *Herman* autem item est ac *Irmin*, quod nomen in hac gente Mercurius quoque est,

Germanis, Tacit. de mor. Germ.

Gruter. Inscript. p. 138.

Diod. l. c. Herod. l. 2. c. 103.

Eustath. in Dion. Per.

Paul. Diac. de gest. Long. l. 1. c. 9.

Tacit. de mor. Germ. c. 2.

Digitized by Google

est, dicti sunt Theuthoni, sic ab Herman dicti sunt Germani. Hinc & nomen Herminii, ut ex Theuth nomina propria pleraque conflata sunt; quod mox sumus dicturi.

Gallis,

III. Ex Germania videtur in Galliam demum transiisse idem cultus Mercurii. Gallos eadem de Mercurio ac Græcos sensisse perhibet Cæsar: *Deum*, inquit, *maxime Mercurium colunt: hujus sunt plurima simulacra; hunc omnium inventorem artium ferunt; hunc viarum atque itinerum ducem; hunc ad quæstus pecuniæ, mercaturasque habere vim maximam arbitrantur.* Ad utrosque autem, Gallos dico & Germanos, Theuthi quoque appellatio penetravit, unde & hi Theuthoni dicti, & plurimi ex iis sibi hinc nomina fecerunt, velut Theutha nobilis illa Illyriorum regina, Teutobochus, Theodobaltus, Theodomannus, Theoceballus, Theodebertus. Scio Aventinum nominum illorum originem repetere a *Dieths*, vocabulo antiquo linguæ Germanicæ, quod *divitias, officium*, & *facinora præclara* significat; Grotium vero a *Theud*, quod *populum* sonat; sed verisimilior est originatio nostra, & doctorum virorum suffragiis comprobata. Dani, & ad Septentrionem positæ gentes Germanicæ propaginis, *Tiis* Mercurium appellabant, Angli *Teves*. Testes Monumenta Danica Wormii. Galli vero Teutaten supremum Deum venerabantur, & sanguine humano placabant. Nomen fortasse compositum ex *Theuth* & *Thaith*. *Thaith* Armorica lingua & Britannica veteri, quæ valde affines sunt, & prope eadem, & quarum utramque a veteri Gallica manasse eruditi sciunt, *viam* significat. Ita ut *Theuth taith*, sive *Teutates*, idem sonet ac *Deus viæ*, sive Ἑρμῆς, quod unum esse diximus ex cognomentis Mercurii. Hoc nominis etymon debemus Camdeno. Arcessere id quoque possumus ex vocibus *Theuth* & *Tat*, quæ postrema dictio patrem notat eadem Celtica veteri lingua, & dialectis quibusdam Germanicæ veteris, ac si *Mercurium patrem* dixisses, ut Romani dixerunt Diespiter, sive Jupiter, & Marspiter. Insigne præterea Aegyptiacæ religionis ad Germanos & Gallos propagatæ monumentum, e sepulchro Childerici Francorum regis Tornaci effossum ante aliquot annos, hodie visitur in Bibliotheca Regia; bubulum nempe caput auro effictum, Solis imagine in fronte notatum. Hæc erat scilicet Apis Aegyptiorum Dei effigies, cui Solis symbolum inerat, ut Macrobius docet. Et ne quis Apim esse nesciret, adjectæ fuerant apes aureæ plusquam trecentæ, ut ex harum nomine nomen illius intelligeretur. Nam cum ex putrefactis boum visceribus nasci apes magno consensu veteres tradiderint, patrium illis nomen fuisse inditum verisimile est; & quoniam ex Api, qui bos est, ortæ sunt, Apes esse dictas, & quasi patronymicum nomen tulisse. Quod vocis hujus etymon longe probabilius est, iis omnibus, quæ adhuc lata sunt. Boum autem capita ab Aegyptiis esse culta docet Octavius apud Minutium Felicem. Penetravit in Græciam ille ritus: narrant enim peregrinatores, in Melo insula etiamnum extare ingentem aram marmoream, bubulis capitibus exornatam. Indi etiam, qui bovis cultum acceperunt ab Aegyptiis, & ad hanc diem retinuerunt, capita bubula vexillis suis appingunt. Quin etiam simulacrum illud aureum ab Aarone conflatum, ab Israelitis adoratum, non vitulum, sed vituli caput fuisse sanctorum Patrum plerique affirmarunt; Tertullianus, Lactantius, Optatus, Hieronymus, alii. Atqui ritum hunc ab Aegytiis sumserant Ebræi, & id agebant quod agentes eos viderant, bubulum nempe caput colentes. Sed & traditum est a Plutarcho, Cimbros, qui Celtoscythæ erant, cum Italiam infestis armis adorirentur, taurum æneum, Aegyptiacæ haud dubie originis Deum, sic tanquam præsens numen circumtulisse, per eumque, si quando res posceret, jurasse; atque hunc tandem, profligato Barbarorum exercitu, in Lutatii Catuli Imperatoris domum, quasi victoriæ primitias, fuisse illatum. Notabo & id obiter, vocem quoque Theuth usurpasse Græcos, & in Θεὸς recoxisse: plerosque enim Græcorum Deos ex Aegypto esse allatos scire licet ex Diodoro, & ex iis quæ diximus. Ex Θεὸς autem Græco, prodiit Latinum *Deus*.

Cæs. de bell. Gall. l. 6.

Avent. Nomencl. præfix. Ann. Boior. Grot. in Hist. Goth.

Worm. Mon. Danic. l. 1. c. 4.

Camd. Brit. p. 13.

Tertull. adv. Jud. c. 1. Lact. l. 4. c. 10. Opt. Mil. l. 3. Hieronym. in Ose. 4. Plut. in Mario.

Diod. l. 1.

IV. De Britannis vero nihil est cur dubitemus affirmare receptum fuisse inter eos cultum Mercurii; cum Gallorum sacra apud eos fuisse deprehensa Tacitus testetur, & pluribus demonstrari possit. Liberi etiam Patris cultum, ac ceremonias apud Amnitas Britannicam gentem, magno apparatu celebratas fuisse

Britannis,

Tacit. in Vit. Agric.

Digitized by Google

fuisse tradit Dionysius Periegetes. Liber autem, Moses ipse est. Samothracum quoque mysteria, in quibus delituisse Moses, in insulam Britanniæ proximam trajecisse narrat Strab. l. 4. Artemidorus apud Strabonem, ut dixi.

Hispanis, V. Necsum animi dubius Gallis in Teutate colendo, sicut in aliis plerisque, Hispanos consensisse: non quod prope Carthaginem Novam tumulus extiterit, qui Mercurii Teutatis diceretur, ut vulgo creditur: sed quod apud Livium, qui rei hujus auctor jactatur, mentionem tantum fieri *tumuli Mercurii* fidem faciat emendatissima Gronovii editio; & quod magno numero Celtæ confluxerint in Hispanias, illucque mores suos ac religionem intulerint, sedibusque in ea positis Celtiberi dicti fuerint.

& ipsis etiam Americanis, VI. Observatione quoque dignum existimo, quod nonnullis fortasse leve videbitur, Mexicanos Deum lingua sua *Teutl* appellare: unde factum nomen *Teutlille*. A Theuth Ægyptio venisse dictionem hanc affirmare vix ausim, vereor enim hominum judicia. Sed tamen notum est quid de vasta illa & uberrima Atlantici maris insula, multorum dierum navigatione a Gadibus dissita, a Pœnis reperta, & magna cautione celata scripserint Diodorus, & Auctor Mirabilium quæ Aristoteli adscribuntur. Hoc si sit, uti esse fertur, ex Taauto Phœnicum, a quibus ortum & religionem Carthago habuit, & ex Theuth Ægyptiorum prodiisse Teutl Mexicanorum & ex horrendis illis Phœnicũ & Carthaginensium sacrificiis, quibus homines immolabantur, extitisse similia illa Mexicanorum, aliorumque Novi Orbis incolarum, vehemens suspicio est. De Americanorum originibus totis jam voluminibus ventilata est & excussa quæstio. Mihi quidem semper verisimile visum est, sive priscorum Phœnicum, sive Carthaginensium naves freto Gaditano digressas, sive alias ex Europæ & Africæ oris ad occasum devexis solutas, Austrum versus processisse, quo sæpissime illas commeasse ex antiquis historiis satis constat: cum autem pervenissent intra Tropicos, & ventos illic secundos ab ortu in occasum perpetuo flantes, & mare eodem cursu incitatum nactæ essent, sese mari & vento permisisse, & in Americam expedita & commoda navigatione appulisse; ac invitatas postmodum ubertate terræ, sedes illic fixisse: cum præsertim difficilior esset regressus; nam venti in ortum ferentes ab occasu, circa septimum tantum & vicesimum ab Æquinoctiali gradum pedem figere erant; illic enim fere flant: quanquam extra Tropicos magna est ventorum inconstantia. Nullam itaque itineris sui notitiam antiquo Orbi, unde venerant, dare potuerunt; vel si forte dederunt, temporum deinde lapsu aut casu aliquo, aut hominum negligentia commercium omne intercidit. Quemadmodum florens olim Norvegos inter & priscos Grœnlandos societas, & ratio negotiorum, gravissima demum pestilentia ita soluta est, ut ejus etiam obliterata sint vestigia. Sententiam nostram apprime confirmat tradita a laudatis scriptoribus, Francisco Lopezio a Gomara, Josepho a Costa, & Garcilasso a Vega opinio, viam in has oras instituisse Christophorum Columbum, Hispani cujusdam navarchi indicio, cui nomen Alphonso Sanctio ab Huelva. Hunc ajunt in Canariis, & Azoribus commercia agitantem, vento abrepta navi, ad longinquas terras & ignota litora appulisse, & reditus demum explorata via ac reperta Maderam pervenisse; & Columbo, quem forte illic nactus erat, domi benigne & liberaliter exceptum, navigationis suæ commentarios & ephemerides, sic tanquam hospitalitatis munus, ipsi moriens reliquisse. Quod igitur Sanctio contigit, hoc ipsum jam aliis prius contigisse credibile est. Astipulantur sententiæ eidem, plurimæ apud Americanos priscarum antiqui Orbis religionum & rituum notæ. Diluvium norunt, unicam familiam servatam, linguas multiplicatas. Canadenses post Diluvium ajunt orbem fuisse reparatum a Mesou, hoc est Messia. Iidem, & alii quoque, Abelis & Caini casus fabulis adumbratos habent. Circumciduntur Mexicani infantes, Jucatanenses, & alii. Ignem perpetuum & inextinctum servant Mexicani: quod a Mosis lege profectum diximus. Quo loco Dæmonis sui responsum acceperant Mexicani venefici, illic ara lapidea ab iis extructa est: quod prius fecerat Jacob post oblatam sibi Dei speciem. Sacrificia illic humana, ut dixi, ex Pœnorum institutis. Sanguinem suum per membrorum incisuras fundunt; quemadmodum Prophetæ Baalis, Eliæ temporibus. Jubilæum celebrant quinquagesimo quoque recurrente anno, & Sabbathum septimo quoque die.

Gomar. Hist. Indic. l. 1. c. 17. A Costa Hist. Indic. l. 1. c. 19. Garcil. Hist. Ynca. l. 1. c. 3.

Inter-

Digitized by Google

Inter Deos ſuos Mammonam ponunt Hiſpaniolenſes. Neomenias etiam obſervant Caraibæ, & renascentem Lunam, ut buccinæ clangore Judæi, ſic magnis clamoribus celebrant & ſalutant. Quidam etiam Americani feſtivitates tubarum ſonitu indicunt. Iidem porcina abſtinent, & adipe, multisque animalibus, quæ lege Moſis immunda habentur. Alii urſinum adipem adolent, & cœlo offerunt. Apud Peruvianos fiunt quædam agnorum ſacrificia, Moſaicis pacificorum ſacrificiis conſimilia. Eſt & apud illos quiddam Paſchæ ſimile, cum limina domorum farina ſanguine diluta tingunt. Narrant illi Solem, cum liberos ſuos Mancocapacum & Coyam Mammam ad manſuefaciendos gentis ſuæ mores mitteret, virga aurea inſtruxiſſe, monitos ut quo loco eam deſtituere poſſent in terram, illic imperii ſedem ponerent. Quo Moſaicæ virgæ mirifica vis exprimitur. In America Boreali ſecedunt, ſeque vulgo ſegregant menſtruales mulieres. Ad impetrandas & promerendas puellarum nuptias voluntarium famulatum ſoceris exhibent proci, ut Labani Jacob. Apud Mechoacanenſes, qui cadaver hominis attigit, corpus abluit. Peruviani, Guatimalenſes, & Novæ Hiſpaniæ incolæ fratrum defunctorum uxores ducere conſueverunt. Apud Hiſpaniolenſes defuncti mariti agnato nubit vidua. Caraibæ cognatas ex inſtituto ducunt. Iidem fratres appellant patrueles. Captivas etſi ducunt & uxores habent, tondent tamen, reliquis uxoribus comam promittentibus. Matrimonium contrahunt Peruviani per alligationem calcei, quem ſponſæ pedi vir obducit. Id a lege Moſis non valde diſcrepat, qua vidua fratrem viri ſui ſine prole defuncti, matrimonium ſecum contrahere recuſantem, calceo exuit. In Nicaraga immundæ habentur feminæ recens enixæ: cum quibus & congredi nefas alii eſſe ducunt. Hæc Moſaicam doctrinam ſapiunt. Quin & voces illic audiuntur Ebraicæ. Sacerdos Mexicanis dicitur. Quin, quod eſt כהן: vir magnus & potens Melinx, quod eſt מלך: Reparator orbis poſt Diluvium Canadenſibus dicitur Meſou, quod eſt משה: Caraibis princeps eſt Sacchus, uti rex Perſis, quod eſt שך. Aliquos etiam poſterioribus temporibus e noſtro Orbe illuc commeaſſe oſtendunt quamplurima Chriſtianiſmi indicia illic reperta: oſtendunt & Auguſti Cæſaris numismata illic effoſſa; & vocabula quædam mere Latina. Nec enim uni alicui ætati, vel uni cauſſæ, unisve auctoribus regionum illarum explorationem aſſignandam puto. Quod illic effecerunt venti intra Tropicos perpetuo flantes ab ortu, idem alibi tempeſtas præſtare potuit; cujusmodi ea fuit quæ Luſitanos primum detulit in Braſiliam. Tempeſtate in Fortunatas inſulas abreptos primum fuiſſe Phœnices, cum oram Auſtrinam Africæ legerent, atque illuc deinde contendiſſe Tyrrhenos & Carthaginenſes, proditum eſt a Diodoro. Hoc ipſum caſus alter alibi, alibi vicinitas potuit efficere. Quid ſi novum Orbem, alicubi vel hærere veteri dicamus verſus Septentrionem, vel hæſiſſe; ſed Oceani ingruentibus undis olim convulſum diſſiluiſſe; quod de Sicilia fertur, & de Britannia non abſurde credi poteſt, & de aliis plerisque inſulis jactatur, & in terris mari adjacentibus non raro contingit? tum vero manifeſta erit cauſa; qui feræ omnis generis & pecudes illuc transmigrare potuerint. Atqui id ita eſſe credunt multi, & cur credant cauſas afferunt multas & non abſurdas. Quoniam vero Africanis Guineenſibus & Angolanis, qui intra Zonam Torridam degunt, commodiſſimus fuit in Americam trajectus, multos inde transmiſiſſe, & Peruvianæ fortaſſe genti, per Amazonum flumen navigantes, ortum dediſſe exiſtimo. Carent enim utrique literis & ſcriptura; funiculos autem diverſicolores certis nodis diſtinctos adhibent ad computos utrique; quod & ad Sinas tranſiit. Solem etiam & Lunam utrique adorant; & utrorumque reges Sole ſe ſatos gloriabantur; Amazonas quoque America habet perinde ut Africa. Nam cum Africæ interioris incolis commercia habuerunt Æthiopes ad occaſum prope Oceanum ſiti. Atrum autem colorem per frequentia connubia cum albis hominibus illic repertis, perque aeris mutationem, ſubinde fuiſſe dilutum reor: quod & aliis eveniſſe notum eſt. Sed & in aliquibus Americæ locis homines nigros repertos eſſe ferunt. Multa huc adderem, ſed ea ſunt præter inſtitutum.

Diodor. l. 5.

CAPUT OCTAVUM.

I. *Græci Moſaicam doctrinam infinitis fabulis obduxerunt.* II. *A Cadmo & Danao Moſis notitiam*

Digitized by Google

notitiam habuerunt. III. *Apollo, idem ac Moſes.* IV. *Pan, idem ac Moſes.* V. *Priapus, idem ac Moſes.* VI. *Æſculapius, idem ac Moſes.* VII. *Prometheus, idem ac Moſes.* VIII. *Cecrops, idem ac Moſes.* IX. *Minos, idem ac Moſes.* X. *Explicatur 1. Mach. 12, 21. in quo agitur de Judæorum & Spartanorum germanitate.* XI. *Perperam locum hunc interpretatus eſt Joſephus.* XII. *Rhadamanthys, idem ac Moſes.* XIII. *Æacus, idem ac Moſes.* XIV. *Proteus, idem ac Moſes.* XV. *Perſeus, idem ac Moſes.* XVI. *Moſes inter aſtra relatus, & Libræ geſtandæ adhibitus.* XVII. *Ariſteus, idem ac Moſes.* XVIII. *Muſæus, idem ac Moſes.* XIX. *Orpheus, idem ac Moſes.* XX. *Linus, idem ac Moſes.* XXI. *Amphion, idem ac Moſes.* XXII. *Eumolpus idem ac Moſes.* XXIII. *Tireſias, idem ac Moſes.*

Græci Moſaicam doctrinam infinitis fabulis obduxerunt.

I. PRogrediamur nunc ad Græcos, memoriæ veteris & hiſtoriæ priſcæ ac veræ adeo ignaros atque rudes, ut Ægyptius ille Sacerdos, cum quo in urbe Sai diſſeruiſſe Solonem narrat Plato in Timæo, & cui Pateneit nomen fuiſſe ſcripſit Proclus, merito ei objecerit numquam ſeneſcere Græcos, nec pueros eſſe deſinere. Hanc doctrinæ Græcanicæ novitatem multis comprobat Joſephus in Diſſertationibus ſuis adverſus Apionem; & Legislatores omnes Græcorum, præ Moſe, novellos eſſe oſtendit; ita ut ne Legis quidem Græcum nomen apud Homerum reperiatur. Cum enim Græci primævæ rerum originis notitia aliqua a Phœnicibus, & Ægyptiis eſſent imbuti, a quibus & univerſos homines Theologiæ ſuæ principia petiiſſe aſſeverat Philo Byblius, & egregios Moſaicæ diſciplinæ ſatus ab iis accepiſſent, hæc puerilibus fabulis ad ſua tempora & ætatis ſuæ homines accommodatis ita implicuerunt, quas nova ſubinde figmentorum acceſſione conſequens ætas cumulavit, ut veritatem extinxerint pene totam, in denſiſſimas certe tenebras demerſerint. Id in ipſorum Theogonia potiſſimum obſervare licet, cujus cum præcipua capita foris nata eſſent, & extrinſecus quæſita, magnam tamen ejus partem ab Homero & Heſidio fuiſſe excogitatam Herodotus confeſſus eſt. Simile quidpiam apud Phœnices eveniſſe refert Philo Byblius, quibus poſtquam in Taauti, hoc eſt Moſis, & Sanchoniathonis libris, prima mundi exordia tradita fuiſſe dixit, & veræ Theologiæ poſita fundamenta, merito queritur deformata hæc eſſe a recentioribus, & tanta mendaciorum vanitate infuſcata, ut veritatem jam inde eruere difficile ſit. Neque tamen ita ſunt eraſa apud Græcos veri veſtigia, ut non in fabulis illorum, ſi quis attendat, Moſaica doctrina, & nonnunquam etiam ſententiæ ac verba emineant. Occuparunt hoc argumentum, ac pene jam exhauſerunt Joſephus, Juſtinus, Clemens Alexandrinus, Euſebius, aliique complures, antiqui juxta & recentes, ut in probanda re jam ſatis probata ſuperfluus omnis labor videri poſſit. Quoniam tamen illud eſt diſputationis hujus, temperare mihi non poſſum, quin aliqua afferam, unde appareat priſcas fabulas, quibus nihil habent Græci antiquius, & quæ Deos ipſis quos colerent, totamque religionem ſuppeditarunt, e Moſis ſcriptionibus prodiiſſe; vereque Moſem a Tatiano eſſe dictum barbaricæ omnis ſapientiæ auctorem; cum præſertim nova aliqua & ab aliis nondum obſervata huc conferre mihi poſſe videar.

Proclus in Tim.

A Cadmo & Danao Moſis notitiam habuerunt.

II. Ac primam quidem Moſis cognitionem a Cadmo & Danao veriſimile eſt Græcos accepiſſe: quorum ille, juxta nonnullos Ægyptius Thebæus, juxta plures ac pene omnes Phœnix, cum eſſet Moſis æqualis, & a Joſua una cum aliis Phœnicibus plerisque patria pulſus veniſſet in Græciam, ejus incolas rudes & barbaros ad meliorem cultum traduxit, in urbes coegit, literis imbuit & doctrina, Moſemque inter Phœnices ſuos rebus præclare geſtis celebrem apud eos prædicavit. Per idem tempus in Græciam quoque profugus appulit Danaus Ægyptius, multaque, ut credere par eſt, de virtutibus Moſis genti ſuæ nimium cognitis commemoravit. Factum idem ſubinde ab illis, quos ex utraque regione in Græciam varii caſus intulerunt. Cum his igitur præconibus Moſis fama fuiſſet ſparſa in vulgus, Græci ad fingendum & mentiendum proni multis eam perſperſerunt fabulis, variasque Moſi Deorum & Heroum perſonas impoſuerunt, quemadmodum a doctoribus ſuis Phœnicibus & Ægyptiis jam ante factum acceperant. Quin etiam Deos quosdam ad Moſis exemplar confictos ab his ſumſerunt, Mercurium puta, Bacchum, ac Vulcanum, & Theologiæ ſuæ inſeruerunt. Vere quippe

Phil. Bybl. apud Euſ. Præp. Ev. l. 1.

Herod. l. 2. c. 53. Phil. Bybl. apud Euſ. Præp. Ev. l. 1.

Digitized by Google

quippe ab Herodoto, & Diodoro, & Eusebio scriptum extat, illustres quosque Ægyptiorum Deos ac Heroas sibi sumsisse Græcos, suosque fecisse. Quinam Græcorum Deorum indigenæ sint, quinam advenæ, in præsentia non disputo: hoc unum mihi probandum sumo, complures eorum Mosem dissimulasse.

Herod. l. 2. c. 50. Diod. l. 1. Euseb. Præp. l. 2. c. 2.

III. Hujus generis Apollinem esse ajo; qui βάκχιος dicitur in Orphicis, βοηδρόμιος apud Callimachum: quæ nomina Bacchum eum esse denotant. Apollo præterea, qui Sol est, idem est qui Osiris: Osiris autem Liber, ut dixi; unde Sol Virgilio Liber dicitur: Apollo ergo Liber est sive Bacchus. Osiridis filium esse docet Herodotus, atque Orum ipsum, quem alii Osiridis fratrem faciunt. Hic cum esset a Titanibus per insidias interfectus, mortuusque jaceret in aqua, a matre dicitur esse ad vitam excitatus; ut est apud Diodorum: quibus Mosis expositi casus, & per matris ac sororis industriam salus significatur. Notabile hoc, quod tradit Plutarchus in libello de Iside & Osiride, quæcunque Græci narrant de Gigantibus ac Titanibus, Apollinis quoque adversus Pythonem dimicationes, Bacchi exilia, & errores Cereris, nihil ab iis differre, quæ apud Ægyptios de Osiride & Typhone celebrantur. Atqui Osiris & Typhon Moses est, ut docui. Pan quoque Apollo nominatur in Orphicis: & in ejus potestate esse dicuntur rupes, speculæ & juga montium, & montivagus appellatur, quæ in Panem atque etiam Bacchum conveniunt. Vulcani, ejus qui Nilum patrem habuit, filium fuisse Apollinum antiquissimum prodit Cicero; secundum natum in Creta, qua Palæstinam sæpe exprimi infra ostendam; tertium Jovis filium; nempe, opinor, quod Dei filii dici soleant viri pii, cujusmodi fuit Moses: quartum in Arcadia natum, quod & ab Aristotele perhibetur apud Clementem Alexandrinum. Itaque Apollinis Parrhasii lucum, templum, & sacrificia commemorat Pausanias in Arcadicis; atque item Apollinis Epicutii, & Oncæatæ, & Pheneatæ, & Theoxenii. Atqui indidem quoque ortum credi Mercurium supra notavimus. Bacchi patrem Apollinem fingit Proclus. Idem & Adonin eum facit. Animarum etiam ductorem appellat, itidem ut Mercurium. Sermonum & facundiæ Artemidorus inventorem statuit, quod alii Mercurio tribuunt. Cithara Apollini a Mercurio dono data esse dicitur: idemque Musica, non secus ac Mercurius & Bacchus, gaudere fertur. Gaudet & saltationibus, uti habet Homerus Hymno in Apollinem: unde & χορποιὸς (*saltationibus gaudens*) dicitur in Orphicis: propter Canticum videlicet Mosis, & Mariæ, sociarumque tripudium, decimo quinto Exodi capite celebratum. Ergo & Μουσηγέτης (*dux Musarum*) habetur Apollo, perinde ut Bacchus. Dicitur & γιγαντολέτης (*Gigantum interfector*) uterque. Et quam multa denique in utroque similia sint & eadem, ex Hymnorum contentione facile intelliges qui utrique scripti extant in Anthologia. Mercurii virga ab eo profecta fingitur. Famulum Jovis facit Apollinem Aristophanes, ut Mercurium; & communem ambobus aram dicarunt Elei. Θυρεῶν (*Limentinum*) vocari, quod exitus & introitus potens sit, testis est Nigidius apud Macrobium: & προπύλαιον appellat Aristides: fuisse vocatum & προσατήριον (*pro floribus stantem*) quod ante fores statueretur, Veteres docent: nuncupatur & ἀγυιεὺς (*vialis*) a Græcis, & ab ipso quoque Horatio, quasi viis præfectum dicas: quæ in Mercurium convenire ostendimus. Medicinæ parens esse dicitur, itidem ut Æsculapius. Dicitur & Æsculapii pater. Juvenis exhibetur & imberbis, itidem ut Bacchus, & ipse quoque Æsculapius; qui quamvis barbatus pingi soleat, juvenis tamen Phœbejus appellatur a Statio, & ἀνθιθαλὴς κόρος (*adolescens floridus*) in Orphicis Hymnis; & statuam ejus imberbem fuisse apud Phliasios scribit Pausanias. Quemadmodum autem barbatum illum Æsculapium, investem etiam quandoque fingebant; ita imberbes illos, Apollinem & Bacchum, barbatulos aliquando & vesticipes, nonnunquam etiam promissam & senilem barbam gerentes exhibuisse, testes habeo Lucianum & Macrobium: & πολιὸν, hoc est, canum Apollinem in honore fuisse apud Thebanos priscis temporibus scimus ex Pausania. Scimus ex eo quoque, Mercurii simulacris barbam aliquando Veteres addidisse. Pastor ab Amphryso, & ἐπιμήλιος (*custos ovium*) & ποιμνιος (*qui greges curat*) & ἀρνευόμης, (*agnorum curator*) & νεμπῶος (*in saltibus degens*) & νόμιος (*pastoralis & legum lator*) appellatur Apollo, ut Mercurius &

Apollo, idem ac Moses. Orph. Hymn. in Apoll. Callim. Hymn. in Apoll.

Herod. l. 2. c. 144.

Diod. l. 1.

Orph. Hymn. in Apoll.

Cic. l. 3. de nat. Deor.

Clem. Al. Protr.

Procl. Hymn. in Sol.

Artem. l. 2. c. 35.

Anthol. l. 1. c. 38.

Aristoph. Avib. Macr. Sat. l. 1. c. 9. Aristid. Hymn. in Minerv. Soph. Electr. & Sch. Pausan. Attic. Hesych. in Προσατήριος. Horat. l. 4. Od. 6.

Stat. l. 3. Sylv. in Coma Ear. Orph. Hymn. in Æscul. Pausan. Corinth.

Lucian. de Dea Syria. Macr. Sat. l. 1. c. 17. & 18 Pausan. Bœotic.

Digitized by Google

Bacchus. Κερνῆος (*Cornutus*) quoque dicitur a Callimacho, non a Carno vate, ut vult Scholiastes, nec ὅτι κεκυμένος ὁρᾶτον νέος, *quod ardens cernatur Juvenis*, ut censet Macrobius; sed, uti quidem conjicio, ab Ebraica voce קרן, quæ cornu significat: δικέρως (*bicornis*) enim Apollo, haud secus quam Bacchus nuncupatur in Orphicis. Hinc Carnea festum Apollinis apud Lacedæmonios & Cyrenæos, in quibus & Scenopegia quædam celebrabatur, quod rei originem clarius patefacit. Ex his aperte liquet eamdem esse Apollinis nationem ac Bacchi, & Adonidis, & Mercurii, & Æsculapii, & ad Vulcanum accedere; quos diversas esse ejusdem exemplaris, Mosis nimirum, effigies, & jam partim ostendi supra, partim infra demonstraturus sum. Huc accedit Apollinem in Libya natum & Jovis Ammonis filium fingi a quibusdam, quod Mosis patriam propius contingit, quam Delos: quia vero cornutum fuisse Mosem audiverant, id a patre Ammone, cornuto & ipso, velut ex traduce habuisse Apollinem censuerunt. Imo vero Ægyptium cognomento Epidaurii appellabant. Inter duo fluenta natum esse docet Plutarchus, quod in Nilo infans expositus sit. In Arabum arvis eruditum esse dicit Statius, quod in Mosem aptissime quadrat. Ex Sinope dicitur a Diodoro & Plutarcho Syrum filium sustulisse: Sinopes nomen non multum abludit a Sephoræ nomine, quæ Mosis uxor fuit; Syri vero pater dicitur, quod velut parens habitus sit Israelitarum, quæ gens inter Syros numerata est, & in Syria sedes habuit. Non ἀκερσεκόμης (*intonsus*) tantum sed & χρυσοκόμας (*auricomus*,) & χρυσοκέρως (*aurea cornua gerens*) Apollo cognominatur, propter fulgorem e Mosis vultu exeuntem: unde & Typhonem fuisse πυῤῥὸν καὶ ὀναΐδη τὴν χρόαν (*rufum & asininum colore*,) ait Plutarchus; cum Mosem πυῤῥακὴ (*rufum*) fuisse dixerit Artapanus; & post eum Bedavi scriptor Arabs, Alcorani interpres. Apollinem Ægyptii sub Solis persona exhibebant capite semiraso, & simulacris nonnunquam cæruleis, hoc est atro colore infectis; claris nonnunquam & splendidis; eamdem videlicet ob causam, propter quam Mercurius, altera Mosis imago, facie partim aurea, partim atra pingebatur ab iisdem Ægyptiis, & petasum capite gestans media parte candidum, media nigrum. Inde est quod Genium, naturæ humanæ Deum, vultu mutabilem esse, album & atrum dixit Horatius. Atqui Genius est μὴν, unde μῆνες, Æolice μᾶνες, Latine Manes, hoc est Genii, atque etiam Menses. Μὴν autem est Sol, seu Apollo. Id nos alibi fuse ostendimus. Ergo Apollo est albus & ater. Radiato etiam vertice pingitur, quale habuit Moses, postquam Dei alloquio fruitus est. Hinc nomen, ut puto, Didymeo Apollini, in Branchidis, non ut vult Macrobius, *Quod geminam speciem sui numinis præferat, illuminando, formandoque Lunam.* Unde & Janus, quem Mosem quoque esse dicemus suo loco, bifrons pingitur, & cum eodem Didymeo Apolline a Romanis, teste eodem Macrobio, confunditur. Atque hoc quidem ἰσορρώπως, nam φυσικῶς Solem Apolline significari non infitior, cujus radios notat quoque aurea & intonsa Apollinis cæsaries. Quapropter & pecten Soli tribuebatur. Unde adagium vetus quod habet Tertullianus, *Lamiæ turres, & pectines Solis.* Ex quo scias etiam, cur *Turriculas Lamias* appellet Lucillius apud Lactantium. Sic enim legendum esse liquet, non ut vulgo, Terricolas. Futurorum præscius habitus est Apollo: Propheta fuit Moses. Sagittæ tribuebantur Apollini, ob bella plurima feliciter confecta. Atque hinc Apollinis nomen ἀπὸ τῦ ἀπολλύναι (*a perdendo*,) beneficum enim eumdem, & maleficum Deum esse declarat insignis Servii locus. Repeti hic velim quæ supra diximus de Typhone. Cum Apollinis imaginem describeret Albricus, coronam duodecim gemmis insignem capite cum gestare dixit, ob Mosis de monte descendentis radiatum caput, & duodecim gemmas Vrim & Thummim: corvum nigrum supra caput ejus volare, uti supra Deorum multorum capita aves aut alas appositas fuisse a Veteribus adnotavimus supra, cum de Cnepho ageremus; indicium scilicet obscuritatis naturæ Dei a Mose traditæ; quod & corvi nigror confirmat. Novem Musæ in eadem Albrici imagine choreas sub lauro ducunt; Ebrææ nempe mulieres post transmissum mare Rubrum laudes Deo canentes in litore, duce Maria Mosis sorore. Videtur illic & Python sagitta a Mose transfixus, Pharao nempe; quippe Crocodilus, serpens maximus, juxta Arabes Grammaticos,

Callim. Hymn. in Apoll.

Macr. Sat. l. 1. c. 17.

Orph. Hymn. in Apoll.

Horat. l. 2. Epist. 2.

Observ. ad Orig. p. 109. 110.

Macr. Sat. l. 1. c. 17.

Tert. adv. Valent. c. 3.

Lactant. l. 2. c. 22.

Plut. Pelopid. Stat. Sylv. l. 1. Soter.

Diod. l. 4. Plut. Luc.

Plut. de Is. & Osir. Artap. apud Euseb. Præp. Ev. l. 9.

Serv. in Virgil. Ecl. 5. v. 65. 66.

Albric. de imag. Deor. c. 4.

cos,

Digitized by Google

cos, Pharao appellatur. Sedet illic Apollo inter duo juga Parnassi, unde manat fons Castalius, quæ juga sunt Sinai & Horeb, unde aquas Moses extudit. Narrat vetus Poëta apud Clementem Alexandrinum, statuam Apollinis in Delphico templo esse columnam; propterea quod Moses per Arabiæ deserta Israelitas duxit, præeunte Domino *per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis.* Cui simile aliquid de Baccho, aliisque Diis supra retulimus. Statuebantur quidem pro foribus domorum statuæ quædam, metarum in acutum definentium forma, Apollini ἀγυιεῖ, sive θυρέῳ, sive προστατηρίῳ sacræ; vel, ut alii volunt, Baccho; vel, ut plurimi, utrique. Columna ipsa dicebatur ἀγυιεύς. Pyramidis quoque forma Apollinem a Megarensibus fuisse exhibitum ait Pausanias. Qua figura nulla aptius exhibere potuit ignem Columnæ. Ad eamdem faciem Apolloniatæ exhibuerunt in Numinis Apollinem ἀγυιᾶτα. Ad eamdem fingebatur Deus Elagabalus, ut fidem quoque faciunt Nummi & Herodianus. Postulat Proclus a Sole, sive Apolline, ut Deum precibus suis propitium faciat, noxarum veniam sibi impetret & pœnarum justitiam divinam placabilem præstet & in animam suam lucis divinæ radios infundat: quæ sunt hujusmodi, ut Israelitas Mosem alloquentes audire mihi videat. Admeto serviit Apollo, ejusque pecudes pavit: a Pharaone viro revera ἀδμήτῳ (*indomito*) & inflexo durissima servitute oppressi sunt cum Mose cæteri Israelitæ; cum operam suam Pharaoni venditasset Israel: *Petimus*, inquiebat, *ut esse nos jubeas servos tuos in terra Gessen*: Tum deinde super iis hæc Josepho præcipit Pharao: *Quod si nosti*, inquit, *in eis esse viros industrios, constitue illos magistros pecorum meorum.* Idem quoque socero suo Jethroni Moses officium præstitit. Est apud Ciceronem, *Apollinem Arcades* Νόμιον *appellare*, (sic enim legendum, non ut vulgo, *Nomionem*) *quod ab eo se leges ferunt accepisse*: vel potius quod Moses Ebræis leges posuerit. φύξιος (*Fugæ auctor & dux*) dicitur apud Philostratum, quemadmodum & Pan, alterum Mosis simulacrum; non ab Herculis fuga, ut vult Theocriti Scholiastes; sed quod suasore ac duce Mose Ebræi ex Ægypto in Cananæam profugerint. Ἐπίσκοπος (*inspector*) dicitur apud Cornutum, quod Israeliticæ reipublicæ custos Moses, tutor, & præfectus fuerit. Ἀσυγκύριος (*collocutionum præses*) dicitur, non quod λέσχαις, hoc est confabulantium circulis præsit, ut vult Suidas; sed propter colloquia Mosi cum Deo in monte habita: *Loquebatur enim Dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum:* Ῥιψιμέλευθος (*Viifragus*) dicitur; quod per desertas & incultas Arabiæ solitudines iter Moses aperuerit. Quamobrem & Minoem Mosis effigiem, ut mox dicam ὁμιστὴν (*cum quo habentur colloquia*) Homerus appellat. Narrat Artemidorus, auctor locuples, a Daldianis popularibus suis Mysten nuncupari Apollinem: Moses quippe divinorum mysteriorum interpres fuit. Megaris simulacrum extabat Apollinis δεκατηφόρου (*decimas ferentis*) sic dicti propter ritum decimarum Deo solvendarum, a Mose instauratum. Argonautæ apud Apollonium sacra faciunt Apollini ἐμβασίῳ, & ἐκβασίῳ (*qui præest conscensioni & excensioni navium*) non sic dicto a conscensione eorum in navim, & exscensione, Apollinis auspiciis facta, ut garriunt fabularum Interpretes; sed a Mosis potius & Israelitarum ingressu in mare Rubrum, & egressu. Hinc & Baccho ἐμβατήρια cani & libari fuisse solita docet Heliodorus. Cernebatur Athenis Phidiæ opus, æneum simulacrum Apollonis Parnopii; non sic dicti, quod regionem locustis, quas Græci πάρνοπας vocant, vastatam liberasset: vera enim nominis origo est in locustis, culicibus, & muscis, quibus Ægyptum Moses infestam habuit. Peregrinationes significare consueviisse Apollinem Delphinium discimus ex Artemidoro; propter diuturnam Mosis, Ebræorumque in Arabiæ desertis peregrinationem. Apollo Trojæ muros ad citharæ cantum fertur condidisse: Israelitica gens ut in civitatis coalesceret formam, & legibus contineri se pateretur, Moses perfecit. Narratur Apollo apud Tibullum:

Saturno rege fugato
Victoris laudes concinuisse Jovis:

submerso Pharaone & Ægyptiis, hymnum victori Deo cecinit Moses, & alterum quoque debellatis gentibus, quæ iter in Chananæam terram morabantur. Pythonem serpentem ab Apolline interfectum narrant fictores fabularum; fortasse quod Hevæos, Chananæam gentem, Mosis præcepta secuti

Clem. Al. Strom. 1.

Exod. 13, 21.

Pausan. Attic.

Herod. l. 5. Procl. Hymn. in Sol.

Gen. 47, 4.

Gen. 47, 6.

Cicer. de nat. Deor. l. 3.

Philostr. Heroic.

Theocr. Idyll. 7.

Suidas in Λέσχαι. Exod. 33, 11.

Hom. Od. τ. Artem. Oniroc. l. 2. c. 75. Pausan. Attic.

Apoll. l. 4. Argon.

Heliod. l. 5. Pausan. Attic.

Artemid. Oniroc. l. 2. c. 35.

Tibull. l. 2. Eleg. 5.

Digitized by Google

Israelitæ venerint: נחש autem Hæveum & serpentem sonat, ut a Bocharto demonstratum est; vel potius quod virga Mosis versa in colubrum, Magorum Ægyptiorum virgas mutatas quoque in serpentes absorbuerit, & quod serpentium ignitorum a Deo in Israelitas immissorum vim virusque excitato Serpente æneo Moses represserit. Tityon etiam terræ omniparentis alumnum & filium Apollo occidit. Hic mortuus, juxta Homerum, ἐπ' ἐννέα κεῖτο πέλεθρα, *per novem tergera jugera porrigebatur:* Moses Og regem Basan interfecit, virum *de stirpe gigantum, cujus lectus novem cubitos habebat longitudinis.* Nomen Tityo a טיט, quod *lutum* significat, quasi dicas πηλογένων, *(luto genitum)* quo nomine Gigantes Callimachus appellat: Og Basanitidis terræ indigena & filius fuit. In Euboeam ad visendum Tityon iviſſe Rhadamanthyn cecinit Homerus: quippe Ogi regionem adiit & subegit Moses, quem Rhadamanthyn esse suo loco probabimus. Apollini Diradiotæ sacrificabatur agnus, Delphino & πολιῷ *(cano)* taurus, Myrensi vitulus: nempe has Apollini, qui Moses est, gratissimas fore rebantur victimas, quas ipse sanxisset: ac forsitan etiam Vituli aurei a Mose comminuti meminerant: nam quæ Deo cuique odiosa esse putabant, huic ea sacrificabant. Nobilis illa templi Delphici inscriptio εἶ, Dei naturam indicat, Mosi a Deo ipso significatum, cum ex ardenti rubo eum se esse dixit qui est.

Boch. Phal. l. 1. c. 36. Chan. l. 1. c. 19. & 23.

Hom. Od. λ.

Deut. 3, 11.

Call. Hymn in Jov.

Hom. Od. λ. Plut. Thes.

Pausan. Corinth. & Bœotic.

Ælian. de animal. l. 12. c. 1.

IV. Nec obscuriorem ejus imaginem refert Pan Deus Arcadiæ: seu potius Ægypti, ubi Deorum vetustissimus habebatur. Multa quidem illi cum Apolline sive Sole communia sunt, ut docet Macrobius, plura cum Mercurio; quod & hi, & ille ad idem exemplar, Mosem scilicet conficti sint. Futurorum præscius est, ab eoque vaticinandi artem ferunt Apollinem accepisse. Sinoen nutricem habuit, unde Sinois dictus est; Sinopen uxorem Apollo. Cultus uterque in Arcadia, & νόμιος dictus, Apollo quidem apud Pindarum & Ciceronem, Pan vero in Pausaniæ Arcadicis. Dictus uterque & ἀγρεύς, Apollo item apud Pindarum, Pan apud Apollodorum, teste Hesychio. Saltator uterque. Montivagus uterque, atque item Bacchus. Pan Nympharum dux & comes; Apollo Musarum. Pan quoque, ut Apollo, Sol esse creditus [illegible] & Panos notum e pollinem Orphica indigitant, ut dixi. Mercurio Apollini similis est, istis Mercurio. Natus dicitur in Arcadum montibus; itaque Evander Arcas Ponos potissimum & Mercurii cultum ac ceremonias Italis tradidit:

Sacraque multa quidem, sed Fauni prima bicornis
Has docuit gentes, alipedisque Dei.

inquit Ovidius. Hircinam formam gerere dicitur, (perinde ut Bacchus quem sub hædi figura delituisse narrat Apollodorus) quod Mercurio patre in hircum mutato genitus sit. hominum preces allegare ad Deos, damnare votis, improbos punire pro meritis, Deorum esse nuntius, baculum manu gestare, lacte & melle placari, plurimarum rerum artificia callere, quod & ipsi cum Vulcano commune est. Apollini vero simul & Mercurio his similis est, quod Musicam colit, quod pastoribus præest, quod κεραστὴς *(cornutus)* est, quemadmodum & Bacchus, altera Mosis imago; qui & Satyros & Musas secum ducere dicitur, itidem ut Pan. Tradit præterea Pausanias ignem Pani perpetuum & inextinctum ali; quare Vulcano & Zoroastri similis est. Lampadephoria Pani, itidem ut Vulcano & Prometheo, instituta est. Vulcanus autem, Zoroastres, & Prometheus, Mosis imaginem gerunt. Plurimæ etiam propriæ ac peculiares Pani notæ insunt, ad archetypum Mosis compositæ. In desertis locis degit, quod per deserta tot annos Moses vagatus sit. Miniata facie pingitur & igneæ, capite puniceo; cornibus vero aureis, & ad cœlum pertingentibus, propter cœlestes radios, quibus Mosis de monte descendentis facies perfusa apparuit. Apollinis oraculum apud Branchidas editum refert Porphyrius, in quo Pan describitur manu altera virgam tenens, altera fistulam, eaque Nymphas deliniens & agricolas territans, qui & eo viso periisse dicuntur. Panos virga Mosaicæ virgæ symbolum fuit. Mosis Canticum Maria cum comitibus feminis ad tympanum modulata est: tum deinde paulo post ipsius obitum, Josue præceptis ab eo instructus solo tubæ cantu Hierichuntina mœnia prostravit, & terræ incolas exscidit. Ἁλίπλαγκτος *(marivagus)* appellatur a Sophocle, ob mare pedibus transmissum, & choreas in litore exercitas. Montivagus habetur & κρημνοβάτης, montiumque

Macr. Sat. l. 1. c. 22.

Pind. Pyt. Od. 9. Cic. de nat. Deor. l. 3. Paus. Arc. Hesych. in Ἀγρεύς. Orph. Hymn. in Apoll.

Ovid. l. 5. Fast.

Apollod. l. 3.

Paus. Arc.

Porphyr. apud Euſ. Præp. l. 5. c. 6.

Soph. Ajac. v. 710.

Digitized by Google

montiumque verticibus & saxosis fastigiis præesse creditur, & habitare in montibus ac scopulis, quippe Moses in montis cacumine legem a Deo accepit, in monte victoriam adversus Amalecitas petiit a Deo & impetravit. De montis Nebo culmine Terram promissam lustravit, ibidem obiit & sepultus est. Ex uva illa inusitatæ magnitudinis, quam ad Mosem retulerunt Terræ sanctæ exploratores, factum puto ut Pan Scolita sit dictus: sic enim appellatur apud Pausaniam: non uti quidam hic censet a colle Scolita, sed potius ab Ebraica voce אשכול, quæ uvam sonat; quasi dicas βοτρυόδωρον *(uvarum datorem.)* Bacchi enim, qui Moses est, socius esse fingitur, & θιασώτης *(choreas simul agitans)* & famulus, laborumque & Indicæ expeditionis particeps: nam non pastorem solum & saltatorem, sed bellatorem quoque se fert Pan; nec Bacchicis modo pugnis interfuit, sed in Deorum quoque bello adversus Typhonem strenue se gessit, & Marathonio etiam prælio Athenienſibus opem tulisse prædicatur. At Mosis ductu & auspiciis maxima bella gesta sunt; quamobrem a Josepho ἄριστος ἡγεμών, *(optimus dux;)* & στρατηγὸς ἄριστος *(Imperator egregius)* appellatur. Quoniam autem homines procero corpore & giganteo Chananæa terra ab Ebræis depulsos acceperant fabularum artifices, & tubarum clangore Herichuntina mœnia corruisse; hinc præbita illis ansa fingendi Panem conchæ sonitu exterruisse Gigantes & in fugam dedisse. Nec de nihilo est quod Cererem narrant, rapta Proserpina, mœstam se in Arcadiæ specubus occuluisse, diuque a Diis quæsitam, a Pane demum fuisse repertam; ni feciſſet, fame quippe homines fuisse interituros: his enim Israelitarum in solis locis & sterilibus errantium significatur fames, & apud Mosem expostulationes & querelæ; cujus precibus panes de cœlo pluerunt; sic enim Manna appellatur in Exodo. Mundi harmoniam fistula concinere Pan narratur in Hymnis Orphicis, quemadmodum Silenum Virgilius in Ecloga canentem inducit, ut seminibus magnum per inane coactis mundi tener orbis concreverit; quia mundi creationem Moses scriptis celebravit. Atque hinc est quod Pan naturæ Deus dicitur: quo titulo gaudet Silenus in Plauti Suppositis. Silenum autem esse Mosis effigiem, nec alium quam Panem a veteribus fuisse habitum, probabitur inferius. Pan manu supra oculos contra Solem protensa speculans longinqua pingebatur; unde & σκοπτηλὸς *(speculator)* dictus est: quibus exprimitur & velamen vultui Mosis obductum; & nos quem a speculatione Osarsiphum & θεόπτην dictum supra ostendimus. Dicitur & ex spelunca Pan visum in montem intendere, unde & φιλοσπήλυγξ *(spelunceas amans)* cognominatur a Poetis; nimirum quod Moses ex Sinæ montis spelunca ad videndum Deum oculos intendere conatus sit.

Pausan. Arcad.

Joseph. l. 2. contr. Ap.

Exod. 16, 4-8.

Orph. Hymn. in Pana.

Virg. Ecl. 6.

Suppos. Plaut. in Prolog. Bacchid.

V. Eumdem vero esse Panem ac Priapum docet nos Phurnutus, seu potius Cornutus in libro de natura Deorum. Deus agricola & rusticus Tibullo dicitur Priapus, ruricola Ovidio: Pan ἀγρεὺς *(venator)* appellatur ab Apollodoro, ut habet Hesychius; & Apollo quoque a Pindaro. In Apolline autem & Pane Mosem occultum jam agnovimus. Bellicosus præterea uterque est, Pan & Priapus; saltator uterque: quippe has quoque in Priapum dotes transcribit Lucianus. Tradit is quoque unum fuisse Priapum ex Idæis Dactylis: at nos infra docebimus quantum Judæos inter & Idæos affinitatis inſuerit. Eumdem hunc esse ac Orum & testatur Suidas, & multa persuadent. Hic Osiridis filius est, ille Bacchi: Bacchus autem est Osiris. Hoc ipsum ex utriusque simulacro ostenditur: uterque enim sinistra manu tenet διδοῖα, quod etiam commune illis erat cum Osiride, cujus simulacrum ἐντεταμένον ubique fingebatur, ut discimus ex Plutarcho; & cum Mercurio, qui in eamdem formam pingi solebat. In triviis quippe, Priapi, & Marsyæ, & Mercurii, & Termini fontium & viarum indices, obscœno hoc habitu omnes ponebantur; unde Hermæ capite tantum ac pene constare dicebantur. Mercurios istos Cornutus & Plutarchus seniores esse ajunt, nempe opinor, quod barbati essent; & senes Mercurii appellantur, qui Priapi erant dicendi. Barba autem & caput Priapi canis capillis albicabant, ut habet vetus Epigramma. Quantum & puerili quandoque ætate fuisse exhibitum Suidas docet; quemadmodum & supra de Apolline, Æsculapio, & Bacceho diximus: qui omnes Mosem dissimulant. Sunt ad hæc qui hortorum, vinearum, & agrorum tutorem faciunt Mercurium itidem ut

Priapus, idem ac Moses, Cornut. de nat. Deor. c. de Pane. Tibull. l. 1. Eleg. 4. & 5. Ovid. 1. Trist. Hesych. in Ἀγρεύς. Pind. Pyth. Od. 9. Lucian. de salt.

Suidas in Πρίαπος.

Cornut. de nat. Deor. Plutarch. de Isid. & Os.

Priap. Epigr. 77.

Suidas in Πρίαπος.

Pria-

Digitized by Google

Priapum. Sunt & quæ variarum custodem faciunt Priapum, itidem ut Mercurium. Hinc Priapus φαλλήτης dictus. Bacchi præterea & Priapi affinitatem sacra Bacchi ostendunt, in quibus fiebat φαλλοφορία *(Phallorum gestatio.)* At Phallus, & Triphallus, & Ithyphallus, Priapi erant cubitales. Sed & Priapum Osiridis partem obscœnam esse fabulantur Ægyptii, ut perhibet Diodorus. Ergo Priapus est Pan, Orus, Mercurius, Bacchus, & Osiris: est & Typhon, eodem Diodoro teste. Hi autem omnes Mosis symbola: igitur & Priapus. Quo accedit & asini effigies, quæ Priapo adjungebatur, ut ex Priapejis discipotest: nempe ex veteri fabula Plutarcho & tacito credita, qua asinus agrestes Mosi & Israeliticæ genti in solitudine aquæ penuria laboranti ad largas aquarum venas viam præivisse ferebantur. Unde & asini caput in sacrario collocasse & adorasse dicti Judæi, ut est apud Josephum, & Minutium Felicem; & ut Damocritum scripsisse refert Suidas. Unde & Ononychites Tertulliani. Præsertim cum traditum sit ab Æliano, Ægyptios, inter quos tamdiu consederant Ebræi, jussu Ochi Persæ asinum inter Deos recepisse. Hinc & fontium index Priapus celebratur in Priapejis: *Priape, ad fontem quæso dic mihi qua sit iter.* Priapus infans a matre expositus est, juxta Suidam; expositus est & Moses. Litoribus præest Priapus, ob Rubrum mare a Mose feliciter trajectum. Cornu copiæ gestat Priapus, & vitium custodiæ præficitur, teste Cornuto: quod ad terræ illius uberrimæ, lacte & melle manantis aditus populum Dei Moses deduxerit, ejusque iteratis pollicitationibus erumpentes seditiones sæpe compescuerit. In tutela Priapi virorum esse genitalia opificibus fabularum placet; puto quod ad sobolis propagationem homines a Deo non semel fuisse excitatos, & quod insignem Israeliticæ genti fecunditatem & prolis ubertatem pollicitum esse Deum Moses testatus sit: *Non erit apud te*, inquit, *sterilis utriusque sexus, tam in hominibus, quam in gregibus tuis.* Atque hinc etiam factum reor, ut hortorum curam Priapo demandaverint iidem fabularum auctores, nam κῆπος & hortum & obscœnam mulieres partem notat; quam & sæpe Hortum Poetæ Latini nuncupant. Quemadmodum & λειμών (*pratum*) apud Euripidem, & πεδίον (*campus*) apud Aristophanem, & κῆπος apud Hesychium, & *saltus* apud Plautum. Venus in Hortis dicta, cujus simulacra tabas Athenis. Nam & in Veneris quæ tutela hortos posuit Antiquitas. Gra Romana. Unde & virgo nuptura in ho deducebatur jure Romano, uti liquet dictis. Itaque Priapum κήπων Deum esse centes, ludebant in ambiguo, & in ho simulacrum ejus statuentes, verum ejus nus per figuram dissimulabant. Sceptr Priapo tribuitur, auctore Suida: virga si. Scribit idem Suidas alas Priapum ge re; quare Mercurio quoque similis est: curius autem est Moses. Nec alas ipsi sol easque aureas affingit Orphicus Hymn πεντογόνιον sed & duplicem naturam: quo de Baccho & de Vulcano superius ximus, quorum uterque Moses est. insuper cum Mercurio & Vulcano, qui sis simulacra sunt, commune habet, quod artifex juxta Cornutum, & artium peritus fuerit.

VI. In Æsculapii quoque fabula Mosem deprehendo. Ipsum, uti & ipsius patrem Apollinem, Ægyptium fuisse scribit Pausanias, & cognomento Ægyptium dictum; Memphiten Clemens Alexandrinus: Moses ac Mosis pater Ægyptii fuerunt, vel, si accuratius loquendum est, Aegyptienses. Serapin esse conjectant quidam, ut refert Tacitus: Serapin autem Mosem esse a nobis probatum est. In supposititio illo Mercurii Trismegisti Pœmandra observatione dignum est, primas Dialogi partes Pœmandræ tribui, secundas Mercurio Aegyptio, Æsculapio amico ejus & necessario tertias, postremas filio ipsius Tat, quem & Eusebius in Chronico commemorat; alterum vero Dialogum Æsculapii ipsius nomine inscribi. At Damascius apud Photium, non Græcum, nec Aegyptium, sed Phœnicem vult Æsculapium fuisse; quia Aegyptius licet natalibus Moses, Syrus tamen origine fuit; Esmunium autem appellat Phœnicio nomine, atque id *Octavum* significare ait, quod verum esse fatebuntur Ebraicarum literarum periti: Cabirorum autem octavus fuit, in quibus non uno modo latentem Mosem supra notavimus. Hæc petita sunt e Sanchoniathone, qui ad superiora addit, fratrem Taauti fuisse Æsculapium: Taautus autem Moses est. Itaque

Priap. Epig. 53. Plutarch. Symp. l. 4. Probl. 5. Tac. Hist. l. 5. Diod. l. 4. Joseph. l. 2. contr. Ap. Suidas in Ἰαμβρης. Tertul. Apolog. c. 16. Ælian. de anim. l. 10. c. 28. Priap. Epigr. 69. Suidas in Πρίαπος. Cornut. de nat. Deor. c. de Pane. Exod. 23. 26. Deut. 7, 14. Eurip. Cyclop. nat. ir. & xot. Cornut. de nat. Deor. c. de Pane. Æsculapius, idem ac Mosis, Paus. Corinth. Clem. Al. Strom. 1. Tac. Hist. l. 5. Phot. Tim. 242. Sanchon. apud Euseb. Præp. Ev. l. 1.

Digitized by Google

Arnob. l. 3. son inter Græcos primum Aesculapius divinos honores consecutus est; Tyro enim profecta est religio isthæc, & in Græciam sive a Cadmo, sive ab aliis Phœnicibus Græciæ oras commercii causa crebro perlustrantibus delata: Tyri quippe magnum erat Mosis & illustre nomen, propter res in vicinia præclare gestas. Opinioni huic accedit ex eo fides, quod Carthaginenses Tyriorum propago in summo Byrsæ arcis fastigio templum Aesculapio consecratum habuerunt; atque idem postmodum, cum Carthaginem novam in Hispania conderent, Aedem Aesculapii in collibus vicinis adstruxerunt. Fingitur Aesculapius, Apolline patre natus esse: Apollo autem ipse est Sol; Sol Liber, sive Bacchus. Aesculapio autem eumdem prope ortum ac Baccho affinxit antiquitas: matrem nempe ejus a Diana occisam; cumque rogo imposita esset, Aesculapium infantem flammis a Mercurio ereptum commenta est. Liber autem, sive Sol, idem est qui Osiris, sive Siris. Commune vero hoc nomen habet Sol cum Canicula, commune & cum Nilo, qui sub Caniculæ ortum exundare solet. Sic appellatur Nilus Aethiopum lingua, ab Ebraica dictione שחור, hoc est *Niger*; unde & a Græcis Melas nominatur, ab Ennio, Ausonio, aliisque Melo, non, ut censuit Scaliger, deflexa voce ex Nilo; a Claudiano, *nigrans*: nempe quod *viridem Ægyptum nigra fecundet arena*; & Osirim nigro colore inficiunt Aegyptii; & Aegyptus ipsa μέλαινα, hoc est *nigricans*; & μελέμβυλος, & μελάγγειος, & νυκτάνολαξ, dicta est, & fuscum Aegypti cespitem Lucanus appellat. Inde in Glossis, *Ægyptius* redditur *Niger*: & διγυπτιάσαι, μελανθῆναι. A nigrore etiam Plutarchus Chemiam vocatam censet; חם enim nigrum sonat. Lusit itaque Aristophanes, cum Aegyptum λευκὴν, *candidam* dixit, & contrarium contrario notavit. Moses autem Nilo extractus, concinne dici potuit Nili sive Siris filius: unde & Aesculapium Apollinis filium dixerunt auctores fabularum, occasione captata ex ambiguitate vocis Siris, quæ Nilum, & Solem, hoc est Apollinem significat. Osiridem enim & Orum, quorum uterque Sol est, Nilum quoque esse, Aegyptiorum mystæ in secretioribus doctrinis habebant, & vulgus etiam apud illos maximum Deorum ducebat esse Nilum, & cœli æmulum appellabat; unde eum *imitari fidem mundi* dixit Manilius. Annum etiam esse volebant; tum quod anni tempestates, & æstivam quidem incremento, autumnalem decremento, vernam floribus & crocodilorum ὠοτοκίαις, (*ovorum partibus*) designet; tum quod collecto valore arithmetico singularum literarum, quibus constat dictio ἥλιος, numerus exurgat dierum anni, quinque nempe & sexaginta supra trecentos. Perhibentur hæc ab Heliodoro in Aethiopicis. Porro etiam si niger hic Osiridis color rationem nominis a nigrore petitam esse satis persuadet, Salmasius tamen arcessere id conatur a vocabulo σιρὶ, quod *filium* sonare ait: unde præfixo articulo fieri Aegyptium ὄσιρις, & Græcum ὕσιρις, quod est κῦρος, a Latinis dictus *Liber*. Sed in eo videtur falli: nam Ibno Cabar in scala magna a Kirchero edita, *filium* appellari docet ab Aegyptiis σήρι non σιρὶ, & *filiam*, σέρ. Atqui vox Osiris fit a σιρὶ, non a σήρι. Nomina etiam βύσιρις, ταπόσιρις, πετόσιρις, καλάσιρις, a Siri formata sunt, qui Nilus est; non a σήρι, qui *filius*; ut patet Salmasius. Afferuntur nomina quædam regum Thebæorum, in quibus apparet dictio σιρὶ, quam υἱὸν reddit Eratosthenes, qui hæc nomina a sacrarum literarum doctoribus Diospolitanis accepta, de mandato Regis Græce exposuit. Velut χνυβσιρὶ, quod redditur χρονοῦ υἱὸς, & σιρὶς, quod est υἱὸς ποιήσεως, & σιρισφθὰ, quod est υἱὸς ἡφαίστου. Verum ea ita in exemplaribus corrupta sunt, ut germanam lectionem vix queas internoscere. Itaque pro χνυβσιρὶ, legebat Scaliger, χνυβρὶς, Luparæa editio Georgii Syncelli habet γνευρὸς; pro σιρὶς legebat Scaliger σιρὸς; σισφθὰ scriptum extat σεφθὴς, & σισφθὰς. Adde quod ex pravo librariorum jotacistarum more η in ι facile degeneravit. Tertium Æsculapium, filium fuisse Arsinoes & Arsippi a Cicerone proditum est: in qua Arsippi appellatione observare licet manifesta vestigia vocis Osarsiphus, quod nomen gessisse Mosem tradidit Manethos, ut superius dictum est. Ad ripam Amyri fluvii in Thessalia natum fuisse Æsculapium canit Apollonius in Argonauticis: Moses in ripa Nili inter carecta infans repertus est. Æsculapium a partu recentem mater exposuit, itidem ut Mosem sua. Infantis Æsculapii caput ardere visum est: Moses postquam in monte cum Deo congressus est, radiatam, & splendidam faciem ad suos retulit.

Manil. l. 3.

Heliod. l. 9.

Salm. de ann. clim.

Scal. Conject. in Varron. Claudian. Phœnic. Fest. Serv. Auson. Ep. 5. Virgil. 4. Georg. Plut. de Is. & Osir. Lucan. l. 8. Aristoph. Thesmoph.

Cicer. l. 3. de natura Deor. Maneth. apud Jos. l. 1. contra Apion.

Apollon. Argon. l. 4.

Digitized by Google

retulit. Chirone Æſculapii præceptore adumbratus videtur Jethro ſacerdos Madianitarum, cujus monitis Moſes commodam regendi Iſraelis formam inſtituit. Morbos ſanabat Æſculapius, & mortuos ad vitam revocabat: Mariam ſororem lepris affectam Moſes ſanitati reſtituit: idem præterea mortiferam ſerpentium ignitorum luem propoſito Serpente æneo coercuit: *Fac ſerpentem æneum*, inquit Dominus: *& pone eum pro ſigno: qui percuſſus aſpexerit eum, vivet. Fecit ergo Moyſes ſerpentem æneum, & poſuit eum pro ſigno, quem cum percuſſi aſpicerent, ſanabantur.* Hinc Æſculapio appingitur draco: hinc fabularum inventores & Aſtronomi Græci, ac fortaſſe etiam Ægyptii, inter ſidera eum ſub Ophiuchi perſona collocarunt: hinc medicis reliquis tribuuntur angues: hinc in locis ſacris angues pingebantur; hinc baculus angue circumplicatus geſtamen Æſculapio tribuitur; niſi ejus cauſam a virga Moſis in ſerpentem mutata malis arceſſere: hinc denique mutatus ipſe fingitur in ſerpentem; atque hac forma Epidauri cultus eſt, & Romam demum illatus. Quoniam autem medicæ artis, ut aliarum quoque diſciplinarum, notitiam in Ægypto comparaverat Moſes; hinc medicinam reperiſſe fingitur Apis, Æſculapius promoviſſe. Divinationibus & auguriis præeſſe Æſculapium tradit Apollodorus in libris περὶ θεῶν, quos citat Macrobius. Eadem dote præditus fuit Apollo: quod utriusque exemplar Moſes præſcientiam rerum a Deo conſecutus ſit. Canes Æſculapii templo adhibiti ſunt, non quod canis uberibus nutritus ſit, ut nugantur: ſed propter Calebum, cujus opera Moſes feliciter uſus eſt. Hæc autem vox canem ſonat. Fulmine tandem a Jove tactus Æſculapius interiit, quod inter murmura tonitruum, & fulgurum ſplendores Moſem Deus allocutus ſit. Mercurii & Hercules æqualis ponitur Æſculapius; nempe Moſes idem eſt ac Mercurius, ut dixi; Hercules autem, qui & Ægypto ortus eſt, Joſue ipſe eſt, quod infra oſtendam.

VII. Venio ad Prometheum, Moſis quoque effigiem, ſi quis vero falſum ſeponere ſciat. Conſentit quidem computatio Chronologorum, qui Prometheum Moſis & Herculis æqualem faciunt. Teſtis Auguſtinus in libris de civitate Dei. Plutarchus in libro de Iſide & Oſiride Mercurium, hoc eſt Moſem, ita cum Prometheo confundit ac permiſcet, ut ambigi dicat utro nata ſit Iſis, Mercurioque Grammaticam & Muſicam, Prometheo ſapientiam & providentiam, a plerisque acceptas referri; cum viderimus tamen philoſophiæ, prudentiæ, ſapientiæ & futurorum præſenſionis laudibus Mercurium inſigniri. Confunditur quoque cum Æſculapio altera Moſis icone. Erat apud Panopenſes ſimulacrum, quod Æſculapiine eſſet an Promethei incertum fuit. Cabirorum unus fuiſſe fertur Prometheus, itidem ut Æſculapius, & ipſe quoque Mercurius. Aſiæ maritum fuiſſe narrat Herodotus, alii filium: ex Aſia oriundus fuit Moſes, totaque Iſraelitica gens in Aſiam ex Ægypto remeavit. Atlantis frater, aut ut aliis placet, pater fingitur Prometheus; nepos Mercurius, quem Moſem eſſe dixi: unde patet Prometheum inter & Moſem affinitas. Alii fratrem fuiſſe Deucalionis, quem primum templa Diis conſtituiſſe ait Apollonius; quia primus Aaron Moſis frater, ſummus Iſraeliticæ gentis ſacerdos a Deo creatus eſt. Refert Diodorus in quadam Ægypti parte regnaſſe Prometheum, in quam aliquando reſtagnans Nilus magnam hominum pecudumque ediderit ſtragem, & in magnas anguſtias Prometheum redegerit; ſed Herculem demum tuliſſe ipſi opem, & exundantem Nilum coercuiſſe, & in priſtinum alveum coegiſſe. Ebræorum dux, legumlator, & veluti Rex habitus eſt Moſes; unde rixoſus ille Iſraelita Moſi reſpondit: *Quis te conſtituit principem & judicem ſuper nos?* & a Clemente Alexandrino dicitur σοφὸς, βασιλεὺς, νομοθέτης. Quin & paterni ſucceſſorem eum deſtinabat Thermuthis Pharaonis filia. Aegypti autem portionem, terram nimirum Geſſen, occuparunt Ebræi. Exundatio Nili homines & bruta diſperdens, quam Herculis tandem ſuppetiis Prometheus evaſit, quid aliud ſignificare putem, quam Aegyptiorum cladem, cum Iſraelitis tuto transmiſſis, ipſi mari Rubro abſorpti ſunt? Herculem vero Joſuæ figuram eſſe, Moſis adminiſtri, & conſiliarii, & Iſraelitarum imperatoris, infra probabitur. Sceptrum dextra manu tenebant Promethei ſtatuæ, ut & illæ Priapi & Aeſculapii, effigiem videlicet prodigialis virgæ Moſis. Ipſe ſe Prometheus, remedia morborum reperiſſe jactat apud Aeſchylum, quod & Apollini & Aeſculapio, Moſis ſimulacris,

Num. 21, 8. 9.

Herod. l. 4. c. 45.

Apollon. Argon. l. 3.

Diod. l. 1.

Exod. 2, 14.

Clem. Alex. Strom. 2.

Macr. Sat. l. 1. c. 20.

Prometheus, idem ac Moſes.

Auguſt. l. 18. de Civit. Dei, c. 8. & 38.

Æſchyl. Prometh.

Digitized by Google

lacris, adscriptum vidimus. Viarum se quoque indicem prædicat, quod & de Mercurio, & Priapo fertur, quorum uterque Moses est. Fertur Prometheus hominem de luto finxisse, fabula inde ducta, quod hominis originem primus Moses literis consignarit, eumque de terra a Deo formatum esse homines docuerit. Quadrat & in Mosem Hygini Mythologi explicatio: *Prometheus*, inquit, *propter excellentiam ingenii miram*, homines finxisse existimatur. Africanus vero quod homines rudes & simplices Prometheus disciplinis instruxerit, idcirco hominum fictorem creditum esse censet. Atque id etiam in Mosem congruit, a quo egregiis institutis Ebraica gens informata est. Cum Jove colloquia Prometheus habuisse fertur: Mosem Dei ἑταῖρον fuisse, & cum eo sermones miscuisse constat. Aruspicinæ artis in sacris exerceri solitæ rationem a se deprehensam narrat Prometheus in tragœdia Aeschyli: Moses sacrificiorum, & victimarum in partes secandarum ritus, quæque Deo acceptiores essent, quæ igni dandæ, quæ Sacerdotibus seponendæ, Israelitas docuit. Atque hanc originem esse puto fabulæ de Prometheo ab Hesiodo proditæ, bovem in duas ipsum divisisse partes; hinc ossa adipe contecta, inde carnes apposuisse Jovi, tentandi caussa; sic enim, opinor, interpolavit profana illa vetustas præcepta Mosis, quorum alterum hoc est: *Omnis adeps Domini erit: nec sanguinem, nec adipem omnino comedetis:* alterum est illud: *Pectusculum elevationis & armum separationis tuli a filiis Israel de hostiis eorum pacificis, & dedi Aaron Sacerdoti, & filiis ejus lege perpetua, ab omni populo Israel.* Futuri præscius inducitur Prometheus in Luciani Dialogo: qua facultate Moses pollebat. Metallorum repertorem apud Aeschylum se fert Prometheus; propter tot opera, ex Mosis præscripto, fusoria arte fabricata. Astronomiæ, literarum, & artium denique omnium inventionem sibi arrogat Prometheus; quæ Mercurio quoque, Mosis imagini, cur ab Aegyptiis tributa sit, supra ostendimus. Incertum porro est, an ex illa metallicæ artis, an ex Astronomicæ peritia, qua pollebat Prometheus, an ex usu ignis ab eo reperto, dictus sit de cœlo ignem rapuisse: cujus ignis caussa in Prometheis, Athenienssium festo, lampadibus ad Aram in Academia accensis certabatur. Utut est, idipsum profecto narratur de Zoroastre, nec multum diversa de Vulcano, quos Mosem esse invictis rationibus demonstravimus. Quid quod Prometheum ac Vulcanum iisdem religionibus placatos fuisse, simulque cultos, discimus ex Sophoclis Scholiaste? Nam ad hunc Sophoclis locum in Oedipo Coloneo: ὁ πυρφόρος θεὸς τιτὰν προμηθεύς. *Deus ignifer Titan Prometheus*, Vulcanum esse ait hunc πυρφόρον θεὸν *(igniferum Deum)* Tum ex Apollodoro & Lysimachida addit in Academia communem utrique aram spectari. His ortum dederunt & fulgura, quæ sublata a Mose virga Deus cum grandine ad perterrendam Aegyptum de cœlo misit; & flammæ in tutelam Mosis, adversus Core & socios exortæ, & ignis ille perpetuus, quem in rubo vidit Moses; & cœlestis ille fulgor in vertice montis Sinæ splendens, cum Mosem Deus colloquio suo dignabatur; & lucida Mosis facies, cum e monte regrederetur; & ignis ille perpetuus, *quem numquam deficere in altari* jussit Moses. Pandora, vaferrima mulier, tot dotibus a Diis ornata, tot malorum hominibus auctor, quid aliud est quam Eva hominum mater? Hanc ad Prometheum missam a Jove narrant, & a Prometheo repudiatam, ab Epimetheo exceptam; quia ejus historia a Mose consignata est, qui Evæ Adamo traditæ vafritiem & scelus scriptis suis damnavit. Similem ob causam Prometheum Deucalionis patrem dictum credidierim, quia veram Noachi & Diluvii historiam Moses hominibus tradidit. Est apud Nicandrum in Theriacis, Jovem post deprehensum hominum indicio Promethei furtum, præmium hominibus Juventam concessisse; quam cum asino imposuissent, asinus vero sitiens ad fontem accessissset; & potu a serpente prohiberetur, ita bibendi ab eo impetrasse veniam, si sibi, quod gestabat dorso, donare vellet; id urgente siti pactum esse asellum; proptereaque senium deponere serpentes & juvenescere. Ad ea si quis attendat, perpetuo hoc juventutis dono expressum deprehendet beneficium Israeliticæ genti in deserto concessum a Deo, ne vestes eorum aut calceamenta vetustate detererentur; sitientem hunc asinum typum esse asinarum agrestium, quos Mosi totique Judæorum populo siti jam exarescenti ad fontes viam præmonstrasse

Hyg. Poet. Astron. L. 2.

African. l. 3. Chronogr. apud Euf. Præp. l. 10. c. 10.

Hesiod. Theog.

Exod. 3, 17.

Exod. 7, 34.

Levit. 6, 13.

Prometh. Lucian. Æschyl. Prom.

ſtraſſe mendax vetuſtas commenta eſt; ſerpentem vere ſignare æneum Serpentem, cujus aſpectu inflicta a ſerpentibus ignitis vulnera ſanabantur. Narrant ſcriptores fabularum Jovis mandato Prometheum a Mercurio & Vulcano in Caucaſum montem fuiſſe ductum, & in ſpelunca vinctum, propter raptum de cœlo ignem: Moſes Dei juſſu Sinai montem conſcendit, & cum Dei gloriam intueri vellet, a Deo poſitus eſt *in foramine petræ.* Aquila Typhonis filia Promethei jecore paſcitur; Typhonem eſſe diximus Moſem; Aquilam autem Ebræi נשר appellant, cujus vocis origo eſt in radice שור, *contemplatus eſt, ſpeculatus eſt;* quia ex hac ſpelunca, in qua fuerat a Deo conſtitutus, tanquam e ſpecula, Dei gloriam contemplatus eſt. Supplicio demum & vinculis ab Hercule Prometheus exemtus eſt: in quo mihi obſcure adumbrata videtur pugnæ Amalecitanæ hiſtoria, quam dum pugnabat Joſue, quem Herculem eſſe oſtendam, Moſes in vertice montis manibus per totum diem expanſis manſit, nec inde abſtitit, quam per partam a Joſua victoriam veluti ſolutus eſt. Hanc ipſam Promethei fabulam, nominibus diſcrepantem, re ipſa pene ſimilem reperias in apocrypho libro Enoch, apud Georgium Syncellum, & in Joſephi Scaligeri Notis ad Euſebii Chronicon: narrat enim Azalzelem, decimum inter Egregoros, metallicæ fabricæ artem hominibus tradidiſſe; id indignatum Deum juſſiſſe Raphaelem, manibus pedibusque conſtrictum Azalzelem, in loco ſolo & tenebricoſo, ſubſtratis acutis petris ſtatuere. Agnoſcis, Lector, in Azalzele Prometheum, in Raphaele Mercurium. Azael porro, & Azalzel; voces corruptæ ſunt ex עזאזל, de quo hæc leguntur in Levitico: *Duos hircos ſtare facit* (Aaron) *coram Domino, in oſtio tabernaculi teſtimonii, mittensque ſuper utrumque ſortem, unam Domino, & alteram* לעזאזל *Azazeli.* Septuaginta verterunt, τῷ ἀποπομπαίῳ· Ex hoc loco perperam accepto anſam arripuerunt Judæi, ut Azazelem Dæmonem quemdam eſſe crederent, ad quem alter hircorum in deſertum mitteretur. Id docent R. Eliezer in Pirka & R. Abraham Menachem in Leviticum. Qui error tranſiit & ad Valentinianos. Idem de hoc ἀποπομπαίῳ arbitrati ſunt Græci quidam, in iisque Julianus Apoſtata. Hinc ergo inter Egregoros numeratus eſt Azazel. Sed & hæc Moſis verba de hircis ſortito delectis, quorum alter a ſummo Sacerdote ſacrificaretur Deo, alter vero poſt fuſas ſuper eo preces emitteretur in deſertum, ſuſpicari quoque poſſumus ortum dediſſe fabulæ ſupra a nobis ex Heſiodo narratæ, de bove Jovi immolato, & in duas portiones doloſe diſtributo, & pellibus duabus incluſo, quarum una carnem, altera oſſa contexit Prometheus, optionemque alterius eligendæ Jovi dedit. Quemadmodum enim hircorum alter Deo, alter Azazeli ſortito cedere exiſtimabatur; ita pellium una Jovi, Prometheo altera ſortito ceſſiſſe dicta eſt. Quod igitur Aaron, quem exotici fabularum fictores cum Moſe ſæpe confuderunt, ſorte victimas duas cum Deo quaſi partiretur, alteramque mactaret, alteram in deſertum emitteret, idem eſſe Azazel ad quem emittebatur, ac Aaron, a quo emittebatur, creditus eſt. Utramvis fabulæ hujus Promethei originem, vel hanc quam indicamus, vel eam quam attulimus ſupra, perſequi Lectori per me liceat, dummodo ex alterutra ipſam prodiiſſe certum habeat. Cæterum Enocho liber hic apocryphus idcirco affictus eſt, quod Enochum crediderint Veteres ab Angelis Dei eruditum, Aſtronomiam primum reperiiſſe, ab eo accepiſſe Chaldæos, a Chaldæis Ægyptios per Abrahamum, ab Ægyptiis Græcos. Hæc partim Joſephus, partim ex Eupolemo & Artapano Alexander Polyhiſtor referunt apud Euſebium.

Exod. 33, 22.

Levit. 16, 7. 8.

Joſeph. Antiq. l. 1. c. 9. Euſeb. Præp. l. 9. c. 16. & 17. & 11.

VIII. Quin & Cecrops, primus ille Athenienſium rex, Moſis effigies eſt. Ætas convenit in Euſebii Chronico. Facit huc quod ab Honorio Auguſtodunenſi, inepte licet, ſcriptum eſt, Cecropem in mari Rubro cum Pharaone periiſſe. Aegyptius Cecrops fuit. Aegyptius Moſes. Vulcano patre Cecropem ortum ferunt, propter rubi & Sinai montis ignes, & *tonitrua & grandinem ac diſcurrentia fulgura ſuper terram* Aegypti, & flammas quæ Coræ, Dathanis, & Abironis ſocios conſumſerunt. Δίμορφος & δίχρους & ἀμφυὴς & ambiguæ eſſe naturæ dictus eſt Cecrops, vel propter geminæ linguæ Aegyptiæ & Græcæ peritiam, vel quod ſuperiori parte homo eſſet, inferiori ſerpens: Moſi ſexum utrumque tributum fuiſſe, proindeque διφυῆ creditum, bicolorem etiam ſub Mercurii perſona depictum fuiſſe diximus. Cum autem virgam quæ divina vi in ſerpentem coram Aegyptiis mutata

Cecrops, idem ac Moſes.

Exod. 9, 23.

Digitized by Google

mutata fuerat geſſaret, & Serpentem æneum ad curandos ſerpentium morſus in Arabicis deſertis propoſuiſſet, id ad fabulam torſerunt mendaces Græci, & inferiori eum parte ſerpentem fuiſſe finxerunt. Athenienſium antea diſperſorum, & barbaro ritu vitam agentium, rempublicam inſtituit, iisque leges dixit, ut Ebræis Moſes. Duas calluit linguas Græcam & Aegyptiam, Moſes Aegyptiam & Ebraicam. Primus Jovi bovem immolaſſe dictus eſt Cecrops, vel quod Vitulum aureum confregerit Moſes, vel quod ſacrificiorum ritus Iſraelitas docuerit.

Minos, idem ac Moſes.

IX. Licet etiam in Minoe Cretenſium rege Moſem reperire. Eadem certe utriusque ætas eſt; Europa quippe Cadmi ſorore natus eſt Minos; Bacchi autem, qui Moſes eſt, Cadmus avus fuit. Rurſum Herculis æqualis fuit Minos; Herculem autem Joſuam eſſe infra oſtendam. Cum Moſem Minois æqualem dico, non verum Moſem intelligo, qui vetuſtior fuit; ſed perſonatum, qualis eſt Bacchus. Qui ſenſus his quas inſtituimus comparationibus ſæpe adhibendus eſt. Deinde & cum Herculi ac Baccho æqualem Minoem ponerent priſci ſcriptores fabularum, non erant neſcii a vetuſtioribus etiam fabulam Minois repetendam eſſe temporibus ac vulgo fieret: ejus enim antiquitatem prædicant Thucydides, & Diodorus. Et Minois conjux Itona appellata eſt, auctore eodem Diodoro, hoc eſt, ut conjicio עתנא, *antiqua*, ex Chaldaico עתן, quod tempus ſonat. Et leges a Minoe Cretenſibus poſitas omnium antiquiſſimas eſſe definit Plato in Minoe. Matrem Phœniſſam Minoi adſcripſerunt fabulatores: Moſis enim progenitores ex Phœnicia veniſſe ſciebant. Regnaſſe porro in Creta fingitur Minos, quod Moſes in Palæſtinam Ebræos deduxerit. Paleſtini autem in Libris ſacris ſæpe appellantur כרתים. Vulgata reddit *Cerethi*, & *Paleſtinos*: Septuaginta aliquando κρῆτας *Cretenſes*, ut a Bocharto obſervatum eſt. Gaza ipſa Palæſtinorum urbs, Minoa dicta eſt, teſte Stephano; & prope Gazam Minois oppidum collocatur ab Hieronymo. Idem Stephanus Gazæorum Deum Marnam, Jovem Cretenſem eſſe ait, Minois nempe patrem. Nos vero ſequimur Epiphanium, qui Marnam, non Cretenſem Jovem, ſed Aſterii Cretenſium Regis famulum fuiſſe docet. Aſterium autem illum Europam a Jove jam vitiatam duxiſſe ſcribit, & Minoem genuiſſe. Apollodorus vero Aſterium duxiſſe quidem Europam cenſet, ſed jam trium liberorum ex Jove matrem, Minois, Rhadamanthyos, & Sarpedonis, nullosque ex ea liberos ſuſcepiſſe. At unus tamen idemque fuit Aſterius ille, & Jupiter Cretenſium rex Minois pater. Jovem Aſterium Tzetzes appellat, & propterea Jovem dictum eſſe vult, quod olim Reges omnes Joves vocarentur. Marnam autem ejus famulum, Minoem ipſum fuiſſe puto, qui urbi & vicino oppido nomen dedit. Is filius Jovis habitus eſt, quod reges antiquitas Jovis filios dixerit: ἐκ δὲ Διὸς βασιλῆες. *Ex Jove autem ſunt Reges*, inquit Heſiodus. In Scriptura quoque ſancta optimates dicuntur Filii Dei. Sic in ſexto Geneſeos, qui Filii Dei nominantur, eos δυναστεύοντας, *(Principes)* Symmachus appellat. Sæpiſſime etiam viros pios, manſuetos, ac lenes, Filios Dei appellant Scriptores ſacri, ut docui ſupra cum de Vulcano agerem. Famulus vero Jovis dictus eſt Minos, quod divinorum præceptorum fuerit obſervantiſſimus. Atque in his Moſem licet agnoſcere, qui Ebræis jure regio præfuit, qui pietate ac lenitudine clarus fuit, & quem ſervum ſuum ſæpe Deus appellat. Vox autem Marnas, quam Scaliger & Seldenus interpretantur, κύριος ἀνθρώπων, *(dominus hominum)* ego vocem Aegyptiam eſſe reor Maneros, quo nomine affectus fuit Linus, qui Moſes eſt, uti paulo infra demonſtrabo. Maneros autem eadem vox eſt ac Monimos, & Monios, quæ Moſis cognomina eſſe diximus. Ex Monios itidem excuſa eſt vox Minos. Adeo ut non nomina ſolum, Monimos, Maneros, Marnas, Monios, & Minos, ſed res ipſæ his ſignatæ nominibus, unum eumdemque hominem, Moſem nempe ſignificent. Aliam præterea Minoam, a Minoe item dictam collocat Stephanus in Arabia: Arabiam autem per multos annos Moſes incoluit. Minæos etiam Arabiæ populos, a Minoe originem trahere creditos, Plinius commemorat. Sane & in portubus ſuis Muſa & Moſcha, Moſis nomen Felix hæc Arabia videtur retinuiſſe. Huc referri poteſt, quod legitur apud Tacitum: *Judæos Creta inſula profugos, noviſſima Lybiæ inſedisſe: argumentum e nomine peti; inclytum in Creta Idam montem, accolas Idæos, auctos in barbarum*

Thucyd. l. 1. Diod. l. 4. & 5.

Boch. Chan. l. 1. c. 15. Stephan. in γάζα. Hier. de Locis Ebr.

Euſeb.

Chr. l. 1. Apollod. l. 3. Joh. Tzez. Chil. 1. Hiſt. 19. Heſiod. Theog. Gen. 6, 2. Scalig. ad Fragment. Seld. de Diis Syr. Synt. 2. c. 1. Stephan. in Μίνοα. Plin. l. 6. c. 28. Tacit. Hiſt. 5. c. 2.

rum cognomento, Judæos vocitari. Unde cognoscitur, quamobrem Hercules ex Idæis Dactylis unus esse dictus sit, & Idæus appellatus, cumque iis & hunc, & Minoem ex Asia veniisse in Europam scripserit Diodorus Ephori testimonium secutus. Ratio in promtu est. Minos is erat Moses, Hercules Josue, quemadmodum suo probabitur loco; uterque Ebræus, sive ut posteri locuti sunt, Judæus; uterque ex Asia ortus. Liquet ergo Idæos Cretenses cum Judæis exoticos Scriptores confudisse. Expeditionis socios Mosi adjungit Diodorus, quod Israeliticæ genti ducem se Moses præbuerit. Præstigiatores fuisse ait, propter crebra illa & stupenda prodigia, quibus suum erga Ebræos favorem Deus declaravit. Ait & cerimoniis Deorum, sacrisque mysteriis vacavisse, quod & a Strabone proditum est; quippe veræ religionis cultores extiterunt Ebræi, rituumque præcepta a Deo acceperunt. Idem Deos omnes, & collata a Diis in homines beneficia, artium nempe omnium inventionem, & bonorum largitionem, ex Creta docet esse profecta: quod ex Mose nimirum, Mosisque scriptionibus profluxerit fabulositas, & fabularis omnis Deorum historia; artiumque & utilitatum complurium primus ipse repertor extiterit; quæ & supra jam attigimus, & in sequentibus declarabuntur. Addit Curetes Idæis ortos greges ovium coegisse, cicurasse pecudes, & mellificium docuisse; quod Aristæo, Mosi altero, adscriptum proxime videbimus: homines vagos & dispersos a ferino ritu ad humaniorem cultum, convictumque & concordiam traduxisse; quod in Orpheum, & Amphionem, Mosis item simulatas effigies convenire mox patefaciam. Saltandi arte præstiterunt; quæ laus Baccho, Pani, Priapo, Proteo, Orpheo, & Musæo, Mosis simulacris, a Luciano tribuitur. Ignis usum invenerunt; quod & de Vulcano, & Prometheo, Mosis item personam gerentibus prædicatur. Jam quoque perspicuum est, cur Cretam dixerit Solinus primam literis jura junxisse: nempe ob leges a Mose in tabulis propositas. Sed redeamus ad Minoem. Fratrem is unicum habuit Rhadamanthyn: nam qui tertius his adjungitur a nonnullis Sarpedon, non Europa natus est, sed Laodamia Bellerophontis filia, juxta Homerum, & Apollodorum: Moses fratrem unicum habuit Aaronem. Minois complures recenset liberos Apollodorus; at duos tantum Diodorus, Deucalionem, & Molum quot nempe Moses habuit. Primus leges inveniisse perhibetur Minos, easque Cretensibus proposuisse, non a se excogitatas, sed a Jove ipso sibi traditas, cum nono quolibet anno in antrum Jovi sacrum secederet, illicque cum ipso colloqueretur, atque eo tanquam præceptore uteretur. Homerus:

Diod. l. 5. Strab. l. 10. & 5. Lucian. de saltat. & in Bis. accus. Hom. Il. ξ. Apollod. l. 3 Diod. l. 5. Hom. Od. τ

τοισὶ δ' ἐνὶ κνωσσὸς μεγάλη πόλις, ἔνθα τε μίνως
ἐννέωρος βασίλευε διὸς μεγάλου ὀαριστής.

Apud eos erat Cnossus magna urbs, ubi Minos Regnabat, qui nono quolibet anno cum Jove magno confabulabatur.

Ἐννέωρος enim conjungendum est cum ὀαριστὴς, non cum βασίλευε, quod perperam fecerunt Interpretes. Sic ista igitur interpretatur Plato in Minoe: Homerus, inquit, vult Minoem nono quoque anno cum Jove congredi, & ad eum sic tanquam ad doctorem eruditionis caussa accedere; atque hanc laudem in neminem prorsus Heroum ab Homero fuisse collatam addit, præterquam in Minoem, Jove præceptore usum esse. ὀαριστὴν ergo exponit, συνουσιαστὴν ἐν λόγοις, *qui cum alio colloquitur.* In Ida monte antrum hoc collocat Maximus Tyrius, unde emendare licet Eusebium, cujus verba hæc leguntur in Chronico: Μίνως ἐθαλασσοκράτει, καὶ κρῆσὶ παρὰ διὸς ἐνομοθέτει, κομίζων τὰς νόμους ἐξ ἄντρου τοῦ ἐν τῇ ἰδίᾳ ἐνιαυτηρίδι· Scribe, ἐξ ἄντρου τοῦ ἐν τῇ ἴδῃ ut exsurgat hæc sententia: *Minos imperium maris obtinebat, & leges a Jove acceptas Cretensibus statuebat; afferens leges ex antro quod erat in Ida, nono quoque anno.* Ephorus apud Strabonem descriptas leges ex antro Minoem attulisse ait. Hæc nobis Mosem præclare exprimunt. Leges ipsi in monte traditæ sunt a Deo, & descriptas in Tabulis lapideis ad populum retulit: in monte a Deo positus est *in foramine petræ*, ut Deum transeuntem a tergo videre posset: *Loquebatur Dominus ad Moysem facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum*; vereque Dei ὀαριστὴς & συνουσιαστὴς erat Moses. Notat Plato nusquam finxisse Homerum cum Jove collocutum esse Rhadamanthyn. Atque hoc ipsum est quod legitur in libro Numerorum, Aaronem & Mariam, cum hæc de se jactassent: *Num per solum Moysem locutus est Dominus?*

Diod. l. 5. Strab. l. 10. Max. Tyr. Diss. 22. Exod. 33, 22. Exod. 33, 11. Plat. in Min. Num. 12, 2. 6. & seq.

Digitized by Google

minus? nonne & nobis similiter est locutus? Sic increpuisse Dominum: *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum: at non talis servus meus Moyses, qui in omni domo mea fidelissimus est; ore enim ad os loquor ei; & palam, & non per ænigmata, & figuras Dominum videt.* Vere igitur scriptum est a

Clem. Al. Strom. 2. Clemente Alexandrino: παρά τε ἄλλοις ἄδεται ὁ Μίνως, ἐνιαύσιος βασιλεὺς, ὀαριστὴς Διὸς. ἑκκαιδέκατον ἐαυτῶν ὑπὸς ποτε μετὰ μουσέως διελέγετο ὁ θεὸς, ὡς εἴ τις λαλήσειε πρὸς τὸν ἑαυτῦ φίλον. *Apud Græcos decantatur Minos, nono quoque anno Rex cum Jove colloquens: cum inaudissent ipsi quemadmodum aliquando cum Mose collocutus sit Deus, ut si quis amicum suum affaretur.* Addit Plato ad superiora, Talum, quo legum suarum custode Minos usus est, eas in tabulis exaratas habuisse; quod ad Mosaicarum Tabularum exemplum confictum est. Rex fuit Minos, & quidem βασιλεύτατος (*valde rex*) juxta Hesiodum: regiam potestatem in suos Moses exercuit. Minoem

Arist. Pol. l. 2. c. 8. & 12. θαλασσοκρατῆσαι, (*maris imperio potitum esse,*) auctor est Aristoteles, aliique deinceps: Moses mare Rubrum dicto audiens habuit, & manu protensa discedere pro imperio jussit & accedere. Apud inferos jus dixisse Minoem fingunt. Factum id in rebus tantum obscuris narrat Plato in Gorgia, & quarum spissa esset ac operosa dijudicatio, quæque Rhadamantho Asianorum, Æaco Europæorum judici non liquerent: plane hoc est quod de

Exod. 18. Mose in Exodo legitur, ipsum judices ex consilio Jethro soceri sui constituisse, qui leviores causas deciderent; de gravioribus vero ad ipsum fuisse relatum. Sceptrum

Hom. Od. λ. aureum Minoi tribuit Homerus, Jovis id scep-

Plat. in Minoe. trum Hesiodus appellat apud Platonem: mirifica hæc virga Mosis est, de qua Deus ad Mosem: *Virgam hanc sume in manu tua, in qua facturus es signa.* Alii sapientem Mi-

Exod. 4, 17. Sch. Hom. Od. τ. noem, τῇ τε γνώμῃ καὶ τῇ κρίσει διαφέροντα, (*consilio, judicioque præstantem,*) justum quoque fuisse volunt; alii tyrannum, violentum, difficilem, imperitum, & injustum.

Plat. Min. Plut. Thes. Causas fuisse censet Plato & Plutarchus Tragicorum Athenienſium dicacitatem & calumnias, propter vastatam a Minoe Atticam, & expugnatas, gravissimoque tributo oppressas Athenas. At supra notavimus Ægyptiorum maledicentia prosciſſum fuisse Mosem, & Typhonis nomine dedecoratum. Notavimus beneficum habitum & maleficum. Id a Chananæis, vicinisque gentibus, quas funditus delendas susceperat, factum opinari debemus. Non aliam ob causam latrocinia Minos & piraticam a nonnullis dicitur exercuisse, teste Eustathio: cum Ægypto præsertim excesserint Israelitæ, revera spoliatis Ægyptiis. Ergo & Josuam Israelitarum ducem & Mosis successorem Phœnices in Africam Tingitanam profugi, λῃστὴν (*latronem*) positis columnis & inscriptionibus Phœniciis appellaverunt, ut est in Procopii Vandalicis. Cum prisci fabularum fabricatores magnificum illum Labyrinthum, quem descripsit Herodotus, esse accepissent in Ægypto, unde prodierat Moses; a Minoe quoque suo, quem ad Mosis formam expressérant, Labyrinthum in Creta extructum finxerunt. Itaque testantur Diodorus & Plinius Dædalum Labyrinthi Cretici ex Ægyptio exemplar sumsisse. Cæterum falsum esse constat Labyrinthum ullum in Creta fuisse ædificatum; verum fabulæ occasionem dederunt ingentes & tortuosæ secturæ, quæ ad radices Idæ montis actæ sunt: cum ad Cnossum, aliasque urbes condendas lapides exciderentur. Visuntur hodieque eæ lapidicinæ, & a Bellonio perlustratæ sunt. Cnossum autem ædificasse dicitur Minos a Strabone, propterea que Labyrinthus jussu ejus conditus dicitur. His adstipulantur Etymologus, Cedrenus & Eustathius, qui hunc Labyrinthum subterraneam spelunEustath. in Iliad. ε. & Odyss. λ. Herod. l. 2. c. 148. Diodor. l. 1. Plin. l. 36. c. 13. Bell. Obs. l. 1. c. 6. Strab. l. 10. Etymol. in Λαβύρινθος. Cedr. Synopsi. Hist. p. 122.

cam contortuplicatam & sinuosam fuisse ajunt. Ejusmodi fuerunt Labyrinthi Nauplienses Straboni memorati, quos Cyclopia appellarunt. Scripsit Philochorus, Plutarcho teste, negare Cretenses quæ narrantur de Labyrintho; nec aliud fuisse quam custodiam, in quam conjiciebant, quos asservatos vellent. Idem habent Tzetzes & Nicetas. Atqui credibile est Latomias illas Creticas, itidem ut Syracusanas, carceris usum præstitisse. Taurus Pasiphaes, qui e mari prodierat, quemque in furorem egit Neptunus, cum alium ipsi Minos immolasset, Vituli aurei adumbratio quædam fuit; de quo dicebat Aaron: *Projeci illud* (aurum) *in ignem, egressusque est vitulus.* Pasiphaes autem adulterium, impium Ebrææ gentis cultum signat, Vitulo huic exhibitum: notum enim

Euſtath. in Iliad. ε. & Odyſſ. λ. Herod. l. 2. c. 148. Diodor. l. 1. Plin. l. 36. c. 13. Bell. Obſ. l. 1. c. 6. Strab. l. 10. Etymol. in Λαβύρινθος. Cedr. Synopſ. Hiſt. p. 122. Euſtath. in Odyſſ. λ. Strab. l. 10. Plut. Theſ. Tzetz. Chil. 11. c. 379. Nicet. de Imp. Andr. l. 1. Exod. 32, 24

Digitized by Google

est idolorum cultum, fornicationis & adulterii nomine sæpe in Scriptura sacra signari. Porro Vitulum hunc Moses iratus combussit & contrivit, cum legitimum aliorum vitulorum sacrificandorum ritum populares suos docuisset. Notissima est Scyllæ fabula, Nisi Megarensium regis filiæ, quæ Minoem Megaram obsidentem conspicata, tanto ejus amore exarsit, ut patrem ipsi, patriamque proderet: mutatis nominibus idem de Mose narrant Josephus, & Auctor Hypomnematis in Hexaemeron, quod Eustathio Antiocheno tribuitur: eum nempe cum exercitu adversus Æthiopas a Chenephre fuisse missum, & re egregie gesta Æthiopas in urbem regiam Sabam probe munitam compulsos obsedisse; (Megara dixere, hoc est מגורי *Habitationem*; sic enim exponit Bochartus) Tharbin vero regis Æthiopum filiam, conspecto de mœnibus Mose, forma ejus ac virtute captam, ita hominem adamasse, ut per internuncios de prodenda ipsi patria, nuptiisque cum eo contrahendis pacisceretur; atque id re præstitum fuisse. Inde forsitan originem habuit pervulgata opinio veterum, quæ ab Heliodoro literis prodita est, Sole, atque etiam Baccho, & Perseo, qui Mosis simulacra sint, prognatos esse Æthiopum reges. Porro ex uno hoc Mosis casu, non ista solum, de Niso, Scylla & Minoe historia prodiit; sed & consimilis quoque de Leucippo & Leucophry Mandrolyti filia; & par altera de Pisidice Lesbia & Achille; & germana etiam alia de Cyro & Nanide Crœsi filia; quas historias Parthenius in Eroticis recitavit. Manifestum est autem, nuptiis hisce Aethiopicis Mosis confingendis caussam præbuisse Sephoram Mosis uxorem Madianitidem, quæ in libro Numerorum Aethiopissa appellatur a Septuaginta interpretibus & a Vulgato, cum in Ebraico exemplari dicatur כושית, hoc est Chusithis. Quippe Chus Arabiam sæpius notare, a Bocharto probatum est. Refert Plutarchus, Minoe Atticam armis vastante, Deos velut ipsi succenturiatos, regionem quoque morbis, siccitate, & sterilitate fœdasse: cui fabulæ præbuit argumentum Mosis adversus Chananæos, proximasque gentes, Dei nutu susceptа; ope confecta expeditio. Merito ergo Mosem cum Minoe comparaverunt Strabo, & Josephus: merito ille quoque incerta esse dixit, quæ de Minoe tradita sunt, nec constare quidem inter Auctores Cretensisne ortu fuerit, an inquilinus. Liquidum etiam est vanam esse distinctionem, quam inter duos Minoas, avum, Jovis vel Asterii filium, Lycasti patrem; & nepotem Lycasti filium, Scriptores plerique inesse voluerunt, cum uterque vere unicus Moses fuerit. Sprevit igitur distinctionem istam Apollodorus, & unum dumtaxat Minoem agnovit.

Boch. Chan. l. 1. c. 34.

Heliod. l. 4.

Parthen. c 5. & 21. & 28.

Num. 12, 1.

Boch. Phal. l. 4. c. 2.

Plut. Thes.

Strab. l. 16. Joseph. l. 2. contr. Ap. Strab. l. 10.

X. Ex his porro quæ de Judæorum & Idæorum Cretensium affinitate vulgo credita fuisse diximus, lux accedere potest obscuro Machabaici prioris loco, ubi Spartanorum rex Arius Oniæ Judæorum Pontifici hæc scribit: *Inventum est in Scriptura de Spartiatis & Judæis, quoniam sunt fratres, & quod sunt de genere Abraham.* Docet Strabo Lyctum, Grotynam, aliasque urbes Creticas a Spartanis fuisse conditas, Lycurgum in Cretam abiisse, Minoem & Rhadamanthyn esse imitatum, indeque leges in patriam reportasse, ac utrosque simillimis usos moribus & institutis: quod & Plato docet in primo de legibus, & Aristoteles in secundo Politicorum. Lacedæmonii autem cum florerent omnibus copiis, credibile est Cretenses Spartanæ originis gloriam, aliquot tantum civitatum suarum propriam, ad totam gentem Creticam prorogasse, seque Sparta oriundos jactasse: nec abnuisse Spartanos, laudi sibi ducentes auctores haberi clarissimæ gentis. Credebant præterea Cretenses, vel credere se fingebant, Judæos ex se prodiisse: unde & hos quoque, tanquam progeniem suam agnoscere poterant Lacedæmonii; ac proinde arbitrari communem sibi esse cum Cretensibus & Judæis originem, quemadmodum filii, patris & avi communis origo est. Videtur autem opinionibus istis, tum cum in Creta esset, imbutus fuisse Arius: scriptum enim reliquit Plutarchus Arium Gortynios suppedias latum iviſſe in Cretam. Ergo cum pro certo haberi sciret Abrahamum vetustissimam ac nobilissimum Judaicæ gentis auctorem & parentem esse, eum quoque genti suæ parentem ascisendum ratus est: non quod ita ipsi esset fortasse persuasum, sed quod in rebus favorabilibus, cum ignoratur veritas, figmenta pro veris habere deceat; ad eamque simulationem Lacedæmonios gratia Judaicæ gentis invitaret. Sic Turcæ cum oppu-

Explicatur 1. Mach. 12. 21. in quo agitur de Judæorum & Spartanorum germanitate.

Strab. l. 10.

Plut. Pyrrh.

Digitized by Google

oppugnarent Græciam, ut a mittendis ipsi subsidiis Italos averterent, scribebant ad summos Pontifices Turcicam & Italam gentem a Trojanis ducere originem; qui cum a Græcis olim magnis calamitatibus fuerint affecti, debere Italos sibi favere, dum majorum injurias persequuntur. Quapropter Arius de communi illa Judæorum & Spartanorum origine, velut re explorata & comperta non differit, sed ut re fortuito sibi cognita ex libro, cujus nec titulum, nec auctorem indicat; propter obscuritatem videlicet: ἐυρέθη ἐν γραφῇ, *(Inventum est in scriptura:)* & apud Josephum: ἐντυχόντες γραφῇ τινι ἐυρομεν. *(Legentes scripturam quamdam reperimus.)* Videtur autem scriptum habuisse liber ille, Judæos Abrahami sobolem, Cretensium Idæorum colonos esse, Cretenses vero Spartanorum. Id ere nata arripuit Arius, atque hinc collegit vel Abrahamum illum, Judæorum parentem, ex Spartanis quoque esse ortum, itidem ut posteros ejus Judæos; vel Spartanos itidem ut Judæos ex Abrahamo prodiisse: si verum fuisset prius illud, non valde antiquum utique id esse posse propter gentis suæ, si cum Ebræorum vetustate, & nobilitate comparasses, novitatem; nec ignorari id potuisse, propter nimis recentem rei memoriam, claraque tam egregii ac nobilis civis sui apud se mansura fuisse vestigia; quæ cum extarent plane nulla, unum superesse, ut Spartanos, perinde ac Judæos, Abrahami progeniem esse agnosceret. Hoc in tanta originis obscuritate, qualis illa erat Lacedæmoniorum, impune credere & dicere licuit. Cujus originis dubiæ ac controversæ conscius Arius vetustissimum ac Clarissimum genti suæ auctorem & parentem, qualem fuisse Abrahamum acceperat, adscribere posse putavit. Simili ratiocinatione uti necesse est eos, qui Arium putant idcirco Jonathæ scripsisse, Spartanos esse fratres Judæorum, quod a Judæo Spartone Bacchi commilitone Thebis profecto, cujus meminit Claudius Iolaus apud Stephanum, ortos utrosque crediderit: atque ita Judæum illum Spartonem cum alio Spartone Phoronei filio, Spartæ, juxta nonnullos, conditore confuderit. Nam si Spartonem communem gentis utriusque auctorem esse censuit Arius, Abrahamo prognatum eum credere debuit.

Stephan. in Ἰουδαία.

Perperam locum hunc

XI. Eamdem repræsentavit Epistolam Josephus, in libris Judaicæ ἀρχαιολογίας, *(Narrationis antiquitatum)* sed ita ut a legitima Machabaici historici sententia prorsus aberret. Res ex utriusque contentione apparebit. Sic Machabaicus: ἔτι πρότερον ἀπεστάλησαν ἐπιστολαὶ πρὸς ὀνίαν τὸν ἀρχιερέα παρὰ Δαρίου βασιλεύοντος ἐν ὑμῖν, ὅτι ἐστὲ ἀδελφοὶ ἡμῶν, ὡς (lego, ὧν) τὸ ἀντίγραφον ὑπόκειται. καὶ ἐπεδέξατο ὀνίας τὸν ἄνδρα τὸν ἀπεσταλμένον ἐνδόξως, καὶ ἔλαβε τὰς ἐπιστολὰς, ἐν αἷς διεσαφεῖτο περὶ συμμαχίας καὶ φιλίας. καὶ ἡμεῖς δὲ ὄντες ἀπροσδεεῖς τούτων, παράκλησιν ἔχοντες τὰ βιβλία τὰ ἅγια τὰ ἐν τοῖς χερσὶν ἡμῶν, ἐπειράθημεν ἀποστεῖλαι τὴν πρὸς ὑμᾶς ἀδελφότητα καὶ φιλίαν ἀνανεώσασθαι, πρὸς τὸ μὴ ἐξαλλοτριωθῆναι ὑμῶν. *Jampridem missæ erant epistolæ ad Oniam summum Sacerdotem ab Ario qui regnabat apud vos, quod estis fratres nostri; quarum exemplar subnexum est. Et Onias virum qui missus fuerat, honorifice excepit, & accipit literas, in quibus significabatur de societate & amicitia. Nos igitur his non indigentes, solatio habentes Libros sanctos qui sunt in manibus nostris, aggressi sumus mittere ad renovandam germanitatem & amicitiam, ne alieni a vobis efficiamur.* Apertissima sententia: Oniam ait jampridem ab Ario literas accepisse, in quibus de gentis utriusque Judææ & Spartanæ germanitate scriptum erat; legatum honorifice fuisse susceptum, & literas quoque ipsas, quæ societatem & amicitiam proponebant: qua societate quanquam tuto carere possint Judæi, omnem spem & solatium in sacrorum Voluminum pollicitationibus repositum habentes, conditionem tamen ipsos accipere, ac libenter amicitiam & germanitatem renovare cum Spartanis, ne amicitiæ solvatur nexus, ac neglecta societas diuturnitate extabescat. Sic intellexit Vulgatus Interpres, sic Syrus. Longe vero aliter Josephus: nam isthæc: ἡμεῖς δὲ ἀπροσδεεῖς τούτων ὄντες *Nos igitur his non indigentes*, refert, non ad, συμμαχίας καὶ φιλίας, *societate & amicitia*, quæ proxime præcedunt, sed ad, ἀπεστάλησαν ἐπιστολαὶ, ὅτι ἐστὲ ἀδελφοὶ ἡμῶν· *Missæ sunt epistolæ, quod estis fratres nostri;* atque ita exponit: δεόμενοι τῆς τοιαύτης ἀποδείξεως. *Non indigentes hujusmodi declaratione.* Tum quod subest in Machabaico: παράκλησιν ἔχοντες τὰ βιβλία τὰ ἅγια τὰ ἐν τοῖς χερσὶν ἡμῶν· *Solatio habentes Libros sacros qui sunt in manibus nostris*, sic reddit Josephus; διὰ τὸ ἐκ τῶν ἱερῶν

interpretatus est Josephus.

Joseph. Antiq. l. 13. c. 9.

ἱερῶν ἡμῶν πεπιστεῦσθαι γραμμάτων. *Quod ſacra noſtræ litera his fidem fecerint:* hoc eſt, ejusmodi ſignificatione, & admonitione nobis opus non erat, ea nempe qua de germanitate noſtra nos monuiſtis, quippe quam jam ex Libris noſtris ſacris compertam habeamus. Velim æquus & attentus Lector totam Machabaici Scriptoris ſententiam expendat, & cum antecedentibus ac ſequentibus controverſum locum conſligat, omnino intelliget ea, quorum ἀπροσδεεῖς (*indigentes*) Judæos eſſe ſcribit Jonathas, eſſe συμμαχίαν (*ſocietatem*) & φιλίαν (*amicitiam*) Spartanorum, quarum proxime præcedit & ſubeſt mentio. Nam ſi id ſibi voluiſſet Jonathas, Judæos non eguiſſe admonitione illa, qua de germanitate ſua cum Spartanis docebantur, dixiſſet utique, ἡμεῖς ἂν ἀπροσδεεῖς ταύτης: *Nos igitur non indigentes ea.* Nunc cum dixerit τούτων, *harum*, manifeſtum eſt reſpexiſſe ad συμμαχίαν (*ſocietatem*) & φιλίαν (*amicitiam*) proxime commemoratas. Quod opponit autem Grotius, hujus interpretationis aſſertor, παράκλησιν hic ſignificare ἀπόδειξιν (*declarationem*) velut nono

1. Mach. 9, 2. Ma35. capite prioris hujus Machabaici: παρακάλεσε τοὺς Ναυαρτίους ἑαυτῷ παραβοηθῆσαι ἑαυτοῖς τὴν ἀποστειλὴν ἑαυτῶν τὴν πολλήν, vanum & frivolum eſt: nam παρακάλεσε illic non uſurpatur pro ἀπέδειξε (*declaravit*) ſed pro ἱκέτευσε, ἐδεήθη, ἠξίωσε. Vulgata, *rogavit.* Et παράκλησιν, *adhortationem, deprecationem, evocationem*, ſignificare fateor; ἀπόδειξιν, prorſus nego. Perperam igitur Jonathæ epiſtolam interpolavit, & adulteravit Joſephus; quemadmodum & illam Arii, uti recte animadvertit Scaliger in Ca-

Scalig. Can. Iſag. l. 3. nibus Iſagogicis. Quod ſi cui noſtra hæc de Judæorum & Spartanorum conſanguinitate conjectura non ſatisfacit, alteram afferemus infra: nam in re dubia & incerta ſuſpicionibus patet locus, & quæcunque probabilitatem habent aliquam & ſimilitudinem veri, confidenter & utiliter proponi poſſunt.

Rhadamanthys, idem ac Moſes. XII. In plerisque Minoi & Rhadamanthi convenit, ætate, patria, parentibus, quæ nobis itidem argumento eſſe poſſunt, & hunc quoque ad Moſis exemplar a figmentorum artificibus eſſe adornatum. Nominis origo

Euſtath. in Iliad. ξ. obſcura eſt & incerta. Hanc proponit Euſtathius, ἐπεὶ ἡ μήτηρ ἐμάνη, τουτέστι πάνυ ἐρωτικῶς διετέθη περὶ τὰ βόδια, ἅπερ ὁ ἀυτὴν ἁρπάσας ταύρος προσήγετο. *Quia mater ejus inſaniit, hoc eſt inſana cupiditate affecta fuit erga boves, quas ipſi taurus præbuit, a quo rapta eſt.* Quod valde ineptum eſt. Ex Oriente petenda fuit nominis hujus originatio: nempe ex רדה, quod eſt, *caſtigavit, erudivit, ſubegit, præfuit, dominatus eſt*; unde מרדא, *pædagogus, præceptor*: & ex אבט, *terruit.* Ita ut ex מרדא אבט, quod *Præceptorem terribilem* ſonat, conflatum ſit nomen *Rhadamanthyos.* Illius ecquod ſit apud inferos officium, malo Virgilii verbis, quam meis referre: Virgil. Æn. 6.

Gnoſſius hæc Rhadamanthus habet duriſſima regna,
Caſtigatque, auditque dolos, ſubigitque fateri,
Quæ quis apud ſuperos furto lætatus inani,
Diſtulit in ſeram commiſſa piacula mortem.
Continuo ſontes ultrix accincta flagello
Tiſiphone quatit inſultans.

Atqui id in Moſem aptiſſime convenit, qui & ſeveras leges Ebræis dixit, & ſi qui eas perrumpere auderent, acerbiſſimis ſuppliciis punivit. Hoc autem munere apud inferos defungi Rhadamanthyn finxerunt Veteres, quod dum viveret, juri dicundo fuiſſet a Minoe præfectus. Sunt qui legumlatorem fuiſſe dicant, alii primum legum repertorem. Ex Ephoro autem refert Strabo imitatorem Strab. l. 10. fuiſſe Minoem priſci cujusdam Rhadamanthyos, qui primus Cretenſibus leges conſtituerit, a Jove eas ſe accepiſſe fingens. Has Euſtath. in Hom. Od. τ inter Rhadamanthyos leges memorabilis illa erat, quæ vetabat ne per Deum quis juraret, nomenque Dei temere uſurparet, ὑπὲρ τοῦ μὴ θεὸν ὀνομάζειν ἐπὶ πᾶσιν. *Ne Deus omnino nominaretur*, inquit Euſtathius; per anſerem vero, aut canem, aut arietem, aut quid ſimile, & jurabat ipſe, & alios jurare jubebat; quod & a Socrate factum ferunt. Atque id Rhadamanthyos juramentum quamobrem Zenob. inter Proverbia retulerint Græci ſcriptores Cent. 5. Paræmiarum, Zenobius & Apoſtolius, & Prov. 81. Apoſtolius poſt illos deinde Eraſmus, prorſus non video. Cent. 17. Ipſiſſima autem Moſis lex eſt: *Non aſſumes* Prov. 7. *nomen Dei tui in vanum: nec enim habebit in-* Eraſm. *ſontem Dominus eum, qui aſſumſerit nomen Dei* Chil. 2. *ſui fruſtra.* Virgam, dum jura reddit, manu te- Cent. 9. Prov. 31. nere Rhadamanthyn ait Plato, in quo Moſis Exod. 20, 7. virgã poſſumus agnoſcere. Multas Aſiæ mari- Plat. timæ terras imperio ſuo ſubjeciſſe Rhadaman- Georg. thyn memorat Diodorus, quod & de Moſe Hi- Diod. l. 5. ſtoriæ ſacræ prædicant. Addit Diodorus hunc ἐρυθρᾷ, ἐπὶ τῶν ἑαυτῆ ποιήσων, παραδῦναι τὴν βασιλείαν τῶν δὲ ἐκείνην ἐρυθρὴν ὀνομασθέντων. *Erythro*

Digitized by Google

thro, uni ex filiis suis, regnum eorum tradidisse qui propter eum Erythri dicti sunt. Ita & Perseo, alteri Mosis imagini, Erythras filius adscribitur, qui in Rubri maris ora regnaverit; ut suo loco notabimus. Certe Rhamnæos Arabicam gentem a Rhadamando nomen habuisse tradit Plinius, nec alios esse puto, quam qui a Strabone Rhadamanitæ, & a Nonno Rhadamanes appellantur. Legimus enim in Dionysiacis Nonni Minoem ex insula Creta expulisse Rhadamanas in Arabiam: unde & alibi Dictæos eos appellat, & in expeditionis Indicæ societatem a Baccho ascitos fuisse narrat. Legimus & apud Stephanum, Rhadamanthyn cum fratribus Gazam Phœniciam urbem iviſſe. Atqui Moses & in Arabia, non privatus solum apud socerum Jethro, sed dux etiam ac gentis suæ princeps diutinam moram traxit; & ejus consiliis ac præceptis Ebræi obsecuti, Palæstinos, quorum regio fere maritima est, maximis damnis affecerunt. Memoriæ prodidit Isacius Tzetzes propter interfectum fratrem patria exulasse Rhadamanthyn: hæc historiæ Mosis interpolatio est, qui *virum Ægyptium, percutientem quemdam de Ebræis fratribus suis, percussum abscondit sabulo*, & in Madianitidem terram profugit. Rhadamanthyn Homerus non semel flavum appellat: πυῤῥακὴ fuisse Mosem tradit Artapanus apud Eusebium; rufum & crispum faciunt Muhammedani; πυῤῥόχρων quoque fuisse Typhonem, qui ad Mosis exemplar factus est, Plutarchus scriptum reliquit.

Plin. l. 6. c. 28. Strab. l. 16. Nonn. Dionys. l. 21 & 36. Stephan. in γάζα. Is. Tzetz. in Lycophr. Exod. 2, 11. & seq. Hom. Od. δ. & γ. Eus. Præp. l. 9. Plut. de Is.

XIII. Quin & Æacus, tertius inferorum Judex, Mosem exhibet. Minois æqualis fuit; æqualis & Bacchi, & Aristæi, in quibus latet occultus Moses; æqualis & Asterii, qui Minois filius fuit, avo cognominis. Atque hos, Æacum, inquam, Minoem, Aristæum, & Asterium, Baccho Indicæ expeditionis socios addit Nonnus in Dionysiacis. Jovis filius fingitur, item ut pleræque Mosis imagines, Bacchus, Minos, Rhadamanthys, alii. Jove in ignem mutato natus dicitur, perinde ut Bacchus. Testis Ovidius, cum ait de Jove: *Aureus ut Danaen, Asopida luserit ignis.* Asopis illa, Ægina est, Asopi filia, Æaci mater. Non ex Jove ignibus celato, at in aquilam verso genitum eum scribit Nonnus, sed prope ardentem & ignitum fluvium. Fabulam fusius narrat Apollodorus, Asopum, cum Jovem Æginam rapientem pertinaciter insequeretur, a Jove fulmine fuisse ictum, & ad fluenta sua remissum; proptereaque ex fluvio hocce carbones efferri. Quæ manifesto alludunt ad fatum Bacchi, igneo & fulgurante Jove ac Semele prognati; & ad Mosem itidem referenda sunt. Mater Æaco tribuitur Ægina Asopi fluvii filia; quod Thermuthis, velut altera Mosis mater, eum ex fluvio extraxerit. Piissimum omnium hominum fuisse Æacum testificatur Apollodorus, Græcorum omnium Plutarchus: sanctitatem ac pietatem Mosis prædicare nihil attinet. Virgam inter judicandum tenuisse Æacum dicit Plato; quo sacra illa Mosis virga notatur. Græciæ siccitate, sterilitate, ac fame laboranti largos imbres, & vilem ac uberem frugum annonam precibus & sacrificiis a Jove Æacus impetravit: Moses Israelitis aquam, manna & coturnices. Observatum est a Pausania, ex Æaci liberis nullum ipsi in regnum Æginæ succesisse: Mosis filiorum nullus paternæ dignitatis hæres fuit. In Æaci Templo, quod in urbe Ænigna visebatur, ara erat paulum e terra extans, quam Æaci monumentum fuisse in arcanis habebatur, ut auctor est Pausanias: de sepulcro Mosis sic postremum caput Deuteronomii: *Et non cognovit homo sepulcrum ejus usque in præsentem diem.*

Apollod. l. 3. Plut. Thes. Plat. Georg. Paus. Attic. Paus. Corinth. Deut. 34, 6.

XIV. Occulit Mosem & Proteus, Deus ille multiformis. Mosis æqualis fuit; nam consulit eum apud Virgilium Aristæus, quem Mosem esse paulo post ostendam. Bacchum etiam, larvatum Mosem, excepit hospitio, ut est apud Apollodorum. Et ejus filios denique interfecit Hercules, quem Josuæ imaginem gerere probabo. Neminem vero fallat, quod excidii Trojani æqualem facit Homerus. Chronologorum leges spernunt Poëtæ: ad quos si quis singula fabularis historiæ capita revocare velit, deum perdet. Nec me movet jactatio Scaligeri, qui Apollodori historiam cardinibus Chronologicis consentire, idque probare se posse dicebat. De summis fortasse rerum fastigiis, non de partibus singulis & personis dictum hoc putem. Quamquam & ea sperare ac polliceri potuit homo vanus & confidens, quæ præstare non posset. Ægyptium faciunt veteres, qualis Moses fuit: alii Thracem; Pallenen enim, quam ipsi patriam assignat Virgilius,

Proteus, idem ac Moses. Virgil. Georg. l. 4. Apollod. l. 3.

Æacus, idem ac Moses. Nonn. Dionys. l. 13. Ovid. Met. l. 6. Nonn. Dionys. l. 13 Apoll. l. 3.

Digitized by Google

in Thracia Stephanus, alioque collocant: cujus rei causſam ad Moſen quoque pertinere docebo infra, ubi de Orpheo diſſeram. Patrem Jovem habuit, ſi Luciano fides eſt: nam quibus regia poteſtas & dignitas contigerat, eos Jove prognatos antiqui fingebant, ut ſupra dixi. Atqui regem Ægypti Proteum fuiſſe dicunt Herodotus, & Euripides; & id dignitatis Moſes obtinuit. At Johannes Tzetzes Neptuno & Phœnice, Phœnicis filia, natum Proteum eſſe docet; in quo Moſis, Ebræorumque, quorum avi olim venerant ex Phœnicia, originem licet animadvertere. Atque hæc mihi videtur fuiſſe ratio, cur Memphi templum ipſi conditum fuerit eo loco, qui Caſtra Tyriorum appellatus eſt, inter Tyrios Phœnices circum habitantes: quod diſcimus ex Herodoto. Cur autem Neptuni dicatur filius, vel ſi Homerum ſequimur, famulus, cauſſa fuit mirabilis maris Rubri tranſitus, cujus qui fuit auctor & dux Moſes, ita faventem & propitium viſus eſt fabularum ſtructoribus habuiſſe Neptunum, ut eo natum eſſe ſtatuerent. Hanc etiam videtur habuiſſe cauſſam Pſeudo-orpheus, quamobrem maris claves Proteum gerere diceret; eamdem & alii, cur paratum ipſi a Neptuno alveum ſub mari finxerint, per quem ex Pallene in Ægyptum ſiccus penetraret, uti referunt Iſacius Tzetzes, & Phylargyrius. Forſitan & quod accepiſſent vetuſti opifices figmentorum, *ingreſſum Moſem medium nebulæ aſcendiſſe in montem, nube denſiſſima opertum*, & a Deo locatum *in foramine petræ*, idcirco Proteum in obſcuris illis meatibus, vel in ſpecubus latitantem finxerunt. Ob quam etiam cauſſam ex Thracia, regione ſeptentrionali, profectum eſſe voluerunt, uti & Orpheum, & Eumolpum, Moſis itidem, ut mox oſtendemus, imagines: Septentrionem enim Veteres caliginoſum, & denſis tenebris obſitum cenſuerunt. Ideo ζόφον *(tenebras)* apud Homerum, Strabo Septentrionem interpretatur. Origo vocis eſt in Ebraica נעה, quod eſt *occultavit*. Unde נעה *Aquilo, Septentrio*. Tibullus Panegyrico ad Meſſalam, de Septentrione:

Illic & denſa tellus abſconditur umbra.

Riphæos montes, quod poſiti ſint ſub Septentrionibus, tenebricoſos & nocte damnatos eſſe dicunt Poëtæ veteres, Sophocles & Alcman. Septentrioni cum religioſos cultus exhibent Tunquinenſes, menſam apponunt nigram, nigras inſternunt lances, nigris ipſi veſtibus ſunt induti. Aquilonem Turcæ appellant Karaiel, hoc eſt, nigrum ventum; Circaſſos Septentrionales Caracherkes, hoc eſt, Circaſſos nigros. Nec aliam ob cauſſam Pontus Euxinus videtur etiam nominatus ab Euripide, Mare nigrum; Propontis, Mare album, quam quod ille ad Boream Boſpori, hæc ad Auſtrum ſita ſit. Circius, qui & Thraſcias, Straboni eſt Μελαμβορέας *(niger Boreas)* & is in aliquibus Galliæ noſtræ locis, Ventus niger vocatur. Arabes quoque Mare ſeptentrionale, Tenebroſum & Piceum appellant. Ita paſſim Geographus Nubienſis. Meminit & regionis cujusdam ſeptentrionalis Marcus Paulus, quam Obſcuritatem nominari ait. Hinc & Aquiloni vento nomen. Aquilus enim color, niger eſt. Gloſſarium: *Aquilum*, μέλαν, ὡς Λυκόφρων *(nigrum, ut Lucillius.)* Suetonius opponit candido. Feſtus fuſcum & ſubnigrum interpretatur. Virgilius itaque quod ſubfuſcus eſſet, aquilo dicitur fuiſſe colore. Eodem ſenſu dixit Plautus, corpus aquilum; Varro, fluctum aquilum; Martianus Capella, Deos aquilos. Apulejus, aquilum agmen, quod opponit cano. Eodem dicitur & Aquilo. Nos Galli dicimus, *La Biſe*, pari ſignificatu: nam Gallice *bis*, nigrum ſonat. Aquilæ etiam a nigrore nomen eſt: nam Homero nigra dicitur, Æſchylo κέλαινος ὄρνις, *(nigra avis.)* Et duo aquilarum genera Ariſtoteli commemorata hinc nomen trahunt, Melanæetus & Percnopterus. Inventores ergo fabularum ut exprimerent denſam illam montis caliginem & opacam nebulam, e qua egreſſus ad ſuos rediit Moſes, ex ea mundi parte veniſſe dixerunt, quæ opacis obſepta tenebris credebatur. Duos filios Proteus habuit; duos & Moſes. Omnia ſeſe in rerum miracula transformabat; in ignem, propter fulgura & flammas Sinai montis verticem obſidentes, cum Deum Moſes alloqueretur; in ſerpentem, propter virgam Moſis, quæ in ſerpentem, & rurſum ex ſerpente in virgam mutata eſt; & in alias denique formas, propter varia prodigia virgæ hujus ope edita. An eamdem ob cauſſam, propter quam Mercurio facies partim aurea, partim nigra dabatur, petaſus item, partim candidus, partim niger; Apollini vero caput

Lucian. de mort. Peregr.

Herod. l. 2. c. 112. Eurip. Hel. Prol. Tzetz. Chil. 2. Hiſt. 44.

Herod. l. 2. c. 112. Homer. Od. δ.

Orph. Hymn. in Proteum.

Iſ. Tzetz. in Lycogr. Philarg. in Virgil. Georg. 4. Exod. 24, 18 & 19, 16. & 33. 32.

Hom. Od. ε & κ. Strab. l. 1. & 10.

Sophocl. Oedip. Colon. v. 1311.

Euripid. Med. v. 310.

Geogr. Nub. Clim. 7. P. 1. & 9. Marc. Paul. l. 39. c. 49.

Suet. Aug. c. 79. Auct. vit. Virg.

Plaut. Poen. 5. 2. Varro περὶ Θορᾶς κόσμου. Mart. Capell. l. 2. Apul. de Deo, Socr. Æſch. Agam. v. 115 Ariſt. Hiſt. Anim. l. 9. c. 33.

Digitized by Google

perfeniratum; & simulacra aliquando atra, aliquando splendida? Id quidem velle videtur Horatius, cum Protea, non quidem corpus, sed tantum vultus mutare dixit. Præterita, præsentia & futura callere dictus est Proteus, quod præteritorum historiam, descriptionem præsentium, & futurorum prædictionem lucubrationibus suis Moses complexus sit. Magnum fuisse Proteum, & præstigiatorem, tradunt Auctores plerique; quo nomine & Mosem Apollonius Molon, Lysimachus, & alii traducere conati sunt. Ἀπανομάντιν etiam fuisse, hoc est futura per pelvispicium, ut ita loquar, prænovisse testatur Johannes Tzetzes: Protei columnas commemorat Virgilius; ejusdem in Astrologicis scientiam Diodorus prædicat. Horum omnium caussæ brevi Apionis narratione continentur. In Ægyptiacis quippe scripsisse hunc refert Josephus, Mosem Heliopolitanum fuisse, & in patria sua statuisse quoddam instrumentum, quod verbis ipsius describere satius est: ἀντὶ δὲ ὀβελῶν ἔστησε κίονας, ὑφ' οἷς ἦν ἐκλύπωμα σκάφη, σκιὰ δ' ἐνδρὸς ἐπ' αὐτὴν διακειμένη, ὡς ὅτι ἐν αὐθέρι τοῦτον καὶ τὸν δρόμον ἡλίῳ συμπεριπολᾶν. Hæc ita leguntur in codice manuscripto Bibliothecæ Regiæ, & in libris editis, licet valde mendosa sint, quemadmodum & totus iste liber: quæ sic restituere conabar: ἀντὶ δὲ ὀβελῶν ἔστησε κίονας, ὑφ' οἷς ἦν ἐκλύπωμα σκάφης, σκιὰ δ' ἐπ' ἄκρων ἐπ' αὐτὴν διακειμένη, ὡς ὃν ἐν αὐθέρι, τοῦτον καὶ τὸν δρόμον ἡλίῳ συμπεριπολᾶν. Sensus est; *Pro veruculis columnas statuit, quibus scaphæ forma subjecta erat; ab harum vero summitatibus umbra in eam incidebat; ita ut eundem cursum, quem sol in æthere, absolveret.* Dictionem, ἐνδρὸς, Interpres non agnoscit. Cæterum intricatus est sermo, quapropter a Josepho deridetur. Hac ergo correctione contenti simus, dum melioris Codicis nobis contingat subsidium. Mosem ait pro veruculis columnas in scapha statuisse, quarum umbra solarem cursum designaret. Scaphen, sive Hemisphærium intelligit, quod ab Aristarcho Samio inventum esse Vitruvius docet. Describitur a Martiano Capella his verbis: *Scaphia dicuntur rotunda ex ære vasa, quæ horarum ductus stili in medio fundo sui* (lego siti) *proceritate discriminant, qui stilus gnomon appellatur.* At Seiotheron Mosi ab Apione adscriptum, pro gnomone columnas habebat in medio, quarum usum ignoravit Grammaticus ille. Nam si umbræ solum projiciendæ utiles erant, longe melius id fecisset stilus unicus. Atqui hoc ipsum videtur esse horologium, quod nonnulli de grege Rabbinorum, a majoribus suis acceptum, & ab Ægyptiis, ut videtur, ac Babyloniis inventum describunt, quodque supra tres columellas in media scapha sitas magnam compactilium armillarum coagmentationem, multasque inscriptiones Ebraicas præferebat: atque id tamen fuisse Seiotheron ostendit Scaphe subjecta. Verum Mose inventum hoc longe esse recentius multa suadent, quæ nunc explicare non vacat. Plurimum differebat hoc horologium ab Achazi מעלות, quarum descriptionem dederunt iidem Rabbini. Utut est, vides Mosi, itidem ut Proteo, attributas ab Apione columnas, pelvim sive Scapham, & Astrologiæ peritiam. Egregius saltator fuit Proteus; quod de Orpheo itidem, & Musæo, quos ex Mosis quoque historia prodiisse ostendam, Lucianus tradidit; & nos supra de aliis, qui Mosem itidem dissimulant, scripsimus; propter cantatos a Mose Hymnos, & Mariæ sororis Mosis choros. Naturæ principia aperuisse Proteum legitur in Hymnis Orpheo adscriptis, & in Chiliadibus Tzetzis: quod unice Mosi convenit, qui de rerum origine, & mundi creatione luculenter, verissimeque disseruit. Proteus πολύβυλος, (*multi consilii*) appellatur in iisdem Orphicis: sic Mercurius Osiridis σύμβυλος, (*consiliarius*) fuisse dicitur a Diodoro, διὰ τὸ φρονήσει τοῦτον διαφέρειν τῶν ἄλλων φίλων. *Quod aliis omnibus ejus amicis hic prudentia præstiterit:* sic Bacchus in iisdem Hymnis, εὔβυλος, (*boni consilii*) & εὐπολύβυλος (*bonis consiliis plenus*) dicitur: Bacchus autem & Mercurius simulacra sunt Mosis: sic Moses ipse a Josepho dicitur *prudentissimus consiliarius*, σύμβυλος συνετώτατος. *Proteum fortissimum & invictum fuisse constat:* verba sunt Servii, qui & propter fortitudinem Herculem eum ait fuisse dictum: de Mose perhibet Josephus, ἐν ἅπασι τραγικὸν ἄριστον γεγονέναι. *In omnibus excellentem imperatorem extitisse.* Neptuni armenta & turpes phocas pascere Proteum cecinerunt Homerus, & Virgilius: Moses diu pastoralem vitam egit. Ex iis quæ de Proteo narrat Herodotus, summa ipsius æquitas & integritas intelligitur,

Horat. l. 1. Epist. 1.

Apoll. & Lysimach. apud Joseph. l. 2. contr. Apion. Tzetz. Chil. 2. Hist. 44. Virg. Æn. 11. Diod. l. 1.

Vitr. l. 9. c. 9 Mart. Cap. l. 6. c. 1.

Lucian. de saltat.

Orph. Hymn. in Prot. Tzetz. Chil. 2. Hist. 44.

Diod. l. 1. Orph. Hymn. in Dionys.

Joseph. l. 2. contr. Ap.

Serv. in Virg. Æn. 11.

Hom. Od. 4. Virgil. 4. Georg. Herod. l. 4. c. 115.

Digitized by Google

qua præcipue laude Moſes floruit. Divinos denique in Ægypto honores Proteus conſecutus eſt, itidem ut Oſiris, Mercurius, Vulcanus, & Typhon, in quibus fallax vetuſtas Moſem adumbravit.

Perſeus, idem ac Moſes.

XV. Moſes quoque Perſeo multis rebus ſimilis eſt. Liberi & Amphionis, quorum uterque Moſes eſt, Perſeus æqualis fuit. Herod. l. 2. c. 91. Diod. l. 1. Strab. l. 17. Ægyptium fuiſſe tradunt Herodotus, ac Diodorus: addit ille Chemmi poſitum ei fuiſſe templum, & a Chemmitis ſolitum gymnicis ludis celebrari: Strabo vero in Ægypto περσέως σκοπὴν, (*Perſei ſpeculam*) ponit; quod & ſpeculatorem fuiſſe Perſeum indicat: Aegyptius fuit Moſes; fuiſſe & ſpeculatorem oſtendit cognomen ipſius Oſarſiph, h.e. Solis ſpeculator: idem & διόπτης a Georgio Syncello dictus eſt, ut ſupra obſervavimus. Statim ab ortu in arcâ concluſus, & in mare abjectus eſt Perſeus & in Polydectæ deinde regia educatus; quorum conſimilia de Tenne & Hemithea Cycni regis Troadis liberis, de Oedipo Thebanorum rege, Telepho Herculis filio, & Cypſelo Corinthiorum tyranno finxerunt. Atq; hæc in Moſem appoſite congruunt. Magicæ artis peritum fuiſſe narrat auctor Philopatridos, qui libellus Luciano tribuitur: idem de Proteo, qui Moſes eſt, a nonnullis vulgo creditum eſſe diximus, ob prodigia a Moſe edita. Andromeden Cephei Aethiopum regis filiam duxit uxorem: Tharbis Æthiopum regis filia Moſis nuptias ambivit & impetravit, ut affirmat Joſephus; hic deinde uxorem duxit Sephoram Æthiopiſſam, hoc eſt Chuſitidem; nam Chus populos ad utrumque Rubri maris littus pertinentes ſignificabat. Perſei filium Erythram quidam faciunt, qui ad maris hujus oram imperitarit. Sic Rhadamanthyi, qui figura eſt Moſis, tribuit Diodorus Erythrum filium, qui regnum tenuerit Erythrorum, ut dixi ſupra; quod liberos Moſes hoc in litore genuerit. Mercurii talaria & gladium geſtavit Perſeus; quippe Mercurius ipſe Moſes eſt.

Joſeph. Antiq. l. 2. c. 5.

Diod. l. 5.

Moſes inter aſtra relatus, & Libræ geſtandæ adhibitus.

XVI. Non alio etiam quam ad Moſem videntur referenda, quæ in libro Memoriali ſcripſit Lucius Ampelius, rudis homo quidem & imperitus, ſed aliorum in ſcribendo ſubnixus ſtudiis, & aliquibus bonæ vetuſtatis reliquiis conſpicuus. *Libra*, inquit, *quam Græci ζυγὸν appellant, virile nomen eſt adeptus. Is omni clementiæ juſtitiæ Mochos dictus, qui primus dicitur libræ pondus hominibus invenisse, quæ utiliſſima mortalibus eſtimantur; ideoque in numerum ſtellarum receptus eſt, Libra eſt dictus.* En tibi Moſem proprio nomine appellatum, ſi pro *Mochos* legas *Moſchos*, quod eſt מושׁ. Quo nomine ab aliis Scriptoribus deſignatum Moſem ſupra diximus. Statices ipſi inventionem tribuit Ampelius, quod ſancte caverit, ne qua fraus ponderibus, menſuris, aut regulis ineſſet: *Nolite facere*, inquit, *iniquum aliquid in judicio, in regula, in pondere, in menſura. Statera juſta & æqua ſint pondera, juſtus modius, æquusque ſextarius.* Eadem graviſſimis verbis alio loco iterat: *Non habebis in ſacculo diverſa pondera, majus & minus; nec erit in domo tua modius major & minor: pondus habebis juſtum & verum; & modius æqualis & verus erit tibi, ut multo vivas tempore ſuper terram, quam Dominus Deus tuus dederit tibi. Abominatur enim Dominus Deus tuus eum qui facit hæc, & adverſatur omnem injuſtitiam.* Ineptum autem eſt, quod ait ineptus Ampelius, Libram, quam Græci ζυγὸν appellant, virile nomen eſſe adeptam. Libra a veteribus Aſtronomis, non ſola, uti nunc, ſed ſimul cum Libripende in Aſtrotheſia pingebatur. Diſerte Manilius: *Humana eſt facies Libræ.* Oſtendit hoc etiam vetus Calendarium ruſticum, marmori inſcriptum, quod repræſentavit Gruterus in Inſcriptionibus; in quo inter ſigna Zodiaci juvenis Libram geſtat. Munus cœleſtis Libræ pendendæ Auguſto delegavit ipſius ætas, quo optimo & æquiſſimo principi gratificaretur. Alii id Virgini adſcripſerunt. Atqui ex Ampelio intelligimus Moſi hunc honorem jam ante fuiſſe habitum, propter æquitatem, ac ſtatices inventionem, nempe, ut veriſimile eſt, ab Ægyptiis, vicinisque nationibus, Aſtronomiæ ſtudio deditis, quas Moſis fama pervaſerat. Certe Ægytii in mappis ſuis & Sphæris cœleſtibus, ſeptimo Zodiaci loco virum pingebant ſtantem, gerentem in dextra Libram, in ſiniſtra decempedam, in quam Moſaica virga progreſſu temporis mutata eſt.

Levit. 19, 35.

Deut. 25, 13. & ſeq.

Manil. l. 4.

Grut. Inſcr. p. 139.

Arſaces, idem ac Moſes.

XVII. Quinetiam in Ariſtæo nobilis conſtat Moſis effigies. Apollinis, vel ut aliis placet, Liberi filius dictus eſt Ariſtæus: Moſem in Libero & Apolline latere docuimus. Atque hic pater cum filio, ut alias ſæpe confunditur: nam Apollo ipſe Ariſtæus habitus eſt,

Digitized by Google

est, & Apollo quidem νόμιος, sive pastoralis, quod appositè in Mosem convenire ostendimus. Pastorem dicit Aristæum Virgilius, & tercentum ipsi Juvencos Ceæ dumeta tondere; Cyrenes ab Apolline raptæ, cum pecudes ad Penei ripam pasceret, filium fuisse prodit Apollonius in Argonauticis; & Apollo ipse, Pastor ab Amphryso memorandus dicitur: pastor fuit Moses πατρόθεν (*a paterna origine*) & prognatus Israelitis, qui pastores ovium fuerunt. Bacchi socium Aristæum faciunt Diodorus & Nonnus: Bacchus Moses ipse est; est & Mercurius, ac propterea nascentem Aristæum a Mercurio fuisse sublatum canit Pindarus. Aristæus Nymphis nutriendus est traditus, ut habet Diodorus: in aquas statim ab ortu abjectus est Moses, ab iisque servatus & extractus: Nymphas autem, lymphas esse, sive aquas notum est; quam ob caussam & Liber, qui Moses est, a Nymphis educatus fuisse dicitur. Indidem factum est, ut Aristæi mater Cyrene, Penei filia esse fingeretur; quod videlicet Mosem sua mater fluvio commiserit. Triplici nomine a Nymphis altricibus nuncupatus est νόμιος, ἀγρεύς, Aristæus. Prius gesserunt quoque Mercurius & Apollo; alterum Apollo & Pan. Pan autem, Apollo & Mercurius, Moses sunt. Duos ex Cyrene filios suscepisse Apollinem, Autuchum & Aristæum docent Scholia Apollonii: duos Aristæum Diodorus, Charmum & Callicarpum: duos Amramus filios genuit, Aaronem & Mosem: (filios dico, nam & filiam præterea Mariam habuit) duos & Moses, Gersamum & Eliezerum. Aristæum Hesiodus βαθυχαίτην (*promissos capillos gerentem*) appellat, propter radios e Mosis vertice micantes. Scribit Pindarus Libyæ terræ portionem Cyrene Aristæi matri donatum, ab eaque ἔνομον factam, hoc est legibus bene temperatam: legislatoris munere functus est Moses, atque id quidem in locis Cyrenaicæ proximis. Fertur Aristæus in Thraciam ad Bacchum esse profectus: Thraciam autem pro Palæstina poni; Bacchum, larvam esse Mosis & ex superioribus & ex sequentibus constat. Primum Aristæum Diis bovem immolasse a quibusdam traditum est; quod & de Cecrope, qui Moses est, tradidit Eusebius in Chronico; & quod Prometheo, qui Moses quoque est, ab aliis tribuitur: quia nempe Moses sacrificiorum rationem suos docuit, vel quod Vitulum aureum comminuerit. Ceos astri Sirii inclementia torrefactos sacris Jovi factis Aristæus sublevavit, & blandos Etesiarum flatus ad æstus mitigandos impetravit: Moses populares suos ad Nili ripas in miserabilem servitutem redactos, & sævissime habitos, libertatis compotes fecit, & in desertum ad sacra Deo facienda deduxit. Sirius autem idem est qui Nilus, ut supra monui: Æthiopibus Siris dicitur, teste Dionysio Periegete. Ubi perperam Eustathius nomen id Nilum a Sirio stella habuisse tradit, ὑπὸ κύνα γὰρ φασὶν, ὃ μέρος ὁ σείριος ἀστὴρ, πλημμύρει ὁ νεῖλος, ἐν ἐπιτολῇ κυνὸς ἀναβαίνων. *Sub Cane enim, inquiunt, cujus pars est stella Sirius, exundat Nilus, oriente Cane intumescens:* cum e contrario a Nilo Sirius stella nomen habeat; Nilus vero שיחור dicatur, a nigrore aquæ limo turbidæ, a Græcis μέλας; a Latinis Melo. Unde Nili simulacra ex nigro lapide fiebant, aliorum fluviorum ex albo. Aristæum fingit Virgilius matrem sub undis adiisse, rerum suarum jacturam & calamitates conquestum: Moses flumine extractus cum Pharaone de gentis suæ miseriis expostulat. Aristæum Medicinam, agriculturam, & vaticinandi artem Musæ docuerunt, ut discimus ex Apollonii Argonauticis, & Politicis Heraclidis: Propheta fuit Moses, & naturas rerum percalluit, fuit enim *eruditus omni sapientia Ægyptiorum*, ut habet Lucas in Act 9; eumque ob medicinæ peritiam laudat Clemens Alexandrinus. Aristæum artes omnes tenuisse scribit Germanicus in Arateis Phænomenis, & ab antiquis sub Aquarii signo cœlo consecratum credi; alii relatum eum esse narrant in Deorum numerum, propter res in usum generis humani & commodum inventas, & dia ipsius reperta, quæ recenset Nonnus in Dionysiacis, unde & βιοσσόον, *vitæ servatorem* appellat: quam multis gentem suam hominesque universos beneficiis devinxerit Moses, supervacuum est exponere; hinc certe divinos honores apud Ethnicos consecutus est. In Hæmo monte ex hominum oculis evanuisse Aristæum refert Diodorus: mortuus est Moses in monte Nebo: *& non cognovit homo sepulcrum ejus usque in præsentem diem.*

Virgil. Georg. 4. & 1.
Apoll. Arg. l. 2.
Diod. l. 4. Nonn. Dion. l. 13.
Pind. Pyth. Od. 9.
Schol. Apoll. Arg. l. 2.
Diodor. l. 4.
Hes. Theog.
Pind. Pyth. Od. 9.
Virgil. 4. Georg.
Apoll. Arg. l. 2.
Act. 7, 22.
Clem. Str. l. 1.
German. c. Aquar.
Nonn. Dionys. l. 9.
Diod. l. 4. Deut. 34, 6.

Aristæus hic cum Aristæo Proconnesio sæpenumero confunditur, & res alterius alteri sæpe adscriptæ sunt quemadmodum ostendam in propositione nona. Aristæum autem fuisse Philosophum, & de rerum natura scripsisse docet

Digitized by Google

docet diserte Maximus Tyrius: Philosophiæ totius principia, verasque rerum origines libris suis Moses consignavit; Philosophiæ inventorem eum prædicant Artapanus & Eupolemus, atque ob Philosophiæ peritiam laudatur a Clemente Alexandrino. Præstigiator fuit Aristeas, ἀνὴρ γόης, εἴ τις ἄλλος· *Vir præstigiator, si quis alius*, inquit Strabo; propter prodigia a Mose in Ægypto edita, quibus Magos ipsos Ægyptios superavit: unde γόης *(præstigiator)* & ἀπατεὼν *(deceptor)* ab extraneis dictus & creditus est, Josepho teste. Inter vates futurorum præscientia celebratos ponitur a Clemente Alexandrino Aristeas: Mosis extant vaticinia. Homero antiquiorem Aristeam facit Tatianus; multis quippe annis Homerum Moses præcessit. Quin & præceptor Homeri a nonnullis Aristeas creditus est, juxta testificationem Strabonis & Eustathii: non pauca enim ex libris Mosis depromta in Homero deprehendas, quod suo loco demonstravimus. Animam ponere & sumere pro libitu Aristeam solitum veteres commenti sunt, vivumque sæpius apparuisse, cum mortuus putaretur: Moses in Nili profluentem demissus, & morti devotus, vivus exiit; idem, cum a Pharaone ad mortem quæreretur, *fugiens de conspectu ejus moratus est in terra Madian*; cum mora deinde in monte facta periisse crederetur, salvus illæsusque descendit. Corpus denique Aristeæ, in fullonica defuncti, neutiquam quærentibus apparuit, uti neque illud Mosis, postquam in monte obiit.

Mar. Tyr. Diss. 22. Artap. apud Eus. l. 9. Præp. Ev. Eupol. apud Eus. ibid. & Clem. Al. Strom. 1.

Strab. l. 13.

Joseph. l. 2. contr. Ap.

Tat. Orat. adv. Gr.

Strab. l. 14. Eustath. in Hom. Iliad. β.

Exod. 2, 15.

XVIII. In Musæo Mosaicum inesse quippiam, vel nomen ipsum nos admonet: nam Numenius Pythagoreus mentionem Mosis faciens, non aliter eum quam Musæum appellat. Lunæ filium fuisse auctores sunt Pseudo-Orpheus apud Justinum & Eusebium, & Hermesianax apud Athenæum; idcirco, opinor, quod e Madianitide prodiit Moses ad Ebræos servitio liberandos. Atqui circumstantes Madianitidem gentes, & Madianitarum non pauci, Lunæ cultui erant dediti. Cubar eam appellabant, seu potius Cabar, hoc est *Magnam*, ut exponunt Euthymius, & Cedrenus; ab Ebræo כבר. Appellabant & Alilat, quod interpretatur Scaliger, *Noctilucam*: Ebræi dixerunt Lilith: apud Herodotum est ἀλίττα & ἀλιλάτ; cujus religionis vestigia hodie etiam retinere Muhammedanos recte a Seldeno observatum est. Sed de eo nos alibi. Propter diuturnam etiam illam Mosis in Arabia mansionem, Liber, quem Mosem esse constat, in Arabia educatus esse dictus est a Poëtis. Fertur & Ægyptios Musæus studiorum caussa adiisse: quod eruditus fuerit Moses omni sapientia Ægyptiorum. Musæo tribuitur Musices studium ac Lyricæ poëseos: calluisse Mosem scribit Clemens Alexandrinus ῥυθμιστικήν τε, καὶ ἁρμονικήν, ἔτι τε ἰατρικὴν ἅμα καὶ μουσικήν. *Numerorum musicorum, sonorumque scientiam, medicinam præterea & musicam*: ac ejus certe hymni extant in Pentateucho. Orphei a quibusdam discipulis, a nonnullis imitator, ab aliis filius fuisse dicitur; Orpheum autem Mosem esse mox ostendam. Primus Musæus Theogoniam & sphæram docuit, & ex uno omnia esse, in idque resolvi dixit, teste Diogene Laertio; quapropter Philosophus, & Theologus fuisse dicitur a Servio: hæc mirifice in Mosem conveniunt, qui mundi creationem, & rerum principia explicavit; qui de Deo, uno omnium auctore ac fine, Deique colendi ritibus præclare disseruit; qui a Chaldæis denique & Ægyptiis cœlestium motuum doctrinis accurate instructus est, ut habet Clemens Alexandrinus. Dicitur Musæus in bello Giganteo, a Gigantibus defecisse; ob bella a Mose adversus Ogum Basanitidis regem, aliosque Chananæorum gigantes pro populo Dei feliciter gesta. Tres futurorum præscios vates simul commemorat Strabo, Orpheum, Musæum, & Mosem, qui tres unus, idemque sunt. Et Aristophanes Musæum oracula & expiationum ritus docuisse ait. Igitur χρησμοὺς *(oracula)* sub Musæi nomine Onomacritus supposuit, & Onomacritum χρησμολόγον τε, καὶ διαθέτην χρησμῶν τῷ μουσαίῳ. *Oraculorum interpretem, & oraculorum Musæi ordinatorem*, appellat Herodotus; & alibi quoque prædictorum quorundam Musæi meminit. Floruisse vult Suidas sub Cecrope secundo, in cujus ætatem conjiciunt Clemens Alexandrinus, & Eusebius Liberum, & Perseum, & Amphionem. Hi autem expressæ sunt Mosis imagines, uti partim jam demonstratum a me est, partim mox demonstrabitur. Atqui ad ætatem primi Cecropis τῇ διφυΐ *(duplici natura præditi)* quem Mosem esse dixi, referenda ista erant. Sed Græci Chronologiam ad Mythologiam suam

Seld. de Diis Syr. Synt. 2. c. 4.

Clem. Al. Strom. 1.

Laert. Procem.

Strab. l. 16. Aristoph. Ran. Act. 4. sc. 2.

Herod. l. 7. c. 6. & l. 8. c. 96. Suidas in Μουσαῖος. Clem. Al. Strom. 1. Eus. Chron. l. 2.

Musæus, idem ac Moses.

Num. l. 3. de bono, apud Eus. Præp. Ev. l. 8. Justin. Parænet. Eus. Præp. l. 13. c. 12. Athen. l. 13.

Euthym. Zig. Sarac. Cedren. Chr. Scalig. Not. in Fragm. Herod. l. 1. c. 131. & l. 3. c. 8.

Digitized by Google

sum accommodarunt. Hic a me impetrare
Turn. Adv. l. 28. c. 46. non possum, ut Turnebi, viri sane quam docti, puerilem errorem præteream: mirari ait plerosque tam honorificam Musæi mentionem a Virgilio factam, Homeri prorsus nullam, ac propterea ipsi aliquam a Græcis livoris labem aspergi. Quasi vero Æneas in inferis nancisci potuerit Homerum, qui diu post Trojanum bellum natus est. Tam diversa certe de Musæo hominum sententiæ,
Serv. in Virg. Æn. 6 quas agnovit & conquestus est Servius, veritatem fabulis dissimulatam olent. Disconvenit de parentibus; nam alii Orphei, quidam Antiphemi, nonnulli Lunæ, aliqui Eumolpi, alii Thamyræ filium fuisse fingunt. Disconvenit de patria; alii quippe Eleusinium, aliqui Thracem, quidam Thebanum faciunt. De ætate disconvenit; alii enim Orphei æqualem, alii antiquiorem, quidam recentiorem statuunt. Desinam in præclaro
Artap. apud Euf. Præp. Ev. l. 9. Artapani testimonio, qui disertis affirmat verbis, eum qui ab Ebræis Moses appellatus est, eumdem a Græcis Musæum esse nominatum, eumdemque Orphei præceptorem fuisse.

Orpheus, idem ac Moses. XIX. Ad Mosis etiam exemplar Orpheus ipse expressus est. Tempus convenit, nam ponitur Herculis æqualis, Josuæ videlicet, ministri Mosis. Æqualis ponitur & Aristæi, & Musæi, & Persæi, & Liberi, quibus omnibus Moses unus adumbratur. Adscribuntur
Clem. Al. Strom. 1. Euseb. Chr. autem hi a Clemente Alexandrino & Eusebio Cecropis secundi ævo, cum ad ætatem primi Cecropis τῷ διφυεῖ (*duplici natura præditi*) qui fuit Mosi, σύγχρονος (*æqualis*) verius pertineant. Quamobrem duos Orpheas finxe-
Eustath. in Hom. Il. β. runt veteres, ut legimus apud Eustathium; quorum alter alterum undecim γενεαῖς (*generationibus*) præcesserit: quod postremum inter Argonautas, quorum pars magna fuit, vixisse accepisset; alterum autem longe vetustiorem esse suaderet ratio. Quod si juxta
Herod. l. 2. Eustath. in Hom. Il. α. Herodotum & Eustathium, aliosque complures, γενεὰν (*generationem*) statuamus annorum circiter triginta, & undecim τριακοντάδας (*spatia triginta annorum*) annorum ab Argonautarum expeditione retro numeres, in tempora Mosaica incides. Idem fiet si a belli Trojani temporibus retro numerandi ducas initium; centum enim & viginti Moses explevit vitæ annos. Unde alii undecim ætatibus Trojano bello antiquiorem ponunt Orpheum. Nec inde abludunt, qui novem vixisse eum ætates volunt. Apertissime convenientiam ætatis demonstrat Arta-
Artap. apud Euf. præp. l. 9. c. 27. panus in libro de Judæis, cum Orpheum Mosis discipulum fuisse scribit. Similis error in Minois, qui Moses est, assignando ævo a Tatiano admissus est: eum enim undecima
Tatian. Orat. contr. gent. & apud Euf. Præp. l. 10. c. 11. ætate, ἐνδεκάτῃ γενεᾷ, post Inachum floruisse tradit, cum Mosis æqualem Inachum statuerit. Merito ergo Orpheum, Linum quoque, & Musæum, Theologorum omnium primos ac vetustissimos a Græcis haberi scribit Euse-
Euf. Præp. l. 10. c. 4. Jambl. de vit. Pyth. c. 34. Lact. l. 1. Inst. c. 4. Theod. Serm. 2. de princip. Arnob. l. 5. Plut. de music. Suidas in Ὀρφεύς. bius. Poetarum omnium antiquissimum Orpheum appellant, Jamblichus, & Lactantius, & Theodoretus; ipsique adscriptos libros, antiquitatis esse divinæ scribit Arnobius; & neminem eum habuisse quem imitaretur, Plutarchus asseverat. Minime ab hac opinione discrepat Suidas, cum Oeagrum Orphei patrem ab Atlante quintum facit, ac Orpheum proinde sextum. Nam sic Atlantem inter & Orpheum quinque intercesserunt γενεαί (*generationes*) sive anni centum & quinquaginta, quot circiter ponunt Chronologi Atlantem inter & Mosem. Arcadem fuisse putant nonnulli, quod & de Mercurio, & de Pane traditum est, quorum uterque Moses est. Thrax tamen fuisse vulgo creditur: Mercurii enim, quem & Mosem esse constat ex superioribus, sacra in Thraciam penetrasse, mihi docuisse videor. Hanc præterea opinionis hujus valde probabilem caussam reperio. Dixi supra Minoem, qui Moses est, Cretæ regem fuisse dictum, quod Palæstini מרחים dicerentur. Ex hac voce facile prodiit vox altera תרכים, transpositis literis, quod ipsissimum Thracum nomen est. Atque inde factum puto, ut Eumolpus quoque, & Musæus, quos Mosis speciem tulisse mox patefaciam, & Proteus de quo idem demonstratum est, Thraces ab aliquibus habiti sint. Factum & hinc ut primi religionum auctores dicti sint Cretenses. Hinc factum etiam, ut Aristæus, alter Moses, in Thraciam ad Bacchum, alterum itidem Mosem, iviſſe a Diodoro dictus sit, ab eoque Orgiorum Diod. l. 4. sacris fuisse initiatus, & in Hæmo Thraciæ monte ex hominum oculis evanuisse. Factum hinc quoque, ut Bacchus appellatus sit Sabazius, a Sabis gente Thracica, quemadmodum perhibet Eustathius ad Dionysii Periegesin; & post debellatus Lycurgum Thracum

Digitized by Google

Thracum regem, Thracesque ipsos, regem ipsis Thoroplm præfecisse dictus sit, Orgiasticque ritus eum edocuisse, quos Oeagro filio deinde Thoroplo, Orpheo filio Oeagrus tradiderit. Diod. l. 3. Horum auctorem Diodorum habeo, qui subjungit Poetas quosdam, & in iis Antimachum, dicere, non Thracum regem, sed Arabum Lycurgum fuisse. Unde colligere possumus Thracum nomen, gentis alterius Judæis proximæ nomen exstitisse. Hermipp. apud Joseph. l. 1. contr. Ap. Hinc factum denique, ut scripserit Hermippus Pythagoram Judæorum & Thracum opinionibus fuisse imbutum. Quid quod & Odomantes, gens Thracica, Judæi dicuntur in Schol. in Aristoph. Acharn. Scholiis Aristophanis. Filius Apollinis habetur Orpheus, Mosis itidem personati. Orphei nomen non multum recedit a nomine Osarsiph, quod Mosi tribuit Manethos, & Manetth. apud Joseph. l. 1. contr. Apion. nos supra *Solis Speculatorem* expositimus: quippe Astrologiæ studiis ab Orpheo primum institutos esse Græcos Lucianus affirmat; Lucian. de Astrol. primus & cœlorum harmoniam deprehendisse fertur, auctore Servio. Narrat Eustathius Orpheum primo circulatorem fuisse, Serv. in Virg. Æn. 6 Eustath. in Hom. Il. 2. & collecta demum valida hominum manu, magnam sibi potentiam comparasse: Moses locis plerisque peragratis rediit tandem ad Exod. 4. 29. suos, assumtoque Aarone *Venerunt simul, & congregaverunt cunctos seniores filiorum Israel*, totique deinde Ebræorum genti præfuit, & summo quidem jure, ac vere regio. Quocirca Phil. de vit. Mos. l. 3. Clem. Al. Strom. 1. Philoni & Clementi Alexandrino merito Moses appellatur rex & legislator; & a Thermuthi Pharaonis filia, non adoptatum solum, sed & in paterni regni successionem eductum Joseph. Antiq. l. 2. c. 5. fuisse ait Josephus; & ab Æthiopibus ut regem fuisse observatum scripsit Pseudo-Eustathius in Hexaemeron; & R. Bechai, ut Mosem regem fuisse probet, ei istud Gene- Gen. 49. 10. seos accommodat: *Et ad eum erit aggregatio populorum*; & hoc quoque Deuteronomii: Deut. 33. 5. *Erit apud rectissimum Rex congregatis principibus populi, cum tribubus Israel.* Hinc ergo Orpheus in Thracia regnasse dictus est. Hunc tiaram auream capite gestantem exhibent Philostratus, & Callistratus; quod Philost. vit. Apoll. l. 1. c. 18. Philostr. Jun. Icon. Callistr. In Stat. Moses fratri suo Aaroni, cum quo sæpe confunditur, cidarim lamina aurea instructam concinnarit. Sacerdotem appellat Orpheum Virg. Æn. 6. Virgilius, quod Levitici generis fuerit Moses. Ægyptum se adisse prædicat Orpheus in adscriptis illi Argonauticis; nec non reconditas

hausit. Ægyptiorum [illegible] etiam memoriæ veteres illuc eruditionis [illegible] fuisse profectos e prisca Græcia, [illegible] ad doctrinæ non vulgaris laudem aspirarent, ut supra jam monui. Antiquissimi de Musæo etiam finxerunt, eum Mosem esse demonstravi. At Theodoretus, non [illegible] Ægyptiis solum, sed ab Ebræis etiam venisse hos accepisse docet. *Ægyptius vero fuit Moses, & eruditus omni sapientia Ægyptiorum.* Magna igitur doctrinarum omnium laus Orpheo tributa est, ac [illegible] præsertim, ut dixi. Idem & poetica facultate floruit. Summa vero ejus fuit in Musicis, ac lyræ cantu præstantia; quo nomine celebratum quoque supra diximus Mosem, & cujus geminus extat Hymnus; unde & Hymnos Orpheus scripsisse dicitur apud Suidam; & Suidas in Ὀρφεύς. Hymni ejus nomine inscripti circumferuntur. Nec de nihilo est, quod cum Poetarum vetustissimus ab aliquibus fingatur Orpheus, alii poeticæ artis inventorem faciunt Mercurium, alii Osiridem; quippe his tribus unus notatur Moses. Singularem fuisse ajunt Orphei in Philosophiæ studiis eruditionem. Philosophorum omnium antiquissimus fuit Moses, ut qui veras mundi origines primus in literas retulerit. Quapropter Eusebius ad Euseb. Chr. annum ab Abrahamo 467, *Moyses*, inquit, Edipol. ap. Clem. Al. *Ægyptum derelinquens in eremo philosophatur*; & Eupolemus primum sapientem ait Strom. 1. & Euf. Præp. Ev. l. 9. c. 26. Mosem fuisse. Tantum in Theologicis nomen adeptus esse fertur Orpheus, ut a suis Theologus cognomento appellatus sit, ab aliis ἱεροφάντης *(sacrorum interpres)* & ejus Theologia Mystagogia, & ἱερολογία *(Dissertatio de rebus sacris)* a Luciano, Clemente Lucian. de Astrol. Alexandrino, & Proclo Diadocho celebrentur; primumque inveniisse scribant Aristo- Clem. Al. Strom. 6. phanes, & Pausanias, quomodo Diis initia Procl. Plat. Theod. fierent, expiarentur scelera, curarentur morbi, & Deorum ira placaretur. Hæc Orpheum l. 4. c. 5. & l. 6. c. 8. ab Idæis Dactylis accepisse Diodorus affirmat: Idæos autem Judæorum progenitores Aristoph. Ran. Act. 4. c. 2. fuisse, imo Judæos ipsos, & Tacitus, & veterum crediderunt complures, & nos supra Pausan. Bœot. docuimus. Primus quoque Bacchi Orgia ab Diod. l. 5. Ægyptiis accepta transtulit in Græciam, quæ Orphica ab eo sunt dicta. Addit Lucianus Lucian. de Astrol. non dilucide hæc ipsum explanasse inter suos, sed mysteriis occultasse. Quamobrem Diagoram impietatis notatum fuisse scribit

Athe-

Athenag. Legat. Athenagoras, quod vulgarit doctrinam Orphei, quæ Arcana esse debebat & in arcano tradi. Unde Proclus Orphicum de rebus divinis differendi modum, eum esse ait, qui fit per symbola; quem cum tenuerit Pythagoras, dictum fuisse testatur Jamblichus, ζηλωτὴν τῆς ὀρφέως ἑρμηνείας τε καὶ διαθέσεως. *Imitatorem modi quem in interpretando & constituendis rebus tenuit Orpheus.* Idem de Mosis doctrina Ethnici senserunt, & ejus volumen arcanum esse dixerunt. Quid quod & Panathenæa, & Thesmophoria, & Eleusinia Athenas eum detulisse Theodoretus asseverat, & Isidis ac Osiridis sacra in Cereris & Liberi orgia convertisse; testesque citat Plutarchum, Diodorum, & Demosthenem. Quibus significatur totam Græcorum Theologiam, fabularum figmentis infuscatam, a Mose proveniisse; qui quam peritus fuerit symbolicæ Philosophiæ, discere licet ex libro primo Stromatum Clementis Alexandrini. Scripsisse se Orpheus ait in suppositiis Argonauticis, de Chao, de Jovis cultu, & de sacrificiis ἱλαστικοῖς *(quæ fiunt propitiandi causa:)* adscribuntur ei quoque a Tzetze Ephemerides, & Dodecaeterides; quo respexisse opinor Moschodulum, & Proclum, Hesiodi interpretes, cum de bonis & malis diebus scripsisse Orpheum dixerunt. Quin etiam tabulas ab eo descriptas commemorat Euripides in Alcesti: & qui Scholiis eum succinxit scribit in Hecubam, in Hæmo monte extitisse Orphei commentarios, tabulis inscriptos. Mosi manifesto hæc congruunt, qui Leges divinas in Tabulis exaratas proposuit, festa solennia suis assignavit temporibus, sacrorum ritus sanxit, & rerum principia posteris prodidit. At quæ ex Orpheo attulerunt Aristobulus Peripateticus apud Eusebium, Justinus, Clemens Alexandrinus, Cyrillus, & alii, ea prorsus videntur a veteribus Christianis conficta, & ex sacrorum Codicum segminibus consuta: neque verum est Orpheum, postquam πολυθεότητα *(doctrinam de multis Diis)* dedidicisset, & Mosis doctrina fuisset imbutus, hæc scripsisse; quod putavit Justinus, & Cyrillo persuasit, & suppositiis carminibus conare probatus est. Mimum aperiunt ea quæ de Orpheo refert Suidas; ex cujus ὑποβολιμαίοις *(suppositiis)* scriptionibus περὶ θεογνωσίας *(de cognitione Dei)* ea depromit de rerum primordiis & fabricatione mundi, de summo omnium opifice, de sanctissima Trinitate, de hominis creatione, & animæ origine, quæ ex Christianorum scholis prorsus videntur esse profecta. Ejusdem sunt commatis, quæ apud Patres proxime laudatos Orphei nomen ferunt. Moses illic appellatur ὐδογενὴς, *(aquis genitus)* hoc est, *aquis ortus*; illic Legis Mosi a Deo traditæ, & duabus inscriptæ Tabulis fit mentio; tum verbi Dei, quo conditus est orbis, & πλαστυργίας *(formaturæ)* hominis, & infusionis animæ ratione pollentis in humanum corpus; commemoratur illic & Chaos, & tenebræ rebus omnibus incubantes, & lux deinde orta, & nox prior die; tum & Unigena quidam Chaldæis oriundus, cui soli mortalium omnium videndum se Deus permiserit. Tam infabre hæc interpolata sunt, ut fraus manifesta sit, suamque novitatem prodat. Veteres enim qui Mosis scrinia compilabant, parce id faciebant & sobrie; scite etiam & industrie; hic intemperanter & media luce grassatur. Cæterum quando rerum series eo loci nos deduxit, quæramus obiter quis sit ille Unigena. Clemens Alexandrinus eum vel Abrahamum esse conjectat, vel filium ejus Isaacum. At unigena non fuit Abrahamus, qui fratres habuit Nachor, & Aran; neque rerum cœlestium ac naturalium peritia claruisse fertur Isaacus, quod istic de illo unigena prædicatur. Ego intelligo Mosem posse censeo, qui quanquam unigena non fuit, unigena tamen ab exoticis quibusdam gentibus habitus est; velut ab iis qui sub Adonidis eum, aut Zoroastris simulacro expresserunt. Omnibus autem Ægyptiorum disciplinis fuit innutritus, proindeque Astronomiæ, cujus studio plurimum delectata est Ægyptus, ut sæpius jam notavi. Verumtamen id dubium relinquo; nam nec eorum penitus improbo sententiam, qui hæc post Clementem referunt ad Abrahamum: ei enim adscripta est a Beroso, & Eupolemo, & Artapano, Astronomiæ inventio; & de eo ait Dominus apud Isaiam: *Quia unum vocavi eum:* & ad eum Jonathan, & Jonathanem secuti Ebræi referunt istud Malachiæ: *Nonne unus fecit, & reliduum spiritus ejus est? & quid unus quærit, nisi semen Dei?* Et de eo sic Apostolus ad Ebræos: *Propter quod & ab uno orti sunt, (& hoc emortuo) tanquam sidera cœli in multitudinem.* Unde μονογενὴς *(Unigena)* dictus

Tzetz. Chil. 12. Hist. 399. Mosch. & Procl. in Hesiod. ἔμπ.

Euf. Præp. Ev. l. 13. Justin. in Paræn. & de Monarchia. Clem. Al. Strom. 5. Cyrill. l. 1. contra Jul.

Theodor. Serm. 1. de fide.

Jambl. de vit. Pyth. c. 28.

Procl. l. 1. c. 4.

Clem. Al. Strom. 5.

Berosi apud Joseph. Antiq. l. 1. c. 8. Eupol. & Artap. apud Euf. Præp. Ev. l. 9.

Malach. 2. 15.

Ebr. 11, 12.

dictus videri poteſt: quamquam אחד dicitur
Iſa. 51. 2. Abrahamus, hoc eſt *Unus*, non יחיד *Unigena*. Itaque unus eſt ratione ἐπογένων *(poſterorum)* qui innumeri ex uno illo prodierunt; non vero ratione ὁμογένων *(congenerum)* quod tamen neceſſe erat, ut *Unus* exponi poſſet
Ezech. 33. 24. μονογενὴς *(Unigena.)* Adde & illud Ezechielis: *Unus erat Abraham, & poſſedit terram:* &
4. Eſdr. 3. 14 hoc ex Pſeudo-Esdrinis: *Et demonſtraſti ei ſoli voluntatem tuam.* Priſca vero illa Argonautica, Orphei ſunt cujusdam Crotoniatæ,
Suidas in Ὀρφεύς. quem Suidas Piſiſtrati temporibus floruiſſe docet. Hymnos autem, & librum de lapidibus ſibi vindicat Onomacritus, Piſiſtrati
Tatian. Or. contr. gent. itidem æqualis. Teſtes ſunt Tatianus & Suidas. Quemadmodum enim ſub Muſæi nomine χρησμοὺς *(oracula)* ediderat, ut perhibent
Herod. l. 7. c. 6. Herodotus, & Clemens Alexandrinus; ita
Clem. Al. Strom. 1. & ſub Orphei nomine has ſcriptiones lucubravit. Sed ad rem. Vaticinia in Ægypto a ſe edita eſſe profitetur Orpheus in Argonauticis, quod vere præſtitit Moſes. Itaque
Strab. l. 16. inter gnaros futurorum vates, Orpheum, Muſæum, & Moſem Strabo collocavit; ve-
Cell. apud Or. contr. Celſ. l. 7. riusque dixit Celſus quam cenſuit, cum Orpheum *haud dubie ſancto afflatum fuiſſe ſpiritu*, ὁμολογουμένως ὁσίῳ χρησθέντος πνεύματι affirmavit. Lyra a Mercurio inventa, ab Apolline Orpheo tradita eſt; quippe unus Moſes tribus his exprimitur: propterea que in cœlum translata eſſe fertur Orphei lyra, quod Dei laudes Hymnis ſuis Moſes concelebrarit. Feras cantu manſuefacere dictum eſſe
Hor. de art. Orpheum teſtatur Horatius, quod ſylveſtres homines victu fœdo, & cædibus deterruerit: quo Moſis in Iſraelitis deliniendis, & ad obſequium ſuum flectendis, ac per deſerta circumducendis notatur induſtria, & eloquentiæ vis ad perſuadendum efficax. Grandinem & nives de cœlo ruentes repreſſiſſe Orpheum, fluvios cantu moratum eſſe, & mare quoque pacaſſe finxerunt, ob Ægyptiaca prodigia, & Rubri maris ſinus Iſraelitis patefactos. Leges etiam, itidem ut Moſes, Orpheus ſcripſiſſe fertur: multaque vitæ utilia, regendisque hominibus commoda reperiſſe. Magiæ ſcientiſſimus dicitur fuiſſe Orpheus, & Idæorum Dactylorum occultis artibus inſtitutus; atque hinc etiam nomen habuiſſe acute & erudite conjectat vir florentiſſimæ doctrinæ Stephanus Monachius; nimirum ab *Orphon*, quod Arabibus Magum notat: & hinc quoque eſt quod Euridicen incantamentis ab eo fuiſſe vitæ reſtitutam contendit Tzetzes: nempe quod Magorum Ægyptiorum præſtigias eluſerit Moſes, omnemque eorum induſtriam ſuperarit. Quamobrem & Moſem, ὡς γόητα & ἀπατεῶνα, *ut præſtigiatorem & fallacem*, nonnulli calumniati ſunt. Orpheo denuntiat Jaſon, in Argonauticis, ſine eo in Colchidem pervenire non poſſe Argonautas: quippe Iſraelitis Chananæam adeundi auctor & dux Moſes fuit. Quemadmodum Bacchus matrem Jovis ignibus necatam, ita uxorem ſerpentis morſu interemtam Orpheus ad vitam revocavit; an quod Moſes Iſraelitas ſerpentium morſibus infeſtatos, excitato Serpente æneo, incolumes præſtitit? an quod Mariam ſororem lepris laborantem ſanavit? Ad inferos bis adiiſſe dicitur Orpheus; quod & infans in Nilum tanquam periturus abjectus ſit Moſes, & quod propter diuturnam in monte cum Deo peractam moram periiſſe creditus ſit. Quidam Orpheum fulmine a Jove percuſſum interiiſſe volunt; argumento ducto vel a fulguribus & tonitribus grandine miſtis, quæ ad domandam Pharaonis contumaciam Moſes extenſa virga de cœlo elicuiſſe memoratur in Exodo; vel ab iis in quibus Sinai mon- Exod. 9. 23.
tis vertex perſtrepebat, cum Deum Moſes alloqueretur. Diſcerptus tamen a Bacchantibus vulgo dicitur, ut Oſiris altera Moſis effigies a Typhone. Caput Orphei in Hebrum fluvium projectum fuiſſe fertur, quod profluenti Nili Moſes infans commiſſus ſit. Unde & Oeagri fluvii filius dictus eſt. Caput Orphei revulſum a cervice fabulantur fuiſſe loquax, & conſultum de futuris veridica reſponſa dediſſe: fortaſſe quod Moſes, Propheta ut erat, in libris ſuis ſuperſtitibus & futurorum prænuntiis, tanquam in re præſenti loqui viſus ſit. Latet & ænei Ser-
Ov. Met. l. 11. pentis hiſtoria in fabula, quam narrat Ovidius de ſerpente, qui caput Orphei dentibus invadens ab Apolline in lapidem mutatus eſt. Orphei mortem infinitis fletibus Biſtonides feminæ proſecutæ ſunt, ut ſcriptum
Anth. l. 3. c. 25. Epig. 10. extat in Anthologia. Quotannis ſimiliter Adonin, quem Moſem eſſe oſtendimus, mulieres lugebant. Moſem *fleverunt filii Iſrael*
Deut. 34. 8. *in campeſtribus Moab triginta diebus.* In Olympo monte, juxta Pauſaniam, & alios,
Paus. Boeot. ſepultus eſt Orpheus: Moſes in monte Nebo obiit. Quid plura, cum ſcenam hanc

Jo. Tzetz. Ch. 2. Hiſt. 54.

Joſeph. l. 2. contr. Ap.

omnem

Antip. Ant. l. 3. c. 25. Epigr. 9. Cicer. l. 1. de natura Deor. Suidas in Ὀρφεύς. Ælian Var. Hist. l. 8. c. 6.

nemem aperte negat Aristoteles, quem scripsisse testificatur Cicero, Orpheum numquam fuisse? Ejusdem assertorem sententiæ Dionysium quemdam citat Suidas. Sed & Androtion apud Ælianum, docet nullam literarum notitiam Thraças habuisse; imo vero literis uti in rebus turpissimis habuisse; unde colligit, male inter sapientes recenseri Orpheum, ipsique adscripta carmina esse suppositicia. At si minus literarum, Musices certe valde studiosos fuisse Thraces perhibet Strabo, Musarumque cultui deditos, ab iisque profectam esse Musicam; vetustissimosque Musicos, Orpheum, Musæum, Thamyrin, & Eumolpum, Thraces fuisse. In quibus falsa veris permista sunt; & Thracum ac Palæstinorum confusa est notitia: sed ita tamen, ut liquido appareat suppositicium esse Orpheum, & quascunque de eo fabulas Mythologi referunt, mutato nomine de Mose narrari.

Strab. l. 9. & 10.

Linus, Idem ac Moses.

XX. Multa Linus cum Orpheo communia habet; tempus, parentes: nam Mercurio natum Linum quidam statuunt, alii Apolline; quapropter & Orphei fratrem fuisse tradit Apollodorus. Sapientia commendatur uterque; & cum eos collocet inter sapientes Celsus apud Origenem, tum Lino primum locum tribuit. Scripsisse dicitur uterque de rerum principiis. Linum quidem memorant Diogenes Laertius, & Johannes Tzetzes, de mundi ortu, de plantarum, animaliumque generationibus scripsisse, atque hoc Poematum suorum exordium fecisse:

Apoll. l. 2. Orig. l. 1. contr. Cels. Diog. Laert. Proœm. Tzetz. in Hesiod. Ἔργ.

ἦν ποτέ του χρόνος ὅτος, ἐν ᾧ ἅμα πάντ' ἐπεφύκει.
Fuit aliquando tempus illud, cum omnia simul orta sunt.

quod Mosaicæ Geneseos exordio simillimum est. Versus utrique falso sunt adscripti; nec enim ullos vel scripsisse Linum, vel ad posteros perveniisse refert Pausanias. Theologus uterque, & de rebus Theologicis scripsisse fertur: nam de Lino id Servius asserat. Poeta uterque: musicus quoque, musices inventor, & citharœdus. Quæ tribuitur ipsi lyræ repertæ laus, eamdem ab aliis concedi Orpheo, ab aliis Amphioni, quem Mosem quoque personatum esse ostendam, Plinius docet. Vaticinator uterque & fatidicus: talem quippe fuisse Linum Servius sententia est. Orphei denique præceptor Linus fuisse dicitur. Maximis uterque lamentis & planctibus post mortem complo-

Paus. Bœot. & Arcad. Serv. in Virg. Ecl. 4. Plin. l. 7. c. 56. Serv. in Virg. Ecl. 6.

ratus est. Unde & lugubre quoddam cantionis genus Ægyptiis & Græcis Linus dictum est. Unde & Hesiodus apud Eustathium, ait cantores omnes & citharœdos in conviviis & tripudiis a Lini deploratione ordiri, & in eadem finire. Quod & ab Ægyptiis fiebat. Atque hæc quidem omnia ut Mosi conveniant, proxime demonstravi. Sed & alia quædam sibi propria habet Linus, quibus etiam Moses esse approbatur. Ægyptium fuisse narrat Herodotus, & nomen Ægyptium habuisse, Maneros: in quo vestigia agnosco nominum, Monimos, & Monios, quibus Moses affectus est, inserta canina litera, vel extrita, uti sæpe fit. Primi Dionysi res gestas Pelasgicis literis descripsisse Linum testatur Diodorus. Atqui Dionysius ille fuit Moses. Ergo id sibi vult, Mosem gesta Mosis descripsisse; quod verissimum est. Pelasgicæ literæ barbaræ erant, uti testis est Herodotus, & Græcis ignorabiles, perinde ut Ebraicæ. Itaque in discernendis illis errare promtum fuit. Atqui legimus apud Suidam, primum Linum ex Phœnice in Græciam literas intulisse: unde credi posset Phœniciis literis, quas callebat, Dionysi historiam consignasse. Verum res aliter se habet: eo quippe intelligendum est, Ebraica lingua, quæ Phœniciæ proxima & persimilis erat, Mosis historiam a Mose ipso fuisse exaratam. Cæterum auctor est Eupolemus apud Clementem & Eusebium, & sic sensérunt Ethnicorum plerique, Ebraicæ historiæ parum consulti, a Mose Judæos literas accepisse, ab his Phœnices, ab istis deinde Græcos: & nos præterea notavimus literarum usum Mercurio suo, qui Moses est, Ægyptios acceptum referre. Herculis præceptor fuisse fertur Linus: Josuam Herculem esse suo docebimus loco. En tibi vero Mosem Josuæ præcepta tradentem in libro Numerorum: *dixitque Dominus ad eum* (Mosem,) *Tolle filium Nun, in quo est spiritus, & pone manum tuam super eum: qui stabit coram Eleazaro sacerdote, & omni multitudine, & dabis ei præcepta cunctis videntibus, & partem gloriæ tuæ.* In Deuteronomio etiam sic Deus ad Mosem: *Præcipue Josue, & corrobora eum, atque conforta.* Ex Lino denique versus quosdam affert Aristobolus apud Eusebium, Mosaica doctrina imbutos. Velut ille est: ἑβδομάτῃ δὲ ὅτε τετελεσμένα πάντα τέτυκτο, *Septimo autem die perfecta*

Eustath. in Hom. Il. ε. Herod. l. 2. c. 79. Diod. l. 3. Herod. l. 1. c. 57. Suidas in Λίνος. Cl. Alex. Strom. 1. Euseb. Præp. l. 9. Num. 27. Deut. 3. 28. Euseb. Præp. Ev. l. 13.

Digitized by Google

Eta ei omnia fuere. Haud equidem credo verſus illos eſſe genuinos, qui Linum ipſum fictum eſſe ſciam: ex iis tamen apparet, quicunque eos affinxit Lino, hunc habuiſſe perſuaſum, eadem Linum ac Moſem de mundi origine ſenſiſſe.

Amphion, idem ac Moſes.

XXI. Cum Orpheo etiam ac Lino communia multa habet Amphion. Æquales fuerunt, ut ex Euſebii Canonibus intelligitur. Mercurii filium faciunt Amphionem nonnulli; quod & de aliis duobus itidem dictum eſt. Lyræ cantu hi tres nobilitati ſunt. Lyram ab Apolline Orpheum & Amphionem ajunt accepiſſe. Inventio citharæ Orpheo a quibusdam, ab aliis Lino, Amphioni a nonnullis addicitur, teſte Plinio. Orpheus apud Philoſtratum tiaram geſtat, Amphion mitram. Jaſoni ad Colchicam expeditionem nomen dedit uterque. Quod feros homines & agreſtes uterque ad mitiores vitæ cultus traduxerit; feras ille, hic ſaxa movere cantu & allicere a fabularum ſcriptoribus dictus eſt. Utrique magicarum artium peritia tribuitur; nam de Amphione tradunt id quidem Pauſanias & Clemens Alexandrinus. Regia uterque dignitate præditus fuit: de Amphione certe teſtificatur Tzetzes. Pari fato occubuere Linus & Amphion, Apollinis ſagittis confoſſi, quod ſe illi æquaſſent. Quippini, qui Apollo ipſe erant, Moſes videlicet? Quibus autem rebus Amphioni cum Orpheo & Lino convenit, iisdem fere Orpheo & Lino cum Moſe convenire probavimus, unde efficitur iisdem quoque Amphionis & Moſis convenientiam argumentis comprobari. Huc adde & unicum fuiſſe Amphionis fratrem Zethum, unicum Moſis Aaronem; utrumque in cunis expoſitum; Antiope Amphionis matri patrem ab Homero aſſignari Aſopum fluvium, quemadmodum & Æginæ matri Æaci, qui Moſes eſt, pater idem aſſignatur, ut ſupra docui; quod in fluvium Moſes a matre miſſus ſit; Amphionem a patre Jove inſtitutum, citharæ cantum reperiſſe, ut apud Plutarchum tradit Heraclides; quemadmodum Moſes a Deo præceptis inſtructus eximia inventa protulit; juxta alios, diſcipulum Mercurii fuiſſe Amphionem, lyramque ab eo, atque alia præclara dona accepiſſe; ac primum aram Mercurio excitaſſe. Quibus cognoſcitur quanta Mercurium inter & Amphionem interceſſerit neceſſitudo & affinitas; tanta certe, quanta eſſe potuit maxima, adeo ut unus idemque eſſent, nempe Moſes.

Plin. l. 7. c. 56. Philoſtr. Imag. l. 2. Paul. Eliac. Clem. Al. Protrept. Tzetz. Ch. 1. Hiſt. 13. Hom. Iliad. λ. Plutarch. de Muſic.

Eumolpus, idem ac Moſes.

XXII. En tibi rurſum Moſem in Eumolpo: natu & tempora conſentiunt; filius quippe, vel juxta alios pater Muſæi fuiſſe fingitur, & Orphei diſcipulus, quos Moſem ipſum eſſe diximus. Herculem fidibus docuit, juxta Theocritum, quod alii Lino tribuunt; quippe Joſuam, qui ut dixi Hercules eſt, præceptis Moſes informavit. Eamdem ob cauſſam Eleuſiniis Cereris ſacris initiatum ab Emulpo Herculem, & cæſi Centauri crimine purgatum, priusquam ad inferos Cerberum abducturus deſcenderet, Mythologi ſcribunt. In quo ſane aliud diſſimulatur Moſaicarum rerum myſterium. Ceres quippe legum inventrix, legifera, & θεσμοφόρος eſt: Moſes autem legumlator cum aritbus ſuis, adminiſtrandæ nimirum Reipublicæ, populorumque regendorum præceptis Joſuam imbueret, Cereris eum ſacris initiaſſe dictus eſt, non Thesmophoriis quidem, at Eleuſiniis: nec enim in fabulis ſuis concinnandis accuratam convenientiam fabularum architecti ſectabantur. Indidem eſt, quod & Bacchum, & Æſculapium, qui Moſis effigiem gerunt, ad eadem ſacra admiſſos finxerunt. Inde quoque eſt, quod non Eumolpo, ſed Muſæo, qui Moſes quoque eſt, Eleuſinia adſcribit Tertullianus. Eſt apud Apollodorum, Chionen Boreæ filiam, cum Eumolpum ex Neptuno clam patre ſuſcepiſſet, veritam patris iram, infantem in mare dejeciſſe; at exceptum eum in Æthiopam detuliſſe Neptunum, & Benthesicyme filiæ ſuæ & Amphitrites alendam mandaſſe: viriles autem aſſecuto annos virum Benthesicymes filiarum alteram nuptui dediſſe; (Sic enim legenda & emendanda ſunt verba Apollodori, quæ in editis libris vitiata ſunt: ἐγὼ δίδωσι βενθεσικύμη τρέφειν ἐκυτῆ θυγατρὶ ἐγὼ ἀμφιτρίτης· ὡς δὲ ἐτελεύτη, ἐκυτῇ ὁ βενθεσικύμης ἀντὶς τὴν ἑτέραν ἐκυτῆ τῶν θυγατέρων δίδωσι·) cum is autem uxoris ſuæ ſorori vim poſtmodum inferre paraſſet, in exilium pulſum ad Tegyrium Thracum regem abiiſſe, ipſiusque filiam filio ſuo ſumſiſſe uxorem, ac ei demum in regnum ſucceſſiſſe. Hæc e Moſis hiſtoria manifeſte profluunt. Traditum quippe eſt a Joſepho, & auctore Hypomnematis in Hexaemeron, quod Euſtathio adſcribitur,

Theocr. Heracliſc. Tertull. Apolog. c. 22. Apollod. Joſ. Antiq. l. 2. c. 5.

Digitized by Google

adscribitur, Mosem qui a matre in Nilo fuerat expositus, indeque a Pharaonis filia extractus, Ægyptiis bellum adversus Æthiopas moventibus fuisse a Rege præfectum; qui eum maximis cladibus attrivisset Aethiopas, & in urbem Saba compulsos obsidione cinxisset, Tharbin Aethiopum regis filiam, forma viri & virtute captam, misisse ad eum servorum fidissimos, qui de nuptiis paciscerentur; accepisse illum conditionem, ea lege, si urbs sibi traderetur; nec facta dictis abfuisse: reducem deinde, cum paratas sibi ab Aegyptiis intellexisset insidias, fugisse in Arabiam ad Jethro, quem Josephus ἰαθυγλαῖον appellat, & cujus nomen a Tegyrii nomine non multum abludit, ejusque filiam duxisse. Quod additur vero, in regnum ipsi successisse, id quoque Mosi convenit, quem Thermuthis Pharaonis filia patris successorem esse optabat. Pater huic quoque videtur assignari Neptunus, ob transmissum prodigialiter mare Rubrum. Duo filii Eumolpo fuerunt, Dairas, & Immarus; duo Mosi; & in Immaro Amramum Mosis patrem agnoscis, cujus nomen in Imbramus, Imbras, Immarus, Hermes recoctum est. Græci autem, ut sæpius monui, exoticarum rerum non satis consulti, patrum, filiorum, fratrum, sororum & uxorum nomina, non satis accurate distinguebant. Præterea pastorem fuisse Eumolpum docent Clemens & Arnobius; Musicam calluit; Philosophus fuit, Luciano auctore: quæ omnia in Mose jam ante reperimus. Nec me fugit duos Eumolpos distingui a Suida, quorum alter alterum ætate præcesserit: verum confunduntur ab Euripide in Phœnissis, & ab Apollodoro. Et vero Eumolpus ille Neptuni filius, Chionen matrem habuit; Chiones fratres fuerunt Zetes & Calais, qui erant ex Argonautis; quorum temporibus vixisse fingitur alter Eumolpus Musæi filius vel pater, Orphei discipulus.

Joseph. Antiq. l. 2. c. 6.

Clem. Al. Protrept. Arnob. l. 5. Luc. Fugit. Suidas in Εὐμολπος. Apollod. l. 3

Tiresias, idem ac Moses. Eurip. Phœnom.

XXIII. Quin & Tiresiam Mosem esse ajo. Fuit ille Baccho & Eumolpo æqualis. Uterque autem Moses est. Sua opera victoriam de Eumolpo Athenienses reportasse gloriatur Tiresias apud Euripidem: Mosis opera Æthiopes ab Ægyptiis sunt devicti. Hoc bello retulit Tiresias coronam auream, primitias spoliorum hostilium, qua radii Mosis verticem cingentes designantur. Geminos angues semel iterumque magno quodam baculo cyaneo dicitur percussisse, propter Mosis virgam in serpentem mutatam. Factum id in Cyllene monte, juxta aliquorum sententiam, in quo natum audiverant Mercurium & Pana, quorum uterque Moses est. Ambigui sexus fuit Tiresias, sexum enim sæpe mutasse docet Sostratus apud Eustathium; hoc ipsum notavimus de Baccho, & Vulcano, qui Mosis simulacra sunt, fuisse creditum. Scribit ibidem Eustathius eum in Cretam abiisse, quam pro Palæstina sæpe supra docuimus. Palladem nudam vidit; Deum vidit Moses. Juppiter & Juno altercantes judicem eum litis suæ constituunt: Judex a Deo Israelitis datus est Moses. Has ob causas excæcatum Tiresiam fingunt, quidam a Pallade, alii a Junone: an potius ob velamen, quo Moses de monte descendens caput obnupsit? Aliam calamitatis hujus Tiresiæ illatæ causam affert Apollodorus; quod mortalibus revelaret, quæ ipsos Dii celata vellent: idem Prometheum, qui Moses est, peccasse fabulati sunt. Tiresias frontivagus fuit, juxta Eustathium, perinde ut Pan, & alii, qui Moses quoque sunt. Firmam ipsi mentem, φρένας ἰμβίδυς, Homerus tribuit, propter insignem Mosis prudentiam & sapientiam. Tiresias in consilium adhibetur a Thebanis in bello adversus Polynicen, & in altero Thebanorum bello adversus Epigonos: auctor Euripides, cui succinit Diodorus: Mosem σύμβουλον συνετώτατον, *consiliarium prudentissimum* Josephus appellat. Vates fuit futurorum sciens Tiresias, haud secus quam Moses; quem & prophetam fuisse agnoscit Strabo. Inter Astrologos Tiresiam recenset Lucianus, qui & notabile hoc habet, geminum ipsi sexum fuisse tributum, quod stellarum masculas alias, alias femineas esse dixerit, ab astris etiam, quæ τέρατα appellantur, nomen ipsi fuisse impositum Eustathius affirmat: Moses impense fuit eruditus disciplinis Ægyptiorum; ii autem Astronomiam diligenter coluerunt. Musicæ artis peritiam ab Apolline consecutum esse Tiresiam legitur apud Eustathium: dote eadem clari fuerunt Orpheus, Linus, Amphion, Eumolpus, Mercurius, Pan, Apollo, in quibus Mosem dissimulatum esse evicimus. Scribit Lucianus Diis sacrum fuisse Tiresiam, ac puriissima vivendi ratione fuisse usum; quod Mosis quam proprium sit, dicere supervacaneum

Eustath. in Hom. Od. x.

Apollod. l. 3

Eustath. in Hom. Od. x.

Hom. Od. x.

Eurip. Phœn. Diod. l. 4. Joseph. l. 2. contr. Ap.

Strab. l. 16. Lucian. de Astrol.

Eustath. in Hom. Od. x.

Eustath. ib.

Lucian Macrob.

Digitized by Google

neum est. Addit diutissime eum hanc ob causam vixisse: plus quam quinque ætates assignat Euripides, quo nomine & ab Agatharchide reprehenditur; sex Lucianus; septem Phlegon, & Hyginus: cujus figmenti ratio continetur hoc Trebelli Pollionis testimonio, quo Mathematicos ait dicere solere, centum & viginti annis humanæ vitæ spatia determinari; *etiam illud addentes, Mosem solum Dei, ut Judæorum libri loquuntur, familiarem, centum viginti quinque annos vixisse: qui quum quereretur, quod juvenis interiret, responsum ei ab incerto ferunt numine, neminem plus esse victurum.* Ad radices Tilphosii montis extorrem obiisse Tiresiam tradidit Strabo: extra patriam obiit & Moses, & in valle sepultus est. Prudentia Tiresias etiam post mortem clarus fuit:

τῷ γὴ τεθνειῶτι νόον πόρε περσεφόνεια
οἷῳ πεπνύσθαι.

Huic etiam defuncto mentem dedit Proserpina,
Solus ut sapiens esset.

inquit Homerus; vel ut Callimachus:

γὴ μόνος, ὅτε θάνη, πεπνυμένος ἐν νεκύεσσι
φοιτᾶσθ', μεγάλῳ τίμιος ἀγγελίᾳ.

Et solus, postquam obierit, sapiens inter mortuos
Itabit, magno honoratus Plutoni.

proptereaque ipsum de futuris Ulysses consulit. Quibus ingeniose expressus est Moses, ad vitam pie recteque instituendam scriptis libris homines post mortem juvans, ipsisque vaticinia futurorum pandens. Idem Tiresiæ defuncto honos a Thebanis habitus est ac Diis ipsis, Diodoro teste: Mosem gentes plurimæ in Deorum album retulerunt. Denique Strabo Mosem cum Orpheo, Musæo, & Tiresia comparat; Mosem videlicet cum Mose ipso.

Agatharch. de mari Rubr. l. 5. Lucian. Macrob. Phleg. de reb. mirab. c. 4. Hygin. Fab. 75. Trebell. Poll.

Claud. c. 2. Strab. l. 9.

Hom. Od. κ. Callim. Hymn. in Laud. Pall.

Diod. l. 4.

Strab. l. 16.

CAPUT NONUM.

I. *Ex Arcadia fere profluxit omnis Romanorum Theologia.* II. *Janus, idem ac Moses.* III. *Vertumnus, idem ac Moses.* IV. *Faunus, idem ac Moses.* V. *Silvanus, idem ac Moses.* VI. *Evander, idem ac Moses.* VII. *In Penatibus etiam & Laribus latet Moses.* VIII. *Multa quoque ex historia Mosis in Romuli historiam translata sunt.*

Ex Arcadia fere profluxit omnis Romanorum Theologia.

I. ROmanorum Theologia Græcanicæ Theologiæ propago fuit, ac ejus potissimum quæ vigebat in Arcadia. Nam si temporum replicemus memoriam, multas ex Arcadia colonias venisse in Italiam, illicque sedes posuisse reperiemus. Primum enim Aborigines, gens Arcadibus prognata, ducibus Oenotro & Peucetio fratribus, multis ante Trojanum bellum annis, in Italiam transfretarunt, ut ex antiquis scriptoribus solerter probat Dionysius Halicarnasseus. Eodem deinde profectos Pelasgos in sedes suas receperunt Aborigenes, κατὰ τὸ συγγενές (*propter cognationem*,) inquit Dionysius; quippe ex Peloponneso ortos, γῆ ἀρκάδας τὸ ἀνέκαθεν· (*& Arcades ab origine.*) Unde & Arcadia dicta est Pelasgia, Stephano teste. Hi vero eam sibi delegerunt regionem, in qua deinde Roma condita est. Iisdem locis consederunt Arcades, Evandrum, ut fertur, ducem secuti, Palantio Arcadia urbe relicta. Nec longum abierat tempus, cum aliæ Arcadum Pheneatarum, Elidensibus Epeis permistorum, copiæ Herculis ductu eamdem tenuerunt regionem. Postremus illuc appulit Æneas cum Trojanis, qui & originem ad Arcades referebant: Dardanus enim auctor Trojæ Arcas fuit, Electræ filius, Atlantis nepos, qui Arcadiæ regnum tenuit, ut ab eodem Dionysio scriptum extat. Ergo Romanorum, Latinorumque progenitores, Arcades fuere. Patrios autem illi ritus & religiones in Italiam intulerunt. Atqui satis declaratum est superiori capite, ex omnibus Græciæ regionibus non aliam sæpius esse delectam quam Arcadiam, cui natales eorum adscriberent architecti fabularum, quos ad Mosis exemplar adornare vellent. Testis Mercurius, & Mercurio prognatus Pan; Æsculapius quoque, quem cultum ab Arcadibus, & apud eos humatum esse cognoscimus ex Cicerone, Pausania, & Stephano: nec non & Prometheus, qui cum Mercurio, & Æsculapio confunditur; quippe Atlantis Arcadiæ regis, vel frater, vel pater fuisse dicitur: testis denique & Aristæus. Danaus præterea in Peloponnesum invexit Ægyptias plerasque religiones & instituta, quarum magna fuit cum Mosaicis affinitas. Hinc colligitur Peloponnesios, ac in iis præcipue Arcades, Mosis nomen, rerum gestarum famam, ritusque etiam ac præcepta detulisse ad Italos, gentemque iisdem moribus & institutis imbuisse. Ergo Myrsilus Lesbius auctor est sterilitate laborantes

profluxit omnis Romanorum Theologia.

Dion. l. 1.

Stephan. in ἀρκάς.

Dion. l. 1.

Cicer. de nat. Deor. l. 3. Paus. Arcadic. Steph. in Καῦς.

Myrs. apud Dion. l. 1.

Digitized by Google

laborantes in Italia Pelasgos proventuum omnium decimas Jovi, Apollini & Cabiris voviſſe: in quo manifeſta cernuntur Moſis & Moſaicæ Legis veſtigia. Et vetuſtiſſima Græcorum & Etruſcorum ſimulacra Ægyptiis ſimilia fuiſſe prodit Strabo. Evander deinde ſacra multa, præcipue vero Panis, quem Arcades præ Diis aliis ſummo in honore habebant, & antiquiſſimum omnium arbitrabantur, & Mercurii, quorum utrumque nos Moſem eſſe vicimus, cultum ſanxit apud Italos, ſi Ovidio credimus. Literarum inſuper uſum & Muſicorum quorumdam inſtrumentorum eosdem docuit; & latis legibus mores eorum feros ac rudes emendavit, quæ ab Ebræis ad Arcades profectæ erant, atque ex Moſis hiſtoria arceſſitæ & conflatæ. Exin Hercules harum regionum incolis decimarum Diis impertiendarum ritum ſertur tradidiſſe: cum prius Regibus darentur. Et ipſi demum Herculi profanatæ ſunt. Meminerunt & ſacrificiorum Dionyſius ac Strabo, Græcanico ritu Romæ fieri ſolitorum, & ab Evandro ac Hercule inſtitutorum. Poſtrema hæc Romani acceperunt a Sabinis, qui Sancum, ſeu Herculem, auctorem gentis ſuæ jactabant: idcirco nimirum quod coloni eſſent Lacedæmoniorum, ut auctor eſt Plutarchus. Lacedæmonii autem ortos ſe ab Hercule ferebant. Ita quoque hi ritus a Peloponneſiis ad Romanos venerunt. Æneam poſtmodum, capta Troja, Samothracia Cabirorum myſteria clam abſtuliſſe, & in Italiam deportaſſe volunt quidam, Plutarcho teſte: quæ Trojam condens Dardanus contulerat. In Cabiris autem non uno modo delitescere Moſem ſupra evicimus. Mere quoque Moſaicum eſt, quod de Numa tradit Plutarchus, & retuli ſupra; edicto ipſum caviſſe, ne quis Romanorum effigiem Dei ullam vel pingeret, vel ſculperet; atque id fieri nefas habitum fuiſſe apud Romanos per annos centum & ſeptuaginta. Igitur quæ ſibi numina Romani colenda propoſuerunt, vel eadem omnino fuere, ne mutatis quidem nominibus, quæ Græci venerabantur; vel interpolato paruniper habitu ac nomine, manſerunt tamen eadem apud illos; vel eorum propria ac peculiaria fuere; cujusmodi erant, Quirinus, Evander, Carmenta, Acca Larentia, Anna Perenna, aliaque hujusmodi. Ea prætereo, *propter quæ*, inquit Cicero, *datur homini aſcenſus in cœlum, Mentem, Virtutem, Pietatem, Fidem, easque laudes*, quarum delubra Romæ publice dedicata erant. Prætereo & illa, quæ hominibus, hominumve bonis tuendis & ſervandis præſunt, qualia fuerunt Domiducus, Catius, Volumnus, Tutanus, Robigus, Terminus, aliaque hujus generis ſexcenta. Omnia recognoſcere, nec vacat, nec neceſſe eſt. Seligam aliquot, quæ ſi ſuis exolvero involucris, Moſes in iis ſtatim apparebit.

Strab. l. 17.
Ovid. 5. Faſt.
Dion. l. 1.
Strab. l. 5.
Plut. Rom.
Plut. Camill.
Plut. Num.
Clem. Al. Str. l. 5.
Euſ. Præp. Ev. l. 1. c. 6.
Cicer. l. 2. de legib.

II. Primus in ſcenam prodeat Janus, cujus ætatem cum Liberi, Perſei, & Amphionis ætate conjungunt Chronologi. Illos autem jam Moſem eſſe ſcimus. Nomen Jani variis modis Grammatici ἐτυμολογοῦσι (*ad originem referunt.*) Mihi probabile eſt fieri ab Æolico ζὰν, quod Jovis nomen eſt; unde ζανὸς, *Janus; ut* a ζανὸς *Juno*; a ζεὺς πατὴρ, *Juppiter*; a ζύγον *jugum*. Ergo Janus eſt Juppiter, juxta rationem nominis. Sed & reipſa, eumdem fuiſſe habitum id oſtendit, quod ad expiandam ſororis cædem ab Horatio admiſſam, duas aras, Jano alteram, alteram Junoni, Pontifices ſtatuerunt. Jovem autem eſſe Solem Macrobius demonſtravit. Ita Janus eſt Sol; ut Jana, Luna, apud Varronem. Unde *Diana* dicta quaſi *Diva Jana*, quemadmodum & *Divos Janos* pro Sole, ut alibi notat idem Varro. Id jam obſervatum aliis. Idem cum ait Plutarchus Janum eſſe Dæmonem, Solem intellige: *Dæmonem* enim eſſe Solem declaravi in Obſervationibus ad Originem. Matutinus pater Horatio dicitur Janus: quidam diei dominum, quidam anni faciunt, juxta Arnobium, & Servium; ex quibus concluditur Solem eſſe. Idem probant & alia plurima, quæ viri docti collegerunt. Multus eſt in hoc argumento Macrobius, apud quem aſſeverat Nigidius *Apollinem Janum eſſe, Dianamque Janum.* Apollo autem Moſes eſt, ut ſuperiora indicant; meminiſſe enim debemus eadem re nonnunquam phyſica & hiſtorica ſymbolica contineri. Sororem Camaſen in Perrhæbia Janum duxiſſe perhibet Dracon Corcyræus apud Athenæum; ſororem patruelem Jochabed duxit Amram, ex quibus genitus eſt Moſes. Biformis pingebatur Janus, quod Græcus inter Italos degens priſtinæ linguæ uſum ac vitæ rationem mutaverit; vel quod homines agreſtes manſuefecerit, inquit Plutarchus; *Janus, idem ac Moſes.*

Macrob. Sat. l. 1. c. 23.
Varr. de re ruſt. l. 1. c. 37 & de Ling. Lat. l. 6.
Plut. Num.
Horat. Serm. 2. Sat. 6.
Arnob. l. 3.
Serv. in Virg. Æn. 7. v. 607
Macr. Sat. l. 1. c. 9.
Athen. l. 15.
Plutarch. in

Quæſt. Rom. & in Numa. Macr. Sat. l. 1. c. 9.

chus; vel *quod & præterita ſciverit, & futura providerit*, inquit Macrobius. Hæc Moſi omnia conveniunt, qui Ebræus in Ægypto diu vixit; qui Ebraicam & Ægyptiam calluit linguam; qui Ebræos legibus coercuit; qui veterum peritus, & futurorum præſcius, utraque literis commendavit. Mihi vero cauſſa ineſſe videtur probabilior in velamine quo Moſes de monte deſcendens faciem texit: nam hoc fuit velut nova frons, & nova facies priori & nativæ ſuper appoſita. Ex luce vero, quam ex Dei colloquio retulerat, factum eſt ut fulgidus & radiatus Janus pingi

Albric. de Deor. imag.

ſolitus ſit, quod factum diſcimus ex Albrico. Januis præſidet Janus, quod & nomen indicat, & clavis quam dextra gerit; unde & θυρεῖος (*Januarum præſes*) dicitur. Gloſſæ Philoxeni: *Janus*, θυρεὸς θεός. Dicitur & Patulcius & Cluſivius. At, θυρεῖας, Apollinis quoque cognomen eſt, ut docet Nigidius.

Nigid. apud Macr. Sat. l. 9. c. 9.

Apollo autem Moſes eſt. Mercurius etiam, alter Moſes, πρόπυλαῖος (*ante portas poſitus*) & πρόθυρος (*cardinibus vertendis præfectus*) a cardinibus januarum dicitur. Ego vero aliam fabulæ hujus reperio originem in hiſtoria Moſis: ſic enim legitur in Exodo: *Vocavit autem Moyſes omnes ſeniores filiorum Iſrael, & dixit ad eos: Ite tollentes animal per familias veſtras, & immolate Phaſe; faſciculumque hyſſopi tingite in ſanguine qui eſt in limine, & aſpergite ex eo ſuper liminare, & utrumque poſtem: nullus veſtrum egrediatur oſtium domus ſuæ uſque mane. Tranſibit enim Dominus percutiens Ægyptios: cumque viderit ſanguinem in ſuperliminari, & in utroque poſte, tranſcendit oſtium domus, & non ſinet percuſſorem ingredi domos veſtras & ladere.* Vidimus ſupra Apollinem ἐγνιᾶα (*vialem*) eſſe dictum, quod viis itidem ut Mercurius præſit. Uterque autem Moſes eſt. Janum ſimiliter rectorem eſſe viarum Macrobius teſtificatur. Ait idem, *Mythicos referre, regnante Jano omnium domos religione ac ſanctitate fuiſſe munitas*; quod de Moſe veriſſime & aptiſſime dici poteſt. *Viam pandere Deorum ad audientiam* creditur Janus, auctore Arnobio. Cauſſam affert Ovidius, quod cum limina ſervet, per ipſum habetur aditus ad Deos. Hanc ipſam eſſe cauſſam, cur primus Deorum omnium invocetur, cenſet Macrobius. Quam ſæpe munere hoc functus ſit Moſes, Deumque interque homines medium ſe & ſequeſtrum præſtiterit, docet ſacra Hiſtoria. Hoc autem officium Mercurio delegatum fuiſſe vidimus. Quem ne dubites eumdem fuiſſe ac Janum, utrumque vero Moſem, ſcias Mercurium nonnunquam exhibitum fuiſſe bifrontem. Omni vero obſervatione dignum eſt, & rem penitus evincit ac conficit, quod legitur apud Albricum de imagine Jani: *In dextra habebat clavem, in ſiniſtra vero habebat baculum, quo ſaxum percutere, & ex illo aquam producere videbatur.* Baculum contra dextra, ſiniſtra clavem tenet apud Ovidium. En tibi Moſem virga e rupe aquas elicientem. Memorabile & illud portentum, quo protenſa manu effecit Moſes, ut aquæ maris rubri in alveum revolutæ imminentem Ægyptiorum exercitum obruerent, hoc adumbratur figmento, quod poſt Ovidium refert Macrobius; bello Sabino, irruentibus per portam Janualem hoſtibus, *ex ade Jani, per hanc portam, magnam vim torrentium undis ſcatentibus erupiſſe, multasque perduellium catervas devoratas rapida voragine periiſſe.* Navis illa in Jani numiſmatis expreſſa, non navigium quo Saturnus trajecit in Italiam, ſed ciſtellam illam ſcirpeam pice ac bitumine oblitam mihi videtur ſignificare, in qua Moſes expoſitus eſt. Regem fuiſſe Janum auctor eſt Plutarchus: quamobrem in throno ſedentem eum Albricus repræſentat: in Ebræos Jus regium Moſes exercuit, & βασιλεὺς a Clemente Alexandrino appellatus eſt. *Quis te conſtituit principem & judicem ſuper nos?* ajebat ei rixoſus ille Ebræus in Ægypto. Italorum Janus legumlator fuit, teſte eodem Plutarcho: Moſes Iſraelitarum. *Xenon primo Italicorum tradit Janum in Italia primum Diis templa feciſſe, & ritus inſtituiſſe ſacrorum:* ipſa ſunt verba Macrobii: præcipua hæc Moſis laus eſt. Jano divini honores in Italia ſunt decreti: Moſi ſub aliis nominibus, paſſim. Ex variis denique, quæ de Jano feruntur fabulis, concludamus cum Arnobio, nullum unquam extitiſſe Janum; credamusque potius, allatis convicti rationibus, nihil aliud quam impoſitam Moſi larvam fuiſſe.

Exod. 12, 21. & ſeq.

Macr. Sat. l. 1. c. 9.

Arnob. l. 3.

Ovid. 1. Faſt.

Macr. Sat. l. 1. c. 9.

Ovid. 1. Faſt.

Macr. Sat. l. 1. c. 9.

Plut. in Numa.

Albric. de Deorum imag.

Clem. Alex. Str. 2. Exod. 2, 14.

Plut. Qu. Rom.

Macr. Sat. l. 1. c. 9.

Arnob. l. 3.

III. Vertumnum eumdem eſſe ac Janum bene longa diſſertatione probare conatus eſt Johannes Annius Viterbienſis, quem & alii aſſectati ſunt. Hoc ſi illi concedatur, concedatur

Vertumnus idem ac Moſes.

Digitized by Google

cedatur quoque nobis neceſſe eſt Vertumnum eſſe Moſem. Scribit Propertius in Elegia Vertumni laudibus dicata, ſpeciem illum Iacchi nonnunquam furari ſolitum, Phœbi etiam, nec non & Fauni. Atqui Phœbus, & Iacchus Moſem diſſimulant, ut docui; diſſimulat & Faunus, ut mox docebo. Hortorum quoque Deus eſt Vertumnus, itidem ut Priapus, qui Moſes eſt. In omnes fingitur formas, ut Proteus, & Faunus; quorum uterque, alter Moſes eſt; & ut Genius, quem vultu mutabilem eſſe teſtatur Horatius; viribus ambiguum geminis Manilius: Genius autem ad Solem refertur, ut oſtendi ad Origenem; Sol autem Apollo eſt, Apollo Moſes. Eadem enim res, ut ſæpe jam monui, alium ſignificatum habet phyſicum, alium hiſtoricum. Mentibus etiam humanis præeſſe, & cogitationes hominum vertere ac mutare Vertumnum Acron cenſet; quod aliud Genii officium eſt. Se puellam & virum fieri prædicat Vertumnus apud Propertium; quod & de Mercurio, & de Baccho, & de Vulcano, & de Tireſia legitur. Itaque in omnibus Italiæ municipiis ambiguo vultu Vertumni ſimulacra fingebantur, quæ pro habitu impoſito, diverſas Numinum facies exhibebant. Auctor Acron. *Vertumnus Deus invertendarum rerum eſt, id eſt mercaturæ*, inquit Aſconius Pedianus. Idem tradunt Acron & Porphyrion. Id illo cum Mercurio, qui Moſes eſt, commune habet; item cum Jano, ut illic ſcribit Acron. Primitias fructuum ſibi vindicat apud Propertium & Ovidium; quod primitiæ frugum omnium, quas Deo offerebant Iſraelitæ, pertinerent ad Sacerdotes, quorum de genere erat Moſes. Arma etiam apud Propertium tuliſſe gloriatur: Moſem ἐν ἅπασι τοῖς τηλικούτοις ἄριστον γεγονέναι, *in omnibus rebus eximium ducem ſe geſſiſſe* perhibent Joſephus & Clemens Alexandrinus. Vertumnum Deum Etruriæ facit Varro: Moſem divinis honoribus infinitæ gentes conſecrarunt.

Propert. l. 4. Eleg. 2.

Horat. l. 2. Epiſt. 2. Manil. l. 2.

Acr. in Horat. Serm. l. 2. Sat. 7. Prop. l. 4. Eleg. 2.

Acr. in Horat. Serm. l. 2. Sat. 7. Aſcon. in Cic. Verr. 3. Acr. & Porph. in Hor. Ep. 20. l. 1. Prop. l. 4. Eleg. 2. Ovid. Met. 14.

Joſ. in Ap. l. 2. Clem. Al. Strom. 1. Varr. l. 4. de Ling. Lat.

IV. Rurſum Moſem nobis exhibet alter Romanorum Deus Faunus: quod probare promptum eſt, cum idem ille ſit ac Pan, quem Moſem eſſe vicimus. Corniger uterque, pinu coronatus uterque, Panicorum tericulorum auctor uterque: nam & id Fauno Dionyſius Halicarnaſſeus adſcribit. Bacchi comes uterque: nam & id Fauno tribuit Nonnus in Dionyſiacis. Fatidicus uterque: nam præter alios Virgilius Fauni oracula prædicat. Quinetiam in nomine Panis habetur origo nominis Fauni, ſi Salmaſio credimus. Itaque Fauni, qui Pan eſt, & Mercurii ſacra primus in Italia fertur inſtituiſſe Evander Arcas. Sacra autem patria hæc erant: nam Panem & Mercurium colunt imprimis Arcades; Panem vero præcipue, qui Deus omnium antiquiſſimus ipſis eſt & honoratiſſimus, ut ſcribit Dionyſius. Antiquiſſimum item Ægyptiis haberi tradit Herodotus: unde non obſcure collegimus ex Ægyptiaca Theologia Arcadicam eſſe ortam. Panem eſſe Faunum oſtendit Ovidius, cum Lupercalia, quæ Pani celebrabantur, Fauni ſacra appellat; & Fauni ac Panis nomina promiſcue uſurpat. Idem alibi:

Exul ab Arcadia Latios Evander in agros
Venerat, impoſitos attuleratque Deos;
Sacraq; multa quidem, ſed Fauni prima bicornis
Has docuit gentes, alipedisque Dei.

Idem oſtendunt Cincius & Caſſius apud Servium, cum ajunt *ab Evandro Faunum Deum appellatum.* Servius alibi docet eumdem eſſe Deum, Inuum, Panem, Ephialtem ſive Incubonem, Faunum, Fatuum, & Fatuellum. Paria propemodum differit Probus Virgilii Interpres: paria & Auctor libelli de origine gentis Romanæ: paria & Rutilius Numatianus in itinerario. Quare inſigniter falſus eſt Libelli ejusdem Auctor, & ante eum Dionyſius, & quicunque advenientem cum Arcadibus Evandrum a Fauno Aboriginum rege exceptum fuiſſe prodiderunt: nam quomodo excipi ab eo potuit in Italia, qui per eum primum cognitus in Italia & cultus eſt? Nec alium dicas; nam ſcribit diſerte Dionyſius Faunum Evandri hoſpitem, eum ipſum eſſe quem Romani inter Indigetes retulerunt: Auctor vero memorati Libelli eumdem eſſe ac Panem. Nec idcirco negaverim Fauni nomen ulli deinde in Italia fuiſſe tributum; at Faunum Deum, ipſum eſſe Panem pertendo. Quædam tamen Fauni propria textores fabularum voluerunt eſſe, ex quibus & Moſem eum eſſe conjicimus; cujusmodi eſt tempus quo dicitur vixiſſe; Orphei enim, qui Moſes eſt, æqualem facit Lactantius. Æqualis quoque dicitur Herculis, qui eſt Joſue. Fatuam Faunam ſororem eum Lactantius uxorem habuiſſe ſcribit: Amram

Nonn. Dionyſ. l. 13. Virg. Æn. 7. Salm. in Solin.

Dion. l. 1.

Herod. l. 2. c. 145.

Ovid. 2. Faſt. & 5.

Serv. in Georg. 1. & in Æn. 6.

Prob. in Virg. Georg. 1. Rutil. Itin. l. 1.

Dion. l. 1.

Lactant. l. 1. Inſt. c. 22.

Dion. Hal. l. 5.

Faunus, idem ac Moſes.

Digitized by Google

Moſis pater, quem ſæpe cum filio confundi obſervavimus, uxorem habuit Jochabed ſororem patruelem. Faunam hanc eamdem eſſe ac Majam notat Cornelius Labeo apud Macrobium: Majam autem quidam Vulcani uxorem, plerique Mercurii matrem, quidam Semelen Bacchi matrem putant, ut ibidem monet Macrobius. Vulcanus autem, Mercurius, & Bacchus, Moſes ipſe eſt. Narrant Cedrenus, Chronici Alexandrini auctor, & Suidas Faunum eumdem eſſe ac Mercurium; vafrum illum fuiſſe, diſertum, Mathematicarum & naturalium diſciplinarum peritum, Philoſophum, & futurorum præſcium; quæ in Moſen omnia apprime quadrant. Addunt fratrem deinde inſidiis appetitum in Ægyptum fugiſſe, magna auri copia ſuffarcinatum; ibique pro Deo habitum, per annos undequadraginta regnaſſe. His malè diſſimulatur vera Moſis hiſtoria, qui fratrum & Ægyptiorum inſidias veritus, non in Ægyptum, ſed ex Ægypto profugit, & annis quadraginta, multi itidem auri locupleſ, Iſraelitis præfuit; & divinos demum honores in Ægypto adeptus eſt. Ægyptios locupletaſſe dicitur Faunus apud eumdem Suidam: Iſraelitas Moſes conſilis ſuis ditavit, tum expilatis & ſpoliatis Ægyptiis, tum parta armis uberrima regione. Vult Macrobius Majam Fauni filiam fuiſſe, (Oma dicitur Servio, ſed mendoſe) & cum patri concubitum ejus appetenti, ne myrtea quidem virga ab eo cæſa, & vini poculis onuſta, morigeram ſe præbere vellet, ei tandem in ſerpentem mutato eſſe obſecutam; propterea que in ejus templis vitem ſuperextendi, ex iisque ſerpentes caute abigi. In his Moſis virga in ſerpentem mutata, & Moſes ipſe in vini Deum a Mythicis converſus agnoſcitur. Metalla, metallorumque fundendorum, ac conflandorum artem reperiſſe Faunum idem Suidas perhibet: qua re Vulcano, & Prometheo, quos Moſem eſſe diximus, ſimilis eſt. Prudentiam Fauni laudat Dionyſius; Moſis Joſephus, qui eum, ut dixi jam ſæpius, *prudentiſſimum conſiliarum* appellat. Aſtronomus fuit Faunus, teſte Suida: Moſes Oſarſiph dictus eſt, quod *Solis contemplatorem* ſonat. Rex Aboriginum dicitur fuiſſe Faunus: Rex dicitur Moſes a Clemente Alexandrino. Magiam calluiſſe Faunum nonnulli fabulati ſunt, ut prædicat Plutarchus: idem a plerisque de Moſe proditum eſſe ſupra notavimus. Omnes quoque formas inducere ſolitum Faunum narrant; quod & de Proteo & Vertumno, qui Moſem adumbrant, dictum vidimus. Faunus civium ſuorum feritatem narratur manſueſeciſſe: Moſes piis ſanctisque legibus Iſraelitarum mores mitigavit. Tradit Probus Faunum *primum loca certa numinibus, & ædificia quædam, lucosque ſacraſſe, a quo & fana dicta eſſe* (ſic enim hæc emendamus, quæ in editis libris vitiata ſunt;) Lactantio quoque dicitur *inſtitutor ineptarum religionum*: Moſes inter Iſraelitas piarum & verarum auctor fuit. Faunus demum Deorum albo adſcriptus eſt, quem honorem & Moſi pleræque gentes habuerunt. Poſt mortem oracula dabat Faunus: Moſes in ſcriptis futura mortuus prænuntiavit.

Macr. l. 1. Sat. c. 12.

Suidas in φαῦνος.

Prob. in Virgil. Georg. 1.

Lactant. l. 1. Inſt. c. 22.

V. Conſtabit quoque Moſem eſſe Silvanum, ſi probaverimus hunc eſſe Panem, & Faunum, & Apollinem: quippe cum hi Moſes ſint. Hoc autem ex Libello de origine gentis Romanæ liquidum eſt, ubi legitur Faunum, Silvanum, Inuum, & Panem, unum eſſe & eumdem. Gloſſæ Philoxeni: *Silvanus*, πὰν, θεὸς ὑλαῖος (*Pan, Deus ſylveſtris.*) Aliæ Gloſſæ: πὰν, ὁ δαίμων, *Incubus Silvanus.* Onomaſticon vetus: *Silvanus*, πὰν· Iſidorus: *Pan dicunt Græci, Latini Silvanum.* Idem docet & Papias. Naturæ primordia canens uterque inducitur, Pan in Orphicis, Silenus in Virgilii Bucolicis. Sed & naturæ Deus appellatur uterque, ut dixi ſuperius. Utrumque veteres piabant lacte. Teſtis Horatius de Silvano: de Pane idem nos ſupra oſtendimus. Fiſtula adſcribitur utrique, & corona pinea, quam capitis Silvani agreſtem honorem Virgilius appellat; & ſic viſitur in Marmoribus antiquis. Hic eſt, quem Sylvicolam Faunum Virgilius & Statius nominant, indicata obiter nominis origine: nam Silvani a ſylvis dicuntur, teſte Plinio, Græci ὑλαῖον & ὑλαῖον θεὸν (*ſylveſtrem Deum*) nuncupant; quod tamen Macrobius & Servius κύριον τῆς ὕλης, *dominum materiæ*, non τῶν ὑλῶν (*ſylvarum,*) exponunt. Apollinem eſſe indicant Auctores finium regundorum; cum tres Silvanos faciunt, quorum unus dicitur *Agreſtis, paſtoribus conſecratus.* Quod cognomen in Inſcriptionibus ſæpe quoque obtinet Silvanus, ubi perperam pro SILVANO AG. legitur

Silvanus, idem ac Moſes.

Macr. Sat. l. 1. c. 12.

Serv. in Æn. 8.

Ifid. Orig. l. 8. c. 11.

Horat. Ep. l. 2. Epiſt. 1.

Virg. Ecl. 10.

Inſcript. Grut. p. 63.

Virg. Æn. l. 10.

Stat. Theb. l. 5.

Plin. l. 12. c. 1.

Macr. Sat. l. 1. c. 22.

Serv. in Æn. 8.

Inſcript. Grutæ. p. 63.

Suidas in φαῦνος.

Dion. Hal. l. 1.

Joſeph. l. 2. contr. Ap.

Clem. Al. Strom. 1.

Plut. in Numa.

non

non semel, SILVANO AVG. Idem nempe, quem Virgilius *Agrorum pecorisque Deum* nuncupat. Apollinem autem & Aristæum, quorum utrumq; Mosem esse evicimus. *Legeia* καὶ νόμιον *(agrestem & pastoralem)* Pindarus dici affirmat. Trium horum Silvanorum alter dicitur Orientalis in iisdem libris de limitibus agrorum: quo cognomine continetur origo religionis hujus, oriens nimirum in quo natus est Moses. Jungitur quoque in Inscriptionibus Silvanus Apollini, Æsculapio, & Nymphis; Mosi nempe, & Mariæ ac sociabus. Cyparissi casum, quem Apollini adscribit Ovidius, Servius ad Silvanum refert. Alii Silvanum & Silenum eumdem esse, & illum ab hoc nomen habere putant; inserto digamma. Unde apud Hesychium Σιλγῖνοι dicuntur Satyri, digamma mutato in gamma, ut sæpe fit. Id si ita est, res quoque pertinet ad Mosem; nam Bacchi, qui Moses est, socius fingitur Silenus. Idem futura prædicit; prædicit & Moses. Asino vehitur Silenus; propter notam & supra a nobis memoratam fabulam de grege asinorum agrestium, quorum ductu venas aquarum Moses reperisse narratur apud Tacitum. Silenus suis juvenilior annis dicitur Ovidio, quod cruda fuerit & viridis Mosis senectus, ita ut *non caligarit oculus ejus, nec dentes illius moti sint.* Mercurium, Herculem, & Silvanum, συννάους *(in eodem templo cultos,)* fuisse vetus Marmor ostendit, quod repræsentat Gruterus in Inscriptionibus. Aliud Silvano, Mercurio, & Libero positum est. Sæpe reperias apud eumdem Herculi & Silvano solis posita monumenta: quippe & Mercurius & Liber Moses est; Hercules vero Josue Mosis socius. Silenus minio rubens pingitur, uti Pan; & mundi primordia canens, uti Pan mundi harmoniam in Orphicis. Quamobrem & in supposititio Prologo Bacchidum Plauti, se naturæ Deum Silenus appellat: quod & de Pane dictum nemo nescit. Memorabile est, quod legitur apud Pausaniam, Sileni sepulcrum esse in regione Ebræorum: quod de Mose intelligendum est, qui cornutus dictus & pictus est; itidem ut sæpe Sileni exhibebantur, cujusmodi complures marmorei hodieque supersunt.

Virg. Æn. 8.
Pind. Pyth. Od. 9.
Ovid. Met. l. 10. Serv. in Georg. 1. Hesych. in Σιλγῖνοι.
Tacit. Hist. l. 5. c. 3. Ovid. Met. l. 10. Deut. 34. 7.
Inscript. Grut. p. 1. & 62. & 42.
Virg. Ecl. 5. & 6.
Pausan. Eliac. 2.

VI. Nec notis ac symbolis Mosem signantibus Evander vacat. Æqualis dicitur fuisse Fauni, qui Moses est; & Herculis, qui Josue. Scribunt igitur primum Evandrum coluisse Herculem tanquam Deum: an propter ista libri Numerorum: *Dixitque Dominus ad eum:* (Mosen) *Tolle Josue filium Nun, virum in quo est spiritus, & pone manum tuam super eum: qui stabit coram Eleazaro sacerdote, & omni multitudine; & dabis ei præcepta cunctis videntibus, & partem gloriæ tuæ, ut audiat eum omnis Synagoga filiorum Israel. Pro hoc si quid agendum erit, Eleazar Sacerdos consulet Dominum.* Mercurii, qui Moses est, ac Themidis, quæ justitiæ & legum Dea est, filius habitus est Evander, teste Dionysio Halicarnasseo; propter leges a Mose Israelitis latas. Carmentam Romani dixerunt, a carminibus & vaticiniis, ab eaque Evandrum futura didicisse; quo notatur prophetica facultas Mosis. Eamdem Ladonis fluvii filiam facit Pausanias quod a matre Moses in Nilum demissus sit. Arcas fuisse fertur Evander, perinde ut Mercurius, & Pan, & Aristæus, aliique, quibus Mosem adumbratum esse ostendimus. Nomen etiam, quod hominem viris egregiis stipatum sonat, Mosi congruit. Evandro literarum usum debere Latinos scripserunt complures: notavimus supra literarum inventionem Taauto Philonem Byblium, Mercurio Ægyptio Platonem adscripsisse. Hyginus: *Has autem Græcas* (literas) *Mercurius in Ægyptum primus detulisse dicitur, ex Ægypto Cadmus in Græciam, quas Evandrus profugus ex Arcadia in Italiam transtulit; quas mater ejus Carmenta in Latinas commutavit.* Taautus autem ille & Mercurius, Moses ipse est; a quo & Eupolemus, & alii Eupolemum secuti, ajunt Grammaticam Judæos accepisse, ab his Phœnices, a Phœnicibus Græcos. Italis leges dixisse Evandrum auctor est Dionysius: Ebræi legislatorem Mosem habuere. Musicam quoque Italis tradidit Evander, eodem Dionysio teste, propter egregios illos Mosis Hymnos qui extant in Pentateucho. Evander Italis *fruges in Græcia primum inventas ostendit, serendique usum edocuit, terræque excolendæ gratia primus boves in Italia junxit;* ut habet Auctor libelli de origine gentis Romanæ: idem beneficium acceptum refertur Osiridi, qui Moses est. Evandrum præterea ad artes plurimas & studia Italos instituisse idem Dionysius affirmat; uti Mosem Ebræos instituisse vidimus superius, cum de Mercurio agere-

Num. 27. 18. seq.
Dionys. l. 1. & 2.
Pausan. Arcad.
Hyg. c. 277.
Eupol. apud Clem. Al. Strom. 1.
Dion. l. 1.

Evander, idem ac Moses.

Digitized by Google

mus. Religionum ceremonias in Italia fanxit Evander, templa extruxit, aras & ſtatuas erexit: Moſes ſacros ritus Ebræis præſcripſit. Nec aliam ob cauſſam cultum Panis, & Mercurii, qui Moſes eſt, in illas oras invexiſſe dictus eſt Evander, quam quod ex Moſis hiſtoria Evandri fabula detorta ſit. *Excellentiſſimæ juſtitiæ vir* fuiſſe legitur in memorato jam ſæpius libello de origine gentis Romanæ: eumdem Arcadum omnium ſapientiſſimum & fortiſſimum fuiſſe Pauſanias aſſeverat: quibus dotibus commendatiſſimum fuiſſe Moſem ſæpe jam obſervavimus. Regiam dignitatem obtinuit Evander; rex dictus eſt Moſes a Clemente Alexandrino. Heroibus denique, & Dæmonibus, ac Diis adſcriptus eſt Evander; ipſeque ac Carmenta mater aras & ſacrificia inter Romanos promeruerunt: quo honore apud alias gentes Moſes affectus eſt. Quæ cum ita ſint, veriſſimum eſſe patet quod dixit Voſſius, *nullum fuiſſe regem, cui proprium fuerit Evandri nomen.* Jure quoque Strabonem exiſtimaſſe liquet, fabuloſum eſſe, quod ſermone omnium pervulgatum eſt, Evandrum in Italiam coloniam Arcadicam duxiſſe. Sed & nos præterea commentitiam eſſe perſonam, ad Moſis exemplar compoſitam, merito pronuntiamus.

Pauſan. Arcad.

Clem. Al. Strom. 2.

Voſſ. de Idol. l. 1. c. 12.

Strab. l. 5.

VIII. Penates, Deos Romanorum proprios eſſe Macrobius ſignificat. De iis autem magna eſt veterum ſcriptorum concertatio. Nigidius & Cornelius Labeo Neptunum & Apollinem eſſe rentur. Apollo autem Moſes eſt. Verum aliud nobis ſuadere videtur Virgilius, cum libro Æneidos tertio Penates ab Apolline miſſos inducit: itaque diverſi fuerint ab Apolline. At Varro & Caſſius Hemina Deos eſſe Samothracas affirmant. Fuiſſe autem in his Mercurium, Bacchum, & Æſculapium, Moſis ſimulacra, ſuperius a me demonſtratum eſt. Ineſſe Mercurium indicat quoque eorum effigies, quam ex Timæo proponit Dionyſius Halicarnaſſeus, cum ait fuiſſe ærea & ferrea caducea. Multi volunt Penates eosdem eſſe ac Lares. Certe Deos Sāmothracios cum Laribus nonnunquam confundi, teſtis eſt Nigidius apud Arnobium. Ergo in Laribus quoque Moſem habemus. Plures vero diſtinguunt Lares a Penatibus; & apertiſſime Plautus in Mercatore. Verum, diſtinguantur licet, plurimam quoque iis contineri Moſis imaginem deprehendetur. Mercurii, qui Moſes eſt, Lares filii eſſe dicuntur. Gemini ſunt, ut Aaron & Moſes. Curetes quoque eſſe & Dactylos Idæos ſtatuunt Hyginus & Arnobius; Cretenſes nimirum, quod Palæſtinæ incolæ כרתים dicti ſint, ut ſupra monui: cum de Minoe diſſererem. Lares Varro Manes eſſe vult, Maniæ filios, quæ dicitur vulgo Larunda. Apulejus, in libro de Deo Socratis, Larem docet appellari Manem. At nos obſervavimus in Notis ad originem Manem eſſe μάμμα, hoc eſt Dæmonem. Gloſſæ Philoxeni: *Larunda, δαιμόνων μήτηρ, (Dæmonum mater.)* Ergo Lar eſt μάν, & Manis, & Dæmon; hoc eſt Sol, ut ibidem a me notatum eſt; nempe φυσικῶς *(Phyſice:)* idem & Apollo, hoc eſt Moſes, ἱστορικῶς. *(Hiſtorice.)* Vulgus Lares itinerum Deos eſſe arbitratur. Viales dicuntur Plauto, & in Inſcriptione veteri; Compitales Suetonio; unde Compitalia. Græce ἐνόδιος dicas. Dii porro ἐνόδιοι ſive Semitales, ſunt Mercurius & Hecate ſive Bivia. Mercurius autem Moſes eſt. Compitalibus aliquamdiu obſervatum refert Macrobius, ut Maniæ Larum matri pro familiarum incolumitate pueri mactarentur; deinde vero Junium Brutum Conſulem, infauſtum & cruentum ſacrificium abrogaſſe, pro puerorum capitibus alliorum & papaverum capita offerentem, ut Apollinis oraculo ſatisfieret, qui pro capitibus capita poſtulaverat. Tum addit Macrobius: *Factumque eſt ut effigies Maniæ ſuſpenſæ pro ſingulorum foribus periculum, ſi quod immineret familiis, expiarent.* Quem ritum ſuſpicor ex Dei mandato profectum, cum per Moſem Iſraelitas Ægyptiaca tyrannide jamjam eximendos juſſit fores ſanguine aſpergere: *Et tranſibo*, inquit, *per terram Ægypti nocte illa, percutiamque omne primogenitum in terra Ægypti ab homine usque ad pecus; & in cunctis Diis Ægypti faciam judicia, ego Dominus. Erit autem ſanguis vobis in ſignum in ædibus, in quibus eritis; & videbo ſanguinem, & tranſibo vos; nec erit in vobis plaga diſperdens, quando percuſſero terram Ægypti. Habebitis autem hanc diem in monumentum, & celebrabitis eam ſolennem Domino in generationibus veſtris cultu ſempiterno.* Deſignari videtur & Moſes per Lares illos Permarinos, quibus ædem dedicavit in Campo Martio M. Æmilius Cenſor,

Varr. apud Arnob. l. 3.

Plaut. Mercat. 5. 2. Inſcript. Grut. p. 78. Suet. Aug. c. 31.

Macr. Sat. l. 1. c. 7.

Exod. 7, 12. & ſeq.

In Penatibus etiam & Laribus latet Moſes.

Macr. Sat. l. 3. c. 4.

Nig. & Lab. apud Macr. Sat. l. 3. c. 4.

& Serv. in 1. Æn. Varr. & Hem. apud Macr. Sat. l. 3. c. 4. & Serv. 1. & 3. Æn.

Dion. Hal. l. 1.

Arnob. l. 3.

Plaut. Mercat. 5. 1. 5. 7.

Digitized by Google

Cenſor, quam undecim annis ante voverat L. Æmilius Regillus, navali prælio, adverſus Præfectos regis Antiochi. Meminit Livius. Permarini ſunt διαβάτιοι, (*Transmarini,*) ut habent veteres Gloſſæ Philoxeni; quo nomine Moſis per mare Rubrum tranſitus deſignatur. In antiquo Marmore Laribus conjungitur Silvanus, & SILVANUS LARUM dicitur; ſupple, ductor: ut in alia Inſcriptione, apud Macrobium, Hercules Muſarum, hoc eſt, μουσηγέτης (*Muſarum ductor.*) Atqui Silvanus Moſes eſt. Canina pelle amiciuntur, iisque canis aſſidet, quemadmodum, præter alios, deſcribit eos eleganter Pſeudo-Athenagoras: propter Calebum a Moſe ad explorandam Palæſtinam miſſum, cujus nomen *canem* ſignificat. Minime mirum igitur ſi in Ægyptiorum quoque Theologia, quæ tam multa a Moſe mutuata eſt, Lares reperiuntur.

Liv. l. 40. c. 52.

Inſcr. Grut. p. 65. & 1070 Macr. Sat. l. 1. c. 12.

Athenag. Exoc. l. 6.

Multa quæque ex hiſtoria Moſis in Romuli hiſtoriam translata ſunt.

VIII. Haudquaquam ſane, quæcunque de Romulo prodita ſunt, conficta ac falſa eſſe dixerim. At ſi fidem ſequimur hiſtoriæ, fabuloſa pleraque de eo narrari, contraria multa ac pugnantia comperiemus. Atque id eo credibilius eſt, quod docuerit non uno loco Plutarchus, qui & Livium auctorem citat, cladem Romæ a Gallis illatam veterum temporum monumenta ita conſumſiſſe, ut recentia multa, non priſca ſolum illa, effecerit ambigua & incerta. Veris autem ſic falſa permiſta ſunt & involuta, ut non ægre tamen poſſis agnoſcere ex Moſaicis promtuariis hæc fere proveniſſe. Res indicium faciet. Filiam Regis matrem habuit Romulus; a filia Regis adoptatus eſt Moſes, & filii loco habitus. Contra Veſtalium & Amulii legem conceptus a matre & editus eſt Romulus: contra Pharaonis edictum a matre Moſes infans per tres menſes clam educatus eſt. Magna in Romulo etiam tum infante apparuit corporis dignitas: elegans in eunis viſus eſt Moſes. Fratrem unicum Romulus habuit Remum; Aaronem Moſes. In alveo ſeu ſcapha Romulus expoſitus eſt in alluvie Tiberis fluvii, ſuper ripas lenibus ſtagnis effuſi: Moſes in ſiſcella jacens expoſitus eſt in carectis Nili. Paſtoribus natus Romulus diu creditus eſt, & paſtoralem vitam egit: gente paſtoritiæ rei dedita progenitus eſt Moſes, & paſtor ipſe fuit. Gabiis egregie inſtitutum eſſe Romulum, & literas, Muſicam, artem militarem, καὶ θεα καὶ τὰς εὐγενοῦτας, & *quæcunque generoſos pueros ſcire decet*, edoctum teſtantur Dionyſius Halicarnaſſeus & Plutarchus: *eruditus eſt Moyſes omni ſapientia Ægyptiorum.* Idem afflictis præſto erat, ab iisque graſſatorum & ſicariorum vim prohibebat; Moſes Ebræos ab Ægyptiorum injuriis tutatus eſt. Inſidiatus eſt vitæ Romuli Amulius, Moſis Pharao. Romulus Amulium ſibi infeſtum obtruncavit: Moſe manum protendente, maris fluctibus Pharao obrutus eſt. Fratrem Romulus interfecit: Moſes *Ægyptium percutientem quemdam de Ebræis fratribus ſuis.* Genti ſuæ uterque leges poſuit. Populum Romanum in tribus, curias, & decurias Romulus diſcrevit, & ſingulis rectores præfecit, tum & Patrum Senatum inſtituit: *Moſes electis viris ſtrenuis de cuncto Iſrael, conſtituit eos principes populi, tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & decanos, qui judicabant plebem omni tempore:* tum & Dei juſſu elegit ſeptuaginta viros de ſenibus Iſrael, quibuscum regendi populi munus partitus eſt. Romulus Sabinas rapuit; Moſes Ægyptios ſpoliavit. Romulus Acrone victo votum ſolvit Jovi Feretrio & in Capitolio templum dedicavit; impetum item Tatii, Sabinorumque repreſſit, ἐκτανύας εἰς ὑψηλὸν τὰς χεῖρας καὶ ἐυξάμενος τῷ διὶ στῆσαι τὸ τρόπαιον, καὶ τὰ ῥωμαίων πράγματα πεσόντα μὴ περιιδεῖν, ἀλλ' ὀρθῶσαι. *Protenſis in cœlum manibus, & cum Jovem precatus eſſet, ut exercitum ſiſteret, neve collapſas deſpiceret res Romanorum, ſed reſtitueret.* Verba ſunt Plutarchi. Tum voti compos templum Jovi Statori condidit, *quod monumentum eſſet poſteris*, inquit Livius, *ejus præſenti ope ſervatam urbem eſſe.* In Amalecitano prælio *cum levaret Moyſes manus, vincebat Iſrael*, fugatisque tandem & cæſis Amalecitis, *dixit Dominus ad Moyſem, Scribe hoc ob monumentum in libro.... Ædificavitque Moyſes altare.* Scribunt Dionyſius & Plutarchus, ignis perpetui, Veſtaliumque conſecrandarum ritum Romulo auctori adſcribi. Ignem inreſtinctum Moſes ſubjectis lignis indeſinenter ſervari juſſit, ut eſt in Levitico. Lituum geſtavit Romulus, virgam Moſes. Romulum religioſum, φιλοθύτην, (*ſacrificiorum ſtudioſum*) rerum divinarum peritum, inſtituendorum templorum, altarium, feſtorum dierum, & ſolennium feriarum

Plutarch. in Numa, & Camillo, & de Fortun. Roman.

Dion. Hal. l. 1. Plut. Rom. Act. 7, 22.

Exod. 2. 11.

Exod. 18, 25 26.

Num. 11, 16.

Plut. Rom.

Liv. l. 1. c. 12.

Exod. 17, 11. & ſeq.

Dion. Hal. l. 2. Plut. Rom.

Levit. 6, 12. 13.

Digitized by Google

Dion. l. 2. Plut. Rom. Hor. Carm. l. 3. Od. 3. Ovid. Met. l. 14. feriarum auctorem & suasorem faciunt Dionysius & Plutarchus; quibus notis quam Mosi similis sit, dicere nihil opus est. Romulum coorta tempestate sublimem procella raptum ex oculis hominum ferunt evacuisse, & a Marte patre in cœlum fuisse evectum: Moses in monte Nebo mortuus est, & a Deo sepultus, nec ulli mortalium sepulcrum ejus innotuit. Romulus post mortem in Deorum album relatus est: Mosi dixit DEUS, *Ecce dedi te DEum Pharaoni*; & eum præterea, tanquam Deum, gentes plurimæ coluerunt. Exod. 7. 1.

CAPUT DECIMUM.

I. *Fabulares omnes Dii, unus idemque sunt, nempe Moses.* II. *Exponitur quid sit Myobarbum Ausonii.* III. *Fabulares omnes Deæ, una eademque Dea sunt, atque hæc Sephora est Mosis uxor.* IV. *Fabularium quoque Dearum pleræque Mariam Mosis sororem referunt.* V. *Uni, eidemque fabulari personæ insunt diversæ significationes; & aliæ quidem φυσικαὶ, aliæ ἱστορικαὶ.* VI. *Fabularis historiæ Græcorum bona pars ex Mosis libris & doctrina, atque ipsis etiam verbis profluxit.* VII. *Geographica a Mose in Genesi obiter tradita, Scriptoris ac Scriptionis vetustatem indicant.*

Fabulares omnes Dii, unus idemque sunt, nempe Moses.

I. NUnc si recolligamus superiora, Mosem personatum quidem, & commentitiis nominibus ac gestis, pro gentium singularum captu, dissimulatum, & velut peregrinis indutum vestibus, sed agnoscendum tamen, si quis oculos adhibeat, & summis per totum fere orbem religionibus dignatum cernemus; Tauti quippe, & Adonidis, & Thammuz, & Marnæ personam gessisse apud Phœnices; Mercurii sive Theuthi, Osiridis sive Bacchi, Apis, Mnevis, Serapidis, Ori, Anubis, Vulcani, & Typhonis apud Ægyptios; Zoroastris apud Persas; Mercurii rursum sive Theuthi apud Thraces, Germanos, Gallos, Britannos, Hispanos, & ipsos quoque fortasse Mexicanos; Apollinis, Panos, Priapi, Æsculapii, Promethei, Cecropis, Minois, Rhadamanthyos, Æaci, Protei, Persei, Libripendis cœlestis, Aristæi, Musæi, Orphei, Lini, Amphionis, Eumolpi, & Tiresiæ apud Græcos; Jani, Vertumni, Fauni, Silvani, Evandri, unius etiam ex Penatibus & Laribus apud Romanos; & Indis quoque præcipua religionis suæ dogmata & ritus subministrasse. Fidem his facit quod ab aliis jampridem observatum est, multiplicem illam Deorum turbam, quam nobis obtrudit fabularis historia, unum eumdemque esse Deum, pro variis effectis varia nomina sortitum. Legi velim eruditissimum Plutarchi librum de Iside & Osiride, in quo plurima habentur ad hoc argumentum apposita: velut eumdem esse Aruerin, Apollinem & Orum; eumdem Plutonem ac Serapidem, & Bacchum; eumdem Oceanum ac Osirin. Præclara vero est imprimis Macrobii dissertatio, omnes Deos ad Solem referri copiose demonstrans, Apollinem videlicet, Janum, Liberum, Martem, Mercurium, Æsculapium, Serapin, Adonin, Attinem, Osirin, Orum, Pana seu Inuum, Saturnum, Ammonem & Jovem. Notabile præcipue illud affert Apollinis Clarii oraculum, quo supremum Deorum omnium Iao, Plutonem hyeme appellari pronuntiat, Jovem ineunte vere, æstate Solem, autumno Iao. Cui & germanum istud depromit ex Orphicis: Macr. Sat. l. 1. c. 17. & sq. Macr. Sat. l. 1. c. 18.

εἷς ζεὺς, εἷς ἅδης, εἷς ἥλιος, εἷς διόνυσος

Unus Juppiter, unus Pluto, unus Sol, unus Bacchus.

Quem versum ex oraculo Apollinis ita conceptum refert Julianus Imperator: Julian. Or. in Solem.

εἷς ζεὺς, εἷς αἰδώης, εἷς ἥλιος ἐστι σάραπις

Unus Juppiter, unus Pluto, unus Sol & Serapis.

quo probat Apostata eumdem esse Solem & Jovem, additque Cyprios Sacerdotes communem utrique aram statuere. Hoc quoque ex Orphicis repræsentat Macrobius: Macrob. l. 1. Sat. c. 23.

ἄγλαε ζεῦ, διόνυσε, πάτερ πόντου, πάτερ αἴης,
ἥλιε παγγενέτωρ, παναίολε, χρυσοφεγγὴς

Splendide Juppiter, Bacche, pater maris & pater terræ,
Sol omnium parens, vario ornatu insignis, aurea luce fulgens.

Idem ergo Juppiter, Dionysius, Neptunus, Pluto, & Sol. Eadem est Porphyrii sententia, docentis apud Eusebium Solem pro variis virtutibus Apollinem dici, & Herculem, & Æsculapium, & Dionysium, & Horum, & Plutonem, & Mercurium, & Hermopanem, & Hermanubin. Quorum omnium significationem parum videtur perspexisse Eusebius, cum probare conatus est diversos fuisse, Alibi Euseb. Præp. Ev. l. 3. c. 11 & 13. Euseb. Præp. Ev. l. 1. c. 9. & 15.

Alibi vero docet eumdem esse Solem, Osirin, Bacchum, & Sirion. Deinde Apollinis de se profert oraculum, quo declarat se esse Solem, Horum, Osiridem, & Bacchum. Adde Aeschyli, Sophoclis, & Euripidis testimonia, quæ repræsentat Clemens Alexandrinus, ut Jovem omnia esse probet, unumque ab illis Deum statui. Adde & illud Diodori, unde intelligas eumdem credi ab aliquibus Osirin ac Serapin, ab aliis eumdem ac Liberum, a quibusdam eumdem ac Plutonem, a nonnullis eumdem ac Ammonem, ab his eumdem ac Jovem, ab illis eumdem ac Pana. Adde & illud Tzetzæ, quo unum eumdemque esse perhibet Vulcanum, Noachum, Bacchum, & Osirin. Adde & illa Jamblichi, & Procli, quibus unus idemque est, Amun, Phtha, Vulcanus, Juppiter μειλίχιος (*mansuetus,*) & Osiris. Itaque Aphtas Suidæ Bacchus est; & a Kirchero probatum est in Prodromo Copto, eumdem esse Phtha ac Taautum, & Thoth, & Vulcanum, & Mercurium, & πειθώ. Adde & illud Nonni, apud quem Bacchus Solem invocans, Herculem eum appellat, & Belum, & Ammonem, & Apin, & Saturnum, & Jovem, & Serapin, & Tempus, & Phaethontem, & Mithram, & Apollinem, & Pæonem, & Aethera. Adde & illud Pausaniæ, apud Eleos communem aram fuisse Deorum omnium. Adde & illud Stephani, qui de Amathunte Cypri civitate disserens ait, ἐν ᾗ ἄθυσις ἐτιμᾶτο, *in qua Adonis Osiris colebatur*, quasi duplici nomine personam unam designans. Adde & illud Suidæ, qui scribit simulacrum quoddam communi Osiridis & Adonidis nomine ab Alexandrinis fuisse cultum. Adde & illud Augustini, quo docet persuasum fuisse Ethnicis in uno Jove latere omnes Deos, quorum seriem subtexit. Idem alibi ex Varrone profert hos versus Valerii Sorani:

Juppiter omnipotens, regum rex ipse, Deumque
Progenitor, genetrixque Deum, Deus unus, & omnes.

Adde & illud Martiani Capellæ, qui ait sub diversis Phœbi, Lyæi, Serapidis, Osiridis, Mithræ, Ditis, Tiphonis, Attinis, Ammonis, & Adonidis nominibus, idem numen ab universo orbe coli. Adonidem quidem Apollinem ipsum esse diserte docet Proclus Lycius Hymnoin Apollinem. Causam affert Clemens Alexandrinus in Protreptico, cur Bacchus ab aliquibus Attis appelletur. Jovem vero Serapin esse tradit Achilles Tatius in Eroticis: tradit & Eustathius, cum ait simulacrum Jovis Serapidis Sinope advehi curasse Ptolomæum Lagiden, nec cujus esset naturæ spectatores discernere potuisse: ut vel inde capi posset argumentum Diis plerisque communem esse naturam Jovis. Rem aliter narrat Plutarchus, & simulacrum id Plutonis fuisse docet, nec alium hunc esse quam Serapin. De Sinopensi hoc Dite differens Tacitus tradit multos ex insignibus, quæ in ipso manifesta erant, conjectasse eum esse Aesculapium, quosdam Osirin, plerosque Jovem, plurimos Ditem patrem. Jovem quoque esse Aesculapium liquet ex Aristide, cui commemoratur Ζεὺς ἀσκληπιός (*Juppiter Æsculapius.*) Eumdem esse constat Pana ex Orphico Hymno, in quo Pan *verus Juppiter cornutus* appellatur. Deus nempe naturæ uterque. Hinc Stoici Deum unum esse dicebant, si universum mundum spectares; plures, si varias mundi partes spiritu divino repletas: unumque esse Deum, Jovem, Minervam, Junonem, Vulcanum, Neptunum, & Cererem. Probatur item esse Bacchum ex eodem Aristide; probatur & ex Pomponio Mela, qui Indicum montem Meron, Bacchi mysteriis celebrem, Jovi sacrum esse scribit; & ex Valerio Maximo, & ex Julio Firmico, & ex veteribus Inscriptionibus, in quibus Juppiter Sabazius appellatur; quod unum esse ex Bacchi cognominibus nemo nescit. Romæ in Tabula ærea delineatus apparet Deus quidam modium capite gestans, quod Serapidis proprium est; nudus & lyram dextram tenens, quod Apollinis; fulmen sinistra quatiens, quod Jovis. Hæc eadem symbola, ac Ammonis præterea cornua, & Plutonis tridentem gerit simulacrum Dei cujusdam in aversa parte veteris numi Antonini. Mercurium esse Faunum decernit Cedrenus, Anubin Apulejus, & Servius; unde & κυνοπρόσωπον (*canina facie præditum*) eum pingebant Aegyptii, Luciano teste. Apollinem esse indicant communia utriusque cognomina & officia. Pugil enim Delphis, Cursor Cretensibus & Lacedæmoniis Apollo colebatur: quæ in Mercurium conveniunt. Solem, Orum, & Priapum ab Aegyptiis eumdem Deum haberi declarant

Clem. Al. Strom. 5.
Diod. l. 1.
Tzetz. Ch. 10. Hist. 335.
Jambl. de myster.
Suidas in Ἀφθάς
Kircher. Pr. Copt. c. 6.
Nonn. l. 40. Dionys.
Paus. l. 1. El.
Stephan. in Ἀμαθοῦς
Suidas in ἡμίεκτος.
August. de civ. Dei l. 4. c. 11. l. 7. c. 9. & seqq.
Mart. cap. l. 2.
Ach. Tat. l. 15.
Eustath. in Dion. Per.
Plut. de Isid. & Osir.
Tacit. Hist. l. 4. c. 84.
Arist. Or. in Æsculap.
Orphic. Hymn. in Pan.
Arist. Orat. in Bacch.
Pomp. Mel. l. 3. c. 7.
Valer. Max. l. 1. c. 3.
Jul. Firm. de err. prof. relig. Inscr. Grut. p. 22.
Apul. Met. l. 11.
Serv. in Virg. Æn. 8
Lucian. de sacrif.

Suidas in πρίαπος. Codin. Exc. de origin. Constant. Diod. l. 4. Suidas & Codinus. Priapum vero eumdem esse ac Typhonem censet Diodorus. Reperitur in Poematis antiquis, a Pithœo editis, carmen in laudem Solis, quod eum esse Liberum, & Cererem, & Jovem statuit, & mille nominibus gaudere. Jovem Orphica Dæmonem indigitant: Dæmon autem est Apollo, ut dixi. Communis igitur ara utrique, Soli, inquam, & Jovi a Cypriis posita est; & Rhodi sub Pœanis nomine Juppiter colebatur;

Orph. Hymn. in Dæmon. Orph. Hymn. in Solem. Eustath. in Hom. Il. α. & in Orphicis Juppiter immortalis, appellatur Sol; & eumdem esse Solem & Jovem veteri fama traditum esse perhibet Eustathius. Idem quoque Juppiter est & Juno. Panem Saturnum esse pronuntiat Macrobius; Varro vero eosdem esse Deos Harpocratem, Serapidem, & Isidem; Taautem, & Astarten; Saturnum, & Opem; & Deos Samothracum. Saturnum esse Baalem & Belum affirmat Servius: esse Evandrum & Janum non obscure conjicit Vossius: esse Herculem colligitur ex Athenagora. Janum esse Vertumnum probare nititur Johannes Annius. Eumdem & Anubin esse quidam opinati sunt, ut perhibet Plutarchus in libro de Iside & Osiride. Unum esse Pana & Apollinem Orphica indicant. Docuimus supra ex Auctore libelli de origine gentis Romanæ, & ex Servio, eumdem esse Pana, Inuum, Faunum, Ephialtem, Fatuum, Fatuellum, & Silvanum. Silvanus autem est Apollo & Aristæus, ut superius ostendi, idem & Mars, si Catonem audimus, qui vota fieri jubet Marti Silvano. Mars autem & & Janus est, auctore Plutarcho & Servio: & sacrificia fiebant Jano Quirino. Est & Hercules secundum Pontificalem ritu, ut idem Servius affirmat. Martis simulacrum in Pantheo multorum Deorum imagines continebat, unde & templo nomen, juxta Dionem. Aesculapium, Pæanem, & Attinem, unicum esse Deum asseverat Damascius apud Photium. Melicarthum, sive Melicertam, qui & Palæmon, & Portunus, esse Herculem notat Philo Byblius, Sanchoniathonis interpres. Liberum esse Apollinem, & Solem, certum est ex Porphyrio, qui in libro quem Solem appellavit, Apollinem dixit eumdem esse Solem in cœlo, Liberum patrem in terris, Apollinem apud inferos: ex Arnobio, cujus verba hæc sunt: *Nam si verum est Solem eumdem Liberum esse, eumdemque Apollinem;* & ex Statio, cui dicitur, *lucidus Evan-*

Lact. Leg. Macr. Sat. l. 1. c. 22 Varr. l. 4. de Ling. lat. Serv. in V. Æn. l. 1. Voss. de Idolol. l. 1. c. 12. & 20. & de art. Gramm. l. 3. c. 11. Ann. Vit. ad Propert. l. 4. Eleg. 2. Serv. in V. Æn. 6. Cato de re rust. c. 83. Plut. in Numa. Serv. in V. Æn. 7. Dion. l. 53. Phot. Tmem. 242 Phil. Bybl. apud Eus. Præp. Ev. l. 1. Porph. ap. Serv. in V. Eclog. 5. Arnob. l. 3. Stat. Theb. 5.

& ex Cornelio Severo, cum ait, Liberum venire per celsa sidera cœli; & ex his Ovidii ad Bacchum: *Tu formosissimus alto conspiceris cœlo;* potissimum vero ex Virgilio, cujus hoc est: *Labentem cœlo qui ducitis annum, Liber & alma Ceres.* Quod petitum est ex scholis Aegyptiorum; eos enim scisscere ait Herodotus, Liberum & Cererem rebus his inferioribus præesse. Liberum eumdem esse ac Mercurium & Herculem, sententia est Stoicorum, teste Seneca. Hæc quæ diximus propemodum omnia unica clausula comprehendit Hermesianax:

Com. Serv. Ætna. Senec. de benef. l. 4. c. 7.

πλούτων, περσεφόνη, δημήτηρ, κύπρις, ἔρωτες,
τρίτωνες, νηρεὺς, τηθὺς, καὶ κυανοχαίτης,
ἑρμῆς θ' ἥφαιστός τε κλυτὸς, πὰν, ζεύς τε καὶ ἥρη,
ἄρτεμις ἠδ' ἑκάεργος ἀπόλλων, εἷς θεὸς ἐστ'

Pluto, Proserpina, Ceres, Venus, Amores,
Tritones, Nereus, Tethys, & Neptunus,
Mercurius, & inclytus Vulcanus, Pan, Juppiter & Juno,
Diana, & longe operans Apollo, unus Deus est.

Simile est & illud Euphorionis:

ζεύς ἐστιν αἰθήρ, ζεὺς δὲ γῆ, ζεὺς δ' οὐρανὸς
ζεύς τοι τὰ πάντα·

Juppiter est æther, Juppiter terra, Juppiter cœlum,
Juppiter est omnia.

Afferuntur & versus quidam ex minore Cratere Orphei, in quibus cum de Mercurio, Nymphis, Vulcano, Cerere, Neptuno, Marte, Venere, Baccho, Themide, Apolline, & Aesculapio commemorasset, subjicit tandem, ἓν τάδε πάντα. *Omnia hæc unum sunt.* Merito itaque ait Seneca: *Quæcunque voles Jovi nomina proprie aptabis, vim aliquam, effectumque cœlestium rerum continentia. Tot appellationes ejus possunt esse quot munera.* Atque hinc Poetæ veteres Græci & Latini unicum esse Deum crebris effatis declararunt, quæ ab aliis studiose sunt collecta. Quod si Dii fabulares universi unus idemque sunt, cum plerosque eorum Mosem esse vicerimus, sequitur fabulares omnes Deos unum exhibere Mosem ἱστορικῶς, (*historice*) aliam enim significationem inesse physicam non negamus.

Senec. l. 4. de benef. c. 7.

II. Addendum

Digitized by Google

Exponitur quid sit Myobarbum Auſonii. II. Addenduſa ſuperioribus Epigramma Auſonii, quod recitavi ſupra; unde noſcitur eumdem eſſe Bacchum, Oſirin, Phanacen, & Adonidem; eumdemque Lucaniaci Pantheum appellari. Lemma Epigrammatis eſt ejusmodi: *Myobarbum Liberi patris, ſigno marmoreo in villa noſtra omnium Deorum argumenta habentis.* Jamdiu eſt cum viros ætatis ſuæ eruditiſſimos, Turnebum, & Scaligerum, torſit vox illa *Myobarbum.* Ille factam putat *mure*, in qua latet myſterii ſignificatio, & *barbo*, quo in myſteriis Cereris legiferæ utebantur, ut eſt apud Heſychium. Hæc confutat Scaliger, & merito; nihil ipſe affert veriſimilius: nam quod Bacchus pingi ſoleat cum canthro oblongo, & infima parte anguſto ac turbinato, canthrum illum dictum putat *Myobarbum*, voce hybrida, a ſimilitudine & muris & barbæ quæ in conum deſinit. Pudet ineptiarum. Myobarbum dicitur ipſum ſimulacrum, quo refertur & vox Pantheum. Ratio nominis, quod barbam prolixam in acutum deſinentem gereret. Quemadmodum enim Paroues naves, cum oblongæ ſunt & acuminatæ, Myoparones dicuntur, a murium ſimilitudine, qui utrimque ſunt acuminati, & a roſtro, & a cauda; unde μύωρος dicitur, qui extrema parte ſubtilis & anguſtus eſt; ita a barba promiſſa & acuta, Myobarbum dictum eſt ſimulacrum Bacchi. Tali id fuiſſe barba colligo ex Macrobio: *Hierapolitani*, inquit, *qui ſunt gentis Aſſyriorum, omnes Solis effectus atque virtutes ad unius ſimulacri barbati ſpeciem rediguntur, eumdemque Apollinem appellant. Hujus facies prolixa in acutum barba figurata eſt.* Tum ita id depingit, ut Deorum prope omnium argumenta habeat, haud ſecus ac Myobarbum illud Auſonii. Hæc Apollinis effigies ea ipſa videtur eſſe, quam in templo Deæ Syriæ Hierapoli fuiſſe narrat Lucianus: utraque enim barbata eſt, utraque & veſtibus induta. At enim, inquies, Apollinem exhibet Macrobius, Bacchum Auſonius. Reſponſionem præbet ex Ariſtotele Macrobius ipſe capitis ſequentis initio: *Ariſtoteles*, inquit, *Theologumena ſcripſit: Apollinem & Liberum patrem, unum eumdemque Deum eſſe multis argumentis aſſerit.* Et Liberum quidem ſuum Auſonius cum Oſirim eſſe dicit, ſatis indicat Apollinem eſſe, ſive Solem. Liberum autem, perinde ut Apollinem, Veteres barbatum quandoque pingebant: νῦν γὰρ παῖδα, inquit Ulpianus, νῦν πρεσβύτην, νῦν ἄνδρα γράφουσιν αὐτόν. *Puerum enim, & ſeniorem, & virum eum exhibent,* κατὰ μεταδ. Adſtipulatur Macrobius, cum ait: *Liberi patris ſimulacra, partim puerili ætate, partim juvenili fingunt; præterea barbata ſpecie, ſenilique ore, uti Græci ejus quem Baaſſarea, item quem Bryſea appellant, & ut in Campania, Neapolitani celebrant, Hebona cognominantes.* Quorum affinia & apud Cornutum nanciſcare. Atqui Liber & Apollo iidem ac erant Mercurius. Quare & Mercurius φθινοπώγων *(barbam cuneatam gerens)* exhibebatur. Auctor Artemidorus. En tibi tres Deos, Liberum, Apollinem, & Mercurium, eamdem barbam gerentes. Quo habitu cum fabricatum eſſet Myobarbum, tres illos utique repræſentabat. Statua communis Panis, Herculis, & Mercurii, memoratur in Anthologia. Cave autem exiſtimes, Hermeraclas, Hermathenas, Hermerotes, Hermopanes, Hermaprocrates, Hermaphroditos, Hermanubidas, inde ſic dictos omnes, quod in idem ſimulacrum cum Mercurio ſint conjuncti. Inde ſic dictos aliquos eſſe conſtat, velut Hermerotes, Hermarpocrates, Hermaphroditos, Hermanubidas, & ſi Kirchnero credimus, Hermathenas. At ratio fere nominis eſt; quod pars inferior ſtatuæ columna eſſet quadrata; quo habitu ſæpe Mercurius exhibebatur. Scribit Lucianus, in Templo Hieropolitano Syriæ Deæ ſimulacrum aureum fuiſſe, formam propriam aut nomen haudquaquam habens, at aliorum omnium Deorum ſpecies gerens, quod alii ad Dionyſium, nonnulli ad Deucalionem, quidam ad Semiramidem retulerunt. Hujusmodi item fuiſſe dicas Sinopenſe illud Ditis ſimulacrum, de quo proxime egimus. Signum Harpocratis, Cupidinis, & Æſculapii notas gerens exhibet Sponius in Miſcellaneis: item aliud cui inſunt notæ Solis, Lunæ, Harpocratis, Cereris, Cupidinis, Æſculapii, Mercurii, & Bacchi: & aliud præterea inſigne notis Iſidis, Lunæ, Junonis, Veneris, Victoriæ, Dianæ, Cupidinis, Cereris, Salutis, Baccharum, Minervæ, & Fortunæ: & aliud deinde in quo agnoſcas Jovem, Mercurium, Proſerpinam, Cererem, Iſidem, Fortunam, Nemeſin, Martem, Minervam, & Victoriam. Videtur itaque

Auſon. Epigr. 30.

Turn. Adv. l. 3. c. 19. Scalig. in Auſon. Heſych. in βαεβὸς.

Macr. l. 1. Sat. c. 17.

Lucian. de Dea Syr.

Ulpian. in Or. Demoſth.

Macr. Sat. l. 1. c. 18.

Cornut. in Perſ. Sat. 1.

Artem. l. 2. c. 42.

Anthol. l. 4.

Kirch. Latii p. 2. c. 2.

Lucian. de Dea Syr.

Digitized by Google

Bacchi Ausonianæ effigies, Deorum omnium argumenta habens, ad Hierapolitanas illas imagines, Deorum quoque omnium insignia habentes, fuisse expressa, & barbam prolixam acutamque gestasse: unde manifesta origo vocis Myobarbum, origo vero nominis Pantheum, ex insignibus Deorum omnium, quæ inerant Myobarbo. Signa enim multiformia Deorum Panthea appellabantur. Hujusmodi fuerunt illa, quæ intulit Agrippa in magnificum illud templum, Romæ a se extructum; unde & nomen ei factum censet Dio: ἔτι πολλῶν θεῶν εἰκόνας ἐν τοῖς ἀγάλμασι, τῷ τε τῦ Ἄρεως καὶ τὸ τῆς Ἀφροδίτης ἔλαβεν *Quia plurimorum Deorum imagines in simulacris Martis & Veneris continebat.* Et Dii quibus dedicata erant signa hujusmodi, Panthei appellabantur; & hoc cognomine affectum videas Liberum patrem in Inscriptionibus, & hic apud Ausonium. Atque hinc scias quam inepte censuerit Lipsius ita dictum, quasi *omnino Deum.*

Dio l. 53.

Lipſ. Adm. l. 3. c. 6.

Fabulares omnes Dea, una eademque Dea sunt; atque hæc Sephora est, Mosis uxor.

III. Quanta autem magnorum, minutorum, & patellariorum Deorum & Heroum soboles ex Mose propagata est; tantam Dearum fœturam Sephora ipsius uxor dedit. Nam primum Astarte ipsa est, quam Cicero Adonidi nupsisse ait; siquidem Moses est Adonis. Sunt autem alia pleraque quæ idem persuadeant. Astarte nomen habet ab עשתרות, quod *greges* sonat, utpote uxor Mosis, viri pecuariæ rei dediti, de genere

Cicer. l. 3. de natura Deorum.

Gen. 46, 32.

Israelitarum, qui erant *Viri pastores ovium; curamque habebant alendorum gregum.* Taurinum caput & corniculatum gestare Astarten narrat Sanchoniathon: qua figura Isis Ægyptiis, Io Græcis exhibebatur, ut cornuti Mosis uxor esse significaretur. Narrat & terram peragrasse, quemadmodum Io post multos errores in Ægyptum perveniisse fabulantur: quod Mosi Ægyptum repetenti Sephora comes per aliquod itineris spatium adhæserit. Ergo Sephora Astarte est. Astartem autem, sive Deam Syriam, ipsam esse Cybelen Deum matrem, ex Luciano, Apulejo Damascio, aliisque, ex Veteribus Nummis ac Inscriptionibus probarunt jam Seldenus & Grotius: quod Scaliger in Notis ad Fragmenta ignorasse deprehenditur. Idem vero aliunde nos præterea arguimus. Attinem urgente & stimulante Cybele seipsum eviraſſe Mythici tradunt: hoc ipsum de Astronoe & Esmuno, sive Æsculapio scribit Damascius; qui & hoc amplius addit, juvenis causſam miseratam Deam vim ei genitalem restituisse. Æsculapium autem esse Mosen demonstravimus. Eumdem esse Attinem indicant fistula & virga, quibus ornari eum discimus ex Macrobio: utrumque enim insigne pastoris est, qualis fuit Moses; hoc præterea patrandorum prodigiorum instrumentum. Atqui ad Sephoræ factum pertinent ista, cum ad virum ab interitu vindicandum, *Tulit acutissimam petram, & circumcidit præputium filii sui.* Porro Cybele eadem est quæ Rhea, & Vesta, & Ops, & Pales, & Tellus: eadem etiam quæ Pandora; Diodoro teste: eadem etiam quæ Ceres; unde δημήτης, quasi γῆ μήτης *(terra mater)* dici credita est. Igitur πυργοφόρος *(Turrigera)* utraque pingebatur; utraque Terra dicebatur & habebatur, teste Codino in Parecbolis; iisdem mysteriis utraque placabatur, teste Clemente Alexandrino in Protreptico; & plaustra Cereris eadem quæ Cybeles, juxta Servium. Dissertationem quamdam Porphyrii repræsentat Eusebius, qua docetur unum esse atque idem, Vestam, Rheam, Cererem, Themidem, Priapum, Proserpinam, Bacchum, Attin, Adonin, Silenum, Bacchas, & Satyros. Pronunciat insuper Macrobius unam esse Deam, Majam, Bonam Deam, Faunam, Opem, Fatuam, Proserpinam, & Medeam. Cæterum Vesta dicta est βουλαία *(consultrix)* a Dinarcho apud Harpocrationem; propter prudentiam Mosis, & leges ab eo latas; quasi hæc Sephoræ cum ipso communia sint. Narrat Albricus pingi solitam fuisse Vestam, infantem gremio foventem: fortasse propter administratam a Sephora filii circumcisionem. Est apud Ptolomæum in Tetrabiblo, Venerem a Syris ut Matrem Deum coli, & variis affici nominibus. Eamdem credi Libitinam a peritissimis Romanorum perhibet Plutarchus in Numa. Venus autem est Astarte, ut scribit ex Sanchoniatone Philo Byblius, & Cicero, & Procopius Gazæus. Non autem sub Veneris illius mollis & voluptariæ, sed bellatricis & victricis habitu colebatur: ἔγχειον Græci appellabant, hoc est *Hastatam.* Talis a Spartanis pingebatur, atque ea erat Venus Victrix Romæ celebrata, crebris inscriptionibus nobilitata, quæ Cæsar & annuli signo & bellica

Damasc. apud Phot. Im. 242.

Macr. Sat. l. 1. c. 22.

Exod. 4, 25.

Diod. l. 3.

Serv. in Georg. 1. Euſ. Præp. l. 3. c. 11.

Macr. Sat. l. 1. c. 12.

Serv. in Georg. 1. Harpocr. in βουλαία.

Albric. de Deor. imag.

Sanchon. apud Euſ. Præp. Ev. l. 1. c. 10.

Ptolem. Tetrab. l. 2.

Phil. Bybl. apud Euſ. Præp. l. 1.

Cic. l. 3. de nat. Deor.

Procop. in l. 1. Reg. c. 7.

Seld. de Dis Syr. Synt. 2. c. 2. Grot. in l. Judic.

Inſcr. Grut. p. 59. 60.

Digitized by Google

bellica teſſera utebatur. Porro Deos omnes, Deasque, armis inſtruebant Spartani, gens bellicoſa; in his & Junonem, cujus ſimulacrum habebant Junonis Veneris dictum: Juno quoque Romæ armata erat, ab haſta Quiritis dicta. Ex his colligas Venerem, eamdem eſſe ac Junonem. Eamdem etiam fuiſſe ac Pytho ſive Suadam diſces ex Epigrammate Anthologiæ. Sed revertamur ad Haſtatam. Ea quoque erat Andraſte, ſive Adraſte, ſive Aſtarte, memorata Dioni, & pro Victoria a Britannis culta. Fallor, aut eadem eſt Andarta Dea, in Marmoribus antiquis, Deæ Vocontiorum repertis, celebrata. Scribit Macrobius Veneris ſignum fuiſſe Cypri, barbatum quidem, ſed veſte muliebri, cum ſceptro, ac ſtatura virili, eamque ab illis marem & feminam eſſe credi, & ab Ariſtophane ἀφρόδιτον appellari, & legi debere apud Virgilium; *Diſcedo, ac ducente Deo*; non, ut vulgo, *Dea*; cum & apud Calvum legendum eſſe affirmet Acterianus; *Pollentemque Deum Venerem*, non, *Deam*. Veterem auctorem qui de Amathunte ſcripſerat, dixiſſe refert Heſychius, πωγωνίαν ἄνδρα τὴν θεὸν ἰσχηματισθαι ἐν κύπρῳ. *Deam viri barbati figura exhiberi in Cypro*. Idem habet & Servius. Statuam Veneris deſcribens Codinus Curopalates in Parecbolis, pectinem eam geſtare ait, barbatam eſſe, utriusque ſexus inſtrumenta habere, utpote rerum omnium generationis præſidem, ſuperiori parte maſculam, inferiori feminam eſſe, & equo inſidere. Meminerimus interim partem ſexus ambiguitatem Moſi eſſe tributam. Cæterum Stoici, ut id obiter moneam, Diis omnibus Deabusque ſexum utrumque adſcribebant. Item Lacedæmonii. Sed & aliæ quoque gentes idem plerisque tribuebant Diis. Hinc Juppiter ἀρσενόθηλυς (*mas & femina*) idem nempe Juppiter & Juno; proptereaque imberbis, hoc eſt ἄξυρος (*qui non raditur*) ſive ut habet Servius ἄνευ ξυρεῦ (*ſine novacula*) unde Anxuris nomen, ubi colebatur. Quædam Dearum effigies barbatæ erant, ut Veneris & Fortunæ. Hinc etiam Bacchus & Baccha; Lunus & Luna. Hinc ſtatua portentoſa Indorum, partim virilis, partim femi-nea, cujus meminit Porphyrius. Hinc Hermathena, quæ in Tuſculano Ciceronis extabat, quamque ad hanc diem ſupereſſe exiſtimat Kircherus Athanaſius, facie & membris cæteris femina, præter genitale quo vir eſt. At Ægyptiis ſoli geminum ſexum gerebant Vulcanus & Minerva. Cæterum quid aliud eſſe dicas Venerem armatam, quam Minervam? Quamobrem Deam Syriam Minervæ ſive Veneris Victricis habitu exhibent Nummi veteres quidam. Minervam autem Lunæ effigiem eſſe vult Euſebius: & ante eum Ariſtoteles, Plutarchus, & Arnobius. Hinc ut Luna *Siderum regina* dicitur Horatio, ſic Minerva Beliſama in Inſcriptione veteri, hoc eſt, *Domina cœli* בעלת שמים, Juxta veriſſimam Seldeni conjecturam: quæ Jeremiæ dicitur מלכת השמים hinc βααλτίδα vocat Philo Byblius, quam & διώνην appellat, hoc eſt, Venerem, cui ſub בלתי, βααλτίδος nomine ſexum cujusque hebdomadis diem conſecrarunt Sabii, & quartum noni menſis, qui eſt Canun primus, quo & Balthæ thalamum ſolent extruere, eamque per ſeptem dies ſacrificiis placare: hinc Lucianus, aliique complures, Aſtarten, quam Minervam eſſe dixi, Lunam eſſe decernunt: hinc cœli filiam eſſe ait Sanchoniathon: hinc quoque nomen ejus ab aſtris derivatum Procopius Gazæus & Suidas, exoticarum linguarum imperiti crediderunt. Quorum uterque Luciferum, aſtrum eſſe Aſtartes innuit, quod Veneris ſit, quæ Aſtarte eſt. Eamdem etymologiam Aſtartes ab Aſtris probaſſe videntur ii, qui in Orphicis Hymnis & apud Herodianum pro ἀστάρτη perperam ſcripſerunt ἀστράχη, & ἀστράαχνη, cum origo vocis petenda eſſet ex עשתרות. Affert iſtud ex Lævino Macrobius: *Venerem igitur almam adorans, ſive femina, ſive mas eſt, ita uti alma Noctiluca eſt*. Tum ſubjungit eamdem eſſe Lunam, juxta Philochorum in Atthide, & ei ſacrificium facere viros cum veſte muliebri, mulieres cum virili, quod eadem mas æſtimetur & femina. Venus iſta Noctiluca, eadem eſt quæ Venus Noctuvigila appellatur in Curculione Plautina. Alilat Arabibus dici, Aſſyriis Mylittam, diſcimus ex Herodoto. Nempe eadem eſſe videtur quam in Alcorano dictam videmus *Allatt*, & quæ illic una e Dei filiabus eſſe narratur. *Allatt* ſignificat Deum, & eſt femininum nominis *Alla*, quod Deum ſonat. Deæ hujus idolum, quod ab Arabibus colebatur, Muhammedi juſſu obtritum eſſe ſcripſit Abulfeda, ut docet nos Pocockius, Arabicæ literaturæ, ad ipſorum etiam Arabum

Xiphil. in Nerone. — Anthol. l. 7. — Inſcr. Grut. p. 88. — Macr. Sat. l. 1. c. 8. — Heſych. in ἀφρόδιτος. — Serv. in Æn. 2. — Serv. in V. Æn. l. 7. — Porph. libr. de Styg. — Kircher. — Latil Paſt. 2. c. 2. — Euſeb. Præp. Ev. l. 3. — Ariſt. apud Arnob. l. 3. — Plut. de fac. in orbe Lun. Hor. Carm. Sæc. — Inſcr. Grut. p. 1067. — Seld. de Dis Syr. Synt. 2. c. 2. — Jer. 7. 18. & 44. 17. 18. 19 & 25. — Phil. Bybl. apud Euſ. Præp. Ev. l. 1. — Orph. Hymn. in Lun. — Herod. l. 5. — Macr. Sat. l. 3. c. 8. — Plaut. Curc. Act. 1. ſc. 3. — Herod. l. 2. c. 131. & l. 3. c. 8. — Alcor. Surattol. Noim. — Pocock. in Abulfar. de mor. Arab.

Digitized by Google

invidiam, facile princeps. Sexum utrumque Lunæ affingunt ψευδώνυμα *(falso nomine inscripta)* illa Orphei initia: & apud Carrenos Lunus Deus colebatur, ut discimus ex Spartiano. Huc confert Lunæ cultus ad Arabes & Saracenos propagatus, ab his ad Turcas, qui & Lunæ corniculatæ effigiem, velut sacrum quoddam insigne præferunt. Falluntur enim, qui aliam Turcicæ hujus religionis caussam quærunt. Hanc enim a Syris & Phœnicibus, Astartes, quæ Luna est, cultoribus acceperunt: quæ & in alias gentes manavit. Itaque ad Lunæ motus tempora metantur annua, & menstrua, atque etiam diurna, siquidem apud illos dies mensis cujusque ineunt a prima Lunæ visione. Quapropter & auspicari diem civilem solent ab occasu Solis. Tradit id Alfraganus in Elementis Astronomicis. Eamdem etiam χαβὰρ vel χαβὰρ, appellabant: utroque enim modo scriptum habetur in Saracenicis a Sylburgio editis: hoc autem *magnam* sonat. Isto nomine proprie appellatur Venus, sed illic cum Luna confunditur, ut alii jam observarunt. Hinc Muhammedani ad primam Lunæ φάσιν vociferantur, *Allah cobar*, quod idem est ac *Deus magnus*. Legantur super his eruditæ Pocockii Notæ in Abulfaragium. Hanc Arabum precationem paulo aliter interpretatur Constantinus Porphyrogeneta; sed rem non mutat. Cæterum ex uno Lunæ sidere Deas extitisse Minervam, Dianam, Hecaten, Parcas, Cererem, & Proserpinam, apud Eusebium Porphyrius asseverat. Sic etiam de Cappadocum Dea disserit Plutarchus in Sylla, ut appareat eamdem existimasse Lunam, Minervam, & Enyo. Ita hæc omnia Astarte fuerit, quæ Luna est. Hanc Cererem esse probamus etiam aliunde: Lunam quippe Dianam esse notum est. Vt autem Diana πολύμαστος *(multimamma)* fuit Ephesi, quemadmodum legitur apud Minutium Felicem & Hieronymum; ita Cererem Mammosam Lucretius appellavit. Astarte quoque Juno est, sive Lucina: nam Plutarchus & Appianus, Astarten a nonnullis Venerem, Junonem ab aliis haberi scisunt: vere, nam Junonem Pœni Phœnicibus oriundi devotissimo cultu prosequebantur; atque inde Sarrana Juno, & Carthago Junonia a C. Graccho dicta, & in Junonis tutela esse credita est. Itaque Augustinus Junonem sine dubitatione a Pœnis Astarten vocari ait. Horatius in Carmine sæculari Deam eamdem Ilithyam seu Lucinam nuncupari significat, & Genitalem. Ilithyia autem Juno est, Genitalis Venus. Sed & commune in Laconica Deæ utrique simulacrum a vetustis temporibus fuisse positum, quod Veneris Jononis dicebatur, perhibet Pausanias. Quamobrem Syria Dea, quæ Juno erat, Dearum omnium formas continebat: aliquid enim simile habuisse, & Veneris, & Lunæ, & Rheæ, & Dianæ, & Nemesis, & Parcarum, auctor est Lucianus. Auctor est & Plotinus idem numen esse Theologis Junonem & Venerem; ab iisque stellam Veneris appellari stellam Junonis. Auctor quoque Plutarchus apud Eusebium, Junonem eamdem ac Latonam esse creditam. Atergatidem etiam, quæ Dea Syria erat, eamdem fuisse ac Rheam Cornutus affirmat. Refert Herodianus fuisse Carthagine signum Uraniæ, e Phœnicia illuc a Didone illatum, quam Afri Cœlestem, Phœnices Astroarchen appellant, & Lunam esse volunt. Urania illa, sive Cœlestis, Tertulliano, Augustino, aliisque Christianis & Ethnicis memorata, & Invicta Cœlestis in veteri Inscriptione dicta, Venus est; unde & Veneris appellationem derivatam arbitror: nam nominandi casu *Veneris* olim dicebatur: ut *carnis*, Livio Andronico; *cujatis*, Accio, & Plauto; *concordis*, Cæcilio; *discordis* Pomponio; *præcoquis*, & *pedis*, Nævio; *vulturis*, Ennio; *Ferentinatis*, Titinnio; *Sortis*, *Opis*, *Polluces*, *Sarsinatis*, Plauto; *cohortis*, Polybio; *Ditis*, Petronio; *frontis*, Sereno Sammonico & Servio; *assis*, Acroni; & sexcenta ejusmodi. Ex *Veneris* dictione συντόμως *(compendiario)* *Venus*, factum est, ut ex istis *caro*, *cujas*, *concors*, *discors*, *præcox*, *pes*, *vultur*, *Ferentinas*, *fors*, *ops*, *Pollux*, *Sarsinas*, *cohors*, *Dis*, *frons*, *as*. Vocabulum autem *Veneris*, sit ab ἀφανὴς, transpositis literis. Οὐρανὶη vero dicta est eo sensu quo Cœli filia a Sanchoniathone; & Belisama in Inscriptione antiqua, hoc est, Domina cœli; & Regina cœli a Jeremia. Urania ergo sive cœlestis, Venus est: quo fit ut utraque Veneris & Cœlestis appellatio conjunctim ipsi in Marmoribus antiquis tribuatur, & ut ambigui sexus fuisse Carthaginensis illa Dea, itidem ut Venus, credita sit: id quod ostendit veteris Evocationis formula apud

Orph. Hymn. in Lun. Spart. in Caracc.

Constant. Porph. de admin. imper. c. 14.

Euf. Præp. Ev. l. 3. c. 11.

Hieronym. Procem. Comm. in Ep. ad Eph. Lucr. l. 4. Plutarch. in Craſſo. Appian. in Parthic.

Plutarch. in Gracch. Auguſt. l. 7. Quæſt. c. 16.

Pauſan. Lacon.

Lucian. de Dea Syr. Plotin. Enn. 3. L. 6.

Euſ. Præp. l. 3.

Procem. & c. 1. Herod. l. 5. Inſcr. Grut. p. 59.

Liv. Odyſſ. Acc. Teleph. Plaut. Curc. Act. 3. ſc. 1.

Cæcil Grac. Pomp. Sat. Næv. apud Nonium. Enn. An. Titinnn. Pſaltria. Plaut. Caſ. Act. 2. ſc. 6. & Bacch. Act. 4. ſc. 8. Moſt. Act. 3. ſc. 2. Polyb. l. 11. Petr. c. 80. Ser. Samm. c. 13. & 31. Serv. in Georg. 2. Acron. in Horat. Art. Sanch. apud Euſ. Præp. l. 1. Inſcr. Grut. p. 82. 1067. Jerem. 7. 18. Inſc. Grut. p. 59.

Digitized by Google

Macr. Sat. l. 3. c. 9. apud Macrobium: *Si Deus, si Dea eſt, cui populus, civitasque Carthaginienſis eſt in tutela.* Quin & Europam eſſe Aſtarten colligi poteſt

Lucian. de Dea Syr. ex Luciani verbis, cum ait eſſe quoddam Phœniciæ templum a Sidoniis celebratum; Aſtarte, ut ipſi dicunt, conſecratum; Europæ, ut Sacerdotes. Fere præterea convenit Europæ a tauro raptæ, id quod de Aſtarte

Sanchon. apud Euſ. Præp. Ev. l. 1. c. 10. tradidit Sanchoniathon, taurinum ipſam geſtare caput, atque eo habitu variis per orbem erroribus eſſe actam. Quod & Joni, quæ Iſis eſt, convenit, ut dixi. Europam vero

Schol. Soph. Ajac. v. 170. eſſe Lunam intelligas ex Scholiis Sophoclis. Iſidem autem omnia eſſe teſtatur Capuana vetus Inſcriptio: TE TIBI UNA QVÆ ES OMNIA DEA ISIS ARRIUS BALBINUS V. C. & Saitica altera Inſcriptio in templo Minervæ, quam Iſin eſſe Ægyptii ajunt,

Plut. de Iſid. & Oſ. Athenag. Erot. l. 6. Apul. Met. l. 11. a Plutarcho, & Pſeudo-Athenagora relata: ἐγώ εἰμι πᾶν τὸ γεγονὸς, καὶ ὂν, καὶ ἐσόμενον. *Ego ſum omne quod fuit, quod eſt, quod erit.* Item Apulejus Iſidem eſſe ſignificat rerum naturam, eamque Deorum ac Dearum faciem uniformem appellat, *cujus*, inquit, *numen unicum multiformi ſpecie, ritu vario, nomine multijugo totus veneratur orbis*; tum hanc ipſam eſſe ait, quam Phryges Deum matrem, Attici Minervam, Cretes Dianam, Siculi Proſerpinam, Eleuſinii Cererem, alii Junonem, alii Bellonam, alii Hecaten, & Nemeſin alii indigitant; quæ & in fronte ſignum Lunæ

Plut. de Iſ. & Oſ. gerit. Legas item apud Plutarchum Iſidem eſſe naturæ ſecus muliebre, omnis generationis capax; eamdemque a Platone dici nutricem omnia recipientem, & Myrionymum appellari, quod omnimodas formas, & ſpecies ſuſpiciat. Ita quidem certe nominatur in veteri Inſcriptione. Qua re Dianæ

Inſcr. Grut. p. 83. Callim. Hymn. in Dian. ſimilis eſt, quæ apud Callimachum a Jove πολυωνυμίην poſtulat & impetrat, ne hac parte ab Apolline ſuperetur: Apollo quippe, itidem ut Moſes quem repræſentat, πολυώνυμος eſt. Similiter Veneri multorum Deorum notæ inerant. Quocirca Pantheon, quod ab Agrippa Romæ extructum eſt, ſic dictum

Dio, l. 53. 59. fuiſſe opinatur Dio, quod multorum Deorum formas in Martis & Veneris ſtatuis contineret: quod ſupra jam monui. Nec aliam ob cauſſam Pantheæ nomen tributum crediderim Druſillæ, poſtquam diem ſuum obiit, quam quod ipſius ſtatua ad Veneris ſpeciem fabrefacta in foro collocata eſt, ut refert idem Dio. Ridiculus vero eſt Lipſius ut jam monui, qui ſic dictam ait Druſillam, quaſi dixiſſes *omnino Deam.* Auctor eſt Porphyrius apud

Lipſ. Adm. l. 3. c. 6. Euſebium, eamdem eſſe Iſidem, ac Lunam, & Terram, & Cererem, & Proſerpinam. Iſidem quidem eſſe Cererem non ſemel He-

Euſ. Præp. l. 3. c. 11. Herod. l. 2. c. 59. & 156. rodotus aſſeverat; Tertullianus Cererem

Tertull. Apol. c. 16. Pharíam appellat; & ſpicis redimita exhibetur ab Ovidio & Minutio. Eſſe Aſtarten &

Ovid. Met. 9. Varr. l. 4. de Ling. Lat. Opem, Varronis ſententia eſt; eſſe Terram, Iſidori; eſſe Proſerpinam, & Tethyn, Plutarchi, ex Archemacho & Heraclide; eſſe

Iſid. Orig. l. 8. c. 11. Plut. de Iſid. & Oſ. Diod. l. 1. & 5. Adolph. Occo Inſcr. Hiſp. Pign. in Expoſ. Menſæ Iſiac. Cererem, Lunam, & Junonem, Diodori; eſſe ſtellam Sirium dictam oſtendit Inſcriptio vetus de Iſide, quam refert Diodorus, & quam Calletiæ extare teſtatur Adolphus Occo. Gemmæ veteris ſcalptura, cujus formam Pignorius refert in Tabulæ expoſitione, Iſidem expreſſam habet capite cornuto & radiis cincto. Addita eſt tricuſpis virga, cui circumvolutus eſt anguis, ut Moſis conjugem eſſe appareat, qui ſub imagine Serapidis iisdem notis inſignitus eſt in altera gemma a Pignorio itidem exhibita, de qua ſupra dixi. Iſidem Mercurii filiam faciunt quidam, alii Promethei: quorum uterque Moſem diſſimulat. Eadem dicitur Juſtitia a Sapientia: qua gemina laude Moſes imprimis floruit. Quin

Ovid. l. 3. Faſt. Varr. apud Gell. l. 13. c. 21. etiam notat Ovidius Annam Perennam ab aliquibus exiſtimari eſſe Io, ab aliis Lunam, Themin a nonnullis. Addo & unam videri Deam ac eamdem, omnes eas quas hoc diſticho Varro complexus eſt:

Varr. l. 1. de vit. Pop. Rom. apud Nonium.

Ted Anna Peranna, Panda, te Lato, Pales,
Nerienes, Minerva, Fortuna, ac Ceres.

Empandam quidem eſſe Cererem putat Ælius apud Varronem. Vides ergo confundi Aſtarten, Cybelen, Venerem, Minervam, Lunam, Dianam, Hecaten, Parcas, Junonem, Cererem, Iſidem, ac Themin. Atqui Aſtarte Sephora eſt, Moſis uxor. Ergo Sephora fabulares Deas omnes una complectitur.

Fabularium quoque Dearum plerasque Mariam Moſis ſororem refert. IV. Quemadmodum autem Moſes cum fratre Aarone ſæpe confunditur; ita Mariam Moſis ſororem a Sephora glore non ſemper diſtingui indicat Inſcriptio vetus Iſidi poſita, quam refert Diodorus. Hæc Oſiridis, qui Moſes eſt, uxorem & ſororem Iſidem facit. Ejusdem matrem faciunt Minutius & Lactantius; uxorem, ſororem, matrem Euſebius ex Porphyrio. Obſervavimus præterea, cum

Diod. l. 1. Lact. l. 1. c. 21. Euſ. Præp. l. 3. c. 11.

Deabus

Deabus plerisque ad Sephoræ exemplar confictis multa Mariam habere communia; puta cum Cybele, quæ tympanum gerens pingitur; quippe de Maria hæc legimus in Exodo: *Sumsit Maria Prophetissa soror Aaron tympanum in manu sua, egressæque sunt omnes mulieres post eam cum tympanis & choris, quibus præcinebat.* Ex his tympanistriis & saltatricibus, Dei & Israelitarum victoriam in maris littore celebrantibus, factum est ut Dianæ Juppiter apud Callimachum attribuat ἑξήκοντα χορήτιδας ὠκεανίνας. *Sexaginta saltatrices Oceani filias.* Viis item & portubus Dianam in eodem Hymno præficit Juppiter: καὶ μὲν ἀγυιᾶς, inquit, Ἔσση καὶ λιμένεσσιν ἐπίσκοπος. *Sed & viis ac portubus præficieris.* Viis quidem, quasi hoc munus cum Mercurio fratre, qui Moses est, partita sit; portubus, quod post transmissum sicco pede mare Rubrum, ad littus eximium pietatis suæ specimen Maria tripudiis suis & canticis in Dei honorem celebratis ediderit. Pertinet ad virgam Mosis in serpentem mutatam, & ad serpentem æneum ab eo conflatum, quod in compitis cum Draconum voluminibus Diana statuebatur. Mariam item Venerem esse probat mos vetustus Mercurii juxta Venerem & Gratias collocandi; Mosis nempe juxta Mariam ac socias. Probat & Pseudo-orphei Hymnus in Venerem; ubi Bacchi, qui Moses est, comes appellatur, & festis gaudere dicitur; unde & φιλόργιος (*amans orgia*) vocatur in Anthologia; quod Maria tripudiis ac cantibus operam dederit. Ibidem in Anthologia nuncupatur φιλορμίσηρα, (*portuum amans*) perinde ut Diana, & ob eamdem causam. Ex qua factum quoque ut ex mari orta fingatur. In Minerva etiam, post debellatos Titanas, Pyrrhicam saltanti apud Dionysium Halicarnassæum, inest Mariæ effigies, post demersos Ægyptios tripudiantis in litore. Hinc etiam Isis, Mariæ perinde ut Sephoræ effigies, & Isiaci sistra gerunt; atque hujus etiam instrumenti notæ Ægyptus ipsa designata est. Quamobrem Isaias eam appellat *Terram cymbali alarum.* Cymbalum alarum, Ebraice צלצל כנפים, significat *cymbalum alatum*; ut, *avis ala*, avem alatam; *arbor fructus*, arborem fructiferam; *corpus mortis hujus*, corpus hoc mortale; *urbs muri*, urbem muro cinctam; *vas electionis*, vas electum; *caro peccati*, carnem peccatis obnoxiam; *odor suavitatis*, odorem suavem; *Spiritus promissionis*, Spiritum promissum; *verbum veritatis*, verbum verum; & apud Plautum *Sarapis sementium*, Sarapidem sementinum; & *scelus pueri*, puerum scelestum; & *deliciæ pueri*, suavissimum puerum; & *cibus perennitatis*, cibum perennem; *forma amœnitatis*, formam amœnam; apud Manilium & Martialem, *pectus amicitiæ*, pectus amicum; apud Senecam, *nimium sævi Diva pudoris*, Divam nimis crudeliter pudicam; *Reginam cœlibis thori*, reginam cœlibem; apud Petronium, *nautam stationis perpetuæ*, nautam in statione perpetua excubantem; apud Plinium, *res pretii*, res pretiosas; in Anthologia, *ver desideriorum*, ver desiderabile; & sexcenta hujusmodi. Cymbalum autem alatum, est sistrum: cujus appellationis caussam scire licet ex nummis, & marmoribus, quæ sistri formam exhibent. Sistrum formæ est in lateribus rotundæ, in summitatibus acutæ. Ex utroque latere eminent crepitaculorum quorumdam capita, tanquam alæ. Manubrium, caudæ; summitas opposita, rostri figuram gerit: totumque sistrum avis speciem quamdam refert. Inde Minutius Felix appellat, *Ad hirundinem sistrum*, hoc est, Sistrum hirundininum, seu hirundinis forma. Pari locutione dixit, *Ad vindemiam ferias*, hoc est, ferias vindemiales. Quamquam Sistrorum quorundam superior pars rotunda fuit: & non unam omnium fuisse formam ex veteribus saxis nosci potest. Perperam existimarunt Interpretes sic dictum sistrum a Minutio, sonitus hirundinini caussa: a forma, non a sono id nominis habuit. Perperam quoque Bochartus a Vulgata interpretatione discessit, & *Cymbalum orarum* verti jussit: nam Vulgato interpreti plane suffragatur Minutius. Sed ad rem. Apertissima imprimis hæc Orphicorum, & ad Mariam exprimendam adeo apposita, ut vix aliis uti potuisset verbis Poeta, si laudare ipsam nominatim instituisset:

ἦ τε καὶ ὑλιβάτης συρίης ἔδος ἀμφιπολεύεις,
ἦ τε σύ γ' ἐν πεδίοισι, σὺν ἅρμασι χρυσεοτεύκτοις,
ἀιγύπτης κατέχεις ἱερῆς γονιμώδεα λιτρὰ,
ἠ καὶ σὺ κυανέοις ὄχθοις, ἐπὶ πόντιον ὕδωρ,
τερπομένη χαίρεις θυητῶν κυκλίοισι χορείοις,
ἢ νύμφαις τέρπῃ κυανώπισιν ἐν χθονὶ δίῃ
θινὸς ἐπ' ἀιγιαλοῖς, ψαμμώδεσιν ἅρμασι πάφῃ.

Exod. 15, 20. 21.

Callim. Hymn. in Dian.

Anthol. l. 1. c. 31.

Dionys. Hal. 27.

Isa. 18, 1.

Plaut. Pœn. 5. 5. 33. Peri. 2. 2. 10. & 22. & 3. 1. 2. Milit. 4. 4. 36. Manil. l. 2. Mart. l. 9. Epigr. 15. Senec. Oedip. Act. 3. & Herc. Fur. Act. 2. Plin. l. 9. c. 35. Anth. l. 3.

Grut. Inscr. p. 82.

Boch. Phal. l. 4. c. 2.

Digitized by Google

Sive thurifera Syriæ sedes circumis,
Sive in campis, cum curribus auro fabrefactis,
Ægypti tenes sacra fœcunda lavacra,
Sive in nigris collibus, prope maris fluctus,
Delectata gaudes mortalium orbiculatis choreis,
Vel Nymphis oblectaris nigros oculos habentibus, in terra divina,
In ora arenosa litoris curru levi.

En tibi illam in Syriæ campis, & pone Ægypti fluenta, & choreas agentem ad maris littus, puellis comitatam. Atque hæ puellæ originem dedisse videntur fabulæ Musarum, quarum & nomen conjecturam nostram confirmat. Nam ut Moses a Græcis quibusdam appellatus est Μυσαῖος & Μῶσος, ita Maria Mosis soror convenienti nomine appellari debuit Μῶσα, ipsius vero sociæ Μῶσαι. Cujus nominis etymon hactenus frustra quæsitum est. Retulit Kircherus ad Ægyptium μωὺ, quod *aquam* sonat; quia *Ægyptii*, inquit, *omnes artes occasione aquæ & fluminum repererunt.* Ex eodem vocabulo μωὺ Musicam quoque dictam esse vult; quod *Ægyptii primi* Musicam *ad aquas invenerint, occasione fistularum* papyracearum, *quæ stagnantis aquæ* Nili *soboles passim habentur.* Perperam hæc utique, si quid sapio. Μυσικὴ, supple τέχνη, fit a μῦσα· Μῦσα indidem oritur, unde μῦσος, nempe a מוס: facili & expedita, clara etiam & manifesta originatione; quod artis magistris judicandum relinquo. Cum dixit autem Guichardus in Harmonia linguarum, Musas a Mose dictas, quod hæ doctrinis præsint, perinde ut ille omnis eruditionis princeps fuit, agnovit is quidem originem vocis, originationis caussam non intellexit. Par ergo nomen; par & officium; cantus videlicet & tripudia; Eratus præcipue, quæ ὕμνους ἀθανάτους πολυτερπέας ἔυρεν. *Hymnos immortales jucundos invenit*, ut est in veteri Epigrammate: quo munere præcipue nobilitata est Maria. Roborantur ista Diodori testimonio qui Musas fuisse docet virgines Ægyptias, Musicæ peritas, Poetrias, cantrices, saltatrices, tympanistrias, cymbalistrias, Osiridis sive Bacchi socias. Atque hic propterea dicitur μουσηγέτης, perinde ut Apollo. Panem quoque Musarum ductorem fingi observavimus. Hi autem Mosem dissimulant. Quin etiam legimus apud Plutarchum, Isidem primam fuisse Musarum quæ erant Hermopoli: quippe Maria sociabus cantandi & saltandi magistram se & ducem præbuit. Musas autem Hermopoli collocat, quam urbem a Mose conditam fuisse scripsit Artapanus.

Kirch. Prodr. Copt. c. 5.

Anthol. l. 1.

Diod. l. 1. & 2. & 3. & 4.

Plut. de Iſid. & Oſ.

Artap. apud Euſ. Præp. Ev. l. 9. c. 27.

V. Atenim, dices, si Astarte Luna est; Sol Osiris, & Adonis, & Bacchus, Diique ac Deæ omnes quos diximus; quorsum illam ad Sephoram, hos ad Mosem referre satagimus? Nempe postquam a vero deflexerunt homines, in multiplices errorum anfractus delapsi fabulas fabulis congesserunt. Plurimum vero ipsis placuisse comperio, uni eidemque fabulosæ personæ diversas adjungere significationes; & alias quidem φυσικὰς, alias ἱστορικὰς, quod sæpe jam monui. Sic Jovis nomine, Planetam ita dictum, & summam etiam aeris regionem φυσικῶς; tum & Cretensium regem, & Hammonem præterea sive Chamum Noachi filium ἱστορικῶς designabant. Osiridis appellatione, Sol & Nilus φυσικῶς, Misraimus Chami filius ἱστορικῶς continebantur. Neptuni nomen, mare signabat φυσικῶς, Japetum ἱστορικῶς· Saturni nomen Planetarum omnium supremo, & Noacho; illud Vulcani, igni, & Tubalcaino tributum est. Janus ille bifrons, annum vertentem & in se sua per vestigia redeuntem, atque item Solem notabat φυσικῶς, Mosem & Noachum ἱστορικῶς· Similiter igitur, quæ stellis, aut elementis, aliisve rebus naturalibus Veteres accommodarunt nomina; eadem Mosi, Historicorum monumentis & hominum memoria celeberrimo, ejusque uxori Sephoræ, aut sorori Mariæ indiderunt.

Uni eidemque fabulari personæ insunt diversæ significationes; & aliæ quidem φυσικαὶ, aliæ ἱστορικαί.

VI. Cum demonstratum sit Græcanicos Deos, ex ipsa Mosis persona larvata, & asciticio habitu contecta provenisse, nunc probare aggredior ex Mosis scriptionibus, verbis, doctrina, & institutis, aliquos etiam Græcorum eorumdem Deos, ac bonam fabulosæ ipsorum historiæ partem manasse. Ac primum de rerum principiis quam Mosi consentiant Græci veteres, probat erudite Clemens Alexandrinus. Non valde certe a Mose discrepant quæ Hesiodus, & longe etiam minus quæ Ovidius scripserunt. Spiritus ille Domini qui ferebatur super aquas, Mens est, juxta Anaxagoræ doctrinam, materiæ incubans, eamque digerens. Mandatum quo sidera jussit Deus esse in signa, & tempora, & dies,

Fabularis historiæ Græcorum bona pars ex Mosis libris & doctrina, atque ipsis etiam verbis profluxit.

Clem. Alex. Strom. 5.

& dies, & annos, consimilibus prope verbis Aratus retulit. Hominem luto esse fictum, & ad Dei similitudinem factum, Ebræis Græci assentiuntur. Serpentem malorum aureorum custodem, serpentis ejus qui Evam ad peccatum pellexit, symbolum esse manifestum est: ignem vero de cœlo subreptum, arboris scientiæ boni & mali. Evam dissimulant Ate Homero, & Pandora Hesiodo memoratæ: quod supra est a me notatum. Adamum, & naturæ integritatem qua primum pollebat, ac horti Edenici voluptates refert Saturnus, (ante quem Deum penes Græcos neminem fuisse ait Tertullianus,) & aurea Saturni ætas, ac veris illius æterni deliciæ, quas Poetæ concelebrant. Apollinem Musicæ parentem, ejusque fratrem Vulcanum ferrariæ & ærariæ artis auctorem, Jubalis & Tubalcaini filiorum Lamechi expressas esse a Mythicis scriptoribus imagines jam observatum est. Observatum quoque, sorori illorum Noemæ textoriæ artis inventionem tribui a plerisque, quod præclare Minervæ convenit lanificii invento celebratæ. Cui confirmando hoc addo; in Plutarchi libello de Iside & Osiride, Minervam dictam reperiri Νεμανῦν, hoc est Noemam, eamque Diluvio Ogygio antiquiorem fingi ab auctoribus fabularum, ut annotat Augustinus. Nec improbabile est, eamdem hanc esse ac Neomam, apud Sinas precationibus & sacrificiis impense cultam, navibus sic tanquam tutelam imponi solitam, mulierem sanctam, & magicarum artium longe peritissimam. Observatum item ab aliis est Titanes a טיט *luto* esse dictos, quasi πηλογόνους *(luto genitos:)* & ex Gigantibus prodiisse Cabiros, hoc est כבירים, sive juxta Cassium Heminam θεοὺς μεγάλους *(Deos magnos)* θεοὺς δυνατοὺς *(Deos potentes,)* hoc est, Deos potes: quos & χθονίους, hoc est terrestres esse docet Plutarchus. Gigantes vero ipsos Poetarum fabulis celebres, ex iis quæ de Gigantibus narrat Moses sexto capite Geneseos, esse confictos. Diluvium agnovisse Græcos ex Platone probat Eusebius, quemadmodum & a Barbaris fuisse agnitum jam ante probaverat ex Abydeno & Josepho, Josephus ex aliis. Americanos quoque notitiam ejus habere alii testati sunt. Noachum ex undis servatum Deucalione suo expresserunt Græci; ejusque navigium λάρναμα *(arcam)* & κιβώτιον *(capsulam)* appellarunt, quod nomen tulit & illud Noachi: adumbrarunt vero turrim Babelicam Giganteo bello, & insana Thessalicorum montium substructione. In Saturno quoque & tribus filiis adumbratam habemus Noachi, (qui fuit alter Adamus, & generis humani reparator, cujus Adamus auctor) triumque Noachi filiorum historiam; qui ut orbem terrarum divisetunt inter se, ita Jovem, Neptunum, & Plutonem totum orbem inter se partitos esse fabulantur Græci. Id prædicat Lactantius, & accuratius comprobarunt recentiores; ex quorum dissertationibus constat Chamum esse Jovem, Japhetum Neptunum, Plutonem Semum. Ipsum Japheti nomen in fabulas suas transtulerunt Græci, & Japetum appellarunt. Memoriæ prodidit Dicæarchus, regnante Saturno, frugibus & baccis arborum vesci solitos fuisse homines, carnibus vero abstinuisse: quippe scribit Moses fructuum frugumque esum humano generi ante Diluvium fuisse concessum; post Diluvium vero, etiam carnium animalium. Nec Saturno solum Noachum dissimularunt, sed Jano præterea, quem Mosis etiam simulacrum esse vidimus: atque hunc, quod Noachus vidisset utrumque hominum genus, & quod Diluvio antiquior fuerat & quod recentior, bifrontem & utrimque oculatum finxerunt. Saturno quoque Phœnices tribuisse ὄμματα τέσσαρα ἐκ τῶν ἐμπροσθίων, καὶ τῶν ὀπισθίων μερῶν, *oculos quatuor ex antica & postica parte* ex Sanchoniathone Philo Byblius observat. In Libro etiam Noachi imago extat, vitis consitoris, vini repertoris, & post diluvium velut renati, universo hominum genere peremto, Saturnum patris virilia falce demetentem, Chami figuram esse, patrem nudatum deridentis & fratribus monstrantis probabilis conjectura est. Nemrodum Belum esse Babylonis conditorem docuerunt alii: Belum autem Saturnum esse statuunt; Eusebius, Theophilus, Damascius, & Servius. Ex his colligo, propterea Saturnum temporum rectorem & metatorem esse dictum, quod Belus ille χρονιαῖος *(antiquus)* cognomine dictus sit; Chaldæis Belitana, quemadmodum appellatur a Ctesia in Persicis; hoc est בל עתא, ad verbum, *Bel Tempus*, sive Bel χρόνος *(Tempus,)* vel χρονιαῖος· *(antiquus.)* Ælianus ἀρχαῖον *(vetustum)* cognominat. Sic Cretæ urbs *Itanus*,

Tertull. Apol. c. 10.

Augustin. l. 18. de civ. Dei c. 8.

Cass. Hem. apud Serv. in Æn. 1.

Plut. Symp. l. 3. Quæst. 1.

Euf. Præp. Ev. l. 12. c. 15.

Joseph. Antiq. l. 1. c. 4.

Lact. l. 1. c. 11. Instit.

Dicæarch. ap. Hieron. adv. Jovin. l. 2. c. 9. Gen. 1, 29. & 9, 3.

Phil. Bybl. apud Euf. Præp. Ev. l. 1.

Euseb. in Chron. Theoph. l. 3. ad Autol. Damasc. apud Phot. Tm. 242. Serv. in Æn. 1. Cref. apud Phot. Tm. 72. Ælian. Var. Hist. Lib. c. 3.

hoc

Digitized by Google

hoc est עתיקא (*antiqua*) nunc etiam servato nomine *Paleocastro* appellatur. Sic uxor Minois Itona, pari significatione, ut notavi supra. Veram ergo nunc habemus originem fabulæ de Saturno temporum præside. Hieronymo in libro de nominibus Ebraicis *Bel* redditur *vetustas*, ac si id nominis haberet a בלה, quod est, *consenuit*, unde Græcum παλαιὸς, (*vetustus*) cum verius sit ita dici a בעל (*dominatus est.*) Quemadmodum autem Nemrod, sive Belus, sive Saturnus significationem habet vetustatis; Ita Nemrodi filius Ninus, juventutis; nam בן *filium*, sonat. Mars præterea bellorum Deus eumdem Nemrodum exhibet, qui *cœpit esse potens in terra, & erat robustus venator coram Domino.* Nemrodus autem, cujus *Babylon regni principium* fuit, is est, ut dixi, Belus Babylonici imperii conditor, quem Jovem ἐνυάλιον, hoc est Martem Histiæus, scriptor pervetus, apud Josephum appellat. Hujus quoque filium Ninum bella finitimis primum intulisse memorat Trogus: sive filio patris gesta posteri tribuerint, sive vicissim quæ filii erant adscripserint patri. Aliis placet Marte exprimi Thurram Nini successorem, virum bellis deditum, & armorum laudibus insignem. Ad hæc existimant nonnulli, & argumentis haudquaquam futilibus approbant Nemrodum esse Bacchum; Magog Prometheum; Chanaan, qui fuit *servus servorum fratribus suis*, Mercurium Jovis ministrum & nuntium. Mirabitur quoque hic aliquis nos ex una persona Nemrodi plures Deos fecisse, Saturnum, & Martem, & Bacchum: & in unum itidem Deum, puta Bacchum, plures personas, puta Noachi, & Nemrodi, & Mosis contulisse. Nempe, ut unica veritatis via est, plures erroris, multi fuerunt apud Græcos fabularum artifices, qui confusa de Diis suis ac pugnantia senserunt; multorumque hominum gesta tribuerunt uni, vel acta unius in plures partiti sunt; omnia vero, vel pleraque certe ex Codicibus sacris hauserunt, ac præcipue ex Pentateucho Mosis, quem perpetuum Theologiæ suæ seu potius Mythologiæ fontem habuerunt. Sed pergamus ad reliqua. Aditum illum Domini ad Abrahamum, cum ei pro tabernaculi foribus sedenti in convalle Mambre tres viri apparuerunt, a quibus apud se liberaliter acceptis filii promissionem, pietatis præmium tulit; Græci adumbrarunt figmento Orionis, cujus ortum concesserunt Hyrieo improli, a quo benigne excepti fuerant hospitio Dii tres, Juppiter, Neptunus, & Mercurius. Aditus quoque ille Jovis & Mercurii ad Philemonem & Baucida, a quibus comiter habiti, humanitatis mercedem utrique reposcenderunt, Angelorum duorum accessum ad Lot & uxorem videtur significare: nam & his & illis patria eductis, & in tuto collocatis, populariorum, vicinarumque gentium impietatem ulti sunt, illic Dii, hic Angeli, & totam regionem stagnum effecerunt. Ex Græcis & Latinis Scriptoribus intelligere licet cognitum illis fuisse Sodomiticum interitum. Quod pertinet ad statuam salis, in quam mutata est uxor Loti, non ex libris solum Mosis, sed ex ipsa re cognitam habere potuerunt Veteres; si modo Josepho habenda fides est, qui eam suis narrat extitisse temporibus; eamque hodie superesse affirmant qui has oras adierunt. Fides sit penes ipsos. Lapis a Jacobo erectus in titulum, & dictus Bethel, originem dedit fabulæ Bætyliorum, qui lapides animati fuerunt, & a Cœlo excogitati, si quid credimus Philoni Byblio hæc ex Sanchoniathone differenti. Istud deinde nomen a Græcis tributum est lapidibus, quos Saturno vorandos Rhea objecit, & lapidibus quibusdam sacris, quos Vivos appellabant, ut ex Damascio, Hesychio, Etymologo, Lampridio, aliisque discere licet. Ex eo quod sui a tergo videndi facultatem Mosi concessit Deus, a fronte non item, inolita est apud Græcos, aliasque gentes opinio, Deos videri adversos nolle, nec nisi abeuntes & excedentes a tergo agnosci: quod pluribus locis Poetæ testantur. Hinc aversa Jovis statua Callimachi Epigrammate celebrata. Columna illa dux Ebræorum in deserto, noctu ignea, nubila interdiu, locum habuit in Delphico templo, & in Bacchi mysteriis, ut supra notavi. Ex virga Mosis orta est, non mirifica solum Mercurii virga, de qua multa jam diximus, sed & illâ Palladis, qua Ulyssis figuram sæpius mutatam canit Homerus, & de qua librum scripserat Antisthenes Cynicus, Laertio teste; & illa quoque Circes, qua Ulyssis sociis novam figuram saga hæc induit. Atque hinc porro abiit in proverbium Virgula divina, quæ res omnes ex voto suppeditare fingebatur. Elicitam fuisse aquam e rupe cuspide percussa

Gen. 10, 8. 9. 10.

Joseph. Antiq. l. 1. c. 5.

Trog. Just. l. 1.

Joseph. Antiq. l. 1. c. 22.

Phil. Bybl. apud Euf. Præp. Ev. l. 1. c. 10.

Damasc. apud Phot. Tm. 242.

Hesych. & Etymol. in βαίτυλος.

Lampr. Heliog. c. 7.

Gen. 9, 24.

Callim. in Epigr. & Poem. Vet. Pithœi.

Digitized by Google

percussa ab Atalanta, & à Jano, perinde ut a Mose, Mythici narrant. Quod Israelitarum victimæ flammis de cœlo lapsis non semel consumtæ sint, hinc adductus est Servius ut talia scriberet: *Apud majores, aræ non incendebantur, sed ignem divinum precibus elicie-bant, qui incendebat altaria.* Hinc & Plinius tradit: *In Salentino oppido Egnatia, impositio ligno in saxum quoddam ibi sacrum, protinus flammam existere.* Cum ergo in itinere Brundusino Egnatiam perveniisset Horatius, municipes hoc prodigium apud se fieri solitum jactantes derisit: *Credat Judæus Apella,* inquit, *Non ego.* Idem Hierocæsareæ & Hypæpis in Lydia arte magica fieri refert Pausanias; idem de suo igne jactat Pharmaceutria Virgilii: idem de Erycinorum igne legimus apud Ælianum, de alio collis Vulcanii, qui in Sicilia quoque est apud Solinum, de illo Chaldæorum apud Ammianum. Ignis ad altaria perpetuo ardentis usum apud tot gentes receptum, ex Mosis mandato proveniisse supra verissime docui. Enacæi, sive filii Enac, qui tantum terrorem intulerunt Israelitis, homines gigantei roboris & staturæ, Inachidis nomen & originem dederunt, juxta quorumdam sententiam. Convenit certe inter eruditos ex illorum nomine factam vocem ἄναξ, qua reges & principes Græci appellant. Indidem ἄνακες dicti Castor & Pollux, viri corporis robore & animi fortitudine præstantes. Ex Josephi Patriarchæ historia heræ suæ concubitum aspernati, expressæ sunt Bellerophontis, Hebri, Tanis, Myrtili, Pelei, Hippolyti & Cnemonis fabulæ; qui cum Sthenoboeæ, Damasippes, Peribœæ, Hippodamiæ, Hippolytes, Phædræ & Demænetes amores sprevissent, ab impuris mulieribus apud viros tentatæ suæ pudicitiæ accusati, in maxima pericula inciderunt; quidam etiam tristissimam mortem oppetierunt. Eamdem habet originem similis Myeni casus, quem refert Plutarchus in libello de fluminibus.

Serv. in Æn. 12.

Plin. l. 2. c. 107.

Hor. Serm. l. 1. Sat. 5.

Paus. El. 1.

Ælian. Hist. Anim. l. 10. c. 50. Solin. c. 5. Amm. l. 23.

Plut. de flum. in Lycorma.

Dicat aliquis harum rerum famam, non ex Mosaicis scriptionibus, sed vulgi sermonibus traditam, & continua successione per multas ætates propagatam, ad Græcos perveniisse, vel ex aliorum librorum lectione ipsos hausisse. Nec inficias ivero aliquam, si forte, Mythologiæ partem sic extitisse: neque id contendo sane, ex uno Mosis volumine fuisse petitum, quidquid nobis Mythici obtruserunt. Nonnulla ipsis submiistrarunt Ægyptii, fabulosa gens, quorum figmentis nova sua addentes Græci eo provexerunt, ut in tam diversa commenta velut membratim discerpta veritas vix recolligi & uni formæ reddi possit. Hoc tantum mihi credi velim, & ad rem quam probo satis est, si non omnia, at plurima certe a Mose Græcos sumsisse. Non enim res tantum ab eo descriptas, sed ipsa ejus verba fabulas sexcentas peperisse, cum alii observarunt, tum maxime Samuel Bochartus, homo literariis laudibus abundans, in plerisque locis locupletissimi de Geographia sacra operis. Exemplo sit celebre illud Jacobi de Christo vaticinium: *Non auferetur sceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat* שילה, *qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium: ligans ad vineam pullum suum, & ad vitem asinam suam. Lavabit in vino stolam suam, & in sanguine uvæ pallium suum. Pulchriores sunt oculi ejus vino, & dentes ejus lacte candidiores.* Justinus Martyr non uno loco hæc ad Bacchum Dæmones retulisse ait. At hinc potius detortam esse Sileni fabulam solerter & acute vidit eruditus ille vir; ex dictione quippe שילה, quam Christo illic tribuit Jacobus Patriarcha, excusum esse Sileni nomen, & asino vectum fingi Silenum, & comitem Bacchi, & venas semper inflatum vino, & lacte pastum. Plurima ejusmodi reperias in hoc sacræ & prophanæ antiquitatis penu, quæ non res solum a Mose traditas, sed voces etiam ab eo usurpatas mendacem Græciam adulteraisse, & anilibus fabulis deformasse manifesto indicant. Unde Pentateuchi veritas, antiquitas, & auctoritas præclare statuuntur.

Gen. 49. 10. & seq.

Justin. Apolog. 2. & Dial. cum Tryph. Boch. in Chan. l. 1. c. 18.

VII. Idem egregie illustravit hoc opere Geographica Geneseos, quæ quamvis Mosi velut aliud agenti exciderint, sunt tamen ejusmodi, ut antiquissimarum nationum contineant origines, & Auctoris ipsius vetustatem ac studium veritatis unice demonstrent, quippe qui ea tradat, quæ cum extantibus apud singulas gentes antiquitatis argumentis mirifice consentiunt; & priscis ac præcipuæ auctoritatis Scriptoribus cum super hoc argumento, tum super aliis plerisque rebus, multa de suo videatur suppeditasse, ab iis ipse nihil omnino acceperit. Plurima de Geographicis Mosis disserverat Josephus

Geographica a Mose in Genesi obiter tradita, Scriptoris ac Scriptionis vetustatem indicant.

Digitized by Google

Josephus in Archæologia : nonnulla quoque singularis eruditionis congesserat Hugo Grotius; sed omnem demum sunditus materiam Bochartus exhausit. Post tam amplam messem, supereresset tamen qualicunque spicilegio locus: sed hæc sunt alterius loci.

CAPUT UNDECIMUM.

I. *Ex Mosis libris complures manarunt variarum gentium leges, ritus, ac historiæ:* II. *præcipue vero Græcorum;* III. *atque in his maxime Athenienſium :* IV. *tum & Romanorum.*

Ex Mosis libris complures manarunt variarum gentium leges, ritus, ac historia.

I. EST præterea in vetussimis priscarum gentium legibus, ritibus, & quibusdam etiam historiis, ac dividendorum temporum ratione, certissimum antiquitatis Mosaici operis, unde hæc petita sunt, indicium. Suam sibi tractationem, suum volumen postularet ea materies, si quis eam pro merito ac dignitate persequi vellet. Quæ quoniam multorum jam exercuit operam ac studium, & nonnulla ad eam caussam pertinentia obiter attigimus supra, cum de Phœnicibus, Indis, Persis, Ægyptiis, & Americanis ageremus; nunc nobis summa reliquorum quæ supersunt capita perstrinxisse sufficiat, & quædam aliis non observata adjecisse. Ac primum ad Indos & Persas quod attinet, præter ritus ipsorum, quos cum Mosaicis cognationem habere deprehendimus, servatur a quibusdam ex illis, nec non a Tartaris Iberiam & Albaniam incolentibus, Mosaica ea lex, qua fratris absque liberis defuncti uxorem frater ducere tenetur, *& suscitare semen fratris sui.* Taprobanensium Regi in caussis capitalibus septuaginta dabantur consiliarii, juxta Mosis instituta. Beruensium maris Indici accolarum unica hæc erat religio, teste Nubiensi Geographo, lapides erigere, & adipe piscium delibutos adorare; more traducto ex lapide quem erexit in titulum Jacobus, & oleo unxit. Sunt apud Sinas quidam magistratus, quorum vestes infima parte tintinnabulis sunt redimitæ, uti illa summi Ebræorum Pontificis. Gallorum Syrorum Hierapolitani Deæ Syriæ templi ministeria obeuntium ritus quosdam Mosaicis valde consentaneos Lucianus tradidit. Post sepultum e numero suorum aliquem, Templo per septem dies abstinebant : quem morem hodieque retinent Persæ cultores idolorum. Caussam dedit istud Mosis : *Si quis in agro tetigerit cadaver occisi hominis, aut per se mortui, sive os illius, sive sepulcrum, immundus erit septem diebus.* Quisquis Gallorum cadaver aspexerat, non nisi postridie, ac lustratus, Templum, subibat. Moses ibidem : *Omnis qui tetigerit humanæ animæ morticinum, & aspersus hac commistione non fuerit, polluet Tabernaculum Domini.* Mortuos consanguinei lugebant per triginta dies, nec nisi raso capite in Templum ingrediebantur. Totidem dies Mosi lugendo Israelitæ tribuerunt. Convenit præterea lex Deuteronomii de captiva a Domino amata: *Introduces eam in domum tuam, quæ radet cæsariem, & circumcidet ungues, & deponet vestem in qua capta est, sedensque in domo tua flebit patrem & matrem suam uno mense.* Hanc legem repræsentans Josephus addit numerum istum dierum sapienti ad lugendos amicos sufficere: & in libris de bello Judaico narrat interitum suum Hierosolymitanis falso nuntiatum, per dies triginta fuisse ab ipsis comploratum. Hierapolitani Galli immundos existimabant sues, iisque nec vescebantur, nec in sacris utebantur; uti nec Galatæ Pessinuntii; quod prorsus Mosaicum est. Plurima quoque Mosaica habent feri & hominum extremi Lappones. Immundas habent feminas menstruales. Sanguine victimæ tingunt idola. Ejus adipem cum parte carnium Diis suis offerunt, reliquam comedunt. Post nuptias per aliquod tempus in soceri contubernio & famulatu morantur. Circa montem, quem sacrum habent, certos fines determinant, intra quos pedem temere inferre non liceat.

Deut. 25,5.

Geograph. Nub. Clim. 1. Part. 7.

Lucian. I. de Dea Syr.

Num. 19,16

Num. 19,13

Deut. 21,12. 13.

Joſ. Antiq. l. 4. c. 8.

Levit. 11. 7. 8.

Tyriorum colonia fuerunt Gades. Vetustissimum illic Herculis Templum a Phœnicibus conditum visebatur, & ceremoniis Phœniciis celebratum. Sic autem describitur a Silio, ut multa in eo religionis Ebraicæ vestigia appareant. Templum illud non saxis, sed trabibus constabat, ad modum Tabernaculi Ebræorum : nam Templo Salomonis vetustius fuit Gaditanum. Hoc sues arcebantur. Linea veste induebantur, qui ad sacra accedebant. Pedibus erant nudis, quemadmodum & Moses coram ardente rubo. Uxoribus abstinebant ἐν τῇ τάξει τῆς ἱερωσύνης. *In ordine vicis suæ.* Ignis illic perpetuus.

Sil. l. 3.

Digitized by Google

Sed nulla effigies, simulacra vetusta Deorum; Majestate locum, & sacro implevere timore.

Atque hos ritus ne aliunde petitos putes quam e Phœnicia, cavet Appianus in Ibericis, ubi de hoc Templo differens ait: θρησκεύεται νῦν ἔτι Φοινικικῶς *Colitur etiam nunc ritu Phœnicio.* Idem habent Diodorus & Arrianus. Carthaginenses Tyriorum propago vinum fundebant in sacrificiis, & frugum suarum primitias & decumas Tyrum ad Herculem mittebant, ritu Ebraico. Penetraverat & ad Indos mos idem decimarum solvendarum. Sed & vicini Judæorum Arabes, juxta Plinium, decumas thuris Sabotam missi offerebant Deo suo Sabi; quem Bacchum esse discant obiter studiosi, non Solem, ut vult Bochartus, nisi quatenus Sol idem est ac Osiris, qui & Bacchus. Frustra ergo pro *Sabis*, legit *Samis*, ut sit, שמש *Sol.* Sabis enim Arabum non alius est ac Sabbus, quod Bacchi cognomen esse perhibet Plutarchus; nec alius ac Sabacius Phrygum, & Thracum, quem Bacchum esse constat; nec alius ac Sabus, vel Sabinus, qui Sabinorum Deus est, testibus Dionysio & Silio; ipsoque Virgilio, cui pater Sabinus visitator nuncupatur; nam Sabinorum agros vini feraces esse docet Strabo, ac propterea Baccho erant sacri, totaque adeo Italia, ut perhibet Sophocles: unde Hesychius Sabum eumdem esse tradit ac Sabazium. A Deo Sabi nomen habuit rex Arabiæ Felicis Sabos, adversus quem Ælius Largus exercitum duxit tempore Augusti; ut est apud Dionem & Strabonem, qui Ælium hunc, cognominat Gallum, non Largum; & rectius: hic est enim Cornelius Gallus, celebris Poeta. Origo nominis נסב, *potavit*; ut tradit ipse Bochartus, & ante illum Heinsius in Aristarcho sacro. Hinc & apud Hesichium, Σαβάζειν, βακχεύειν, &, Σάβος, βακχεία; & apud Harpocrationem & Scholiasten Aristophanis, Σαβοί, Sabazii sacerdotes: & vociferationes orgiorum Sabazii, ἰυοῖ, σαβοῖ. Adde Mythicos natum finxisse Bacchum in Arabia, divinosque illic honores ei fuisse tributos. Arabumque genti Deos præfici a Strabone, Jovem & Bacchum. Sed regrediamur in viam. A Mose initium habuerunt Ebræorum Judices, qui שפטים appellabantur; Ithobalo ac Baali Tyri regibus successerunt שופטים, sive δικασταὶ, hoc est Judices, quos ex Actis Tyriorum recenset Josephus. Indidem Carthaginensium Suffetes, quod & nomen indicat.

Habebant & Ægyptii suos δικαστὰς, Ebræorum δικασταῖς similes, non eorum qui שופטים appellabantur proprie, sed Sacerdotum Levitici generis, qui judicia exercebant. Judices illi Ægyptii, fuerunt itidem ab initio generis sacris obeundis destinati, quibus suus præerat Pontifex, sigillum saphirinum de collo suspensum gerens, quod Veritas appellabatur. Notatum id Diodoro & Æliano, & a Mosaicis institutis manifesto sumtum est, vel ipso Æliano teste, qui a Mercurio hæc Ægyptios accepisse scribit. Atqui Mercurium Mosem esse scimus. Templa Ægyptiorum olim simulacris carebant. Suilla abstinuisse scribit Herodotus; Phœnices quoque & Elagabalum Syrum Herodianus. Pleniluniorum tamen tempore Libero & Lunæ suem mactare, eodemque vesci licebat Ægyptiis: cujus sacrificii ritum, ab Herodoto traditum, si quis contulerit cum sacrificiis Pacificorum a Mose sancitis, ab hoc illud derivatum fatebitur. Lineas Sacerdotum Ebræorum tunicas imitati sunt linigeri Isidis Sacerdotes. Serpentem argenteam colunt, memores Mosaicæ illius æneæ. Serapidi panificia obtulisse Aegyptios discimus ex Suetonio; ad exemplum scilicet Panum propositionis. Vinum & oleum victimis affudisse Aegyptios prodit Herodotus, uti fiebat apud Ebræos in jugi & quotidiano sacrificio agnorum duorum. Vino abstinebant, & in casto erant tempore ἐφημερίας (*vicis*) suæ Aegyptii Sacerdotes, perinde ut Ebræi. Animalium mundorum & immundorum discrimen, ex ungularum fissione vel soliditate, ex pinnis & squamis, earumve defectu petitum, in Aegypto, ut inter Ebræos obtinuit. Apud utrosque si cui ὀνειρογμὸς (*libidinosum insomnium*) contigerat, is ablui jubebatur. Victimas oculis captas, aut maculosas Deo offerre, utrisque nefas erat. Vtrique holocausta Deo faciebant, quemadmodum & Cyprii. Circumcidebant virilia Aegyptii: quem morem ab ipsis Phœnices & Syri neq; acceperunt, neq; se fatentur accepisse, quod vult Herodotus ad Saturnum quippe Phœnices referunt circumcisionis institutum, ut in Sanchoniathonicis suis scribit Philo Byblius, homo Phœnix, & rerum suarum Herodoto longe consultior. Solos quidem Judæos in Syria circumcidi

Diod. l. 5. Arrian. de exped. Al. l. 2.
Plin. l. 12. c. 14.
Boch. l. 2. Phal. c. 17.
Plut. Symp. l. 4. Quæst. 5.
Dion Hal. Antiq. l. 2. Sil. l. 8. Virg. Æn. 7 Strab. l. 5.
Sophocl. Antig. v. 1130.
Hesych. in Σαβάζιος & Σαβάζειν & Σάβος.
Dio. l. 53. Strab. l. 16.
Heinsi. Aristarch. sacr. Part. 1. c. 1.
Harpocr. in Σαβοῖ. Aristoph. Schol. Vesp.
Strab. l. 16.
Joseph. l. 1. adv. Apion.
Diod. l. 1. Ælian. Var. Hist. l. 14. c. 34.
Herod. l. 2. c. 47. Herodian. l. 5.
Suet. Vesp. c. 7.
Herod. l. 2. c. 39. 4.
Herod. l. 2. c. 37. & 104.
Phil. Bybl. apud Euf. Præp. Ev. l. 1.

Digitized by Google

Joseph. Antiq. l. 8. c. 4. & l. 2. contra Ap.

cumcidi Josephus asseverat: quod ejus ætate verum fuit; jam enim apud multas gentes exoleverat ritus ille, qui prius servabatur. Minime ergo ab Ægyptiis venit ad Ebræos; cum ab Ismaele contra & Ceturæ filiis Arabes, Idumæi, Ammonitæ, Moabitæ; Madianitæ, Troglodytæ; ab Arabibus Ægyptii, ab Ægyptiis Colchi, & Æthiopes, in hisque Creophagi, & ab hac amputatione Colobi dicti, consuetudinem hanc acceperint, ut alibi observavimus: nam Ægyptiæ circumcisionis non eamdem caussam esse ac Judaicæ, & differre utramque definit Origenes. Judæi certe octavo circumcidebantur ætatis die. Ægyptii decimo tertio anno, quemadmodum & Ismaelitæ. Non omnes præterea circumcidebantur apud Ægyptios; sed ii solum qui literis aut sacris operam dabant, cum Judæi ad unum omnes lege Mosis adponendum præputium adstringerentur. Verum quod Ægyptios, vanam gentem & Judæos exosam, de se deque his prædicantes audiverat Herodotus, id bona fide retulit, & posteris Strabonique ac Celso Epicureo imprimis ad eumdem errorem præivit. Tenebras Ægyptii luce antiquiores censebant. Per hebdomadas dierum discreta fuerunt Ægyptiis temporum spatia, nec non & Brachmanibus Indis, & Gallis nostris, & Germanis, nec non & Britannis, & ipsis etiam barbaris Americanis; & Græcis quoque, ut mox dicam. Insignis est locus R. Gedaliæ in Catena Cabalæ, quo in confesso apud Ethnicos esse ait, universum orbem Sabbathum celebrare. Insignis & ille Josephi, quem repræsentare operæ pretium est: οὐ γάρ ἐστιν οὐ πόλις ἑλλήνων οὐδὲ βάρβαρος, οὐδὲ ἔν ἔθνος, ἔνθα μὴ τὸ τῆς ἑβδομάδος, ἣν ἀργοῦμεν ἡμεῖς, τὸ ἔθος οὐ διαπεφοίτηκεν. *Nulla omnino urbs est vel Græcorum, vel Barbarorum, neque ulla gens, adquam non penetraverit mos celebrandi septimi diei, quem feriati traducimus.* Insignes & illi Phinis, & Theophili Antiocheni, quibus ritum hunc declarant, non unius urbis aut gentis esse, sed omnium. Factum id apud illos crederem, *quod e septem sideribus queis mortales reguntur, altissimo orbe & præcipua potentia stella Saturni feratur, ac pleraque cœlestium vim suam & cursum septimos per numeros conficiant;* ut falso de Judaici Sabbathi origine differit Tacitus; quorum similia habent Chæremon apud Porphyrium, & Dio Cassius, qui in eo etiam peccat, quod moris hujus originem recentem esse vult, & ab Ægyptiis profectam, unde in Judæos & reliquos homines dimanarit; quod & nuper viri docti probare sunt conati, cum vetustissimam esse doceat Herodotus, ut ante nos observavit Grotius; cumque ejus antiquitatem hoc quem indicavi loco Tacitus prædicet: etsi vulgo recepta non fuit, palamque observata Sabbathi colendi consuetudo, ante ætatem Theodosii. Verum tamen scimus plerasque gentes sacrum habuisse septimum diem, & die hoc mundi creationem absolutam existimasse. Ex urbibus illis, in quas tutum patre perfugium homicidii non spontanei reis sanxerat Moses, orta videntur asyla illa Neptuni & Osiridis in Ægypto: & illa Jovis & Veneris in Cypro, quorum meminit Tacitus. Ex legum suarum præscripto fratrum defunctorum uxores ducebant Ægyptii, ut discimus ex lege quadam Codicis: nempe juxta jus Mosaicum.

Orig. l. 5. contra Cels.

Strab. l. 17. Cels. apud Origen. l. 1. contra Cels.

Joseph. l. 2. contr. Ap.

Philon. de opif. mund. Theoph. Antioch. ad Autol. l. 2.

Tacit. l. 5. Hist. c. 4. Porph. de

Abstin. ab anim. l. 4

Herod. l. 2. Grot. de verit. relig. Christ. l. 1.

Tacit. Ann. l. 3. Cod. l. 5. Tit. 5. Leg. 8.

Manavit quoque a Judæis ad Ammonios Aegyptiorum colonos ritus lychni in templo semper ardentis. Ammonis templo Præfectus erat Pontifex, cujus vestimenta describit Pseudo-Athenagoras in Eroticis, vestimentorum summi Judæorum Sacerdotis ita similia, ut ad illorum exemplum fuisse elaborata nemo dubitare possit. Reliqui vero Ammonis Sacerdotes ad modum Ebræorum Sacerdotum lineis vestibus utebantur. Sinum Arabicum describens Diodorus, apud accolas Ichthyophagos fama a patribus accepta ferri ait, æstu ingenti mare hoc olim ita fuisse exsiccatum, ut fundus appareret; tum revolutis deinde aquis in pristinum fuisse statum restitutum: quæ non alia sunt, quam quæ in mirifica Ebræorum διαβάσει (*transmissione*) contigisse narrat Moses. Suillam aversari Arabes testatur Solinus, qui & addit invectos in Arabiam sues interire. Caffari, gens prope ferina, si quando interfuerunt funeri, corpus lavant. Gentis Sinensis, quæ magna floret ingenii & eruditionis laude, Chronologiam nobis summa fide repræsentavit Martinus Martinius: quam si quis ad Mosaicos ἐπιλογισμοὺς (*ratiocinia*) exegerit, tantam deprehendet congruentiam, ut fidem utrique adjungere necesse sit. Lux quoque accedet & robur Mosaicis annorum computationibus, si confligantur cum Siamensibus, Persicis,

Athen. Ec. l. 5.

Diod. l. 3.

Solin. c. 33.

Digitized by Google

sicis, Chaldaicis, Arabicis, Aegyptiis, & Aethiopicis. Sinis finitimi Tartari animalium quorundam idolis suis immolatorum ossa confringere religioni ducunt: Calendas cantibus & compotationibus celebrant: mortuos luctu triginta dierum prosequuntur: porcos non alunt: adulterium morte plectunt: uti ex Johanne Plancarpinio, aliisque disserit Vincentius Bellovacensis. Atque hæc mere Mosaica sunt.

Vinc. Bellov. Specul. hist. l. 30. c. 72. 78. 86. 89. & l. 32. c. 4. & 6.

II. Sed hæc levia, præut illa sunt, quæ a Judæis mutuati sunt Græci. Amplis jam & luculentis dissertationibus id argumentum perfecuti sunt Josephus, Justinus, Clemens Alexandrinus, & Eusebius. Cum præsentes Deos dixerunt Græci castas domos invisere solitos fuisse, & sese mortalium cætibus ostendere, antequam spreta esset pietas, manifesto iis præluxit Moses, qui crebras Dei ad homines itiones, habitosque cum iis congressus narrat. Paucula tamen vel strictim delibata, vel omnino prætermissa ab aliis hic quoque attingemus, ne pars illa a nobis penitus neglecta videatur. Ex nebulis illis, unde sæpe ad Jobum, ad Mosem & Israelitas oracula edidit Deus, Homerus, eumque secuti Poëtæ Deos in nubibus locare solent. Septimum diem Græcis veteri instituto sacrum fuisse Josephus asseverat, & alii deinde demonstrarunt. Luculenter id probant apud Eusebium, Aristobulus, & Clemens Alexandrinus, ex Homero, Hesiodo, Lino ψευδωνύμῳ, *(falsum nomen gerente,)* Solone & Callimacho, ex quorum verbis intelligitur credidisse eos, septimo die completam fuisse rerum omnium procreationem. Igitur eo die feriæ in Scholis puerorum indicebantur. Et eum elegerat Diogenes Grammaticus, quo Rhodi publice disputaret. Septenarium numerum nuptiarum festivitatibus & lætitiis dicatum fuisse Mosaica nos docet Historia. *Imple hebdomadam dierum hujus copulæ*, inquit Laban ad Jacobum, postquam pro Rachele Lia huic suppositia est. Quæ consuetudo manavit ad Jacobi posteros, eamque in Samsonis nuptiis observatam prodit liber Judicum. Tobiam cum uxore Sara redeuntem septem dierum epulis Tobias pater excepit: cum apud Raguelem per quatuordecim dies ejusdem nuptiæ fuissent celebratæ. Morem autem eumdem tenuisse Ethnicos ostendit Claudianus in præfatione Epithalamii in nuptias Honorii & Mariæ, & per septem dies Pelei & Thetidis nuptias celebratas fuisse scribit. Ostendit & Donatus in Terentium: *In nuptiis*, inquit, *septimus dies instaurationem voti habet.* Hinc ereptam sibi conjugem septem totos menses Orpheus luxit. Haudquaquam profecto me fugit septenarium numerum propter sterilitatem, & quod neque gignat, neque gignatur, Virginem & Minervam a Pythagoreis fuisse appellatum. Ita a Plutarcho, Theone Smyrneo, Macrobio, & aliis accepimus. Docuit quoque me Philo ab iisdem Philosophis fuisse comparatum Deo ipsi numerum hunc, quod immobilis sit; quippe qui neque gignatur, neque gignat; generationem enim esse & nullam sine motu. Verum ex eodem quoque Philone didici senarium esse γονιμώτατον, *(fecundissimum;)* marem enim esse & feminam, & ex utriusque viribus conflatum; ex ternario videlicet numero, qui imparium primus est & masculus, ducto in binarium, qui parium primus est & femineus. Hanc ob caussam *Veneri esse attributum* scribit Martianus Capella. Propterea quoque Conjugium a Pythagoreis esse nominatum statuunt Plutarchus, Clemens Alexandrinus, & Aristides Quintilianus: vel quod γάμος ἔργον ὅμοια ποιῶ τὰ ἔκγονα τοῖς γονεῦσι *Conjugii opus liberos genitoribus similes efficit*, ut vult Theon. Censorinus vero *fundamentum gignendi* seniorem esse tradit, quod sit perfectus, & ex partibus suis, sexta, tertia, & dimidia constet. Et Jamblichus Veneri vult fieri sacra die sexto, quod hic numerus omnis numerorum naturæ sit particeps. Itaque propter hanc ipsam senario attributam fecunditatem videntur Veteres statim post completum senarium numerum, die nempe proxime sequente, septimo videlicet, festivitatem nuptialem celebrasse. Nec enim vi sua pollet numerus, nisi sit absolutus & perfectus; quamobrem nec fecunditatem suam expromere putabatur senarius, nisi completus fuisset & evolutus, ineunte nempe septimo, cujus in decursu vigebat genitalis illa senarii vis, & conjuges ipsos subibat. Nec ante afficere eos incipiebat septenarii sterilitas, quam cum integritatem suam numerus hic fuerat assecutus, octavo videlicet inchoato. Atque hæc quidem existimaverim spectasse Ethnicos, eamque moris hujus caussam credidisse

Joseph. l. 2. contr. Ap. Euseb. l. 13. Præp. Ev.

Gen. 29, 27.

Jud. 14, 12. & seq.

Terent. Phorm. Act. 1. Sc. 1.

Plut. de Is. Theon. Mathem. c. 46. Macrob. in Somn. Scip. l. 1. c. 6. Phil. περὶ κοσμοπ.

Mart. Capell. l. 7.

Plutarch. περὶ τῆς ψυχογονίας. Clem. Alex. Strom. 5. Aristid. Quint. de music. l. 3. Theon. Matt. c. 45. Genlor. c. 11

didisse; ignaros videlicet Ebraicorum rituum a Mose traditorum, unde consuetudinem istam ad ipsos primum manasse vero propius est: cum præsertim diem septimum, ut dixi, sacrum haberent. Ebræi autem ad has numerorum virtutes haudquaquam attendebant. Inventa hæc fuerunt Pythagoreorum. Rationem potius habuisse reor senarii dierum numeri, quo hæc universitas rerum a Deo condita est: quo peracto opere, velut festum quoddam, & feriæ solennes consecutæ sunt: cujus festi symbolum fuit celebritas nuptiarum. Neque vero contra Augustini auctoritatem negare velim, idcirco sex diebus opificium mundi hujus Deum compleviſſe, quod senarius numerus sit perfectus. Vere enim observatum ab eo est, non propterea perfectum esse numerum senarium, quod sex diebus opera sua Deus perfecerit; sed sex diebus opera sua Deum perfeciſſe, quod senarius numerus perfectus sit: quippe numerum hunc fore perfectum, etiamsi sex diebus mundus non esset conditus; Deum vero sex diebus mundum non fuisse conditurum, si senarius numerus perfectus non fuisset. Id tantum volo, idcirco quod sex diebus mundum Deus condiderit, propterea plurimas gentes senarium numerum sacrum habuisse. Cæterum & septenario numero animam humanam generatam esse Timæus Platonis docuit, & ex eo Macrobius; ex Cicerone vero, hunc *numerum rerum omnium fere nodum esse, & geminam vim obtinere vinciendi.* Nunc ad rem. Neomenias Græcis sacras fuisse cognoscitur ex Porphyrio. Inde Laconicæ Lunæ fuere in proverbio. Jonica gens in partes duodecim distributa est, ad exemplum, ut videtur, Ebraicæ gentis in tribus totidem distinctæ. Jam supra ostendimus Plutarchum existimasse Tabernaculorum festum, βακχίαν *(bacchationem)* esse & θυρσοφορίαν *(thyrsorum gestationem,)* cum βακχίου contra & θυρσοφορίου videantur natæ ex Ebraica Scenopegia; atque hoc potissimum festum quod Cereri post collectas æstivas fruges, & illud quod Baccho & Minervæ post autumnales fructus conditos celebrabatur. σκοφόρια *(festum gestationis ramorum)* Græci hoc appellabant, illud θαλύσια *(Cerealia)* & συγκομιδήια *(festum vectionis frugum.)* Sed & in Carniis, festo Apollinis, apud Cyrenenses, & apud Lacedæmonios, cum Copidem celebrarent, σκιάδες (*umbracula*) erigebantur quædam, in iisque convivia agitabantur. Decumarum Deo offerendarum institutum transiisse a Judæis ad Græcos & Romanos tralatitium est. Ergo decima quæque Diis suis pene omnibus hos obtuliſſe, cum ex aliis, tum præcipue ex Festo cognoscimus. Indidem prædæ Jovi & Diis offerendæ venit ad utrosque consuetudo. Unde Virgilius:

Irruimus ferro, & Divos, ipsumque vocamus
In partem prædamque Jovem.

Unde & Romæ templum Jovis Prædatoris. Quippe & manubiarum partem Deo obtulerat Abrahamus. Transiit & ad illos fœderum per hostiarum sectionem pangendorum mos ab Abrahamo, quem hoc ritu fœdus sanxisse cum Deo legimus. Ex nemore etiam, quod plantavit in Bersabee, *ut invocaret ibi nomen Domini Dei æterni,* propagata videtur apud Ethnicos lucorum ad profanos Deorum cultus & sacrificia conserendorum consuetudo. Lapides in triviis ungebant, & positis genibus adorabant: & *tanquam ineſſet vis præsens, adulabantur, affabantur, & beneficia poscebant:* quod a se factum aliquando queritur Arnobius. Unde natum Proverbium, a Clemente Alexandrino adnotatum, πάντα λίθον λιπαρὸν προσκυνῶν. *Omnem lapidem unctum adorans;* traducto inde more, quod Jacob lapidem, cui capite innixus scalam in somnis viderat, *erexit in titulum, fundens oleum desuper.* Ex eo quod Moses ad Deum accedens, & in terra sancta consistens nudis pedibus esse jussus est, votorum nudis pedibus esse jussus est, votorum nudis pedibus solvendorum consuetudo invaluit in Judæa,

Observant ubi festa mero pede sabbatha Reges:

quam & tenuisse Berenicen legimus apud Josephum, cum sacrificiis Deo rite peractis nudo pede ad Flori tribunal accessit. Usurpatum deinde fuisse morem hunc narrat Justinus ab exteris gentibus, quæ pedes exuere solebant, cum fana ingrederentur. Hoc habitu Diis sacra faciebant Pythagoras & Proclus; hoc Cretes, cum in ædem Britomartis introibant; hoc Græci sæpius, ut scimus ex Callimacho & Valerio Flacco; hoc Romani, cum ad impetrandos de cœlo imbres denunciatis populo Nudipedalibus Aquilicia Jovi immolabant

Augusſ. de Geneſ. ad liter. l. 4. c. 7.

Macrob. in Somn. Scip. l. 1. c. 6.

Porphyr. περὶ ἀμφ. ἀποχ.

Plut. Symp. l. 4. Qu. 5.

Virg. Æn. l. 3.

Gen. 14, 20.

Gen. 22, 23.

Gen. 15, 9. 17

Arnob. l. 1. Clem. Al. Strom. 7. Gen. 28, 18. 19. & 35, 14. Exod. 3, 5.

Juv. Sat. 6.

Joseph. de bell. Jud. l. 2. c. 15. Justin. Apol. 2.

Callimach. Hymn. in Cerer. Val. Fl. l. 2.

Digitized by Google

immolabant; hoc *proceres togati, matris Idææ sacris, ante carpentum*, ut est apud Prudentium. Cujus moris specimen aliquod in variis Galliæ nostræ locis hodieque retineri, & ad eliciendas aquas nudis pedibus loca sacra homines supplices adire cognovimus. Quid quod & in Judæorum gratiam Nudipedalia exercuisse Paulum tradit Hieronymus: nudis enim pedibus Templum inire solebant Judæi, præcipue festo Propitiationum die. Quod unde habuerit Hieronymus, comminisci sane non possum: nihil enim hujusmodi in Libris sacris reperias. Quemadmodum aram cremandis victimis dicatam pro foribus Tabernaculi statuit Moses, cum sanctiora essent in adytis; ita altaria fere in Templorum vestibulis collocabant Græci, cum signa intus essent. Pedes, manusque abluebant Græci sacris operaturi, ex Mosis instituto. Hinc & vela prætendebant in templis, velut in Olympico Jovis, & in Ephesio Dianæ. Indidem & sacris vinum adhibebant. Sanguinem victimarum circa aram fundi sanxit Moses: idipsum a Græcis & Romanis usurpatum est, ut scitur ex Porphyrio in libro περὶ τῆς ἐκ λογίων φιλοσοφίας, *(de philosophia ex oraculis)* cujus fragmentum affert Eusebius; & ex Luciani libro de sacrificiis. Ait Moses, *In oblatione tua offeres sal:* ait Plinius, *Nulla sacra conficiuntur sine mola salsa.* ὀυλὰς & ὑλοχύτας Græci appellant. Oraculum refert illic Porphyrius, quod cœlestibus Diis supremas victimarum partes adoleri jubet, reliqua comedi; quod ex præscripta a Mose partitione hostiarum pro delicto, aliarumque, ortum habuit. Auctor is quoque Græcis fuit ritus illius, ab Homero & Apollonio notati, & ab Æschylo tribuit Prometheo, operiendarum adipe partium victimæ, quæ cremandæ essent: auctor & holocaustorum faciendorum. Quanquam & ante Mosem ab aliis gentibus fiebant. Pervenit & ad Græcos lex Mosis de victimis integris & omni vitio carentibus Deo offerendis, & de partibus quibusdam victimarum secernendis, partimque consecrandis Deo, partim comedendis. Mensæ hujus aureæ, cui imponebantur Panes propositionis, instar fuerunt mensæ illæ sacræ, Diis olim apponi solitæ, non apud Græcos solum, sed apud Romanos etiam, & Babylonios, & Persas, & Æthiopas. Ex lege in Levitico tradita, de vestibus ejus abluendis, qui vel emissarium caprum dimisisset, vel immolatos pro peccato vitulum aut hircum combussisset, manavit illa altera, a Græcorum Theologis uno consensu recepta, juxta Porphyrii testimonium, quæ eum piaculis uti, & corpus ac vestes aqua sancit eluere, quisquis victimas ἀποτροπαίους (*per quas mala avertuntur*) attigerit. Vetabantur item Pythagorei funeribus interesse, propter similem Levitici legem, qua & Græcorum Sacerdotes adstricti erant. Repetendus & ab Ebræis mos vestium in luctu scindendarum, & pulveris capiti inspergendi. Erant apud Græcos & Ebræos, qui cæsariem suam Deo consecrarent. Immundus erat utriusque quisquis humanum cadaver tetigisset: & sacris faciendis arcebatur, quisquis sanguine humano pollutus esset. Ex lege Zelotypiæ, quæ traditur in libro Numerorum, prodiit Stigis fabula, cujus numen Dii jurare timent & fallere; & varii diversarum gentium ritus, quibus aqua vel igne occultorum facinorum veritas exploratur. Ex lege Jubilæi, qua in solido rursus locabantur, qui fundo suo exciderant, prodiisse videtur Locrensium lex, qua cautum erat ne quis avitum fundum alienaret. Nonne ex Mosaicis quoque profectam dicas Oxyli Heraclidarum ducis & Eleorum regis legem, qua agros pignori opponi vetuit? Placuit Rhadamanthyi, atque item Charondæ, ταυτοπαθία, sive lex talionis, quam primo invexerat Moses. Sui illa denique sancte abstinuisse Cretenses refert Agathocles Babylonius apud Athenæum. Et Veneri cæterarum victimarum femora offerebant Sicyonii, minime vero suillarum. Et apud Chersonitas Hemitheæ sacris interesse ei non licebat, qui porcum attigisset vel comedisset.

III. Nulla tamen Græciæ regio plures, quam Attica, Israelitarum servavit ritus, partim a Phœnicibus sibi traditos, qui hæc littora, commercii caussa frequentabant; partim a Solone, quem multa de legibus Ægyptiorum, quæ Mosaicis consimiles erant, transtulisse ex Diodoro notavimus: & jam ante a Cecrope, seu quisquis eos ex Ægypto in Aticam traduxit; Saitarum enim colonia sunt Athenæ, & ad Ægyptiæ Reipublicæ formam Athenienses constituta est: & multo post deinde a Platone, cum legum suarum opus conderet, uti ab Aristobulo & Eusebio adnotatum est. Hujusmodi lex ea est, qua filia

Prudent. περιστεφ.

Hieronym. l. 1. adv. Jovin. c. 8. & in Gal. 4.

Exod. 30, 18. & seq.

Exod. 29. 16.

Eus. Præp. Ev. l. 4. c. 9.

Levit. 2, 13.

Plin. l. 31. c. 7

Æschyl. Prometh. v. 495. & seq.

Levit. 16, 26 & seq.

Porph. l. 2. περὶ ἀμψ. ἀποχ.

Levit. 21. 11.

Num. 5. Virg. Æn. 6

Athen. l. 9

atque in his maxime Athenienses:

Diod. l. 1.

Euseb. l. 12. c. 36. Præp. Ev. Arist. apud Eus. Præp. Ev. l. 13. c. 12.

ἐπίκληρος

ἐπικλήρου (*ad quam pertinebat universa hæreditas*) gentili suo nubere jubebatur: atque is si ad res Veneris imbecillus erat, puellæ licebat, ejus qui proximus esset agnatus, opera uti: cujus legis vetustatem ostendit Danaidum conjugium: quæque a Charonda in Thutinos suos translata est, licet deinde fuerit immutata: & altera, qua Sacerdos uxorem ducens, virginem cogebatur & civem ducere: ipse casto & integro corpore esse debebat: & illa, qua sanxerat Solon victimas esse ἀφελῆς, hoc est ὁλοκλήρους καὶ ἐντελεῖς, *integras & perfectas*; & agnum anniculo minorem non mactari; nec non & illa, quæ homicidio admisso, cujus ignorabatur auctor, totum vicinæ civitatis populum purgari præcipiebat; & hæc quoq; per quam furem nocturnum interficere licebat. His addo observari solitas fuisse Neomenias & Hebdomades Lunæ, qui Dies Apollini sacri erant; & septimi potissimum, quibus & juvenes convivia agitabant: addo & aram æneam a Mose fabricatam, causæ fuisse cur Diipolia celebrantes in Acropoli Athenienses, super ænea mensa placentas & liba apponerent, uti factum refert Porphyrius: addo & ψαιστὰ (*liba*) Jovi offerri solita, nihil aliud fuisse quam ἄλευρον ἐλαίῳ δεδευμένον, *farinam oleo conspersum*, ut discere licet ex Scholiaste Aristophanis: qualem nempe Deo offerri præcepit Moses. Vetustissimis temporibus Deo solis illis θυλήμασι (*placentis*) placasse homines docet Ovidius: neque morem hunc intermiserunt, cum cœperunt pecudes ad sacrificia cædere; nam & absolutis sacrificiis θυλήματα (*placentas*) offerebant: ἔτι καὶ νῦν πρὸς τῷ τέλει τῶν θυηλῶν τοῖς ψαιστοῖς θυλήμασι χρώμεθα· *Nunc quoque sub finem sacrificiorum liba adhibemus*; inquit Porphyrius. Inde & far in sacrificiis. Sal quoque in iis adhibebant Athenienses, ex præscripto Mosis. Auctor est Theophrastus victimæ partes quasdam, cum eadem gens sacra faceret, Diis cessisse. Scribit insuper Aristophanis Scholiastes, pecudum armos, κωλῆν scilicet, uti ab Aristophane appellatur, Mercurio consecratos Athenis fuisse: quia nimirum armum cum pectusculo *de hostiis pacificorum* cedere jusserat Deus Sacerdoti, Aaroni nimirum fratri Mosis, quem Mercurio adumbratum fuisse diximus. Docet præterea sacrificiorum reliquias Sacerdotum fuisse; quod & ex Levitici sanctionibus manasse perspicuum est. Decimas Athenienses Diis solvebant, & Regibus, & Prytanibus, unde sacra, aliique legitimi sumtus fierent. Docet idem atque alii etiam, moris id fuisse Athenienses, ut postquam extulissent mortuum, purgandi causa lavarent; quod ante præscripserat Moses in libro Numerorum, cum quisquis humanum tetigisset cadaver, aquæ aspersione mundari jussit. Solonis ea lex a decemviris Romam lata, & cum aliis inscripta duodecim Tabulis, qua vetitum erat, ne mulieres genas raderent in luctu, a Mose provenit, qui prius caverat, ne super mortuo inciderent carnes suas Ebræi. Uti Judæis immundæ habebantur puerperæ, & per quadraginta dies Templo arcebantur, juxta Mosis legem: ita moribus Athenienses ad eas accedere nefas erat, ut tradunt Theophrastus & Chrysostomus; qui fecisset, altaribus prohibebatur, teste Euripide. Urbes illæ denique, in quas velut in asyla Moses tutum perfugium esse voluerat iis qui imprudentes homicidium admisissent, exemplum præbuere nepotibus Herculis, Aræ Misericordiæ Athenis consecrandæ, quo quisquis confugisset, per vim inde minime posset abduci: præbuere exemplum & Athenienses delubri Theseo condendi, quod servis & tenuioris fortunæ hominibus esset perfugium; & alterius etiam in insula Calauria Neptuno dicandi, eodem jure pollentis: ac reliquorum etiam per Græciam & maris Ægæi insulas, & Græcas Asiæ urbes: quorum statuendorum tanta fuit licentia & impunitas, ut non semel modus fuerit Senatusconsultis præscribendus. Atque idem jus deinde Christianorum templis concessum est legibus Imperatorum, quæ habentur in Codice Justiniani. Cistæ denique, cum in aliis Græcorum, Ægyptiorumque festis, tum maxime in Eleusiniis, & illis inclusæ quisquiliæ, quas recensetCLEMENS Alexandrinus, simulacra fuerunt Arcæ fœderis.

IV. Porro ex Græciæ civitatibus, atque Athenis potissimum, ubi Solonis constitutiones vigebant, Romam leges reportarunt legati tres, in Græciam hac una de causa missi; quas deinde a Decemviris ad populum latas centuriatis comitiis populus universus ratas esse jussit. Sed & Romanos Valerii Publicolæ opera & auctoritate adductos, jam ante plurima Solonis instituta admisisse perhibet

Plutarch. Solon.

Porph. l. 2. περὶ ἀμψ. ἀποχ.

Aristoph. Schol. Plut. & Pace.

Ovid. Fast. l. 1.

Porph. l. 2. περὶ ἀμψ. ἀποχ.

Theoph. Charact. περὶ ἀναισθησίας.

Aristoph. Schol. Plut. & Vesp.

Lev. 3. 34.

Aristoph. Schol. Nub. & Pace.

Num. 19, 11.

Levit. 19, 28 & 21, 5.

Theophr. Charact. περὶ δεισιδαιμονίας.

Chrysost. Hom. 13. in Epist. ad Ephes.

Eurip. Iphig. in Tauris.

Clem. Al. in Protr.

tum & Romanorum.

Digitized by Google

Plutarch. in Compar. Solon. & Public. Plutarchus. Earum Legum, quas tulerunt Decemviri, reliquias collegerunt eruditi horum temporum viri; quas si quis evolvat, Mosem in plerisque capitibus agnoscet. Major est etiam Imperatoriarum sanctionum, quæ his successerunt, cum Mosaicis affinitas. Libellum scripsit olim Licinius Rufinus hoc titulo: *Collatio legum Judaicarum & Romanarum.* Primus e tenebris opus hoc eruit Petrus Pithœus, & typis subjecit. Adeatur modo; res quam probamus apparebit. Præter illas vero, alias etiam in veterum scriptis observavimus, e quibus aliquot hic ob oculos Lectorum proponemus, e jure Pontificio Romanorum potissimum selectas. Herculi in culina fiebat sacrificium proficiscendi caussa, quod Propter viam dicebatur, hoc est, ἐξιτήρια, (*sacrificia in discessu fieri solita*) in quo mos erat, ut si quid ex cibis polluctis fuisset reliquum, igne consumeretur. Id qui faceret, Propter viam facere dicebatur, non Proterviam, ut habent vulgati Macrobii codices, qui viros doctos complures in fraudem illexerunt. Sed hic error est Festo arguitur. Idem in sacrificio Paschæ factum est a Judæis ex Ægypto profecturis; Propter viam nimirum, quam in Chanaan capessebant. Ex azymis festi ejusdem factum puto, ut farina fermento mista Flamines abstinuerint. Victimarum sanguinem in ara fundebant Romani: sic nempe a Mose fuerat institutum. πρωτῶν (*liborum*) Jovi offerendorum morem ab Athenienſibus Romani acceperunt, Athenienses a Judæis. Quanquam id a Trojanis potius Romanos habuisse credent, qui commentitium illum Æneæ in Italiam adventum pro vero certoque habent: nam ritus Trojanorum, a quibus ortos se ferebant Romani, describens Virgilius in funere Miseni, thus illos, dapes, hoc est farra, & oleum cremasse narrat; juxta præceptum Mosis. Certe hoc institutum apud Asiaticas gentes fuisse receptum scimus ex Appiano; qui Mithridaten Ponti regem perhibet, cum Jovi στρατίῳ (*Militari*) sacra patrio ritu faceret, congestis in excelso monte lignis; suffimenta omne genus, oleum, lac, vinum, & mel superaddidisse. Far autem tostum ad sacrificia adhibebant Romani a Numa instituti, Mosaicarum disciplinarum haudquaquam imperito. Hinc festum Fornacaliorum, quibus farra ad sacrificiorum usum torrebantur. Ejusdem Numæ tempore farina & vino sacra fiebant, ut auctor est Plutarchus in ipsius vita. Ad ritum jugis sacrificii, mane & vesperi sacra sibi fieri Potitio & Pinario Hercules mandavit. Ad sacraria aditus vulgo non patebat apud Romanos, sed solis Sacerdotibus & Vestalibus; uti Sancta Sanctorum soli Pontifici jure Ebraico. Mosaicæ sanctioni idem obsecutus est, cum agrorum terminos moveri vetuit. Quæ lex ut sanctior haberetur, finxerunt Romani Deum Terminum & Terminalem Jovem, & Terminalia celebrarunt. Imprimis vero notabile est quod illic scribit Plutarchus, ut ostendat maximam fuisse dogmatum Numæ ac Pythagoræ consensionem: Numam scilicet opinatum esse Deum, neque sensilem esse, neque quicquam pati posse, aut videri, aut corrumpi, sed animo solum cognosci; eumdemque cavisse ne qua ad humanam, aut aliam quamcunque speciem elaborata effigie exprimeretur; neque Romæ ullum fuisse vel fictum, vel pictum Dei simulacrum, ante septuagesimum & centesimum annum ab Urbe condita. Quæ Mosaicam originem satis produnt. Auctor quoque Romanis fuit Moses Nudipedaliorum, & molæ salsæ; auctor & ritus, quo quadraginta diebus a partu templis abstinebat puerpera; & alterius, quo lavabat mulier post congressum virilem: id quod aquam sumere dicebant. Piscibus, qui squamosi non essent, pollucere vetuit lex Numæ, quam refert Cassius Hemina apud Plinium: at hujusmodi pisces abominabiles & execrendos Moses declaravit. Romanorum mos fuit, derisus a Prudentio in supplicio S. Romani, ut bove mactato in pulpito tabulis perforatis instrato, & profluente per rimas sanguine, Pontifex infulatus sub pulpito in scrobe abditus aspergeretur. Caussam præbuit huic consuetudini, ritus consecrationis Sacerdotum Ebræorum, quo dextræ eorum aures, ac pollices, & vestimenta, mactati arietis sanguine tingebantur. Decimas Diis offerre consueverant Romani, more a Pelasgis ducto, ut opinari licet ex Myrsili Lesbii verbis, quæ affert Dionysius Halicarnasseus. Morem hunc autem ab Ebræis transiisse ad Græcos jam diximus. Festo Annæ Perennæ die, & Neptunalibus, umbras, hoc est frondeas casas, exstruebant Romani instar Ebraicæ Scenopegiæ. Asylum Romæ instituit Romulus, instar Asyli Misericordiæ

Macr. Sat. l. 2. c. 2. Festus in Propter viam.

Virg. Æn. l. 6. Levit. 2, 1.

Appian. Mithrid.

Lev. 2, 14. 16

Plin. l. 32. c. 1.

Prud. libr. de coronis.

Dionys. l. 1. & 6.

Digitized by Google

Misericordiæ quam Athenis Heraclidæ dedicarunt: præeunte utrisque Moſe qui urbes perfugii receptaculum eorum eſſe voluerat, qui hominem incauti occidiſſent. Quemadmodum autem hi jus ad ſuos redeundi morte Pontificis conſequebantur, ita profugi in Aricinum Templum morte Sacerdotis ſolvebantur. Inde quoque eſt quod Romanis ad mortem damnatis tutus Neapolim, Præneſte, & Tibur receptus fuit, ut docet nos Polybius. Romanis Sacerdotibus, itidem ut Ebræis, funeſtam domum ingredi, aut attrectare feralia, piaculum erat; Flamini præcipue Diali, cui, teſte Gellio, etſi funus procurare licebat, mortuum tamen tangere non licebat; imo ne aſpicere quidem, quod ex multis Hiſtoriæ Romanæ teſtimoniis colligitur. Flaminum pilea, iisque virgæ impoſitæ, quos Stroppos appellabant; item Inarcula ex malo Punica, quæ Reginæ ſacrificantes in capite geſtabant; & velamenta ac litui Augurum; Commotacula quoque eorumdem Flaminum, virgæ nempe quibus cum pergerent ad ſacrificia homines a ſe amovebant, originem ducere videntur ex virga quam geſtabat Moſes, & velamine quo ex monte deſcendens vultum texit; ut & mos capite adoperto precandi, qui non penitus apud Judæos exolevit. Cum autem purpureo amictu in ſacrificiis uti Æneam, Æneadasque jubet Helenus apud Virgilium, qui & Phrygium amictum appellat, color originem rei indicat, fulgorem nempe de Moſis vertice micantem, quem amictu impoſito contexit. Unde factum quoque ſupra notavimus, ut Oſiridis, qui Moſes eſt, ſimulacra velamine flammeo obnuberentur. Hinc orta etiam ſuffibula Sacerdotum & Veſtalium; item tutuli Flaminicarum. Sabbathi peculiari aliquo cultu Romanis fuiſſe obſervata ex Ovidio, Seneca, Vulcatio Gallicano, & veteribus Calendariis manifeſtum eſt: ſed magis etiam ex Dione, qui numerandorum per hebdomadas dierum modum ſua ætate apud omnes homines, præſertim vero apud Romanos uſitatum fuiſſe tradit. Calendæ Romanis ſacræ, ut Neomeniæ Ebræis. Feriis utrique opere abſtinebant. Veſte lana & lino contexta, cujus uſum univerſis interdixit Moſes, Flaminicam indui nefas erat. Sacris operaturi Romani uxoribus abſtinebant, ut erudite oſtendit Briſſonius in Opere de formulis: abſtinebant & Judæi. Pecorum fœtus ante diem octavum mactari vetabant Romani: vetuerat & Moſes. Thymiamatum & lavationum uſus in ſacris, quæ Moſaicis inſtitutis ſancita ſunt, non Romanos ſolum & Græcos, ſed gentes omnes, etiam penitus barbaras pervaſit. Saturnaliorum feſtum manavit ex Saturnalibus quibusdam Ebræorum, per novem dies agitari ſolitis, initio quinquageſimi cujuslibet anni, qui Jubilæus erat: quippe tum ſervi libertatem recuperaturi, a primo die Tiſri, usque ad feſtum Expiationum, quod in diem decimum cadebat, jucunditati ſedabant, vacabant compotationibus, & coronati procedebant; quoad tubarum clangore Senatores Sanhedrin libertatis ſignum darent. Hæc habentur apud Maimoniden. Romulus, perinde ut Ebræi, *Initium cujusque menſis ex illa ſumebat die, quo novam Lunam contigiſſet videri.* Verba ſunt Macrobii. Præterea mere Moſaica fuit lex illa Romanorum, qua cautum erat, ut ſi quis excavaſſet foveam, quam prætereuntes providere non poſſent, in eamque prolapſum aliquid factum eſſet deterius, auctor foveæ damnum ſarcire cogeretur. Jus Talionis, quod in Codice Theodoſiano appellatur *Pœna reciproci*, & in Lege XII. Tabularum ſancitum eſt, a Jure Moſaico habuit originem, quod dentem pro dente, oculum pro oculo repoſcit. Divortii jus Sp. Carvilio auctore apud Romanos introductum eſt, manavit e jure Moſaico. Indidem & cenſus agendi natus eſt ritus, & tributi ex cenſu conferendi. Juxta plagarum modum ad quadragenas Iſraelitico jure coercitum in plectendis ſontibus, cædi itidem jubentur Encolpius & Giton apud Petronium. Carnem in funere lacerare Ebræis non licebat, uti nec genas radere Romanis mulieribus. Qui cadaver humanum attigerat, immundus habebatur Ebræis, & aqua Expiationis poſt ſeptem dies purgabatur: Romani funus proſecuti, mox ut redierant, aqua aſpergebantur, mundandi ſui cauſſa, & ſuffitione ignem ſupergredientes ſe luſtrabant. Luctus denique Romanorum ob Canenſem cladem Senatusconſulto diebus triginta definitus eſt: diebus quippe totidem Moſem luxerant Iſraelitæ, atque hoc luctui tempus legibus ſuis præfinitum habebant, ut ſupra docui. Ex ſuperioribus patet non inaniter adverſus Apionem

Polyb. l. 6.
Gell. l. 10. c. 15.
Virg. Æn. 3. v. 405. & ſeq. & v. 545.
Ovid. Amat. Art. l. 1. Senec. Epiſt. 95. Vulcat. in Avid. c. 6. Dio. l. 36.
Maimon. in libro de ritu anni Sabbathici & Jubilæi, c. 10. Macr. Sat. l. 1. c. 15.
L. Qui foveas. D. Ad Legem Aquiliam.
Plutarch. in Fabio.

Joseph. l. 2. contr. Ap.

nem jactasse Josephum nullam esse Græcorum vel Barbarorum civitatem, in quam Judæorum ritus jampridem, ἐκ μακροῦ (*a longo tempore,*) non penetrarint. Sed verba ipsa referre satius est: ὑ μὴν ἀλλὰ καὶ πλήθουσιν ἤδη πολὺς ζῆλος γέγονεν ἐκ μακροῦ τῆς ἡμετέρας ὑσεβάας· ὐδ' ἔστιν ὑ πόλις ἑλλήνων ὐδητισῶν, ὐδὲ βάρβαρος, ὐδὲ ἓν ἔθνος, ἔθνα μὴ τὸ τῆς ἑβδομάδος, ἣν ἀργοῦμεν ἡμεῖς, τὸ ἔθος ὑ διαπεφοίτηκεν, καὶ αἱ νηστῖαι, καὶ λύχνων ἀνακάυσις, καὶ πολλὰ τῶν εἰς βρῶσιν ἡμῖν ὑ νενομισμένων παρατετήρηται. μιμεῖσθαι δὲ παρῶτου καὶ τὴν πρὸς ἀλλήλους ἡμῶν ὁμόνοιαν, καὶ τὴν τῶν ὄνων ἀνάδοσιν, καὶ τὸ φιλεργον ἐν ταῖς τέχναις, καὶ τὸ καρτερικὸν ἐν ταῖς ὑπὲρ τῶν νόμων ἀνάγκαις. *Et vero jampridem nostrorum Dei colendi rituum imitandorum multis desiderium incessit; neque ulla Græcorum urbs est, vel Barbarorum, neque ulla gens, ad quam non pervenerit septimi diei, quem otiosi traducimus, celebrandi consuetudo; & apud quam jejunia, & lucernarum incensiones, multaque legibus nostris circa cibos sancita non observentur. Conantur autem mutuam nostram imitari concordiam, & bonorum largitionem, & in artibus exercendis sedulitatem, & tolerantiam in tormentis quæ pro legibus nostris sustinemus.*

CAPUT DUODECIMUM.

I. *Quomodo Librorum sacrorum notitiam habuerint Græci.* II. *Utrum Librorum Mosis Alexandro vetustior fuerit interpretatio.* III. *Partes tantum quædam Pentateuchi ante Alexandrum Græce redditæ sunt.* IV. *Refelluntur argumenta Adversariorum.*

Quomodo Librorum sacrorum notitiam habuerint Græci.

I. AT enim quæri potest, unde notitiam Librorum sacrorum habuerint Græci. Judaica quippe gens ex instituto suo ita fuit a reliquis gentibus discreta, ut nullo se commercio, nulla affinitate consociari pateretur cum iis qui viverent alieno more, & diversis ritibus ac religione uterentur. Id sæpe experti Ethnici ab iis expostulaverunt. Querebatur

Lysim. ap. Joseph. l. 1. contr. Ap.

Lysimachus Mosem jussisse Judæos, μήτε ἀνθρώποις τινὶ εὐνοήσειν, μήτε ἄριστα συμβουλεύειν, ἀλλὰ τὰ χείρονα. *Erga nullum hominum benevolos esse, neque optima iis sed pessima consilia dare.* Quod etsi verum non est, vulgatam de Judæis hominum reliquorum opinionem ostendit. Querebatur & Apollonius

Apoll. ap. Joseph. l. 2. contr. Ap.

Molonis: ὅτι μὴ παιδεύοντο οἱ Ἰουδαῖοι τοὺς ἄλλους προκατειλημένους δόξας περὶ θεῶν, μηδὲ κοινωνεῖν ἤθελον τοῖς κατ' ἑτέραν συνήθειαν βίου ζῆν προαιρουμένοις. *A Judæis non admitti, quicunque diversis de Deo opinionibus essent impliciti, nec consuetudinem iniri cum iis qui aliam videndi rationem essent amplexi.* Trogus quoque: *Caverunt ne cum peregrinis communicarent; quod ex caussa factum, paulatim in disciplinam in disciplinam religionemque convertit.* Quam expostulationem tantum abest, ut sibi probrosam putarent Judæi, ut sibi eam potius laudi ducerent; atque id præceptum de republica ab extraneorum contage prohibenda, Platonem a Mose sumsisse Josephus glorietur. Qui ergo persuaderi potest gentium aliarum otiores & contemtores Judæos, tam facile iis totius religionis, legum, ac rituum suorum penus reseratse, quos vix allocutione etiam sua & commercio dignarentur? Ut solvatur iste nodus, meminerimus post Alexandri expeditionem, jam tum magnum Judæos inter & Græcos usum intercessisse; ut qui non illius solum essent imperio subditi, sed in ejus etiam exercitu stipendia facerent. Meminerimus præterea statim post Alexandri obitum Ptolemæum Lagi occupata Hierosolyma magnum Judæorum numerum traduxisse in Ægyptum, & jus Alexandrinæ civitatis iis tribuisse. Meminerimus quoque, ejus deinde & Ptolemæi Philadelphi filii jussu Libros sacros in Græcam linguam ab interpretibus Septuaginta fuisse conversos. Meminerimus & sub Antiocho Epiphane Judæos demum ipsos *ædificasse gymnasium in Jerosolymis secundum leges nationum, & fecisse sibi præputia, & recessisse a Testamento sancto, & junctos esse nationibus.* Meminerimus denique Simonem *accepisse Joppen in portum, & fecisse introitum in insulas maris.* At de temporibus quæ Alexandri ævum præcesserunt major est difficultas: sed & tunc quoque fuit aliquod Judæorum cum vicinis regionibus consortium. Nam primum ex Ethnicis plerosque servaverunt incolumes, cum Palæstinam armis subegerunt; velut Gabaonitas, Jebusæos, aliosque complures: qua importuna clementia divinam adversus se iram sæpe conciverunt. Unde & ab Assyriis, Moabitis, Chananæis, Amalecitis, Palæstinis, Ægyptiis, & Chaldæis identidem cæsi, profligati, in servitutem redacti, & extra patriam abducti sunt. Quas inter

Justin. l. 36. c. 2.

Joseph. l. 3. contr. Ap.

1. Mach. 1. 15. & seq.

1. Mach. 14. 5.

Digitized by Google

inter clades & captivitates, tum Assyriacam, tum Babylonicam, & reliquiarum etiam Judaicarum una cum Propheta Jeremia transmissionem in Ægyptum, fieri non potuit, quin Libri sacri in Ethnicorum potestatem venirent. Præterea Judæis, vel propter vicinitatem, frequens intercessit cum Phœnicibus commercium; David etiam & Salomoni cum Hiramo; Salomoni præterea cum Regina Chusitide, & cum Ægyptiorum rege, cujus & filiam duxit. Quin & Sidonias sumsit uxores, & Tyrias, & Ammonitidas: & Idumæas, quarum impiis & profanis cerimoniis patrios ritus & avitam religionem inquinavit. Quocirca consociatas ab Israelitis cum impuris gentibus amicitias & fœdera Deus identidem criminatur. Inde adeo Sanchoniathon Phœnix libros suos, ut dixi, Mosaicis documentis oblevit. Inde nobiles illæ Mercurii columnæ Mosis legibus & historia notatæ fuerunt. Porro Phœnices disseminatis per totum orbem coloniis, Mosis circumtulisse libros, & in varias gentes intulisse verisimillimum est. Græcorum item in Ægyptum, & Ægyptiorum in Græciam itiones erant crebræ, & diutinæ mansiones jam ante Trojana tempora. Ex Ægypto venisse in Græciam Cadmum & Herculem tradunt Herodotus & Diodorus. Bacchica, aliaque sacra permulta ex Ægypto in Græciam traduxisse fertur Melampus. Athenienses ipsi Ægyptiorum propago sunt & Saitarum colonia. Et Lacedæmoniorum leges ex Ægypto Lycurgus petivit. In Ægyptum quoque appulisse dicuntur Paris & Menelaus. Deinde vero Josaphatum regem Juda, & Ochoziam Israelis, negotiatum misisse aliquos de suis in Thraciam, vicinasque Ponti regiones perhibet Josephus. Psammitichus Ægypti rex, Jonum & Carum ope in regnum restitutus, agrum illis habitandum assignavit ad ostium Pelusiacum: quo tempore Græca primum lingua in Ægyptum est illata. Ab ostio autem Pelusiaco Memphim eos transtulit Amasis, tuendi sui caussa; atque hi sedibus tandem in media Ægypto collocatis, ac præcipue Naucrati, cum reliqua Græcia creberrima commercia agitaverunt. Ægyptiorum autem narrationibus, mirifice capiebantur Græci, & quæcunque jactabat ea gens pronis accipiebant auribus, & inter suos sparsa proprios demum in usus convertebant. ἄπαντα γὰρ διήγημα πᾶν, ἀλλοφύλοις ἀκοὰς ἐπαγωγότατον inquit Heliodorus. *Omnis enim Ægyptiaca historia & narratio Græcanicas aures valde allicit.* Quamobrem maximam Græcanicæ Theologiæ partem ex Ægypto profluxisse Herodotus confessus est. Græcis quoque innotuisse reor Mosis nomen & scripta per bella Persarum, tum in Asia minore gesta, tum in Græcia: quos inter militasse Ebræos aliquos, & Ebraicis etiam rebus imbutos fuisse Persas plerosque probabile est; cum in ipso Persicæ regionis meditullio etiamnum hærerent Ebræi decem tribuum quas transtulerat Salmanasar, & per annos septuaginta in media Babylonia reliquæ tribus captivæ fuissent. Cum autem in conservandis legum sacrarum Voluminibus tantam curam adhiberent Judæi, ut tenerentur singuli Legis exemplar, vel per se, vel si literas nescirent per alium descriptum habere, quemadmodum tradunt Judæorum Magistri; qui tandem fieri potuisset, ut non eos, quibuscum assidue conversabantur, studium aliquod legendarum harum scriptionum tangeret? Ita quidem evenisse scribit Philo, & generi humano perutile opus diu delitescere in tenebris, & intra gentis unius, ejusque exiguæ angustias contineri non potuisse agnoscit. Igitur Persis & Ægyptiis cognitas eas scriptiones, lectas, & quoad verborum saltem sensum intellectas fuisse dicendum est. Id si est, uti sane est, & eas quoque ad Græcos manasse negari non potest; quorum creberrima fuere in has regiones itinera, quique Persicam & Ægyptiam linguam frequenter & facile condiscebant. Testis Themistocles, qui ut Persarum regem absque interprete alloqui posset, Persicæ linguæ notitiam intra anni spatium comparavit. Testes Pythagoras & Plato, qui non aliter Ægyptias disciplinas capessere se posse censuerunt, quam si regionis hujus loquelam pernoscerent.

Herod. l. 2. c. 43. & seq. Diod. l. 1. Joseph. Antiq. l. 8. c. 1. Heliod. l. 2. Phil. de vita Mos. l. 2.

II. Quid si Mosaici operis partem aliquam jam ante Persici Imperii excidium Græca lingua donatam dicamus? Vetus hæc est profecto, & ab eruditis in utramque partem multum disputata controversia. Negat præcise Augustinus interpretationem ullam Græcam Ptolemaica vetustiorem extitisse: nec Platonem Scripturam sacram in Ægypto legere potuisse ait, quæ nondum esset Græce

Utrum Librorum Mosis Alexandro vetustior fuerit interpretatio. August. de civ. Dei l. 18. c. 11.

Digitized by Google

Baron. An. 231. c. 11. & seqq.

converſit. Idem ſentit Baronius, & recentiores plerique: ajunt enim novam interpretationem haudquaquam procuraturum fuiſſe Philadelphum, nec actum acturum, ſi quis hoc jam labore fuiſſet defunctus; huic ſignificaſſe Demetrium Phalereum, vel e Poetis, vel ex Oratoribus, vel ex Hiſtoricis neminem auſum eſſe libros ſacros attingere, eorumve meminiſſe; ſcripſiſſe Clearchum, multa Ariſtoteli a Judæo quodam fuiſſe expoſita, quæ in Libris ſacris habebantur; quod cur feciſſet, ſi jam interpretatione fuiſſent donati? negare id ipſum Ariſteam; & Philonem, & Epiphanium; nullam denique priſcæ illius interpretationis particulam ſupereſſe. At his opponitur Clementis Alexandrini & Euſebii ſuffragium, qui diſerte docent ante expeditionem Alexandri aliquam Moſaicarum ſcriptionum interpretationem Græcam extitiſſe: quorum ſententia non minor doctorum hominum numerus defendit. Pugnant illi auctoritate Ariſtobuli Philoſophi Peripatetici, qui is ipſe eſt Ptolomæi Philometoris magiſter, ad quem ſcripta extat epiſtola Judæ, Senatus, populique Judaici, in Epitome Machabaicorum, ut dixi ſupra. Quod cur infitiaretur Scaliger adverſus Clementis & Euſebii auctoritatem, nullam utique cauſam attulit. Hæc, inquam, Ariſtobuli auctoritas, unica eſt opinionis hujus anchora. Atque ea profecto eſt hujusmodi, ut aliis præpollere videatur, cum hic ætatis illius fuerit proximus, qua interpretationem ſuam elaborarunt Septuaginta Senes, & antiquior illa uſurpabatur: reliqui vero longe recentiores rei veritatem nonniſi per nebulam explorare potuerint.

Clearch. l. 1. de ſomno apud Joſ. l. 1. contr. Ap. & Euſeb. Præp. l. 9. c. 5. Arist. Procem. l. de Septuag. Phil. l. 2. de vita Moſis. Epiph. de pond. & menſ. c. 9. Clem. Al. Strom. 5. Euſ. Præp. Ev. l. 8.

2. Mach. 1. 10

Scalig. in Euſ. Chron. l. 2.

Partes tantumquadam Pentateuchi ante Alexandrum Græce redditas ſunt.

III. Has inter pugnantes ſententias mediam, eamque novam amplector. Ajo enim non totum Pentateuchum, ſed partes tantum quasdam ante Alexandrum Græce redditas fuiſſe. Nihil aliud ſonant, ſi quis animum advertat, Ariſtobuli verba: *διηγήσεται δὲ πρὸ δημητρίου, ὑφ' ἑτέρων, πρὸ τῆς ἄλλης ξένδρου κατὰ περσῶν ἐπικρατήσεως, τά τε κατὰ τὴν ἐξ αἰγύπτου ἐξαγωγὴν τῶν ἑβραίων τῶν ἡμετέρων πολιτῶν, καὶ ἡ τῶν γεγονότων αὐτοῖς ἐπιφάνεια, καὶ κράτησις τῆς χώρας, καὶ τῆς ὅλης νομοθεσίας ἐπεξήγησις. Ante Demetrium, priusquam Perſas domuiſſet Alexander, alii interpretati ſunt ea quæ pertinent ad Ebræorum popularium noſtrorum exitum ex Ægypto, & ad rerum quæ ipſis contigerunt celebritatem, & regionis expugnationem, & totius legislationis enarrationem.* Si totum Pentateuchum voluiſſet ſignificare, quorſum ejusmodi circuitione uſus eſſet? aperte dixiſſet ante Demetrium Græce expoſitum fuiſſe Moſis volumen. Quod quoniam ita non erat, nempe id quod erat locutus eſt, & partes Græce converſas recenſuit; exitum nimirum Ebræorum ex Ægypto, præcipua miracula a Deo in eorum gratiam edita, pugnas & victorias, & legislationis denique hiſtoriam. Igitur eo opere, non Geneſis, neque Arcæ, aut Tabernaculi fabrica, non conſtructio inſtrumentorum & utenſilium quæ pertinebant ad ſacrificia, non Pontificalium & Sacerdotalium inſtrumentorum deſcriptio, non populi recenſio, non Legis repetitio, non Lex ipſa continebatur. Aliud eſt enim *νόμος*, aliud *νομοθεσία*, Lex, & Legislatio: habebatur illic *νομοθεσία*, non *νόμος*, quæ tamen aliquando confunduntur. Inſigniter igitur errarunt, qui hæc ad prophetticos & hiſtoricos libros ſpectare nuper ſcripſerunt, cum de *νομοθεσία* tantum agere ſe Ariſtobulus teſtificetur. Manifeſta hæc ſunt, ſed manifeſtiora etiam quæ ſubjungit: poſtquam enim ex hac interpretatione partium quarundam Pentateuchi, pleraque Pythagoram & Platonem in ſuos uſus tranſtuliſſe dixit: *ἡ δὲ ὕλη*, inquit, *ἑρμηνεία τῶν διὰ τῦ νόμυ πάντων ἐπὶ τῦ προσαγορευθέντος φιλαδέλφυ βασιλέως, σοῦ δὲ προγόνυ, προσενεγκαμένυ μάζονα φιλοτιμίαν, διὰ μητρὸς τῦ φαληρέως πραγματευσαμένυ τὰ περὶ τύτων. At integra interpretatio eorum omnium quæ in lege habentur, adornata eſt ſub rege eo qui Philadelphi nomen tulit, progenitore tuo, a quo major rei huic adhibita eſt cura & ſtudium; rei adminiſtrationem procurante Demetrio Phalereo.* Habetur locus hic apud Euſebium libro Præparationis Evangelicæ nono & decimo tertio. Idem alter ſignificat: quem refert Joſephus ex Epiſtola Demetrii Phalerii ad Ptolomæum Philadelphum:

Euſ. Præp. l. 9. c. 6. & l. 13. c. 12. Joſeph. Antiq. l. 12. c. 2. & Euſ. Præp. l. 8. c. 2.

Digitized by Google

της φυλῆς τὰς ἐμπειροτάτους τῶν νόμων, ὑφ' ὧν τὰ τῶν βιβλίων σαφῶς καὶ σύμφωνον ἔν μαθόντες, καὶ πρὸ κατὰ τὴν ἑρμηνέαν ἀκριβῶς λαβόντες τῶν πραγμάτων, ἀξίως ταῦτα τῆς σῆς προαιρέσεως συναγάγωμεν: *Significe tibi librum legislationis Judaeorum deesse nobis cum aliis. Cum enim Ebraico charactere & patria ipsorum lingua scriptus sit, intelligi a nobis non potest. Contigit autem & ipsum negligentius quam postulat expositum esse, quod nondum regia ei cura consuluerit.* (Quae profecto opinionem nostram apprime confirmare, & rem omnino conficere fatendum est.) *Necesse est autem ut hos quoque habeas accurate elaboratos.... Quamobrem si ita tibi visum erit, Rex, scribes ad Judaeorum Pontificem, ut ad te mittat seniores sex ex singulis tribubus, legum peritissimos, a quibus postquam librorum illorum apertum & consonum sensum intellexerimus, & accuratam acceperimus rerum interpretationem, digna hac desiderio tuo colligemus.* Significat hoc ipsum alius quoque locus, qui est apud Aristeam & Eusebium; ubi ait Philadelpho Demetrius, ἀκηκοέναι παρ' ἑαυτοῦ διότι μᾶλλον τινὰ τῶν προσμεμνευμένων ἐκπεφαλέτερον ἐκ τῆ νόμε προαιρεῖσθαι, ταχέως λάβοι τῆς διανοίας πλέον ἡμέρῶν τριάκοντα: *Audivisse se Theopompum, cum ex Lege nonnulla eorum, quae jam fuerant interpretatione donata, audaciori & liberiori sermone referre voluisset, mente emotum per dies plus triginta fuisse.* Quid aliud autem significant, τὰ προσμεμνευμένα ἐκ τῆ νόμε, quam *partes Legis jam ante conversas?* Unde plane efficitur, non omnes tum fuisse conversas.

Arist. Hist. Septuag. Interpr. Euf. Præp. l. 8. c. 5.

IV. His positis, jam in promtu est argumentorum solutio, quibus causas suae patrocinantur Adversarii. Ad lucubrandam novam interpretationem animum adjecit Philadelphus; plenam scilicet & integram, quia mutila & dimidia antea circumferebatur. Dixerunt Philadelphus & Demetrius nullum Graecorum ausum esse Libros sacros attingere, vel eorum meminisse, quod fecissent utique si vetustior extitisset interpretatio: nempe deterrebantur poena Theopompi & Theodectis, qui id temere attentaverant; cum Libros illos, non in piorum usus interpretari, sed iis jam interpretatis abuti vellent. Unde etiam telum nobis ad defensionem sententiae hujus subministratur: nam si Libros sacros attigerunt Theopompus & Theodectes, homines Graeci, & ut verisimillimum est Ebraicae linguae prorsus rudes, sequitur libros illos jam tum Graeco sermone aliqua saltem ex parte fuisse expositos. Aristoteli sanctum Volumen interpretatus est Judaeus quidam: quippe viro magni & curiosi ingenii pars Voluminis hujus satis esse non poterat. Negarunt Aristeas, Philo, & alii ante Philadelphum Mosaicae Legis ullam extitisse interpretationem; absolutam videlicet & perfectam. Nulla priscae hujus interpretationis particula aetatem tulit: vetustiorem enim recentior, ut fieri amat, abolevit. Aristobuli opus confictum est ab Helleniſtis, longeque recentius ac creditur; ruit ergo nostra Aristobuli auctoritate nixa opinio: minime vero tota Aristobuli, sed Demetrii quoque Phalerei auctoritate nititur nostra opinio; deinde Aristobuli opus confictum esse scripsit quidem Scaliger, non nobis approbavit. Scaligeri autem dicta omnia nobis non sunt κυρίως δοξαι (*axiomata;*) & quamvis confictum denique esse demus opus Aristobuli, atque ipsam etiam Demetrii Epistolam, antiquiora certe haec fuerunt Josepho & Eusebio; unde colligitur scripsisse aliquem Josepho & Eusebio vetustiorem aliquas Pentateuchi partes ante Alexandrum Graece fuisse redditas; quod opinioni nostrae adversus pertinaciam ipsam tuendae satis esse potest.

Refelluntur argumenta Adversariorum.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

I. *De linguae Ebraicae origine.* II. *Linguae Ebraica ea non est, quae ante Babelicam confusionem vulgo usurpabatur.* III. *Probatur argumentis.* IV. *Refelluntur argumenta Adversariorum. Primum argumentum.* V. *Secundum argumentum.* VI. *Tertium argumentum.* VII. *Quartum argumentum.* VIII. *Quintum argumentum.* IX. *De origine literarum Samaritticarum & Judaicarum.* X. *Refelluntur argumenta Rabbinorum super utrisque.*

De linguae Ebraicae origine.

I. POst habitam quaestionem de vetustate Graecarum Mosaici voluminis Interpretationum, non erit, opinor, abs re de linguae ipsius Ebraicae, qua volumen illud scriptum extat, vetustate paucis disserere: cum antiquissimum hoc sit loquelae illius monumentum; cumque praesertim Mosem Ebraicarum literarum inventorem dixerint Eupolemus, Theodoretus, Isidorus; alii saltem reformatorem. Quae tamen sententia a multis

Eupolem. apud Clem. Alexand. Strom. 1. & Euf. Præp. Ev. l. 9. Theodor. in Gen. Interr. 61. l. id. Orig. l. 1. c. 3.

Digitized by Google

a multis jam explosæ sunt. Existimarunt nonnulli varias linguas ante confusionem Babelicam ab hominibus fuisse usurpatas; sed linguarum illarum notitiam, quæ nunc arte comparatur & studio, tunc singulari Dei beneficio universis hominibus fuisse concessam, quemadmodum & Apostolis subinde concessa est: at in Babelici sceleris pœnam, non novas a Deo conditas fuisse linguas, sed quæ ab omnibus intelligebantur, tum vulgo ignorabiles factas, & a paucis duntaxat fuisse perceptas. Sed quoniam manifeste pugnat ista opinio cum Scriptura sacra, quæ hoc
Gen. 11, 1. tempore *terram labii unius & sermonem eorumdem* fuisse scisicit, merito inter Hæreses
Philastr. Hær. 103. 104. a Philastrio rejecta est. Probabilior hæc est sententia, & doctorum hominum, ac sanctorum etiam Patrum aliquot consensu receptissima, linguam Ebraicam mundo ipso recentiorem non esse, & Adami, priorumque Patriarcharum usu concelebratam, post Babelicam linguarum divisionem, in Semi ac deinde Eberi familia integram ad Abrahamum usque & Israeliticam gentem perseverasse. Literas autem antiquiores, quas Chananæas, & Phœnicias, & Samariticas appellant, alii Setho, Abrahamo alii acceptas referunt; Esdræ vero temporibus Babylone reportatas fuisse constat eas quæ hodie sunt in usu, quæque Ebraicæ dicuntur vulgo, & Chaldaicæ potius, aut ut a Judæis ipsis appellantur, Assyriæ nominandæ sunt, utpote ex illis detortæ & depravatæ. In ea sententia, præter alios, præcipuum nomen est Origenis, Hieronymi, & Augustini. Eamdem deinde opinionem secuta est sanior Rabbinorum pars; atque eam demum calculo comprobarunt suo Christiani, qui linguarum Orientis peritiores habiti sunt. Huic firmandæ plurima proferuntur argumenta; quorum pleraque excogitavit Aben Ezra, ad pompam & speciem nonnulla, quæ ut frivola & futilia prætermittimus: validiora tantum proponemus.
Theodor. Interr. 60. in Gen. Primum ac præcipuum, & a Theodoreto pro lingua Syriaca usurpatum, petitur ex nominibus propriis sive hominum, sive locorum, quæ ab orbe condito usque ad linguarum confusionem commemorantur in historia Mosis, & quorum origines in Ebraica lingua reperiuntur. Adam, verbi gratia, ita dictus est, quod factus sit ex האדמה, *terra*: Eva,
Gen. 3, 20. חוה, *eo quod mater esset* כל חי, *omnis viventis*. Cain, קין, a קנה, *possedit*: quod dixerit Eva, *possedi hominem per Deum*: Hortus Eden ab עדן, *voluptas*; quasi dicas, *Hortum voluptatis*. Eodem pertinent nominum allusiones ad voces Ebraicas, ut Evæ, quæ dicta est a Deo אשה, *virago*, quia sumta est ab איש, *viro*: Gen. 2, 23. Gen. 9, 26. ut Japheti, cum ait Noe, יפת אלהים ליפת, *Dilatet Deus Japhet*. Alterum argumentum suppeditant antiquæ variarum gentium appellationes, propagatæ ex nominibus originis plerumque Ebraicæ, ut fuse ostendit Hieronymus in libro de nominibus Ebraicis. Tertium arcessitur ex nominibus Deorum & Heroum Ethnicorum, quibus nihil in gentibus occurrit antiquius; atque eorum tamen veriloquia subministrat Ebraica lingua; velut Saturni סתר *abscondit*, quod in Latio latuerit; Jovis, ex tetragrammato Dei nomine יהוה; Vulcani ex Tubalcain; Japeti ex Japhet. Quartum præbent Ebraicæ linguæ vestigia, quæ in omnibus aliis linguis deprehenderunt viri eruditi. Quintum denique oritur ex Ebraicæ linguæ castitate & simplicitate, quæ cum per alias linguas diffusa sit, ipsa nihil sibi ex aliis linguis adhærescere passa est.

Lingua Ebraica, ea non est quæ ante Babelicam confusionem vulgo usurpabatur.

II. Hæc quantumvis credibilia & similia veri, non me absterrent tamen, quin de linguæ Ebraicæ origine aliter existimem, ac vulgo existimatur. Sic enim sentio, non aliam fuisse quam Chananæam ipsam, unam ex iis quæ ortæ sunt ex Babelica confusione; pristinam vero illam & primigeniam, quæ ante confusionem linguarum obtinebat, quum terra omnis erat *labii unius & sermonum eorumdem*, vel funditus interiisse, vel in alias linguas esse disseminatam; vel si perseveravit integra, ecquænam illa fuerit, Assyria, an Chananæa, an alia quævis, absque temeritate assignari non posse. Quæ ne pium & æquum Lectorem offendat sententia,
Theodor. Interr. 63. in Quæst. Theodoreti patrocinio utar, qui idem tractans argumentum, οὐδὲν, inquit, τῷ λόγῳ τῆς εὐσεβείας λυμαίνεται, κἂν τε τοῦτο, κἂν τε ἐκεῖνο δεξώμεθα. *Nihil officit pietatis rationibus, sive hoc, sive illud recipiamus.* Adscisam & Gregorii
Greg. Nyss. Orat. 12. contra Eunom. Nissenii suffragium, qui Mosem usum esse definit una ex iis linguis, quæ post Turris ædificationem ortæ sunt. Tum subjungit existimare nonnullos in Scripturæ sacræ studio subactos, recentiorem esse alias linguis Ebraicam, tumque repente in Ebræorum gratiam extitisse, cum ex Ægypto egressi sunt;

sunt; atque id comprobare hoc Prophetæ
Psal. 80, 6. dicto: *Testimonium in Joseph posuit illud, cum exiret de terra Ægypti: linguam quam non noverat, audivit.* Cum igitur Chaldæa patria profectus Abraham in Chananæam venisset, linguam regionis illius perdidicit, & linguæ hujus characteres scribendo usurpavit: quod faciunt, qui in externa regione sedem figunt; & quod a Cuthæis deinde & Babyloniis factum est, cum desertas a decem Tribubus sedes occuparunt. Bilinguis itaque fuit Abraham, Chaldaicæ nimirum linguæ, quam ad Babelem ex confusione quoque natum puto, & Chananææ peritus. At ejus posteri una Chananæa, utpote vernacula, contenti, aliam neglexerunt. Ebraica vero dicta est, quoniam ab Ebræis usurpabatur. Qui postquam Babylonem captivi abducti sunt, tum vero ex Chaldæorum, inter quos dispersi erant, commercio, patriam inquinarunt loquelam: & ex Chaldaicæ ac Ebraicæ confusione tertia prodiit lingua, quæ Syriaca dicta est, quaque Christus & Apostoli usi sunt.

Probatur argumentis. III. Cur autem de Ebraicæ linguæ antiquitate ac dignitate tantum detraham, causas has habebo. Constat primum inter eruditos, nihil haut certe parum Chananæam inter & Ebraicam linguam, hoc est linguam inter Phœnicum & Israelitarum interfuisse; fallique Origenem, cum a Phœnicia lingua
Orig. l. 3. contra Cels. Ebraicam differre autumat: nisi fortasse differentiam interesse quidem, at exiguam & levem intellexerit. *Lingua Chananitis*, ait
Hieron. in Isa. 19. Hieronymus, *inter Ægyptiam & Ebraeam media est, & Ebraeae magna ex parte confinis.* Liquido patet id ex nominibus hominum, locorum, & gentium, quas illuc advenientes Ebræi repererunt: Ebraica siquidem ea plane sunt. Ut reliqua prætermittam argumenta, quibus hoc ab aliis jam satis superque probatum est. Nam quid opus est argumentis & disputationibus, cum disputationem omnem
Isa. 19, 18. præcidat Isaias: *In die illa*, inquit, *erunt quinque civitates in terra Ægypti, loquentes lingua Chanaan, & jurantes per Dominum exercituum.* Linguam Chanaan hic Ebraicam significare consentiunt Interpretes universi. Ergo, juxta Isaiam, lingua Chanaan Ebraica ipsa lingua est. At ab Assyria sive Chaldaica discrepuisse Ebræam multa probant; velut
Gen. 31, 47. notatio illa Mosis, qua *Acervum testimonii* a Labane & Jacobo erectum, ab illo quidem vocatum significat גיר שהדותא *Iegar sahadutha*; ab hoc autem גלעד, *Galaad*. Et tamen Laban ille erat de stirpe Semi, & Jacobi consanguineus. Rabsacen præterea Assyrium Ebraice Ebræos alloquentem rogant horum primores, ut se alloquatur Assyria lingua, ne a populo intelligatur. Jeremias quoque Ebræis exitium impendere a Chaldæis vaticinans: *Ecce ego*, inquit, *adducam* Jerem. 5, 15. *super vos gentem de longinquo, domus Israel, ait Dominus; gentem robustam, gentem antiquam, gentem cujus ignorabis linguam, nec intelliges quid loquetur.* De eadem gente ait Isaias: *in loquela labii, & lingua altera loque-* Isa. 28, 11. Bar. 4, 15. *tur ad populum istum.* Idem Baruch: *Adduxit enim super illos gentem de longinquo, gentem improbam, & alterius linguae.* Pueros etiam Ebræos jubet Nabuchodonosor instrui literis & lingua Chaldæorum. Tum verba illa, Mane, Thekel, Phares, Ebraice descripta, neque legere potuit Chaldæus ullus, neque intelligere: Daniel vero facile perlegit. Non quod alio ordine dispositæ literæ essent, quam quo solebant collocari, uti somniavit Abrabaniel, sed quod multum differrent Ebraica lingua & Chaldaica. Plurima Chaldaice scripta extant a Daniele & ab Esdra, quæ loquelam hanc in multis discrepare patefaciunt. Denique discrimen literarum utriusque gentis, Ebrææ & Assyriæ, linguarum quoque discrimen ostendit. Literas antiquas Ebraicas intelligo, quæ ante captivitatem Babylonicam in Ebræa gente vulgares fuerunt; & Samaritice solent appellari, propter Samaritas, sive Cuthæos, Babylonios, aliosque, qui in locum decem Tribuum successerunt, & Samariam urbem ditionis suæ caput habuerunt. His idipsum contigit, quod ante contigerat Abrahamo; in has quippe translati oras, linguam literasque illic repertas usurparunt, omissis vernaculis; easque diutissime retinuerunt; cum Judæi contra in Babyloniam deportati, lingua sua literisque desitis, asciverunt Assyrias, quibus ad hanc diem uti pergunt. Ex his efficitur, vel linguam sanctam in familia Semi & Eberi puram & integram non perseverasse; vel linguam Ebraicam, sanctam illam & primigeniam non esse. Efficitur quoque necesse habuisse Abrahamum, cum venit in Chananæam, popularem gentis hujus linguam condi-

scere, a patria lingua sua Chaldaica discrepantem. Unde Hieronymus, *Nisi forte*, inquit, *juxta quorundam opinionem duas Abraham linguas & Ebræorum & Chaldæorum scisse dicamus.* Atque hinc factum puto, ut Ebraicæ linguæ inventor Abrahamus a nonnullis creditus sit; quia nempe linguam hanc primus posteris suis tradidit, cum aliam a majoribus accepisset. Hinc factum quoque ut lingua hæc dicta sit Ebraica; Ab Ebræis nimirum, ita dictis ab Abrahamo, qui a transmisso Euphrate dictus est עברי, περάτης, quasi dicas Transitor (quemadmodum & Niger Idumææ rector, ut docet Josephus, quod genus ex regione Transjordanensi duceret: & quemadmodum Persæ Judæam, regionesque finitimas solebant Trans-fluvianas; Rectoresque regionum illarum ac duces a Persarum rege missos Trans-fluvianos nuncupare; quod in plurimis libri Esdræ locis agnoscas:) non vero lingua Adami, vel Sethi, vel Semi appellata est, ita ut debuisset appellari, si Adamum, vel Sethum, vel Semum auctorem habuisset. Factum hinc quoque dicerem, post Josephum & Eusebium, ut scripserit Choerilus Poeta, Solymos, hoc est ut ipsi interpretantur Judæos Hierosolymitanos, (nam Solymi carminibus Homeri celebrati Hierosolymis nomen feciisse crediti sunt) Phœnicio sermone loqui;

γλῶσσαν μὲν φωνεῦσαν ὑπὸ τειμήεσσι Σολύμοις,

non vero Phœnices Judaico, nisi docte & solerter demonstrasset Cunæus, & post eum Bochartus, Pisidas Choerilum, non Judæos notasse. Quod autem opinatur Josephus Scaliger, quem proxime assectatur Johannes Seldenus, ex Assyria lingua Chananæam manasse per colonias illinc in Phœniciam deductas; atque Assyriam demum linguam, propter frequentem aliarum gentium usum & commercia crebra negotiatorum, pristinam integritatem amisisse, quum Chananæi interea incorruptum linguæ Assyriæ nitorem retinerent, raro ad eos commeantibus peregrinis; id sane gratis dicitur, nec ullo argumento vel cujusquam auctoritate firmatur: neque sane probabile est. Præterea si ante Abrahamum jam adulteratam fuisse dicas Assyriam linguam, quod dixit Scaliger, neutiquam constabit ratio: nam a linguarum confusione ad Abrahami ortum vix sequiseculum numeres, juxta receptissimam sententiam: quo spatio quis tantam mutationem illatam credat, quanta fuit? Sin post Abrahami profectionem in Chananæam evenisse hoc dicas, ut dixit Elias Levita, hærebit itidem aqua; nam ab exitu Abrahami ex Haran, ad Jacobi discessum ex eodem loco a Labane; non toti ducenti effluxerunt anni; quo intervallo tantam corruptelam pati non potuit Assyria lingua, quicquid opponat Seldenus, quantam fuisse necesse est, ut *Acervum testimonii* tam diversis nominibus appellarent Jacob & Laban. Gratis quoque & sine auctore pronuntiant alii, Semum aut Eberum Babelicæ conspirationis participem non fuisse, atque hanc propterea a Deo meritedem tulisse, sanctæ ac primævæ linguæ sibi posterisque retinendæ prærogativam. Nam si id fuit pietatis præmium, cur Judæi post Babylonicam captivitatem, cur Christus ipse demum & Apostoli eo fraudati sunt, cum eo interea Samaritani impii & perduelles fruerentur? cur ipse Esdras vir sanctus, & Judaicæ religionis consultissimus, priscis ac sanctis characteribus repudiatis, novos & profanos ascivit? Egregiam vero mercedem; quam Chananæi, gens detestabilis & a Noacho execrationibus devota, perinde ut Semi posteri, consecuti sunt. Respondent Adversarii factum id, non in Chananæorum, sed in Abrahami posterorumque ejus gratiam, quo minori negotio inter Chananæos conversari & peregrinari posset. Quorsum ergo nec in Ægyptum lingua illa transmissa est, ubi Abrahamus quoque, ac deinde Jacob cum filiis, & tota Israelitarum gens tot annos mansura erat? Quorsum Babylone contaminata est, ut volunt, quo dispergendi erant Judæi Chaldaicæ linguæ plane insciі?

IV. His animadversis facile discutiuntur argumenta adversariorum. Ebraicæ esse ajunt originis nomina propria hominum & locorum, quorum ante gentium διαστροφὴν (*disjunctionem*) meminit Moses, proindeque receptam tum & vulgatam fuisse Ebraicam linguam. Respondet Grotius nomina illa Ebraico sermone a Mose esse expressa, Ebræorum gratia, in eumdem significatum, quem in primæva lingua obtinuerant: cujus mutationis exempla affert compluria; velut illa e Curtio, milites quosdam a Persis vocatos esse Immortales, Chiliarchos vero, qui mille militibus præessent: quas voces aliter

Hieron. in Dan. 1, 4.

Gen. 14, 13.

Joseph. de bell. Jud. l. 2. c. 42.

Choer. apud Joseph. l. 1. contra Ap. & Euf. Præp. l. 9. c. 9.

Cun. de rep. Ebr. l. 2. c. 18. Boch. Chan. l. 1. c. 6. Scalig. Ep. 242. & 362. Seld. de Dis Syr. Proleg. c. 2.

Elias in Præf. ad תשרגנם

Seld. de Diis Syr. Proleg. c. 1.

Refellantur argumenta Adversariorum. Primum argumentum.

Grot. in Gen. 11, 1.

Digitized by Google

ter extuliſſe Perſas haud dubium eſt; Clupeam præterea appellaſſe Latinos, quæ Aſpis dicebatur; Pithecuſam & Ampeluſiam Græcos appellaſſe, quæ Punica nomina habebant ejusdem notionis; & Græcos Scripturæ Interpretes nomina quædam Ebraica locorum Græce reddidiſſe. His addo vulgati Scripturæ Sanctæ Interpretis exemplum, qui iſtud exponens: *Hæc vocabitur* אשה, *quoniam* מאיש *ſumta eſt:* eamdem originationem nominibus Latinis expreſſit: *Hæc vocabitur Virago, quoniam de Viro ſumta eſt.* Arabs Interpres Paralipomenon pro Phalego reddidit Caſem, quod eſt ejusdem ſignificationis. Iſaacum, cujus nomen Ebraice *riſum* ſonat; γέλωτα appellat Alexander Polyhiſtor. Eſau, cui & Edom, hoc eſt Ruſo, nomen fuit, Erythras a Græcis dictus eſt. Og, qui fuit Rex Baſan, & id nomen habuit ab uſtione ſeu coctione, juxta nonnullos Græcis Typhon eſt appellatus; quæ dictio ejusdem eſt ſignificationis. Qui Cephas a Chriſto nomen habuit, Petrus a Græcis eſt nuncupatus. Pan dictus a Græcis Lyceus, Lupercus eſt Romanis, quod idem ſonat. Πλούτων Latinis nominatur Dis; Carthago, Græcis Cænepolis, Rhodos Ophiuſa. Virgilius Neapolitanis appellabatur Parthenias; non quod eſſet virginali verecundia, ut nugantur Grammatici; ſed, uti ſuſpicor, ita Græce reddentes Virginii nomen, quod cum Virgilii nomine; uti alias nonnunquam factum obſervavimus, confundebant. Picti vocati ſunt a Romanis, qui Britanni a ſuis; eadem ſignificatione, ut docuit Camdenus. Taphros urbs in Iſtmo Tauricæ Cherſoni ſita, Præcop dicta eſt, voce ejusdem ſignificationis. Philonis ſubditicii Breviarium Ebraice reddens R. Azarias, Philonem appellat Jedidæum, quæ vox idem valet. Illuſtris ille Roterodamus, decus immortale Bataviæ, nativorum ſuorum nominum Gerardus Gerardi ſonum barbarum aſpernatus, Deſiderius Eraſmus dici maluit, ſignificatione Latine & Græce expreſſa. Scribit Plato in Critia, Solonem in locum Ægyptiorum nominum Græca nomina in carminibus ſuis ſuppoſuiſſe. In exemplari Græco Speciminis ſcientiæ Indorum Latine a Poſſino verſi, quod manuſcriptum penes me eſt, nomina τεφαίτης & ἰχνηλάτης, in Arabico libro, unde Græca profecta ſunt, erant καλὸς & δίμας. Interpres Arabs Scripturæ ſacræ nuper editus

Gen. 2, 23.

Alex. Polyhiſt. apud Euſ. Præp. Ev. l. 9.

Camd. in Britann.

Ebraica nomina Arabice interdum exprimit. Omnem vero contradicendi anſam præcidit ipſum Moſis nomen, quod purum putum Ebraicum eſt; & tamen ex Ægyptio ductum eſt, quod ipſi primum impoſitum fuit. Nemo enim, opinor, finget ſibi Ægyptiam puellam, Pharaonis filiam, Ebraicæ, ut veriſimillimum eſt, ignaram linguæ, Ebraicum nomen ex Ebraica lingua petitum Moſi tribuiſſe. Sic enim ipſe de ſe: *quem illa adoptavit in locum filii, vocavitque nomen ejus Moyſes, dicens, Quia de aqua tuli eum.* Obſervavi ſuperius ſcripſiſſe Aben Eſram Moſi Ægyptium nomen fuiſſe *Monios*, atque hujus nominis Ebraicam interpretationem eſſe *Moſes:* quam ſententiam auctoritate libri Ægyptii de agricultura, & Græcorum tuetur. Hoc cum parum intelligeret R. Iſaac Ababaniel, Moſem a matre ſic dictum cenſuit: non a filia Pharaonis: prorſus contra mentem Scriptoris ſacri. Manifeſtus vero eorum eſt lapſus, qui vocem משה, quæ haud dubie Ebraica eſt, Ægyptiam eſſe cenſuerunt. Quo in numero eſt Kircherus. Nempe morem hunc interpretum complurium ignoraverunt, nomina ipſa transferendi, nec eorum ſonum ac ſyllabas, ſed ſignificationem repræſentandi. Inſignis in eo genere fuit Aquila Scripturæ interpres, qui ſignificationes propriorum nominum ſæpe reſpexit & repræſentavit. Paris nominum permutationis illuſtre edidit exemplum patrum noſtrorum memoria Jacobus Auguſtus Thuanus, nobilis Hiſtoricus, qui nominum propriorum ſignificatum Latina lingua fere retulit. Præterea quoniam nominum Ebraicorum originationibus & veriloquiis vis inerat ac ſenſus cognitu utilis, & Ebræis ad virtutem informandis opportunus, ea idcirco conſectatus eſt Moſes, nec rem populo Dei conducibilem inſuper habendam duxit, quam alias fortaſſe neglexiſſet; & reipſa neglexit, cum Ægyptiaca nomina, aliave externa referret, quorum nulli futura eſſet uſui interpretatio. Quippe ſanctæ illius gentis intererat ſcire, Adamo, exempli cauſſa, a terra nomen factum; ut omnes meminiſſent conditionis humanæ, cum primus hominum omnium parens terræ filius fuerit. Atque id etymon Latina quoque lingua exprimit, homini ab humo appellationem arceſſens. Origenis auctoritate fulciri poteſt hæc reſponſio. Docet hic quippe in Epiſtola ad

Exod. 2, 10.

Kircher. Copt. Prodr. c. 5.

Digitized by Google

Africanum, Græcos Interpretes παρώνυμα (*denominativa*) ſi quæ in Ebraicis occurrerent, ſimilibus παρωνύμοις (*denominativis*) Græcis, diverſæ licet ſignificationis reddidiſſe: & παρωνυμίας (*denominationes*) inter πρῖνον (*ilicem*) ac πρίσιν (*ſiſſionem*) & ὀχινον (*lentiſcum*) ac ὀχισιν (*ſciſſionem,*) quæ occurrunt in hiſtoria Suſannæ, excogitatas fuiſſe ab Interprete Græco, ut aliis παρωνυμίαις (*denominationibus*) quas in alterius ſignificationis vocibus Scriptor Ebræus propoſuerat, ex æquo reſponderent. Exemplum in Latina loquela dat Hieronymus, in Præfatione ad Danielem: *Cujus rei*, inquit, *nos intelligentiam noſtris hanc poſſumus dare; ut, verbi gratia, dicamus de arbore ilice dixiſſe eum, Illico pereas; & a lentiſco, In lentem te comminuat Angelus; vel, Non lente pereas; aut, Lentus, id eſt flexibilis ducaris ad mortem; ſive aliud quid ad arboris nomen conveniens.* Simile quid nos in reddendis nominibus propriis a Moſe factum dicimus. Cum ait ergo, *Omne quod vocavit nomen Adam animæ viventis, ipſum eſſe nomen ejus*, refer ad ſignificationem nominum, non ad ſonum. Adde Syris & Arabibus non minus utile eſſe hoc argumentum, quod pro linguæ Ebraicæ dignitate cuditur, ac Judæis: quippe ex priſcorum horum nominum ſignificatione, linguarum itidem ſuarum antiquitatem, quam præ Ebraica jactant, pari jure potuerunt adſtruere.

Secundum argumentum.

V. Secundo argumento quod ducunt Adverſarii ex antiquis variarum gentium appellationibus, ex Ebraica lingua plerumque derivatis, occurrere promtum eſt. Nam primum certum eſt plurima variarum illarum gentium nomina quæ habet Moſes, nihil plane in Ebraica lingua ſignificare. Deinde probabile eſt, Moſem nomina illa exotica ad linguæ ſuæ inflexionem & modum fere accommodaſſe, quemadmodum vulgo fieri ſolere notum eſt. Hunc morem præ cæteris habuerunt Græci. Hi Rhodum, Samum, Naxum ita extulerunt, quaſi a ῥόδον (*roſa*) σάμος (*locus excelſus,*) νάξος (*conſtipare*) derivata eſſent; Italiam quaſi ab ἰταλὸς (*vitulus;*) Phœnices quaſi ἀπὸ τῶν φοινίκων (*a palmis;*) Byrſam quaſi ἀπὸ τῆς βύρσας (*a corio;*) Thebas quaſi ἀπὸ τῆς θεύσεως, ἤγουν τῆ δρόμῳ τῆ βοὸς (*a curſu bovis;*) Diu Socotoram quaſi a Dioſcoride; torrentes Cedron & Ciſon quaſi ἀπὸ τῶν κέδρων (*a cedris;*) & ἀπὸ τῶν πίσσων (*a picis.*) Similiter Moph recoxerunt in Memphin, quæ vox Græcam originem ſapit; Piboſeth in Bubaſtum. Eadem fuit & Romanorum ratio: hi Latium quaſi Latinæ originis nomen formarunt, quod in eo *latuerit* Saturnus; Siciliam, quaſi *Sicilitam*, hoc eſt diviſam, ſive ut loquitur Manilius, *præciſam*: quæ tamen origines ab aliis repudiantur. Simile quoque in alterius generis nominibus e materna lingua derivandis ſtudium & affectationem deprehendas. Saturnum ita cenſent appellatum, quod *ſaturetur annis*, cum alii derivent a סתר *occuluit;* Jovem a *juvando*, alii a יהוה; Cererem a *cerendo*, alii a גרש, *fructus Lunæ vi protruſus;* Janum ab *eundo*, cum ſit, ut ſuperius notavi, a ζανὸς, qui genitivus eſt τῦ ζᾶν, quod Æolicum eſt pro ζῆν, ζῶνός. Inde & ζανὰ, unde Latinum *Juno*, quod a *juvando* itidem alii arceſſunt. Veſtam Ovidius nuncupatum vult, quod *vi ſua ſtet;* Iſidorus quod herbis *veſtita* ſit; cum ſciamus tamen factum id nomen ab ἑστία, hoc a Chaldaico אשיא, illud ab אש. Multus eſt in iis veriloquiis Cicero, multus & Varro: parum uterque etymologicæ artis peritus. Quæſiviſſes a Goropio Becano vocabuli alicujus etymon, recurriſſet ad Brabantinas & Cimbricas origines; conſuluiſſes Bochartum, Ebraicas propoſuiſſet: & tamen unica eſt vocabuli hujus origo. Adeo facilis eſt hac in arte lapſus, parata & proclivis offenſio. Probandus quidem eſt & laudabilis eorum conatus, qui nominum Geographicorum rationem perveſtigantes, ad Ebraicam potiſſimum linguam, utpote antiquiſſimam, & quoquoverſus diſſeminatam, & per varias linguas late patentem reſpiciunt; modo conjecturas non plus quam conjecturas valere velint; nec quod in duobus, ſi forte, tribusve ſucceſſerit nominibus, ad reliqua æque prorogare ſe poſſe ſperent; caveantque ne aliqua ſyllabarum & ſonorum concentione decepti, ſibi ipſi fucum faciant. Hac cautione quicunque ſe muniverint, tum vero aperte cognoſcent, quam infirmum ex hujusmodi originationibus procudatur argumentum, ad nimiam linguæ Ebraicæ vetuſtatem comprobandam.

Manil. l. 4.

Ovid. l. 6. Faſt.

Iſid. Orig. l. 8. c. 11.

Tertium argumentum.

VI. Hæc quæ dixi oſtendunt argumenti levitatem, quod Deorum Ethnicorum nomina, ex Ebraica, ut volunt, lingua detorta ſubmi-

ſubminiſtrant; nam ex notationibus illis nominum pleræque itidem valde incertæ ſunt; & ſi quæ certæ ſunt, profluxerunt illa nomina e Chananæa lingua ſive Ebraica, per commercia & colonias Ægyptiorum & Phœnicum, quæ fere fuerunt Abrahamo recentiores. His gentibus bona Græcanicæ Theologiæ pars accepta referenda eſt, & Græcorum Deorum complures Moſe recentiores eſſe merito ſcripſit Clemens Alexandrinus; & nos Moſem ipſum eos eſſe ſatis probavimus. Græcorum autem numinibus recentiores ſunt etiam gentium occidentalium Dii: nam quicquid iſtis vetuſtius jactant, nugæ ſunt, & fabulæ meræ, quarum in veteribus memoriis indicia extant omnino nulla.

Clem. Alex. Strom. 1.

Quartum argumentum.

VII. Ex eorundem Phœnicum peregrinationibus factum eſt, ut in Occidente multa extiterint Ebraismi veſtigia. In Oriente vero tot bella geſſerunt Iſraelitæ; tot incurſionibus laceſſiti ſunt a vicinis gentibus; tot μετοικεσίαις καὶ διασπορᾶις (*migrationibus & diſſipationibus*) in Ægyptum, in Babyloniam, & Aſſyriam diſſeminati, ut minime mirum ſit linguam Ebraicam cum ipſa gente quaquaverſus ſe diffudiſſe; ac proinde corruit quod inde conflatum eſt quartum argumentum. Adde linguarum diverſitatem tantam non fuiſſe, ut omnis omnino illarum affinitas extincta ſit. Conſtituerat Deus univerſalem illam linguam ita perturbare, uti opus inceptum Babelicæ turris intermitteretur. Satis ad id fuit alteram alterius loquelam non intelligere. Quantalibet autem Chaldaicæ, Arabicæ, Ægyptiacæ, aliisque cum Ebraica intercedat affinitas; nihilo magis tamen qui unam recte norit, omnes noverit. Plurima vocabula Perſicæ & Germanicæ linguæ communia obſervarunt viri docti; plurima quoque Græcæ & Germanicæ: non unam tamen ex altera proveniſſe quisquam opinor dixerit. Hinc denique facile ſe expedient, qui primævam linguam diviſam in omnes linguas ac diſperſam fuiſſe ſtatuunt, tum cum eæ exortæ ſunt: nemini enim non apertum erit ac perſpicuum, unde contigerit ut aliquam cum aliis omnibus linguis affinitatem videatur Ebraismus retinere. Quod autem ſcripſit Hieronymus, linguam Ebraicam omnium linguarum eſſe matricem, ni-mis late patet, & anguſtius concludendum eſt, intra eas videlicet linguas ac gentes, quarum auctores Chananæi habendi ſunt.

Hier. in Soph. c. 3.

Quintum argumentum.

VIII. Poſtrema ratio ab Ebraicæ linguæ ſimplicitate & caſtitate depromta, facili negotio retunditur: nam cum aliquam ipſi cum aliis linguis cognationem eſſe conſtet, puta cum Chaldaica & Arabica, qui potius voces communes ex illa in has, quam ex his in illam tranſiiſſe demonſtrabitur? Nam quod ajunt מלכא prius eſſe quam מלך; neque ut hoc ita eſſe probent rationem afferunt, neque ullam quæ id perſuadeat ego video. An quod hoc eſt illo litera una longius? Ergo Latinæ voces, *mors*, *ſors*, *ſub*, *ancilla*, antiquiores ſunt illis unde ortæ ſunt, μόρος, ἔρος, ὑπὸ, ἀμφίπολος; & Gallicæ voces, *temps*, *corps*, *œil*, *ſens*, *fouir*, *ouir*, *cruel*, antiquiores illis, *tempus*, *corpus*, *oculus*, *ſenſus*, *fodere*, *audire*, *crudelis*: quod falſum tamen eſt. Contra vero primi parentis nomen אדם brevius eſt אדמה, unde prodiit.

De origine literarum Samariticarum & Judaicarum.

IX. Ebraicas literas, ſive characteres, dixi eſſe duplicis generis; Samaritanos, quorum auctorem alii Sethum, Abrahamum alii eſſe putant; & Judaicos, quos Esdras, non ſine Synagogæ magnæ, uti quidem reor, auctoritate ac nutu, captivitatis Babylonicæ temporibus ad deſcribenda ſacra Volumina uſurpavit, deſitis Samaritanis qui hactenus inter Ebræos fuerant in uſu. Ego vero de elementis Ebraicis non aliter ac de Ebraica lingua ſentio, priſca nempe illa, quæ Samaritana appellantur, mera eſſe Chananæa, iisque tum primum uſum eſſe Abrahamum, cum in Chananæam venit, & regionis illius linguam didicit; ac ea demum poſteris cum lingua tradidiſſe, intermiſſo Aſſyriarum literarum & linguæ uſu, quas ad hoc tempus uſurpaverat. Ante Diluvium, vel confuſionem Babelicam, ſcripturæ & literarum uſus repertus ſit, nec ne, incertum relinquo; adeo obſcura res eſt, & argumenta levia, quibus probatur vel refellitur. Poſtquam turbata eſt hominum loquela ac diviſa; tum vero ad notandos animi ſenſus & exprimendas voces, adhibitos reor characteres diverſis temporibus, prout ſingularium gentium neceſſitas & ingenii largitor uſus poſtulabat; ſive jam ante uſurpari ſoliti eſſent, ſive jam tum primum reperti. Priſtina vero elementa, quæ ante Babelicam confuſionem in uſu fuiſſe dicuntur, quoniam incertum eſt an aliqua

Digitized by Google

aliqua tum fuerint, eo etiam incertius est quid illis factum sit: nec sine temeritate & reprehensionis periculo affirmaverit quisquam, vel ea exoleviſſe, vel in gentis alicujus usum velut hereditario jure transiisse. Quocirca merito dubitat Augustinus, an satis probari possit Ebræas literas a primis hominibus fuisse inventas, Noacho deinde traditas, ad Abrahamum demum ejusque posteros fuisse transmissas. Sua ergo elementa habuit Assyria gens, sua etiam Chananæa. Illis cum assuevisset a puero Abrahamus, Chananæis uti cœpit, cum in Chananæorum regionem venit; nec eorum abjecerunt usum Abrahami posteri, quoad in Chaldæam traducti, priscos Assyriorum characteres resumserunt. In eam sententiam his adducor argumentis Græcos a Phœnicibus, seu Chananæis literarum characteres accepisse, auctoritate Herodoti, aliorumque complurium satis constat. Atqui tanta est Samaritanos inter characteres & Græcos similitudo, quam ob oculos posuit Josephus Scaliger in erudita dissertatione de literis Ionum, ut manifestum sit ad illorum exemplum Græcos esse formatos. Vnde efficitur Samaritanos seu priscos Ebraicos eosdem esse ac Chananæos. Patet præterea ab Assyriis elementis differre Samaritica: nam vel ipso inspectu tanta apparet utrorumque discrepantia, ut aliquando fuisse eadem minime credi possit. Nec enim tantis mutationibus obnoxii sunt characteres literarum, quantis linguæ ipsæ, cum sint certis ductibus & figuris circumscripti ac determinati. Major autem Ebraicæ linguæ seu Chananææ cum Assyria intercedit affinitas, quam literis ipsis; quæ si tantillum quid habere videntur similitudinis & cognationis, id ab Ebræis ipsis illatum reor, quorum manus Samaritanis literis insuefactæ cum Assyrias ascisceret, pristinos ductus non ita dedidicerunt, ut non ad eos etiam invitæ flecterentur; atque ita Chananæos & Assyrios characteres coaluisse in Ebræos hodiernos: quemadmodum Chananææ & Assyriæ linguæ permistio, post captivitatem Babylonicam, Aramæam seu Syriacam linguam pepererit. Quo sensu dixisse videtur Hieronymus Esdram Judaicas literas reperiisse, ut pote ab Assyriis paulum diversas, Chananæarum vero valde dissimiles: quarum Judaicarum usum præ cæteris invexit Esdras, clarissimus illæ ætate inter Judæos Scriba, & Legis Doctor ac reparator: accedente florentissimæ Synagogæ, quæ Magna appellabatur, imperio, sine quo nec id attentasset Esdras; nec si fecisset, successum res habuisset. Huc adde tralatitiam fuisse & pervulgatam multorum e veteribus sententiam, Phœnicibus literarum inventionem deberi, nedum literas ipsos ab aliis accepisse. Cum ergo Samaritani characteres, quos ab Abrahami ætate Ebræi usurpaverunt, sint Chananæorum persimiles, vel potius iidem, ab Assyriis vero prorsus diversi, utrum verisimilius esse dicendum est, eos ex Assyria, in qua non fuerunt, in Chananæam, in qua fuerunt, detulisse Abrahamum & nepotibus transmisisse: an potius advenientem in Chananæam, gentis illius cum qua conversaturus erat, linguam ac scripturam didicisse, patriæ linguæ ac scripturæ usu tantisper omisso? Nec Diodorum moror, qui Phœnices literas accepisse scribit a Syris, quibus quidam Assyrios illic significari volunt, ego vero Ebræos ipsos interpretor; Mosem nempe, aut Abrahamum, quos literarum inventores falso plerique existimarunt. Vnde Eusebius, δοι δὲ, inquit, οὗτοι σύρους γράμματα ἐπινοῆσαι λέγουσι πρώτους, σύροι δ' ἂν εἶεν οὗτοι, τὴν γάτονα Φοινίκης Ἰουδαίαν οἰκοῦντες. *Sunt vero qui Syros literas primos reperisse dicant. Syri sane hi, fuerint Ebræi, qui Judæam Phœnices vicinam colunt.* Hinc Eupolemus, ut sæpe jam dixi, Mosem Judæis literarum usum tradidisse docuit, Judæos vero Phœnicibus. Quæ a vera prorsus ratione repulsa sunt.

Augustin. Quæst. 69. in Exod.

Herod. l. 5 c. 58.

Diod. l. 5.

Euſ. Præp. l. 10. c. 5.

Eupol. apud Clem. Alex. Strom. 1.

Nam quod ad Syrorum & Arabum characteres pertinet, ii ex Judaicis detorti sunt; quod ex eorum contentione facile cognoscetur. Magnam enim continuus scribendi usus literis quibuscunque mutationem inferre solet; longe etiam majorem sermoni assidua loquendi consuetudo. Chananæas literas cum Græcis contuleris, vix has ex illis proveniſſe primo deprehendes intuitu: quod ita tamen esse fateberis, si rem spectaveris attentius. Mutationis hujusmodi præclarum extat exemplum in notis numerorum, quibus hodie uti solemus. Ab Arabibus, vel ab Indis inventas esse, non vulgus eruditorum modo, sed doctissimi quique ad hanc diem arbitrati sunt. Ego vero falsum id esse, merosque esse Græcorum characteres ajo, a librariis Græcæ linguæ

Hieron. Prol. Galeat.

Digitized by Google

linguæ ignaris interpolatos, & diuturna scribendi consuetudine corruptos. Nam primum, 1, apex fuit, seu virgula, nota μονάδος. 2, est ipsum β, extremis suis truncatum. γ, si in sinistram partem inclinaveris, & cauda mutilaveris, & sinistrum cornu sinistrosum flexeris, fiet 3. Res ipsa loquitur, 4, ipsissimum esse Δ, cujus crus sinistrum erigitur κατὰ κλῖτος; & infra basim descendit; basis vero ipsa ultra crus producta eminet. Vides quam 5, similis sit τῷ ε; infimo tantum semicirculo, qui sinistrorsum patebat, dextrorsum converso, Ἐπίσημον βαῦ, quod ita notabatur, ϛ, rotundato ventre, pede detracto, peperit τὸ 6. Ex Z basi sua multato, ortum est τὸ 7. Si H inflexis introrsum apicibus in rotundiorem & commodiorem formam mutaveris, exurget τὸ 8. At 9 ipsissimum est 9. Zero, punctum primo videtur fuisse, ad decuplicem præcedentis notæ valorem designandum apponi solitum: quod ut magis appareret, insigniusque fieret & crassius, circumducto in circulum calamo spatium inane, properantia primum, deinde consuetudine relictum est. Hinc Arabes & Persæ notam hanc, non circuli tantum figura, sed puncto etiam crassiore exprimunt: quam & צפר appellant; unde vocabulum Cifra, quod vulgus ab Ebraica radice סיפר derivat. Ad hanc notarum similitudinem si advertetur animus, dubium omne tolletur. Sententiam nostram unice confirmat, quod scripsit eruditissimus Vossius in Melam, se notas illas vulgares deprehendisse in Codice manuscripto Geometricorum Boetii, & in Notis Senecæ ac Tyronis. Unde recte concludit vetustiores esse ac vulgo creditur. Ergo Arabicæ non sunt: nisi quis putet Senecæ & Boetii temporibus Arabicas literas Romæ fuisse usitatas. At nos non hac solum ætate vetustiores esse dicimus vulgares numerandi notas, sed plane ipsa esse elementa Græcorum: quæ Senecæ & Boetii ætate ita jam a nativa forma degeneraverant frequenti calculorum Pythagoricorum usu, ut nec a Boetio agnita sint. Putavit enim conficta fuisse a Pythagoricis, quæ ab iis fuerant corrupta. Subjicit deinde literas quoque Alphabeti ab iisdem fuisse in numerando ascitas. Quod de literis Romanis dici non potuit, quippe quæ ad operationes arithmeticas ineptæ sint. Ergo Pythagorici literas easdem, vel integras nativa forma calculis suis adhibebant, vel adulteratas & corruptas. Neque notas solum, sed & decuplam progressionem numerorum Arabes a Græcis mutuati sunt. Non enim putandum est peculiare quippiam inesse progressioni huic, quamobrem aliæ ascisci non potuerit; vel ita pervulgatam fuisse, ut nullam aliam usurpare potuerint. Duodecupla progressio longe utilior est decupla; nam plures recipit partitiones duodenarius numerus, quam denarius. Verum homines decupla & quintupla progressione usi sunt, propter numerum digitorum, quos quum primum ad signandos numeros adhiberent, progressionibus hisce assuefacti sunt. Id aperte liquet ex eo quem proxime indicavi loco Boetii. Arithmeticæ notæ Romanorum, progressionem quintanam & binam servant, ex quino digitorum, & bino manuum numero, quæ facilia sunt & expedita numerandi instrumenta. Americani Topinambæ nullos supra quinque numeros norunt: unicam scilicet manum numerando adhibere soliti. Aliam quoque per manus, & digitos, & digitorum articulos numerandi rationem a Græcis acceptam, Romani usurparunt. Cum ipsa ergo numerandi scientia, aliisque doctrinis, arithmeticas quoque notas a Græcis acceperant Arabes, & ut Græcanicæ scripturæ insueti erant, deformarunt: quas cum ita vitiatas sparsissent per orbem, earum auctores a plerisque habiti sunt, qui corruptores erant. Quidam acceptas retulerunt Indis, qui eas perinde ut occidentis incolæ ab Arabibus habuerunt. In ea sunt opinione ipsi quoque Arabes; ultro agnoscentes sibi non deberi notarum illarum inventionem, sed falsi in vera earum assignanda origine. Atque id quo planius fiat, sciendum est propriis numerorum characteribus Arabes caruisse, ac propterea notariis Christianis esse usos; & vetuisse Walidem Chalifam Syriæ ullas numerorum notas in rationario imperii adhiberi; quod Græcas, quæ hactenus fuerant in usu, aspernarentur; Arabicæ vero deessent: *Quoniam*, inquit Landulfus Sagax, *impossibile est illorum lingua monadem, vel dualitatem, aut trinitatem, aut octo & dimidium, aut tria scribi; propter quod & usque hodie notarii sunt Christiani.* Quæ sane ita non fuissent, si habuissent notas numerorum. Immerito itaque Sagax reprehenditur a Seldeno, hac potissi-

Boet. Geometr. l. 1. sub fin.

Landulf. Sag. l. 20. & 22.

Seld. Præf. in Eutych.

potiſſimum ratione, quod Arithmeticas notas ab Arabibus Europa acceperit; cum eas e contrario Europæ Arabes debeant. Hoc argumentum doctiſſime, pro more ſuo, nuper perſecutus eſt Stephanus Monachius, ſingulare patriæ noſtræ, noſtræque adeo ætatis ornamentum, receptamque ſententiam defendit: neque tamen qui jure veteris noſtræ amicitiæ cætera omnia poteſt apud me, tantum poteſt apud me rationibus ſuis, ut ab opinione mea diſcedam; nec plus tribuere poſſum exquiſitis ejus argumentis, quam ipſi oculorum meorum teſtimonio. Nam quod ex nomine Sifrarum, quod nomen Arabicæ eſt originis, colligit ejusdem eſſe originis Sifras ipſas; pari argumento colligere poſſum, literas Romanis Romanæ eſſe originis, quod nomen ipſum literarum Romanum ſit; cum tamen certum ſit detortas eſſe ex Græcis; item Græcas literas Græcæ eſſe originis, quod nomen ipſum earum, γράμματα, Græcum ſit: cum tamen certum ſit detortas eſſe ex Phœniciis. Quod autem uſum notarum illarum in arte numerandi Arabibus deberi docet, non de uſu, ſed de origine agimus. Notas a Græcis accepiſſe dicimus Arabes; uſum vero earum emendaſſe & amplificaſſe non negamus. Sic Græci literas acceperunt a Phœnicibus, uſum earum ſitumque mutarunt. Quanquam & magna ſcientiæ hujus pars vulgo adſcribitur Arabibus, quam a Græcis inventam excoluerunt & interpolarunt. Ad Algebram fere ipſius præiverunt Græci, ut Arabes ipſi Vietæ. Et mirum ſane eſt notarum illarum inventionem tribui Arabibus, quam exoticam eſſe Arabes ipſi fatentur. Viderunt quidem ſuas non eſſe; at cujates eſſent, pervidere non potuerunt, Indicasque putarunt eſſe, quæ Græcæ erant. Deſcriptionem Abaci Pythagorici ex veteri codice Geometricorum Boetii miſit ad me doctiſſimus Grævius, elegantiorum Muſarum pater; cujusmodi codice uſum ſe ait Voſſius in Melam. Multum vero ab editione typis impreſſa diſcrepat iſta deſcriptio: non ſolum quoad formam notarum arithmeticarum, quæ noſtrarum vulgarium perſimiles ſunt, ſed etiam quoad collocationem illarum atque ſitum: nam a dextra progrediuntur ad ſiniſtram; cum e contrario in libro typis deſcripto a ſiniſtra procedant ad dextram. Nec id factum putes, quod literæ Arabicæ ſint, & Arabico more collocatæ: ſed quod minoris valoris numeri collocari ſoleant ad dextram; majoris ad ſiniſtram. Itaque vulgarem numerorum collocandorum morem retinuit librarius ille; cum libri Boetii editi vulgarem noſtram ſcribendi rationem ſecuti ſint. Præterea in codice illo manu ſcripto ad notas arithmeticas appoſita ſunt vocabula quædam quorum nonnulla originem Ebraicam præferunt: puta quaternarius appellatur *Arbas*, quod eſt ארבע: quinarius, *Quimas*, quod eſt חמש: ſeptenarius, *zenis*, fortaſſe *zevis*, quod eſt שבע: octonarius, *Temenias*, quod merum eſt Chaldaicum תמניא: factum ex Ebraico שמנה. Addita autem ſuſpicor hæc vocabula a librario, in gratiam Orientalium; cum codicem fortaſſe deſcripſerit eo tempore, quo literæ Arabicæ florebant. Sed hæc erant alterius loci.

Refelluntur argumenta Rabbinorum ſuper utrisque.

X. Plane vero aſpernamur deliria Rabbinorum, qui ut Samaritanæ ſcripturæ eriperent gloriam ſanctitatis, & in Judaicam hodiernam qua utuntur transferrent, nihil non moliti ſunt. Quidam affirmare auſi ſunt Judaica ſcriptura exaratam primum fuiſſe Legem & reliquos deinde Libros ſacros; ac ſanctam fuiſſe ſcripturam hanc, & rebus ſanctis deſtinatam; Samaritanam vero profanam, & in rebus profanis a majoribus ſuis uſurpari ſolitam; cujus intermiſſo in Babylonia uſu Judaicam ſolum retinuerint. Sic R. Obadias de Bartenora, ſic R. Jacob in Oculo Jacobi, ſic R. Juda Muſcato in librum יוחסין Cozri, ſic R. Azarias in Meor enaiim, ſic alii multi. Probationes opinionis hujus ſolidas afferunt omnino nullas, nec vero quas afferant ullas habent; tantum ſomnia ſua ſic tanquam κυρίας δόξας (*Axiomata*) valere volunt. At Thalmudiſtæ Angelum ſcripturæ hodiernæ auctorem fingere maluerunt. Eum enim qui inter Baltaſſaris epulas muro verba hæc inſcripſit, Mane, Thekel, Phares, hodierno Judæorum charactere uſum narrant, hunc ſuis Danielem tradidiſſe, Eſdram vero Libros ſacros eo poſtmodum deſcripſiſſe. Sic & R. Selomoh Jarchi, & R. Samuel Japhe in libro cui nomen eſt Pulcher viſu. Addit ille characterem hunc ſtatim didiciſſe, non Judæos ſolum, ſed Aſſyrios quoque; nec enim Samaritanum fuiſſe, aut Aſſyrium, ſed prorſus novum & ab Angelo inventum. Nempe pude-

Obad. in Miſn. traſt. ſect. 4. Num. 5. Cozri c. 68. Azar. Meoreu. Part. 3. c. 58.

Thalm. in Sanhedr. ſect. 2. & ibi R. Selom.

Digitized by Google

pudebat Rabbinos ſcripturam ab Aſſyriis accepiſſe: quod ne faterentur, omnia mendaciis ſuis miſcere maluerunt. Verum cum in tribus dictionibus, Mane, Thekel, Phares, Angeli manu ad murum exaratis, non omnes reperiantur Judaicæ literæ, ecquem reliquarum auctorem jactabunt? Valeant ergo cum ſuis deliramentis Rabbini: nos certis inſiſtentes veſtigiis, non κατοβατοῦντες. *(diſcurrentes per aerem)* nec temere errantes veritatem ſectamur.

CAPUT DECIMUM-QUARTUM.

I. *Refelluntur argumenta adverſus γνησιότητα librorum Moſis.* II. *Primum argumentum.* III. *Secundum argumentum.* IV. *Tertium argumentum.* V. *Quartum argumentum.* VI. *Quintum argumentum.* VII. *Sextum argumentum.* VIII. *Septimum argumentum.* IX. *Octavum argumentum.* X. *Nonum argumentum.* XI. *Decimum argumentum.* XII. *Undecimum argumentum.* XIII. *Duodecimum argumentum.* XIV. *Decimum-tertium argumentum.* XV. *Decimum-quartum argumentum.* XVI. *Decimum-quintum argumentum.* XVII. *Decimum-ſextum argumentum.* XIIX. *Decimum-ſeptimum argumentum.* XIX. *Decimum-octavum argumentum.* XX. *Leviculæ quædam mendæ Pentateuchi ac reliquorum etiam Scripturæ ſacræ librorum codices inſederunt.*

Refelluntur argumenta adverſus γνησιότητα librorum Moſis.

I. Cum ea ſit demonſtrationum ratio, ut veritatis inquiſitione ac inventione contentæ, contrariis argumentis reſpondere negligant; idque merito, quoniam ſimplex eſt ac unica veritas, eaque reperta ac demonſtrata, quæcunque opponuntur, falſa eſſe neceſſe ſit; ego jure hoc poteram uti, & poſtquam ex principiis noſtris genuinos eſſe Moſis libros recte concluſi, contrariis rationes aſpernari; & labore reſponſionis ſupersedere. Verum quoniam plurimis de facto quæſtionibus conſtant argumentationes noſtræ, proindeque nonnullis ſunt difficultatibus obnoxiæ, colligemus rationes aliquot, quibus impugnatur Pentateuchus Moſis; non eas quidem quæ objiciendo ſæpius ac repellendo jampridem contritæ ſunt, ſed recentiores quasdam & noviſſime inventas; vel jamdiu quidem objectas, nondum tamen pro eo ac meritæ ſunt dilutas & confutatas. Multos enim ſua ætate extitiſſe teſtatur Euſebius, a quibus Moſis hiſtoria, falſa & belle excogitata credebatur. Prodiit vero nuper e tenebris in lucem Tractatus, uti præ ſe fert, Theologico-Politicus, cujus Scriptor philoſophandi libertatem affectans, non ſolidæ tantum pietatis, & ſinceræ Theologiæ, ac totius Chriſtianiſmi fundamenta convellit, ſed ſanam etiam Politicen ac rectam Philoſophiam funditus labefactat; planeque eo inclinat, ut exitialem ac peſtiferam & nimis hac ætate contagioſam Deiſtarum, ut vocant, hæreſim tueatur. Res eſſet operæ levis & exigui laboris, vanitatem & impietatem ſcriptionis hujus merita confutatione retundere: ſed quoniam nobis ab inſtituto in præſentia divertere non licet, aliquas tantum ejus partes quæ ad noſtrum pertinent propoſitum adoriar, & ſuam ſacris Codicibus dignitatem, quæ hac oppugnatur lucubratione, defendere conabor. Quoniam autem omnia undecumque adverſus Moſem collegit venena, & partem argumentorum ſubminiſtrarunt ipſi Aben Ezræ Explanationes; partem Syſtema Theologicum ex Præadamitarum hypotheſi, pernicioſum itidem opus, ſed cujus virus ſalubri pœnitentia Auctor eluit; partem etiam Thomæ Hobbeſii Angli Leviathan; omnium argumenta una opera diſcutiam.

Euſeb. de vit. Conſt. l. 1. c. 12.

Syſt. Præad. l. 4. c. 1.

Hobb. Leviath. c. 33.

Primum argumentum. II. Principio igitur Aben Ezræ teſtimonium profert Scriptor Theologo-Politicus, quo teſtimonio ſex argumenta continentur adverſus Moſaici Pentateuchi γνησιότητα *(ſinceritatem.)* Primum petitur ex his verbis Deuteronomii: *Hæc ſunt verba quæ locutus eſt Moſes ad omnem Iſrael trans Jordanem.* Hæc, inquiunt, ſi ſcripſiſſet Moſes, non *trans Jordanem*, ut hic & alibi etiam in Deuteronomio, ſed *cis Jordanem* ſcribere ſe notaſſet, quippe qui Jordanem non transgreſſus ſit: at liquet Deuteronomii Auctorem, quem Eſdram eſſe cenſent, in terra ſancta fuiſſe, cum hæc ſcriberet; cujus habita ratione Campeſtria Moab, in quibus Moſes extremum ad Judæos verba faciens Legem iteravit, ſunt trans Jordanem. Ad argumenti hujus levitatem cognoſcendam conſulenda ſunt Ebraica, quæ habent בעבר, hoc eſt ad verbum, *in tranſitu*; quæ locutio aliquando citeriora,

Tract. Theologico-Pol. c. 8.

Deut. 1, 1.

Digitized by Google

aliquando ulteriora designat: quemadmodum & vox עבר, quando vim præpositionis assumit, non solum *trans*, sed & *cis* sonat: nec aliud habent vocabulum Ebræi, quo citeriora denotent. Hinc Pagninus: *Fere, quum cis intelligunt, dicunt* בעבר; *quum trans*, מעבר. Exponunt quoque *cis* & *trans* Schindlerus & Buxtorfius. Rem probabimus exemplo.

Num. 32, 32. In libro Numerorum fatentur Gaditæ & Rubenitæ se terras incolendas cepisse מעבר *trans Jordanem.* Alio libri ejusdem loco Deus Israelitis assignat urbes refugii tres מעבר *trans Jordanem*, tres in terra Chanaanitide. In

Deut. 3, 1. libro Deuteronomii Moses res gestas Israelitarum narrans, *Tulimusque*, inquit, *illo in tempore terram de manu duorum regum Amorrhæorum, qui erant* בעבר ירדן, hoc est, *cis Jordanem*; nam Amorrhæi illi reges, Og nempe rex Basan & Sehon rex Hesebon, ratione habita Mosis scribentis, erant cis Jordanem. Inde fit ut pluribus Deuteronomii locis, post בעבר הירדן, & עבר הירדן, subjungatur, *ad orientalem*, vel *ad occiduam partem*; ad vitandam nimirum ambiguitatem, & apertius designandam vel citeriorem, vel ulteriorem partem. Nunc retorquere libet argumentum. Leguntur ista postremo capite Geneseos: Veneruntque ad aream Atad, quæ sita est בעבר הירדן *trans Jordanem.* Et deinde: *Et idcirco vocatum est nomen loci illius, Plantus Ægypti, qui est* בעבר הירדן *trans Jordanem.* Si Pentateuchum scripsit Esdras in Chananæa, ad occasum Jordanis, ut volunt, loca hæc utique ad orientem Jordanis quærenda erunt, quæ tamen ad occasum Jordanis sita esse constat. Contra vero si Mosem libri auctorem dicamus, cum hæc scripserit nondum transmisso ab Ebræis Jordane, loca hæc ad occasum Jordanis assignaverit, pro eo ac debuit. Vides igitur vocem בעבר ambiguæ esse significationis, & nunc ulterioribus, nunc citerioribus locis notandis ab eodem Scriptore adhiberi.

Secundum argumentum. III. Secundum argumentum ex his Aben Ezræ verbis depromitur: *Modo intelligas mysterium duodecim.* Quorsum hæc pertineant, intelligere se negat Auctor Tractatus Theologico-Politici, sed tamen significare conjectat, vel Aram in monte Hebal a Josua extructam ex mandato Mosis, quæ juxta Rabbinorum somnia lapidibus duodecim constabat, cuique lex Mosis fuerat inscripta. Atqui, inquit, tam exiguo spatio Pentateuchus inscribi non potuit, unde sequitur Pentateuchum non esse legem Mosis. Vel notari suspicatur duodecim Maledictiones vicesimo septimo Deuteronomii capite memoratas, *quas*, inquit, *fortasse credidit* Aben Ezra, *non fuisse in Libro Legis descriptas, idque propterea quod Moses præter descriptionem Legis Levitas insuper recitare illas Maledictiones jubet, ut populum jurejurando ad leges descriptas observandum adstringerent.* Vel notari denique putat postremum Deuteronomii caput; quod versibus continetur duodecim, & quo narratur Mosis interitus; proindeque ab alio quam a Mose scriptum esse tam caput illud, quam reliquum Pentateuchum. Ex hac opinionum varietate & inconstantia, conclusionis apparet futilitas. Ad primam quod attinet, meminisset Disputator ille ingentes fuisse lapides, juxta verba Deuteronomii, quibus constabat Ara hæc Hebalitana. Quod autem ex Rabbinorum auctoritate duodecim eos fuisse vult, merito somnium hoc rejicimus; cui originem præbuerunt, ni fallor, duodecim illi lapides, quos de medio Jordanis alveo in castra Josue referri jussit. Meminisset præterea non universum Pentateuchum, sed Deuteronomium duntaxat in Hebalitana Ara fuisse descriptum. Sic enim habetur in libro Josuæ: *Et scribit* Jos. 8, 32. *super lapides Deuteronomium legis Moysi, quod ille digesserat coram filiis Israel.* Videat nunc egregius ille libertatis philosophicæ vindex, quid inde adversus Pentateuchum possit concludere. Secundam opinionem de duodecim Maledictionibus, quoniam mera conjectura est, meris innixa conjecturis, quibus nihil simile proferre debet, sed certissimis rationibus pugnare, quisquis antiquissimam & receptissimam sententiam tentat convellere, non responsione, sed risu excipimus. Tertia demum opinio, quæ his Aben Ezræ verbis notari statuit versus duodecim postremi capitis Deuteronomii, quam frivola sit & inepta intelligunt ii, qui sacrorum Codicum per versus distinctionem Mose longe recentiorem esse sciunt. Docet enim Elias Levita Legem omnem olim versum unicum fuisse, & a Magistris Tiberiadis, diu post Urbis excidium, divisam fuisse per versus. Mox autem argumentum refellemus, quod ex interitus Mosis narratione ad finem Pentateuchi adnexa oritur.

Elias Lev. in Massorhammasloreth.

IV. Ter-

Digitized by Google

Tertium argumentum. IV. Tertio argumento materiam ſubmi-
Deut. 31, 9. niſtrant hæc Deuteronomii verba e triceſimo primo capite: *Scripſit itaque Moyſes legem hanc, & tradidit eam Sacerdotibus filiis Levi.* Id volunt alterius eſſe Scriptoris, res a Moſe geſtas referentis, non Moſis ipſius: Moſem quippe cum legem ſcriberet non potuiſſe ſcribere ſe eam Sacerdotibus tradidiſſe; ſcriptum igitur id ab alio poſtmodum fuiſſe. Sciant vero dicta hæc eſſe de Deuteronomio, quod in capite viceſimo nono deſinit: traditum id fuiſſe deinde Sacerdotibus a Moſe, & demum Pentateucho inſertum. Quod cum faceret Moſes, poſteriora attexuit Deuteronomii capita, in iisque notavit ſe id Sacerdotibus tradidiſſe.

Quartum argumentum. V. Hæc habentur duodecimo Geneſeos
Gen. 12, 6. capite: *Pertranſivit Abram terram* Chananæam, *usque ad locum Sichem, usque ad Convallem illuſtrem: Chananæus autem tunc erat*
Gen. 13, 7. *in terra:* & hæc capite ſequenti: *Unde & facta eſt rixa inter paſtores gregum Abram & Lot. Eo autem tempore Chananæus & Pherezæus habitabant in terra illa.* Inde concludunt hæc a Moſe ſcripta non eſſe: manifeſtum quippe eſſe Chananæum jam non fuiſſe in Chananæa terra, quo tempore hæc ſcribebantur: nam ſi fuiſſet, quorſum addidiſſet Scriptor, tunc fuiſſe in Chananæa, tempore nempe de quo ſcribit, cum etiam tum eſſet hoc tempore quo ſcribit? Atqui Moſis tempore nondum patriis finibus depulſi erant Chananæi. Minime igitur hæc Moſi adſcribi poſſunt. Cui rationi ipſe occurrit Aben Ezra: ait enim hoc commate ſignificari, vel Chananæos jam tum in terra hac ſedes poſuiſſe, quando illuc venit Abram; vel aliud ineſſe rei huic myſterium, hoc eſt, jam his locis fuiſſe exterminatos, cum hæc ſcriberentur, proindeque Moſem auctorem non habere. En tibi igitur expoſitionis Aben Ezræ disjuncta membra duo: vel, jam tum Chananæus erat in terra; vel, etiam tum Chananæus erat in terra: hoc eſt, ἢ ἤδη ἦν ἐν τῇ γῇ, ἢ ἔτι ἦν ἐν τῇ γῇ· quorum poſterius, quoniam impietati ſuæ favet, arripit Theologico-Politicus Auctor; nos, quoniam veritati ſtudemus, in priore acquieſcimus. Atqui negant dictionem Ebraicam אז hoc loco adhibitam ſignificare ἤδη, *jam*, ſed utendum fuiſſe vocibus אז מן, vel מאז, minime hi intelligunt ſe Aben Ezram Ebraicam linguam docere velle. Neq; enim ſine cauſſa notavit Moſes Chanaanitidem terram jam tum invaſiſſe Chananæos, cum illuc primum venit Abraham: quippe id ignorare poterat Chronologicæ rei imperitus Lector, cum vix quadringenti Chananæorum inter & Abrahami adventum interceſſerint anni: qui niſi monitus fuiſſet, cum qua deinceps gente victurus eſſet Abrahamus, obſcuram tantum & intricatam rerum habuiſſet notitiam.

VI. Naſcitur quintum argumentum ex *Quintum argumentum.* viceſimo ſecundo capite Geneſeos, ubi mons Moriia appellatur הר יהוה יראה, *Mons Do-* Gen. 22, 14. *minus videbit;* quo nomine tum primum vocari cœptum eſſe volunt, quando ædificationi Templi deſtinatus eſt: quod nonniſi poſt Moſem contigit. Unde ſequitur librum hunc Moſe recentiorem eſſe. Atenim ſi quis negaverit tum primum appellatum eſſe montem *Dominus videbit*, cum extructioni Templi dicatus eſt, ruet Argutatoris noſtri ratiocinatio. Et merito fane id negabitur: quid enim clarius his verbis: *Appellavitque* Gen. 22, 14. Abraham *nomen loci illius, Dominus videt.* Scio Hieronymum in Traditionibus Ebraicis, ex Ebræorum doctrina, non ex ſua, ſcribere montem Moriiam exponi *Illuminantem* & *Lucentem*, &, ut vertit Aquila Judæus, κατοφανῆ (*conſpicuum*) quia cum eum eſſe putent, in quo Templum extructum eſt, ibi putant eſſe Dabir, hoc eſt, oraculum Dei & Legem & Spiritum ſanctum. Verum id ſibi vult Hieronymus, Ebræos cum Moriiam interpretantur *Illuminantem*, ejusmodi interpretatione alludere ad rem nomine illo longe recentiorem, ædificationem nempe Templi, atque hanc eſſe cauſſam, non nominis, ſed interpretationis nominis. Cæterum Hieronymus ipſe & Symmachus eamdem eſſe cenſent originem nominis מריה & nominis Gen. 22, 2. יהוה יראה, *Dominus videbit*, nempe ראה *vidit:* vertit enim Hieronymus, ארץ המריה, *terram viſionis;* Symmachus, τῆς ὁπτασίας, Gen. 22, 8. (*viſionis*) a viſo nempe Angelo & Hirco; at *Dominus videbit*, a reſponſione Abrahami ad filium: *Deus providebit ſibi victimam holocauſti, fili mi.* Quanquam non ignoro alias afferri nominis Moriia interpretationes a Rabbinis: ſed hæ nihil ad rem. Ex hac porro voce יראה, *videbit*, & altera *Salem*, nomen habuit Jeruſalem: Salem enim Melchiſedeci regiam, ipſam eſſe Jeruſalem pluribus probare poſſem.

Digitized by Google

Sextum argumentum. VII. Ex tertio denique Deuteronomii capite sextum constat argumentum Aben Ezra. Deut. 3. 10. 11. Illic de Ogo Basanitarum rege differens Historicus hæc scribit: *Solus quippe Og rex Basan restiterat de stirpe gigantum. Monstratur lectus ejus ferreus, qui est in Rabbath filiorum Ammon, novem cubitos habens longitudinis, & quatuor latitudinis, ad mensuram cubiti virilis manus.* Auctor Systematis Præadamitici, eumque assectatus Auctor Tractatus Theologico-Politici, his contendunt indicari novitatem Scriptoris Pentateuchi: nam, inquiunt, si eum scripsisset Moses, quorsum Ogi proceritatem ex lecti ferrei magnitudine probasset Israelitis, qui Ogum ipsum pugnantem, & cæsum deinde, ac humi jacentem conspexerant? Unde factum, ut lectus ille non in Basanitide terra viseretur, sed in urbe Ammonitarum Rabbatha; nisi ex temporum longitudine, quæ omnia mutare consuevit? Responsio est in promptu, etsi Israelitarum magna pars Ogum ipsum vel vivum, vel cæsum spectaverit, complures tamen ex ingenti eorum numero spectaculo huic non interfuisse; pueros, senes, feminas, ægrotos, absentes. Sciendum præterea non suæ solum ætatis Ebræis, sed futuris etiam legem posuisse Mosem, & historiam scripsisse. Hos ergo ut de portentosa Gigantis illius mole faceret certiores, quæ creditu difficilis erat, lectum ejus prostare ait Rabbathæ, & suis dictis fidem facere. Quod autem diuturnitatis argumentum esse putant, lecti hujus transvectionem ex Basanitica regione in urbem Ammonitarum Rabbatham, id Lectorum æquitati dijudicandum relinquo. Quasi non adversus Israelitas præliaturus Og, & eventum reformidans, domesticum instrumentum & pretiosam supellectilem in tuto collocare potuerit apud Ammonitas, quos sciebat Israelitarum armis fore intactos: quasi Basanitidis regionis sectionem pro jure suo vendere non potuerit victor Moses, atque ita lectus ille ferreus ad Ammonitas pervenire.

Syst. Præad. l. 4. c. 1. Tr. Theol. c. 8.

Porro, ut id obiter moneam, non unum hoc extat testimonium apud Veteres, quo lectos ferreos in usu ipsis fuisse cognoscitur. Thucyd. l. 3. Narrat Thucydides Thebanos excisis Plateis, ex reperto illic ære ac ferro lectos fabricasse, Curt. l. 8. c. 27. quos Junoni dedicaverunt. Apud Curtium Alexander milites suos argenteis dicit cubitare lectis, cum paulo ante nihil haberent præter arma. Elagabalum quoque solido argento factos habuisse lectos & tricliniares & cubiculares perhibet Lampridius. In aureo lecto tricliniari accubuisse Didonem videtur significare Virgilius, cum ait: Lamprid. Heliog. c. 20

Aulais jam se regina superbis
Aurea composuit sponda. Virg. Æn. 1.

Argentea triclinia Punica & Deliaca Plinio memorantur. Quem morem, ut credere par est, ex Syria, in qua sita erat Basanitis regio, Elagabalus, & Dido, & Pœni attulerunt. Is autem mos toto Oriente invaluerat. Utebatur Salomo lectica, cujus argenteæ erant columnæ, stratum aureum: Assuetus lectis aureis & argenteis. Cyrus post mortem in urna conditus est, urna lecticæ imposita, cujus pedes erant aurei. In supellectile domestica lectos pedibus argenteis habuit Alexander, postquam Macedonicam temperantiam fregit Persarum luxus. Calanus in aurea lectica rogo imponi voluit. Herodis aurei & gemmati lecti memorantur. Sabæi lectos argenteis instruebant pedibus; & apud Pancheos lectus aureus Jovi consecratus erat sex cubitos longus, quatuor altus: ac si tribus cubitis Ogo brevior fuerit Juppiter ille Panchaicus. Est apud Plutarchum, Lucullum post debellatos Orientis reges Mithridatem & Tigranem lectos aureos in triumpho inter manubias traduxisse. Scribit idem Iberum regem, lectum, mensam, & thronum, omnia aurea, ad Pompejum dono misisse. Aureo lecto cubiculari Cæsar in Bithynia exceptus est. Damnat lectorum aureorum & argenteorum usum in Alcorano Muhammedus, vir scilicet frugi & continens. Valet is autem etiamnum in Oriente. Nec eo caruerunt Romani Carvilius Pollio eques Romanus primus inter suos argentum tricliniis addidisse traditur. Lectos quoque aureos fecit. Auctor Plinius. At duo tantum triclinia argentea Romæ fuisse ante Sullæ victoriam proditum est a Cornelio Nepote. Mox autem increbuit eorum usus. Sed & aureorum & æneorum lectorum meminerunt Seneca, Juvenalis & Martialis. Atque ex hoc more lectos aureos tricliniares apud inferos exhibet Virgilius. Mentio fit & apud Scævolam, libro tertio Responsorum, grabati argento inaurato tecti. Nec luxu hoc caruerunt Græci. Ulyssis lectum auro, argento, & ebore exornat Homerus. Notat Scholiastes

Plin. l. 33. c. 11.
Plutarch. Lucull.
Plutarch. Pomp.
Plin. l. 33. c. 11.
Com. Nep. apud Plin. l. 34. c. 11.
Virg. Æn. 6.
Hom. Od. 4.

Digitized by Google

Schol. Aristoph. Equitib. liasses Aristophanis lectis olim additos fuisse carbunculos & electrum, suo vero tempore argentum & stannum: quod & de sua ætate Plutarchus observat. Sed & ante annos trecentos Ludovici Comitis Flandrensis cunabula argentea fuisse notat Frossardus. Quod idcirco refero, ut Interpretibus nonnullis reconditum aliquod mysterium hic apud Mosem anxie scrutantibus gratificer.

Plut. de Superstit. Fross. l. 2. c. 103.

Septimum argumentum. VIII. Sex illis argumentis ex Aben Ezra sumtis sua subnectit Disputator Theologo-Politicus, quorum primum ab Auctore Systematis Præadamitici jam ante usurpatum arcessit ex his ejusdem capitis Deuteronomii verbis; *Jahir filius Manasse possedit omnem regionem Argob, usque ad terminos Gessuri & Machati, vocavitque ex nomine suo Basan, Havoth Jahir, id est villas Jahir, usque in præsentem diem.* Ex quibus postremis verbis concludit Disputator, longo post Mosis mortem tempore hæc esse scripta. Nos vero fatemur Scripturæ sacræ reparatorem Esdram, sicubi se darent obscuriores aut difficiliores loci, huc & illuc de suo nonnulla in Libros sanctos explicationis caussa insarsisse. Præterea cum tot descriptionibus propagati sint Codices sacri, ut nullus unquam libri tot extiterint exemplaria, quid mirum si quod alias sæpe evenit, factum hic quoque sit, & adtextæ ad oram a viris piis & doctis notæ in ipsum forte contextum irrepserint? Hujusmodi locum hunc esse utique non negamus. Scio eadem hæc emblemata ad Samaritanos codices accusa reperiri, ac propterea non videri ab Esdra profecta: ea erat Samaritanæ & Judaicæ gentis dissensio. At notavimus supra veri absimile non esse, inexpiabile hoc dissidium ad privatos homines ac præsertim studiosos neutiquam pertinuisse, nec eos sibi vetitum putasse mutuum Mosaicorum exemplarium usum, unde accuratiorem Legis cognitionem sperare possent.

Tr. Theol. c. 8. Syst. Theol. l. 4. c. 1. Deut. 3, 14.

Octavum argumentum. IX. Quoniam Auctor Pentateuchi de Mose ita loquitur, quasi alia persona sit, eumque variis præterea ornat elogiis, & ipsius prædicat laudes, ac vitia carpit; contra vero in Deuteronomio, ubi Legem ad populum recitans inducitur Moses, & gesta sua narrans de se ipse ex propria loquitur persona; tum deinde post hanc narrationem alia denuo succedit persona, quæ reliqua Mosis acta ad ejus usque obitum persequitur; hinc octactum exurgit argumentum. Cui sic occurritur, suppositiam quoque dicendam. Κύρου ἀνάβασιν *(Cyri expeditionem)* suppositios Cæsaris Commentarios, & Josephi libros de bello Judaico, & Procopii historiam, & ipsum Matthæi Evangelium, (uti hac ipsa ratione deceptus asseverabat Faustus Manichæus) in quibus Xenophontis, & Cæsaris & Josephi, & Procopii, & Matthæi mentio fit, tanquam diversarum ab iis personarum: quod cum sutile sit, sutile illud quod adversus Mosaicum Pentateuchum objicitur. *Moris Scripturæ sacræ est*, inquit Gregorius Magnus, *ut ipsi qui scribant, sic de se in illa quasi de aliis loquantur. Hinc est enim quod Moyses ait, Erat Moyses vir mitissimus super omnes homines, qui morabantur in terra. Hinc Johannes dicit, Discipulus ille quem diligebat Jesus. Hinc Lucas ait, quod ambularent duo ex discipulis in via, Cleophas, & alius.* Deinde: *Scriptores igitur sacri eloquii, qui impulsu sancti Spiritus agitantur, sic de se in illo testimonium, quasi de aliis proferunt.* Minime porro mirandum est, Mosem alias ubique de se tanquam ex diversa persona locutum, propriam induere personam, dum ad Israelitas verba facit in Deuteronomio: hic enim loquitur, illic scribit: atqui scribenti alienam quidem assumere personam licet, loquenti non licet, & perridiculum sane foret. Quod si virtutes suas jactare alicubi visus est, minime id quidem arroganter fecit, sed pro suo candore; quo fit ut errata ipse sua alias etiam ingenue agnoscat. Sic Josephus Historicus sua sæpe merita decantat, Judæorum omnium prudentissimum esse se quandoque significat, cum & errores suos alias fateatur: nec idcirco tamen ab eo libros ipsius abjudices.

Aug. adv. Faust. l. 17. c. 1. Gregor. Magn. Præf. in Job. c. 2. Joseph. de bell. Jud. l. 3. c. 14. & 24. & de vita sua sæpe.

Novum argumentum. X. Quod ad interitus Mosis, sepulturæ, & Ebræorum luctus narrationem pertinet, & reliquorum quæ ad calcem Deuteronomii adtexta sunt, unde novum colligitur argumentum, pervulgata est omnium confessio; id vel a Josua, vel a Synagoga magna, vel ab Esdra denique fuisse adjectum. Nam post solutam captivitatem, Babylonicam, & reversos in patriam Israelitas, Esdræ studio recognitos fuisse Libros sacros suo loco demonstrabimus. Minime vero probabilis videtur Josephi sententia, qui Mosem ipsum suam in literas mortem retulisse vult κατὰ

Joseph. Antiq. l. 4. c. ult.

πρόληψιν

Maim. in Tract. de precib. & ben. Sac. c. 13.

πρόληψιν *(per anticipationem)* ne se propter virtutem a Deo raptum post obitum Israelitæ opinarentur. A qua sententia non multum diversus abit Maimonides.

Decimum argumentum. Gen. 14, 14. Jud. 18, 29.

XI. E limbo vero in contextum intrudi potuit vox *Dan*, hoc Geneseos loco, ubi dicitur Abraham hostes Loti *persecutus esse usque Dan.* Constat enim ex decimo octavo libri Judicum capite, longe post Abrahamum, & Mosem etiam, Dan appellatam urbem hanc, quæ prius Lais dicebatur. Vel ipse fortasse Esdras, dum Libros sacros recognosceret, vocabulum Lais sua ætate propter vetustatem & desuetudinem ignotum, trita & usitata voce mutavit. Etsi hac exceptione propositum argumentum satis refellitur, malim tamen Josephi subsidio uti. Dan hic esse vult alterum e Jordanis fontibus. Ex duobus quippe fontibus & rivulis Jor & Dan, Jordanis flumen & nomen coaluisse Josephi, ut videtur, opinio est, & Hieronymi, & Philostorgii, apud Johannem Antiochenum περὶ ἀρχαιολογίας *(de rerum antiquarum historia.)* Id si sit, certe antequam urbi Lais nomen Dan indidissent Danitæ, alter fontium Jordanis Dan nomen habuit: nam Jordanis nomen Dane urbe vetustius est. Hunc ergo Dan fluviolum significavit Moses, cum diceret Abrahamum hostes usque ad Dan esse persecutum.

Joseph. Antiq. l. 3. c. 11.

Joh. Ant. apud Salm. in Solin.

Sententiæ nostræ homines exquisitæ eruditionis suffragari se palam professi sunt. Extitit tamen aliquis, qui hæc aperte impugnare auderet; non Marte quidem suo, homo est enim minime malus, sed alterius cujusdam instinctu. Unicum autem sive ipsi, sive ipsius impulsori, carpendæ opinionis nostræ argumentum fuit, quod credibile non sit Abrahamum tam exiguis succinctum copiis, per longinquum adeo spatium insequi potuisse quinque Regum exercitus, inopinata irruptione fractos jam & territos; nec illis ad restituendam aciem adversus tam invalidum hostem animum fuisse. Ratus est nempe bonus ille vir impetum in eos primo fecisse Abrahamum, & profligatos carpendo deinde & cædendo persecutum esse Dan usque. Quod contra est; manifestis enim verbis narrat Moses abiisse Reges illos, postquam populati sunt Sodoma & Gomorrham, & Lothum captivum abduxerunt. Quod cum nuntiatum esset Abrahamo, copiolis suis expeditis adeuntes perfecutus est, securosque tandem & incustoditos nactus prope Dan, castra eorum noctu aggressus, magna internecione cecidit; tumque perculsos a Dan ad Hobam usque, quæ ad lævam, hoc est ad Septentrionem Damasci jacet, est insecutus. Lares suos repetentem Abrahamum, & Salemum quæ in hac via est prægredientem liberaliter excepit Melchisedecus rex, & muneribus affecit. Hæc differens Josephus quinque dierum iter confeciſſe vult Abrahami exercitum; quinta enim nocte eum ait Assyrios invasisse; redeunti occurrisse Sodomorum regem versus Salemum urbem; in valle regia quæ Salemo proxima est. Præclare autem hæc omnia secum, & cum opinione nostra consentiunt. Re bene gesta patriam repetunt Assyrii, quæ ortum inter & Septentrionem sita erat. Versus has partes progredientibus occurrunt Jordanis fontes; tantum a Sodomis dissiti; quantum homo expeditus quinque diebus peragrare potest. Quinque ergo diebus id emensus Abrahamus, incautos demum adortus, magna clade affecit, instansque a tergo fugientibus, præter Damascum, quæ Jordanis fontibus est proxima, insecutus est: regrediensque domum ea peragrat loca, quæ Ebronem inter & fontes Jordanis sita sunt. Assensum hæc a viro, non dico erudito & acuto, sed tantum æquo impetrare poterant: nec impetrarunt tamen ab eo quem dixi, maluitque alium hic Dan, aliam Damascum comminisci. Dan, inquit, est Danna: Damascus est ager Damascenus, quorum utrumque non multum Ebrone distat versus occasum. Primum confundit Dan & Dannam; דן & דנה, quæ manifesto in Libris sacris distinguuntur. Damascenum agrum in vicinia Ebronis situm, cujus nulla omnino in Libris sacris extat mentio, confundit cum urbe Damasco. Quod vero ridiculum est, reges Assyrios versus Austrum regredientes facit, & patriæ oblitos quæ versus Aquilonem jacebat; & Assyriam locat in Ægypto. Salemum præterea, in quam Abrahamus domum rediens divertit, Dannam inter & Ebronem locare debuit, ad Ebronis occasum quæ ad Aquilonem jacet: sive eam Hierosolymam esse dicas, sive aliam Salemum ad radices montis Gelboe sitam. En quam multa peccat homo simplex & incautus, dum alienæ maledicentiæ morigeratur.

Joseph. Antiq. l. 1. c. 18.

Gen. 14, 11.

XII. De

Undecimum argumentum.

XII. De nihilo est etiam, quod objicitur ex decimo septimo capite Exodi, ubi hæc extant: *Filii autem Israel comederunt Man quadraginta annis, donec venirent in terram habitabilem: hoc cibo alti sunt, usque quo tangerent fines terræ Chanaan.* Nam cum ajunt hæc a Mose scripta dici non posse, quæ post ejus obitum contigerunt, ut liquet ex quinto Josuæ capite, neutiquam ad propheticam facultatem Mosi a Deo concessam attenderunt. Erroribus enim quadraginta annorum addictos a se Israelitas, Mosi & Aaroni multo ante præsignificavit Deus, ut indicat decimum quartum caput libri Numerorum. Ergo & jam tum id Mosi innotuisse, cum Manna e cœlo depluit, credibile est. Hoc si minus verisimile esset, quod verisimillimum est, verba hæc ab Esdra, ut alia quædam, inserta diceremus. Prius illud responsum posteriori huic anteponit Abrabaniel.

Exod. 16, 35 36.

Jos. 5, 12.

Num. 14, 33

Duodecimum argumentum.

XIII. Similiter cum ait Moses Geneseos sexto capite supra tricesimum: *Reges autem qui regnaverunt in terra Edom, antequam haberent regem filii Israel, fuerunt hi:* Deo auctore prænoverat futurum ut aliquando Reges sibi præficerent Israelitæ. Clarius id ostendunt hæc Deuteronomii: *Cum ingressus fueris terram, quam Dominus Deus dabit tibi, & possederis eam, habitaveris que in illa, & dixeris: Constituam super me regem, sicut habent omnes per circuitum nationes, eum constitues quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum.* Sed & alibi prænuntiat, futurum aliquando ut Israelitica gens, cum præfecto ei Rege, in exteras regiones captiva ducatur. Prædicit item fore ut Terræ promissæ incolas carptim exscindat Deus, non universos simul deleat. Duodecimo itidem Deuteronomii capite leges statuit de cultu Templi, quod in Chananæa terra nondum subacta extruendum erat, quippe futurum id monstrante Deo sciebat. Monet quoque Ebræos alio Deuteronomii loco de excindenda Amalecitarum gente, postquam Terræ promissæ compotes facti essent, quod futurum Dei beneficio prævidebat. Plurima hujusmodi a Mose prævisa & prædicta invenies. Quod qui a nobis dictum carpunt, Mosi non libros soluta suos, sed propheticam etiam facultatem eripiunt. Nec est quod addunt plures hic recenseri generationes filiorum Edom, quam quæ a Jacobo Edomi fratre intercedere potuerunt: nam si recte calculum ponere discant, plures etiam intercedere potuisse intelligent. Ruit itaque duodecimum illud Philosophi Theologo-Politi argumentum.

Gen. 36, 31.

Deut. 17, 14

Deut. 28. 36

Deut. 25, 17 18. 19.

Tract. Th. Polit. c. 8.

XIV. Imbecillius etiam est postremum illud, quo concludit Pentateuchum a Mose neutiquam esse scriptum, quod citentur in eo alii Libri, sine dubio a Mose scripti: cujusmodi est Liber Fœderis, & liber bellorum Dei, & Liber legis Dei, qui libri vicesimo quarto capite Exodi, & Numerorum vicesimo primo, & Deuteronomii tricesimo primo commemorantur: atque item Canticum, quod repræsentatur tricesimo secundo capite Deuteronomii. Fac enim Libros omnes illos a Mose fuisse scriptos; quoniam ipse res suas, velut ex aliena persona, non ex propria narravit, consentaneum sane fuit libros quoque suos, ut alienos; non ut suos citare. Mirum præterea est Argutatorem nostrum, virum tam cautum ac suspicionum, nihil ut admittendum censeat, *nisi id quod ex ipsa Scriptura constat, aut quod ex solis ipsius fundamentis legitima consequentia elicitur; at non ex eo quod rationi consentaneum videtur;* pro certo tamen sumere Amalecitanum bellum & Israelitarum stationes scriptas fuisse in libro Bellorum Dei, atque hunc proinde Librum Mosen auctorem habuisse; quoniam tum stationes Israelitarum, tum Amalecitanum bellum constat a Mose fuisse scripta: quæ valde incerta sunt & dubia. De scriptore libri hujus Bellorum Dei alia omnia censent Ebræi Doctores, alia & Christiani plerique; cum sacer contextus habeat יאמר, *dicetur* non *dictum est*: unde efficitur Librum hunc a Mose laudari, non quasi jam scriptum, sed quasi olim scribendum; quem propterea librum Judicum esse opinatur Aben Ezra. Non librum, sed carmen ἐπινίκιον (*quo victoria celebrabatur*) alii interpretantur; carmen, inquam, tritum ore vulgi ad victorias Ebræorum concelebrandas, statim post pugnam conditum, quod in rei testimonium affert Moses, cum Pentateuchum diu post rem gestam scriberet. Eadem confidentia de libro illo Fœderis disputat Philosophus Theologo-Politicus, quem pauculos illos habuisse versiculos statuit, qui leguntur in Exodo, a versu vicesimo secundo capitis vicesimi, ad caput usque vicesimum quartum; atque iis contineri fœderis leges a

Tract. Th. Pol. c. 8.

Num. 21, 1.

Decimum tertium argumentum.

Exod. 24. 4. 7. Num. 21, 14. Deut. 31, 9.

Digitized by Google

Deo cum Ebræis initi. Id si sit, ipse ergo Decalogus fuerit extra leges fœderis hujus; fuerit & præceptum Circumcisionis, quæ tamen signum fuit fœderis Deum inter & Ebræos. Quæ quam inepta sint & absurda manifestum est. Addit Auctor Systematis Præadamitici Mosem laudare non potuisse librum illum Bellorum Dei, qui res in Arnon ab ipso Mose gestas continebat, ac proinde Pentateuchum Mosem auctorem non habere: suspicatur autem ex diurnis Mosis commentariis conflatum fuisse librum Bellorum Dei; ex hoc Pentateuchum fuisse exceptum. Verum quoniam de genuina loci hujus scriptura non satis constat, nulla inde potest certa exsculpi sententia. Confer Ebraica commatis hujus verba, cum Septuaginta Seniorum interpretatione, & cum Vulgata, & Arabica, & Syriaca, & Paraphrasi Onkelosi, fateberis non ex iisdem verbis tam diversos sensus extitisse.

Syst. Præad. h. 4. c. 11.

Decimum quartum argumentum. Hobb. Leviath. c. 33.

XV. Atque hæ demum rationes sunt, quibus Pentateuchum a Mose abjudicare instituit male feriatus ille Disputator, quarum partem aliquam e Leviathane Thomæ Hobbesii Angli mutuatus est; partem e Præadamitico Systemate. Prudenter vero factum ab eo est, quod cum alia argumenta e libro hoc in usus suos sumeret, postremum ut invalidum prorsus & imbecille sprevit. Nititur hoc illud loco Deuteronomii: *In Seir autem prius habitaverunt Horrai, quibus expulsis atque deletis, habitaverunt filii Esau, sicut fecit Israel in terra possessionis suæ, quam dedit illi Dominus.* His significari putat Præadamiticus Auctor, Horræos ab Idumæis de monte Seir fuisse dejectos, quemadmodum ab Israelitis Idumæi postea ex eodem monte exterminati sunt. Quod cum non ante Davidem contigerit, sequitur Davide recentiorem esse Pentateuchum. Lectores & Interpretes, vestram fidem! Testimonium hoc versate, evolvite, expendite; tum si vel verbulum unum eo vergere deprehenderitis; quod Idumæos finibus suis ab Ebræis depulsos significet, manus dabo. Quod si quis tamen pertendat, scripta saltem hæc fuisse postquam promissam terram armis invaserunt Ebræi, proindeque post Mosem; respondebimus jam tum Rubenitas, Gaditas, & dimidiam Manassæorum partem, Amorrhæorum & Basanitarum sedes occupasse, cum hæc a Mose scriberentur.

Deut. 2, 12.

Decimum quintum argumentum.

XVI. Decimum quintum argumentum suppeditat Andreas Masius, eruditissimus libri Josuæ Interpres, ex Cariath-Arbe, quæ sæpe in libris Mosis Hebron appellatur, cum id nominis ab Hebrone Calebi filio ipsi obtigerit post subactum ab Ebræis Chananæam terram. Verum responsionem idem Masius suggerit, eam nempe quam supra jam adhibuimus, unum id esse ex insertis ab Esdra in librum hunc additamentis; & sic appellatam urbem notiori nomine, κατὰ πρόληψιν (*per anticipationem.*) Dicendum idem est de Galgala in Deuteronomio a Mose commemorata, quæ tamen id nominis obtinuit post Mosis obitum.

Mas. Præf. Comm. in Jos.

Deut. 11, 30.

Decimum sextum argumentum.

XVII. Decimum sextum argumentum pepererunt verba Josephi ad Eunuchum qui Pharaoni vina ministrabat: *Furto sublatus sum de terra Ebræorum.* Atqui, inquiunt, nondum Chananæa terra cognomen habere potuerat ab Ebræis, qui unica tum domo omnes continebatur, & in gentem nondum fuerant propagati, nec terram Chananæam occupaverant armis, suamque fecerant. Igitur post illa tempora, Mosisque ipsius obitum scripta hæc sunt. Ajo vero Abrahamum, ejusque filios & nepotes, Isaacum præcipue, Jacobum, & Esavum, qui Ebræi & erant, & dicebantur, & in terra hac sedes fixerant, jam in magnum excrevisse numerum, vicinisque gentibus ac regibus cognitos fuisse; & cum terram Ebræorum diceret Josephus, ignorare non potuisse Eunuchum ecquam terram significaret; perindeque ipsi fuisse ac si dixisset Josephus, Furto sublatus sum de terra, in quam postremis hisce annis viri Trans-Euphratenses sive Ebræi larem posuerunt. Jure præterea sic eam appellabat Josephus, atque hoc nomine cognosci volebat, quam sciebat patri suo, avo, & proavo Deum donasse & propriam dicasse.

Gen. 40, 15.

Decimum septimum argumentum.

XVIII. Decimum septimum oritur argumentum ex posteriore ad Timotheum Epistola, quæ Jannis & Mambris magorum Ægyptiorum Mosis adversariorum nomina refert, quorum nullum extat in Exodo vestigium: item ex Epistola ad Ebræos, ubi Moses ardentem montem conspicatus, dixisse fertur, *Exterritus sum & tremebundus*: quæ in Exodo nusquam comparent. Vnde concludi posse videtur, luxatum saltem, interpolatum, ac mutilum ad nos Pentateuchum

2. Tim. 3, 8.

Ebr. 12, 21.

Digitized by Google

teuchum perveniſſe, cuique propterea nulla fides adjungenda ſit. Sed non ita eſt: nec enim ex Pentateucho excepta hæc eſſe dicimus, ſed ex vetuſtis potius hiſtoriis, quas temporum diuturnitas conſumſerit. Cujusmodi multas Judaicam ἀρχαιολογίαν (*antiquitatum hiſtoriam*) complexas intercidiſſe ſcimus.

Quædam mendæ Pentateuchi ac reliquorum etiam Scripturæ ſacræ librorum Codices infederunt.

Decimum octavum argumentum. 1. Mach. 1. & ſeq.

XIX. Denique quod volumina Legis ab impio Antiocho conſciſſa & concremata fuiſſe referant Machabaici libri, uſuramque eorum prohibitam ac morte punitam; abſurda hæc incesſit nonnullis opinio, veros ac germanos Scripturæ ſacræ libros ab hoc tempore fuiſſe abolitos; qui vero hodie ſuperſunt, in priorum locum ſuppoſitos demum fuiſſe. Quaſi vero qui omnes Legis codices conquirebat Antiochus, omnes repererit; nec in tota paſſim Judæa latebræ ullæ fuerint, in quibus tuto occuli potuerint Volumina ſacra: quaſi non in exoticis Bibliothecis, & Alexandrina præſertim, quæ erat extra ditionem Antiochi, extiterint Codicum ſacrorum exemplaria, & Septuaginta Senum interpretatio; quaſi Iſraelitis, quos ſedibus ſuis moverat Salmanaſar, penitus exciderit Scripturæ ſacræ ſtudium, omnesque hi Codices abjecerint. Furorem igitur Antiochi aliqua Librorum illorum exemplaria evaſiſſe indicat Machabaicus ipſe Scriptor, cum ait deinde jejuniis maceratos Iſraelitas, ciliciis indutos, cinere conſperſos, veſtibus laceros, *expandiſſe libros Legis:* & in Epiſtola ad Spartiatas ſolatio ſibi fuiſſe Libros ſanctos ſcribit Jonathas, & populus univerſus Judæorum. Pari propemodum reſponſione elevatur argumentum, quod ex illato Hieroſolymis a Nabuzardane incendio, & ex combuſtis a Manaſſe Codicibus ſacris petitur. Quo argumento adductos fuiſſe videmus Irenæum, Clementem Alexandrinum, Chryſoſtomum, Theodoretum, aliosque complures, ut crederent Esdram Spiritu ſancto afflatum ſancta Volumina penitus conſumta reparaſſe. Quod & Scriptori libri quarti Esdræ, homini male & inepte fraudulento videtur fuiſſe perſuaſum.

1. Mach. 3. 48.

2. Mach. 12. 9.

Iren. apud Euſ. Hiſt. Eccl. l. 5. c. 8. Clem. Alex. Strom. 1. Chryſoſt. Hom. 8. in Epiſt. ad Ebr. Theodor. Præfat. in Cantic. 4. Esdr. 14. 21. & ſeq.

XX. Quod autem ſubjicit Scriptor uterque Præadamiticus, & Theologo-Politicus, nonnulla in Moſaicis libris occurrere, vel obſcura, vel inordinata, vel mutila, quoniam minime pertinet ad propoſitum hoc opus, ad accuratum examen neutiquam revocabimus, quod ab aliis multum ac ſæpe factum eſt; hac præſcriptione contenti, Verbum Dei, primum lapidibus, tum deinde libris, chartis, membranis fuiſſe mandatum, & hominum manibus vulgo uſurpatum; vere theſaurum in vaſis fictilibus; primum digito Dei, aut Moſis fuiſſe ſcriptum; tum deinde digitis aliorum hominum, eorumque ſæpe incurioſorum, aut ſocordium, aut indoctorum: hinc in leviculis quibusdam rebus, ad fidei dogmata neutiquam pertinentibus, mendas, ſi forte, aliquot irrepſiſſe; nec in Pentateucho ſolum, ſed & in reliquis Scripturæ ſacræ libris vitia hujusmodi inoleviſſe; ut ex חקה סופרים, hoc eſt, *emendationibus Scribarum*, & ex variis Lectionibus Orientalium & Occidentalium, & ex illis Ben Aſcher & Ben Nephthali apparet. Qua re nihil de Librorum illorum auctoritate decerpitur: nihilo ſane magis ac aureorum minueretur pretium, ſi vel detritus eſſet ſacculus, vel inquinatus; nihilo magis ac labefacta eſt Lex, comminutis a Moſe lapidibus illis ſcriptis digito Dei. Neque eo tamen favere vel tantillum volumus neſariæ Muhammedanorum, Anabaptiſtarum, & Servetanorum doctrinæ, qui depravata penitus & adulterata ſciſcunt Veteris Teſtamenti volumina; non in minutis tantum, quod facile concederemus, ſed in gravioribus etiam, quod falſum eſſe viri docti pluribus jam demonſtrarunt.

Sed de Moſe ſatis multa; cui quoniam Deus non per ænigmata & figuras, non per viſa aut ſomnia, quemadmodum reliquis Prophetis futura revelavit, ſed palam & aperte, *ore ad os*, ut habet Scriptura ſacra, & *facie ad faciem*; propterea quæ maximi ſunt ad propoſitum opus momenti, quæcunque de Chriſto vaticinatus eſt; idcirco hoc argumentum paulo fuſius ſumus perſecuti: cum præſertim Pentateuchus ſit quaſi ſummarium Judaicæ religionis; fœdus Dei ac leges complexum, reliqui vero libri velut appendices. Vnde Rabbini docent debere unumquemque Pentateuchi exemplar habere penes ſe; Prophetarum autem aut Hagiographorum, non item. Sed tamen pergamus ad reliqua.

Num. 12. 16. Deut. 34. 10.

Leviculæ

Digitized by Google

DE LIBRO JOSVE.

I. *Disputatur de Auctore libri Josue. Variæ opiniones proponuntur.* II. *Josuæ adscribitur, ejusque probatur γνησιότης & antiquitas.* III. *Refelluntur argumenta Adversariorum. Primum argumentum.* IV. *Secundum argumentum.* V. *Tertium argumentum.* VI. *Quartum argumentum.* VII. *Quintum argumentum.* VIII. *Sextum argumentum.* IX. *Septimum argumentum.* X. *Octavum argumentum.* XI. *Nonum argumentum.* XII. *Hercules, idem ac Josue.* XIII. *Vnicus fuit Hercules.* XIV. *explicatur denuo 1. Mach. 12, 21. in quo agitur de Judæorum & Spartanorum consanguinitate.*

Disputatur de Auctore libri Josue, Variæ opiniones proponuntur.

I. QVoniam Josue imaginem Christi Domini, non nomine solum, sed rebus etiam gestis præfert, cum quæ Legi deerant impleverit Christus Jesus, quemadmodum quæ Moses Legislator præstare non potuerat, Israelitas nempe in Terram sanctam inducere, ejusque compotes facere, id Josue executus sit; idcirco non tam spectandus est ipsius Liber, qui nulla nobis ad præsens institutum utilia suppeditat vaticinia, quam Josue ipse. Nos tamen de utroque disputabimus, ac primum de Libro, cujus Auctor & ætas a viris doctis vocantur in dubium; aliis ad Eleazarum Pontificem, ad Samuelem nonnullis, quibusdam ad Isaiam, pluribus eum ad Esdram referentibus. Auctor quidem Synopseos quæ Athanasio tribuitur Librum hunc a Josua abjudicat, Auctorem ipse non assignat. Theodoretus excerptum putat ex Libro Justorum, qui laudatus est decimo capite libri Josuæ. A Samuele scriptum Abrabaniel affirmat, spreta congerronum suorum Thalmudistarum sententia quam proxime referemus. Andreas Masius Esdram, sive solum, sive virorum doctorum æqualium suorum studiis adjutum, Dei instinctu librum hunc, atque item alios, ex variis Annalibus, qui tum magna cura in Templo asservabantur, compilasse putat. Hugo Grotius elaboratum conjicit post tempora Salomonis; tum quod aliquoties occurrat illa temporis notatio, *Vsque in præsentem diem*; tum etiam quod capite nono supra decimum mentio fiat terræ Cabul, quæ ab Hiramo Salomonis æquali id nomen accepit, ut habet liber tertius Regum; & quod capite eodem narrentur ea de Danitis, quæ Judicum demum tempore contigerunt. Josua quoque recentiorem putat Thomas Hobbesius, propter frequentem iterationem horumce verborum: *Vsque in præsentem diem*; tempus autem non definit. Ex laudatione libri Justorum, apographum librum arbitratur Auctor Systematis Præadamitici, non autographum. Eamdem habet caussam, & alias plerasque, Disputator Theologo-Politicus, cur in ævum Josua posterius libri hujus lucubrationem rejiciat; puta quod sub finem sexti capitis fama Josuæ per omnem terram vulgata dicatur; quod capite octavo & undecimo, quæcunque præceperat Moses, præstitisse scribatur; quod in calce Libri, ipsius obitus, & res post ejus obitum gestæ narrentur; quod sub finem decimi sexti capitis, ea de Chananæis Gazeritanis referantur, quæ primo libri Judicum capite recitantur, tanquam Josua demum defuncto acta; quod narrationi huic, & alteri quoque de Jebusæis, quæ est in fine decimi quinti capitis, apposita sit illa notatio temporis quam dixi, *Vsque in præsentem diem*; quod historia Calebi, quæ narratur commate decimo tertio & sequentibus capitis decimi quinti, post Josuæ obitum evenisse dicatur in primo libri Judicum capite; & quod Josua recentior videatur historia Aræ illius ingentis, ad ripam Jordanis a Rubenitis, Gaditis, & dimidia Manassæorum parte extructæ, quæ vicesimo secundo capite refertur; & nullam habet Josuæ mentionem; quippe cum veri haudquaquam simile sit decem tribuum adversus fratres suos conjurationi Josuam non interfuisse; & quod decimo capite legatur, neque ante Josuam, neque consequenti deinde tempore tam longum præteriisse diem, qualis ille fuit, quo Solem Deus stitit, velut ad nutum Josuæ; ac concludit demum librum Justorum, qui hoc ipso laudatur capite, fœtum esse Josuæ; at libri hujus, qui Josuæ nomen sibi præscripsit, tempus non determinat.

Jud. 18. 29.

Hobb in Leviath. c. 33.

Syst. Præad. c. 1.

Tractatus Theol. Polit. c. 8.

Jos. 6, 27. Jos. 8, 35. & 11, 15.

Jos. 16, 10. Jud. 1, 29.

Jos. 22, 10. & seq.

Jos. 10, 14.

Jos. 10, 13.

II. Contra vero e Veteribus ac recentioribus longe plures, imprimisque Thalmudistæ in Baba bathra, primo capite, a Josua ipso scriptum esse arbitrantur; his persuasi verbis quæ extant in postremo Libri capite: *Scripsit quoque Josue omnia verba hac in volumine Legis Domini.* Atque ea profecto, si quis

Josua adscribitur, ejusque probatur γνησιότης & antiquitas.

Jos. 24, 26.

Theodor. quæst. 14. in Jos.

Jos. 10, 13.

Mas. Præf. Comm. in Jos. & in Jos. 10. 13.

Grot. in Jos. Jos. 4, 9. & 6. 25. & 15. 63.

Jos. 19, 27.

3. Reg. 9, 13. Jos. 19. 47.

Digitized by Google

quis animum advertat, sunt ejusmodi, ut prorsus significent Josuam ad exemplum Mosis res a se gestas literis commendasse, & Librum suum ad calcem libri Legis a Mose scripti adjecisse, quemadmodum ei adjunctus nunc quoque est interpretationibus Græcis & Latinis. Sic intellexit & exposuit Chaldæus Interpres, quem penes se habebat Ma-
Eccl. 46, 1. sius. Confirmatur id testimonio Sirachidæ, cum ait Josuam Mosis successorem fuisse ἐν προφητείαις, *(in prophetiis)* hoc est in Librorum sacrorum, qui divinitus inspirati sunt, scriptione. Libri præterea vetustatem arguit
3. Reg. 16, 34. istud capitis decimi sexti libri tertii Regum comma: *In diebus ejus ædificavit Hiel de Bethel Jericho: in Abiram primitivo suo fundavit eam, & in Segub novissimo suo posuit portas ejus; juxta verbum Domini, quod locutus fuerat in manu Josue filii Nun.* Quod liquido depromtum est ex sexto capite libri
Jos. 6, 25. 26. Josuæ: *In tempore illo imprecatus est Josue dicens, Maledictus vir coram Domino, qui suscitaverit & ædificaverit civitatem Jericho: In primogenito suo fundamenta illius jaciat, & in novissimo liberorum ponat portas ejus.* Ergo saltem libris Regum vetustior est liber Josuæ. Adde & verba ista Calebi e capite
Jos. 14, 10. 11. 12. decimo quarto: *Hodie octoginta quinque annorum sum; sic valens ut eo valebam tempore, quando ad explorandum missus sum: illius in me temporis fortitudo usque hodie perseverat, tam ad bellandum, quam ad gradiendum: da ergo mihi montem istum.* Quæ
Eccl. 46, 11. respexisse videtur Sirachides cum hæc scriberet: *Et dedit Dominus ipsi Caleb fortitudinem, & usque in senectutem permansit illi virtus, ut ascenderet in excelsum terræ locum.* Ex nominibus etiam mensium, si non demonstrari, at conjici certe potest Libri hujus antiquitas. Sciendum est enim ante Babylonicam Captivitatem menses Ebræorum vulgo fere appellatos fuisse ex ordine & numero quem inter se habebant. Itaque non aliter quam mensem primum, secundum,
Exod. 23, 15. tertium, aliosque deinceps, sacri Scriptores Captivitate vetustiores nuncupant. Cave enim putes mensem אביב sic dictum esse proprio nomine: quod viris Ebraicarum literarum callentissimis visum est. Nomen id fuit appellativum, quod spicam virentem sonat. Quam dixisses *mensem spicarum virentium.* Recte Septuaginta, μῆνα τῶν νέων *mensem novorum.* Vulgatus Interpres, *mensem novorum.* Nomina vero Ziu, Bul, & Ethanim, quamvis notandis temporibus Captivitate vetustioribus adhibita sint in libro primo Regum, non inde tamen efficitur temporibus illis apud Ebræos fuisse usitata: imo, ne quidem cum scriberet auctor libri hujus; nam nomina hæc tanquam genti suæ incognita explicatione subjecta interpretatur; quem ordinem teneant inter alios menses statim indicans. *Mense zio,* inquit, 1. Reg. 6, 1. *iste est mensis secundus.* 37. *Mense Bul, ipse est* 1. Reg. 6, *mensis octavus.* 38. *In mense Ethanim; ipse est* 1. Reg. 8, 2. *mensis septimus.* Sidone certe & Tyro ar- Scalig. de cessita fuisse suspicatus est Scaliger. In Ba- emend. byloniam autem delati Israelitæ, usu quoti- Temp. l. 3. diano & consuetudine Chaldæorum, & tractu temporis paulatim nomina mensium illic usitata ascisere insuefacti sunt. Ea propter in scriptis Captivitate recentioribus crebro occurrunt, velut in libris Esdræ, & Estheris, in Aggæo, Zacharia, Barucho, Daniele, & Machabaicis. Atqui in libro Josuæ menses Babylonicis nominibus haudquaquam affectos reperias, sed iis quæ ex ordine & numero, quem inter alios obtinent, ipsis debentur. Quod vetustatis indicium est. Verumtamen cum in Scriptoribus sacris Captivitate recentioribus menses etiam aliquando ex numero suo & ordine appellentur, rationi huic vim conjecturæ tantum, auctoritatemque tribuimus. Huc adde aliquod vetustatis argumentum contineri pervetusto more illo, quo duces cum urbes hostiles exscinderent, diris devovebant, quicunque eas olim restituere auderent. Post deletam Trojam factum id refert Strabo ab Strab. l. 13. Agamemnone, κατὰ παλαιὸν ἔθος, *juxta morem antiquum:* quem addit & Darium tenuisse eversa Sidene. Propagatus autem videtur ille mos ab exemplo Josue, quod libro hoc proditum extat, cum diruta Hierichunte perniciem ei imprecatus est, quisquis illam aliquando reparare tentaret. Cum nihil autem Ecclesiæ decretis super hoc Libro determinatum sit, præterquam sacrum esse, & in priscum sacrorum Voluminum Canonem receptum, id modo jam constet quod negari utique non potest, etiamsi incerti Auctoris & temporis esse concederemus, quemadmodum ex hac opinionum varietate credi potest, genuinum tamen eum

Digitized by Google

esse constaret: cum ex prima Definitionum nostrarum genuinus liber ille sit, qui ab eo Auctore scriptus est, a quo scriptus esse dicitur, & eo circiter tempore quo scriptus esse fertur.

Refelluntur argumenta Adversariorum.

III. Poteramus itaque eorum omnium qui Josue ipsum eripere conantur, argumenta contemnere. Nihilo minus hæc quoque refellemus, ut retusis omnibus Adversariorum telis, tum maxime appareat opinionis illius firmitas, quæ in Josuam opus hoc transcribit. Primum argumentum submministrat decimum caput, in quo, ut dixi, citatur Liber Justorum, Josua recentior, vel æqualis, ut qui Gabaonitanæ pugnæ a Josua commissæ videatur meminisse: unde sequitur Libro Justorum recentiorem esse librum Josuæ nomine inscriptum, ac multo etiam magis ipso Josua. Tantum certe apud Masium accuratissimum libri hujus Interpretem valuit istud argumentum, ut ex eo longe post ætatem Josuæ elucubratum esse concluderet: quod & antea fecerat Theodoretus. Explicatus sane quam difficiles habet iste locus: nam primum non satis extat an tota rei gestæ historia in Libro Justorum scripta fuerit; an ea tantum verba quæ proxime præcedunt: *Steteruntque Sol & Luna, donec ulciscerctur se gens de inimicis suis*; an quædam per figuram & poetice dicta in libro Justorum, cujusmodi multa in Libris sacris occurrunt, Josue ad rem veram accommodaverit; an generatim in eodem Libro prænuntiata, huic miraculo aptaverit. Deinde magna est inter Scripturæ sanctæ Interpretes de Libro Justorum concertatio, Judæos præsertim, qui multum hic pro more suo nugantur. Censent quidam ex illis hunc esse librum Geneseos, alii Exodi, alii quinque libros Legis, quibus justorum virorum, Abrahami, Isaaci, Jacobi, & aliorum gesta continentur: in iis enim Deum polliceri ajunt se in Israeliticæ gentis gratiam prodigia edeturum, cum ait in Exodo: *Signa faciam, quæ nunquam visa sunt super terram, nec in ullis gentibus.* Masius Annales rerum ab Israelitis gestarum intelligit. Masio assentiuntur Junius & Tremellius, nec ab eo multum recedit Bonfretius. Grotius carmen ἐπινίκιον *(ad victoriam celebrandam compositum)* notari vult, statim post reportatam de Gabaonitis victoriam compositum, & inter Ebræos pervulgatum, cujus auctoritate rei incredibili quam narrabat, fidem fecerit Josue. Mihi probabile fit librum fuisse παραινετικὸν *(hortativum,)* ad pie sancteque vivendum homines informantem; in quo fortasse scriptum erat, quod sæpe in Libris sacris scriptum legimus, debere se viros pios Deo in tutelam ac fidem totos committere; hoc si faciant, futurum haud dubie, ut præsenti eos adversus hostes Deus auxilio prosequatur: & quemadmodum, ut ab hostili impetu tuti essent, maris fluctus inhibuit, ita eum vel ipsos siderum cursus moraturum, quoad hostes suos ulciscantur. Quod cum re contigisset, dignum censuit Josue populo significare quam promissorum memor esset Deus, ut intelligerent ecquam reliquis ipsius pollicitationibus fidem deberent adhibere. Hoc posito jam facile objectum argumentum discutiemus: potuit enim multo ante Gabaonitanam pugnam scriptus esse hic Liber, & vulgi manibus tritus, vel in sacris tabulariis reconditus, ut in Templo servatum deinde fuisse docet Josephus. Sin Grotii aut Masii sequare sententiam, facile quoque te expedies: nam carmen illud ἐπινίκιον *(ad victoriam celebrandam compositum,)* aut Annales statim post Gabaonitanum prælium scripti fuerunt: at annis aliquot post rem gestam, & in summa senectute Librum suum exaravit Josue, ut ex postremo ejus capite cognoscitur. Itaque narrationi suæ fidem conciliat libri temporibus illis scripti de quibus differit, & vulgo noti testimonio. Rabbini vero, qui vel aliquos, vel omnes Pentateuchi libros hic notari putant, extra omnem teli jactum longe sunt.

Primum argumentum. Jos. 10, 13.

Mas. in Jos. 10, 13.

Theod. Interr. 16. in Jos.

Joseph. Antiq. l. 5. c. 1.

IV. Secundum argumentum conflant Abrabaniel, Masius, Grotius, Hobbesius, & Disputator Theologo-Politicus, ex frequenti hac temporis notatione, *Vsque in præsentem diem*, quæ longi temporis intervallum significat. Verum cum hunc Librum scripserit Josue jam senex, ut jam monui, pridem ea facta erant, quæ *Vsque in præsentem diem* perseverasse ait: cum autem mutationem aliquam rebus iis inferre potuisset quantacunque hæc temporis diuturnitas, (multis enim annis Israelitis præfuit) res in eodem statu mansisse notandum duxit. Responsioni huic fidem conciliat Moses in Deuteronomio, cum de rebus olim a se gestis disserens, similes

Secundum argumentum. Hobb. Leviath. c. 33. Tract. Theologico-Pol. c. 8.

Exod. 34, 10.

Deut. 10, 5.

similes locutiones usurpat. *Reversusque de monte descendi*, inquit, *& posui tabulas in arcam quam feceram, quæ hucusque ibi sunt.* Et iterum: *Cognoscite quomodo operuerint eos* (Ægyptios) *aquæ maris Rubri, cum vos persequerentur, & deleverit eos Dominus usque in præsentem diem.* Fidem his facit & Matthæus, qui cum Evangelium suum non multis post Christi necem annis scripserit, Matth. 27, 8. usus est his verbis: *Propter hoc vocatus est ager ille Halcedæma, hoc est, Ager sanguinis:* Matth. 28, 15. *usque in hodiernum diem.* Et alibi: *Et divulgatum est verbum istud apud Judæos usque in hodiernum diem.* Pari exceptione solvitur simile argumentum, quod cudit Theologo-Politicus Argutator ex hoc loco decimi Jos. 10, 13. 14 capitis: *Stetit itaque Sol in medio cœli, & non festinavit occumbere spatio unius diei. Non fuit antea, nec postea tam longa dies.* Nec enim pridie aut nudius tertius evenerat hoc prodigium, sed ante multos annos quam hæc scripta sunt.

Tertium argumentum. V. Tertio argumento causam præbet decimum nonum caput libri Josuæ, ubi mentio Jos. 19, 27. fit terræ Chabul; cui id nominis tributum putant Masius & Grotius ab Hiramo Tyri rege, ut est nono capite libri tertii Regum. 3. Reg. 9, 13. Quasi eadem sit utraque terra Chabul, quæ penitus diversæ sunt: altera enim regiuncula est viginti constans oppidis; altera, vicus in confiniis Ptolemaidis: utraque in tribu Aser. Joseph. Antiq. l. 8. c. 2. Distinxit eas Josephus: alteram enim appellat γῆν Χαβυλών, libro octavo ἐφημερολογίας, alteram Χαβυλὼ κώμην, in libro de vita sua.

Valde autem futile est, quod opponit nuperus quidam Scriptor; nos cum hæc scriberemus non animadvertisse viginti æres fore Aseritanæ tribus urbes, si in earum numerum Jos. 19, 31. Chabul admittimus; cum duas tantum & viginti Scriptor sacer agnoscat. Nam primum non urbem fuisse diximus, sed vicum κώμην, ut appellatur a Josepho. Itaque propter ignobilitatem, quam & nominis origo videtur indicare, neutiquam venit in censum urbium; & toto hoc capite ac superiore agnoscas urbes tantum recenseri, non viculos, & villas. Præterea constat illic vicum extitisse, Chabul dictum: quem si in Aseritana tribu non colloces, pertinebit sane ad Nephthalitidem; eademque recurret difficultas, aucto Nephthalidum urbium numero. Denique si hic regionem ab Hiram Chabul dictam intelligi jubeas, cur nulla ejus toto hoc Josuæ libro mentio? cur ad unius tantum urbis notandum situm adhibita est, cum plurimas vel ei finitimas fuisse, vel in ipso sitas necesse sit? Opponuntur alia quædam generis ejusdem. Memoratur Luza decimo sexto Josuæ capite, Jos. 16, 2. tanquam a Bethele distincta & diversa. Unde colligunt non veterem eam esse Luzam, quæ eadem fuit ac Bethel ipsa, sed aliam Luzam ab homine Bethelita conditam in terra Hetthæorum post mortem Josuæ, uti primo Judicum capite narratur: igitur recentiorem Jud. 1, 26. Josua fuisse librum de ejus nomine dictum. Nos vero negamus hic significari Luzam Hetthæorum: quippe Hetthæorum regio pertinebat ad Ebronem & Bersabeam, & finitima loca in tribu Juda. Hæc autem tam dissita respicere omnino non potuit auctor libri Josuæ, cum Benjamitidis tribus sortem describeret. Proindeque dicendum est Luzam ipsam veterem esse intelligendam; quæ cum eadem esse dicitur ac Bethel, sic accipiendum est, in proximum veteris Luzæ locum lapsu temporis paulatim transisse Bethelem, in eamque concessisse Luzam totam ac Luzæ incolas. Sexcenta dari possunt exempla urbium, quæ in vicinia vetustiorum positæ, ex iisque conflatæ & conditæ, pro eadem urbe habitæ sunt. Notantur item in libro Josuæ alia nomina locorum, quasi Josua recentiora: velut Tyrus, Galilæa, Jocthel. Sed hæc sunt nauci. Tyri & Galilææ nomina incertæ sunt ætatis & temporis. Jocthelem aliam esse censet Masius, quam quæ libro quarto Regum nominatur. 4. Reg. 14, 7.

Quartum argumentum. VI. Indidem ex decimo nono capite libri Josuæ quartum oritur argumentum, quod ab Abrabaniele, & a Masio usurpatur. Nam quæ Jos. 19, 47. illic narratur Danitarum expeditio adversus Lezem, ea post mortem Josuæ contigit Judicum temporibus, quemadmodum ex decimo octavo capite libri Judicum scitur. Jud. 18, 29. Igitur unum hoc est ex additamentis, quæ huc illuc in libros sacros insarsit Esdras, ad pleniorem rerum intelligentiam. Nam cum assignatam Danitis portionem descripsisset Josue, aliamque deinceps armis ipsi quæsissent, merito id Esdras supplendum duxit. Clausulam ergo hanc si detrahas, nihilominus constabit sententia, neque luxatum orationis contextum aut pendulum deprehendes. Quod miror Masium virum doctum Mas. Præf. in Jos. non

non vidisse, aut visum non probasse, cum in libris idem factum sit. Ejusdem generis esse dicas, quæ capite undecimo leguntur, delectos a Josua fuisse Enacæos *de montanis Hebron, & Dabir, & Anab, & de omni monte Juda & Israel:* nam postrema hæc verba quæ secessionem decem tribuum videntur indicare, additamenti loco posita esse dicas ad pleniorem rei gestæ notitiam. Itaque si eradantur, cætera coalescent. Sunt tamen qui montes Juda eos esse velint, qui extant in tribu Juda; montes vero Israel, quos Jacob olim coluerat. Simili modo intrusos in caput vicesimum primum versus duos reperies, quos vetusta Ebræorum exemplaria non agnoscunt; teste R. Davide Kimchi. Infarta quoque videtur clausula, quæ decimo quinto capite libri Josuæ, commate decimo quarto, & sequentibus quinque continetur; nam quidquid illic de Calebo, & extinctis ab eo tribus Enaci filiis, & de Dabira ab Othoniele expugnata, & nuptum ei data Axa Calebi filia, & addicta doti Dabira urbe, cum fundis irriguis, videntur post mortem Josuæ contigisse, ut colligitur ex primo libri Judicum capite. Agnovit id Theodoretus, & ut libros Josuæ & Judicum conciliaret, prophetice illis prænunciatam rem dixit, hic vero eventu comprobatam. Quin & Adonisedecum regem Hierosolymæ, cujus infelix prælium, fuga & supplicium capite decimo libri Josuæ describuntur, eumdem esse censuit Adonibezecum, Bezecæ regem, cujus item primo libri Judicum capite adversa pugna, fuga, & interitus narrantur: atque illic rem itidem prædictam, hic fuisse completam. Quod non ita est: nam illi Adonisedeco, huic Adonibezeco nomen fuit: ille Hierosolymæ rex fuit, hic Bezecæ, cujus situm describunt Eusebius & Hieronymus in libro de locis Ebraicis: ille Gabaone victus est, hic Bezecæ: ille ferro confossus, de stipite suspensus, Macedæ sepultus est; hic truncatis manibus & pedibus, Hierosolymam adductus, ibi demum occubuit. Tam parum autem sibi constat hoc loco Theodoretus, ut quamvis in Josuæ libro res fuisse prædictas notaverit, quæ in priore libri Judicum capite gestæ narrantur, tamen prius illud caput ἐπαναφαλαίωσιν *(brevem repetitionem)* esse pronuntiet rerum sub Josua actarum. Sed revertamur ad Calebum, Othonielem, & Axam, de quibus quidquid narratur hoc loco libri Judicum, putat Grotius esse ἐπάνοδον *(reditum)* ad ea quæ vivo Josua gesta fuerant: sed prorsus repugnat orationis series hoc capite. Nam primum ait: *Post mortem Josuæ consuluerunt filii Israel Dominum, dicentes: Quis ascendet ante nos contra Chananæum, & erit dux belli? dixitque Dominus, Judas ascendet.* Et mox: *Ascenditque Judas; & tradidit Dominus Chananæum ac Pherezæum in manus eorum.* Tum deinde: *Et postea descendentes pugnaverunt contra Chananæum qui habitabat in montanis, & ad meridiem, & in campestribus. Pergensque Judas contra Chananæum qui habitabat in Hebron, percussit Sesai, & Ahiman, & Tholmai: atque inde profectus abiit ad habitatores Dabir.* Et continuo: *Dixitque Caleb: Qui percusserit Cariath-Sepher, & vastaverit eam, dabo ei Axam filiam meam uxorem.* Vides hæc ita connexa & colligata, tum verbis, tum rebus ipsis, ut ab ipso initio continuata serie manifesto profecta sint. Atqui initium illud est: *Post mortem Josua:* unde efficitur post Josuæ mortem evenisse, quæ his subnexa sunt. At hæc eadem, quæ de Calebo, Othoniele, & Axa in decimo quinto capite libri Josuæ referuntur, plane illuc videntur intrusa: nam cum tribus Judæ sortem describat γεωγραφικῶς *(Geographice)* postquam ad Calebi portionem ventum est, adjicienda putavit Esdras ad pleniorem rei expositionem, quæ in libro Judicum de trium Enaci filiorum interitu, de Othoniele & Axa habebantur. Atque ea sunt hujusmodi, ut inde sejusa, integrum & cohærentem orationis contextum relinquant. Porro quæ illic describitur sors Judæ, ut & aliæ sortes, non statim ut singulis tribubus assignatæ sunt a Josua, in earum ditionem continuo cesserunt, nondum enim edomita fuerat penitus & subacta Chanaanitis regio; sed potius ex hac divisione intelligebat unaquæque tribus, quæ sibi deinceps regio armis adorienda esset & expugnanda. Quod tamen pro virili non egerunt, dum paratam illis victoriam præstabat Deus. Quamobrem remollescentibus quiete & luxu animis, nec deinde hostes exscindere potuerunt, cum maxime vellent; id permittente Deo, *ut in eis erudiret Israelem.* Ab ea opinione non recedunt Ebræi Doctores. Videtur autem libri Judicum Scriptor horum bellorum privatim a singulis gestorum

Josu. 11, 21.

Josu. 21, 35. 36.

Theod. Interr. 1. in Jud.

Jud. 1, 1.

Jud. 1, 4.

Jud. 1, 9. 10.

Jud. 1, 11.

Josu. 15, 1.

gestorum summarium in prius caput conjecisse; quamquam & in sequentibus plurima habentur generis ejusdem. Liquet etiam ex iis quæ ad calcem capitis decimi sexti in Septuaginta Senum interpretatione leguntur, nec in Ebraico exemplari uspiam extant, adventitia quædam & extranea in Libro hoc reperiri.

Quintum argumentum. Jos. 6, 27. Jos. 8, 35. & 11, 15.

VII. Quod famæ suæ celebritatem jactat Josue sexto capite, & accuratam Mosaicis legibus obtemperationem aliis locis prædicat, indignum ipsius modestia censet Philosophus Theologo-Politicus; proindeque alteri adscribendum hunc Librum arbitratur. Idem jam supra objectum adversus libros Mosis argumentum refellimus, ex quo pari jure concludi potest Pauli Epistolas aliquot, Pauli non esse, quod in iis pietatem suam & benefacta, ac eximias dotes Paulus commemoret; & Cæsaris Commentarios, Cæsaris non esse, quod in iis Cæsaris virtutes & præclara facinora celebrentur.

Sextum argumentum. Syst. Præad. l. 4. c. 1.

VIII. Quod postremo capite obitus Josuæ, & res post ejus obitum gestæ narrentur, hinc effici putat Philosophus Theologo-Politicus alterius esse quam Josuæ: quod ex Grotio & Præadamitico patrono sumsit. Cui rationi parem adhibemus responsionem, quam simili adversus Mosis libros argumento adhibuimus; nempe hæc vel a Samuele, vel ab Esdra illuc fuisse adtexta.

Septimum argumentum. Jos. 16, 10. Jud. 1, 29.

IX. Objicit præterea versum postremum decimi sexti capitis, in quo legitur Chananæos Gazeritanos ab Ephraimitis neutiquam fuisse deletos, sed vectigales factos: quæ quoniam reperiuntur itidem in primo libri Judicum capite, Librum illum recentiorem esse Josua concludit. Frivola ac futilis argumentatio: nam res quæ fiunt, ei necessario illigantur tempori, quo fiunt. At quæ factæ non sunt, nulli certo adnectuntur tempori, nec ulla ætas est, qua factas non esse jure dici non possit. Ut si quis dicat in vita Tiberii a Romanis deletam non fuisse Germanorum gentem, hoc ipsum in Vita Vespasiani dicere poterit. At si Gallos dicat a Cæsare domitos, res hæc illigabitur decennio illi quo gesta est, neque ultro, citroque vagabitur. Itaque cum ait Josue Gazeritanos ab Ephraimitis non fuisse excisos, idem dicere licet de sequenti ævo, quo nec excisi sunt.

Octavum argumentum.

X. Infitiale vero est octavum argumentum, propterea que invalidum ac leve; nam quod nulla fiat Josuæ mentio in historia conjurationis decem tribuum adversus Gaditas, Rubenitas, & Manassæorum partem, quæ vicesimo secundo Josuæ capite facta narrantur propter Aram illam ingentem in ripa Jordanis erectam, hinc concludit Adversarius Theologo-Politicus defuncto jam Josua hæc evenisse. Quid si tunc æger erat Josue? quid si aliis negotiis districtus? Sed cur ad eas præscriptiones confugimus, cum in hoc ipso capite tutissima nobis pateat defensio? narrat quippe sacer Scriptor Rubenitas, Gaditas, & dimidiam Manassæorum partem, post domitam Chanaanitidem in proprias sedes a Josua dimissos, cum ad tumulos Jordanis perveniissent, antequam disjungeretur, immanem illam Aram molitos esse, quæ reliquos Israelitas concitavit. Vides connexionem rerum & temporum: a Josua dimittuntur Rubenitæ cum sociis, iter faciunt versus fines sus, veniunt ad Jordanem, Aram extruunt, tumultuantur Ebræi reliqui, legatos mittunt, excusationem accipiunt: hæc intra paucos dies & vivo Josua evenisse planissimum est.

Nonum argumentum. Jos. 24, 25. 26.

XI. Capite postremo Josuæ, hæc leguntur: *Percussit ergo Josue in die illo fœdus, & proposuit populo præcepta atque judicia in Sichem. Scripsit quoque omnia verba hæc in Volumine Legis Domini.* Ex his verbis recte collegimus Librum hunc Josuam auctorem habere. Sed mirare ingeniorum dissensionem: contrarium inde effici putat Scriptor Theologo-Politicus: nam pactum illud, inquit, a Josua & populo cum Deo initum, descriptum est in Volumine Legis Domini, quod alterum pactum populi cum Deo continebat. Atqui nullus extat liber, in quo utrumque pactum extet; periisse ergo librum hunc dicendum est. Verum a Disputatore nostro quæsitum velim, an non vicesimo nono, aliisque Deuteronomii capitibus alterum habeatur pactum; annon item vicesimo quarto Josuæ capite postremum descriptum extet. Supereſt igitur liber, in quo habetur utrumque pactum, Pentateuchus nempe iis auctus, quæ Josue adjecit, Libro nempe hoc, qui Josuæ nomen præfert.

Decimum argumentum.

Nec leve est, quod objici quoque potest, admissuros fuisse librum Josuæ Samaritas, si Jeroboami dissidio fuisset antiquior: quod vero unum accipiunt Pentateuchum, indicio

Digitized by Google

esse solum hunc ante defectionem Jeroboami vulgo probatum & admissum fuisse. Atque hæc petitio, non unius libri Josuæ, sed aliorum etiam quos decem tribuum secessione antiquiores statuimus, auctoritatem convellit; quam duplici responsione tuemur. Nam primum etsi scripti erant hoc tempore, & magno cum pietatis fructu vulgo legebantur nondum tamen publica fuerant auctoritate consecrati. Deinde longe diversa fuit religio Samaritanorum, quos ex ditione sua in Samariam transtulit Salmanasar, & Israelitarum, quos in Assyria sedes locare jussit. Etsi enim hi avitam corruperant legem, & profanos ritus plerosque admiserant, longe tamen vitiosior fuit & inquinatior Samaritanorum religio, qui patriam impietatem & nefarios omnigenum Deorum cultus Israelitarum cerimoniis adjunxerunt, sed ita tamen ut ab
4. Reg. 17, 33, 34. utrisque deficerent. Sic enim liber Regum quartus: *Et cum Dominum colerent, Diis quoque suis serviebant, juxta consuetudinem gentium, de quibus translati fuerant in Samariam. Usque in præsentem diem morem sequuntur antiquum: non timent Dominum, neque custodiunt cerimonias ejus, & judicia, & Legem, & mandatum, quod præceperat Dominus filiis Jacob, quem cognominavit Israel.* Qui ergo Dei legem Israelitis traditam aperte fuerant aspernati, haudquaquam mirabile est, libros quoque eorum aliquos, vel probatos vulgo & pro sacris habitos neglexisse, solo Pentateucho contentos, propter insignem Scriptoris dignitatem ac famam, & rerum ab eo traditarum ac gestarum præstantiam, summamque gentium plurimarum, non Israelitarum modo, in eo probando consensionem.

Herculis idem ac Josuæ. XII. Hæc habui de libro Josuæ quæ dicerem: nunc agamus de ipso Josua; qui quoniam Mosis administer fuit, & rerum gestarum particeps ac socius, hinc effectum est, ut falsis eum nominibus, perinde ut Mosem ipsum, dissimularit consequens ætas, & actorum ejus dicta primum inter Chananæos & Phœnices, inde in remotiores gentes fama, innumeris subinde figmentis aucta accreverit. Josuæ ergo optime demonstraverimus vetustatem, si vetustissimarum fabularum integumentis involutum eum deprehenderimus. Constat inter eruditos Josuæ impositam esse Herculis personam. Id uberrime demonstravit Gerardus Johannes Vossius in libris de idololatria. Argumenta ejus in pauca contraham. Hercules Indos bello appetiisse dicitur, quod in Syria & Arabia bella gesserit Josue: terræ enim omnes ultra mare Mediterraneum sitæ, Indiæ nomine olim a Græcis appellabantur. Hercules Diis adversus Typhœum, aliosque Gigantes præliantibus opem tulit: Josue bella Dei gessit adversus Chananæos, aliosque Terræ promissæ incolas, viros giganteæ proceritatis. Fuit unus ex illis Og rex Basan, cujus lectus ferreus novem cubitos longus erat, latus quatuor: is est ipse Typhœus, ut ostendunt nominum significationes; nam hoc a τύφω, illud a יעג, quorum utrumque sonat, *tussit, coxit.* Nec obstat, quod superius observavimus, Typhonem Mosis esse simulacrum; sæpe enim vel eamdem personam pluribus, vel varias personas eidem accommodarunt, ut a me quoque adnotatum est. Herculem adversus Gigantes ad ripam Rhodani pugnantem imbre lapideo a Jove adjutum ferunt: Deus quin que Regum contra Josuam præliantium copias lapidibus grandinis oppressit. In Arimis Typhœus profligatus jacuit: in Aramæis, hoc est Syriacis campis, Og rex Basan, Philistæi, Chananæi, aliique Gigantes prostrati sunt. Herculis, non Thebani, sed Ægyptii ætas cum ætate Josuæ convenit, ut ostendit Chronicon Eusebii. Hæc Vossius acute & erudite, quibus illustrandis & confirmandis nos aliqua subjiciemus: ex quibus cognoscetur verum eos feliciter esse odoratos, qui nullum unquam fuisse Herculem suspicati sunt.

Vos. de Idol. l. 1. c. 16.

Hercules Ægyptius fingitur, Nilo patre natus, & Mosis æqualis: Josue in Ægypto natus est Mosis temporibus. Tyrius quoque dictus est Hercules, nam Phœnices cum Judæis confundere Græci solent: quippe & Palæstinam Phœnicen esse dictam, & Judæos Phœnicibus permistos perhibent veteres Geographi. Moschus ille Sidonius, quem testem citat Strabo, Moses ipse fuit, ut a me probatum est. Ea Tyriis tribuit Theophrastus in libro de legibus, quæ Judæis solis convenire docet Josephus disputans contra Apionem: nec Phœnices & Syros Palæstinam incolentes a Judæis distinguit Herodotus, ut ibidem Josephus adnotavit; nec distinguit Aristo-

Strab. l. 16. Steph. in Ἰόππη. Prisc. in Perieg. Strab. l. 16. Joseph. l. 1. contr. Ap.

Digitized by Google

Aristophanes, cum Phœnices appellat φονέας, *recutitos*; cum non ipsi, sed vicini eorum Judæi præputia ponerent. Hinc ergo patet, cur Herculi, qui Josue est, patria Tyrus assignetur. Idæus quoque & Cretensis dictus est Hercules; quod כרתים appellentur Palæstini; ut supra docuimus in dissertatione de Minoe, & Idæi cum Judæis confundantur. Trinoctio genitum eum ferunt, propter moram Soli a Josua injectam per Gabaonitanæ pugnæ tempus: unde & finxerunt auctores Fabularum, Solis radiis aliquando adustum Herculem, arcum in eum intendisse: unde & astronomiæ peritus Hercules habitus est, adeo ut Astrologus cognomine sit dictus, ut habet Festus: unde & Sol ipse a græcis creditus est, ut est apud Eusebium & Macrobium: unde & Atlantem cœlum humeris gestantem sublevasse & oneri successisse commenti sunt; vel fortasse quod in partem curarum ac dignitatis Josuam asciverit Moses, quando capiti ejus impositis manibus partem illi gloriæ suæ transcripsit, quemadmodum habet liber Numerorum, atque is Mose demum defuncto Israeliticæ Reipublicæ administrationem capessiverit; vel quod montem Sinai subeuntem Mosem solus Josue sit comitatus. Mercurii, Osiridis, Æsculapii, & Evandri, quos Mosis figuram gerere diximus, æqualis Hercules ponitur. Nec æqualis duntaxat, sed socius quoque est Mercurii dictus: unde & communia olim utriusque fuisse simulacra, tradunt Aristides & Leonides, & communes utrique visuntur Inscriptiones; & utriusque statuæ in triviis collocabantur. Liquidum etiam est, quamobrem scripserit Diodorus Osirim ad bella proficiscentem copiis suis Herculem præfecisse. Quod vero addit, eumdem in exercitu Anubin habuisse, id Calebum notat, unum ex Terræ promissæ exploratoribus, Josuæ socium, cujus nomen כלב cum *canem* sonet, idcirco Anubin Cynocephalum mendax vetustas confinxit; atque hinc etiam nata est fabula de Cane Herculis purpuræ repertore. Arma accepisse Herculem a Mercurio & Apolline & Vulcano fabulatur Apollodorus: hos tres unum Mosem esse docui, cujus imperiis arma sumsit Josue & tractavit. Hesionen ab irruente ceto tutam præstitit; Andromedam Perseus, qui Moses est. Magum & præstigiatorem fuisse Herculem idem Diodorus asseverat; quod inusitatis prodigiis Josuæ victorias Deus promoverit. Μουσηγέτης (*Musarum dux*) vocatus est, perinde ut Apollo, qui Moses est, cum quo communia multa habet Josue. Hercules Musarum appellatur apud Macrobium, & in Inscriptionibus: quo nomine Romæ cultus fuit. Πρόμαχος (*antesignanus*) etiam nuncupatus est, quemadmodum & Mercurius, altera Mosis imago. Discas hoc ex Pausania. Philosophus eximius habitus est, Suida teste, quod in Mosem aptissime quadrare docuimus. Refert Cleodemus adversus Antæum gigantem cum filiis Abrahami Herculem esse profectum: Josue adversus Enacæos gigantes cum Israelitis Abrahami nepotibus bellatum ivit. Post devictum Antæum coronatus dicitur Hercules a Mercurio, qui Moses est: hic Josuam ob res præclare gestas meritis præmiis & laudibus prosecutus est. Παραστάτης cognomento dictus est Hercules Idæus, ut narrat Pausanias, hoc est Satelles, & Stipator, & Comes, & Custos, quemadmodum appellatur in Marmoribus antiquis; quod hoc officium Mosi Josue præstiterit. Ideo adversus Indos bella gessisse dicitur, & adversus Æthiopas; quod hos bello lacessiverit Moses, illos vero sub Bacchi persona expugnasse fingitur. Ideo etiam vatem Herculem & naturalium rerum scientem fuisse tradit Herodotus apud Clementem Alexandrinum; quippe Mosis pleræque dotes Josuæ propter individuam societatem adscriptæ sunt. Atque hæc pensanti mihi probabile fit Columnas illas celebres Herculis ex Columna ignea Ebræorum exercitui præeunte originem habuisse: quanquam valde incerta sunt quæ de Herculeis Columnis jactantur. Unicam quidem Columnam ab Hercule Ægyptio in Africa positam Diodorus commemorat. In Gaditano Herculis templo Columnas fuisse auro & argento fusas Philostratus testatur, numerum columnarum non apponit; nec Strabo, qui non alias ad fretum Gaditanum positas fuisse arbitratur, Posidonii auctoritatem secutus. Duas in Tyrio Herculis templo Columnas, alteram ex auro, ex smaragdo alteram, positas fuisse perhibet Herodotus. Neque hic prætermittendum est, quod ex Sanchoniathone tradit Philo Byblius, Vsoum Hypsuranii fratrem duas Columnas Tyri, Igni, Ventoque consecrasse, & adorasse, ac ferarum

Euſ. Præp. Ev. l. 3. Macr. Sat. l. 1. c. 20.

Num. 27. 18. & ſeq.

Ariſt. Or. in Hercul. Leon. Anthol. l. 1. c. 38. Inſcr. Grut. p. 1.

Diod. l. 1. & 3.

Apollod. l. 2

Diod. l. 3. & 5.

Macr. Sat. l. c. 12. Inſcr. Gr. p. 1070.

Pauſ. Boe. Suidas in Ἡρακλῆς Ἀγαλμα in Ἡρακλ. Cleod. Euſ. Præ. l. 9.

Pauſ. Eli. l. 6. 2.

Clem. Strom.

Diod.

Philoſt. Vit. A. l. 5. c. Strab.

Herod. c. 44. Phil. B. apud Præp. l. 20.

sacrificiis coluisse. Aperte vides Columnam illam ignis & nubis, in qua ducem se Ebræis præbuit Deus, qui crebris animantium immolationibus ex instituto Mosis placabatur. Adde fratribus his defunctis, eos qui superstites fuere, virgas consecrasse, eosdemque columnas adorasse. Virgæ autem Mosem & Aaronem denotant, & nomen quoque Vsous idem videtur esse ac Ægyptium τσης, quo nomine dictos fuisse qui essent ex aquis servati prodit Josephus. Hujusmodi autem fuit Moses. Adstipulatur Artapanus qui narrat Ægyptios Mosaicæ virgæ portentorum effectrici id honoris habuisse, ut in omnibus templis virgas sacrarent. Quinetiam virgas sive fustes delibratos, pro Diis venerabantur, & Delubra appellabant. Sed dissimulandum non est observasse me vocem, φάλη, qua usus est Byblius ille Philo, non semper *columnam*, sed & *statuam* aliquando notare; uti & מצבה apud Ebræos. Exempla nobis sunt in promtu. Videndum igitur num & eamdem illic significationem obtineat. Vtut est, satis cognoscimus apud Tyrios, Tyriorumque colonos Gaditanos, frequentem fuisse sacrarum Columnarum usum. Itaque Hiram Tyrius, artifex ille ærarius, quem ad opera Templi accersiverat Salomon, cum duas illas ingentes Columnas æreas, quas Templi altitudinem æquasse tradit Eupolemus, in porticu constituit, mori patrio videtur obsecutus. Nec ab eo alienos fuisse Ægyptios probant obeli duo saxei, in templo Solis a Pherone Ægypti Rege positi. Sed redeamus ad Herculem. Scribit Menander, a quo Tyriorum Annales e Phœnicio sermone in Græcum translati sunt, in fragmento quod libris suis ἐφημερίδων (*Historiæ antiquitatum*) Josephus intexuit, in Tyrio Jovis templo dedicatam fuisse ab Iromo rege auream Columnam: in gratiam, ut puto, Herculis, quem impense idem Iromus coluit, ut habet ibidem Menander, primusque ipsum statua honestavit, cum in templo ipsius Gaditano nullam fuisse effigiem doceant Silius & Philostratus. Addit Eupolemus auream hanc Columnam Tyri in templo Jovis consecratam, donum fuisse Salomonis. Hoc si verum sit, jam tum in profanos gentium ritus declinasse Salomonem dicendum est, cum Ethnicis impietatis instrumentum subministravit. At credendum potius Theophilo, qui narrat Salomonem residuum ex Templi fabrica aurum ad Tyrium regem muneri misisse, hunc filiæ simulacrum ex eo conflavisse, & in aurea Columna sic tanquam thea concluisse. Manavit & ad alias gentes isthæc Columnarum consecrandarum religio. In templo Jovis Triphylii visebatur Columna aurea, ab ipso Jove, ut indicabat titulus, posita; ex cujus præcipue inscriptionibus Euhemerus antiquus Auctor Jovis cæterorumque Deorum historiam compilavit. Testes Diodorus & Lactantius. Fuisse & in fano Junonis Laciniæ Columnam auream scripsit Cicero ex Cœlio; quam a Tyriis positam persuadet recepta apud Veteres opinio, fanum hoc ab Hercule fuisse extructum. Hercules enim magno in honore erat apud Tyrios, ut credibile sit gesta sua & reperta, velut inventionem purpuræ, ipsi nonnunquam adscripsisse. Addit Cicero Hannibalem, Columnam hanc cum exterebrasset & solidam invenisset, auferre voluisse; verum monitu Junonis absterritum, ex eo auro quod extritum fuerat, buculam conflari jussisse, & in summa Columna collocari. Quo facto geminum videtur conjunxisse Mosaicæ historiæ symbolum, & Columnam, & buculam. Nam ad hanc quod attinet, nihil aliud fuisse puto quam Apidis simulacrum, quem Mosem esse diximus. Hanc Ægyptiorum adversus bucerum genus religionem, quam & ante Mosem jam in Aegypto receptam fuisse supra diximus, imitati sunt Aaron & Jeroboam, cum vitulos aureos adorandos proposuerunt Ebræis, qui mores Aegyptios nondum penitus dediscere potuerant. Imitatæ videntur & finitimæ gentes, atque eam deinde a Tyriis Carthaginenses, eorumque dux Annibal accepisse. Præter memoratas Columnas, alias quoque ab Hercule, item a Baccho, qui Moses est, in India positas fuisse legitur in Epigrammate Antipatri Sidonii; legitur & apud Servium, Herculem columnas in Ponto, ut & in Hispania statuisse. Germanos etiam columnarum effigie imitatos esse Herculem Witichindus memorat: & sua ætate prope Frisios Herculis columnas superfuisse testatur Tacitus. Et nos jam observavimus ex Clemente Alexandrino Bacchum & Apollinem, qui Mosis icones sunt, Columnæ symbolo, propter eamdem Columnam Israelitarum ducem, fuisse expressos.

Jos. Antiq. l. 2. c. 5. Art. apud Eus. Præp. l. 9. c. 27.

3. Reg. 7, 13. & seq.

Eupol. ap. Euseb. Pr. l. 9. c. 34.

Jos. Antiq. l. 8. c. 2. & l. 1. contr. Ap.

Sil. l. 3. Philostrat. Vit. Apoll. l. 5. c. 1. Eupol. ap. Eus. Præp. l. 9. c. 34.

Theoph. apud Eus. ibid.

Diod. apud Eus. Præp. l. 2. c. 2. Lact. l. 1. c. 11. Cicer. l. 1. de divin.

Ant. Anth. l. 4. c. 12. Serv. in Æn. 11.

Witich. de Germ.

Tacit. de mor. Germ.

Clem. Al. Strom. 1.

Digitized by Google

Joseph. l. 2. contra Ap. pressos. Queritur præterea Josephus Apionem Grammaticum, Mosaicarum rerum non satis peritum, scripsisse Mosem Heliopoli Columnas quasdam statuisse ad Solis motus explorandos. Tot commentitias Columnas peperit una hæc Columna, in qua delitescens Dominus ducem se itineris Ebræis præbuit. Ac pro una quidem duas ab aliquibus videmus fuisse conflictas; quod Israelitica hæc per diem nubilo esset colore, per noctem vero igneo, atque ita quasi duplex haberi posset; juxta illud Mosis ad Num. 14, 14 Deum: *In columna nubis præcedis eos per diem, & in columna ignis per noctem.* Alexicacon Græci Herculem appellabant, Coi contractius Alexin, hoc est Averruncum, ita alludentes ad nomen Josuæ, ישוע, quod Servatorem & Salutiferum sonat. Sed & Herculem σωτῆρα *(Servatorem)* cognominatum ferunt in nummis Thasiorum, qui fuerunt Phœnicum coloni, & uti par fuit, & testatur Pau- Paus. El. 1. sanias, Herculem eumdem colebant ac Tyrii; quemadmodum & Tyrios Herculis Thasii Herod. l. 2. c. 44. templum habuisse perhibet Herodotus. Hinc Grut. Inscr. p. 45. & 134. sæpe in Inscriptionibus appellatur Hercules conservator, & Hercules defensor: quo nomine Romæ templum habuit. Quædam habet DEO HERCULI COMITI ET CONSERVATORI, Alia, HERCULI COMITI CUSTODI. Calendarium Capranicorum, cujus fragmentum affert Gruterus, HERCULI MAGNO CUSTODI. Eust. in Il. α. Est apud Strabonem & Eustathium κοφοστίωνα *(Locustarium)* cognominatum fuisse Herculem ab Oeteis, ἀπὸ τῶν κοφόνων, hoc est παρόντων, *a locustis*, quarum lue ipsos liberavit: cognominatum vero ab Erythræis ἰποκτόνον *(vermiculorum interfectorem,)* a vermiculis vineas corrodentibus, quas abegit ex ipsorum regione & profligavit. Romanis ἀπόμυιος *(Muscarum depulsorum)* dictum tradit Paus. Eliac. a. Clemens in Protreptico. Scribit Pausanias hunc in Olympia sacrificantem votum ἀπομυίου Solin. c. 2. Jovi fecisse, ut muscas importunas & molestas a se depelleret, atque id impetrasse. At Solinus, eumdem, cum illic ubi Roma deinde condita est, *Viscerationem sacricolis daret*, *Myiagrum Deum esse imprecatum* narrat. Fabularum istarum non alia origo quærenda est, quam translata in Josuam culicum Ægyptiorum, muscarum & locustarum prodigia a Mose edita. Serpentes dicitur infans Hercules in cunis elisisse, quod Hevæos Chananæam gentem expulerit Josue, qui Cadmo duce in Græciam profugerunt: חוה autem *Hevæum* & *Serpentem* Syriaca lingua significat. Apposita ad eam rem Clementis verba proferam e Protreptico, ubi de Bacchi Mystis sic differit: τελίσκουσι τὰς κρεανομίας τῶν ἐλάφων ἐνεστεμμένοι τοῖς ὄφεσιν, ἱπολολύζοντες ἕναν ἐκείνην, ὃν ἡ πάλαι παρηκολούθησε, καὶ ὁ θάνατος ἐπηκολούθησε, καὶ σημεῖον ὀργίων βακχικῶν ὄφις ἐστὶ τετελεσμένος. ἀντίκα γοῦν κατὰ τὴν ἀκριβῆ τῶν ἑβραίων φωνὴν τὸ ὄνομα τὸ ἐνὰ δασυνόμενον ἑρμηνέυεται, ὄφις θήλεια. *Hœdinarum carnium distributionem celebrant, coronati serpentibus, ululantes Evam illam, per quam error cum morte subsecutus est, & insigne orgiorum Bacchicorum est serpens consecratus. Igitur juxta accuratam Ebraicæ vocis significationem, nomen Eva, si aspiretur, exponitur, Serpens fœmina.* Ex hujus vocis ambiguitate Lerneam Hydram contudisse dictus est Hercules a fabularum artificibus, & exitialem anguem ad Sagarim flumen extinxisse, unde Ophiuchi nomine & figura inter sidera donatus est; dictus & Draconem Hesperidum mala servantem interfecisse, unde & Engonasin, sive Ingeniculi nomen & formam habuisse ex Eratosthene Hyginus observavit. Hyg. Poet. Astr. l. 2. & 3. Ex Eurysthei arbitrio pendebat Hercules, & ad ejus nutum prœliabatur; quod & ipsius amore captum egisse volunt quidam: ita &. ex præscripto Mosis Josue hostes adoriebatur, & labores suos exantlabat. Prometheum ad Caucasi rupes expansis manibus religatum liberasse fingitur Hercules, quo figmento expressum suspicor Mosem, in vertice collis lapidi insidentem, & manus passas in sublime tollentem, quoad Josue parta ab Amalecitis victoria hoc ipsum labore levaret. Narratur Hercules Acheloum fracto cornu domuisse, eique post victoriam cornu reddidisse; quod ita interpretantur Mythologi, intumescentem unum e fluvii alveis, & iter morantem, per colliquias & incilia alio derivasse, & post transitum in pristinum alveum reduxisse. Dicitur quoque apud Pausaniam per Pheneatarum agrum excavasse alveum Olbio fluvio, quem Aroanium Arcadum alii vocant. Tempe quoque & insalubres Stymphali paludes fertur exsiccasse; apertis montibus aquarum cursum retinentibus. Quibus illud Dei beneficium exprimitur, cum arefecit Jordanem, Josua Israeliticum exercitum transmittente, & pristinis deinde sedibus restituit. Mala Paus. Arc.

Digitized by Google

Hesperidum ab Hercule detracta, & Geryonis abactos boves Mythici Scriptores commenti sunt; an quod, ut Madianitarum Moses, sic & Chananæorum Josue boves abegit & μῆλα, quæ vox & oves & mala significat? Busiris, Augias, Sarpedon, Albion, Bergion, Dercynus, Eryx, Antæus, Eurypylus, Eurytus, Creatus, Neptuni filii; Polygonus, & Telegonus, Neptuni nepotes, ab Hercule edomiti sunt: a Josua Chananæi & Phœnices, gens navigationibus & maritimis commerciis nobilitata. Tricorporem Geryonem dicitur Hercules cecidisse, propter enormem Gigantum quos debellavit Josue staturam, solita hominum proceritate longe majorem: quam ob caussam verisimilius est πολυσωμάτους (*multa corpora habentes*) Gigantes fuisse creditos, quam propter gestorum multitudinem, ut Diodorus existimavit. Crediti & adversus Jovem, & Osiridem, & Herculem bella gessisse; quod monstrosi illi Enacim Idolis dediti, veri Dei cultum respuerint, & adversus ejus ministrum Mosem, quem Osiridem ab Ægyptiis fuisse appellatum diximus, & Mosis ministrum Josuam; & Deo consecratam gentem infeliciter bello contenderint. *Gigantes*, inquit Macrobius, *quid aliud fuisse credendum est, quam hominum quamdam impiam gentem Deos negantem, & ideo æstimatam Deos pellere de cœlesti sede voluisse? Horum pedes in draconum volumina desinebant, quod significat nihil eos rectum, nihil superum cogitasse, totius vitæ eorum gressu atque processu in inferna mergente.* Terrore perculsi finguntur Gigantes illi: sic Rahab meretrix Hierichuntina de popularibus suis ad exploratores a Josua missos: *Irruit in nos terror vester, & elanguerunt omnes habitatores terræ*: sic ipsi exploratores de iisdem: *Tradidit Dominus omnem terram hanc in manus nostras, & timore prostrati sunt omnes habitatores ejus*: sic ipse deinde Scriptor Libri: *Postquam ergo audierunt omnes reges Amorrhæorum, qui habitabant trans Jordanem ad occidentalem plagam, & cuncti Reges Chanaan, qui propinqua possidebant magni maris loca, quod siccasset Dominus fluenta Jordanis coram filiis Israel donec transirent, dissolutum est cor eorum, & non remansit in eis spiritus, timentium introitum filiorum Israel.* Terrorem hunc Gigantibus fabularum conditores ferunt injectum a Pane, quem probavimus esse Mosem, expeditionis hujus, secundum Deum, & belli auctorem. Post debellatos Gigantes duodecim Diis aras Hercules erexit: post interfectos Og & Sehon, & transmissum Jordanem, duodecim lapides a viris duodecim, e duodecim tribubus sigillatim electis, in castris constitui jussit Josue ad perpetuam rei memoriam, & totidem in medio Jordanis alveo. Quæ exempla secutus est Alexander, extructis in India aris duodecim, victoriarum monumentum, antequam reditum pararet. Herculem Indicum cognominatum fuisse Belum perhibet Cicero; hoc est בעל quam dictionem *Dominum* significare pervulgatum est: quippe Chananææ terræ dominatum Josue obtinuit. Mercurio clavam post cæsos Gigantes Herculem consecrasse tradunt, quod Mosis auspiciis Josue reges Og & Sehon deleverit. Hanc clavam ad Trœzenem, prope statuam Mercurii Polygii, qui Moses est, actis radicibus & ramis repullulasse, & ex oleastro cæsa cum fuisset in oleastrum evasisse vetus sermo est, a Pausania relatus in Corinthiacis; cujus origo latet in Aaronis virga, quæ a Mose in sacro Tabernaculo deposita refloruit & amygdalas trusit. Josuæ autem a Græcis Ebraicarum rerum non valde peritis attributum est, quod Aaroni debebatur. Ad Trœzenem quoque fons est, quem ab Hercule repertum fuisse dicunt; sed & sitienti flumen e terra erupisse fingunt: sic in eum transcribentes patratum a Mose prodigium: cum siccis Ebræis eductas e rupe aquas propinavit. Finium custodiam Herculi adscribit Leonides in Anthologia, atque item Mercurio; quemadmodum & Silvano Horatius, aliique; Mosi videlicet & Josuæ, quod illius præceptis, hujus ductu & armis Ebræi Chananææ terræ a se subactæ adversus circumstantes hostes fortiter tutati sint.

Num. 31, 1. & seq.

Diod. l. 1.

Macrob. Sat. l. 1. c. 20.

Jos. 2, 9.

Jos. 2, 24.

Jos. 5, 1.

Cicer. l. 3. de natura Deorum.

Pausan. Corinthi.

Anthol. l. 1. c. 38.

XIII. Quærat aliquis, quemnam hic Herculem significatum velim, Phœnicium, Creticum, an Thebanum. Pervulgata quippe hæc est doctorum hominum sententia, plures fuisse Hercules, & gesta omnium a Græcis fuisse in unum Thebanum collata; seu potius fortibus quibusque viris Herculis nomen fuisse impositum. Tres statuit Diodorus, Ægyptium, Creticum, & Thebanum: tres Arrianus in libris de expositione Alexandri, Ægyptum, Tyrium, & Græcum; quibus Indicum

Unicus fuit Hercules.

Diod. l. 3. Arrian. de exped. Alex. 2. & 4.

Digitized by Google

Indicum præterea addit in Indicis ex Megasthene. Herculem alii antiquissimum arbitrantur Phœnicium, secundum Ægyptium, postremum ac recentiorem Thebanum. Herod. l. 2. c. 44. Quidam Ægyptios duos agnoscunt; Herodotus duos Græcos, Deum alterum, alterum Heroem; Cicero sex; duodecim alii; quidam etiam longe plures. Cicer. de nat. Deor. l. 3. Ego omnino unicum, eumque Josuam fuisse statuo; quæ enim tribuuntur aliis, ad Josuam omnia commode referri posse video. Nam primum fabulosam esse omnem Herculis historiam Erathostenes, aliique censuere. Erath apud Strab. l. 1. 5. Antiquissimus præterea habetur ille Phœnix; qui Melicarthus dicitur a Phylone Byblio, Euf. Præp. Ev. l. 1. ut est apud Eusebium: hoc est מלך עיר *Rex urbis: Θεὸς πολιοῦχος, (Deus urbis custos)* Hesych. in μέλκαρτ. ut jam observarunt alii. Amathusii μέλκαρτ, hoc est *Regem*, simplicius appellabant; quod Israelitis jure regio Josue præfuerit. Ex hoc Melicartho Phœnicum, nomen habuit Græcorum Melicerta, qui & Palæmon, quem & Hesych. in παλαίμων. Herculem esse testatur Hesychius. Phœnix idem Hercules, Desanaus, sive Diodas dictus est. Atqui hunc ipsum Mosis ætati æqualem faciunt ratiocinationes Eusebianæ, proindeque & Josuæ. Quoniam autem a Josua, quem Herculem habendum esse ostendimus, circa hæc tempora patria sua exterminati Phœnices, partim in Africam profugerunt, ut ostendit vetus inscriptio literis Phœniciis exarata in Numidia Tingitana, quam refert Procop. Vandal. l. 2. c. 10. Procopius in Vandalicis: ἡμεῖς ἐσμεν οἱ φυγόντες ἀπὸ προσώπου Ἰησοῦ τοῦ λῃστοῦ υἱοῦ Ναυῆ *Nos sumus, qui fugimus a facie Jesu latronis, filii Nave;* partim in Bithyniam & Thraciam & vicina Thraciæ loca Phœnice duce; Nonn. Dion. l. 13. partim & in Bœotiam ac Illyricum præeunte Cadmo, quem & centum præterea urbes in Africa condidisse Nonnus asseverat; hinc factum ut fama ejus per varias gentes sparsa, horum animos terrore, illorum admiratione compleverit; ac ab aliis, puta Phœnicibus, λῃστὴς, *latro*; Deus ab aliis, puta Ægyptiis & Græcis, habitus sit, quemadmodum & Mosi contigisse supra notavimus. R. Sel. in Gen. c. 1. Ac non Josue quidem solum, sed & reliqui Israelitæ latrones ab exteris gentibus appellati sunt, ut habet R. Selomoh Jarchi; sive propter expilatos furto Ægyptios, sive propter dejectos sedibus suis Chananæos. Cum ergo Josuæ virtutem in Græcia prædicasset expertus Cadmus, Cadmo oriundum & Thebis natum finxerunt Græci, quem ex Cadmi Thebarum conditoris verbis cognoverant. Quocirca cultum ejus Cadmum in Græciam intulisse traditum est a Pausania. Pauf. Eliac. l. 1. Similiter qui Africanis ex profugorum Phœnicum sermonibus primum innotuerat, ab iisdem Africanis ad suas appulisse oras confictus est, & Antæam circa Tingi regnantem domuisse. Atque ea commenta posterior ætas, vel propter veri ignorationem, vel propter innatam hominibus fingendi libidinem, tanto fabularum incremento amplificavit, ut Herculem in multos; Phœnicium, Ægyptium, Indicum, Creticum & Thebanum sejunxerit; & quidquid demum fortiter gestum undeunde acceperat, ad Herculem quisque suum referret; sed Græci præcipue, gens mendax & fabulis serendis nata. Cum ait ergo Herodotus se Tyri accepisse, Herculis templum, quod illic extat, simul cum ipsa urbe fuisse conditum; Tyrum intellige Alexandri obsidione nobilitatam, quæ Trojano excidio non multo vetustior fuit, Josua vero longe recentior, non vero Palætyrum, cujus fit in ipso Josuæ libro mentio. Herod. l. 2. c. 44. Opinionem nostram plurimum juvat Pausanias, cum narrat Herculem Idæum, sive Creticum, Tyri templum habuisse, ac Bœotis ignotum non fuisse. Pauf. Bœot. Herod. l. 2. c. 44. Unde facilis existimatio est, Tyrium Herculem, Creticum, & Thebanum unum esse. Thasii quoque Herculis, templum Tyri fuisse docet Herodotus; Pausanias vero Thasios Herculem eumdem coluisse ac Tyrios. Pauf. Eliac. l. Magnificum illud Gaditanum templum Herculi Tyrio Phœnices condidisse & res ipsa clamat & docent Appianus, & Arrianus. Appian. Iberic. Arrian. Exped. Atidem Ægyptio Herculi fuisse extructum scribunt Philostratus & Pomponius Mela. Ægyptium Herculem patria lingua Chona dictum veniisse in Italiam & nomen Chonibus dedisse legitur apud Phavorinum in Lexico. Is, si quid conjectura valeo, idem est ac Hercules Tyrius, sive Chananæus. Nam Stephanus Phœnicen perhibet appellatam fuisse χνὰ, & Phœnices χνάους; & Sanchoniathonis Interpres Philo Byblius Chna primum Phœnicem cognominatum esse scribit. Chna autem manifesto est כנען, *Chanaan*. Itaque Herculem Chona, qui Ægyptius dicitur, liquet eumdem esse ac Herculem Chnaum, sive Chananæum. Philoftr. Vit. Apoll. l. 2. c. 14. Pomp. Mel. l. 3. c. 6. Phavor. in χώνας. Steph. in χνὰ. Phil. Bybl. apud Euf. Præp. l. 1.

XIV. Jam

Digitized by Google

Explicatur denuo 1. Mach. 12, 21 in quo agitur de Judæorum & Spartanorum consanguinitate.

XIV. Jam vero munita nobis est via ad enodationem perdifficilis & vexatissimæ quæstionis, quæ oritur ex priore Machabaico, in quo Spartæ rex Arius Oniæ summo Judæorum Sacerdoti scribit, ex libro quodam didicisse se Judæorum fratres esse Spartanos, & utrosque Abrahami esse nepotes. Quamquam probabili conjectura supra ita explanata est hæc quæstio, ut expositio nostra nemini non possit sufficere; aliam nihilominus simpliciorum, & veri etiam, ne quid dissimulem, mea sententia aliquanto propiorem hic proponam. Lectori per me, utram volet, persequi fas esto. Constat Lacedæmoniorum reges, ac proinde Arium hunc, ad Herculem genus suum retuliſſe: quemadmodum fabulosa fere sunt initia vetustarum ac nobilium familiarum, & olim in Græcia generosus quisque ac natalibus clarus Deum aliquem stirpis suæ auctorem jactare solebat. Herculem autem quemdam Tyrium, nec non & Ægyptium Herculem pervulgata hominum fama celebrari ignorare non potuit Arius, re tot indiciis expressa. Hos, ipsumque adeo Thebanum, non multos ac diversos, sed unum & eumdem fuisse hominem, eumque Judæum, ex libri alicujus lectione, & ex rei veritate certior Arius fieri potuit; atque ita se Judæis, ipsoque Abrahamo oriundum, ac Judæorum fratrem reputare. Dices scripsisse Arium Spartanos & Judæos fratres esse, atque eo non Lacedæmonios solum reges, sed totam gentem significari. Respondeo numerosam fuisse & amplam regiam Heraclidarum familiam; teste Plutarcho, cujus verba hæc sunt; τῶν ἀναμιχθέντων Δωριεῦσιν ἡρακλειδῶν, καὶ κατελθόντων εἰς πελοπόννησον, πολὺ μὲν ἐν σπάρτῃ καὶ λαμπρὸν ἦν τὸ τῆς γένους. *Ex Heraclidis, qui Dorienſibus permiſti ſunt, & in Peloponneſum redierunt, ampla Spartæ & clara gens floruit:* in eaque, utpote præcipua ac nobiliſſima Spartanæ gentis parte, totam gentem potuisse comprehendi; præsertim cum orti essent ex ea Reges ipsi; totius autem Reipublicæ personam Rex sustineat: *Est* enim, inquit Cicero, *proprium muris magiſtratus, intelligere ſe gerere perſonam civitatis.* Alia præterea conjectura nodum hunc solvere promtum esset, si fidem aliquam possemus iis adjungere quæ de Lacedæmonis origine ab Honorio Augustodunensi & Alberto Stadensi tradita sunt. Scribit ille libro tertio de imagine mundi, & hic in Chronico, tempore Mosis Lacedæmonem a Cecrope fuisse conditam. Cum autem Cecropem esse Mosem supra demonstraverim, dicerem Arium ea re deprehensa, Mosem urbis suæ conditorem, gentisque auctorem credidisse, atque hinc esse ratum unam eamdemque fuisse Spartanorum ac Judæorum originem. Verum Honorii illius & Alberti auctoritati parum tribuo, mihique Spartam cum Athenis a Cecrope conditis videtur confundere.

Plutarch. in Lyſandr.

Cic. Offic. l. 1.

Alb. Stad. Chron.

DE LIBRO JUDICUM.

I. *Diſputatur de Auctore libri Judicum. Variæ opiniones proponuntur.* II. *Samueli adſcribitur, ejusque probatur γνησιότης & antiquitas.* III. *Refelluntur argumenta Adverſariorum. Primum argumentum.* IV. *Secundum argumentum.* V. *Tertium argumentum.* VI. *Ex Judicum libro aliquot manarunt Græcorum, aliarumque gentium fabulæ ac ritus.*

Diſputatur de Auctore libri Judicum. Varie opiniones proponuntur.

I. Libri Judicum magis etiam quam superioris Auctor ignoratur. Eum esse librum Bellorum Dei in libro Numerorum laudatum censuit Aben Esra. Visum est quibusdam Judices ipsos suæ in libro hoc gesta consignasse. Samueli adscribunt Isidorus, & Thalmudici Scriptores capite primo Babæ bathræ, & R. Moses Kimchi Davidis frater, & Abrabaniel; alii Ezechiæ, Esdræ nonnulli. Auctor Synopseos de vita & morte Prophetarum, quæ Dorotheo tribuitur, scriptum fuisse ait in Tabernaculo, perinde ut librum Ruth, a Scribis nempe sacris.

Isid. Orig. l. 6. c. 2.

Samueli adſcribitur, ejusque probatur γνησιότης & antiquitas.

II. Utcunque est, vetustissimum esse Librum hæc arguunt, quæ in sexagesimo septimo Psalmo legimus: *Deus cum egrederetis in conſpectu populi tui, cum pertranſires in deſerto, terra mota eſt; etenim cœli diſtillaverunt a facie Dei Sinai, & facie Dei Iſrael.* Delibata illa manifesto sunt ex his libri Judicum verbis: *Domine, cum exires de Seir, & tranſires per regiones Edom, terra mota eſt, cœlique ac nubes diſtillaverunt aquis.* Hæc deinde subnexa sunt: *Montes fluxerunt a facie Domini, & Sinai a facie Domini Dei Iſrael.* Hinc ista Psaltes expressit: *Montes ſicut cera fluxerunt a facie Domini, a facie Domini*

Pſal. 67, 8. 9

Jud. 5, 4.

Pſal. 96, 5.

Digitized by Google

Jud. 13, 5. *Domini omnis terra.* Ex ejusdem quoque Libri capite decimo tertio sumtum esse constat, quod per Prophetas dictum esse pronuntiat Matthæus: *Quoniam Nazaræus vocabitur.* Scriptum præterea habetur in libro Judicum: *Et ecce una mulier fragmen molæ desuper jaciens, illisit capiti Abimelech, & confregit cerebrum ejus.* Inde proveniisse suspiceris illa libri secundi Samuelis: *Quis percussit Abimelech filium Jerobaal? nonne mulier misit super eum fragmen molæ de muro, & interfecit eum in Thebes?* Ex iis porro quæ propositæ sunt a me sententiis ad eam potissimum animus meus inclinat, quæ Samuelem libri auctorem esse decernit. A Judicibus enim ipsis scriptum fuisse verisimile non est, nam unius videtur texturæ opus; nec credi potest ea de se posteris tradere voluisse Abimelechum, vel potuisse Samsonem, quæ illic leguntur. Facilius assentiemur Dorotheo, qui factum id statuit a Scribis sacris, modo gestarum rerum commentarios tantum ab iis scriptos, ipsorum vero commentariorum lectione instructum Samuelem, librum hunc composuisse fateatur; cum unius, ut dixi, texturæ, ejusdem textoris opus esse appareat: id quod vel ex uno capite secundo cognoscitur, quo velut totius Libri summarium continetur. Neque vero probabile est Samuelem, cum Ebraicam Rempublicam Dei nutu & consilio restituendam suscepisset, præteritarum rerum, quarum auctorem Deum agnoscebat, memoriam ita neglexisse, ut Judicum historiam oblivione extingui & obsolescere pateretur; sed potius, pro injuncti sibi a Deo muneris ratione, ex Scribarum commentariis collectam concinnasse credendum est. Quamquam arbitrium quæstionis hujus unicuique permitto, dummodo concedatur genuinum esse Librum, quippe qui sit incerti Auctoris & temporis, qualis esse vulgo dicitur.

Matth. 2, 23.

Jud. 9. 53.

2. Sam. 11, 21.

Refellitur argumenta Adversariorum. Primum argumentum.

III. Neque me movent, quæ ad Libri hujus dignitatem labefactandam solent objici. Post captivitatem decem tribuum scriptum esse colligunt quidam ex his verbis capitis decimi octavi: *Posuerunt sibi sculptile, & Jonathan filium Gersam filii Moysi, ac filios ejus Sacerdotes in Tribu Dan, usque ad diem captivitatis suæ. Mansitque apud eos idolum Michæ omni tempore, quo fuit domus Dei in Silo. In diebus illis non erat Rex in Israel.* Quæ postrema verba sæpe hoc libro iterata reperias. Ergo, inquiunt, jam creati erant Reges Israelitarum, & decem tribus captivas abduxerat Salmanasar, cum hæc scriberentur. Frustra: nam Michæ idolum tum periit, cum de Silo ablata est Arca, ut in prælium adversus Philistæos produceretur: quemadmodum aperte significat istud comma. Sublato autem idolo quorsum idoli Sacerdos? Sublatus autem est, & Sacerdos una cum idolo, & belli jure captus una cum magna Israelitarum multitudine: sic enim habet Psalmus septuagesimus septimus: *Et repulit tabernaculum Silo, tabernaculum suum, ubi habitavit in hominibus: & tradidit in captivitatem virtutem eorum, & pulchritudinem eorum in manus inimici*, Deinde cum ait Auctor libri Judicum: *In diebus illis non erat rex in Israel*, liquido indicat captivitatem hanc contigisse antequam Israelitis Reges Deus præfecisset. Hæc enim verba ad præcedentia pertinere cum Septuaginta Senibus & Vulgato Interprete existimamus. Atqui & infelix illud prælium, & Regum creatio, evenerunt Samuelis temporibus, & a Samuele scribi potuerunt.

Jud. 18, 30. 31.

Ps. 77, 60. 61.

Secundum argumentum. Theod. Interr. 2. in Jud.

IV. Alterum argumentum est Theodoreti, qui recentem Libri hujus confectionem esse opinatur, quod mentio in eo fiat Jerusalem, cui nomen id inditum putat posteriori ævo. Eodem telo peti poterat & libri Josuæ dignitas, in quo urbem hanc nomine eodem sæpe affectam reperies. Certum est hanc ipsam esse civitatem, quæ prius nominabatur Salem, & in qua Melchisedeci regia fuit. Nam Psaltes ait juxta Ebraicum exemplar: *Et factus est* בשלם *in Salem locus ejus, & habitatio ejus in Sion.* Proxima utique Vallis regia; hæc decimo quarto Geneseos, illa decimo octavo capite secundi Samuelis memorata. Sita utraque est in via quæ a convalle Mambre, in qua habitabat Abraham, recta Hobam ducit, ad quam usque idem Reges quinque persecutus est. Certum quoque est factam dictionem Jerusalem ex vocibus יראה, & *Salem*; sumto priore hoc vocabulo ex nomine quod Moriiæ monti, qui in eodem loco situs erat, fecit Abraham, cum dixisset: יהוה יראה *Dominus videbit.* Quandonam vero hæ duæ dictiones in unam conflatæ sint, ac Jerusalem primum dici cœpta sit hæc civitas, obscurum est & incertum.

Ps. 75, 3.

Gen. 14, 17.

2. Sam. 18, 18.

Gen. 22, 8. 14.

Digitized by Google

certum. Ego quidem probabiliter dici posse censeo, Israelitas, ipsumque Josuam, postquam vicina loca insederunt; memores Abrahamici dicti, & impositi loco nominis; novum nomen urbi finxisse ex veteri hoc *Salem*, quod a Jebusæis finitimisque gentibus habebat, & altero יהוה יראה, quod ab Abrahamo habuerat. His autem recentior fuit libri Josuæ, & libri Judicum lucubratio: unde irritum est, quod inde telum cuditur.

Tertium argumentum.

V. Perstringenda interim Disputatoris Theologo-Politici levitas, qui cum capite Tractatus sui octavo hæc scripsisset: *Librum Judicum neminem sanæ mentis sibi persuadere credo ab ipsis Judicibus esse scriptum: epilogus enim totius historiæ, qui habetur cap. 2. clare ostendit eum totum ab uno solo Historico scriptum fuisse:* capite tamen sequenti variorum Historicorum fragmentis consutum esse affirmat: *Quis enim*, inquit, *non videt in cap. 2. Judicum ex vers. 6. novum Historicum afferri (qui res a Josue gestas etiam scripserat) ejusque verba similiter describi. Nam postquam Historicus noster in ultimo capite Josuæ narravit quod ipse mortem obierit, quodque sepultus fuerit, & in primo hujus Libri narrare ea promiserit, quæ post ejusdem mortem contigerunt; qua ratione, si filum suæ historiæ sequi volebat, potuisset annectere superioribus, quæ hic de ipso Josua narrare incipit?* Ergo in eodem capite causam reperit homo perspicax, cur ab uno Historico & a pluribus scriptum hunc Librum opinaretur: quod ejus acumine dignum est. Attendisset primo capite gentes recenseri, quæ inter Israelitas manserunt incolumes, & sedibus suis moveri non potuerunt; capite vero sequenti causas afferri, quamobrem eas Deus adversus populi sui vim tutatus sit, peccata nempe post excessum Josuæ & sub Judicum imperio ab Israelitis idemtidem admissa; quibus comprobandis rem arcessi a capite, a rebus nempe quæ κληρωσίαν (*distributionem sorte factam*) Josuæ proxime consecutæ sunt; verba autem illic e calce libri Josuæ repetita, indicio esse, tum calcem hanc, tum librum Judicum, ab eadem manu esse profecta; atque priora hæc capita duo ad pleniorem sequentium intellectum viam munire.

Jos. 24. 28. & seq.

Ex Judicum libro aliquot narratur.

VI. Sed & fabulis aliquot commiscendis ansam præbuit iste Liber. Fatalis ille Nisi Megarensium regis capillus, unde regni fortuna pendebat; quo demesso a Scylla amore perdita puella præsens exitium Niso & Megaris conflatum est, nonne ad ipsam Samsonis cæsariem expressus est, quæ a Dalila meretrice resecta maximum infortunium Samsoni peperit? Annon indidem prodiit & aureus capillus, Neptuni beneficio Pterelæ nepoti concessus, eo omine atque lege, ut quamdiu irresectus in ejus capite maneret, tamdiu invictus ipse esset: quem cum perfidia ac scelere filiæ Comæthus, Amphitryonis hostis sui amore captæ, amisisset, regno ab ea, vitaque privatus est; ut habetur in Isacii Tzetzæ Scholiis ad Lycophronem. Cæsum ab eo Tamnatam eunte leonem leo Nemeæus ab Hercule interfectus refert; Dalilam, Omphale; columnas duas Gazææ domus, Columnæ Gaditanæ, quæ Herculi meta itinerum fuerunt, ut illæ Samsoni vitæ terminus. Vterque demum interitu voluntario periit. Atque ita Josuæ & Samsonis gesta uni Herculi fabularum auctores accommodarunt, uti sæpe ab illis fieri solere observatum est. Ad Samsonis obitum confictus videtur celebris casus Cleomedis Astypilæi, qui concussa domus columna, in qua plures pueri inerant, universos ruina oppressit. Jephthe sacrificans filiam Deo, adumbratur Agamemnone Dianæ immolante Iphigeniam, quam a patre Jephthe sic dictam, quasi Jephthe genitam non absurde viri docti conjecerunt: adumbratur & Idomeneo, qui tempestatibus jactatus cum Neptuno sacrificaturum se pollicitus esset quidquid sibi primum ad litus appellenti obvium foret, navi egressus incidit in filium, quem & ex voto mactare coactus est. Samgar sexcentos Philistæos interficiens במלמד הבקר, *stimulo bovis* Lycurgo exprimitur Bacchas βουπλήγι (*stimulo bubulo*) in Syria infectante, qualis ab Homero & Nonno pingitur. Lunularum gestandarum mos, quem Gedeonis temporibus usurpabant Madianitarum Reges, ut ex libri Judicum octavo capite discimus, priscum indicat ritum, longe latequeditum; & apud Phœnices quidem, Astartes cultores, quæ Luna est, quemadmodum jam monui; & uti verisimile est, cultus hujus auctores: apud Brachmanes quoque, qui etiam nunc Esuvare caput Lunula insignire solent. Eodem uti ornamento consueverunt Arabes, gens Lunæ cultui a vetustissimis temporibus dedita, & ab Arabi-

Græcorum, aliarumque gentium fabulæ ac ritus.

Hom. Iliad. ζ. Nonn. Dion. 20.

Jud. 8. 21. 26.

Digitized by Google

ab Arabibus ad Turcas propagata est hæc religio. Madianitas dixi Lunulas gestasse; nam quod reddit Vulgatus Interpres hoc loco quem dixi: *bullas*, & *ornamenta*, Ebraice dicitur שהרנים, quod *Lunulas* sonat. Septuaginta reddunt μηνίσκους *(Lunulas.)* Historia Serapidis illius, qui postquam Ptolemæo Lagi apparuit, visus est in cœlum igne plurimo attolli, petita existimari potest ex historia Angeli, qui Manuæ Samsonis patri apparuit, & deinde cum ascenderet flamma ex altaribus in cœlum, Angelus Domini in flamma simul ascendit. Hierombalum sive Gedeonem Sanchoniathonis æqualem fuisse diximus supra: Sanchoniathonem autem Trojanum bellum multis præcessisse annis, & ad Mosis ævum proxime accessisse constat ex certissimis Phœnicum Annalibus. Denique Hierombali istius sive Gedeonis, ipsiusque filii Abimelechi meminerunt libri Samuelis. Hæc eo refero, ut tum libri huius, tum & rerum de quibus Libro hoc agitur, vetustas appareat; ne qua possit de ea oriri dubitatio, si mysterii alicujus Novi Testamenti adumbrationem huic inesse Volumini quispiam pertendat.

1. Sam. 12, 11. & 2. Sam. 11, 21.

DE LIBRO RVTH.

Liber Ruth, pars & velut appendix libri Judicum. Euseb. Hist. l. 6. c. 25.

LIBRVM Ruth partem esse & velut appendicem Libri Judicum, Ebræorum sententia est. Sic Origenes apud Eusebium Κεῖται, Ῥὼθ παρ' αὐτοῖς ἐν ἑνὶ. Σωφετείμ. *Judices, Ruth, apud ipsos* (Ebræos) *uno libro continentur. Sophetim.* Hieronymus in Prologo Galeato: *Subtexunt* (Ebræi) *Judicum Librum, & in eundem compingunt Ruth.* Prætereo alios, Hilarium, Epiphanium, Johannem Damascenum. Rationem subjicit Hieronymus, *Quia in diebus Judicum facta ejus narratur historia.* Vero; nam & id indicat Libri initium. Cum igitur Augustinus, aliique ipsum assectati, dixerunt Librum Judicum exordium esse Librorum Samuelis, sic intelligito, historiam hoc Libro expositam, cum iis quæ continent Samuelis libri sponte sua connexam esse: nam historia Ruth velut aditus quidam est ad historiam Davidis, cum Liber ipse libri Judicum sit portio. Quod cum ita sit, par esse debuit, uti reipsa est, de libri utriusque Judicum & Ruth Auctore fluctuatio Interpretum, & ad eosdem ab iis Scriptores referri; ad Esdram videlicet a plerisque, ad Ezechiam a quibusdam, ad Scribas Tabernaculi a Dorotheo, ad Samuelem a Thalmudistis, Isaaco Abrabaniele; compluribusque aliis, ad quos libenter accedimus. De ætate item utriusque paria sentiamus; constetque saltem genuinum esse juxta nostra Principia, cum ignorabilis sit Auctoris & temporis, uti vulgo esse fertur.

Aug. l. 2. de doctr. Christ. c. 8.

Doroth. Syn. de vit. & mort. Prophet. Thalmud. in Baba bathra, c. 1.

DE LIBRIS SAMVELIS.

I. *Disputatur de Auctore librorum Samuelis. Variæ opiniones proponuntur.* II. *Partim Samueli, partim Nathani & Gado Prophetis adscribuntur.* III. *Probatur eorum γνησιότης & antiquitas.* IV. *Refelluntur argumenta Adversariorum. Primum argumentum.* V. *Secundum argumentum.* VI. *Tertium argumentum.* VII. *Quartum argumentum.* VIII. *Quintum argumentum.* IX. *Sextum argumentum.* X. *Ex Libris Samuelis quidam manarunt Græcorum ritus & fabulæ.*

Disputatur de Auctore librorum Samuelis. Variæ opiniones proponuntur.

I. LIBRORVM quoque Samuelis dubia est ætas & controversus Auctor. Quidam post Samuelis tempora lucubrationem eorum rejiciunt, propter hanc clausulam capitis noni Libri prioris: *Olim in Israel sic loquebatur unusquisque vadens consulere Deum: Venite, & eamus ad Videntem. Qui enim Propheta dicitur hodie, vocabatur olim Videns.* Scribit Grotius Ebræorum eruditissimum auctorem credi Jeremiam Prophetam Librorum quatuor Regum: caussam affert ipse non satis probabilem, similitudinem sermonis, quæ vix apparet. At Libros duntaxat Regum tertium & quartum Jeremiæ adscribunt Thalmudistæ in Babæ bathræ primo capite. Hos ac primum præterea & secundum eidem acceptos refert Abrabaniel.

1. Sam. 9. 9.

Grot. Præf. in l. Sam.

Partim Samuelis, partim Nathani & Gado Prophetis adscribuntur.

II. Librorum vero Samuelis viginti quatuor priora capita a Samuele ipso fuisse scripta; reliqua, quibus res post Samuelis obitum gestæ narrantur, a Nathane & Gado Prophetis, sentiunt iidem Thalmudistæ; sic & R. Moses Kimchi; sic Isidorus; nisi quod posteriora ad calcem usque operis a Davide vult fuisse scripta: quo argumento, nullus scio. Mihi quidem Ebræorum sententia reliquis videtur anteferenda, ut pote quæ his

Thalm. in Bab. bathr. c. 1. Isid. Orig. l. 6. c. 2.

Digitized by Google

nitatur verbis Paralipomenon: *Gesta autem David regis priora & novissima, scripta sunt in libro Samuelis Videntis; & in libro Nathan Prophetæ, atque in volumine Gad Videntis.* Nec dissentit a nobis Theodoretus, cum ait singulos Prophetas suorum temporum historias scribere consuesse, atque ex his scriptis libros Regum multo post tempore fuisse contextos: quatuor enim Libros Regum intelligit; nos vero de duobus prioribus agimus, qui Samuelis dicuntur ab Ebræis. Hos autem satis aperte significat sic fuisse vocatus, quod a Samuele scripti essent; ex priore videlicet parte: προφητεύνεκατος, inquit, διώθη συγγράφειν θεὸς συνέβαινε γινεσθαι κατὰ τὸν ὁικεῖον καιρὸν ἑκάστοις γοῦν καὶ ἡ πρώτη τῶν βασιλειῶν, καὶ παὶ ἑτεροίοις καὶ παρὰ σύροις προφητεία σαμουὴλ ἀνομάζεται. *Unusquisque Prophetarum scribere consueverat quæcunque suis temporibus contingebant. Sic igitur primus liber Regnorum & apud Ebræos & apud Syros Prophetia Samuelis nominatur.* Atque eadem est Diodori Tarsensis sententia.

Probatur eorum γνησιότης & antiquitas.

III. Sic & librorum Samuelis γνησιότητι, & antiquitati perhibent testimonium quæ eum ætates consecutæ sunt. Unde enim petitum dicas istud, quod habet liber Sapientiæ: *Tu enim es, Domine, qui vitæ & mortis habes potestatem, & deducis ad portas mortis, & reducis:* cujus germanum & illud est e libro Tobiæ: *Quoniam tu flagellas, & salvas; deducis ad inferos, & reducis:* nempe e secundo capite libri primi Samuelis: *Dominus mortificat, & vivificat: deducit ad inferos, & reducit.* Cum in Psalmo centesimo duodecimo hæc legis: *Suscitans a terra inopem, & de stercore erigens pauperem; ut collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui:* nonne ex eodem primi Samuelis capite ducta agnoscis, in quo legitur: *Suscitat de pulvere egenum, & de stercore elevat pauperem, ut sedeat cum principibus, & solium gloriæ teneat.* Quorsum putas pertinere quod legitur in secundo capite libri tertii Regum: *Ejecit ergo Salomon Abiathar, ut non esset Sacerdos Domini, ut impleretur sermo Domini, quem locutus est super domum Heli in Silo;* nimirum ad secundum caput Libri prioris Samuelis, quo res illæ prænunciantur. Samuelem insigni hoc Sirachides ornat elogio: *Et ante tempus finis vitæ suæ & seculi, testimonium prabuit in conspectu Domini & Christi, pecunias & usque ad calceamenta ab omni carne non accepit, & non accusavit illum homo:* Davidem vero isto: *Cum leonibus lusit, quasi cum agnis; & in ursis similiter fecit, sicut in agnis ovium, in juventute sua. Numquid non occidit Gigantem, & abstulit opprobrium de gente?* Duodecimum libri primi Samuelis caput & decimum septimum consulito, fontes ibi laudum illarum reperies. Scitum hoc, *Melior est obedientia quam victimæ*, in libro Ecclesiastis & apud Oseam usurpatum, ex decimo quinto capite libri primi Samuelis prodiit. Quæ Davidi domum Deo ædificare cogitanti denuntiat Nathan in septimo capite libri secundi Samuelis de filio post ipsum regnaturo, magna eorum pars in Psalmum octogesimum octavum translata est. Non semel declarat Ezechiel nolle Deum ut pereat impius, sed ut ad meliorem se recipiat frugem & vivat, argumento, ut videtur, petito ex verbis Thecuitidis ad Davidem, quæ leguntur in Libro secundo Samuelis. Confer denique libros Paralipomenon cum libris Samuelis, ex his illos consarcinatos & consutos esse liquido comperies; non quoad sententias solum, sed & verba ipsa. Nec sacri tantum Scriptores, sed exotici etiam; Eupolemus & Nicolaus Damascenus, suffragio suo nos adjuvant; ea enim de Samuele, Saule, & Davide in Historiis suis retulerunt, quæ ex libris Samuelis sublecta fuisse minime dubitandum est. Ætas librorum Samuelis ex superioribus abunde cognoscitur: cognoscuntur & eorumdem Auctores; quos si quis tamen incertos esse contendat, fatebitur nihilominus genuinum esse fœtum, ex Principiis a me supra positis, utpote qui incerti Auctoris sit, uti esse putatur.

Refelluntur argumenta Adversariorum. Primum argumentum.

IV. Clausulam vero hanc quæ e capite nono libri prioris Samuelis objicitur, & a me supra allata est, *Qui enim Propheta dicitur hodie, vocabatur olim Videns;* quamque unam caussæ fuisse arbitror, cur verbis libri Paralipomenon, quæ operis hujus auctorem indicant, detraheretur, interpretationis caussa illuc adjectam, & deinde in ipsum contextum intrusam fuisse clara luce clarius est. Superius enim a me observatum est multa sparsim Libris sacris, lucis vel connexionis rerum caussa adjecisse, sive Esdram qui Canonem Synagogæ auctoritate composuit, sive alios qui Scriptiones sacras diversis temporibus

Digitized by Google

poribus recenſuerunt. Hinc orta hæc παρεμφολὴ *(alienorum verborum interjectio.)* Ita viſum Diodoro Tarſenſi, qui ſuper hoc loco quem tractamus, ſic diſſerit; ἐκ τούτων δείκνυται, ὅτι ἅπερ τῶν προφητῶν ἕκαστος τὰ ἐν τοῖς κατ' αὐτὸν χρόνοις ἐγραψε, ταῦτα δι μετὰ ταῦτα συναγαγόντες προσέθηκαν τὸ, ὅτι ἔμπροσθεν βλέποντα τὸν προφήτην ἐκάλουν. *Ex his oſtenditur, quod quæcunque ſinguli Prophetæ ſuis temporibus conſcripſerunt, hæc colligentes poſteri adjecerunt iſtud. Quod olim Prophetam appellabant Videntem.* Cum ergo priſci illius Scriptoris ſuffragio nixus exceptione hac uſus ſim, non erat cur nos tanquam ejus repertores petulanter carperet, novitius Scriptor, ſupra jam a me appellatus. Qui interpretationem noſtram egregie confutaſſe ſe ratus eſt acuto hoc argumento, quod vox נביא *Propheta*, quæ Samuelis temporibus in uſu non erat, ſæpe libro hoc repetita extet. Quaſi id voluerit Scriptor ſacer., vocabulum hoc Samuelis ætate plane ignotum fuiſſe. Quod certe minime fuit: nam ſæpe in Pentateucho reperitur. Cum ergo & ſuperiori & ſequente ævo tritum fuerit, an probabile eſt plane intercidiſſe, planeque extinctam fuiſſe ejus notitiam Samuelis temporibus; tum poſtmodum renatum fuiſſe? Minime vero: ſed ſententia loci hæc eſt, etiamſi ætate illa pervulgata fuerit vox נביא *Propheta*, tritiorem tamen fuiſſe alteram ראה *Videns*. Quemadmodum in vernaculis linguis obſervare licet ſuas eſſe vocabulorum ætates, quibus vel vigent, vel obſoleſcunt. Fieri ergo potuit ut dictio ראה *Videns*, tum floruerit, cum rex creatus eſt Saul: ſequentibus vero annis vox altera, cum hæc Samuel ſcriberet. Dici quoque probabiliter poteſt, tum adhibitam eſſe dictionem ראה, *Videns*, cum Prophetam conſulendi cauſſa adirent, quaſi ex vulgari formula, *Venite & eamus ad Videntem.*

Secundum argumentum. Tractatus Theol. c. 8. & 9.

V. Non temperavit ſibi Philoſophus Theologo-Politicus, quin eodem argumento Libri hujus antiquitatem oppugnaret: ſed & alio præterea uſus eſt, ut eum non unius texturæ opus eſſe, ſed collectitium & ex variis ſegmentis concinnatum probaret. Nam quod decimo ſexto capite prioris libri Samuelis legamus Davidem in aulam Saulis ea de cauſſa primum fuiſſe accitum, ut Regem malo ſpiritu vexatum citharæ cantu oblectaret; capite vero ſequenti alia afferatur cauſſa unde Regi innotuerit, nempe ex conſerta cum Goliatho pugna; hæc, utpote contraria, a diverſis Scriptoribus profecta, & in unum ab aliquo compacta opinatur. Verum enimvero non recte hæc a Diſputatore noſtro diſtincta ſunt: primum enim citharæ cauſſa venit David ad Saulem jam intemperiis agitatum; tum deinde recrudeſcentia Philiſtæorum bella alio Saulis animum abſtraxerunt, ut jam citharista non egeret. Ergo David a Rege dimiſſus ad patrem rediit, & deinde a patre ad fratres cum cibariis in caſtra remiſſus certamen iniit cum Goliatho, eoque interfecto in comitatum demum & regiorum aſſeclarum numerum a Saule adſcriptus eſt. Ne cui locus hic eſſet fraudi præcaverat ſacer Scriptor: nam poſtquam Davidem citharæ cantu Saulem hilaraſſe dixit, tum capite ſequenti Philiſtæorum bellum ſcribens, cum de Davide iterum eſſet acturus, *David autem*, inquit, *erat filius viri Ephrataei, de quo ſupra dictum eſt:* vel, ut habet Ebraicum exemplar, *filius viri Ephrataei hujus*, הזה; ut ſuppleat Lector, *quem ſupra deſignavi*, Deinde: *Tribus ergo majoribus ſecutis Saulem, abiit David, & reverſus eſt a Saul, ut paſceret gregem patris ſui in Bethlehem.* Eum quidem ad ſe in caſtra reverſum non agnovit Saul: quid mirum vero, in tanto ſtipantium numero, quem tum viderat cum mentis eſſet impos, aliter fortaſſe indutum ac ornatum cum ad Regem iret ipſius oblectandi cauſſa, quam cum ad fratres in caſtra.

1. Sam. 17, 12, & ſeq.

Tertium argumentum. Tractat. Theol. c. 9

VI. In capitibus præterea viceſimo quarto & viceſimo ſexto obtrectandi Libri hujus cauſſam nactus eſt Theologo-Politicus: rem quippe eamdem utrobique, ſed ex variis itidem Scriptoribus, de re eadem diverſa ſentientibus collectam opinatur. Quaſi ad antiquiſſimi & ſanctiſſimi Libri dignitatem labefactandam opinationes ſatis eſſe poſſint. Deinde attendat Lector: & mirabitur conjectoris audaciam. Illic latitat David *in locis tutiſſimis Engaddi:* hic in colle Hachila. Illic Saulis ſpeluncam ingreſſi ad requiſita naturæ ſummam chlamydem David præcidit: hic dormientis ejusdem in tentorio haſtam & ſcyphum aufert. Illic Saulem ſpelunca egreſſum David blandiſſime alloquitur: hic Abnerum amariſſimis probris inceſſit. Diverſæ ſane res, neque temere ſolius conjecturæ ductu confundendæ.

1. Sam. 24, 1. 1. Sam. 26, 1. 1. Sam. 24, 4 & ſeqq. 1. Sam. 26, 5 & ſeqq. 1. Sam. 24, 9 & ſeqq. 1. Sam. 26, 15. & ſeqq.

Digitized by Google

Quartum argumentum. Tract. Theol. c. 9.

VII. Inter ſeptimum etiam caput, & decimum tertium diſconvenire ait, quod illic talia legantur: *Et humiliati ſunt Philiſtiim, nec appoſuerunt ultra ut venirent in terminos Iſrael. Facta eſt itaque manus Domini ſuper Philiſtæos cunctis diebus Samuelis:* hic autem bellicus Philiſtæorum adverſus Iſraelem apparatus, vivo etiam tum Samuele, & ingens Ebræorum terror deſcribantur. Hoc loco ſane ut alias ſæpe, ac fere ſemper, Scripturæ ſacræ verba perperam accepit Argutator iſte: nam in his verbis: *Nec appoſuerunt ultra*, dictio *ultra*, Ebraice עוד, non ſemper tempus perpetuum, imo ne diuturnum quidem, ſed exiguum quandoque ſignificat. Perinde igitur hoc eſt, ac ſi dixiſſet: per aliquod tempus Iſraelitidem terram non invaſerunt. Quod autem ſubjungitur, per omnem Samuelis vitam manu Dei oppreſſos fuiſſe Philiſtæos, vere id contigit: quotieſcunque enim adverſus Iſraelitas, ſuperſtite adhuc Samuele, arma moverunt, magnis cladibus ſunt attriti.

1. Sam. 7, 13.

Quintum argumentum. Hobb. Leviath. c. 33.

VIII. Eodem loco utitur Hobbeſius, ut libros Samuelis oppugnet; ſed & aliis etiam, quorum primus extat capite quinto Libri prioris: *Propter hanc cauſſam non calcant Sacerdotes Dagon, & omnes qui ingrediuntur templum ejus ſuper limen Dagon in Azoto, usque in hodiernum diem:* unde effici putat poſt Samuelem annis ſcripta hæc fuiſſe. At meminiſſe debuerat Hobbeſius, quæ de Dagonis ſimulacro narrantur illic, Samuele etiam tum adoleſcente contigiſſe; Librum autem hunc a Samuele jam ſene fuiſſe ſcriptum, ac proinde intervallum ſatis grande interceſſiſſe, ut merito uſurpata ab eo fuerit clauſula hæc: *Usque in hodiernum diem.* Quoniam autem priora tantum viginti quatuor capita Libri prioris adſcripſimus Samueli, reliqua Gadi & Nathani, quorum ætas longe poſt Samuelem excurrit, fruſtra eamdem locutionem viceſimo ſeptimo capite, & triceſimo Libri prioris, & ſexto poſterioris adhibitam objicit Hobbeſius: cum præſertim non valde longum requiratur ſpatium, ut hæc notatio temporis locum habere poſſit. Quod ſupra probavi exemplo Matthæi Evangeliſtæ eamdem uſurpantis, cum de rebus tempore non multum diſſitis ageret. Nec reſponſionis hujus veritati officit, quod objicere pergunt nonnulli ex capite hoc viceſimo ſeptimo libri primi Samuelis: *Facta eſt Siceleg regum Juda usque in diem hunc*; quod cum ſcriptum ſit temporibus regum Juda, aliis videtur tribuendum eſſe auctoribus, quam quos aſſignavimus. Verum cum non diuturnam vitam Salomoni indulſerit Deus, ejusque obitum Iſraelitarum tribuum divortium ſit conſecutum, veri non abſimile eſt, ad hæc usque tempora Nathanem aut Gadum vitam protraxiſſe.

1. Sam. 27, 6. 1. Sam. 30, 25. 2. Sam. 6, 4.

1. Sam. 27, 6.

Sextum argumentum. 1. Sam. 7, 15.

IX. Futile quoque eſt, quod colligit Hobbeſius ex ſeptimo capite libri primi, ubi hæc leguntur: *Judicabat quoque Samuel Iſraelem cunctis diebus vitæ ſuæ.* Nempe vult nonniſi poſt obitum Samuelis hæc potuiſſe ſcribi. At minime hæc ita præciſe accipienda ſunt, uti ab Hobbeſio ſunt accepta, quaſi ſignificet Scriptor ſacer per totum vitæ ſuæ curriculum Iſraelitis Samuelem præfuiſſe: nam certum eſt in pueritia ſua jus Iſraelitis non dixiſſe. Ergo commoda adhibenda eſt interpretatio: nempe ab obitu Heli Sacerdotis, ad id usque tempus, quo hæc ſcribebat Samuel, judicia ipſum inter Ebræos exercuiſſe; etiam poſtquam regnum adeptus eſt Saul: velut cum Agagum Amalecitarum regem, Saulis juſſu ſervatum, in fruſta concidit. Favent huic interpretationi Acta Apoſtolorum, in quibus Saulis regno quadraginta anni tribuuntur; conjunctis videlicet in unum annis, quibus & Samuel & Saul Iſraeliticam gentem rexerunt. Vel ſic comma hoc accipies, eo tempore de quo ſeptimo capite agitur, cum nondum Rex creatus eſſet Saul, Samuelem jura Ebræis reddidiſſe tam aſſidua cura, ut nullam ſibi, ad relaxationem animi & requiem, diem vacivam ſumeret. Sed & ex eo quod legitur ſeptimo capite libri primi Samuelis, arcam fœderis per viginti annos Carjath-jarimis conſediſſe, colligit Abrabaniel hæc a Samuele haudquaquam potuiſſe ſcribi, cum vivente Samuele per tredecim ſolum annos illic Arca conſtiterit; ſeptem vero poſt ejus obitum annis inde a Davide avecta ſit. Non potuerunt hæc venire in alterius mentem quam Judæi, adeo ſtuporis & inſcitiæ plena ſunt. Nam ſi Samuel Iſraeliticæ reipublicæ curam capeſſivit, quo tempore Carjath-jarimis Arca locata eſt, quod eruditi Chronologi cenſent; cum quadraginta annis Samuel & Saul rerum ſummæ præfuerint, ut Acta Apoſtolorum plane indicant; Samuelis vero obitus Saulis mortem biennio præverterit; juxta

Act. 13, 21.

1. Sam. 7, 2. & ſeq.

Abraban. Præf. in Joſ.

Act. 17, 20. 21.

Digitized by Google

Clem. Alex. Strom. 1.

juxta testimonium Clementis Alexandrini, hinc efficitur obiisse Samuelem octo & triginta annis, postquam Arca Carjath-jarimis constitit. Atqui septem a morte Samuelis inde annotam fuisse statuit Abrabaniel: unde sequitur annis quinque & quadraginta Carjath-jarimis consedisse: quod Scriptoris sacri auctoritati palam refragatur. At multo satius est credere, & eo nos inclinant Codicis sacri verba, eodem anno asportatam Carjath-jarimis fuisse Arcam, & Samuelem ad abjicienda idola hortatum esse Israelitas, & in Masphath congregasse.

Ex libris Samuelis quidam sumserunt Graecorum ritus & fabulae.

X. Magnum porro vetustatis indicium libris Samuelis positum est in ritibus quibusdam & fabellis, quas inde proveniisse manifesta est fides. Solennis illa apud Athenienses Phallorum gestatio in honorem Bacchi, ex oraculi mandato instituta, ad sanandum morbum pudendis illorum a Baccho inflictum, cum ejus sacra a Pegaso Eleutherienſi apud se invecta sprevissent: haec est historia Azotiorum recocta, qui propter Arcam Dei inhonoratam, & in templum Dagon temere illatam, haemorrhoidibus afflicti sunt, & tum demum sanati, cum simulacra aurea partium aegrarum in cistella apposuerunt. Narrant Mythici, Trojae repertam a Graecis arcam Eurypylum reseraſſe, & post visum Bacchi simulacrum illic reconditum statim ceritum extitisse; quo figmento adumbratur Bethsamitarum infortunium, qui propter visam Domini Arcam maxima clade a Deo affecti

Clem. Al. Strom. 6. 1. Reg. 12, 17. 18.

sunt. Notat Clemens Alexandrinus Graecanicam fabulam de Aeaco precibus fluvias eliciente de coelo, cum squallore & frugum penuria Graecia laboraret, prodiisse ex Arabica historia de Samuele, ad fidem sibi inter suos conciliandam, imbres & tonitrua ciente, cum sudum esset.

DE LIBRIS REGUM.

I. Disputatur de Auctore librorum Regum. Variae opiniones proponuntur. II. Eos videtur Esdras ex vetustiorum Scriptorum commentariis excerpsisse. III. Probatur eorum γνησιότης & antiquitas. IV. Fidem etiam his conciliant Ethnici Scriptores. V. Refelluntur argumenta Adversariorum. Primum argumentum. VI. Secundum argumentum. VII. Ex libris Regum quaedam manarunt Ethnicorum fabulae & ritus.

Disputatur de Auctore librorum Regum. Variae opiniones proponuntur.

I. LIbrorum Regum nihilo notior est Scriptor ac superiorum. Eo tamen variae recidunt Interpretum sententiae, ut Esdram nonnulli, Jeremiam plerique, ac Thalmudistae potissimum, aliique Rabini, composuisse eos, vel aliunde potius excerpsisse statuant. Sciendum est enim, apud apud Ebraeos, aliasque gentes, quarum humanior esset cultus, acta annua & diurna in literas diligentissime fuisse relata. Apud veteres Ægyptios fiebat id a Sacerdotibus; apud recentiores, Ptolemaeorum aevo, ab ὑπομνηματογράφοις (*scriptoribus commentariorum,*) quorum commentarii, Regii dicti, ut pote regia auctoritate scripti, Alexandriae servabantur. Fiebat idem magna cura apud Tyrios; idem apud Babylonios a Chaldaeis, sive Philosophis. Fiebat & apud Medos atque Persas, quorum ex membranis regiis fides constabat historiae. Qui eas describebat, dicebatur γράφων τὰ προσπίπτοντα, *Scriptor eorum quae eveniebant:* vel ut vertit Interpres libri tertii Esdrae, *Ab accidentibus.* Factum id & apud Indos opera virorum doctorum, quos Rex ad id jubebat convenire. Nec illum morem apud eos desiisse ferunt. Accuratissime quoque factum apud Sinas, Regis jussu, ab eruditissimis Philosophis, magno propterea in honore habitis. Nec tam utili ac nec necessario labori defuerunt Graeci. Citantur regiae Ephemerides Alexandri. At Romani ab initio rerum suarum, statim post Romuli obitum annalium condendorum curam delegarunt Pontificibus Maximis, unde Annales maximi dicti. Praeter quos Acta etiam diurna Senatus & populi colligi deinde coepta sunt, & in aerarium deferri: Acta item annua & diurna Imperatorum, quorum commentarii principales ab Historicis laudantur. Acta item sua literis mandabant rectores provinciarum, & ex commentariis suis, Romam reversi, rerum a se gestarum rationem reddebant. Hoc munere qui fungebatur apud Ebraeos, dicebatur מזכיר *A commentariis.* Sic sensisse videtur Chaldaeus Paraphrastes. Hujus ordinis fuerunt Josaphatus & Joahe, in libris Samuelis & Regum memorati. Prophetae quoque perscribebant accurate quae sibi mandata fuerant

3. Esdr. 2, 17. 25.

& signi-

& significata a Deo, & quæ sibi evenerant, dum Dei mandatis obsequerentur: quæ quoniam ad reges fere & optimates pertinebant, hinc libris ipsorum magna publicæ historiæ pars continebatur. Simile in Poematis suis egisse Solonem, si profana licet sacris componere, refert Plutarchus. In versus enim suos politica & historica pleraque infarserat: non ut res ipsas posterorum commendaret memoriæ, sed vel ut rerum gestarum aperiret causas, easque excusaret; vel ut commonefaceret Athenienses, aut castigaret. Sed & extra Prophetias, rerum etiam ætate sua gestarum scriptionem privata opera Prophetæ suscipiebant. Testatur Theodoretus. Factum id ab Isaia, quem Oziæ regis historiam scripsisse docent Paralipomena. Factum & a Jehu, de quo hæc leguntur: *Reliqua Actorum Josaphat scripta sunt in verbis Jehu filii Hanani, quæ digessit in libros Regum Israel.* Unde colligo libros Jehu ejus fuisse dignationis, ut relati sint in libros Regum Israel, quos actorum diurnorum commentarios fuisse existimo. Sed & alii etiam hanc in se operam recipiebant; nam ex sacris Historiis nonnullas scriptas esse constat ab iis Auctoribus, quos Prophetas fuisse dixerit nemo, etsi Spiritu sancto dictante scriptæ sunt. Mardochæus, post patefactas Eunuchorum adversus Artaxerxem insidias, *rei memoriam literis tradidit*, ut legitur in libro Esther. Qui vero scite id & perite administrarent, hi fuisse videntur, quos appellabant סופרים, ac si dicas *Elegantes scriptores*. Fiebat autem id utraque oratione, & prorsa, & versa. Quare valde fallitur Josephus, cum solos Prophetas, in gente sua, veteris ævi gesta literis mandasse affirmat; parum memor se ibidem scripsisse, pontificibus quoque id muneris fuisse injunctum.

Plut. Solon.

Theod. Præf. in 1. Reg.

2. Par. 26, 22

2. Par. 20, 34

Esth. 12, 4.

Joseph. l. 1. contr. Ap

Eos videtur Esdras ex vetustiorum Scriptorum commentariis excerpsisse.

II. Ex publicis vero commentariis excerptos fuisse libros Regum qui nunc extant, & in compendiariam historiam conflatos, pervulgata est multorum opinio, & verosimillima: nam in iis laudatur *Liber verborum dierum Salomonis*; sæpissime vero *Liber verborum dierum Regum Israel*, & *Liber verborum dierum Regum Juda*. Jam tum etiam extabant libri Semeiæ, Ahiæ, aliorumque Prophetarum, qui sæpe laudantur in Paralipomenis. Isaiæ totum tricesimum ac septimum caput, cum initio sequentis, ac tricesimo nono, in secundi Regum decimum nonum caput & vicesimum *ἀντιγράφως* (*ipsis verbis*) depromta sunt. Planissime mecum sentiunt Diodorus Tarsensis & Theodoretus; Prophetas res ætatis suæ memorabiles retulisse in literas, & ex eorum commentariis excerptos subinde fuisse libros Regum. Manifestum vero argumentum hoc habeo, quod primi libri Regum capite nono constet Arcam in Templo etiam tum fuisse cum hæc scriberentur; proindeque scripta esse ante Babylonicam Captivitatem. Constat rursum lucubratum esse opus post eamdem Captivitatem, ut pote quæ in calce referatur. Quæ contraria non aliter conciliari possunt, quam si dicas, operis auctorem id ex Scriptorum antiquorum fragmentis ita conflasse, ut verba etiam integra repræsentaret. Mihi vero id Esdræ potiori jure tribuendum videtur quam Jeremiæ, quem sparsas Regum historias in unum corpus coegisse vult Isidorus: nam in dirigendis & componendis libris ad res sacras pertinentibus potissimum versata est Esdræ industria: & in testimonium sæpe ab eo adhibitæ in his scriptionibus historiæ Regum Juda, & Israel, & Prophetarum libri, indices sunt assidui sacrorum librorum usus, qualem Esdras habuit. Præterea sexto capite libri prioris Chaldaica usurpat nomina mensium, ut hominem decuit Chaldaico sermoni insuefactum. Jeremiæ qui libros Regum transscribunt, causas alias non habent, quam si sermonis similitudinem, quæ non magna est, propterea que intutum dat ihdicium: vel postremi capitis libri Regum cum postremo Jeremiæ capite convenientiam, nam alterum ex altero descriptum dicas; at caput illud adventitium esse, & ad Jeremiæ calcem ab aliena manu subnexum, ostendit præcedentis capitis coronis, quæ talis est: *Hucusque verba Jeremiæ*: atque ea narrantur illic, vel quæ Jeremiæ obitu recentiora sunt, vel quæ jam in superioribus capitibus Jeremias retulerat.

Diod. in 1. Sam. 9. Theod. Præf. in 1. Reg.

Isid. l. 6. Origin. c. 2.

Probatur eorum vetustas & antiquitas. Eccli. c. 48. & 49.

III. Nec deficiunt Librum hunc aliorum Scriptorum testimonia. Ita de Elia, Elisæo, Ezechia, Josia, aliisque differit Sirachides, ut ex libris Regum, non res solum, sed nonnunquam etiam verba ipsum hausisse appareat. Confer hos cum libris Paralipomenon, tantam orationis deprehendes similitudinem, ut parem propemodum utriusque vetustatem odoreris. Quanquam propter illorum novita-

Digitized by Google

novitatem perpetuo extant in sacris Veteris Testamenti libris inde sumtæ φήσεις *(dicta)* & sententiæ. At in novo γνησίοτητα illorum egregie confirmat Christus Jesus, cum ait:

Luc. 4, 25. & seq. *In veritate dico vobis, multæ viduæ erant in diebus Elia, in Israel, quando clausum est cælum annis tribus & mensibus sex, cum facta esset fames magna in omni terra, & ad nullam illarum missus est Elias, nisi in Sarepta Sidona, ad mulierem viduam. Et multi leprosi erant in Israel sub Eliseo Propheta, & nemo eorum mundatus est, nisi Naaman Syrus.* Hæc suppeditavit decimum septimum caput tertii Regum, & quintum quarti. Confirmat

Rom. 11, 2. & sdq. & Paulus, dum hæc scribit ad Romanos: *An nescitis in Elia quid dicit Scriptura: quemadmodum interpellat Deum adversus Israel? Domine, Prophetas tuos occiderunt, altaria tua suffoderunt: & ego relictus sum solus, & quærunt animam meam. Sed quid dicit illi divinum responsum? Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curvaverunt genua Baal:* quæ e decimo nono capite tertii Regum sumta sunt. Verumtamen his etiam omissis, quod a Septuaginta Senibus interpretatione Græca donati sunt libri Regum, & quod in Canonem Librorum sacrorum dedicati, vetustatem illorum satis ista arguunt. Et ut dubii eos esse Scriptoris & ætatis incertæ dematus, haud minus genuinos esse vincemus, ut pote qui tales sint, quales esse creduntur.

Fidem etiam his conciliant Ethnici Scriptores.

IV. Præterea vero præclarum veritatis testimonium hisce Libris commodant Ethnici Scriptores. Rerum enim novitas, qui iis narrantur, & major per novitatem parta celebritas, caussæ fuit, cur crebris exoticorum Auctorum, vel æqualium, vel ætate proximorum suffragiis confirmarentur. Magna est imprimis monumentorum Tyriorum fides, quæ publica auctoritate descripta, in tabulariis diligenter asservabantur. Atqui ex iis constat Hierosolymitanum Templum toto pene sesquiseculo ante fuisse ædificatum, quam Carthago conderetur. Memineram eadem Salomonis & Hiramı, eorumque mutuas Epistolas repræsentabant, etiam temporibus Josephi Historici, itidem ut illa Judæorum, unde & is sacrorum Librorum veritatem defendit. Ex his, aliorumque locorum tabulariis, historiam suam depromserat Menander Ephesius. Fiebatque illic mentio ἀνομβρίας *(penuriæ imbrium,)* quæ Eliæ tem-

Joseph. Antiq. l. 8. c. 2.

poribus in Judæa & Phœnicia contigit, Achabo apud Judæos, Ithobalo apud Tyrios regnante. Ex eo etiam, & Dio, integerrimo Phœniciarum rerum Scriptore, testimonia affert Josephus ex Menandro Theophilus, quibus commemorantur Salomon & Hiramus, & succisæ cedri Libani in ædificationem Templorum. Idem extabat apud Theodotum, Hypsicratem, & Mochum, Phœniciæ conditores Historiæ, & horum interpretem Lætum; & Menandrum quoque Pergamenum, ut a Tatiano traditur apud Eusebium, & a Clemente Alexandrino, qui auctor præterea est, Vafræ Ægyptiorum regis, & Salomonis, & Tyriorum quoque Regis epistolas retulisse Alexandrum Polyhistorem in libro de Judæis. Eas etiam ex Eupolemo repræsentat Eusebius. Hazaelem Syriæ regem divinis honoribus suo ævo prosecutos esse Damascenos narrat Josephus: Azelum Justinus Historicus appellat. Salmanasaris præterea in Syriam expeditio, Phœnicum Annalibus contineba-tur. Sennacheribi mentio extat apud Herodotum; extabat & apud Berosum & Demetrium. Nabuchodonosori meminerant ex actis Tyriorum Megasthenes, Abydenus, Berosus, Diocles, Philostratus, & ex Megasthene Strabo; victoriæ, quam Necosus Ægyptiorum rex retulit de Judæis, Herodotus; Evilmerodachi, Abydenus & Berosus; Baladani Babyloniorum regis, Berosus. Ex quibus cum pulchre intelligeret Julianus Apostata, quam integra esset librorum Regum fides, mirificum ignem, quo Eliæ holocaustum absumtum est, de cœlo missum esse negare non est ausus. Hæc Ethnicorum Scriptorum, cum Mythicorum, tum Historicorum consensio cum libris Regum, si aliis argumentis a nobis supra allatis adjungatur, resque spectetur bona fide, horum antiquitas & auctoritas claris indiciis demonstratæ agnoscitur.

Theoph. l. 3 ad Autol. Euf. Præp. l. 10. Clem. Al. Strom. 1. Joseph. Antiq. l. 9. c. 2. Just. l. 36. c. 2. Her. l. 2. c. 141. Ber. apud Joseph. Antiq. l. 10. c. 1. Dem. apud Clem. Strom. 1. Meg. Abyd. Ber. Diocl. Phil. apud Joseph. Antiq. l. 10. c. 11. & contra Ap. l. 1. & Euseb. Præp. l. 10. Strab. l. 15. Her. l. 2. c. 159. Abyd. ap. Euf. Præp. l. 9. c. 41. Ber. apud Joseph. contra Apion. l. 1. & Ant. l. 10. c. 3. Jul. apud Cyr. l. 10. conter. Jul.

V. Ex incerta, & ut prima fronte apparet falsa annorum computatione his in libris posita, causssam eorum carpendi petit Theologo-Politicus ratiocinator. Nam cum sexto capite libri Regum prioris legamus Salomonem quadringentesimo octogesimo anno post exitum Ebræorum ex Ægypto, Templi molitionem inchoasse, & longe tamen major numerus exurgat ex collectione annorum quos singulis Ebræorum Judicibus & Regibus Scriptura sacra tribuit, hinc fidem ipsis

Refelluntur argumenta adversariorum. Primum argumentum. Tract. Theol. c. 9.

derogare conatur. Ita nempe librariorum oscitantiam & supinitatem Scriptoribus ipsis sacris tribuit: nam qui in historiarum lectione paulo diligentius sunt versati, frequentissimos in numerorum notis errores esse sciunt: ut si abjiciendi libri justa hæc habeatur caussa, maxima jam inde Historicorum & Chronologorum pars repudianda sit. Huc adde nodum hunc ipsum, cui inhæret Adversarius, doctorum Interpretum disputationibus jamdiu esse solutum: quas quoniam ad trutinam nostram revocare, supervacaneæ esset ac longioris operæ, & ab instituto nostro diversæ, otiosum illuc amandabimus Lectorem, si quem fatui Disputatoris movent convicia.

Secundum argumentum.

VI. Pari exceptione repudimus telum alterum, quod idem procudit ex eorum discrepantia Librorum in computatione annorum Regum Juda & Regum Israelis: nam vel mendæ irrepserunt in numerorum notas, vel Chronologorum & Interpretum studio jampridem tricæ illæ discussæ sunt, vel discuti certe facile possunt. Exemplo sit hoc ipsum quod proponit. Primo capite Libri secundi
2. Reg. 1, 17. Regum legimus Joramum, filium Achabi, regem Israelis, regnum esse auspicatum anno secundo Jorami, ejus qui Josaphati filius fuit,
2. Reg. 8, 16. & Rex Judæ: cum capite libri ejusdem octavo is ipse Joramus, Josaphati filius, Rex Judæ, regnum inchoasse dicatur anno quinto Jorami regis Israel. Quibus adde, scriptum esse initio capitis tertii, Joramum Israelis
2. Reg. 3, 1. Regem regni initium sumsisse ab anno decimo octavo Josaphati regis Judæ. Hæc quantumvis dissona conciliabuntur, si Josaphatum ponamus per annos viginti & duos regnum obtinuisse; nam annorum illorum numerus non constat inter Chronologos; in regni vero societatem asciviisse Joramum filium anno regni sui decimo septimo; at Joramum Israelis regem regnare cœpisse decimo octavo anno regni Josaphati: ita cadet annus ille primus regni Jorami regis Israel in secundum Jorami regis Judæ; defuncto vero Josaphato anno regni sui vicesimo secundo, Joramus filius regnum Judæ capessit solus anno quinto regni Jorami regis Israel. Hoc exemplum valere debet ad alia ejusmodi confutanda argumenta, quæ ex chronologicarum computationum ambagibus oriri solent. Cujusmodi & illud est quod Scriptor idem arcessit ex repugnantia Chronologiæ librorum Regum cum illa Paralipomenon.

Ex libris Regum quadam mendosa Ethnicorum fabulæ & ritus.

VII. Porro quum res his Libris descriptæ longe magis innotuissent propter novitatem quam plerasque superiorum, propterea que minus haberent auctoritatis in vulgus, hinc parum idoneæ ab Ethnicis habitæ sunt, ex quibus confingerentur fabulæ, aut ritus arcesserentur. Alexandro tamen tributum est memorabile Davidis facinus, cum aquam a fortissimis viris haustam ex cisterna Bethlehemitica ab hostibus infesta bibere noluit, quamvis ardentissima siti conflictaretur. Ex igne tamen de cœlo precibus Eliæ lapso propagata credi possunt similium miraculorum figmenta pleraque, & pervulgata inter priscos Ethnicos opinio, sæpe flammam sacrificia sponte sua corripuisse, atque eo læta omnia & fausta portendi solere. Hinc Virgilius in Pharmaceutria:

Aspice, corripuit tremulis altaria flammis
Sponte sua, dum ferre moror, cinis ipse.

Hinc Horatius Egnatianos deridet, qui adve- Hor. serm.
nis persuadere cupiebant, thura apud se sine l. 1. Sat. 5.
flamma sponte liquescere. Quod ut ex historiis Judæorum propagatum esse ostendat, subjicit, *Credat Judæus Apella, non ego.* Dicam obiter Apellam famosum aliquem fuisse temporum illorum Judæum, & superstitione fortasse sua nobilitatum. *Apella*, nomen est proprium, quod apud Ciceronem non semel, apud Laertium, apud Clementem Alexandrinum, apud Aristidem, aliosque repetitur. Hoc nomine fabulam inscripserat Nævius. Nomen idem est ac *Apelles*, Plaut. Præn.
Plautus: *O Apella, o Zeuxis!* Idem etiam 5. 4, 101.
ac *Apellas*: quemadmodum Apollo, Judæus alter, Lucæ & Paulo memoratus, idem est ac Ἀπολλώς. *Apellas* autem idem ac *Apollas*, quod nomen extat apud Athenæum; ut Ath. l. 9.
Apello scriptum legitur pro *Apollo*; *hemo* pro *homo*; *Pellio* pro *Pollio*, apud Plautum; qui Pellio nobilis comœdus fuit hæc ætate. Plaut. Bach.
Apollas autem & *Apollos*, contracta sunt 2. 2, 37.
ex *Apollodorus*; qualia multa ab aliis jam observata sunt. Hujusmodi autem contractionibus nominum ætas Horatii plurimum delectabatur. Sed redeamus ad ignes cœlo devocatos ab Elia. Hinc idem de suis ignibus prædicarunt alii, quos supra commemoravimus. Quorum tamen originem per me referre licet, si quis malit, ad ignem, qui

aggressus

Digitized by Google

Levit.9,24. 2.Mach.2,10 *aggressus a Domino*; hoc est, ut habet Machabaicus alter, *de cœlo, devoravit holocaustum* Mosis; quemque ad Salomonem usque perstitisse traditur in Thalmudico Libro Zebachim; aut ad ignem qui Angeli nutu Zebach.c.6. *ascendit de petra, & carnes, azymosque panes* Judic.6, 21. Gedeonis *consumsit*; aut ad eum qui Davidis 1.Par.21,26. Holocausta & Pacifica hausit, cum Deo sacra faceret in area Ornan Jebusæi; aut ad cœlestes illas flammas, quibus Salomonis victimæ 2. Par. 7,1. crematæ sunt in Encæniis Templi, quas a Manasse demum extinctas fuisse docet liber memoratus Zebachim; at liber Siphra & Siphr. Part. R. Abraham Zacuth, aliique Rabbini, a Chaldæis, cum Templum vastatum est; quasque perhibet liber alter Thalmudicus Joma; Leonis figuram gessisse, cum ignis Templi secundi Cani similis fuerit; quod legas etiam in libro cui titulus Pomum & flos, & passim apud Rabbinos: cumque R. Samuel Laniado Lan. in 1. Reg. 9, 1. formam Canis eas sumsisse scribat, quoties-cunque peccati alicujus se Israelitæ alligassent. Quæ ineptiæ sunt Doctorum illorum. Ex raptu Eliæ in cœlum probabile est commentos fuisse Indos Bremavium suum in cœlum fuisse asportatum. Transiit quoque ad finitimas Asiæ gentes mos quarto libri secundi 2. Reg. 4, 1. Regum capite notatus, liberorum a parentibus in nexum creditoribus tradendorum, ab illis ad Athenienses, hinc ad Romanos.

DE LIBRIS PARALIPOMENON.

I. *Disputatur de Auctore librorum Paralipomenon. Variæ opiniones proponuntur. Incertus est eorum Auctor: ætas assignatur.* II. *Probatur eorum γνησιότης & antiquitas.* III. *Refelluntur argumenta Adversariorum. Primum argumentum.* IV. *Secundum argumentum.* V. *Tertium argumentum.*

Disputatur de Auctore librorum Paralipomenon. Varie opiniones proponuntur. Incertus est eorum Auctor: ætas assignatur.

I. ESDRAM libros Paralipomenon lucubrasse, Ebræorum est omnium fama consentiens Operas quoque suas Nehemiam contulisse volunt Thalmudistæ. Rem Christiani Interpretes relinquunt in dubio. Ego vero existimo collectum esse hoc opus, non ex Actis solum diurnis, sed & ex Prophetarum Semeiæ, Addo, Jehu, Nathanis, Ahiæ, Isaiæ, aliorumque scriptionibus; fortasse & Thalm. Bab. bathr. c. 1. ex libris quibusdam genealogiarum, ut tradit 2.Par.35,25. R. Selomoh: nec non & ex Scripturæ sacræ Libris antea striptis, ut R. Moses Kimchi. Post Jeremiam conflatum esse Librum ostendunt ista ex tricesimo quinto capite libri secundi: *Universus Juda & Jerusalem luxerunt eum,* (Josiam) *Jeremias maxime, cujus omnes cantores atque cantatrices usque in præsentem diem Lamentationes super Josuam replicant, & quasi Lex obtinuit in Israel: ecce scriptum fertur in Lamentationibus.* Post solutos quoque Babylonica captivitate Israelitas, Libros Paralipomenon esse compositos, argumento est finis scriptionis, qui redditam Ebræis per Cyrum libertatem fuisse narrat. Præterea cum hic ipse Libri finis repetatur ἐυτοέξει *(verbis non mutatis)* initio libri Esdræ, hinc effici videtur unius esse utrumque & ejusdem Scriptoris, qui pro suo jure ad historiarum suarum contexendam seriem verba ipse sua usurpaverit, perinde ut a vetustis quibusdam Scriptoribus factum Grotius observavit. Grot. in 2. Par. 36, 22. Initium autem libri Esdræ incerti esse auctoris ostendam inferius, qui Darium Hystaspiden regnantem viderit, & ad Artaxerxis usque Longimani ætatem vitam suam protogaverit. Ergo & Auctor libri Paralipomenon incertus est; ætas vero in Darii Hystaspidæ & Artaxerxis Longimani tempora incidit. Nos igitur hac in parte discedimus ab Ebræis, qua libros Paralipomenon post librum Esdræ scriptos opinantur, ac istum illosque Esdram habere Auctorem; quod eatenus verum est, quatenus eos digessit Esdras, & sex priora Libri sibi cognominis capita subnexuit, quæ & deinde continuavit. Porro etsi libri Regum & Paralipomenon iisdem circiter videantur elaborati temporibus, minime tamen existimo designari libros Paralipomenon his verbis, quæ sæpe occurrunt in libris Regum: *Nonne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum Regum Juda?* &: *Nonne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum Regum Israel?* nam & ea quoque frequenter reperias in libris Paralipomenon. His autem significantur Acta illa diurna accurate ab Ebræis condita, unde librorum Regum & Paralipomenon sumta est materia. Propius id accedit ad verisimilitudinem, quam quod statuit Hieronymus in Præfatione ad Domnionem & Rogatianum, & libros Paralipomenon esse intelligendos, si quando hæc in libris Regum leguntur: *Nonne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum Regum Juda?* & si ea his locis indicatæ minime occurrant in Para-

Digitized by Google

lipomenis, tum esse ἐπιγραφὰς exponendas: *Sed & ipsæ appellationes*, inquit, *non homines, ut plerique existimant, sed urbes, & saltus, & provincias sonant, & obliquè sub interpretatione & figura eorum quædam narrantur historiæ, de quibus in Regum libro dicitur: Nonne ecce hæc scripta sunt in Libro verborum dierum Regum Juda? quæ utique in nostris Codicibus non habentur.* Id si recipimus, sane omnia reperientur in omnibus, & magna figmentis hominum fenestra patefiet. At Ebræi cum Jeremiæ acceptos referant libros Regum, Esdræ vero libros Paralipomenon, hos in illis notari neutiquam credere possunt. Præterea vel ipsum nomen παραλειπομένων *(Omissorum)* libris illis a Græcis inditum, ostendit posteriores esse libris Regum, utpote in quibus suppleta sint plurima, quæ cum in aliis Scripturæ sacræ libris, tum maxime in libris Regum desiderabantur.

Probatur eorum γνησιότης & antiquitas.

II. Cæterum cum genuinum esse librum definiverimus, qui ab eo Auctore scriptus est, a quo scriptus esse dicitur, & eo circiter tempore quo scriptus esse fertur, omnino dicendum est genuinum esse librum Paralipomenon, qui controversum habet Auctorem & ætatem, ita uti habere dicitur; quique genuinos aliquin habitus est ab ætatibus continuata serie & proxime sequentibus: nam & in Canonem relatus est quem Esdras ipse composuit, & in Septuaginta Seniorum Interpretatione locum habuit, quæ non totis duobus seculis Esdra recentior fuit. Atque hæc ad præsens opus sufficiunt: nam propter Libri novitatem, vix ulla ejus testimonia occurrunt in Scriptoribus sacris Veteris testamenti.

Neh. 12, 23. Legimus tamen hæc in libro Nehemiæ: *Filii Levi principes familiarum, scripti in Libro verborum dierum*, quibus indicantur ea quæ extant nono capite libri prioris Paralipomenon, commate decimo & sequentibus. At in novo Testamento librorum Paralipomenon auctoritatem agnovit Petrus cum dixit:

1. Petr. 1, 17. *Et si Patrem invocatis eum qui sine acceptione personarum judicat secundum uniuscujusque opus, in timore incolatus vestri tempore conversamini.*

2. Par. 19, 7. Hæc enim arcessivit ex istis libri secundi Paralipomenon: *Sit timor Domini vobiscum, & cum diligentia cuncta facite: non est enim apud Dominum Deum nostrum iniquitas, nec personarum acceptio, nec cupido munerum.*

Refelluntur

III. Sed & hic intercedit Thomas Hobbesius, & ex usurpata aliquoties his in libris clausula, *Usque in præsentem diem*, scriptos esse colligit longo tempore post res ipsas gestas. Quod magna sane ex parte verum est, cum historia hæc initium ducat ab orbe condito, & in Cyro desinat. Quotiescunque autem adhibetur hujusmodi clausula, a tempore quo res illic narrata contigit ad id usque tempus quo Librum concinnatum posuimus, tale intercessisse spatium comperies, cui convenire possit ista temporis determinatio. Scrupulum tamen injicit locus unus qui habetur capite quinto libri secundi, ubi Arca in Templum a Salomone illata dicitur in eo fuisse, *usque in præsentem diem.* Hinc potest concludi, non quidem recentiorem esse Librum eo tempore quod assignavimus, ut vult Hobbesius, sed vetustiorem; scimus enim ex secundo Machabaicorum Jeremiam in spelunca montis Nebo Arcam occuluisse, cum Jerusalem a Chaldæis diriperetur, & prædixisse locum fore ignotum, quoad Deus populum suum congregaret. Unde effici posse videtur ante Hierosolymæ excidium scriptos esse Paralipomenon libros, cum ante motam Templo Arcam scripti sint. Idem de libris Regum pronunciare queas, quibus paria propemodum continentur. At meminerimus tum Regum, quod supra jam monui, tum Paralipomenon libros ex variis vetustioribus historiis esse excerptos; quod ita factum existimo, ut non sententiæ solum, sed & verba etiam sæpe descripta sint. Mihi itaque fit verisimile, testimonium quo Arcæ in Templo depositæ habetur mentio, ex libro antiquiore fuisse ἐκτεταγμένοι *(ipsis servatis verbis)* depromptum, & in libros Regum & Paralipomenon infartum. Utrobique enim verba extant hæc eadem, ut valde probabilis conjectura sit ex eodem fonte esse profecta.

argumentum Adversariorum. Primum argumentum. Hobb. Leviath. c. 33.

2. Mach. 2, 5

3. Reg. 8, 8.

Secundum argumentum. Tr. Theol. c. 10.

IV. De libris Paralipomenon nihil certi habere se ait Scriptor Theologo-Politicus, præterquam de ætate qua elaborati sunt, quam instaurato per Judam Machabæum Templo recentiorem esse asseverat. Cujus opinationis has causas affert: *Capite nono Libri prioris narrat Historicus, quenam familiæ primum (tempore scilicet Esdræ) Hierosolymæ habitaverint: & deinde versu decimo septimo Janitores, quorum duo etiam in Nehemia capite undecimo, versu decimo nono narrantur, indicat.*

tur. Quod ostendit hos libros dudum post Urbis reædificationem scriptos fuisse. Hæc satis obscura sunt: nam quod familias Babylone Hierosolymam reversas, ibique constitutas, & Templi Janitores Historicus recenseat, cur inde sequatur librum Judæ Machabæo recentiorem esse, non satis intelligo. Nisi forte censuit, in Urbe nondum penitus reædificata, & Templo vix restituto, neque Janitores officio fungi potuisse: quæ tamen facta fuisse apparet ex libris Esdræ; in quibus pleraque etiam eorum nomina extant, quæ nono hoc capite prioris Paralipomenon commemorantur.

Tertium argumentum. V. Quæ vero petuntur argumenta ex discrepantiis, quæ hos Libros inter & libros Regum intercedunt, jam sæpe Interpretum studio solutæ sunt. Eæ autem fere oriuntur ex depravatis Ebraici exemplaris lectionibus. Cujusmodi illud est quod profert Philosophus Theologo-Politicus ex vicesimo secundo capite secundi Paralipomenon, ubi fuisse legitur Ochozias quadraginta duorum annorum cum regnum capesseret: & octavo tamen capite quarti Regum, anni tantum huic viginti duo tribuuntur. Facilis est conjectura lapsum hic impingenda numeri nota librarium, ut alias sæpe contingit, & pro כ notatum ב: quod penitus confirmatur ex interpretatione Septuaginta Senum: δύο ἔτεσι καὶ εἴκοσι, *(annorum duo & viginti)* quod habent & Syrus & Arabs. Aliter solvit hunc nodum Vatablus, sed hæc quam affero potior mihi videtur solutio. Nec minus proclivis error in describendis nominibus propriis, unde prodierunt ἐναντιολογίαι, (*differentiæ*) quas inter libros Paralipomenon & Genesin notat idem Arguator. Nam si nomina filiorum Benjaminis, quæ capite Geneseos quadragesimo sexto exposita sunt, cum iis contendat quæ habentur Numerorum capite vicesimo sexto, & quæ prioris Paralipomenon capite octavo; item Ebraica cum interpretatione Septuaginta Senum, statim magnam nominum depravationem deprehendet. Atque exceptio eadem pertinere debet adversus objectas a Verpo nostro similes nominum discrepationes; eam vero præcipue quæ inter nomina Leviticarum urbium in Josua expressa intercedit, & ea quæ habentur in Paralipomenis. Res erit ex utriusque loci comparatione clarior. Quapropter id tantum his cavillationibus extorqueri potest, luxatum esse in nominibus quibusdam propriis, aut in Arithmeticis aliquibus notis Scripturæ Sacræ contextum, quod neque quisquam negat; & si negaretur, Masorethæ lectionem differentiis quas collegerunt facile revincerent: imo & plerasque Libris sacris inesse fateor scriptionis varietates, quas neque Masora adnotavit. Potissimum autem in libros Paralipomenon hæc calamitas incubuit. De nominibus urbium aliter respondent Ebræi Magistri, nempe Levitis commodato datas urbes ad habitandum, quoad illæ quæ proprie ipsis dicatæ erant Chananæis extorqueri potuissent; hinc diversa urbium nomina in Josua & Paralipomenon Libris extitisse. Masius vero mutata hæc nomina lapsu temporis arbitratur.

Tr. Theol. c. 9. 2. Par. 22. 2.

4. Reg. 8, 26

Vat. in 2. Par. 22, 8.

Tr. Theol. c. 10. Gen. 46, 21.

Num. 26. 38 1. Par. 8, 1.

Masius in Jos. 21, 11. 16.

DE LIBRIS ESDRÆ.

I. *Disputatur de Auctore libri prioris Esdræ. Vulgata opinio proponitur. Sex priorum capitum incertus est Auctor: ætas assignatur. Reliquorum Auctor est Esdras.*
II. *Probatur ejus γνησιότης & antiquitas.*
III. *Nehemias auctor est libri sibi cognominis, cujus probatur γνησιότης & antiquitas.*
IV. *Refelluntur argumenta Adversariorum. Primum argumentum.* V. *Secundum argumentum.* VI. *Tertium argumentum.*

I. TRITA est & vulgaris omnium opinio librum priorem Esdræ, qui solus apud Ebræos Esdræ dicitur, cum secundus Nehemiæ nomine inscribatur, Esdram auctorem habere: & vix quemquam ab hac sententia deflectentem reperias. Ego Libri hujus capita sex priora eumdem scripsisse ajo, qui Paralipomena, ut ex horum fine colligi potest, quæ initio libri prioris Esdræ repetitur, uti supra observavi, cum de Paralipomenis agerem. Præterea capitum illorum Scriptorem rebus ipsis quas narrat, interfuisse declarant hæc capitis quinti verba: *In ipso tempore venit ad eos Thathanai, qui erat dux trans flumen, & Scharbuzanai, & consiliarii eorum, sicque dixerunt eis: Quis dedit vobis consilium, ut domum hanc ædificaretis? Ad quod respondimus eis, quæ essent nomina auctorum ædificationis illius.* Mox addit ista: *Placuit ad res ad Darium referretur.* Tum subjicit: *Exemplar epistolæ a Thathanai & Scharbuzanai ad Darium scriptæ.* Cum auctor libri ait,

Disputatur de Auctore libri prioris Esdræ. Vulgata opinio proponitur. Sex priorum capitum incertus est Auctor: ætas assignatur. Reliquorum Auctor est Esdras.

1. Esdr. 5, 3. & seq. 1. Esdr. 6, 14. 15.

Respondimus, significat utique se unum respondentium fuisse. Responderunt autem his rectoribus provinciæ a Dario præfectis. Hi rem scripserunt ad Darium. Hinc clarissime & certissime colligitur auctorem Libri hæc Darii ævo scripsisse, tumque fuisse Hierosolymis, cum de Templi ædificatione id a Rectoribus quæreretur. Præterea ædificatio illa absoluta est anno sexto Darii, ejus videlicet qui fuit Hystaspis filius. Id docet sequens caput. Igitur quisquis priora hæc scripsit capita, quem & Paralipomenon conditorem fuisse diximus, vixit Darii hujus temporibus. Quæ quantumvis perspicua & indubitata probatio, bono tamen nostro reprehensori leviſſima videtur conjectura: adeo paucorum est bonas literas tractare; minime vero illorum quibus nihil sapit præter Quodlibeta & Postilla. Sed & ad Artaxerxis tempora vitam idem produxit, utpote cujus non semel meminerit sex his prioribus capitibus: & suadere nobis vult Benjamin Tudelensis ad Regem hunc profectum Esdram obiisse, & ad Semuram fluvium, in Persici regni limite esse sepulcrum, illicque tumulum ejus ostendi. Is autem Artaxerxes alius esse non potest quam Longimanus. Porro Scriptorem horum sex capitum alium esse ac Esdram ex istis verbis concluditur, unde initium sumit septimum caput: *Post hæc autem verba, in regno Artaxerxis regis Persarum, ipse Esdras ascendit de Babylone.* Nam cum Hierosolymæ fuerit tempore Darii Scriptor priorum sex capitum, Esdras vero Hierosolymam venerit regnante Artaxerxe, sequitur alium esse sex priorum capitum scriptorem ac Esdram. Reliquam autem Libri partem, quæ quatuor omnino constat capitibus, ab Esdra esse profectam manifestum est, cum ex aliis ejus verbis, tum ex his potissimum, quæ extant septimo capite, ubi postquam datas ad
1. Esdr. 7, 27. 28. Esdram ab Artaxerxe literas retulit, subjungit demum ista: *Benedictus Dominus Deus patrum nostrorum, qui dedit hoc in corde Regis, ut glorificaret domum Domini quæ est in Jerusalem, & in me inclinavit misericordiam suam coram Rege, & consiliatoribus ejus, & universis Principibus Regis potentibus. Et ego confortatus manu Domini Dei mei quæ erat in me, congregavi de Israel Principes qui ascenderent mecum.* Ex quibus apparet eum qui ita de se loquitur ac scribit αυτοχειρία, *(ex propria persona)* hunc ipsum esse Esdram. Idem probatur & ex nono capite, 1. Esdr. 9, 5. ubi cum de se dixisset, *Curvavi genua mea, & expandi manus meas ad Dominum Deum meum*; & orationem demum adjecisset, quam fudit ad Deum; tum subnectit: *Sic* 1. Esdr. 10, 1. *ergo orante Esdra, & implorante eo, & flente.* Cum igitur Thalmudistæ, aliique Ebræi doctores Esdram ajunt librum suum scripsisse, id ad capita tantum postrema quatuor pertinere in eorum gratiam putandum est. Thalm. in Bab. bathr. c. 1.

II. Porro ex hoc Opere descripsit Nehemias ονομαστικόν, sive Librum genealogiæ eorum qui Babylone primum Hierosolymam redierunt; & septimo scriptionis suæ capite repræsentavit. Verumtamen quoniam illic in secundo prioris Esdræ, Nehemiæ fit mentio, qui & Athersata appellatus est, quique in priore reditu non fuit, hinc mihi videtur probabile Nehemiam, cum hæc describeret, nomina quoque eorum recensioni inseruisse qui secundo reditui interfuerunt; atque ita Librum genealogiæ interpolasse. Alios vero deinde deprehensis Esdrinæ & Nehemianæ genealogiæ discrepantiis; ad Nehemianæ exemplar Esdrinam refinxisse, & recomposuisse. *Probatur ejus γνησιότης & antiquitas.* 1. Esdr. 2, 2.

III. Nehemiam librum sibi cognominem lucubrasse Interpretes consentiunt, & res ipsa indicat: nam & se Libri auctorem in fronte profitetur, pro more Scriptorum illius temporis, Herodoti, Thucydidis, Timæi Locri, Ocelli Lucani, Alcmænois Crotoniatæ, & reliquo vetustiorum Pythagoreorum; & reliquo opere res a se gestas describit αυτοχειρία *(ex propria persona.)* Atqui narratæ illic restitutionis mœnium Hierosolymæ, ejusque Auctoris Nehemiæ, cum laude meminit Sirachides; Commentariorum autem ipsius & scriptionum, Auctor Machabaici posteriores; secundo capite. Tum is autem Liber, tum & ille Esdræ, in Ebræorum Canonem receptus, & a Septuaginta Interpretibus Græco sermone redditus est. Vixit porro Nehemias Artaxerxis ævo, non Mnemonis, ut contendit Scaliger, sed Longimani: atque ipsius in Judæam reditus Esdræ reditu tredecim annis est recentior. Fuit de Tribu Juda, ut recte notant Eusebius & Cedrenus. Nec obstat decimum caput libri Nehemiæ, in quo Sacerdotes dicuntur ii quorum nomina proxime præmissa sunt, inter quæ primum est illud *Nehemias auctor est Libri sibi cognominis, cujus probatur γνησιότης & antiquitas.* Eccl. 49, 15. 2. Mach. 2 12 Scalig. Prolog. Op. de emend. temp. & l. 6. & An. in Euseb. Chr. Can. Gr. ad ann. 1584.

Digitized by Google

illud Nehemiæ; nam ad reliqua, non ad hoc, pertinet notatio isthæc. At vitiosa sunt illa, quæ leguntur primo capite Machabaici secundi: *Jussit Sacerdos Nehemias aspergi ipsa aqua:* nam si Græcum exemplar consulas, ista reperies: ἐκέλευσεν τοὺς ἱερεῖς: τοῦτο ἐπιῤῥάναι τῷ ὕδατι. *Jussit Sacerdotes Nehemias aspergere ipsa aqua.* Sub Esdræ nomine laudatur liber Nehemiæ apud Eusebium & alios, *Quia apud Ebræos Esdræ, Nehemiæque sermonis in unum volumen coarctantur,* inquit Hieronymus.

2. Esdr. 10, 8.

2. Mach. 1, 21.

Euseb. Chron. ad ann. 1584. Hier. Præf. ad Domn. & Rog.

IV. Quamvis autem horum Librorum certa sit fides, eos tamen Anabaptistæ penitus repudiant: sed & argutationibus quoque suis eos appetit Theologo-Politicus Philosophus, negatque ab Esdra & Nehemia esse scriptos, sed longe post instauratum a Juda Machabæo Templi cultum confictos a Sadducæis, *forte ea de causa, ut populo ostenderent Danielis Prophetias adimpletas esse, atque eum hac ratione in religione confirmarent, ne de melioribus & futura salute in tantis calamitatibus desperarent.* Tam novæ & temerariæ opinionis unicum hoc habet argumentum, quod capite Nehemiæ duodecimo nomen esset Jeddoæ Pontificis, quem Alexandro Magno Hierosolymam eunti obviam prodiisse Josephus narrat; & illud Darii, ejus nimirum qui Codomannus cognominatus est. Unde sic concludit: *Neminem existimare credo, quod Esdras aut Nehemias adeo longævi fuerint, ut quatuordecim Reges Persarum supervixerint: nam Cyrus omnium primus Judæis veniam largitus est Templum reædificandi, & ab eo tempore usque ad Darium decimum-quartum & ultimum Persarum regem ultra* CCXXX *anni numerantur.* Vix plures potuisset errores tam paucis verbis colligere: nam primum putat Nehemiam Cyri temporibus floruisse, qui Artaxerxi æqualis fuit: quatuordecim Persarum reges numerat, qui a Cyro ad Darium Codomannum fuerunt omnino decem, aut si Patizithen & Smerdin Magos in iis numeres, ad summum duodecim. A tempore quo Judæis patriæ repetendæ potestatem fecit Cyrus, ad postremum Darium annos effluxisse censet CCXXX, qui ad hujus obitum non multo plus quam ducenti fuerunt. Præterea, ut hæc concedamus omnia, non inde sequitur libros Esdræ recentiores esse Juda Machabæo, qui plusquam CLX annis post Darii Codomanni obitum Judæorum dux creatus est. Denique quidquid ex duodecimi Nehemiæ capitis verbis sequatur, nomine id Esdræ librum, sed Nehemiæ solum oppugnat. Jam vero quod spectat ad Jeddoam Pontificem, & Darium Codomannum, quos Nehemiæ agnitos & commemoratos fuisse fatemur; & ad Sanaballetum Horoniten, quem Manassis fratris Jeddoæ Pontificis socerum fuisse caussantur, & a Dario ad Alexandrum defeciisse, ut est apud Josephum; cum multo prius Nehemiam Hierosolymæ muros reparantem interpellasset, quemadmodum legitur Nehemiæ quarto capite; nos respondemus Nehemiam puerum fuisse, cum primum in Judæam profectus est, ut qui regi esset a poculis, quo ministerio fere pueri fungebantur; iter autem illud incidisse in annum vicesimum Longimani. Hunc si regnum esse auspicatum ponamus anno Periodi Julianæ 4249, incidet vicesimus in annum ejusdem Periodi 4269: a quo tempore ad obitum Darii Codomanni, annum videlicet 4384, intercedunt anni centum & quindecim. Itaque si Artaxerxis vicesimo annum ætatis egerit decimum sextum Nehemias, natus fuerit annos circiter centum triginta & unum cum obiit Darius; quod profecto neque mirum est, neque novum. Optime id probat exemplis Scaliger: verum argumento ipse suo abutitur, cum quod de uno, vel duobus credibile est, pluribus nititur accommodare. Causæ itaque non erat, cur Petavius ad refellendum hoc Scaligeri commentum, ῥᾳθύμως incusaret locum hunc, in quo Jeddoæ Pontificis & Darii fit mentio; aliorum quorundam auctoritatem secutus. Nodum quem solvere poterat, secare non debuit. Plane vero huic in eo assentior, quod Sanaballetos arbitratur fuisse duos, alterum Artaxerxis æqualem, Darii Codomanni & Alexandri alterum. Unde Scaligeri argumentum ex unius Sanaballeti diuturnitate conflatum dissolvitur.

Joseph. Antiq. l. 11. c. 8.

Refelluntur argumenta Adversariorum. Primum argumentum. Tract. Theol. c. 10.

2. Esdr. 12, n. 22.

Joseph. Antiq. l. 11. c. 8.

Scalig. de em. temp. l. 6.

Pet. de doct. temp. l. 12. c. 25.

V. Invidiam præterea facere conatur Libris Esdræ Theologo-Politicus Disputator, ex eo quod in Epistola genealogiæ, quæ Esdræ secundo capite, Nehemiæ septimo continetur, singulæ hominum, qui per partes numerantur, summæ in unum collectæ solidam summam illic notatam non exæquent,

Secundum argumentum. Tract. Theol. c. 10.

Digitized by Google

aquent, & quod in nominibus crebra vitia deprehendantur: frequenti nempe librariorum errore, quibus in referendis arithmeticis notis, & exprimendis nominibus labi promtissimum est, ut jam dixi. Præcaverat incommodum istud Hieronymus, cum ad Hier. Præf. in Esdr. & Nehem. Domnionem & Rogatianum scriberet, ut librorum emendata a se exemplaria cum fratribus communicarent, *Admonentes ut Ebræa nomina, quorum grandis in hoc volumine copia est, distincte & per intervalla transscriberent. Nihil enim*, inquit, *proderit emendasse librum, nisi emendatio librorum diligentia conservetur.* Adde & quod acute observavit Altingius, summam hominum a Nehemia recensitorum, qui in Esdræ recensione non extant, additam ad summam hominum ab Esdra recensitorum, eumdem efficere numerum ac summam hominum ab Esdra recensitorum, qui in Nehemiæ recensione non extant. Vnde apparet libri utriusque consensus.

Tertium argumentum. Isid. Orig. l. 6. c. 2. VI. Conflatur tertium argumentum ex Isidori verbis, quibus secundum Esdræ librum apud Ebræos non haberi, sed inter apocryphos rejici docet. Verum ex hoc ipso testimonio manifestum est, non secundum illum intelligi Librum, qui Nehemiæ nomen præfert; nam diserte pronuntiat idem ille Isidorus, Esdræ libro sermones Esdræ & Nehemiæ contineri. Probabile itaque est ipsum, cum Hier. Præf. in Esdr. & Nehem. ex Hieronymo didicisset, *apud Ebræos Esdræ Nehemiæque sermones in unum sermonem coarctari*, unicum Esdræ librum canonicum censuisse; cum autem alios Esdræ libros apocryphos esse sciret, eos quoque in unum conjungendos esse, ac unum canonicum, alterum apocryphum existimasse.

DE LIBRO TOBIÆ.

I. *Disputatur de Auctore libri Tobiæ. Scriptus videtur partim a Tobia patre, partim a filio, partim ab incerto Auctore.* II. *Probatur ejus γνησιότης & antiquitas.* III. *Disputatur de tribus Ebraicis libri Tobiæ editionibus;* IV. *& de Græca.* V. *Refelluntur argumenta Adversariorum. Vnicum argumentum.*

Disputatur de Auctore libri Tobiæ. Scriptus vi-

ETsi in Canonem sacrorum Voluminum Tobiæ librum non dedicarunt Ebræi; quæcunque tamen in eo narrantur, Salmanasaca, & Sennacheribi; & Ezechiæ ætate facta, satentur vere contigisse, ut est in Juchasin, Librum autem ipsum *his quæ Hagiographa memorant, manciparunt*, uti de eo loquitur Hieronymus. De Libri ætate & Scriptore non ita convenit. Constat quidem ante Hier. Præf. in Tob. Christum fuisse relatum in literas, ut tradit Augustinus in Speculo. Partim autem ab ipso Tobia patre, partim a Tobia filio scriptum esse, nonnulla etiam ab incerto Auctore, aliquo fortasse e Tobiæ nepotibus, esse adjecta consentit sanior pars Interpretum; & capita quidem priora duodecim a Tobia patre; decimum tertium, & decimi quarti partem, qua senioris Tobiæ narratur interitus, ad postremos usque versus duos, a Tobia filio; duos illos versus postremos, quibus Tobiæ filii mors continetur, ab incerto Auctore.

partim a Tobia patre, partim a filio, partim ab incerto Auctore.

II. Concedo libens in hanc sententiam, ut potè quæ nitatur capite duodecimo, quo Tobiam utrumque jubet Angelus casus suos literis tradere. Nam cum Vulgata habeat: Tob. 12, 20. *Narrate omnia mirabilia ejus;* sic Græcus Interpres: γράψατε πάντα τὰ συντελεσθέντα ὑμῖν βιβλίον *Scribite in libro quæcunque evenerunt.* Cui mandato quin pro sua pietate paruerit Tobias uterque, dubitari non potest; cum præsertim Ebræorum mos esset res suas in commentarios referre. Hunc autem Librum quem habemus, eum ipsum esse qui ab illis scriptus est, multa persuadent; primum quod credibile non sit tantam fuisse posterorum socordiam, ut Librum Angeli jussu a viris tam perspectæ pietatis lucubratum intercidere passi sint. Persuadet idem & Chaldaica loquela qua scriptus est, quæque in partibus illis usurpabatur, ubi vitam egit Tobias uterque. Latinam enim quam terimus interpretationem se ex Chaldaico sermone, ope hominis cujusdam linguæ utriusque periti, extudisse testatur Hieronymus. Hier. Præf. in Tob. Vnde recte quoque possumus concludere a Judæis Palæstinam incolentibus haudquaquam fuisse compositum. Hoc si ita foret, dicendum prorsus esset, factum id fuisse postquam Babylonicis vinculis exemti sunt Judæi. Traditur enim in Beresith rabba & in Thalmude Hierosolymitano, Angelorum Raphaelis, Michaelis & Gabrielis nomina, cum mensium nominibus, e Babylonia venisse. Verum aperte demonstrat Chaldaica

Probatur ejus γνησιότης & antiquitas.

libri

libri oratio, ut dixi, aliunde repetendam esse ejus originem. Præter superiora persuadet etiam a Tobia utroque scriptum esse narratio ἐντοπροσωπος (*ex propria persona,*) quæ in Græca interpretatione, & Syriaca ad Græcam expressa, & Ebraica recentiore observatur. Hic enim Interpretum consensus indicare videtur quid exemplar primigenium habuerit. Hieronymi vero interpretatio etsi ex Chaldaico ipso archetypo derivata est; nihilominus tamen quoniam a se elaboratam ait Hieronymus adhibito Interprete, qui quæ legebat Chaldaice Ebraicis verbis reponebat, hinc alienum aliquid & adventitium huic adhæsisse par est suspicari; & quæ a Tobia ἐντοπροσωπως (*ex propria persona*) dicta erant, velut ἑτεροπροσωπικῶς (*ex aliena persona*) dicta ad Hieronymum fuisse relata.

Hier. Præf. in Tob.

Ad hæc demonstrant Libri antiquitatem sententiæ quædam a sequentium ætatum Scriptoribus usurpatæ. Cujusmodi illa est

Tob. 4. 11. & quarto capite: *Eleemosyna ab omni peccato & a morte liberat, & non patietur animam*

Eccl. 29, 15. *ire in tenebras*: quam sic repræsentavit Jesus Sirachides: *Conclude eleemosynam in corde pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo.*

Tob. 4, 16. Legitur in eodem Tobiæ capite: *Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri*

Matth. 7, 12. Luc. 6, 31. *facias*: comparet eadem sententia apud Matthæum & Lucam. Quamquam ex ipsius naturæ dictatis sumi potuit. Scripsit To-

Tob. 13, 20. & seq. bias: *Beatus ero si fuerint reliquiæ seminis mei ad videndam claritatem Jerusalem. Portæ Jerusalem ex sapphiro & smaragdo ædificabuntur, & ex lapide pretioso omnis circuitus murorum ejus: ex lapide candido & mundo omnes plateæ ejus sternentur.* Talis propemodum fuit illa Jerusalem, quam Johanni osten-

Apoc. 21, 18. & seq. dit Angelus in Apocalipsi: *Et erat structura muri ejus ex lapide jaspide, ipsa vero civitas aurum mundum, simile vitro mundo. Et fundamenta muri civitatis omni lapide pretioso ornata. Fundamentum primum jaspis, secundum sapphirus, tertium chalcedonius, quartum smaragdus..... Et duodecim portæ duodecim margaritæ sunt per singulas & singula portæ erant ex singulis margaritis; & platea civitatis aurum mundum, tanquam vitrum perlucidum.* In quibus vides Tobiæ & Johannis consentientem novæ illius Jerusalem descriptionem. Hæc autem conveniunt doctrinæ vetustiorum Prophetarum, qui Hierosolymæ, ac montis Sion, & civitatis Dei symbolo ac nomine Ecclesiam Christi præsignificare solebant. Apponamus hic denique notationem jam sæpe adhibitam; genuinum esse Librum hunc, ut pote qui sit, uti esse fertur, ignorabilis Auctoris & temporis.

III. Extant libri Tobiæ Ebraicæ duæ editiones; a Munstero & a Fagio editæ: si modo duæ, non eadem credi possunt, quæ in multis licet dissentientes locis, maximam tamen inter se affinitatem habent; nec minorem cum tertia quadam, quæ manu scripta penes me est, quæque ad illam Munsteri propius accedit quam ad Fagianam. Multum illæ discrepant tum a Latina Hieronymi, tum & a Græca, quam pressius tamen assectantur; ut si minus ab hac, ab aliis certe quæ ad illam accuratæ sint propagatam credere dignum sit. Vtcunque est, temerarium esse & falsum liquet, quod a R. Davide Ganz in Chronologia traditum est, editionem Munsteri ab ipso Munstero confictam fuisse & suppositam, & quicunque nares habuerit non obtusas, futurum ut fraus ei facile suboleat, totumque opus ineptum esse & stolidum, res vero quæ in eo narrantur, falsas penitus & commentitias. Quod judicium quam vanum sit, ex editione Fagiana & exemplari nostro manuscripto intelligitur: sed Judæum puduisset non ineptire. Scribit quidem Origenes ad Africanum accepisse se ab Ebræis libros Tobiæ & Judith, ab eis Ebraice scriptos, in apocryphis haberi: sed Chaldaicum ipsum archetypum intelligo. Chaldaica quippe lingua Ebraicæ nomine sæpe continetur.

Disputatur de tribus Ebraicis libri Tobiæ editionibus;

IV. Omnium Interpretationum Libri hujus, quæ hodie circumferuntur, antiquissima, ac proinde purissima, & exemplari simillima Græca est: nam ea, & veteri Latina ad illam accurata usos esse videamus Auctorem Constitutionum quæ Clementi adscribuntur, Polycarpum, Clementem Alexandrinum, aliosque Patres Græcos & Latinos Hieronymo vetustiores. Quid quod a Septuaginta Interpretibus concinnatam quidam arbitrati sunt, sed non ego credulus illis: cum enim in Canone non haberetur ille Liber, quis credat fuisse in luculento & accurato exemplari, quod ad Ptolemæum Philadelphum transmisit Eleazarus Pontifex?

& de Græca.

Clem. Constit. Apost. l. 1. c. 1. l. 3. c. 15. l. 7. c. 2. Polyc. Ep. ad Philipp. Cl. Strom. 1.

Digitized by Google

Neque vero ejus auctorem Theodotionem dicam, quod multi faciunt, quippe quam vidisse certum sit Scriptores antiquiores Theodotione. Potius est ut eam Ægyptiis Helleniſtis adſcribamus, quos & eam ex Chaldaico exemplari excepiſſe veriſimile eſt, & ad reliquas Scripturæ ſacræ partes a Septuaginta Senibus Græce converſas, & uſu quotidiano verſari ſibi ſolitas accudiſſe; atque hinc porro accepiſſe Chriſti Eccleſiam, & in ſuum demum Canonem retuliſſe.

Varia opiniones proponuntur.

Tobiæ diximus: nam & ex Ebræorum Canone ſegregatus eſt, & a Chriſti tamen Eccleſia receptus, & quæ in eo narrantur minime commentitia eſſe agnoſcunt Judæi, & Librum ipſum inter Hagiographa collocant. Hieronymo teſte, & Libri auctor ac ſcriptionis tempus veniunt itidem in controverſiam, & recentiorum diſputationibus adeo ventilata ſunt in utramque partem & excuſſa omnia, ut vix quidquam videatur addi poſſe. Paucis tamen hanc quoque partem attingemus. Dixi incertum eſſe Libri Auctorem; & ita ſane eſſe pridem dixit Iſidorus. Sunt qui Eliachimum velint, alio nomine Joachimum dictum, in ipſo Judithæ volumine memoratum, qui ſummum Judæorum Pontificatum tenuit Manaſſis Judæ regis temporibus, Librum elaboraſſe. A Joſua Joſedeci filio, ſummo itidem Judæorum Pontifice, Zorobabelis comite, ſcriptum eſſe affirmat Jedidæus, hoc eſt Philon Alexandrinus, in libro de temporibus, quem e Latino Ebraice retulit R. Azarius in ספר יוחסין; quippe Judithæ hiſtoriam Xerxis ævo eveniſſe cenſebat. At quamvis hoc opus Jedidæi, ſit ipſum Pſeudo-Philonis Judæi Breviarium temporum, ita tamen interpolatum eſt, ut aliud videri queat; & Joachimo Joſuæ filio, ſummo itidem Pontifici, in Latina hac ſcriptione ſuppoſititia adſcribitur liber Judith, qui Joſuæ ipſi in Ebraica. Hieronymus in interpretatione Euſebiani Chronici ſcribit, *Cambyſen ajunt ab Ebræis ſecundum Nabuchodonoſor vocari, ſub quo Judith hiſtoria conſcribitur:* cum debuiſſet ſcribere, *ſub quo Judith hiſtoriam ferunt contigiſſe:* ſic enim habent Græca: ἐφ' ᾧ τὴν κατὰ Ἰουδὶθ ἱστορίαν λέγουσι γεγενῆσθαι. Grotius lucubratum putabat hoc opus Antiochi Epiphanis temporibus, paulo ante Aſſamonæorum principatum, totumque ænigma eſſe cenſebat & concinnatum ad confirmandos Judæos adverſus graſſantem impii hujus Regis tyrannidem.

Hier. Præf. in Judith.

Iſid. Orig. l. 6. c. 2.

Euſ. Chron. l. 1.

Grot. Præf. in Judith.

Refelluntur argumenta Adverſariorum. Vnicum argumentum.

V. Nunc vero poſtularet hic locus, ut vulgaria argumenta quibus oppugnari ſolet Liber iſte, pro more noſtro diſcuteremus: quod quoniam abunde factum eſt ab aliis, præſertim ab iis qui ſuſceptis adverſus ætatis hujus Heterodoxos velitationibus & controverſiis inclaruerunt, diſputatione hac ſupersedebo. Vnicum hoc refellam, quo ea Libri hujus antiquitas, quam ſtatui, convelli poteſt, quod nempe non fuerit in Canone, cum credibile ſit minime eum prætermiſſuram fuiſſe Synagogam magnam ac Esdram, a quibus Canon conditus eſt, ſi jam ante extitiſſet. Verum cum eo tempore maximis rerum difficultatibus premeretur Iſraelitica gens, quamvis libertati & patriæ reddita, nondum Esdras, quantumlibet ſtudioſus ac diligens, omnes gentis ſuæ hiſtorias & veteris memoriæ monumenta a popularibus ſuis ſcripta colligere potuerat. Quæ poſtmodum reperta ab aliis, in Canone jam clauſo & obſignato locum non habuerunt.

DE LIBRO JVDITH.

I. *Diſputatur de Auctore libri Judith. Varia opiniones proponuntur.* II. *Incertus eſt ejus Auctor: conjectura ætas explorátur. Probatur ejus γνησιότης & antiquitas.* III. *Libros Tobiæ & Judith inter Hagiographos ab Ebræis eſſe poſitos contra Scaligerum defenditur.* IV. *Diſputatur de priſcis libri Judith interpretationibus.* V. *Judith tempore Manaſſis regis Juda facinus ſuum videtur edidiſſe.* VI. *Refelluntur argumenta Adverſariorum. Primum argumentum.* VII. *Secundum argumentum.* VIII. *Tertium argumentum.* IX. *Quartum argumentum.*

Diſputatur de Auctore libri Judith.

I. Quæ de libro Judith dicturi ſumus, paria ſunt propemodum iis quæ de libro

Incertus eſt ejus Auctor: conjectura ætas explo-ratur. Probatur ejus γνησιό-της & anti-quitas.

II. Ego in re incerta ab omni me aſſenſu ſuſtineo. Quod ſi tamen in tenebris micare liceat, ſcriptum conjiciam Babylonicæ captivitatis temporibus, ad leniendam exilii hujus ægritudinem, & ſpe arrigendos Iſraelitarum animos. Id ſuadet Chaldaicus ſermo, quo ſcriptum fuiſſe hoc opus Hieronymus teſtificatur, unde & Interpretationem ſuam expromſit. Neque aliter accipio verba Origenis,

Digitized by Google

genis, cum scribit ad Africanum se ab Ebræis didicisse librum Judith Ebraice scriptum haberi ab iis in apocryphis; hoc est Chaldaice, uti superius de Tobiæ libro disputantes observavimus. Qua potissimum nota Libri hujus antiquitatem R. Azarias deprehendit. Suadet & interpretationis utriusque Græcæ & Hieronymianæ, quæ supersunt, sermo Ebraismis perspersus & Ebraicam plane redolens originem.

R. Azar. Meor Enajim c. 51.

Quædam præterea locutiones & sententiæ ex hoc libro videntur in Novum Testamentum transiisse. Qualis illa est Elizabethæ ad Mariam Christi matrem: *Benedicta tu inter mulieres*; quod jam ante usurpaverat Oziias, cum sic Judith alloqueretur: *Benedicta es tu filia a Domino Deo excelso præ omnibus mulieribus super terram.* Ait Paulus in priore ad Corinthios Epistola: *Neque tentemus Christum, sicut quidam eorum tentaverunt, & a serpentibus perierunt: neque murmuraveritis, sicut quidam eorum murmuraverunt, & perierunt ab exterminatore.* Proveniunt ista manifesto ex libro Judith, cujus hæc sunt verba: *Illi autem qui tentationes non fuscepterunt cum timore Domini, & impatientiam suam, & improperium murmurationis suæ contra Dominum protulerunt, exterminati sunt ab exterminatore & a serpentibus perierunt.* Cæterum meminerimus sæpe jam dictum esse a nobis genuinum hunc esse librum, qui ejus sit & auctoris & ætatis, cujus esse fertur; unde sequitur genuinum esse librum Judith, quippe qui sit incerti auctoris & ætatis, uti esse vulgo fertur.

Luc. 1, 42. Judith. 13, 23. 1. Cor. 10, 9. 10. Judith. 8, 24. 25.

Libros Tobiæ & Judith inter Hagiographos ab Ebræis esse positos contra Scaligerum defenditur.

III. Miratur Scaliger Hieronymum scripsisse libros Tobiæ & Judith inter Hagiographos poni ab Ebræis, cum certum sit in Canonem receptos non fuisse. Nempe in eo falsus est Scaliger, quod nulla extra Canonem Hagiographa Ebræos habere censuit. Erant autem apud eos Hagiographa duplicis modi: alia quæ dictata esse dicebant per Spiritum sanctum, atque hunc statuebant secundum Prophetiæ gradum ex undecim, & רוח הקודש *Spiritum Sanctum* appellabant. Hujusmodi erant Hagiographa relata in Canonem, quæ כתובים proprie & κατ' ἐξοχήν dicebantur. Testem locupletem damus Maimonidem in More nevochim. Verum nobilioribus Prophetiæ generibus desitis post solutam Captivitatem, eo usi sunt Judæi quod בת קול, *Filiam vocis* appellant, & cujus creberrima occurrit in libris Rabbinorum mentio; atque hujus ope alias ediderunt scriptiones, & eas quidem Hagiographas & a Deo inspiratas. Quoniam autem inferius habebatur genus hoc Prophetiæ, iis per quæ Libri sacri editi & in Canonem fuerant conclusi, ideo resignare Canonem, allisque Libris sacris istos adjungere, & in idem volumen compingere non sunt ausi, quamvis sacros & Dei afflatu compositos esse arbitrarentur. Tales autem fuisse volunt Libros Tobiæ ac Judith. Atque hæc quidem Ebræi: nam Ecclesia Christi, hos itidem ut reliquos, qui Volumine sacro continentur, Spiritu sancto dictante conscriptos esse pro certo habet, & aliis Hagiographis neutiquam inferiores esse decernit.

Scal. in Euseb. Chron. l. 2. Hier. Præf. in Tob. & Judith.

Maim. More nev. P. 2. c. 45.

Disputatur de priscis libri Judith interpretationibus.

IV. Multum porro Hieronymianam inter Libri hujus interpretationem, & Græcam quæ hodie extat, interest. Verum utra exemplaris vestigiis pressius institisse dicenda sit, dubitare nos nequaquam patitur Hieronymus, cum ait se *magis sensum e sensu, quam ex verbo verbum transtulisse, multorum codicum varietatem vitiosissimam amputasse; sola ea quæ intelligentia integra in verbis Chaldæis invenire potuit, Latine expressisse.* Huc accedit quod adhibitus hic quoque ab Hieronymo Interpres, ut & in Tobiæ libro e Chaldæo sermone Latine reddendo, nonnulla etiam de suo videtur fuisse largitus; Chaldaici enim sermonis satis rudem se Hieronymus non dissimulat. Hinc tanta inter utramque interpretationem occurrit discrepatio. Græcam vero, itidem ut illam libri Tobiæ, ex Chaldaico exemplari excerpsisse Judæos Hellenistas credibile est: nam quis mulieris popularis suæ historia, adeo inter Ebræos celebri ut in Hagiographis collocaretur, caruisse putet Judæos Alexandrinos, & ad eam vernacula lingua, Græca nimirum reddendam pauculas horas non contulisse? Ergo cum amœna sit Libri lectio, & ad pietatem promovendam utilis, crebro eum usu videntur triviisse: nonnumquam etiam sacris Libris adjunxisse, utpote quem Hagiographum esse & ab Ebræis haberi scirent: adeo ut cum Christi deinde susciperent dogmata, Christianis eum communicarent cum reliquis Libris sacris, nullo discrimine: atque ita demum sacer ab Ecclesia Christi habitus

Hier. Præf. in Judith.

Hier. Præf. in Tob.

Digitized by Google

sit, Nicæna Synodo comprobante ac decernente. Ex Græca porro illa interpretatione Latinam quamdam deinceps prodiisse existimaverim, Hieronymiana vetustiorem, & Græcis magis consonam, qua Latini Patres antiqui usi sunt; & Syriacam præterea. Minime ergo iis assentior qui Septuaginta Senum, aut Theodotionis fœtum hunc quoque esse comminiscuntur. Quis enim librum a Canone Ebræorum sejunctum Ptolemæo Philadelpho inter sacras Scripturas Eleazarum Pontificem venditasse censeat? Sed nec Theodotiani id adscripserim: nam quis ipsum elaborasse existimet eam interpretationem, quam non æquales solum ejus, Clemens Alexandrinus, Origenes, & Africanus usurparunt; sed & vetustior quoque Clemens Romanus in Epistola ad Corinthios, & Auctor constitutionum quæ Clementi eidem tribuuntur.

Clem. Al. Strom. l. 4. Orig. Hom. 10. in Jer. & Tom. 3. in Joh. Clem. Ep. 1. ad Cor. Cl. Const. l. 8. c. 2.

Judith tempore Manassis regis Judæ facinus sirum videtur edidisse.

V. Etsi vero minime propositum hic habeo novam de Judithæ ipsius facinore, de Nabuchodonosore, & Arphaxado, in ejus historia commemoratis, eorumque ætate disputationem instituere, aut veteres recudere, quæ tot ac tantæ habitæ sunt super hoc argumento, ut penitus jam exhaustum sit, dicam tamen paucis per mihi eam placere quæ in Manassis Juda regis ætatem confert hanc historiam, & Nabuchodonosorem fuisse unum esse ex Asarhaddonis successoribus, qui tum Assyriorum imperio præfuerit; regem vero Babyloniorum obnoxium habuisse Assyrios hoc tempore & stipendiarium; at Arphaxadum ipsum esse Dejocem Herodoti libris celebratum; & quæcunque narrantur illic tum evenisse, circa tempora captivitatis Manassis. Hæc sententia partim a Bellarmino, partim a Serario; partim etiam a Petavio edita, ita omnibus occurrit Adversariorum vitilitigationibus, & nodos omnes disputationum præcidit, ita cum exteris ac sacris consentit historiis, ut in ea facile acquiescam.

Bellarm. de verb. Dei l. 1. c. 12. Serar. in Judith. c. 1. qv. 1. & seq. Pet. de doct. Temp. l. 12. c. 26.

Refelluntur argumenta Adversariorum. Primum argumentum.

VI. Dixi Grotium non hunc librum rejicere duntaxat in Antiochi Epiphanis tempora, sed totum etiam commentitium, meramque esse Parabolam docere; & Judith, sive יהודית, esse Judaicam gentem, Bethuliam esse Templum Dei, בית-אל רח; Judithæ gladium esse preces sanctorum; Nabuchodonosorem hic ut alias sæpe Ebræis Diabolum significare; Assyriam vero, fastum; Holophernem typum esse Antiochi, ita dictum a הל בר נוש, quod Chaldaice *Victorem serpentis* sonat; Judith viduam fingi, ut Judæam omni auxilio destitutam exprimat; Joachimum, sive Eliakimum *Deum surrectu rum* significare, quæ spes cum homines Deo conjungat, idcirco ad Sacerdotem referri; Simeone Rubeni filio ortam dici Juditham, quod Ruben contracte dicatur, pro ראה בעני *vidit miseriam* Deus, & ex ea Dei miseratione nasci Simeonem qui ab obedientia nomen habet; Simeonem Rubeni filium nullum fuisse ex eoque commenti suspicionem firmari; Manassem virum ab oblivione dictum cœli æstu mortuum fingi, quod adversa nobis Dei oblivionem excutiant; diem victoriæ a Juditha relatæ, ab Ebræis celebrari solitum dici, ut significetur dies Luminum, sive Encæniorum, nempe purgati Templi, & dedicatæ Aræ a Juda Machabæo, quemadmodum legimus capite quarto prioris Machabaici. Denique Libri hujus Scriptorem Græcos auctores legisse suspicatur; nono quippe capite, pro eo quod habet Hieronymi interpretatio; *Qui violatores extiterunt in coinquinatione sua*, Græca habere ὁι ἔλυσαν μήτρων παρθένων εἰς μίασμα (sic enim recte emendat, pro μήτραν, quod editi Codices habent:) & quod decimo sexto capite Titanum filii commemorentur. Acute hæc quidem Grotius & erudite, ut reliqua; sed non tamen vere. Neque sane primus opinionis hujus architectus habendus est: ipsi quippe præluserant Lutherus, Gythræus, Beroaldus, Reineccius, & alii ex Heterodoxis plerique, qui historiam Judith, poeticum figmentum & tragœdiam appellant. Præterea Ebræus quidam Poeta Grotio videtur præluxisse, ut factum ad ἐγκαινισμὸν ἀναστήλης (*Dedicationem Aræ*) & ad Assamanæorum ætatem referret. Laudatur a R. Davide Ganz in יד רמז his verbis: *Tempus hujus facti ignoramus, nihil enim de eo reperi in libro Josephi. Juxta verba Poetæ Misadjozer schelchamuch.s, e fundamento effigiantis dedicationem (Templi) evenit hoc facinus etiam diebus Assamonæorum.* Jam vero quod nomina in allegoriam & parabolam trahit, fecit idem in veris Scripturæ sacræ historiis Origenes, fecerunt & alii Patres ac Interpretes Scripturæ plerique, pro captu suo unusquisque, & sæpe quidem adeo ingeniose & feliciter, ut res non veræ & reipsa

Judith. 9.

Judith. 16.

1. Mach. 4. 59.

Digitized by Google

factæ,

fictæ, sed fictæ & apposite ad allegoriam excogitatæ videantur. Judithæ nomen Judaicam gentem signare ait; anne vero signabat Judaicam gentem, cum id gereret Judith uxor Esau, filia Beeri Hethæi, cujus mentio Gen. 26, 34. extat in Genesi? Bethuliam vero, quam exponit *Domum Dei*, interpretantur alii, *Virginem Dei*, & aliam inde parabolam extundere possunt. Holophernis nomen, quod ab Ebraico derivat, Persicæ est originis, perinde ut Tisaphernes, Intaphernes, Pharnaces, & Pharnabazus. Holophernes ille Ariarathis Cappadocum regis frater, cujus meminit Appianus in Syriacis, num *lictor serpentis* fuit, aut Diaboli minister? Pari modo refelli possunt allegoricæ reliquorum nominum expositiones. Porro neque Ruben ille Simeonis pater, unde historiam hanc in dubium vocabat Grotius, neque postremus versus ultimi capitis, qui annuæ festivitatis ex Judithæ victoria ab Ebræis institutæ meminit, extant in Græca interpretatione, quam certiorem Hieronymiana & tutiorem dixi; & pro Rubene exhibet illa quidem Israelem. Nam cum Latina habeat: *Filii Salathiel, filii Simeon, filii Ruben*, Græca ita sunt concepta: υἱῶ σαμαλὴλ, υἱῶ συμεὼν, υἱῶ ἰσραήλ. Fulgentius vero: *Filii Surisada, filii Simeon, filii Israel.* Quamvis autem nulla nunc festivitatis ex facto Judith institutæ occurrat in Ebræorum libris memoria, tempore potuit abrogari, ut sæpe fit. Græcanicæ vero locutiones, κλῶν μίσγων, & ὑπὸ τὸν τοῖχον adventitiæ sunt, & ab Interpretibus prodierunt, qui tum optime interpretandi munere functi sunt, cum nativum quid & ἐντόπιος ac vernaculum, non peregrinum sapit ipsorum oratio. Exempla majoris licentiæ occurrunt apud Interpretes Scripturæ. In librum Jobi Interpretes Septuaginta & Vulgatus, Pleiadis, Hyadum, Orionis, Arcturi, & Amaltheæ nomine intruserunt. Capite Prov. 26, 8. vicesimo sexto Proverbiorum Ebraicum נודה, quod *acervum lapidum* sonat juxta Aben Esram, reddit Hieronymus, *acervum Mercurii*. Alexandriæ nomen præfert Vulgata Jeremiæ, Ezechielis, & Nahumi editio, pro Ebraico נא, cum longo post hos Prophetas tempore Alexandria condita sit. Quis sanus inde colligat hos Auctores Ebræos Græcorum scripta legisse? Vides ergo quam levibus argumentis fuia Libro huic derogetur veritas & antiquitas; atque eo levioribus, quo facilius exoticis & sacris historiis conciliari potest. Merito itaque opinionem eam, quæ Judithæ historiam confert in Assamonæorum ætatem, refellit, ut dixi, R. Azarias, hoc præcipue argumento, quod Chaldaico sermone conscripta sit.

VII. Qui post solutam captivitatem, Judithæ casus incidisse volunt, eo potissimum id approbare student, quod legitur capite quinto Græcæ interpretationis: ὁ ναὸς τοῦ θεοῦ ἐπτῶθη ἐγκόπτη εἰς ἔδαφος, quo Templi excidium significari volunt. Notassent vero aliud esse, γενέσθαι εἰς ἔδαφος, aliud καθαιρεθῆναι εἰς ἔδαφος, aut κατασκαπτεθῆναι εἰς ἔδαφος, ut recte observatum est a Serario: hoc enim sonat, *in solum dissipari & disjici*, *sola æquari*: illud vero est, *conculcari & pedibus proteri, ut solum proteri solet.* Itaque cum Manasses captus est ab Assyriis, verisimile est impiam gentem reseratis Templi foribus in id penetrasse, atque ultro citroque nulla habita loci reverentia cursitasse, & profanis pedibus loca sancta haud secus quam publicum solum proculcasse. Ita intellexit Syrus Interpres qui Græca expressit. *Secundum argumentum.* Judith. 5, 20. Serar. in Judith. 2. Qu. 2.

VIII. Recudi quoque potest adversus Libri hujus antiquitatem argumentum illud, quo librum Tobiæ supra vidimus oppugnatum; locum videlicet in Canone fuisse habiturum, si Synagogæ magnæ & Esdræ temporibus superior fuisset. At eadem utemur responsione quam supra adhibuimus, quo tempore compositus est Canon, res Judaicas in tantis fuisse positas angustiis, nondum cincta mœnibus Urbe, urgentibus undique adversariis, ut nondum popularium suorum scriptiones omnes, quæ in eum recipi merentur, Esdras compilare potuerit, ac proinde quæ semel secluse fuissent a Canone, in eum non fuisse ab Ebræis deinceps admissas, postquam clausus ac circumscriptus est. *Tertium argumentum.* Fulg. Epist. 2. c. 14.

IX. Nihili vero facimus argumentum, quod adversus libri Judith, ac libri etiam Tobiæ dignitatem & auctoritatem ex Josephi silentio ducitur: nam & Jobi historiam & Bethlehemitarum infantium cædem, aliaque prætermisit; & exiguam esse infitialis argumenti vim scitum est. Deinde vix alia retulisse Josephum videmus, quam quæ habebantur in libris Canonicis. Nam quamvis pauca quædam de suo alicubi asperserit, *Quartum argumentum.*

Digitized by Google

fecit id tamen præter institutum: profitetur quippe in Proœmio Archæologiæ se eam ex literis Ebraicis translaturum. Clarius etiam in libro decimo: *νῦν γὰρ Ἰουδὸς ἐν ἀρχῇ τῆς ἱστορίας πρὸς τοὺς ἐπιζητήσοντάς τι τῶν πραγμάτων, ἢ μεμψομένους ἀσφαλισόμην, μόνον τε μεταφράζειν τὰς ἑβραίων βίβλους ἔπον ὡς τὴν ἑλληνίδα γλῶσσαν. νῦν ταῦτα δηλώσων, μήτε προσθάς τι τοῖς πράγμασιν ἐντὸς ἴδιον, μήτ' ἀφαιρῶν ὑπεχόμενος. Initio enim historiæ hujus respondi iis qui in rebus a me declaratis desiderabunt quippiam, vel expostulabunt, me Ebræorum solum libros Græce redditurum professus, promittens futurum ut in rebus exponendis nihil addam de meo vel detraham.* Joseph. Antiq. l. 10. c. 11.

Ebræorum libros dicit, qui in Canone habebantur; in quem recepti non fuerant libri Tobiæ & Judith, qui cæteroquin nec Ebraice scripti erant.

DE LIBRO ESTHER.

I. *Disputatur de Auctore libri Esther. Variæ opiniones proponuntur.* II. *Opus esse videtur Synagogæ magnæ.* III. *Probatur ejus γνησιότης & antiquitas; deque Græca illius interpretatione disputatur.* IV. *Refelluntur argumenta Adversariorum. Primum argumentum, in quo disputatur de sex postremis libri Esther capitibus.* V. *Secundum argumentum.*

Disputatur de Auctore libri Esther. Variæ opiniones proponuntur. Epiph. de pond. & mens. c. 4. Augus. de Civit. Dei l. 18. c. 36. Iisd. Orig. l. 6. c. 2. Euseb. Chr. l. 2.

I. QUod ad librum Esther attinet, etsi habitus est in Ebræorum Canone, nihilo tamen minus dubius est ipsius Auctor ac superiorum. Esdræ adscribunt Epiphanius, Augustinus, & Isidorus. Eusebius Esdra recentiorem putat. Pseudo-Philo, sive Jedidæus, quem repræsentavit R. Azarias in Lumine oculorum, Joachimum summum Ebræorum Pontificem, Josuæ filium, ejus qui Josedechum patrem habuit, id operis Mardochæi rogatu susceptisse arbitratur. Theologo-Politicus Scriptor hunc Librum censet ab eodem Auctore profectum, qui Esdræ, Nehemiæ, & Danielis libros elaboravit, idque post reparatum a Juda Machabæo Templi cultum; excerptumque fuisse ex altero libro, qui Estheræ nomine inscribebatur, & cujus mentio extat ad calcem noni capitis libri hujus de quo agimus, quemque jam olim intercidisse ait: quippe secundi Templi perinde ut primi temporibus viros fuisse, quibus curæ erat res gentis suæ literis prodere. Quæ ut temere, & nulla ratione conficta jure a nobis exploduntur. Magnum vero recentiorum Interpretum, & aliquot etiam Ebræorum agmen pro Mardochæo pugnat; Abenezra in his, & Abrahamus Hispanus, qui Sapientis cognomen reportavit. Quibus omnibus præit Clemens Alexandrinus. Nititur ea sententia his verbis libri Esther: *Scripsit itaque Mardochæus omnia hæc, & literis comprehensa misit ad Judæos.* Et mox: *Susceperuntque Judæi in solemnem ritum cuncta quæ eo tempore facere cœperant, & quæ Mardochæus literis facienda mandaverat.* Tum deinde: *Et cuncta quæ gesta sunt, epistolæ, id est libri hujus volumine continentur.* Item hoc altero: *Sed & Mardochæus rei memoriam literis tradidit.* Serarius vero Mardochæum & Esther operas suas simul ad libelli hujus scriptionem contulisse colligit ex his Septuaginta Interpretum verbis, quæ extant nono capite: *νῦν ἔγραψεν Ἐσθὴρ ἡ βασίλισσα ἡ συγγενὴς ἐμπαλὶν, νῦν μαρδοχαῖος ὁ Ἰουδαῖος, ἃ ἐποίησαν. Et scripserunt Esther regina, Ammadabi filia, & Mardochæus Judæus, quæ fecerunt.* Quibus & hæc quoque potuit addere, quæ caput idem claudunt in Vulgata editione, & quibus narrantur Judæi, quæ ad se scripserant Esther & Mardochæus, observanda suscepisse, *& omnia quæ Libri hujus, qui vocatur Esther, historia continentur;* quasi id sibi velit, Librum hunc, de nomine Estheræ dictum, illud ipsum esse quod ad Judæos a Mardochæo & Esthera scriptum est. Clem. Alex. Strom. l. Esth. 9, 20. 23. 26. & 29, 4

Opus esse videtur Synagogæ magnæ.

II. Mihi vero Thalmudistarum imprimis probatur sententia, qui Babæ bathræ primo capite fœtum hunc esse decernunt, Synagogæ magnæ. Idem censuerunt & Magistri complures alii ex eodem grege. Hac sententia superiores omnes fere continentur sententiæ, tum eorum qui Esdram, quique Mardochæum auctorem agnoscunt; tum & eorum qui Joachimum; quippe qui Synagogæ interesse potuit, utpote Josuæ Pontificis filius. His quidem temporibus recentiorem neutiquam esse Librum censeo, quem constat fuisse in Ebræorum Canone. Atqui hunc Canonem Artaxerxe Longimano & Esdra posteriorem non esse diserte docet Josephus, Mardochæum, vel Esther, vel utrumque, scripsisse opus hoc quod extat minime sane probans testimonia illa superius adducta. Nam quomodo in ipso hoc Libro narrare potuisset Mardochæus se Librum scripsisse, ad Joseph. l. 1. contra Ap.

Judæos

Judæos mississe, hunc ipsos suscepisse, & quæcunque eo mandabantur peregisse? Librum scriptum ante esse oportuit, quam mitteretur ad Judæos, ab iis susciperetur, & tradita in eo præcepta observarentur; multo etiam magis ante quam missio illa, ac susceptio, atque observatio scriberentur. Atqui scripta ea sunt in Libro hoc quem habemus. Ex quo plane efficitur Librum, seu Epistolam Mardochæi ante scriptam esse, quam hic quem usurpamus Liber scriberetur. Cum autem ad Judæos missa esset Epistola hæcce, tantæ rei gestæ historiam, tam insignem divini favoris testificationem, quodque caput est, festi diei solenni & anniversario ritu celebrandi sanctionem continens, dubitare profecto minime licet, quin accuratam rei narrationem in literas retulerint, vel ob id maxime ut festi Phurim diei origo posteris innotesceret. Hanc enim præcipuam ac primariam perscribendi Libri causam fuisse opinor. Ac si quis attendat ad nonum caput, & initium decimi quod opus claudebat, id profecto Scriptori unice propositum comperiet, solennium illorum causam, cerimonias, & sanctionem explicare. Hoc autem Synagogæ magnæ munus fuit. Ad hæc suadet ratio magnam Epistolæ Mardochæi, vel alterius quæ a Mardochæo & Esther scripta est partem, ac fortasse totam, Synagogæ magnæ proceres, pro sua adversum illos reverentia, in librum quem lucubrabant inseruisse; aliquibus duntaxat ad historiæ concinnationem adjectis. Mirari ergo subit unde tanta Anabaptistas ac Lutheranos nonnullos vafrana incesserit, ut commentitiam historiam hanc ac confictam esse arbitrarentur. Nam cum solemnia Phurim observasse tamdiu Judæos pateat ex Machabaico secundo & Codice Theodosiano, eaque dicta sint dies Phurim sive Sortium, & Amanea, & Mardochaica; quis homo non plane ceritus aut vaecors opinari possit ex figmento, aut ut Lutherani quidam loquuntur, ex Tragicomœdia, religionem festi hujus diei & anniversariam celebritatem profluxisse? Dixi dies Phurim fuisse appellatos: Septuaginta habent φουρὶμ, perperam pro φουρὶμ, hoc est פוּרִים, quod idem est ac פוּרִים. Jamdiu est cum codicibus Septuaginta Interpretum mentum hoc inolevit; quippe & Josepho fraudi fuit: sic enim habet; διὰ ταῦτα μὲν Ἰουδαῖοι τὰς προειρημένας ἡμέρας ἑορτάζουσι, προσαγορεύοντες αὐτὰς Φουρίμους. *Propterea Judæi supra memoratos dies celebrant, Phurimæos eos appellantes.* Quod ne quis culpa librarii putet evenisse, nomen a φυρὶν, *servare*, videtur derivasse; mox enim dixerat: ἔγραψε δὲ μαρδοχαῖος τοῖς Ἰουδαίοις ταύτας παραφυλάσσειν τὰς ἡμέρας μέλλήσαντας γὰρ αὐτοὺς ἐν ταύταις διαφθείρεσθαι τοὺς ἡμετέρους ὑπὸ Ἀμάνου, δίκαια ποιήσαντες ἀμυνάμενοι τοὺς ἐχθροὺς τιμωρησάμενοι παρατηρήσοντας αὐτὰς ἐυχαριστοῦντες τῷ θεῷ. *Scripserat autem Mardochæus ad Judæos, ut hos dies observarent: nam cum diebus illis parum abfuissent ab interitu, quem ipsis paraverat Aman, recte facturos si periculo liberati, & hostes suos ulti, eos servarent Deo gratias agentes.* Vides παραφυλάσσειν & παρατηρῶν pro φυρὶν usurpata συνωνύμως. Apposite itaque Rufinus & ad mentem Josephi superiorem hunc locum sic reddidit: *Unde prædictos dies Judæi celebrant appellantes eos Conservatores.* Paterer Persicam vocem פורים ignorasse Josephum, si non & Ebraicorum etiam fuisset satis rudis, & gentilitii sacrorum Codicum exemplaris securus in Septuaginta Senum interpretatione acquievisset.

III. Porro festum hoc Phurim, quod ex Epistola Phurim originem & institutionem habuit, libri Esther antiquitatem egregie approbat. Libri quippe hujus Epistola Phurim præcipua & maxima pars est, ut qui genuinam hanc esse ostenderit, Libri γνησιότητα una ostenderit. Cognoscitur ea quoque ex Ebræorum Canone, in quo Liber Esther locum habuit: Canon autem ille Artaxerxis Longimani ævo, ut dixi, conditus est. Sed & aliud vetustatis argumentum præ se fert ipse Liber initio undecimi capitis, ubi leguntur ista in editione tum Græca, tum Latina: *Anno quarto, regnantibus Ptolemæo & Cleopatra, attulerunt Dositheus, qui se Sacerdotem, & Levitici generis ferebat, & Ptolemæus filius ejus, hanc Epistolam Phurim, quam dixerunt interpretatum esse Lysimachum Ptolemæi filium in Jerusalem.* Epistola Phurim magna pars est libri Esther, ut jam monui. Ergo Librum hunc Lysimachus magna ex parte Græce interpretatus est, vel Ptolemæo & Cleopatra regnantibus, vel paulo etiam prius. Hieronymus vero in Præfatione in hunc Librum, Græcam interpretationem qua usus est, quam esse eam ipsam quæ nunc extat manifestum

Probatur ejus γνησιότης & antiquitas, deque Græca illius interpretatione disputatur.

2. Mach. 15. 37.

Cod. Theod. L. Judæos, Tit. de Judæis.

Jos. Antiq. L. 11. c. 6.

Digitized by Google

nifestum est, Septuaginta Senibus adscribit, & in Vulgata editione repertam a se significat, hoc est ea quæ κοινὴ appellabatur. Hieronymo quoque vetustior Origenes eosdem interpretationis hujus Auctores agnoscit. Quem ergo dicemus Interpretem, Lysimachum, an Senes Septuaginta? Equidem sic existimo, cum bona pars libri Esther constet Epistola Phurim, hanc autem Epistolam interpretatus sit Lysimachus, bonæ partis libri Esther interpretem habendum esse Lysimachum; Septuaginta vero Senes, ne actum agerent, interpretationem hanc lucubrationi suæ intexuisse, quemadmodum Synagoga magna Epistolam ipsam in Librum inseruerat; & ne improvido Lectori fraudi esset diversarum lucubrationum permistio, monitionem hanc adjecisse; illic autem memoratum Ptolemæum, Philadelphum esse, cujus anno septimo Libros sacros interpretati sunt Septuaginta Senes; ut habet Epiphanius in libro de ponderibus & mensuris: cum ejusdem anno quarto Dositheus & Ptolemæus filius Epistolam Phurim a Lysimacho conversam attulerint. Cleopatræ vero nomen plurimis Ægyptiorum regum uxoribus commune fuit. Magna est interpretationis hujus licentia, exemplar *laciniosis hinc inde verborum finibus trahens*, ut ait Hieronymus; neque illic Septuaginta Seniorum castitatem in convertendo & fidem reperias; ut vel inde alienum Interpretem possis agnoscere.

Orig. Epist. ad African. & Tom. 2. in Joh.

Hier. Præf. in Esth.

Refelluntur argumenta Adversariorum.

Primum argumentum, in quo disputatur de sex postremis libri Esther capitibus.

IV. His opponi possunt varia argumenta, quorum præcipuum oritur e sex posterioribus Libri hujus capitibus, quæ in Ebraico exemplari desiderata, in Septuaginta Interpretum editionibus reperiuntur. Cum enim capita hæc e variis hinc inde locis excerpta sint, sequi ex eo videtur interpolatum esse Librum, discerptum, & aliqua sui parte multatum; atque hanc fortassis ob causam a Melitone Asiano, Athanasio, & Gregorio Nazianzeno e sacro Canone esse expunctum. Alii aliter respondent: Origenes in Epistola ad Africanum hæc in Ebraico exemplari olim habita fuisse, atque inde demum excidisse probabile esse putat. Grotius composita censet a Proselytis Hellenistis μεταφράσαι & stilum oratorio more exercentibus. Sixtus Senensis depromta esse vult ex diversis Historicis, præcipue vero ex Josepho, in eoque κανονίζεσθαι haberi Epistolas Artaxerxis: quorum postremum aperte falsum est; prius vero adeo incertum, ut suaviter sumsisse Josephum longe sit verisimilius. Bellarminus duas conjicit fuisse Libri editiones Ebraicas; priorem breviorem, quæ supereſt; posteriorem laxiorem, & aliquot additamentis auctam, quæ interciderit quidem, sed unde interpretatio Græca quæ extat prodierit. Ego vero quoniam Synagogæ magnæ Librum hunc acceptum refero, complures ad eum scribendum animum adjecisse puto; atque inde factum, ut diversi ejus exciterint exemplaria; Ebraicum hoc quod habemus; atque item alterum paulo locupletius, unde Græca quæ usurpamus cum additamentis derivata sint. Horum autem additamentorum Interpretes esse Senes Septuaginta, ex priscis Auctoribus cognoscimus: velut ex Origene, viro rerum harum consultissimo, cum in Epistola ad Africanum, tum & in Tomis in Johannem; ubi e decimo quarto capite nonnulla proferens, ἐν τῇ, inquit, κατὰ τοὺς ἑβδομήκοντα ἐκδόσει: *In libro Esther, qui est juxta Septuaginta.* Scimus id & ex Hieronymi minutis Annotationibus, quas capitibus illis inseruit.

Bellarm. de Verb. Dei, l. 1. c. 7.

Orig. Tom. 1. in Joh.

Secundum argumentum.

V. Graviter etiam eo pulsamur, quod Aman dicitur esse animo & gente Macedo; unde non sex tantum capita supra memorata vocantur in suspitionem, sed reliqua etiam vocari possunt: cum capite nono in Græca editione, itidem ut decimo sexto, Aman Macedo appelletur. Macedonum autem nomen obscurum fuit & ignotum, præsertim in Perside, longe post Artaxerxem Longimanum, quo regnante scriptum hunc Libellum diximus. Mirus est hic etiam Interpretum æstus & fluctuatio. In nono capite Ebraica habent ויהי: ita & tertio capite. Recte Hieronymus, *De stirpe Agag*; ejus nempe Agagi qui fuit rex Amalecitarum: unde Josephus, ἀμαληκίτης δὲ τὸ γένος. Quamobrem pro ὁ μακεδὼν legendum suspicatur Grotius, ἀμαληκίτης, ingeniosa quidem, sed audaci, ut ipse fatetur, conjectura, quam nec defendere velit. Nihilo magis ipsi assentiri possum, cum vocem, βαγαῖος, quæ, duodecimo capite Ameni tribuitur, & ab Hieronymo redditur, *Bugæus*, eamdem esse putat ac βαγώας, quo nomine spadones primum, tum & aulicos omnes dictos fuisse affirmat. Hujus autem sententiæ neque ullum

Esth. 16, 10.

Esth. 9, 24. & 3, 8. 10.

Esth. 12, 6.

Melit. apud Euseb. Hist. Eccl. l. 4. c. 16. Athan. in Synopsi. Greg. Naz. Carm. de Scriptur. Grot. Præf. ad Addit. Esth. Sixt. Sen. Bibl. l. 1. & 8.

Joſ. Antiq. l. 11. c. 6.

Digitized by Google

illum profert idoneum fidejussorem; neque vero proferre posse puto. Certe tertio capite, atque item nono, vocem מרדכי reddit similiter Grœcus Interpres βιγαῖος, atque in hac voce manifesta cernuntur illius indicia. Itaque probabile est, vel Ebraica aliter legisse Grœcum Interpretem; vel, quod potius crediderim, cum in eo Ebraica omnia nomina misere juxata & deformata sint, pro βιγαῖος legendum βιγγαῖος, quemadmodum & Drusio visum est. Eo me potissimum inclinat Complutensis editio, quæ habet βιγγαῖος. Scio non ita desinere solere patronymica nomina: sed quis ab Hellenista accuratam Helleniſmi peritiam expectet? Id si sit, mendam illic jam ante Hieronymum inolevisse dicendum est. Sed ad rem. Dixi Lysimachum in Libro hoc Græce convertendo intemperanter luxuriasse. Hunc ergo pro ea quam sibi sumserat libertate facile crediderim pro *Agagita*, reddidisse *Macedonem*; nulla habita ratione temporis, quo hæc vel facta sunt, vel scripta, sed illius quo ea ipse interpretatus est; cum nempe regnaret Ptolemæus Philadelphus, ut dixi; vel paulo prius. Hac autem tempestate Persarum animis vehemens insidebat adversus Macedones odium, vel Regum suorum desiderio, quos divinis prosequebantur honoribus, vel pudore subactæ alienis armis florentissimæ suæ gentis, vel Macedonum impotenter dominantium impatientia. Fortasse & historiæ parum peritus Interpres, cum magna Græcos inter & Persas bella olim gesta, & multis demum cladibus accisas penitus Persarum res & contusas a Macedonibus fuisse sciret, Macedones confudit cum Græcis, partem scilicet cum toto; (quanquam & extra Græciam sæpe Macedonia censetur) quæ ab his, antiquis quippe Persarum hostibus, jam olim gesta fuerant, novitiis illis adscribens, & Macedonis nomen pro Græci nomine usurpans. Præsertim cum credibile sit, post debellatos Persas, totam Grœcorum gentem, apud peregrinos potissimum, Macedonum, nobilioris videlicet partis, nomine venisse. Itaque cum in hac Lysimachi interpretatione Macedonis nomen occurrat, Grœcum intellige. Pro Amalecita autem Macedonem dixit Amanem, ut indignationem augeret. Sic Josephus Gorionides concubinam quamdam Darii Hystaspidæ fuisse ait filiam Abbesii Macedonis; & Darium hunc adversus Macedones bellum gessisse; & Eunuchos duos Assuerum occidere fuisse, ejusque caput ad Macedoniæ regem deferre. Objici solent alia quædam, ad elevandam Libri hujus auctoritatem & fidem: verum quoniam hæc jamdiu disputando contrita sunt, ab iis præsertim, qui contra temporis hujus Heterodoxos pro Catholicis partibus decertarunt, frustra in iisdem iterandis responsionibus studium operamque consumerem.

Esth. 3. 1. & 9. 10.

Drus. in Esth. 3. 1.

Joseph. ben Gor. l. 1. c. 14. & l. 2. c. 5. & l. 2. c. 1.

DE LIBRO JOB.

I. *Disputatur de Auctore libri Job. Varia opiniones proponuntur.* II. *Mosi adscribitur.* III. *Probatur argumentis.* IV. *Vera historia Jobi, sed poetice digesta.* V. *Probatur libri Job γνησιότης & antiquitas.* VI. *Disputatur de clausula, quæ habetur ad calcem libri Job in editionibus Septuaginta Interpretum.* VII. *Disputatur de ætate Jobi.* VIII. *Refelluntur argumenta Adversariorum. Primum argumentum.* IX. *Secundum argumentum.* X. *Tertium argumentum.* XI. *Quartum argumentum.* XII. *Quintum argumentum.* XIII. *Sextum argumentum.* XIV. *Septimum argumentum.* XV. *Octavum argumentum.* XVI. *Nonum argumentum.* XVII. *Decimum argumentum.*

Disputatur de Auctore libri Job. QUi de libro Jobi disseruerunt Codicum sacrorum Interpretes, cum de operis Auctore moverunt quæstionem, in varias ac multiplices diversi sectas abiere. Quidam adscripserunt Jobo ipsi, aut Jobi amicis, his permoti Jobi verbis: *Quis mihi tribuat ut scribantur sermones mei? Quis mihi det ut exarentur in libro, stylo ferreo, & plumbi lamina, vel celte sculpantur in silice?* & istis quoque: *Quis mihi tribuat auditorem, ut desiderium meum audiat Omnipotens, & librum scribat ipse qui judicat, ut in humero meo portem illum, & circumdem illum quasi coronam mihi?* Hanc sententiam defendunt Origenes, Gregorius magnus, & Suidas. Sunt qui a Jobo, ipsi-usve amicis Siriace scriptum; a Mose redditum Ebraice, & aliquot additamentis auctum opinentur: quorum familiam ducit Auctor prioris Commentarii in Jobum, qui Origeni tribuitur; illa adductus clausula quæ in Græca editione finem imponit

Varia opiniones proponuntur.

Job. 19. 23. Job. 31. 35. 36.

Orig. l. 6. contra Cels. Gregor. magn. in Job. l. 1. c. 1. Suidas in voc.

Digitized by Google

Libro, & e Syrorum lingua conversum eum fuisse docet. Mosem plerique, non interpretem, sed Libri auctorem agnoscunt, Gregorius Nazianzenus Salomonem, utiquidem de eo scribit Polychronius, & alii bene multi. Quam sententiam Lutherus demum amplexus est. At Origenes Mosem negat plus quam quinque libros reliquisse. Alicui e Prophetis librum Jobi tribuunt quidam, Idumæi Prophetæ fœtum esse suspicatur Philippus Codurcus, sed multo magis inclinat ut ab Isaia profectum dicat: cujus sententiæ causas habet, partim acutas quidem, at futiles tamen & leves, partim vanas penitus & inanes. Nonnulli etiam alicui ex Ebræis Babylone captivis assignant. Grotius Ezechiele quidem vetustiorem Libri scriptorem arbitratur, quicunque tandem fuerit, quod Jobi mentio apud Ezechielem extet; at Davide & Salomone recentiorem, quod ex horum scriptionibus pleraque illuc translata agnosci possint; videri autem habuisse propositum posteros Esau a Babyloniis transportatos hoc exemplo ad verum Dei cultum retinendum, & adversa constanter ferenda excitare. Fridericus Spanhemius, qui Jobi historiam accurate nuper & erudite prosecutus est, a Jobo quidem, aut Jobi amicis res in adversaria primum fuisse lingua patria relatas existimat, Arabica nimirum, seu Syriaca veteri, & ex iis demum circa Davidis aut Salomonis tempora ab homine Ebræo conflatam eam quam habemus historiam. Quosdam etiam refert R. Levi ben Gerson postrema undecim Libri hujus capita in ποδίας suspicionem vocasse, propter notulam ad tricesimi primi capitis calcem adtextam, qua illic desiisse sermones Jobi significatur. Quasi omnium sermonum Jobi, non colloquii solum cum tribus amicis, Baldado, Sophare, & Eliphazo finis hac clausula designetur.

Polychr. Cat. in Job. Procem.
Orig. Tom. 5. in Joh. Philoc. c. 5.
Codurc. Præf. in Job.
Grot. Præf. Comm. in Job.
Ezech. 14, 14.
Span. Hist. Job. c. 13.

II. In hac opinionum varietate, quam peperit vetustas Libri, ac rei obscuritas, cum vix quicquam nobis pro certo definire liceat, suspiciones nostras ac conjecturas in medium afferemus. Librum scripsisse Mosem ad solatium Israeliticæ gentis, cum Ægyptiorum tyrannide premeretur, mihi sane videtur perquam probabile. Ea est Thalmudistarum sententia in Baba bathra; ea R. Davidis Kimchi, & Rabbinorum complurium. Eamdem amplexus est Auctor posterioris Commentarii in Jobum, qui Origenis sibi nomen præscripsit; eamdem Methodius apud Photium, Polychronius & Julianus Halicarnasseus apud Nicetam in Catena in Jobum; eamdem denique recentiores bene multi. Id ipsum sensisse Hieronymum discas ex ejus Epistola ad Paulinum, in qua Libros sacros recensens, Pentateucho Jobi librum subjicit, posthabito etiam libro Josuæ; quo ejusdem esse utrumque & Auctoris & ætatis significet.

Mosi adscribitur.
Thalm. in Bab. bathr. c. 1.
Phot. Cod. 238.

III. Præter hæc doctorum hominum suffragia, rationes quibus ea nititur opinio afferuntur complures. Mihi ea valde efficax videtur ad persuadendum, quæ ex manifesta characteris ac styli similitudine petitur. Ea est autem hujusmodi, ut si prosam orationem cum prosa, versam cum versa conferas, maxima statim appareat consensio: simplex illic & nativa utrobique oratio, omni ornato detracto; florida hic & ἐσχηματισμένη (*figurata*) Agnoscit id Polychronius, & uno hoc argumento Libri confectionem in Mosem transcribit. Sin strictam orationem cum soluta contenderis, quod non satis caute fecerunt viri docti, magna enimvero, uti par est, apparebit styli dissensio, sed non inde efficies diversis ea Auctoribus deberi. Quod si grandius aliquid & ἀδρότερον (*plenius*) sonare videtur liber Jobi, crebrioribusque distinctus esse luminibus ac sententiis; memineris hunc scriptum fuisse a Mose, cum florentibus annis vigeret felix piæ mentis calor; illum vero, cum per senectam ætatem ignea vis animi deferbuisset. Etsi in Hymnis quoque suis, pro rei gravitate, ad sublime & magnificum dicendi genus splendide assurgit. Occurrunt quidem in Jobi libro Arabismi & Syriasmi, uti notatum est ab Hieronymo; nonnumquam etiam Chaldaismi. Verum poetam agenti affines usurpare dialectos licuit, & speciosa vocabula rerum proferre in lucem, & obscurata populo verba eruere. Id sibi juris arrogant Poetæ, id ab Homero summa licentia factitatum est. Præterea scito scriptum hunc librum a Mose, cum apud socerum suum Jethro ad gentiles suos aut solatio, aut consilio, aut re juvandos studia sua & curas omnes conferret. Ad tolerandas igitur diuturnæ servitutis miserias, & meliora a Deo petenda & speranda, proposito Jobi exemplo instituere ipsos voluit. Sane

Probatur argumentis.
Polych. in Procem. Cat. in Job.
Hier. Præf. in Job.

Israeliticæ

Iſraeliticæ gentis caſus in Jobi hiſtoria perſpicue agnoſcas. Fortunati fuerunt Abrahamus, Iſaacus, Jacobus, & Joſephus, & magnas opes, pietatis fructum, a Deo retulerunt. Ab Ægyptiis deinde male habiti ſunt Ebræi; bonis, libertate, ac liberis etiam multati a Pharaone; quemadmodum & Jobus a Satana. Qui cum reſtitutus demum in integrum, ampliſſimis & uberrimis latifundiis Dei nutu ac ductu ditatus eſſet, Moſes propoſito hoc divinæ bonitatis exemplo, populares ſuos in paris beneficii ſpem erigere voluit. Longe porro veriſimilius eſt Moſem, in ſuo illo Madianitico receſſu, ad ſolamen genti ſuæ parandum mentem adjeciſſe, tum videlicet cum ei maxime hujusmodi allevamento opus eſſet, animum ipſe gereret negotiis vacuum; quam cum Ægyptiis vinculis ſoluti Iſraelitæ per Arabicas ſolitudines Terram promiſſam peterent; Moſem vero inexplicabiles diſtraherent curæ: quod aliquibus placuiſſe video. Curarum autem neceſſaria pars fuit, deſcriptio Legis; in cujus obſequium ſuos facilius ut flecteret, Dei beneficiorum commemorationem ab ipſis mundi initiis repetiit. Atque hinc prodiit Pentateuchus, Madianitæ porro, Arabica gens eſt, Syrorum, & Idumæorum vicina; quos inter per quadraginta annorum moram verſatus Moſes, ex peregrino commercio patriam loquelam, quod nulli non uſuvenire ſolet, facile inquinavit. Quum autem ad ſuos reverſus intermiſſum purioris Ebraiſmi uſum repetiit, allitas ſermoni ſuo ex congreſſu extraneorum ſordes ita abſterſit, ut quum ad ſcribendum Pentateuchum animum deinde appelleret, major exiſteret ſermonis caſtitas ac mundities.

Vera eſt hiſtoria Jobi, ſed poetice digeſta.

IV. Porro Jobi, hominis Arabis, & inter ſuos valde nobilis, caſus in Arabia toleratos, Moſes inter Arabes degens, vel ex vulgi ſermone diſcere potuit. Quamvis autem longiſſime abſim a Thalmudiſtarum inſania, qui confictum eſſe docent operis hujus argumentum, meramque parabolam, Iſraelitis ad conſtantiam & virtutem informandis excogitatam: (cui eorum delirio cum favere ſubinde viſi ſint, Maimonides, vir alioqui ſolers & ſagax, & R. Schem tob; palam vero id aſſectati ſint poſtremis hiſce temporibus Anabaptiſtæ, aliique Chriſtiani; a viris piis juxta & eruditis ſolidiſſimis rationibus confutati ſunt:) ego tamen rem poetice digeſtam exiſtimo, allocutionibus & reſponſionibus inſtructam, eorumque delectu verborum, non quæ prolata ſunt, ſed quæ proferri pro tempore potuerunt. Ratio eſt in promtu: cum enim numeris illigatum eſſe id opus, ac στίχοις (*verſibus*) ſcriptum conſtet, Hieronymi, aliorumque Patrum teſtimonio, quis putet Jobum in ſummis corporis & animi doloribus carmina ad uxorem & amicos fudiſſe? aut ipſos viciſſim virum tot malis oppreſſum verſibus eſſe allocutos? Jobum ergo revera extitiſſe reor, in acerbiſſimas calamitates incidiſſe, & certo Dei conſilio bonis & liberis Dæmonis opera fuiſſe orbatum, diro etiam ac tetro ulcere eroſum, adiiſſe ad ipſum uxorem & amicos, verbaque ſimul ipſos conſeruiſſe in eam ſententiam quam retulit Moſes, controverſiam Jobi diremiſſe Deum oraculo ſuo, ac querimonias compoſuiſſe, Jobum ipſum denique ingens pietatis ac patientiæ præmium, reſtitutam ſanitatem, auctas opes, numeroſa prole fundatam domum a Deo eſſe conſecutum: verba vero, verborumque collocationem, dialogi compoſitionem, interlocutionum diſpoſitionem & diſtinctionem, figuras, & reliquum ſermonis ornatum eſſe Moſis. Hier. Epiſt. ad Paulin.

Probatur libri Job γνησιότης & antiquitas.

V. Probatur præterea ejus γνησιότης & antiquitas vel ex hoc Tobiæ loco: *Hanc autem tentationem ideo permiſit Dominus evenire illi, ut poſteris daretur exemplum patientiæ ejus, ſicut & ſancti Job. Nam ſicut beato Job inſultabant Reges, ita iſti parentes & cognati ejus irridebant vitam ejus dicentes: Ubi eſt ſpes tua, pro qua eleemoſynas & ſepulturas faciebas?* quæ e libro Jobi depromta eſſe certa eſt fides. Non id quidem affirmare, ſuſpicari certe licet de iſtis Ezechielis: *Et ſi fuerint tres viri iſti in medio ejus, Noe, Daniel, & Job, ipſi juſtitia ſua liberarunt animas ſuas, ait Dominus exercituum.* Plurima quoque indidem delibata paſſim per totum Voluminum ſacrorum corpus Interpretes deprehenderunt. Nos decerpemus paucula quædam, ut Libri antiquitas eluceſcat. Scriptum eſt in libro Jobi: *Pereat dies in qua natus ſum, & nox in qua dictum eſt, Conceptus eſt homo.* Scripſit Jeremias: *Maledicta dies in qua natus ſum: dies in qua peperit me mater, non ſit benedicta.* Scriptum eſt in Tob. 2, 12. 13. Ezech. 14. 14. Job. 3, 2. Jer. 20, 14.

Maim. in More nev. Part. 3. c. 22. R. Schem. tob. in Job.

Digitized by Google

libro Jobi: *Quid est homo, quia magnificas eum, aut quid apponis erga eum cor tuum? Visitas eum diluculo & subito probas eum.* Sic in Psalmis: *Quid est homo, quod memor es ejus? aut filius hominis, quoniam visitas eum?* Scriptum est in libro Jobi: *Hesterni sumus, & ignoramus: quoniam sicut umbra dies nostri sunt super terram.* Scriptum est in Psalmis: *Homo vanitati similis factus est, dies ejus sicut umbra prætereunt.* Scriptum est in libro Jobi: *Concepit dolorem, & peperit iniquitatem, & uterus ejus præparat dolos.* Scripsit Psaltes: *Ecce parturiit injustitiam, concepit dolorem, & peperit iniquitatem:* & Isaias: *Conceperunt laborem, & pepererunt iniquitatem.* Scriptum est in libro Jobi: *Ecce clamabo vim patiens, & nemo audiet: vociferabor, & non est qui judicet. Semitam nostram circumsepsit, & transire non possum, & in calle meo tenebras posuit:* scripsit Jeremias in Threnis: *Sed & cum clamavero & rogavero, exclusit orationem meam: conclusit vias meas lapidibus quadris, semitas meas subvertit.* Scriptum est in libro Jobi: *Fratres meos longe facit a me, & noti mei quasi alieni recesserunt a me. Dereliquerunt me propinqui mei, & qui me noverant obliti sunt mei ..... Stulti quoque despiciebant me, & cum ab eis recessissem, detrahebant mihi:* Sic in Psalmis: *Super omnes inimicos meos factus sum opprobrium, & vicinis meis valde, & timor notis meis. Qui videbant me foras fugerunt; oblivioni datus sum, tanquam mortuus a corde.* Item: *Amici mei & proximi mei adversum me appropinquaverunt & steterunt. Et qui juxta me erant, de longe steterunt.* Scriptum est in libro Jobi: *Videbunt recti & lætabuntur*: sic in Psalmis: *Videbunt recti, & lætabuntur.* In libri Job vicesimo primo capite cum Deo Job de impiorum felicitate expostulat: totum id συντόμως *(compendiario)* in capite Jeremiæ undecimo repositum invenies. De sapientia sic differit Job: *Non dabitur aurum obryzum pro ea, nec appendetur argentum in commutationem ejus: non conferetur tinctis Indiæ coloribus, nec lapidi sardonycho pretiosissimo, vel sapphiro: non adæquabitur ei aurum vel vitrum, nec commutabuntur pro eo vasa auri, ... non adæquabitur ei topazius de Æthiopia, nec tincturæ mundissimæ componetur:* Sic de eadem Salomon in libro Sapientiæ: *Præposui illam regnis & sedibus, & divitias nihil esse duxi in comparatione illius: nec comparavi illi lapidem pretiosum: quoniam omne aurum in comparatione illius arena est exigua, & tanquam lutum æstimabitur argentum in conspectu illius.* Effatum hoc Jobi: *Ecce timor Domini, ipsa est sapientia*, non in Psalmos solum, & Proverbia, ac Sirachidæ Ecclesiasticum, sed in Deuteronomium quoque defluxit. Atque hoc itidem: *Interroga generationem priscam, & diligenter investiga patrum memoriam & ipsi docebunt te: loquentur tibi, & de corde suo proferent eloquia.* Quod pene totum in sua transtulit Moses: *Memento dierum antiquorum, cogita generationes singulas: interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi; majores tuos, & dicent tibi.* Nec mirandum profecto eodem parente ortos fœtus, non forma solum & loquela, sed sensibus etiam inter se convenire. Legitur in libro Jobi: *Qui non accipit personas principum, nec cognovit tyrannum, cum disceptaret contra pauperem: opus enim manuum ejus sunt universi:* legitur in libro Sapientiæ: *Non enim subtrahet personam cujusquam Deus, nec verebitur magnitudinem cujusquam: quoniam pusillum & magnum ipse fecit.* De mari sic Deus in libro Jobi: *Circumdedi illud terminis meis, & posui vectem & ostia, & dixi: Usque huc venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos:* de eodem sic Salomon in Proverbiis: *Quando circumdabat mari terminum suum, & legem ponebat aquis, ne transirent fines suos.* Scriptum est in libro Jobi: *Quis præparat corvo escam suam, quando pulli ejus clamant ad Deum, vagantes eo quod non habebant cibos?* scripsit Psaltes: *Qui dat jumentis escam ipsorum, & pullis corvorum invocantibus eum.* Testimonium libri Jobi, sit tanquam sacri & canonici libri, ambit Paulus in priore Epistola ad Corinthios: *Sapientia*, inquit, *hujus mundi stultitia est apud Deum: scriptum est enim: Comprehendam sapientes in astutia eorum.* Vbi scriptum? nempe in libro Jobi, qui de Deo hæc fatur: *Qui apprehendit sapientes in astutia eorum.* Similiter Jacobus in Epistola Catholica exemplum indidem petit: *Sufferentiam Job audistis, finem Domini vidistis, quoniam misericors Dominus & miserator.* Quid quod nulla prorsus in libro Jobi Mosaicæ Legis, aut rerum ab Israelitis gestarum mentio occurrit:

Job. 7, 17. Pſal. 8, 5. Job. 8. 9. Pſ. 143. 4. Job, 5, 35. Pſal. 7, 14. Iſa. 59. 4. Job. 19, 7. 8. Thren. 3, 8. 9. Job. 19, 13. 14. 18. Pſal. 31, 12. 13. & 38. 12. 13. Job. 22, 19. Pſ. 107, 42. Job. 21, 7. & ſeq. Jer. 11, 1. & ſeq. Job. 28, 15. & ſeq. Sap. 7, 9. & ſeq. Job. 38, 28. Pſal. 110, 10. Prov. 1, 7. & 9. 10. Eccl. 1, 16. & 19, 18. & 21, 13. Deut. 4, 6. Job. 8, 8. 10. Deut. 32, 7. Job. 34, 19. Sap. 6, 8. Job. 38, 10. 11. Prov. 8, 29. Job. 38, 41. Pſal. 146. 9. 1. Cor. 3, 19. Job. 5, 13. Jac. 5, 11.

unde

Digitized by Google

unde Libri vetuſtas certo argumento colligitur. Verum, inquies, Lege antiquior fuit Jobus, cujus congreſſus cum amicis hoc Libro referuntur; ac proinde nulla his affingi debuit mentio Legis, qui Legem ætate præceſſerunt. At neque priora duo capita, neque poſtremi pars, Jobi, amicorumve ſermonibus, ſed Scriptoris ipſius narrationi tribuuntur, in qua Legis aliquod utique extaret veſtigium, aut portentorum a Deo in Iſraeliticæ gentis gratiam editorum ſignificatio, niſi confectio Libri his omnibus ætate prior fuiſſet. His ſubjungam Ariſteæ teſtimonium, qui in ſuo de Judæis Commentario, legiſſe ſe Jobi librum multis de Jobo memoratis teſtatus eſt. Fuit autem id Ariſteæ opus Alexandro Polyhiſtore vetuſtius, qui inſignem ex eo depromtam pericopen lucubrationibus ſuis intexuerat, ut eſt apud Euſebium. Denique e tertia e Jobi filiabus, cui קרן הפוך nomen fuit, hoc eſt juxta Septuaginta Interpretes, κέρας ἀμαλθείας, natam eſſe fabulam Cornu Amaltheæ, & ex hiſtoria Jobi in Herculis fabulam multa Græcos tranſtuliſſe acute Spanhemius conjectat.

Euſeb. Præp. l. 9. c. 25.

Spanh. hiſt. Job. c. 12.

Diſputatur de clauſula, quæ habetur ad calcem libri Job in Editionibus Septuaginta Interpretum.

VI. Nunc vero minime id quæro, utrum ex celebri illa & controverſa clauſula, quæ in codicibus Septuaginta Interpretum libro Jobi accuſa eſt, quædam depromſerit Ariſteas; an ex Ariſtea clauſula illa prodierit: nec item, ſi eam compilavit Ariſteas, an a Moſe, ut ſenſit Auctor poſterioris Commentarii in Job, qui Origeni adſcribitur; an a Septuaginta ipſis Interpretibus, ut viſum eſt Origeni in Epiſtola ad Africanum; an ab Helleniſtæ alicujus recentioris, aut alterius cujuscunque manu, Jobi libro adtexta ſit. Id ajo, clauſulam iſtam, undecunque tandem extiterit, antiquiſſimam eſſe; a Theodotione in ſuam interpretationem fuiſſe receptam, ab Arabe itidem Interprete in ſuam, a Pſeudo-Origene in ſuos illos in Jobum Commentarios, & a Niceta in ſuam Catenam; ac ejus Origenem, Chryſoſtomum, Hieronymum, Polychronium, & Olympiodorum meminiſſe; & in omnibus denique vel antiquiſſimis Codicibus Græcis reperiri: quamvis autem rejiciatur a nonnullis, utpote quæ abſit ab Ebræis exemplaribus, Eccleſiæ tamen, ut teſtatur Olympiodorus, ab Apoſtolis, cum reliquo Jobi libro traditam fuiſſe. Animadverſum velim id quoque, cum ex Syriaca lingua translatum Jobi librum notat hæc clauſula, non id ſibi velle, Ebraicum quod habemus exemplar ex Syriaco; ſive ut alii cenſent, ex Arabico fuiſſe translatum a Moſe, ut voluit Auctor prioris Commentarii in Jobum qui Origeni tribuitur, ſed ex Ebraico Codice ſuam interpretationem Septuaginta Senes extudiſſe. Ita intellexit Olympiodorus, qui cur Syriaca illic appelletur Ebraica dialectus, erudite oſtendit: ita & Scholiaſtes quem citat Nobilius.

Orig. Epiſt. ad Afric. Chryſ. Polych. & Olymp. in Procem. & ad calcem. Caten. in Job. Hier. Trad. Ebr. in Gen. Olymp. in Cat. in Job.

Nob. hoc loco.

VII. Ex Superioribus conficitur Moſe vetuſtiorem Jobum fuiſſe. Minime vero otii noſtri res eſt, certe nec inſtituti hujus, in aſſignanda accurate ipſius ætate anxie laborare; præſertim cum in ea diſquiſitione diligenter verſati ſint viri eruditi. Dicam obiter recentem mihi videri fuiſſe Jobi caſuum memoriam, cum ad eos deſcribendos Moſes animum appulit; quo tempore apud ſocerum Jethro inter Madianitas degebat. Moſe vetuſtiorem fuiſſe conſentiens eſt quidem Interpretum prope omnium ac Chronologorum opinio, at eum a Moſis ætate nimium in ſuperiora removent quidam. Thalmudiſtæ eo anno natum ferunt, quo in Ægyptum venit Jacobus, denatum anno quo inde Iſraelitæ exierunt. Verum hariolos mittimus. Nos conjecturis probabilibus nixi & ſimiliora veri ſectantes, vel paulo ante deceſſiſſe eum judicamus, quam ipſius calamitatem & reſtitutionem Moſes literis mandaret, vel etiam tum fortaſſe ſuperfuiſſe.

Diſputatur de ætate Jobi.

VIII. Adverſus ea quæ de libri Job Auctore ſtatuimus, plurima in contrariam partem objici ſolent, quorum cum maxima pars pervulgata ſit, & ab aliis jam confutata, fruſtra in iis referendis deſudarem, quæ aliunde peti poſſunt. Velut cum ex Gregorii Nazianzeni auctoritate, quæſitisque argumentis, Salomonis opus id eſſe volunt quidam, ut ſupra dixi; aut cum ex R. Levi ben Gerſon partem Libri ſuppoſititiam eſſe pugnant. Potius eſt ut nova quædam diſcutiamus argumenta; quibus confectionem ejus Moſi detrahere literati quidam viri contendunt. Primum ſuggerit Aben Ezra, qui Sapientes ait Libri Moſem ſcriptorem cenſere, ſibi vero translatum videri, ac propterea ſubobſcurum. Librum translatum putat, a Moſe translatum non negat. Imo vero ita videtur exiſtimaſſe: cur enim Librum trans-

Refelluntur argumenta Adverſariorum. Primum argumentum.

Aben Ezr. Comm. in Job.

Digitized by Google

latum ratus sit, causſæ fuisſe puto clausulam illam superius memoratam, quæ perperam accepta multorum animos hac infecit opinione, e Syriaco Jobi sermone Librum a Mose Ebraice fuisſe conversum; cum e Syriaca lingua, hoc est Ebraica, a Senibus Septuaginta Græcæ redditum orationi significet, ut mox docui.

Secundum argumentum.

IX. Ajunt deinde nusquam librum Jobi Mosis nomine citari, quod fieret tamen, si Mosem haberet auctorem. Ego vero in re dubia, aut vulgo ignorabili fieri debuisſe nego. Libri Josuæ, Judicum, Ruth, aliique complures, quorum incerti sunt Auctores, titulis suis indicantur, non scriptoribus: licet eos aliquis privata industria, certis quantumvis argumentis deprehenderit. Complures laudavi supra in Libro hoc Mosi assignando mecum sentientes, qui eum tamen, non ex Mosis scriptoris, sed ex Jobi, cujus narratur historia, nomine appellare solent.

Tertium argumentum.

X. Ex loco, quem inter sacra Volumina obtinet iste Liber, tertium prodit argumentum: quippe, inquiunt, si Mosis esſet, Mosis libris adjungeretur; imo etiam Pentateucho ipsi ordine præiret, quem tempore anteceſſit: hunc enim post exitum ex Ægypto, illum in Madianitico seceſſu exaratum diximus. Ac si in digerendis Libris sacris ratio temporum quo scripti sunt habita sit. Libris Regum, Paralipomenon, Esdræ, Nehemiæ, Tobiæ, Judith, & Esther, subjici solent Psalmi, Proverbia, Eccleſiaſtes, & Canticum; quæ tamen, si spectetur ætas, præfigenda illis erant. Alio ordine libros illos collocant Latini & Græci, alio Ebræi. Ab his tres in classes esſe distributos tradit Hieronymus in Prologo Galeato: prior Legum habet Pentateuchum nempe Mosis; secunda Prophetis constat, libris videlicet Josuæ, Judicum, Samuelis, Regum, Isaiæ, Jeremiæ, Ezechielis, & duodecim Prophetarum: postrema denique continet Hagiographa, quibus liber Job præfigitur. Aliæ fuerunt sanctorum Voluminum partitiones, de quibus consulere licet Sixti Senensis Bibliothecam: in his alium, aliumque ordinem liber Jobi tenuit, prout diversa spectarunt ii, quibus disponendorum sacrorum Codicum cura tradita est. Non alia autem de causſa Mosis Pentateucho librum Jobi conjunxisſe videtur Hieronymus in Epistola ad Paulinum, quam quod ab eodem Auctore profectum utrumque crediderit.

Sixt. Bibl. l. 1.

XI. Quartum argumentum suppeditant vocabula quædam Libri hujus, vel μοναδικὰ (*singularia*) vel nusquam certe in scriptis Mosis, passim vero in recentioribus Scripturæ sanctæ Libris extantia: unde Mose recentius esſe hoc opus colligi potest. Cui ratione supra occurri, cum dicerem nonnullas voces Ebræis non exauditas finxisſe Mosem, pro ea licentia, quæ prudenter sumta Poetis conceditur; plerasque etiam peregrinas admisisſe, cum librum hunc carmine scriberet; cum præsertim in alieno solo versaretur, unde patriæ loquelæ adhæsit peregrinitas illa, quam deinceps scriptionis illius auctoritas in Ebræam gentem invexit. Sic enim comparatum est, ut quod arbitramur laude dignum, imitando consequi studeamus. Non ergo ex Davidis & Salomonis scriptionibus Jobi operis conditor; sed ex hoc opere potius exoticas suas locutiones David & Salomon, aliique Prophetæ hauserunt.

Quartum argumentum.

XII. Ex his quæ leguntur versu penultimo libri Jobi: *Deditque filiabus pater suus hæreditatem inter fratres earum*, quintum efflorescit argumentum, vel conjectura potius, aut levis suspicio: id enim ab Ebræo scriptore notatum consulto videtur; quod Ebraico jure in hercisscunda familia feminæ a fratribus in partem non vocarentur; unde effici putant latis jam a Mose legibus Librum hunc esſe confectum. Verum istud hinc effici nego; nam rem, uti acta est, referre potuit Scriptor, nulla habita Ebraicæ Legis ratione. Etsi enim Legem nondum tulerat Moses de filiabus a succeſſione removendis, id fortasſe jam Ebræorum vel Arabum usus obtinebat. Similiter jubentur amici Jobi septem tauros & septem arietes holocausta offerre: etsi nondum sacrificiorum ritus in Levitico præscriptos sanxerat Deus. Nec enim putandum est quidquid legibus suis præcepit Moses, novum ad hoc tempus & inusitatum omnino fuisſe: imo consuetudinem in multis Lex juvit; & quæ invexerat usus, jure firmata sunt.

Quintum argumentum.

Levit. 23. 18.

XIII. Ajunt præterea nemini, præterquam Jobo vel amicis, perspectos esſe potuisſe sermones ultro citroque habitos, qui scriptione illa continentur. Parata est ex superioribus responsio: nec enim persuadere voluit

Sextum argumentum.

Digitized by Google

voluit Moſes dicta hæc omnia, prout jacent in libro, a Jobo vel amicis fuiſſe profata: nam quis putet amicos inter ſe verba familiariter commutantes carmina edidiſſe? Plane ita eſt, ut dixi, rem geſtam & ſermonum argumenta ad Moſem literis multorum & ſermone omnium fuiſſe perlata, quæ uberiore deinde orationis filo & numeris adſtricto conveſtivit.

Septimum argumentum. Job. 1, 3.

XIV. Conflatur ſeptimum argumentum ex eo quod dictus eſt Job *magnus inter omnes Orientales*, בני קדם: quo nomine Arabes Ebræis Palæſtinam incolentibus dici ſolebant, unde ſcriptorem libri Jobi incolam Palæſtinæ fuiſſe concluditur. At id facile refellitur ex Madianiticæ regionis ſitu, quæ ad Arabiæ & Auſitidis occaſum poſita eſt. Nec enim Palæſtinæ ſolum incolis, ſed gentibus univerſis familiare eſt alias gentes ex ſitu appellare. Hinc Græcis ἀνατολὴ, quam Natoliam barbare appellamus.

Octavum argumentum.

XV. Moſe recentiorem operis hujus Scriptorem exiſtimarunt nonnulli, quod decimo quinto capite Chananææ gentis excidium obſcure ſignificatum videatur. Verum ſi quis hæc attente perluſtret, non Chananææ potius, quam cujuslibet alterius regionis depopulationem, nec tam ut rem geſtam, quam ut rem gerendam illic expreſſam comperiet.

Nonum argumentum. Job. 26, 12.

XVI. Gravius oritur argumentum ex his Jobi verbis, quæ extant viceſimo ſexto capite: *In fortitudine illius repente maria congregata ſunt, & prudentia ejus percuſſit ſuperbum.* Ebraice רהב, quod inter alia Ægyptum notat: unde ad Ægyptiorum & Pharaonis interitum iſta pertinere cenſuit R. Selomoh, & ex recentioribus Grotius. Uterque contra reliquorum omnium Interpretum fidem, cum antiquorum, tum recentium, qui alio penitus retulerunt. Horum opiniones ſi quis avet cognoſcere, adeat Spanhemianam Jobi hiſtoriam, luculentum opus, in quo ſolidis præterea rationibus hoc argumentum retunditur.

Spanh. Hiſt. Job. c. 6.

Decimum argumentum. Job. 28, 28. Cajet. Præf. in Job. Deut. 4, 5, 6

XVII. Poſtremum argumentum hoc Jobi dicto continetur: *Et dixit Deus homini: Ecce timor Domini, ipſa eſt ſapientia.* Exiſtimavit Sebaſtianus Caſtalio hic tangi verba Deuteronomii, quibus ita Iſraelitas Moſes compellat: *Scitis quod docuerim vos præcepta atque juſtitias, ſicut mandavit mihi Dominus Deus meus: ſic facietis ea in terra quam poſſeſſuri eſtis, & obſervabitis, & implebitis opere. Hæc eſt enim veſtra ſapientia & intellectus coram populis.* Quis non videt hæc vi detorquenda eſſe, ut iſtis accommodentur? Demus tamen nihil intereſſe: quis miretur eamdem ſententiam ab uno & eodem Scriptore bis eſſe uſurpatam? Deum quidem id homini dixiſſe ait, verum non in colloquiis cum Moſe habitis, at potius cum mentes hominum intus voce ſua interpellat; quam cum audierimus, corda noſtra obdurari vetat. Fortaſſe & Jobo fuerat id a Deo ſignificatum per ſomnia aut viſa; cujusmodi multa & hic & alias ſæpe hominum animis ante Legem latam objiciebantur.

DE LIBRO PSALMORUM.

I. *Diſputatur de Auctore libri Pſalmorum. Variæ opiniones proponuntur.* II. *Plures variis temporibus fuiſſe videntur Libri hujus ſcriptores.* III. *Eſdras numerum Pſalmorum determinavit, eorumque volumen in Canonem dedicavit.* IV. *Probatur argumentis.* V. *Quæritur cur ordo Pſalmorum a temporum ordine diſcrepet.* VI. *Probatur Libri Pſalmorum* γνησιότης *& antiquitas.* VII. *Refelluntur argumenta Adverſariorum. Primum argumentum.* VIII. *Secundum argumentum.* IX. *Tertium argumentum.* X. *Diſputatur de Pſalterio Salomonis a Johanne Ludovico de la Cerda edito.*

Diſputatur de Auctore libri Pſalmorum. Variæ opiniones proponuntur.

I. *Sciamus errare eos, qui omnes Pſalmos David arbitrantur, & non eorum quorum nominibus inſcripti ſunt.* Verba ſunt Hieronymi ad Cyprianum ſcribentis, & in ejus gratiam Pſalmum octogeſimum nonum explanantis; quem Pſalmum cum ſequentibus decem a Moſe ſcriptum eſſe docet. Clariora etiam hæc ex ejusdem Epiſtola ad Sophronium: *Pſalmos omnes eorum teſtamur Auctorum, qui ponuntur in titulis, David ſcilicet, Aſaph, & Idithun, filiorum Core, Eman Ezrahitæ, Moyſi, & Salomonis, & reliquorum quos Eſdras primo volumine comprehendit.* Eamdem tuetur doctrinam Auctor Synopſeos, quæ Athanaſio tribuitur; eamdem & Hilarius. Par eſt ſententia R. Davidis Kimchi, & magnæ Rabbinorum partis. Contradicit vero Theodoretus, aliique complu-

Hilar. Prol. in Pſalm.

res,

res, qua veteres, qua nuperi: iisque unicum Psalmorum omnium auctorem, Davidem agnoscunt. Philastrius etiam inter Hæreticos locat, qui secus sentirit. At tribuebat Augustinus, nunc totum Psalterii opus uni Davidi adscribens, velut in libris de civitate Dei; nunc novem solum Davidis proprios esse statuens, reliquos quatuor Cantorum, quos ipse ad id selegerat: velut in dissertatione ad titulum primi Psalmi. Variæ utrimque afferuntur rationes, quarum præcipua pars in sequentibus excutietur.

Philastr. Hær. 126. August. de civit. Dei, l. 17. c. 14.

Plures variis temporibus fuisse videntur Libri hujus Scriptores.

II. Certum est jam inde a vetustimis temporibus, ipso etiam Noachico Diluvio antiquioribus, homines Dei præconia, victorias suas, & si quæ sibi prospera evenissent, hymnis, psalmis, choris ac tripudiis, tympanis etiam, tubis, citharis, alioque musico choragio celebrare fuisse solitos. Certum quoque carminum illorum compositionem viros aliquos ingenio ac eruditione præstantes in se recepisse; id quod de Mose non semel, ac de ipsius sorore Maria legimus. Certum etiam hoc hominum genus divino sæpe afflatum numine multa prædixisse. Talis Moses, talis & David, & Jeremias, & Ezechiel, & Aggæus, & Zacharias. Inde est, quod apud profanas gentes a prisca ætate musicam exercebant futurorum vaticinatores, & musica Deo homines conjungere credebatur. Itaque vocabulo eodem Romanis dicebantur Vates, & qui funderent carmina, & qui futura prædicerent. Certum præterea carmina hujusmodi apud Ebræos, eaque potissimum quæ essent sacra, crebra recitatione ita fuisse pervulgata, ut ea sibi plurimi describerent; curæque præsertim Levitis fuisse, uti exemplaria eorum, quæ Dei celebrarent laudes, in Templi tabularis servarentur inter sacra Volumina, quæ in Templo fuisse recondita & custodita non uno loco Josephus asseverat. Hinc deprompta Cantica pleraque, quæ in Libris sanctis vel descripta sunt, vel memorata. Hinc certa quædam pro tempore selecta a Levitis, quæ Symphoniaci in Templo cantarent. Singulis porro Hymnis auctorum nomina crediderim fuisse adscripta, eorumque nominum partem aliquam temporum lapsu & hominum oblivione, aut librariorum oscitantia intercidisse. Atque hinc porro evenit, ut Psalmi aliquot sint ἀνεπίγραφοι & ἀδέσποτοι (*inscriptione, & auctoris nomine carentes.*) Cum autem penum hanc Psalmorum locupletare satageret, quisquis poetica erat arte instructus, valde eum crevisse probabile est; quem deinde in immensum auxerunt David & Salomon, collato illuc magno carminum numero; ne videlicet tantis impensis fundata ab eis domus Dei, tot ditata donariis, hac quoque parte liberalitatem eorum ac munificentiam desideraret. Ipse potissimum David in veterum Hymnis recognoscendis ac digerendis, suis adjungendis, choris Symphoniacorum instruendis, melodiæ ac concentuum temporibus determinandis, cantoribus ipsis deligendis, omnique apparatu musico comparando, egregiam operam navavit. Quod & a Salomone deinde factum est. Non parum etiam sacram hanc apothecam a sequenti ætate cantica differtam reor, quoad Templum a Chaldæis direptum & igne absumtum est. Quo incendio maximam quoque congestarum cantionum partem conflagrasse dubium non est. Postquam ventum est Babylonem, cum Deum pro ea quæ supperetebat facultate laudare vellent Ebræi, tum vero collectas existimo paucis tot Psalmorum reliquias, vel ex memoria, vel ex aliquorum, si forte, privatorum hominum codicillis. Atque hæc carmina illustri aliqua pietatis significatione, aut artificii specimine insignia, aut ad ea, quæ essent ex usu populi, postulanda a Deo, videntur præ aliis fuisse accommodata; ut quæ ex canta frequenti inhæsissent memoriæ, aut digna fuissent habita a quibusdam, quæ in literas referrentur. Facit ad nostram sententiam insigne hoc Philastrii dictum: *Qui interpretati sunt studiosissime, hoc dixerunt, quod supe existente captivitate in Judæorum populo a Gentilibus propter idololatriam, (quia enim illis colebant fluvii & idola) inque his etiam Scripturæ divinæ inquirebantur & combarebantur a gentibus. Si quis autem absconditset de Psalmis aliquid existente ipsa, postmodum requirebantur a paucis sanctis eadem divinæ Scripturæ: eumque inventrentur, accipientes postea qui erant illo tempore Sapientes, (quia non erant Prophetæ jam, sed Sacerdotes timore detenti) juxta quod accipiebant a quibusdam, ita componebant & textum Psalmorum, & ita ordine exponi jubebant.* Quamvis autem ad quinque supra mille carmina lucubrasse Salomonem in sacris Codicibus proditum sit; attamen

Joseph. Antiq. l. 3. c. 1. & l. 5. c. 1.

Phil. Hær. 126.

men aut nulla eorum, aut perexigua pars servata est: sive quod vulgi superarent captum, ut ex Cantico Canticorum existimare licet, sive quod ad usum chororum minime essent concinnati, sive quod tam clari in iis non apparerent neque tam expressi pietatis sensus, quam in illis Davidis, quem *egregium Psalten Israel* fuisse sanctæ Literæ testantur. Ad hos præterea Hymnos, qui ex Templi excidio, sic tanquam reliquæ e naufragio tabulæ, emerserunt, alii accessêrunt, qui in vinculis Babylonicis, ad calamitates Israeliticæ gentis coram Deo deplorandas, a piis viris compositi sunt: qualis ille est qui numero habetur centesimus tricesimus sextus, & quem titulus indicat esse Jeremiæ: *Super flumina Babylonis, illic sedimus & flevimus, cum recordaremur Sion.* Nam quamvis subjunxerit Psaltes: *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* non id tamen ita accipiendum est, quasi in Babylonia Deo hymnos canere nefas ducerent Israelitæ, nec omnino per tot annos cecinerint ullos; sed quod eo apparatu ac splendore id ipsis facere non liceret, quod olim Hierosolymæ fieri solitum erat: nec ad jussum Chaldæorum, auresque profanæ gentis demulcendas sacras Deo cantiones recitare ac disperdere sustinerent. Sexagesimus quartus in fronte gerit hoc lemma: *Canticum Jeremiæ & Ezechielis populo transmigrationis, cum inciperet exire.* Mala etiam apud Chaldæos tolerata queritur Psalmus septuagesimus: *In te, Domine, speravi, non confundar in æternum: in justitia tua libera me & eripe me.* Sic & septuagesimus tertius: *Ut quid Deus repulisti in finem? iratus est furor tuus super oves pascuæ tuæ.* Talis est & septuagesimus octavus: *Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt Templum sanctum tuum, posuerunt Jerusalem in pomorum custodiam.* Ejusdem etiam generis est octogesimus septimus: *Domine, Deus salutis meæ, in die clamavi & nocte coram te,* quem a Joachimo editum tradunt aliqui, dum Babylone in custodia attineretur: & octogesimus octavus: *Misericordias Domini in æternum cantabo,* quem ab eodem in libertatem restituto compositum ferunt. Talis & centesimus primus: *Domine exaudi orationem meam, & clamor meus ad te veniat.* Adjectos esse & alios post solutam Captivitatem Psalmos minime dubium est. Hujusmodi est centesimus vicesimus quintus: *In convertendo Dominus captivitatem Sion, facti sumus sicut consolati*: & centesimus tricesimus septimus: *Confiteor tibi, Domine, in toto corde meo, quoniam audisti verba oris mei*: & centesimus quadragesimus septimus: *Lauda anima mea Dominum; laudabo Dominum in vita mea, psallam Deo meo quamdiu fuero.* Quid quod & totos quadraginta postremos, ab eo videlicet, cui titulus est: *Reversionis Aggæi & Zachariæ*, in gratiam reditus Israelitarum e Babylonico exilio in patriam scriptos nonnulli arbitrati sunt. Intolerabilis vero fuit Pauli Samosetani, vecordis & impuri Hæretici supinitas, cum Psalmos novitatis arguere ausus est, & post Christum elaboratos asseverare. Quem errorem vix persuaderi possem amplexos esse nonnullos de grege Anabaptistarum, uti factum ab iis esse fertur, nisi ab illorum impudentia, pari inscitia & stupore conjuncta, omnia expectanda esse scirem. At opinionis hujus ineptiam & fatuitatem declarabit hæc a nobis instituta dissertatio.

1. Reg. 21. 1.

III. Exemtis Babylonico servitio Israelitis, & in integrum restitutis, post instauratum Templi cultum, suadet nobis ratio Psalmos quoque in Templo cantari solitos collegisse Esdram, & ex Synagogæ magnæ auctoritate recognovisse, numerumque eorum ad centum quinquagenti determinasse; sepositis fortasse aliquot, vel quorum incerta erat auctoritas, vel quos ad præsentem rerum statum minus congruere censebat; eos in unum redegisse volumen, & in Canonem sacrorum Librorum dedicasse; neque illuc postea ullos accessisse Psalmos; quod fuisse creditum video aliquibus, qui septuagesimum quartum, septuagesimum octavum, & septuagesimum nonum Antiochi temporibus adscribunt. Nam totidem, quot nunc extant, interpretati sunt septuaginta Senes Antiocho vetustiores, uti priscis traditionibus, teste Hilario, ferebatur.

Esdras numerum Psalmorum determinavit, eorumque volumen in Canonem dedicavit.

Hilar. Prol. Explan. in Psalm.

IV. Opinionis, quam hic proponimus, præcipua capita sacræ ipsius Scripturæ testimoniis confirmantur. Quæ quoniam fere sunt in propatulo, & obvia unicuique, supervacaneum foret ea colligere. Reliqua vero probantur ex ipsis Psalmorum lemmatis, quibus eorum Auctores indicantur; aut ex

Probantur argumentis.

disertis Psalmorum verbis, rebusque illic aperte narratis, unde ipsorum ætas deprehenditur. Tales ii sunt, quorum capita proxime attulimus: eos si quis perlegat accurate, rerum, quarum gratia scripti sunt, a Davidicis temporibus longe dissitarum clarissima cernet monumenta. Centesimum tricesimum sextum adducam in exemplum. Qui enim Davidis ævo accommodari ea possunt: *Super flumina Babylonis, illic sedimus & flevimus, cum recordaremur Sion:* ac sequentia etiam, quæ palam edocent, & qui loquantur, captivi nempe; & cujates, Hierosolymis nempe & Sione profecti; & a quibus capti, nempe a Babyloniis; & quo deducti, nempe Babylonem. Quæ si quis ad Davidis ætatem referre nitatur, idem Ararim in Parthia, Tigrim in Germania reperire possit. Par de centesimo vicesimo quinto, atque aliis porro, quos supra indicavimus, esto judicium.

Augustinus qui in libris de civitate Dei totum Psalmorum opus uni Davidi acceptum refert, hæc eum prophetice vaticinatum fuisse ait; quemadmodum Josiæ regis non futurum duntaxat ortum & regnum, sed nomen quoque Propheta quidam trecentis ante eventum annis prænuntiavit. Sed quorsum ad propheticas vaticinationes & miracula recurremus, cum nulla nos eo cogat necessitas? Existimet Lector æquus, utra præferenda sit sententia, vel quæ rationibus pugnet, vel quæ excogitatis miraculis se tueri cogatur. Sed & ex Psalmorum plurimorum lemmatis, ut dixi, de eorum quoque ætate fieri arbitrium potest. Velut ex illo, quod centesimo tricesimo sexto præfixum est: *Psalmus David, Jeremiæ:* apud Septuaginta, τῷ Δαβὶδ, Ἱερεμίᾳ, manifestum est Psalmum hunc Davidi adscribi non posse, & Jeremiæ temporibus compositum fuisse. Verum quæsiverit aliquis, qui hæc Babylone concini potuerint a Jeremia, quem illuc cum aliis captivis deportatum non fuisse constat. Equidem a Jeremia ad captivos transmissum opinor, quam calamitati eorum deplorandæ lucubraverat. Psalmo sequenti hoc lemma præscribunt editiones Septuaginta Interpretum: ψαλμὸς τῷ Δαβὶδ, ἐγγαίᾳ καὶ ζαχαρίᾳ. Per genitivum casum plane videntur Psalmi Auctores significari. Quid hoc est igitur, τῷ Δαβὶδ; Ebraica habent, לדוד; Vulgata, *Ipsi David.* Sic alibi, לאסף, τῷ Ἀσὰφ: & לבני קרח; Septuaginta, τοῖς υἱοῖς Κορέ; Vulgata, *Filiis Core.* Existimat Synopseos Auctor, quicunque Psalmi inscripti sunt, τῷ Δαβὶδ, hoc est, *Ipsi David*, ab aliis lucubratos, Davidis personæ fuisse aptatos. Sententiam hanc refellit Augustinus Sospitatoris ipsius oraculo, qui Psalmum centesimum nonum Davidi tribuit, cum inscriptus sit, *Ipsi David.* Censuerunt vetustiores Magistri, quicunque Psalmus præfixum haberet hoc lemma, לדוד, Davidem auctorem habuisse: verum hanc quoque opinionem rejicit Aben Ezra, & a Davide scriptum, aut Davidi adscriptum statuit: quibus addi velim, aut ex ejus formula & exemplo lucubratum esse. Id si sit, quod veri sane perquam simile est, jam liquet cur Psalmus centesimus tricesimus sextus ita inscriptus sit: τῷ Δαβὶδ, Ἱερεμίᾳ; nimirum ut a Jeremia scriptus significetur ad Psalmorum Davidis exemplum; ac si diceres, Psalmus Davidicus Jeremiæ. Ita *Syracosio versu* ludere se dicebat Virgilius, cum ad exemplum Theocriti Eclogas scriberet: ita & *Ascræum carmen* se per oppida Romana canere, cum ad Hesiodi imitationem Georgica componeret: ita & *Ceæ naniæ* munera retractare se ajebat Horatius, cum Simoniden Ceum imitaretur, Psalmum centesimum undecimum. Aggæo & Zachariæ tribuit Vulgata Editio; nec non & centesimum quadragesimum quintum. Hunc & sequentes duos iisdem adscribunt Interpretes Septuaginta. Psalmo sexagesimo quarto hunc præfigit titulum Vulgata Editio: *Psalmus David. Canticum Jeremiæ & Ezechielis populo transmigrationis, cum inciperent exire.* Hunc & quædam Septuaginta Interpretum editiones præferunt. Psalmi septuagesimi lemma hoc est: *Psalmus David, filiorum Jonadab & priorum captivorum;* quod & apud Septuaginta Interpretes reperitur, & ad Joachinum regem Juda Babylonem a Nabuchodonosore deportatum sine dubio refertur. Ebræi Salomonem septuagesimi secundi Psalmi auctorem esse ferunt, quidam Psalmorum trium, plurium etiam alii; Origenes Psalmorum graduum. Psalmi octogesimi noni titulus hic est: *Oratio Moysi hominis Dei*, quem & Septuaginta Senum interpretatio & Ebraica exemplaria exhibent; & Psalmum ipsum Ebræi magno consensu volunt a Mose fuisse cantatum, cum Deum placare vellet, Israelitis iratum

Augustin. de civ. Dei, l. 17. c. 14.

Augustin. de civ. Dei, l. 17. c. 14. Matth. 22, 42. & seq.

Virgil. Ecl. 6. & Georg. l. 2.

Hor. Carm. l. 2. Od. 1.

Orig. l. 3. περὶ ἀρχῶν.

Digitized by Google

iratum propter excitatam inter eos ab exploratoribus Terræ ſanctæ ſeditionem. Accedit ad hanc ſententiam Hieronymus in Epiſtola ad Cyprianum. Moſi itidem ſequentes decem Pſalmos adſcribunt Ebræi; adſcribunt & Hilarius, & Hieronymus; cum tamen de nonageſimo octavo Pſalmo verum id eſſe non poſſit, ut pote in quo ſit Samuelis mentio. Niſi Moſes ille fortaſſe unus fuerit ex cantoribus Davidis, ut viſum eſt Aben Ezræ: cui ne aſſentiar acit additum illud elogium, *Hominis Dei*, quod & in ſacris Literis alias Moſi tribui ſolet, & virum pietate inſignem notat. Nam quod reſpondent Hilarius, Hieronymus, & Auguſtinus, prophetice id a Moſe ſcriptum; ſalvo ſanctorum Patrum honore, ſine cauſſa mihi videtur dictum. Promtius enim & tolerabilius eſt, Pſalmum illum contra Ebræorum auctoritatem adjudicare Moſi, quam nulla urgente neceſſitate miracula & divinos vaticiniorum afflatus comminiſci. Pſalmum nonageſimum ſecundum, Adami canticum appellant Ebræi, & ab Adamo decantatum ſomniant matutinis primi ſabbathi horis, cum ſerotinis diei antecedentis eſſet creatus. Auctor R. David Kimchi. Adde reliquos adſcriptos Idithuni, filiis Core, Aſapho, Emani Ezrahitæ, & Ethani Eſrahitæ, quem ἐπὶ τῆς μετοικεσίας βαξυλῶνος (*temporibus Babylonicæ migrationis*) vixiſſe quidam ſuſpicati ſunt, ſed falſo, ut docent Interpretes, quos ne longior ſim, adiri jubeo. Valde etiam falleretur, ſi quis crederet hunc eſſe Ethanem Leviten, Caſaiæ filium, quem ex inſtituto ac juſſu Davidis muſicam artem tractaſſe Paralipomena aſſeverant: hic enim Levites fuit; ille de tribu Judæ. Huc facit inſigne Thalmudis & Maſoræ teſtimonium, quo Pſalmi omnes ab Adamo, Melchiſedecho, Abrahamo, Moſe, Emane, Idithuno, Aſapho, & tribus Core filiis, Aſere, Elcana, & Abiaſapho, Moſis conſanguineis & æqualibus dicuntur elaborati; a Davide vero in unum volumen collecti. Kimchio ad eamdem ſententiam præluxerunt Thalmudiſtæ. Is autem addit a Davide ipſo in quinque libros diviſum eſſet Pſalterium, ὥστε δίνου γῆ) ἐυτὸ ἄλλην πενταέυχον· *adeo ut ſit alter Pentateuchus*: inquit Epiphanius. Pſalmi vero ἀνεπίγραφοι (*ſine inſcriptione*) cui tribuendi ſint, non levem eſſe inter Rabbinos controverſiam teſtatur Aben Ezra. Hæc cum ita ſint, liquidum eſt optima me ratione dixiſſe, Davidis nimirum, Pſalmos omnes, ſed cantorum complurium.

Hilar. Prol. in Pſalm. Hier. Epiſt. ad Cypr.

Auguſt. de civ. Dei, l. 17. c. 14.

1. Par. 15, 17, 19.

Thalmud. bab. bathr. c. 1.

Epiph. de pond. & menſ.

V. Quod ad ordinem Pſalmorum attinet, qui a ſerie temporum palam diſcrepat, exiſtimaſſe quosdam refert Philaſtrius, eo ordine diſpoſitos fuiſſe Pſalmos a Sapientibus poſt Captivitatem, quo a ſanctis viris reperta ſunt; fortuito nempe, & tumultuario, cum Ethnici antea, tum rerum potirentur, conquiſitos eos cremaſſent, & funditus abolere tentaſſent. Mihi vero ea inceſſit ſuſpicio, hoc ordine fuiſſe ab Eſdra a Synagoga magna digeſtos, quo in templo canebantur, prout nempe vel anniverſariæ feſtivitates, vel ſacrorum ratio poſtulabat. Inde eſt quod collocatæ ab Eſdra in ordinandis Pſalmis operæ Ebræi non meminerunt: quippe Pſalmos neque ipſe, neque Synagoga magna digeſſit, ſed quem in iis ſervari ſolere comperit ordinem, eumdem retinuit. At cum ait Auctor Synopſeos Eſdram in ordinem Pſalmos diſpoſuiſſe, eum intellige, quem uſus Templi, non temporum ſeries deſiderabat. Inde eſt etiam quod nullas numerorum notas his Pſalmis Ebræi veteres præfigebant; & quod priſcæ traditiones ferunt, auctore Hilario, incompoſitos eos, nec pro temporum diverſitate digeſtos, Esdram in unum volumen retuliſſe. Quod autem ex iisdem traditionibus ſubjungit Hilarius, Septuaginta Senes in numerum & ordinem Pſalmos redegiſſe, ſingulos quosque iis numeris adjungentes, quorum efficientia & vis argumento ſuo reſponderet, parum ſolidum eſt, quod cum pace & reverentia ſanctiſſimi viri dictum velim. Nihilo credibilius eſt quod ſubnectit, priores quinquaginta Pſalmos iis convenire, qui a vitiis ſeſe ad meliorem frugem recipiunt; ſequentes quinquaginta iis, qui jam aliquos fecerunt in pietate progreſſus; iis denique reliquos, qui ad ſummum virtutis apicem evaſere. Variis itidem virtutis ac pietatis gradibus vulgatam ac celebrem Pſalmorum in quinque partes diviſionem fuſa diſſertatione accommodat Gregorius Nyſſenus, & ad animorum emendationem, non ordinem temporum reſpexiſſe vult, qui Pſalmos ita digeſſerunt. At hæc quantumvis pie cogitata, vel ſola eorum lectio aperte refellit. Sed nec inter claſſium ſingularum Pſalmos ullam temporum rationem habitam

Queritur cur ordo Pſalmorum a temporum ordine diſcrepet. Philaſtr. Hær. 126.

Hilar. Prol. in Pſalm.

Greg. Nyſſ. l. 1. in Pſal. c. 5. & l. 2. c. 11.

Digitized by Google

videmus; quod facere potuisset Esdras, etiam si varios pietatis gradus spectasset. Cæterum partitionem illam Psalterii in partes quinque, quam ab Ebræis usurpari ajunt Hilarius & Hieronymus, & quæ in eorum Libris hodieque adnotatur, Machabaicis temporibus haudquaquam vetustiorem reor.

Hilar. Prol. in Psalm. Hier. Epist. ad Sophr. & ad Cypr.

Probatur libri Psalmorum γνησιότης & antiquitas.

VI. Quod attinet ad Libri hujus γνησιότητα & antiquitatem, ea juxta principia nostra facile statuitur: genuinum quippe ab omnibus proxime & continuata serie sequentibus ætatibus esse habitum probatur primum capite vicesimo secundo libri secundi Samuelis, quo totus Psalmus decimus septimus repræsentatur, & Davidi Auctori tribuitur. Tum capite sequenti egregium se ipse Israelis Psalten appellat, quod non temere ab eo jactari docet Saulis historia. Psalmum item quartum supra centesimum, & deinde nonagesimum quintum capite decimo sexto libri Paralipomenon prioris repetitos, ac in unum conjunctos reperias; quemadmodum Origenes observavit in Prologo Tomorum in Canticum Canticorum, & in Epistola ad Africanum. Posterioris vero libri Paralipomenon septimo capite, extat Canticorum Davidis apertissima mentio: *Sacerdotes autem stabant in officiis suis, & Levitæ in organis carminum Domini, quæ fecit David Rex ad laudandum Dominum: Quoniam in æternum misericordia ejus, hymnos David canentes per manus suas* Psalmum indicat centesimum quintum, cujus hoc est exordium: *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia ejus:* quod & capite quinto, atque item vicesimo libri ejusdem, & capite tertio libri prioris Esdræ, & decimo tertio libri Judith, & tricesimo tertio Jeremiæ, & tertio Danielis exhibetur. Cantica quoque Davidis vicesimo tertio capite libri secundi Paralipomenon memorantur: ejus vero organa atque sermones, hoc est hymni, vicesimo nono capite. Notabilis imprimis ille locus libri prioris Esdræ, quem mox attigi: *Fundato igitur a cæmentariis Templo Domini steterunt Sacerdotes in ornatu suo cum tubis, & Levitæ filii Asaph in cymbalis, ut laudarent Deum per manus David regis Israel, & concinebant in hymnis, & confessione Domino; Quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia ejus.* Notabilis & ille e libro Ecclesiastici: *David de omni corde suo laudavit Dominum, & flere fecit cantores contra altare, & in sono eorum dulces fecit modos.* Nec non & ista e secundo Machabæorum: *Inferebantur autem in descriptionibus & commentariis Nehemiæ hæc eadem, & ut construens Bibliothecam congregavit de regionibus libros, & Prophetarum, & David:* quibus Davidici hymni haud dubie significantur. Toti etiam Psalterii versiculi in posteriorum Prophetarum, aliorumque sacrorum Scriptorum libris, tacito Auctoris nomine occurrunt. Initium Psalmi primi retulit his verbis Jeremias: *Benedictus vir qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia ejus. Et erit quasi lignum quod transplantatur super aquas quod ad humorem mittit radices suas, & non timebit cum venerit æstus. Et erit folium ejus viride, & in tempore siccitatis non erit solicitum, nec aliquando definet facere fructum.* Istud Isaiæ: *Quoniam non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te;* germanum est illius e Psalmo sexto: *Quoniam non est in morte qui memor sit tui; in inferno autem quis confitebitur tibi?* Ex his decimi septimi Psalmi: *Et comminuam eos ut pulverem ante faciem venti: ut lutum platearum delebo eos,* manifesto manavit illud libri secundi Samuelis: *Delebo eos ut pulverem terræ; quasi lutum platearum comminuam eos atque confringam.* Est in libro Proverbiorum: *Initium viæ bonæ facere justitiam; accepta est autem apud Deum magis quam immolare hostias:* cui consimile est hoc Ecclesiastæ: *Multo enim melior est obedientia, quam stultorum victimæ:* hæc suppeditavit Psalmus quinquagesimus. Unde illa Isaiæ: *Paravit Dominus brachium sanctum suum in oculis omnium gentium, & videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri?* nempe ex illis Psalmi nonagesimi septimi: *Salvavit sibi dextera ejus & brachium sanctum ejus. Viderunt omnes termini terræ salutare Dei nostri.* Unde & ista transtulit Jeremias: *Tu autem Domine in æternum permanebis, solium tuum in generationem & generationem?* ex his nimirum centesimi primi Psalmi: *Tu autem, Domine, in æternum permanes, & memoriale tuum in generationem & generationem.* Ait Isaias: *Ecce omnes quasi vestimentum conterentur:* deinde; *Cœli sicut fumus liquescent, & terra sicut vestimentum atteretur:* quippe scriptum legerat in centesimo primo Psalmo:

2. Sam. 22, 1.
1. Reg. 16, 18. & seqq.
2. Par. 7, 6.
2. Par. 5, 13. & 20, 21.
1. Esdr. 3, 11. Judith. 13, 21
Jer. 33, 11.
Dan. 3. 89.
2. Par. 23, 18.
2. Par. 29, 26
1. Esdr. 3, 10. 11.
Eccli 47. 15.
2. Mach. 2, 13.
Jerem. 17, 7
Isa. 38, 18.
Psalm. 6, 6.
Psal. 17, 43.
2. Sam. 22, 43.
Prov. 16, 5.
Eccl. 4, 17,
Psalm. 50. 18. & seqq. Isa. 52, 10.
Psal. 97, 1. 3.
Thr. 5, 19.
Psal. 101, 13.
Isa. 50, 9. & 51. 6.
Psal. 101, 25. & seqq.

Initio

Digitized by Google

Initio tu, Domine, terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli. Ipsi peribunt, tu autem permanes, & omnes sicut vestimentum veterascent, & sicut opertorium mutabis eos,
Eccli 14,18. *& mutabuntur.* Id & in librum Ecclesiastici translatum est: *Omnis caro sicut fœnum*
Amos. 9, 2. *veterascet.* Ait Amos: *Si descenderint usque ad infernum, inde manus mea educet eos: & si ascenderint usque in cœlum, inde detraham*
Psal. 139, 8. *eos*: jam ante id cecinerat Psaltes: *Si ascendero in cœlum, tu illic es: si descendero in in-*
Psal. 142, 4. *fernum, ades.* Comma hoc Psalmi centesimi quadragesimi secundi: *Collocavit me in obscuris, sicut mortuos sæculi*, sic expressit
Thren. 3. 6. Jeremias in Threnis: *In tenebrosis collocavit me, quasi mortuos sempiternos.* Plura hujusmodi adnotarunt Interpretes: sed hæc viro veritatis amanti, neque nimis pertinaci satis sane sint. Longe vero clarioribus testimoniis libro huic fidem conciliant Novi Testa-
Matt. 13, 35. menti Scriptores. Quid his Matthæi dissertius: *Ut impleretur quod dictum erat per Prophetam dicentem: Aperiam in Parabolis os meum, eructabo abscondita a constitutione*
Psal. 77, 2. Matt. 27, 35. *mundi*: quæ e Psalmo septuagesimo septimo deprompta sunt? Quid & illis: *Ut impleretur quod dictum est per Prophetam dicentem: Diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem*: quæ haben-
Psal. 21, 19. tur Psalmo supra vicesimum primo? Verum omni penitus ambage præcisa sic ipse
Matth. 22, 43. 44. alibi: *Quomodo ergo David in spiritu vocat eum Dominum, dicens: Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum?*
Marc. 12, 36. Luc. 20, 42. Luc. 24, 44 quæ apud Marcum & Lucam iisdem verbis referuntur. Alio loco apud Lucam sic Christus: *Necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in Lege Moysi, & Prophetis, & Psal-*
Act. 1, 20. *mis de me.* Item Petrus Actorum primo. *Scriptum est enim in libro Psalmorum: Fiat commoratio eorum deserta, & non sit qui inhabitet in ea, & episcopatum ejus accipiat al-*
Act. 2, 25. & seqq. *ter.* Capite vero sequenti quatuor e Psalmo decimo quinto commatia recitat; duo e
Act. 4, 25. Psalmo secundo, capite quarto; unum in-
Act. 13, 33. didem capite decimo tertio. Davidis quoque suffragio Paulus se tuetur Epistolæ ad
Rom. 11, 9. Romanos capite undecimo & Epistolæ ad
Ebr. 3, 7. & 4. 12, Ebræos capite tertio; ejusdem vero sententiam capite sequenti usurpat.

Jam si Ethnicorum ambiamus suffragia, hinc etiam nobis aliquid opis proveniet. Philopatridos Auctor, qui Luciano tribuitur, respexit ad verba isthæc e Psalmo centesimo tertio: *Extendens cœlum sicut pellem*, cum dixit: Psal. 103, 3.
κατηχούμενος πάλαι παρ' ἐμοῦ, ἅπερ ζῆν χρήζεις ἐς τὸν αἰῶνα, ἡ ὑφανὸν ὡς δέρριν ἐξέπλωσε. *Fidem habe documentis quibus ad religionem Christianam a me erudiris, siquidem vitam æternam concupiscis: si cœlum nunquam pellem expandit.* Ex eodem Psalmo, in quo omnem styli sui ἀδρότητα καὶ ὕψος (*granditatem & sublimitatem*) Propheta explicavit, nonnulla transtulit Numenius, quæ ab Eusebio adnotata sunt. Translata sunt e Psalmis in Orphica, quædam alia, quæ nec Eusebii diligentiam effugerunt. E celebri Psalmi quinquagesimi effato; supra a nobis commemorato, Charondæ Thuriorum legislatoris petitum illud reor, quod refert Porphyrius: θεοὶ δ' χαίρουσι Porphyr. τῶν πονηρῶν θυσίας τε καὶ δαπάνας: ἀλλὰ τῶν τῶν ἀγαθῶν ἀνδρῶν δικαίους τε καὶ καλὰς ἐπιτηδεύσεις. *Dii non gaudent improborum sacrificiis & impensis, sed justis & rectis bonorum virorum institutis.* Commati huic e Psalmo quinquagesimo sexto: *Filii hominum, dentes eorum arma & sagittæ, & lingua eorum gladius acutus*, gemina est sententia ista Solonis, qui linguam hominis nequam gladio esse acutiorem scisit, & inter ejus effata fertur imprimis. Euf. Præp. l. 11, & 13. Psal. 50, 18. & seqq. περὶ ἀμψ. ἐποχ. l. 2. Psal. 56, 5.

VII. His satis, ni fallor, comprobatis, supereſt ut aliqua diluamus pro more nostro argumenta, quæ adversus propositas opiniones vel objecta jam sunt, vel objici certe possunt. Primum inde petitur, quod uni Davidi Psalmorum opus inscribi solet, ac proinde ab uno Davide auctore profectum esse dicendum est. Id probant auctoritate Christi ipsius, qui cum ait apud Lucam: *Ipse David dicit in libro Psalmorum: Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis*, totum Psalterium Davidi videtur tribuere. Cui argumento sic occurritur, Davidis nomine Librum inscribi, qui ad plures pertinet; vel quod præcipuam Libri partem ipse condiderit, quemadmodum Ciceronianarum Epistolarum volumen, etsi aliorum plurimorum Epistolis constat, uni tamen Ciceroni, cujus est major Epistolarum pars, tribuitur; vel quod in priscorum hymnorum delectu, novorum adjectione, totoque musico instrumento adornando, Davidis ita *Refelluntur argumenta Adversariorum. Primum argumentum.* Luc. 20, 42

Digitized by Google

enituerit cura & industria, uti de ejus nomine tota Psalmorum congeries appellata sit. Qua responsione eo libentius utimur, quod eidem retundendo argumento ab Auctore Synopseos adhibetur. Quod autem scribit alio loco, amicos Ezechiæ regis, ex ter mille Davidis Psalmis, centum & quinquaginta selegisse, reliquos vero occuluisse, id ita accipio, tria illa Psalmorum millia non a Davide lucubrata fuisse universa, sed ab aliis scripta, ipsum in ordinem, suis etiam additis, disposuisse. Quanquam & id mihi parum videtur verisimile: cum certum sit Psalmos plerosque illuc deinde fuisse adjectos, qui nunc supersunt, ut demonstravimus; unde conficitur totidem priori numero detrahendos fuisse, ut semper numerus idem centum & quinquaginta constaret: quod vix sane credibile est. Adde Hilarium in Prologo, non Psalmos Davidis, sed librum Psalmorum appellandum decernere, atque ita ab Hieronymo & Augustino appellari.

Hier. Epist. ad Sophr. August. de civ. Dei, l. 17. c. 14.

Secundum argumentum.

VIII. Minime fugit Anabaptistas id argumentum, Psalmorum librum hac ratione oppugnare solitos, quod Davidis sibi nomen non præscriberet: quod argumentum quam parum adversus nos valeat, perspicuum est; qui Librum uti Davidi adscriptum non esse fatemur, ita adscribi non debuisse pertendimus; quippe qui non eum solum, sed alios plerosque auctores habeat. Quod autem addunt, unicum Psalmum decimum septimum vere esse Davidis; quippe qui ipsi tribuatur libro secundo Regum, capite vicesimo secundo, nos id non admittimus: nec enim minus vere Davidis est centesimus nonus, quem Davidis esse Christus ipse docet; & alii quos eidem lemmata in codicibus Ebraicis, Græcis, & Latinis præfixa assignant.

Matt. 22, 43 44.

Tertium argumentum.

IX. Conflatur tertium argumentum ex hac clausula in qua desinit Psalmus septuagesimus primus: *Defecerunt laudes David filii Jesse:* unde effici videtur superiores Psalmos esse Davidis, sequentes vero aliorum. Hoc telo libri Psalmorum dignitatem impugnabat Johannes Bodinus, ex persona Salomonis Judæi, in tetro & exitiali opere de abditis rerum sublimium arcanis. Cui argumento simile cudi potest ex his verbis, quæ capite vicesimo tertio libri secundi Regum Psalmum Davidis decimum septimum capite præcedenti descriptum excipiunt: *Hæc autem sunt verba David novissima:* unde non absque similitudine veri aliqua concludi potest, non plures quam septemdecim Psalmos Davidem lucubrasse. Prius argumentum sic discutimus, postremum quidem Psalmum septuagesimum primum a Davide fuisse compositum, cum regnum Salomoni filio jam jam moriturus transscriberet; at extra ordinem in Psalmorum serie fuisse collocatum. Posterius vero sic excipitur, vel ex clausula Psalmi illius septuagesimi primi apparere non in decimo septimo Davidem loquendi vel canendi finem fecisse; neque vero adnotationem illam, *Hæc autem sunt verba David novissima*, ad antecedentia, verum ad sequentia pertinere.

Bodin. de arcan. l. 5.

Disputatur de Psalterio Salomonis a Johanne Ludovico de la Cerda edito.

X. De Psalmorum collectione agentibus nobis, minime prætermittendum est Salomonis Psalterium, ex Augustanæ Bibliothecæ vetustissimis membranis ab Andrea Schotto descriptum, a Johanne Ludovico de La Cerda e Græco sermone Latine redditum, & cum ejusdem Scholiis editum. Constat illud Psalmis octodecim, Græce scriptis, ita tamen ut Ebraismum & Septuaginta Senum stylum referant. Salomonis nomen præfixum gerunt, his verbis: ψαλμὸς τῷ σαλομών. *(Psalmus Salomonicus.)* Quid de his statuat Cerdanus incertus hæret, atque eo demum inclinat, ut vel Salomonis, vel viri sacrarum literarum peritissimi, ex Salomonis persona differentis, fœtum esse statuat. Ego vero Salomonis esse præcise nego: nec enim tam augustum sacræ antiquitatis monumentum, tamdiu, tantisque in tenebris jacuisse posse puto, ut aut Judæorum recentiorum ac veterum diligentiam effugeret, aut priscorum Ecclesiæ Patrum, aut piorum hominum, aut doctorum denique, tam sedula cura scrutantium quæcunque ad sacra studia promovenda pertinerent. Nam quis putet tam venerandas sacrorum Codicum reliquias nulla aura afflavisse Origenem, aut Pamphilium, aut Eusebium, aut Hieronymum, qui tanto studio prisca sanctorum Voluminum exemplaria & interpretationes undique comparaverant? Tutius utique credi potest, Helleniste alicujus opus esse, hominis in Librorum sacrorum lectione detriti, plurimaque cum ex Davidicis Psalmis, tum ex Jsaia, & Ezechiele, & aliunde etiam

ad

Digitized by Google

ad id opus mutuati. Ejusmodi enim figmentis sæpe industriam suam exercuisse Hellenistas eruditi sciunt. Tempus assignare promtum non est : aliquanto tamen post Christi tempora scriptum reor ; alioquin ad notitiam sanctorum Patrum perveniſſet. Salomonis autem personam Auctor assumsit, quod Psalmos complures a Salomone scriptos intercidisse sciret : non ut Lectoribus faceret fucum, & ab incautis pro genuina Salomonis lucubratione haberi vellet, sed ut se ad imitationem Salomonis componeret, & ea ex illius persona proferret, quæ ipse proferre potuisset. Id indicat lemma istud, ψαλμὸς τῷ σαλομών. *(Psalmus, Salomonicus.)* Non enim hic titulus, ut dixi, Salomonis hunc esse Psalmum ostendit, cui præfixus est, sed Salomoni esse adscriptum, ejusque personæ accommodatum. Quod autem a Judæo proficisci hoc opus potuisse negat Cerdanus, quia quæ de Christo vaticinatur, religionem Christianam adversus Judæos firmant, de nihilo est ; nam & ei quem expectant Messiæ eadem Judæi tribuunt, & in Prophetarum libris similia reperiuntur. Quod de octodecim illis Psalmis a me dictum est, idem de eo Psalmo dicendum arbitror, quem extra centum & quinquaginta Canonicorum numerum exhibent editiones Septuaginta interpretum, & Horologia Græcorum, quemque Synopseos Auctor commemoravit, aliis de eo altum silentibus.

DE LIBRO PROVERBIORUM.

I. *Disputatur de Auctore libri Proverbiorum. Variæ opiniones proponuntur.* II. *Compositio Libri hujus, unius esse videtur Salomonis, compilatio multorum posterioris ævi, ordo & constructio Esdræ.* III. *Probatur eorum γνησιότης & antiquitas.* IV. *Refelluntur argumenta Adversariorum. Primum argumentum.* V. *Secundum argumentum.* VI. *Tertium argumentum.*

Disputatur de Auctore libri Proverbiorum. Variæ opiniones proponuntur.

I. HActenus per nubila fere & caliginem sanctorum Codicum Auctores internovimus : sic tamen ut etiam agnoverimus : Nunc vel perplexarum disquisitionum tricas eluctati, vel primævæ & obscuræ vetustatis prætergressi tenebras, in luce deinceps paulo majori versabimur, nobisque Scriptores sacri se ipsi apertius cognoscendos dabunt. Libri quidem Proverbiorum auctorem se in fronte operis profitetur Salomon : *Parabolæ*, inquit, *Salomonis, filii Davıd, regis Israel.* Tum ab his verbis initium ducit vicesimum quintum caput : *Hæ quoque Parabolæ Salomonis, quas transtulerunt viri Ezechiæ, regis Juda :* quæ sic intelligo, sequentes Parabolas esse quoque Salomonis, itidem ut superiores ; verum a viris Ezechiæ fuisse collectas & descriptas ; non & præcedentes, quod existimavit Interpres Arabs. Id enim sonat Ebraica dictio & ita intellexerunt Interpretes Septuaginta, & Thargum, & R. Levi ben Gerson. Deinde quorsum notationem hujusmodi in isto locum infarsissent, cum præfigi debuisset decimo capiti, quod Parabolarum initium est, si ad omnes æque Parabolas pertinuisset ? Viri Ezechiæ, hoc est ministri, ii videntur fuisse Eliacim filius Helciæ, Sobna scriba, Johae filius Asaph, a commentariis, & ipse etiam fortasse Isaias Propheta ; quem R. Moses Kimchi, aliorum Judæorum opinionem secutus, non Proverbia solum, sed & Ecclesiasten, & Canticum Canticorum scripsisse affirmat. Tricesimi deinde capitis hoc exordium est : *Verba Congregantis filii Vomentis :* cum ita reddi debeat : *Verba Agur filii Jake : Prophetiam dixit vir ad Ithiel, ad Ithiel & Uchal.* Unde liquet aliam quoque esse hanc Proverbiorum mantissam, ab Agure γνωμολόγῳ collectam. Nomen ipsius in Septuaginta interpretum editione præfixum non est iis verbis, quæ illi adscribuntur : at genuinum tamen est, cum in Ebraico exemplari, & in Vulgata, & in Thargum, & in Syro Interprete occurrat. Hunc fuisse sapientem aliquem inter Ebræos Magistrum tempore Salomonis censet Aben Ezra, quod nulla probabili ratione nititur. Salomonem ipsum fuisse affirmant R. Nathan in Avoth, & R. Levi ben Gerson. Perperam utique, nam de se ait Agur : *Stultissimus sum virorum, & sapientia hominum non est mecum : non didici sapientiam, & non novi scientiam sanctorum.* Prov. 30, 2. 3 Quæ nullo pacto convenire possunt Salomoni de se hæc prædicanti in Ecclesiaste : *Ecce magnus effectus sum, & præcessi omnes sapientia, qui fuerunt ante me in Jerusalem ; & mens mea contemplata est multa sapienter, & didici.* Eccl. 1, 16. Crediderim potius sequiori eum ævo vixisse sub regibus Judæ, & ex magna Salomonicarum Parabolarum

rabolarum congerie collegiſſe aliquot, & pro captu digeſſiſſe; præfixo nomine ſuo ac elogio, quo quam abjecte de ſe, contemtimque ſentiret, declarare voluit. Sequuntur Lamuelis regis præcepta, quæ ab ultimi capitis initio exordiuntur; &, ut conjicio, in nono verſu deſinunt: nam cum reliqua capitis pars in mulieris fortis laudes excurrat, & in priori referat Lamuel, quicunque tandem ille ſit, quæ a matre acceperat, veriſimile non eſt mulierem illam, fortem quoque ipſam ac prudentem, ut vel ex his præceptis exiſtimari poteſt, mulieris prudentis præconia celebraſſe; quod perinde fuiſſet, ut ſi ſe ipſa laudibus exornaſſet. Præterea poſterior illa pars capitis a priore disjuncta in editione Septuaginta Interpretum reperitur. Denique Ebraicorum elementorum ordinem primæ ſingulorum verſuum literæ ſequuntur; & ut docet Auctor Commentariorum in Threnos Jeremiæ, qui tribuuntur Hieronymo, tetrametris jambicis concluduntur, cum nihil tale in ſuperioribus occurrat. Quis ſit ille Lamuel, multum diſputant Interpretes. Quidam Ezechiam eſſe putant, a matre Abia Zachariæ filia eruditum: R. Nathan in Avoth, aliique plures, Salomonem: quibus ut aſſentiar efficiunt iſta his conſimilia e quarto capite Proverbiorum: *Nam & ego filius fui patris mei tenellus, & unigenitus coram matre mea; & docebat me atque dicebat; Suſcipiat verba cor tuum, cuſtodi præcepta mea & vives.* Prov. 4, 3-4. Quid mirum autem, ſi ex aſſiduo cum Davide convictu tantum ſapientiæ Bethſabea hauſerit? Fieri autem potuit ut Lamuelis nomine Salomon a matre appellaretur, quemadmodum Moſem Ebræi tradunt a parentibus & propinquis diverſa nomina habuiſſe. Veruntamen, ne quid diſſimulem, ex vitiatis & male acceptis lemmatis hujus verbis, nomen Lamuelis prodiiſſe non vana prorſus ſuſpicione conjici poſſe puto. Sic enim Septuaginta Interpretes: ὅτι ἐμοὶ λόγοι ἔρρηται ὑπὸ θεοῦ. βασιλέως χρηματισμὸς, ὃν ἐπαίδευσεν ἡ μήτηρ αὐτοῦ. *Sermones mei a Deo dicti ſunt. Reſponſum Regis, quem erudivit mater ſua.* Neque verſu quarto ſequenti Lamuelis exhibent nomen. Alii Interpretes, Syrus, Aquila, Theodotion, & Symmachus, in eodem referendo multum diſcrepant. Laudes porro illas mulieris fortis ſubjeciſſe Salomonem ipſum reor maternis præceptis, quaſi minerval & honorarium, propter doctrinam ab ea ſibi traditam. Quod autem ex viceſimo tertio verſu viceſimi quarti capitis, ubi hæc occurrunt verba: *Hæc quoque ſapientibus*, conjectant quidam, ſequentes Paraholas a ſapientibus aliquibus Ebræorum Magiſtris poſt Salomonem fuiſſe excogitatas & editas, ac ſi ſenſus ſit: Hæc quoque ſunt ſapientum; id mihi non probatur. Pluris eſt apud me Interpretatio Septuaginta Senum, quæ eſt hujusmodi: ταῦτα δὲ λέγω ὑμῖν τοῖς σοφοῖς ἐπιγινώσκειν, αἰδοῦσθαι πρόσωπον ἐν κρίσει καλόν. Ubi τὸ αἰδοῦσθαι adventitium videtur, & extrinſecus intruſum: cum ita ad Ebraici exemplaris fidem omnino legendum ſit: ταῦτα δὲ λέγω ὑμῖν τοῖς σοφοῖς. ἐπιγινώσκειν πρόσωπον ἐν κρίσει καλόν. *Hæc autem dico vobis ſapientibus: cognoſcere perſonam in judicio non eſt bonum.* Sic legerunt Aquila, Theodotion, & Symmachus. Firmatur hæc Septuaginta Senum interpretatio pari allocutione, quæ apud eosdem extat paulo ſuperius: τάδε λέγει ὁ ἀνὴρ τοῖς πεποιθόσι θεῷ. *Hæc dicit vir iis qui Deo confidunt.* Eamdem ſequuntur & Chaldæus Interpres, & Syrus, & Arabs, & Vulgatus.

II. Utcunque ſe res habet, manifeſtum eſt hanc Parabolarum collectionem non ſimul ac ſemel fuiſſe compilatam, ſed variis temporibus, partim ante Ezechiam, partim Ezechiæ temporibus, partim & Aguris illius. Sic enim exiſtimo, cum ter mille Parabolas ſcripſiſſet Salomon, integram earum collectionem ante captivitatem Babylonicam in Templi tabulariis, & in doctorum piorumve hominum muſæis fuiſſe ſervatam: plurimos quoque ex ingenti hoc numero aliqua in ſuos uſus excerpſiſſe, quædam etiam memoriæ commendaſſe. Crematis deinde in clade Hieroſolymitana codicibus, quibus deſcriptæ continebantur univerſæ Salomonis Parabolæ, cum Scripturarum ſacrarum diſperſas deinde reliquias Esdras in patriam redux colligere inſtituiſſet, ex ingenti Parabolarum numero aliquot tantum particulas, vel fortuito, vel ſtudioſorum aliquorum, ſanctorumve virorum diligentia, vel quod verius eſt certo Dei nutu flammis exemtas nactus eſt. Ac priora quidem viginti quatuor capita crediderim operis totius fuiſſe exordium; quale in ipſo Salomonis exemplari habebatur. Suadet id rerum ordo & contextus. Tu modo poſtremos viceſimi quarti capitis verſus excipias

Compoſitio Libri hujus unius eſſe videtur Salomonis, compilatio multorum poſterioris ævi, ordo & conſtructio Esdræ.

Digitized by Google

excipias, qui cum reliquis capitibus sede sua moti variis trajectionibus laborant. Reliqua ex superstitibus, quæ reperiri ab Esdra potuerunt, compilationibus illuc adjecta sunt. Igitur totius Proverbiorum libri unus Salomon auctor vere dicendus est: & priora quidem viginti tria capita, cum viginti duobus primis versibus capitis vicesimi quarti, nulla sui parte multata sunt; sed talia extare videntur, qualia a Salomone descripta fuerunt. Reliquorum septem capitum compilatio, cum postrema vicesimi quarti parte, ex multorum scriniis petita est, & Parabolis hinc inde ex toto Salomonis opere excerptis constat. Partium illarum collocatio, & in Librum hunc quem habemus constructio, Esdræ est, vel Synagogæ magnæ potius, cujus auctoritate Esdras sacrorum Librorum recensum egit. De sola illa parte quæ Aguris est, oboriri potest suspicio: sed & hanc quoque Salomonis esse minime dubitabit, quisquis reputabit cum animo suo, ad tanti Regis & tanto cultu ac veneratione inter Ebræos habiti effata non passuros fuisse gentis illius Magistros obscuri hominis sententias adjungi. Scio suspicatos esse nonnullos, non omnes illas sententias repertorem habuisse Salomonem, sed ex vetustiorum Scriptorum libris ab eo fuisse descriptas; quod nulla causla dictum est: nec enim video quamobrem sapientissimo & eruditissimo Regi, ac divinis dotibus instructissimo, Parabolarum aliquot inventionem invideamus. Jam vero ad Septuaginta Senum interpretationem quod spectat, in qua ultimorum septem capitum, cum vicesimi quarti parte postrema, ordo miris modis perturbatus est & confusus, factum id reor propter disjunctionem versuum & sententiarum, quæ ita discretæ sunt ab invicem, ut altera alterius opem minime poscat. Hinc evenisse puto, ut earum alio alioque ordine pro libitu suo disponendarum licentiam sibi Helleniſta aliquis sumserit, in postremis præsertim capitibus; quorum dispositionem Salomonis non esse cum vulgo notum esset, idem licere sibi credidit, quod in his alii jam sarcinatores attentaverant. Ex aliquo igitur hujus generis codice, atque ita ab Helleniſtis perverso propagata esse arbitror, quæ supersunt, Septuaginta Interpretum exemplaria; quamvis ipsos in primigenia sua scriptione Ebraicorum codicum ordinem affectatos esse non dubitem.

III. Bene vero est quod ex hac Parabolarum adjectione opinioni nostræ accedit robur, verusque Libri auctor deprehenditur. Nam cum sic ordiatur vicesimum quintum caput: *Hæ quoque Parabolæ Salomonis, quas transtulerunt viri Ezechiæ regis Juda*, quod & in Ebraico exemplari legitur, & in Septuaginta Senum interpretatione, omnino hinc efficitur, & superiores Parabolas fuisse Ezechia antiquiores, & a Salomone esse profectas; & eas quæ sequuntur ad initium usque tricesimi capitis, Ezechia haudquaquam esse recentiores. Operis præterea ætatem indicat comma istud e libro Ecclesiastis, quem post Parabolas a Salomone compositum esse Rabbini consentiunt: *Cumque esset sapientissimus Ecclesiastes, docuit populum, & enarravit quæ fecerat, & investigans composuit Parabolas multas.* Quibus consonat & istud e tertio Regum: *Locutus est quoque Salomon tria millia Parabolas.* Atque id ad hunc tantummodo, quem habemus, Parabolarum librum referendum esse vult Hieronymus in Quæstionibus Ebraicis: *Locutus est*, inquit, *Salomon tria millia Parabolarum. In Proverbiis enim versus nongenti & quindecim continentur, in quibus etiam continentur tria millia Parabolæ.* Aliter Josepho visum est, qui Parabolarum libros ter mille a Salomone scriptos ait; atque eos in Hierosolymitano deinde excidio flammis periisse Rabbini docent. Plane Scripturæ ipsi repugnat Josephus, quæ non ter mille Parabolarum libros, sed Parabolas ter mille a Salomone conscriptas esse docet: neque tamen Hieronymo assentior, qui eo quem habemus Proverbiorum libro ter mille Parabolas putat contineri. Rationem ducat attentus Lector, & arbitrium faciat. Credi satius est, quod dixi, magnum Parabolarum numerum temporis injuria periisse. Ex hoc præterea Libro in alios posterioris ævi Codices sacros sententias aliquot & Parabolas videmus fuisse traductas. Velut illa, quæ habetur Proverbiorum decimo septimo capite: *In facie prudentis lucet sapientia: oculi stultorum in finibus terræ*, in Ecclesiastis librum [illegible] semel translata est. Translata & illuc est ita e vicesimo sexto capite: *Qui fodit foveam, incidet in eam.* Hæc quæ jacet in primo Proverbiorum capite: *Pedes eorum ad malum currunt, & festinant ut effundant sanguinem*, tota apud Isaiam reperitur. In Ecclesiasticum vero tot indidem

Probatur ejus γνησιότης & antiquitas.

Eccl. 12. 9.

3. Reg. 4. 32.

Joseph. Antiq. l. 8. c. 2.

3. Reg. 4. 32.

Prov. 17. 24. Eccl 2. 14. & 8. 1.

Prov. 26. 27. Eccl. 10. 8.

Prov. 1. 16.

Isa. 59. 7.

Digitized by Google

sententias deprompsit Sirachides, ut singula adnotare, hominis sit tempori suo non satis
Prov.26,10. parcentis. Talis ea est e decimo Proverbio-
Eccl.27,25. rum capite: *Qui annuit oculo, dabit dolorem: & stultus labiis verberabitur:* & ista e capite
Prov. 12,9. duodecimo: *Melior est pauper & sufficiens sibi,*
Eccl.10,30. *quam gloriosus & indigens pane:* & paulo
Prov. 12,11. post: *Qui operatur terram suam, satiabitur*
Eccl.20,30. *panibus:* necnon & illa e decimo septimo
Prov. 17,2. capite: *Servus sapiens dominabitur filiis stul-*
Eccl.10,28. Prov. 18,13. *tis:* & illa e capite decimo octavo: *Qui prius*
Eccl. 11,8. *respondet quam audiat, stultum se esse demonstrat & confusione dignum:* & hæc e capite
Prov. 21,19. vicesimo primo: *Melius est habitare in terra*
Eccl. 25,22. *deserta, quam cum muliere rixosa & iracunda:*
Prov. 22, 1. & hæc quoque e vicesimo secundo capite:
Eccl. 7,2. *Melius est nomen bonum, quam divitiæ multæ:*
nec multo post; *Qui pronus est ad misericor-*
Prov. 22,9. Eccl. 31,28. *diam, benedicitur; de panibus enim suis dedit*
Prov. 23,13. *pauperi:* & ista quoque e sequenti capite:
Eccl. 30,1. Prov. 27,20. *Noli subtrahere a puero disciplinam: si enim*
Eccl. 14,10. *percusseris eum virga, non morietur:* & hæc
Prov. 27,10. Prov. 30,21. denique e vicesimo septimo capite: *Oculi*
22. *omnium insatiabiles.* Reliquas prætermitto.

Transeamus ad Ethnicos Scriptores, in quibus nec pauciora, nec obscuriora deprehenduntur ex libro Proverbiorum arcessita testimonia. Hinc expressit illud Theognis, quod
Prov. 13,20. extat decimo tertio capite; *Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit:* & hoc Sophocles e capite decimo nono: *Divitiæ addunt ami-*
Prov. 19,4. *cos plurimos;* & istud etiam capite vicesimo
Prov. 14,21. quarto: *Time Dominum, fili mi, & regem.* Euripideum illud de Pace: γθονὶ δ' ἐχθρὰ, τέρπετον δ' ἐυπαιδία, ubi videtur postulare sensus, ut legatur, τέρπετον δὲ παιδί. *Luctibus inimica est; hilaritate autem gaudet:* illud, in-
Prov. 12,20. quam, simile hujus est e Proverbiorum duodecimo capite: *Qui pacis ineunt consilium, sequitur eos gaudium.* Meretricem foveam
Prov. 23,27. esse profundam dixerat Salomon: hinc Anaxilaus de Phryne: ἡ δὲ φρύνη τὴν χάρυβδιν οὐχὶ πόρρω πω ποιεῖ. *Phryne autem Charybdin non*
Euf. Præp. l. 12. *procul præstat.* Eusebius assumtum esse in septimum Platonis librum de legibus demonstrat istud: *Memo[illegible] justi cum laudibus & nomen impiorum put[illegible]et;* quod legitur ca-
Prov. 10,7. pite decimo libri Proverbiorum: in tertium
Prov. 30,8. vero de republica illud: *Mendicitatem & divitias ne dederis mihi;* quod habetur tricesi-
Hor. Carm. l. 2. Od. 10. mo capite, quodque Alexis Comicus & Horatius in carmina sua transtulerunt. Quod qui aliena rapiunt, semper in egestate futuros pronuntiasset Salomon in Proverbiis, hinc
Prov.12,24. Menander raptores sæpe cum dedecore repulsum & multatum iri ait. Quod invidiam putredinem ossium appellasset, hinc φθόνον
Prov.14,30. σηπτικὸν νεῦ φθισικὸν, *invidiam quæ putredinem & labem inducit*, dixit Menander. Timeri idem jubet servi imperium, quod & capite Proverbiorum tricesimo jusserat Salomon.
Prov.30,22. Quod de antiquitate Sapientiæ capite octavo prædicat, id apud Eusebium repetit Aristobulus, qui Ptolemæi Philometoris tem-
Euf.Præp. l. 13. poribus floruit. Istud ejusdem effatum: *Qui accipit mutuum, servus est fœnerantis,* a
Prov. 22, 7 Græcis & Latinis usurpatum est. Usurpatum & istud: *Mulierem fortem quis inve-*
Prov. 31, 10. 13. *niet?* & id quodque: *Quæsivit lanam & li-*
Mus. Lap. l. 1. Mem. 27. *num,* in vetusto mulieris fortis elogio laudi datum videmus. Sed neque hic omittendum, quod legitur in libro Juchasin, Aristotelem librorum Salomonis, opera Alexandri, compotem factum, multa ex iis decerpsisse, suosque exornasse.

IV. Facit ad dignitatem & existimationem Libri hujus, quod fere nullis impiorum hominum argumentis est oppugnatus. Unis, quod equidem sciam, Rabbinis, qui credita sibi esse jactant eloquia Dei, in dubium vocatus est, ac fere e sacrorum Librorum censu expunctus: & fecissent, si non aliqua in eo essent nacti, quæ ad Legis commendationem opportuna esse judicarunt. Id in Thalmude, tractatu Sabbathi, secundo capite, diserte scriptum extat. Verum quod inde conflari potest argumentum, indidem dissolvitur: nam quod id facere cogitarunt, nec fecerunt tamen, indicio est nefariam ipsorum voluntatem vi veritatis fuisse oppressam, & utrimque pensitatis rationibus Libri tandem γνησιότητα & sanctitatem eos agnovisse.

Refelluntur argumenta Adversariorum. Primum argumentum.

V. Temperare mihi non possum, quin hic Disputatoris Theologo-Politici veternum excutiam, qui Proverbia hæc collecta fuisse putat tempore secundi Templi, vel certe Josiæ regis; hoc argumento, quod capite vicesimo quarto dicatur: *Hæc etiam sunt Salomonis Proverbia, quæ transtulerunt viri Ezechiæ, regis Juda.* Quia quædam Salomonis Proverbia ab Ezechiæ regis viris sunt collecta, hinc concludit acutus ille Philosophus collecta ea esse secundi Templi, vel Josiæ certe regis ævo. Cui pro responsione bonam mentem precamur.

Secundum argumentum.

VI. Notabile porro illud est, apud vetustos

Tertium argumentum.

Digitized by Google

stos Ecclesiæ Patres eodem vel σοφίας vel πανσόφου σοφίας, vel πανσόφου nomine assici, & librum illum Proverbiorum, & Ecclesiasten, & Canticum quoque Canticorum nec non & librum Sapientiæ, & Sirachidæ Ecclesiasticum, ut erudite nuper demonstravit doctissimus Joannes Baptista Cotelerius, in Notis ad Epistolas Clementis. Thalmudistæ quidem libros Proverbiorum, & Ecclesiastis appellant, שנים מפרי חכמה, *duos libros sapientiæ*: quod & Maimonides expressit in Jad Chazacah, libro de fundamentis Legis: unde videtur effici incertas esse & ancipites Librorum illorum circumscriptiones, qui uno eodemque signantur titulo; & minorem eorum esse dignitatem, quibus promiscua est & communis inscriptio cum Sapientia & Ecclesiastico, quorum controversa fuit & dubia auctoritas. Quibus tantum abest, ut Libri hujus, ac Ecclesiastis, & Cantici elevetur fides, ut inde potius accrescat, eosque Salomonis esse pateat. Sic enim existimo, & verisimillimum est, omnibus Salomonis scriptionibus Sapientiæ nomen fuisse præfixum, quod Salomon ipse Sapiens cognominae appellaretur. Porro & Ecclesiasticus fœtus esse Salomonis a multis creditus est, & vere ex ipsius doctrina ac scriptis provenisse infra a me demonstrabitur.

Thalm. in Bab. bathr. Maim. de fund. Leg. c. 6. §. 12.

DE LIBRO ECCLESIASTIS.

I. *Disputatur de Auctore libri Ecclesiastis. Variæ opiniones proponuntur. Salomoni adscribitur.* II. *Probatur ejus γνησιότης & antiquitas.* III. *Refelluntur argumenta Adversariorum. Primum argumentum.* IV. *Secundum argumentum.* V. *Tertium argumentum.* VI. *Quartum argumentum.* VII. *Quintum argumentum.*

Disputatur de Auctore libri Ecclesiastis. Varie opiniones proponuntur. Salomoni adscribitur. Grot. in Eccl. 1. & 12. 11. Eccl. 2. 16.

I. A Vulgata doctorum hominum, recentium ac veterum, sententia, qui librum Ecclesiastis Salomoni tribuunt, recessit Grotius, & eum Zorobabeli adscripsit. Thalmudistæ vero capite primo Babæ bathræ, ab Ezechia lucubratum volunt, quem de se putant locutum his verbis, quæ Librum inchoant: *Verba Ecclesiastæ, filii David, regis Jerusalem:* cum Zorobabelem ex persona Salomonis hæc pronuntiasse Grotius pertendat. Verum ut id Ezechiæ accommodari posse demus, eane itidem ipsi poterunt convenire: *Locutus sum in corde meo dicens: Ecce magnus effectus sum, & præcessi omnes sapientia, qui fuerunt ante me in Jerusalem?* Num Salomonem Ezechias sapientia præcessit? Quomodocunque salvant ista, aut ad sententiam suam flectant; qui ex insigni ista se clausula expedient: *Cumque sapientissimus esset Ecclesiastes, docuit populum & enarravit quæ fecerat, & investigans composuit Parabolas multas: quæsivit verba utilia, & conscripsit sermones rectissimos ac veritate plenos?* Quibus hæc adde: *Cuncta tentavi in sapientia: dixi, Sapiens efficiar:* & hæc quoque: *Et apposui cor meum, ut scirem sapientiam:* nec non & ista: *Inveni amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum est, & sagena cor ejus; vincula sunt manus illius;* & ista etiam: *Magnificavi opera mea, edificavi mihi domos, & plantavi vineas, feci hortos & pomaria, & consevi ea cuncti generis arboribus, & extruxi mihi piscinas aquarum, ut irrigarem sylvam lignorum germinantium; possedi servos & ancillas, multamque familiam habui, armenta quoque & magnos ovium greges ultra omnes qui fuerunt ante me in Jerusalem; coacervavi mihi argentum & aurum, & substantias regum & provinciarum: feci mihi cantores, & cantatrices, & delicias filiorum hominum, scyphos & urceos ad vina fundenda, & supergressus sum opibus omnes qui ante me fuerunt in Jerusalem; sapientia quoque perseveravit mecum.* Quæ in Salomonem ita quadrant, ut expressius notari non potuerit: nam toties iterata illa sapientiæ ab eo affectatæ laus, unius illius propria est, & velut χαρακτηρισμὸν ἰδίωμα (*nota peculiaris & propria, qua ab aliis discernitur*) Testis Deus ipse, cujus hæc verba sunt ad Salomonem: *Ecce feci tibi secundum sermones tuos, & dedi tibi cor sapiens & intelligens, in tantum ut nullus ante te similis tui fuerit, nec post te surrecturus sit. Sed & hæc quæ non postulasti, dedi tibi, divitias scilicet & gloriam, ut nemo fuerit similis tui in regibus, cunctis retro diebus.* Ergo in Libro eodem hoc ornatur elogio: *Et præcedebat sapientia Salomonis sapientiam omnium Orientalium & Ægyptiorum, & erat sapientior cunctis hominibus.* Libros scripsit & Parabolas Salomon, uti scripsisse dicitur in Ecclesiaste. Damnosas quoque mulierum illecebras, quas ibidem criminatur, expertus est: *Cumque jam esset senex, depravatum est cor ejus per mulieres, ut sequeretur*

Eccl. 12, 9. 10. 3. Reg. 3. 12. 13. 3. Reg. 4. 30. 31. 3. Reg. 11. 4.

Digitized by Google

tur Deos alienos. Quæ notæ ad Ezechiam haudquaquam aptari possunt: Multo etiam validius ex his confutatur R. Mosis Kimchi sententia, qui Judæos aliquot affectatus, confectionem Libri hujus Isaiæ adscripsit.

II. Sed & sequentibus proxime seculis cognitus hic Liber & usurpatus est. Nam pronuntiati istius e primo capite: *Generatio præterit, & generatio advenit*, germanum illud est Sirachidæ: *Generatio alia finitur, & alia nascitur.* Sententia hæc Ecclesiastis: *Non est enim homo justus in terra, qui faciat bonum & non peccet*, Salomoni tribuitur in libro Regum. Multa ex eodem libro Ecclesiastis ad Ethnicos manasse a Grotio observatum est. Nam Sirachida antiquior Homerus cum dixit: *σὺν τε δύ' ἐρχομένω, Duo simul euntes*, annon respexisse videtur ad illud Ecclesiastis: *Melius est ergo duos esse quam unum?* Theognis cum dixit:

ἐρχὸν μὲν μὴ φῦναι ἐπιχθονίοισιν ἄριστον.
φύντα δ' ὅπως ὤκιστα πύλας ἀΐδαο περῆσαι.

Optimum hominibus omnino non nasci,
Natum vero quam citissime portas Orci penetrare.

referre eum voluisse dicas hæc Ecclesiastis: *Et laudavi magis mortuos quam viventes, & feliciorem utroque judicavi qui nec dum natus est:* atque item ista: *Melior est dies mortis die nativitatis:* quod effatum Euripides quoque usurpavit. Qui cum scriberet:

ὦ λαμπρὸς αἰθὴρ, ἡμέρας ἁγνὸν φάος
ὡς ἡδὺ λεύσσειν.

O lucidum æthera! diei purum lumen
Cernere quam suave est!

& rursum: ἡδὺ γὰρ τὸ φῶς βλέπειν, *Suave enim est lucem cernere:* nonne ipsis fere verbis rependit illud Ecclesiastis: *Dulce lumen, & delectabile est videre Solem?* Horatianum denique istud:

Quid sit futurum cras, fuge quærere; &
Quem fors dierum cunque dabit, lucro
Appone:

& rursum hoc:

Tu ne quæsieris scire, nefas, quem mihi, quem tibi
Finem Dii dederint, Leuconoe:

numquid ex hoc expressum dicas: *Quid necesse est homini majora se quærere, cum ignoret quid conducat sibi in vita sua, numero dierum peregrinationis suæ, & tempore quod velut umbra præterit? aut quis ei poterit indicare quid post eum futurum sub sole sit?* Tum ad istud etiam capitis sequentis: *Laudavi igitur lætitiam, quod non esset homini bonum sub Sole, nisi quod comederet, & biberet, atque gauderet; & hoc solum secum auferret de labore suo in diebus vitæ suæ, quos dedit ei Deus sub Sole:* allusisse videtur eadem Ode Horatius:

Sapias, vina liques, & spatio brevi
Spem longam reseces: dum loquimur, fugerit invida
Ætas: carpe diem quam minimum credula postero.

Quibus & ista ejusdem consonant:

Ille potens sui,
Lætusque deget, cui licet in diem
Dixisse, vixi; cras vel atra
Nube polum, pater, occupato,
Vel sole puro.

III. At gravissimis argumentis Libri hujus oppugnatur dignitas & γνησιότης, quorum validissimum cuditur ex allatis proxime verbis, quibus ad vitam belluarum ritu transigendam incitantur homines, & ad fruendas voluptates, quæ ex gustu, aliisque corporeis sensibus percipiuntur: quasi sit unicus ille vitæ fructus, neque aliud laborum suorum ac virtutis præmium homo sperare possit. Quod non semel hoc Libro iteratum reperias. Sed & hæc graviora: *Idcirco unus interitus est hominis & jumentorum, & æqua est utriusque conditio: sicut moritur homo, sic & illa moriuntur: similiter spirant omnia, & nihil habet homo jumento amplius. Cuncta subjacent vanitati, & omnia pergunt ad unum locum: de terra facta sunt, & in terram pariter revertuntur. Quis novit si spiritus filiorum Adam ascendat sursum; & si spiritus jumentorum descendat deorsum? & deprehendi nihil esse melius quam lætari hominem in opere suo, & hanc esse partem illius. Quis enim eum adducet, ut post se futura cognoscat?* Similia sunt isthæc: *Viventes enim sciunt se esse morituros; mortui vero nihil noverunt amplius, nec habent ultra mercedem, quia oblivioni tradita est memoria eorum:* & ista quoque: *Quodcunque facere potest manus tua, instanter operare; quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud Inferos, quo tu properas.* Quæ sunt ejusmodi, ut prisci Ebræorum Rabbini non tantum in Thalmudici libri ברכות capite tertio, ausi sint dicere Ecclesiasten manus contaminare, sed de eo etiam repudiando penitus & abjiciendo

Probatur ejus γνησιότης & antiquitas.
Eccl. 1, 4.
Eccl. 14, 19.
Eccl. 7, 21.
3. Reg. 8, 46.
Hom. Iliad. κ.
Eccl. 4, 9.
Eccl. 4, 2.
Eccl. 7, 2.
Eccl. 11, 7.
Hor. Carm. l. 1. Od. 9.
Hor. Carm. l. 1. Od. 11.
Eccl. 7, 1.
Eccl. 8, 15.
Hor. Carm. l. 3. Od. 29.
Refelluntur argumenta Adversariorum. Primum argumentum.
Eccl. 3, 19. & seq.
Eccl. 9, 5.
Eccl. 9, 10.

ciendo aliquando deliberaverint; quemadmodum est in Thalmudico tractatu Sabbathi, secundo capite, & apud Maimoniden in More Nevochim, & Aben Ezram; nec alia re absterriti sint, quam quod initium Libri & finis Legi consentiant. Factum id ab iis narrat quoque Hieronymus. At Philastrius Hæreticos quosdam hinc habuisse causam scribit, quamobrem Librum rejicerent. Neque desunt hac ætate homines in sacris Voluminibus non tam vitiorum suorum medelam, quam impietatis patrocinium quærere soliti, qui his quæ mox adduximus verbis errores suos tueantur. Enimvero parum attente sunt in Libri hujus lectione versati: in quem si altius penetrassent, non ex sua sententia proferre ea Salomonem reperissent. Is enim est Ecclesiastæ scopus propositus, ut de finibus bonorum & malorum differat. Varias itaque statim ab initio profert opiniones, easque ad examen se suum revocasse, ac tandem repudiasse ait: & in ea demum acquievisse, quæ Deum timendum ac mandata ejus observanda esse tradit. Nam postquam prioribus quatuor capitibus argumentum id in varias excusit partes; tandem ita concludit: *Custodi pedem tuum ingrediens domum Dei, & appropinqua ut audias: multo enim melior est obedientia, quam stultorum victima, qui nesciunt quid faciunt mali. Ne temere quid loquaris, neque cor tuum sit velox ad proferendum sermonem coram Deo. Deus enim in cœlo, & tu super terram; idcirco sint pauci sermones tui. Multas curas sequentur somnia, & in multis sermonibus invenietur stultitia. Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere: displicet enim ei infidelis & stulta promissio, sed quodcunque voveris, redde. Ne dederis os tuum, ut peccare facias carnem tuam, neque dicas coram Angelo, Non est providentia: ne forte iratus Deus contra sermones tuos, dissipet cuncta opera manuum tuarum. Vbi multa sunt somnia, plurimæ sunt vanitates, & sermones innumeri: tu vero Deum time.* Quibus impiorum hominum susurros, & vanas adversus Deum, Deique providentiam disputationes aperte præcidit; Dei vero timorem ac reverentiam, tum & devoti Deo ac simplicis animi obsequium commendat. Septimo deinde capite sic disserit: *Lustravi universa animo meo, ut scirem, & considerarem, & quærerem sapientiam & rationem; & ut cognoscerem impietatem stulti, & errorem imprudentium. Ecce hoc inveni, dixit Ecclesiastes, unum & alterum, ut invenirem rationem, quam adhuc quærit anima mea, & non inveni. Solummodo hoc inveni, quod fecerit Deus hominem rectum, & ipse se infinitis miscuerit quæstionibus. Quis talis ut sapiens est, & quis cognovit solutionem verbi?* Tum sequenti capite: *Et apposui cor meum ut scirem sapientiam, & intelligerem distentionem quæ versatur in terra. Et intellexi quod omnium operum Dei nullam possit homo invenire rationem, eorum quæ fiunt sub Sole. Omnia hæc tractavi in corde meo, ut curiose intelligerem. Sunt justi atque sapientes, & opera eorum in manu Dei; & tamen nescit homo utrum amore an odio dignus sit, sed omnia in futurum servantur incerta.* Idem alibi: *Quomodo ignoras quæ sit via spiritus, & qua ratione compingantur ossa in ventre prægnantis, sic nescis opera Dei, qui fabricator est omnium.* Ex his agnoscitur de rerum caussis & finibus diu multumque animo suo disputasse Salomonem; quæcunque autem mente agitaverat, exposuisse hoc Libro; quorum omnium ea tandem est conclusio, inanes esse ac frivolas, damnosas etiam ac exitiales hujusmodi disquisitiones; non aliter vero sedatum iri motus illos animi ac fluctuationes, quam si nos supremo Dei arbitrio permittamus. Ex eo etiam quod repugnantia quædam attulerit hoc Libro, demonstratur varias ipsum de finibus rerum sententias proponere voluisse. Velut cum ait: *Melior est canis vivus leone mortuo:* supra tamen dixerat: *Et laudavi magis mortuos quam viventes, & feliciorem utroque judicavi qui nec dum natus est:* & alio loco: *Melior est dies mortis die nativitatis.* Scripsit quinto capite: *Hoc itaque visum est mihi bonum, ut comedat quis & bibat, & fruatur lætitia ex labore suo, quo laboravit ipse sub Sole:* contra vero septimo capite: *Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum convivii.* Scripsit alibi: *Lætare, juvenis, in adolescentia tua:* tum statim subjicit: *Adolescentia & voluptas vana sunt.* Quæ si omnia ex sua ipsius sententia Salomon definivisset, inconstantiæ ac levitatis merito argueretur. De exitu vero animæ, ejusque immortalitate ac futura vita quid opinatus sit, diserte ipse declarat his verbis: *Scito quod*

Hier. in fine Comm. in Eccl. c. 12.
Philastr. Hær. 130.
Eccl. 4, 17. & 5, 1. & seq.
Eccl. 7, 26. & seq.
Eccl. 8, 17. & 9, 1. 2.
Eccl. 11, 5.
Eccl. 9, 4.
Eccl. 4, 2.
Eccl. 7, 2.
Eccl. 5, 17.
Eccl. 7, 3.
Eccl. 11, 9. 10.

Eccl. 11, 9. *quod pro omnibus his adducet te Deus in judicium:* & iſtis quoque: *Antequam revertatur pulvis in terram ſuam unde erat, & ſpiritus redeat ad Deum qui dedit illum:* & his denique, in quibus totius diſputationis finem facit, & unde ipſius certo debet Eccl. 12, 13. ſpectari opinio: *Deum time, & mandata ejus obſerva; hoc eſt enim omnis homo: & cuncta quæ fiunt, adducet Deus in judicium pro omni errato, ſive bonum, ſive malum illud ſit.* Quæ quo majoris eſſent momenti in animis legentium, doctiſſimos viros a ſe conſultos eſſe, & ex eorum ſententia Librum a ſe con- Eccl. 12, 11. ſcriptum ait: *Verba ſapientum*, inquit, *ſicut ſtimuli, & quaſi clavi in altum defixi, quæ per magiſtrorum conſilium data ſunt a paſtore uno.* Conſuli jubeo ſuper hoc argumento Greg. M. Dial. 4. c. 4. Gregorium magnum, cujus hæc tantum afferam, cætera ſtudio Lectoris relinquam: *Hic liber idcirco Concionator dicitur, quia Salomon in eo quaſi tumultuantis turbæ ſuſcepit ſenſum, ut ea per inquiſitionem dicat, quæ fortaſſe per tentationem imperita mens ſentiat. Nam quot ſententias quaſi per inquiſitionem movet, quaſi tot in ſe perſonas diverſorum ſuſcipit. Sed Concionator verax, velut extenſa manu omnium tumultus ſedat, eosque ad unam ſententiam revocat, cum in ejusdem Libri termino ait: Finem loquendi omnes pariter audiamus: Deum time, & mandata ejus obſerva: hoc eſt enim omnis homo.*

Secundum argumentum. IV. Dixi ſuperius Librum hunc a Thalmudiſtis Ezechiæ acceptum ferri: cujus opinionis rationes cum quærerem, hæ mihi ad animum occurrebant: quod Regum quarto 4. Reg. 18, 5. de Ezechia hæc legantur: *In Domino Deo Iſrael ſperavit: itaque poſt eum non fuit ſimilis ei de cunctis regibus Juda, ſed neque in his qui ante eum fuerunt:* & iſta ſecundo Para- 2. Par. 32, 27. & ſeq. lipomenon: *Fuit autem Ezechias dives & inclytus valde, & theſauros ſibi plurimos congregavit argenti, & auri, & lapidis pretioſi, aromatum, & armorum univerſi generis, & vaſorum magni pretii; apothecas quoque frumenti, vini, & olei, & præſepia omnium jumentorum, caulasque pecorum, & urbes ædificavit ſibi; habebat quippe greges ovium & armentorum innumerabiles, eo quod dediſſet ei Dominus ſubſtantiam multam nimis:* & hæc 2. Par. 30, 26. libro eodem, de feſto Azymorum ab Ezechia celebrato: *Factaque eſt grandis celebritas in Jeruſalem, qualis in diebus Salomonis, filii David, regis Iſrael, in ea urbe non fuerat.* Ecclesiaſtes dicitur filius David; ita & Ezechias hoc ipſo Paralipomenon libro: *Fecitque quod erat placitum in conſpectu Domini, juxta* 2. Par. 29, 2. *omnia quæ fecerat David pater ejus.* קוהלת denique appellatus eſt, ſive ἐκκλησιαστὴς hoc eſt Canticonator; vel συναγωγιστὴς, hoc eſt, Qui congregat: quippe Ezechias, *Adduxit Sacerdotes atque Levitas, & congregavit eos in plateam orientalem*, & ad eos hæc verba fecit, quæ viceſimo nono capite libri ſecundi Paralipomenon referuntur: præterea *Perre-* 2. Par. 29, 4. & ſeq. *xerunt curſores ex ejus imperio, & principum ejus, in univerſum Iſrael & Judam, juxta id quod Rex juſſerat, prædicantes: Filii Iſrael revertimini ad Dominum*, aliaque ſubjungentes, quæ cum iſtis ſequenti Libri ejusdem capite recitantur. At cum a decem Tribubus, mandata regis Judæ ſpernentibus derriderentur curſores iſti, Regi ipſi a quo mittebantur, & cujus verbis populum alloquebantur, Concionatoris nomen per ridiculum & cavillum imponere potuerunt. His conjecturis, quantum ſuſpicione aſſequi poſſum, niti potuit Thalmudiſtarum opinio. Verum ut Librum hunc extorquerent Salomoni, Ezechiæ vero tribuerent, præter argumenta quibus Ezechiæ opus eſſe poſſe probant, alia afferenda erant, quibus Salomonis eſſe non poſſe probarent: quod non faciunt. Nos vero initio diſputationis hujus oſtendimus, iis ſignatum eſſe & expreſſum notis Libri hujus ſcriptorem, quæ uni Salomoni conveniunt. Quod ſi in cauſſæ ſuæ patrocinium Thalmudiſtæ afferant præfixam viceſimo quinto capiti Proverbiorum clauſulam, ſupra a me adnotatam, qua ſubnexæ Parabolæ a viris Ezechiæ collectæ eſſe & deſcriptæ dicuntur; nos reſpondebimus hac clauſula viris Ezechiæ, non Ezechiæ ipſi adſcribi Parabolarum quarundam collectionem, non compoſitionem: etiamſi vero earundem compoſitionem concederemus Ezechiæ, non recte inde colligi libri Eccleſiaſtis lucubrationem huic quoque eſſe tribuendam. Adde recentiores Rabbinos a Thalmudiſtis hac in parte diſcedere; quippe qui a Salomone adoleſcente ſcriptum doceant Canticum Canticorum, Proverbia ab eo jam ætate maturo; Eccleſiaſten vero ab eodem ſene, cum ipſum antæactæ vitæ, & ſcelerum muliebribus illecebris admiſſorum pæniteret. Unde prodiiſſe videtur

Digitized by Google

videtur tritum inter illos adagium, quod legitur in Jalkut; Hominem dum adoleſcens eſt, cantilenas funditare; dum vir, parabolas; ſenem factum, ſermones de vanitate rerum. Rationes cur libros illos Rabini adſcriberent Salomoni, optimas habuerunt; cur diverſis eorum confectionem ætatibus definirent, longe futiliſſimas; quod, inquiunt, Cantico nomen duntaxat ſuum intexuerit, in Proverbiorum fronte ſe Regem Iſrael; Regem vero in Jeruſalem initio Eccleſiaſtis ſe appellaverit; quæ Rabinicum ſalem ſapiunt. Dixiſſent Cantici argumentum, ſtilum, ac compoſitionem, juvenilis animi ſtudiis convenire; in Proverbiis virilem quamdam & conſtanti ætate dignam gravitatem apparere; in Eccleſiaſte, hominis longo rerum uſu ſubacti, ac humanæ vitæ rerumque mortalium vanitatem experti & edocti, & priſtinarum noxarum pœnitudine tacti, & ſenilem prudentiam adepti ſenſus eſſe expreſſos; nos quidem facile conſentientes haberent.

Tertium argumentum.

V. Quæ rationes ad Eccleſiaſten Ezechiæ adjudicandum valent, eæ ad oppugnandam Grotii ſententiam, quo Zorobabelem operis hujus conſtituit artificem, invalidæ ſunt: cum enim eum ex Salomonis perſona a Zorobabele ſcriptum doceat, minime in Zorobabele reperire neceſſe eſt, quæ de ſe Libri Auctor prædicat. Supereſt igitur ut argumenta perpendamus, quibus in eam ſententiam Grotius adductus eſt. Cum autem duo veniant probanda, alterum Salomonis non eſſe ſcriptionem hanc; alterum eſſe Zorobabelis, (nec enim probare ſatis eſſet opus eſſe Zorobabelis; nam ſi paris momenti argumentis probatur opus eſſe poſſe Salomonis, pluris eſſe debet poſtrema hæc ſententia, ut quæ non modo tot interpretum conſenſu, ſed ratione etiam nitatur; cum credibilius ſit, ut pote uſitatius, Librum a ſe elaboratum nomine ſuo auctorem inſcripſiſſe, quam alienum ei falſo præfixiſſe) Zorobabelis eſſe Grotius mera conjectura probavit, putare ſe dicens *Paſtorem*, qui *Verba ſapientium per magiſtrorum conſilium* collegiſſe ſe ait undecimo commate poſtremi capitis, eum eſſe Zorobabelem; filium vero ipſius Abiudem, quem verſu ſequenti alloquitur. Quæ cur ad Zorobabelem potius referat quam ad Salathielem, aut Eliacimum, aut alium quemcunque de poſteris eorum, cauſſam prorſus nullam video. Cur autem Salomoni Librum eriperet, hoc habuit argumentum, quod in eo multa occurrant vocabula, quæ non alibi quam in Daniele, Eſdra, & Chaldæis Interpretibus reperiuntur. Ego vero hanc peregrinarum vocum copiam a Salomone ipſo provenire potuiſſe reor; nam cum Librum ſcripſerit jam ſenex, ut Ebræi tradunt, & veriſimile eſt, eo jam tempore mulierum extranearum, Ægyptiarum, Moabitidum, Ammonitidum, Idumæarum, Sidoniarum, & Hethæarum ingentem numerum Hieroſolymam traduxerat, ſeſeque ita illis permiſerat, ut quæ priſtinos illos ritus & avitam inquinarunt religionem, mirum non ſit patriam quoque ipſius loquelam corrupiſſe; ad quam rem quantum muliebris ſexus valeat, quotidiana experientia compertum eſt. Ut omittam per mihi levem videri cauſſam, quamobrem ſacrorum Scriptorum patria aut ætas vocentur in dubium, cum novæ aliquæ & inuſitatæ dictiones in iis occurrunt. Ac ſi nobis omnes puri & ſinceri Ebraiſmi voces cognitæ ſint, quas ex ſola ſanctæ Scripturæ lectione perſpectas habere poſſumus; ac non ſæpe pro peregrinis habeamus, quæ vernaculæ fuerunt ac gentilitiæ. Vidit hoc pro ſolertia ſua Maimonidis filius, & confeſſus eſt. *Conſtat*, inquit, *nos hodie linguæ noſtræ* (Ebræam notat) *non usque adeo peritos eſſe; & modos ac rationes uniuscujusque linguæ eſſe varias ac multiplices.* Quot enim inter Ebræos vocabula fuiſſe putandum eſt, aſſiduo uſu contrita, ac penitus domeſtica, quæ a ſacris Scriptoribus nuſquam adhibita ſunt, quod eorum adhibendorum nulla ſe dederit occaſio? Quod ſi ex illis unus aliquis voces ab aliis neglectas uſurpaverit, ac eas deinde in Chaldaicis, ſi forte, aut Arabicis nanciſcamur ſcriptionibus, meritone idcirco aut Chaldæum, aut Arabem dicemus Scriptorem, qui vulgo Judæus fuerit habitus, aut recentiorem, qui antiquus? num potius eſt ut dicamus voces illas cum Chaldæis aut Arabibus Judæos habuiſſe communes, quorum inter loquelas magnam affinitatem fuiſſe certum eſt? Ergo ut de Scriptoris ætate aut patria certius ex loquela arbitrium fieri poſſit, non voculæ ſufficiunt aliquot, ſed ſtilus, locutiones, & alienarum dictionum numerus, ſpectanda ſunt. Atque hoc non de Eccleſiaſtis ſolum

Maimon. in More nev. Part. 2. c. 67.

Digitized by Google

folum libro, ſed de reliquis etiam Voluminibus ſacris dictum velim.

Quartum argumentum. Eccl. 8, 2.

VI. Ad noſtram opinionem labefactandam uſurpari quoque poteſt iſtud e capite Eccleſiaſtæ octavo: *Ego os Regis obſervo*, quod de ſe Salomon profiteri non potuit, qui Rex fuit, nec ullum ipſe Regem obſervandum habuit. Adhiberi hic poſſet Hieronymi expoſitio, non alium Regem quam Deum ipſum ſignificari cenſentis. Verum omnino legendum *obſerva*; ſic enim Interpretes Septuaginta: στόμα βασιλέως φύλαξον. *Os Regis obſerva.* Ita & Thargum, & Syrus, & Arabs; & hunc ſubeſſe ſenſum admonet ipſe Hieronymus. Quod autem Ebraica habent אני, de nihilo eſt: nec enim id ſibi vult, *Ego obſervo*, alioqui legendum foret, אני שומר, in Benoni; cum legatur אני שמר, in Imperativo: *Ego obſerva*, hoc eſt, *Ego tibi præcipio, ut obſerves*; nam accentus διακριτικὸς indicat ſejungendum eſſe אני a ſequentibus.

Quintum argumentum. Luth. ſerm. Conviv. de libr. Vet. & Novi Teſt.

VII. Minime vero hic ſeria reſponſione refellere dignum eſt, quod de Eccleſiaſte dixit Lutherus: *Eccleſiaſtes liber non eſt plenus; multa habet abrupta; neque ocreis, neque calcaribus indutus; hoc eſt nullam habet perfectam ſententiam: equitat in arundine longa ſicuti & ego, dum eram in monaſterio.* Quisquis enim animum attentum, Spiritus ſancti gratia, luce, & afflatu implorato, ad eum legendum appulerit, nihil in eo ſalebroſum, nihil abruptum, nihil inane aut imperfectum, ſed plena omnia & integra reperiet.

DE CANTICO CANTICORUM.

I. *Diſputatur de Auctore Cantici Canticorum. Variæ opiniones proponuntur. Salomoni adſcribitur, ejusque probatur γνησιότης & antiquitas.* II. *Refelluntur argumenta Adverſariorum. Primum argumentum.* III. *Secundum argumentum.* IV. *Tertium argumentum.* V. *Quartum argumentum.*

Diſputatur de Auctore Cantici Canticorum. Variæ opiniones proponuntur. Salomoni adſcribitur

I. Auctor Cantici Canticorum, qui Salomon eſſe tam certis deprehenditur argumentis, & tanto ſcriptorum omnium conſenſu agnoſcitur, in dubium tamen a nonnullis vocatus eſt. Thalmudiſtæ Ezechiæ, ipſiusque familiaribus adſcribunt, ut eſt in Baba bathra: quorum auctoritatem ſecutum conjicio R. Moſem Kimçhi, aliosque, qui ab Iſaia Propheta ex Canticis Salomonis excerptum illud fuiſſe ſuſpicati ſunt, ut pote qui inter Ezechiæ familiares cenſeri poſſit. At Rabbini recentioris ævi a Salomone ſcriptum eſſe ſtatuunt, cum juvenili floreret ætate, quæ ætas amoribus magis dedita eſt; uti Proverbia, cum grandior eſſet natu; Eccleſiaſten, cum jam conſenuiſſet, ſicut a me paulo ſuperius dictum eſt. Titulus quidem operis, cum in Ebraico exemplari, tum in Septuaginta Senum interpretatione, Salomonem auctorem indicat. Loquens inducitur Salomon cum Sulamitide, Sponſus cum Sponſa: quæ a Salomonis nomine Sulamitis nomen habet. Salomonem ipſum hæc ſcripſiſſe facile creditur, quem carminum, non quinque millia, ut ſcribunt Irenæus, & Synopſeos Auctor, & Hieronymus, & ut habent quædam Vulgatæ Interpretationis editiones, ſed quinque ſupra mille compoſuiſſe docent libri Regum; & quem *in cantilenis, & proverbiis, & comparationibus, & interpretationibus miratas eſſe terras* Sirachides tradit. Reliquis autem abſumtis, vel in Hieroſolymitana clade & Babylonico exilio, vel aliis quibuscunque temporibus, hoc ab interitu ſervatum fuit; ſive ſingulari Dei nutu, quod hoc egregio dramate ſuus erga Iſraeliticam gentem, vel erga humanam animam, vel Chriſti ergo Eccleſiam amor exprimeretur; ſive propter eximiam operis elegantiam, quæ talis eſt, nihil ut in eo genere ſimile Theocritus, aut Catullus elaborarint. Nam ſi quasdam ſimilitudines ac translationes excipias paulo audaciores, ut eſt uſus gentium illarum, conſuetudini noſtræ minus congruens, tot porro veneres, tot lepores, motus tam molles ac περιπαθῆς (*vim affectuum exprimentes*) tam expreſſas, tam decoras imagines rerum, tam aptam & convenientem colloquentibus perſonis Sponſi ac Sponſæ, & juvenum ac virginum chŏris orationem invenies, ut merito ab Ebræis nobiliſſimum & eximium Canticum, & Canticorum Canticum appelletur. Quamobrem prudenter ab illis factum reor, cum viris ſolum jam ævo maturis Libelli hujus lectionem permiſerunt; ne in laſciviam prona ſponte ſua adoleſcentium ætas, ad arcanos ſenſus minime penetrans, illecebris ad amoris delicias invitaretur. Partim autem ex hac cauſſa,

ejusque probatur γνησιότης & antiquitas.

Iren. l. 4. c. 45. Hieron. Quæſt. Ebr. in 3. Reg. 3. Reg. 4, 32. Eccli. 47, 18.

Digitized by Google

cauſſa, partim ex operis brevitate eveniſſe puto, ut inſequentium ætatum Scriptoribus ſacris vix ulla operis hujus veſtigia appareant: ſed ex iis quæ diximus ſatis perſpicitur ipſius antiquitas, & ex eo præterea quod in priſcum Canonem receptum eſt, & quod interpretatione ſua cum reliquis Voluminibus ſanctis id complexi ſunt Senes Septuaginta. Atque id ad inſtituti operis rationem ſatis ſuperque eſt.

Refellitur argumento Adverſariorum. Primum argumentum.

II. Cæterum ita offendit nonnullos amatorium hoc ſcriptionis genus, ſecretiora nuptiarum arcana, lenesque amantium ſub noctem ſuſurros aperte revelans, ut a Deo auctore profectum, & divino afflatu conſcriptum plane negarent. Fuerunt in ea ſententia priſci quidam Hæretici, quos Theodoretus & Philaſtrius commemorant: ſuerunt deinde & Anabaptiſtæ, nec ab ea receſſit Caſtalio. Verum ut Chriſtianos Interpretes præteream, qui latentia illic myſteria pie & ſagaciter fuerunt ſcrutati, ita de eo ſenſit Rabinorum omnium doctiſſimus & ſapientiſſimus Moſes ben Maimon, & Moſe hoc antiquior Chaldæus Paraphraſtes, ut amatorii illius ἐκφωνήματος *(colloquii)* ſpecie, Dei erga dilectum ſibi ac fidelem populum amorem ſignificari affirmarint. Igitur Ebræi Philoſophiam Ethicis, Phyſicis, ac Theologicis diſciplinis contineri ſciſcunt: quas cum poſteris Salomon tradere vellet, multis expoſuiſſe libris, quorum plerique diuturnitate perierunt; ac Ethica quidem, libris Proverbiorum & Eccleſiaſtis, aliisque per Parabolas digeſtis; Phyſica vero, libris ad Hiſtoriam plantarum & animalium pertinentibus; Theologica denique Cantico Canticorum. Id ipſis videtur perſuaſiſſe tertius liber Regum, quo inter lucubrationes Salomonis משלים, שירים, & Diſputationes de rebus phyſicis commemorantur. Perſuaſit fortaſſe & ipſe Salomon, cum in libro Proverbiorum ſapientiam ſe *deſcripſiſſe tripliciter* ait. At Chriſtiani Interpretes Canticum Canticorum ad Theologiam uno conſenſu referentes, & Proverbiorum librum ad Ethicen; Eccleſiaſten ad Phyſicen pertinere volunt. Multa in id argumentum diſſerit Origenes; & Logicen præterea, quæ cum reliquis conſerta, connexaque eſt, a Salomone quoque libris iisdem traditam fuiſſe demonſtrat: atque hinc Græcos Philoſophos doctrinam ſuam quatuor in partes diſcreviſſe; laudem inde ac gloriam, ſic tanquam ex proprio invento, quærentes, quod Salomoni inventori totum debebatur. Hunc locum transtulerunt Theodoretus & Hieronymus.

Theodor. Explan. in Cantic. Hieron. in Eccl. 1, 1.

Secundum argumentum.

III. Quamvis autem Dei nomen in hoc Cantico nusquam extet, quod cauſantur aliqui, ſub Sponſi tamen perſona latere Deum ipſum dicimus; atque hic Salomonis nomen, Pacifici nimirum, & amato ſibi populo pacem optantis & conciliantis, uſurpare: nec magis Libri hujus auctoritati officere id poſſe, quam libro Eſther, qualem habent Ebræi, in quo etſi nulla de Deo mentio eſt, opus tamen ſancti Spiritus eſſe creditur.

Tertium argumentum.

IV. Cur autem Ezechiæ familiaribus id adſcripſerint Thalmudiſtæ, nullam aliam poſſum comminiſci cauſſam, quam quia libri Proverbiorum pars quædam ab ipſis collecta eſt, ut ſupra diximus; & Ezechiæ ipſi libri Eccleſiaſtis compoſitionem iidem Thalmudiſtæ cenſuerunt eſſe adſcribendam. Verum nemo non videt, a Proverbiis & Eccleſiaſte ad Canticum quam ſit ἀνακόλουθον μέτρημα. *(inconſequens propoſitio.)* Sin ſuſpicetur aliquis, inde fortaſſe opinatos eſſe Thalmudiſtas, non Salomonis opus eſſe Canticum, ſed Salomoni affictum, & ex ejus perſona compoſitum, quod in Libri titulo nomini Salomonis, non ה aut של, quæ notæ ſunt genitivi, ſed ל, quæ ſervit dativo, præfigatur: ſciat ille traditum eſſe a Grammaticorum filiis, articulum ל, non dativum ſolum, ſed genitivum etiam & accuſativum aliquando notare. Ita capite primo libri primi Regum לשלמה vertunt Septuaginta τῷ κυρίῳ; & primo Malachiæ capite, ליעקב, vertunt iidem τῷ Ἰακώβ. Sciat is quoque Pſalmos qui initio præfixum habent לדוד; a priſcis ipſis Rabbinis Davidi auctori adſcribi, ut obſervavi ſupra. Itaque hoc loco Cantici, Vulgata editio habet, *Salomonis*. Ita & Thargum, & Syrus, & Arabs.

Theodor. Præf. Expl. in Cantic. Philaſtr. Hær. 131.

3. Reg. 4, 32. 33.

1. Reg. 1, 3. Mal. 1, 6.

Quartum argumentum.

V. Hic ipſe titulus, qui clarum auctoris dat indicium, opere ipſo recentior, & aſciticius credi poteſt, quod pleraque vetuſtiorum ſcripta lemmatis itidem inſignita ſint, multo poſtquam eſt Auctorum manibus exierunt. Verum is extat in Septuaginta Senum interpretatione: eumdem agnovit Origenes: neque de eo aliter exiſtimandum eſt ac de Pſalmorum titulis, unde ipſorum Auctores certo cognoſcuntur.

Prov. 22, 20.

Orig. Comm. in Cantic.

Orig. Comm. in Cantic.

Digitized by Google

DE LIBRO SAPIENTIÆ.

I. *Disputatur de Auctore libri Sapientiæ Salomoni adscribitur:* II. *Ex cujus libris excerptum fuisse verisimile est, & a Philone Seniore Græce redditum.* III. *Probatur ejus γνησιότης & antiquitas.* IV. *Refelluntur argumenta Adversariorum. Primum argumentum.* V. *Secundum argumentum.*

Disputatur de Auctore libri Sapientiæ. Salomoni adscribitur.

I. FOEtum quoque Salomonis esse librum Sapientiæ multa persuadent: primum ipse titulus, qui in Græca interpretatione, & Syriaca, & Arabica, Salomonis nomen præfert, deinde magna Christianorum scriptorum pars, & Rabbini aliquot, qui Salomonem auctorem appellant: atque hæc præterea e capite nono Libri hujus, quæ rem omnino evincunt: *Tu elegisti me regem populo tuo, & judicem filiorum tuorum & filiarum, & dixisti me ædificare Templum in monte sancto tuo, & in civitate habitationis tuæ altare, similitudinem tabernaculi sancti tui, quod præparasti ab initio.* Et alio loco: *Disponam populos, & nationes mihi erunt subditæ: timebunt me audientes reges horrendi.* Tum: *Puer autem eram ingeniosus, & sortitus sum animam bonam.* Deinde: *Adii Dominum, & deprecatus sum illum..... Deus patrum meorum..... da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam.* Et alibi: *Disponam populum tuum juste, & ero dignus sedium patris mei.* Quæ Salomoni, nec ulli præterea, omnia conveniunt. Ad hæc pleraque habet iste Liber, quorum confimilia in Libro Proverbiorum reperias: præcipue vero de Sapientia eadem utrobique disputantur. Unde patet falsam esse Gregentii (vel Palladii potius, quem Gregentii Scholasticum fuisse, ab eoque Alexandria adductum Disputationem ejus excepisse, & literis mandasse, ex ipsius libri lectione cognoscitur) sententiam, qui in sua adversus Herbanum velitatione Isaiæ librum hunc tribuit. Nisi dicere malimus memoria lapsum esse.

Sap. 9, 7. 8.

Sap. 8, 14. 15.

Sap. 8, 19.

Sap. 8, 21. & 9, 1. 4.

Ex cujus libris excerptum fuisse verisimile est, & a Philone Seniore Græce redditum.

II. Quamvis autem nunc Græce duntaxat scriptum extet primigenium operis hujus exemplar, nihilominus sententiæ huic quam proponimus sua constat fides; ex Ebraico siquidem archetypo, vel conversum esse, vel collectum, pluribus indiciis deprehenditur: nam & in eo Ebraismi occurrunt, & carmine adstrictum fuisse, perinde ut reliquos Salomonis libros, & Jobum, & Psalmos, nonnulli e Veteribus memoriæ prodiderunt. Nunc autem cum prosa oratione scriptum Græce habeamus, hinc efficitur ea lingua, unde prodiit, versibus fuisse comprehensum. Nulla vero lingua, præter Ebraicam, assignari alia potest. Testificatur quidem R. Moses ben Nachman se librum hunc Chaldaice scriptum vidisse: verum e Græco conversum puto ab aliquo ordinis Rabbinorum, sodalibus suis gratificante, cum eos insigni hoc Salomonis opere carere nollet, quod ספר חוכמתא רבתא דשלמה, *Librum sapientiæ magnæ Salomonis* appellare solent. Nec a Salomone ipso Chaldaica lingua exaratum fuisse ausus est aperte asseverare R. Azarias: Sed cum verba ipsa Nachmanidæ adduceret in testimonium in libro Imre binah, conjectat Chaldaice a Salomone esse scriptum, in gratiam regis alicujus ad Orientem positi אם לא נעתק, *si non sit conversus.* Itaque disquirenti mihi scriptionis illius originem, id ad animum mihi verisimillimum occurrit, unam hanc fuisse ex plurimis sententiarum compilationibus ac eclogis, quas ex magno ethicorum ac gnomicorum Salomonis librorum numero prodiisse diximus; a viro pio ac studioso excerptam, & Græco deinde sermone liberius explicatam. Minime quidem reperitur in Canone, quod collectiones illæ, etsi e genuinis Salomonis scriptionibus provenerant, totæque Salomonicis segminibus contextæ erant & consutæ, non tamen ut meræ Salomonis scriptiones habebantur; ut pote quas privati homines pro arbitrio suo & captu digessissent. Ut ergo hominum illorum haudquaquam par erat auctoritas, ita nec eadem fuit collectionum existimatio. Aliquarum etiam ignorari potuerunt Concinnatores, propterea ut dubiæ & incertæ fidei repudiari. Meminerimus præterea persuasum esse Judæis, admissos ab Esdra & Synagoga magna in Canonem hos tantum libros, qui compositi essent per hujusmodi afflatum, quem Spiritum sanctum appellabant: cujus generis habitus ab illis non est liber Sapientiæ. Sic supra laudatus R. Azarias. Quid si dicamus post obsignatum a Synagoga magna & clausum Canonem, repertas esse fortassis aliquas ex Salomonicis compilationibus quas dixi, ac idcirco ab eo exclusas, & inter

R. Mos. ben Nachm. Prol. Comm. in Pentat.

R. Azar. Imr. bin. c. 57.

Digitized by Google

& inter apocryphos libros rejectas; unde eamen emerserint nonnullæ sequenti ævo, & auctoritatem apud Helleniſtas, ac locum tandem in Canone ſint adeptæ? Videtur iſta quidem, quæ Sapientia inſcribitur, celebrari cœpiſſe, poſtquam Græce expoſita eſt a Philone Seniore. Eſt enim apud Hieronymum, nonnullos Scriptorum veterum Librum hunc adſcripſiſſe Philoni Judæo. Philonem Seniorem intellige, qui Judæorum Regum hiſtoriam ſcripſit: nam qui ad Philonem alterum Chriſto recentiorem referunt, non ſatis attenderunt plurimum diſcrepare ſtilum utriusque, & pleraque ex eo Libro depromſiſſe Scriptores alios Philone hoc vetuſtiores, neque inter ejus ſcripta recenſeri, quorum indicem Euſebius & Hieronymus concinnarunt. De priſco Philone ſatis multa diximus ſupra, cum exoticorum Auctorum, qui Moſis meminiſſent, ſeriem pertexeremus. Nunc itaque animadvertendum ſupereſt, hanc Scriptorum veterum opinionem, quæ Philoni Seniori librum Sapientiæ tribuit, ita proponi ab Hieronymo: Liber Sapientiæ *apud Ebræos nusquam eſt; quin & ipſe ſtilus Græcam eloquentiam redolet; & nonnulli Scriptorum veterum hunc eſſe Judæi Philonis affirmant.* Apud Ebræos nusquam eſſe ait: quia ipſius jam ævo Ebraicum exemplar, unde fuerat exceptus, interciderat: Græcam redolere eloquentiam: quia in eo Græce repræſentando non caſtigatum ac preſſum, ſed liberum ac fuſum ſtilum Philo adhibuerat. Certe ex Helleniſtarum grege fuit Philo iſte: Helleniſtas autem fere omnes Ebraicæ loquelæ mediocrem conſtat habuiſſe notitiam, ac prope nullam. Hujus gregis fuerunt Philo Alexandrinus, Platonis imitator, & Joſephus, qui ſuis ſcriptionibus Ebraicæ linguæ rudes ſe prodiderunt. Igitur ad aſſequenda verba, & introſpiciendos ſenſus libri Sapientiæ, interprete uſum puto Philonem Seniorem, & ex ſibi rudius expoſitas fuſius deinde ac ſubtilius retuliſſe. Scripſit nuper quidam Philonem hunc Seniorem eſſe commentitium; nullam ejus extare apud Joſephum, Euſebium, aliosque veteres Scriptores mentionem; meminiſſe eos tantum Philonis illius qui vixit ſub Cajo, & Philonis Byblii; atque hunc eſſe quem citat Joſephus. Ex his intelligas non omnium eſſe hoc genus litterarum attingere; nam primum Philonis Senioris diſerte meminit Joſephus; is & Senior, non Byblius ab eo appellatur. Philonis teſtimonio non ſemel utitur Alexander Polyhiſtor, qui vixit L. Sullæ temporibus, & ab Euſebio in teſtimonium adducitur. Philo autem uterque, & Byblius, & qui Caji æqualis fuit, poſt Sullam extitere. Neutri convenire poteſt, quod ait Hieronymus, adſcriptum ei eſſe librum Sapientiæ a nonnullis antiquis Scriptoribus. Judæus autem ab Hieronymo dicitur eſſe Philo. Byblius vero Joſepho fuit recentior, quippe qui floruerit ævo Trajani & Hadriani. Denique non hi tres ſolum Philones, Senior, Alexandrinus, & Byblius, ſed alii prætera complures a Veteribus commemorantur.

Hier. Præf. in l. Salom.

Euſ. Præp. Ev. l. 9. c. 20. & 24.

Hier. Præf. in Salom.

III. Cæterum cum triplici modo ſpectari poſſit iſte Liber, vel qualis in ipſis Salomonis libris, vel qualis in compilatione librorum illorum, vel qualis in Græca compilationis hujus interpretatione habitus eſt; ex ſingulis arceſſitas nanciſcimur ſententias apud poſterioris ævi Scriptores ſacros. Velut ex Salomonicis ſcriptis illud Iſaiæ: *Quia hæc dicit Dominus Eunuchis; Qui cuſtodierint Sabbatha mea, & elegerint, quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum, dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius a filiis & filiabus: nomen ſempiternum dabo eis, quod non peribit:* quæ manifeſte ex iſtis libri Sapientiæ verbis derivata ſunt: *Spado qui non operatus eſt per manus iniquitatem, nec cogitavit adverſus Deum nequiſſima, dabitur enim illi fidei donum electum, & ſors in Templo Dei acceptiſſima.* Hoc quoque Iſaiæ: *Venite, ſumamus vinum, & impleamur ebrietate:* prodiit haud dubie ex illis Sapientiæ: *Venite ergo, & fruamur bonis quæ ſunt, & utamur creatura tanquam in juventute celeriter, vino pretioſo & unguentis nos impleamus.* Item iſtud Iſaiæ: *Quis adjuvit ſpiritum Domini? aut quis conſiliarius ejus fuit, & oſtendit illi?* Germanum eſt illius e libro Sapientiæ: *Quis enim hominum poterit ſcire conſilium Dei? aut quis poterit cogitare quid velit Deus?* Non aliter idolorum fabricationem & cultum derident, Iſaias capite quadrageſimo quarto & Jeremias capite decimo, ac deriſa ea viderant iis locis libri Sapientiæ, qui ſunt capitibus decimo tertio & decimo quarto. Scriptum eſt in libro Tobiæ: *Magnus es, Domine, in æternum,*

Probatur ejus vetuſtas & antiquitas.

Iſa. 56, 4.

Sap. 3, 14.

Iſa. 56, 12.

Sap. 2, 6.

Iſa. 40, 13.

Sap. 9, 13.

Iſa. 44, 13. & ſeq. Jer. 10, 3.

Sap. 13, 10. & ſeq. & 14, 11.

Tob. 13, 1. 2.

Joſeph. l. 1. contr. Ap.

& in omnia ſæcula regnum tuum : quoniam tu flagellas & ſalvas ; deducis ad inferos & reducis : ſumtum hoc eſt ex iſtis libri Sapientiæ : *Tu es enim, Domine, qui vitæ & mortis habes poteſtatem, & deducis ad portas mortis & reducis.* At verba hæc Eccleſiaſtici : *Deus creavit de terra hominem, & ſecundum imaginem ſuam fecit illum :* habebantur in συλλογῇ (*collectione*) ex Salomonicis ſcriptionibus excerpta ; quæ ita in libro Sapientiæ concepta ſunt : *Deus creavit hominem inexterminabilem, & ad imaginem ſimilitudinis ſuæ fecit illum.* Quoniam autem ex omni ſacrorum Scriptorum numero, uni omnino Machabæicorum auctores Philonem Seniorem ætate ſubſecuti ſunt, iique in argumento hiſtorico verſati oppido paucas, ac propemodum nullas ex γνωμικοῖς operibus ſententias arceſſere, ac libris ſuis infarcire neceſſe habuerunt : inde fit ut ad Novi Teſtamenti Scriptores nobis decurrendum ſit. Matthæo ergo ſententiam hanc : *Tunc juſti fulgebunt ſicut Sol in regno patris eorum*, ſubminiſtravit iſtud comma libri Sapientiæ : *Fulgebunt juſti, & tanquam ſcintillæ in arundineto diſcurrent.* Iſtud vero ; *An neſcitis quoniam ſancti de hoc mundo judicabunt?* mutuatus eſt Paulus ex eodem Libro, in quo legitur : *Judicabunt juſti nationes.* Et hoc etiam Pauli : *Fide Enoch translatus eſt, ne videret mortem, & non inveniebatur, quia tranſtulit illum Deus : ante translationem enim teſtimonium habuit placuiſſe Deo*, ex illo ortum eſt : *Placens Deo factus eſt dilectus, & vivens inter peccatores translatus eſt.* Et iſtud Epiſtolæ ad Epheſios : *In omnibus ſumentes ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere, & galeam ſalutis aſſumite, & gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei*, detortum eſt ex illis : *Inducet pro thorace juſtitiam, & accipiet pro galea judicium certum ; ſumet ſcutum inexpugnabile, æquitatem ; acuet autem duram iram in lanceam.* Sed & illud Sapientiæ : *Candor eſt enim lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula Dei majeſtatis, & imago bonitatis illius*, quæ de Sapientia ipſa pronuntiavit Salomon, ita retulit Paulus : *Ut non fulgeat illis illuminatio Evangelii gloriæ Chriſti, qui eſt imago Dei :* & alibi : *Qui eſt imago Dei inviſibilis, primogenitus omnis creaturæ* : rurſum : *Qui cum ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ ejus.* Iſtorum etiam Pauli : *Inviſibilia enim ipſius & creatura mundi per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque ejus virtus & divinitas, ita ut ſint inexcuſabiles*, hæc eſt origo : *Vani autem ſunt omnes homines, in quibus non ſubeſt ſcientia Dei, & de his quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum qui eſt, neque operibus attendentes agnoverunt quis eſſet artifex.* Denique iſta clauſula libri Sapientiæ : *Sed & figulus mollem terram premens laborioſe fingit ad uſus noſtros unumquodque vas, & de eodem luto fingit quæ munda ſunt in unum vaſa, & ſimiliter quæ his ſunt contraria : horum autem vaſorum quis ſit uſus, judex eſt figulus ;* hanc Paulo ſuppeditavit : *An non habet poteſtatem figulus luti ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam?* His adde Catholicam Barnabæ Epiſtolam, quæ hæc affert e libro Sapientiæ : *Væ animæ iniquorum, qui dicunt inter ſe : Circumveniamus juſtum, quia inſuavis eſt nobis.* Adde & priorem Clementis ad Corinthios Epiſtolam, cujus hæc verba ſunt e libro Sapientiæ depromta : τίς ἐρεῖ αὐτῷ, τί ἐποίησας ; ἢ τίς ἀνθίστηται τῷ κράτει τῆς ἰσχύος αὐτοῦ ; *Quis dicet ipſi, Quid feciſti? aut quis reſiſtet robori potentiæ ejus?* Adi & Conſtitutiones ejusdem Clementis nomine inſcriptas, quæ hæc indidem petita uſurpant : δικαίων ψυχαὶ ἐν χειρὶ θεοῦ. *Juſtorum animæ in manu Dei.* Merito ergo de libro Sapientiæ ſic diſſerit Auguſtinus : *Ubi & illud teſtimonium ponit de libro Sapientiæ ; Raptus eſt, ne malitia immutaret intellectum ejus. Quod a me quoque poſitum fratres iſtos ita reſpuiſſe dixiſtis tanquam non de libro Canonico adhibitum, quaſi & excepta hujus Libri atteſtatione res ipſa non clara ſit, quam volumus hinc doceri. ..... Quæ cum ita ſint, non debuit repudiari ſententia libri Sapientiæ, qui meruit in Eccleſia Chriſti de gradu Lectorum Eccleſiæ Chriſti tam longa annoſitate recitari, & ab omnibus Chriſtianis, ab Epiſcopis, usque ad externos Laicos fideles, pœnitentes, catechumenos, cum veneratione divinæ auctoritatis audiri.* Hæc retulimus ad confirmandam Libri hujus dignitatem adverſus ætatis hujus Heterodoxos, qui eam convellere magno conatu adorti ſunt.

Sap. 16, 13. Eccli. 17, 1. Sap. 2, 23. Matth. 13, 43. Sap. 3, 7. 1. Cor. 6, 2. Sap. 3, 8. Ebr. 11, 5. Sap. 4, 10. Eph. 6, 17. Sap. 5, 19. Sap. 7, 26. 2. Cor. 4, 4. Col. 1, 15. Ebr. 1, 3. Rom. 1, 20. Sap. 13, 1. Sap. 15, 7. Rom. 9, 21. Sap. 2, 12. Sap. 11, 22. Const. Cl. l. 6. c. 30. Sap. 3, 1. Auguſt. l. 1. de Præd. Sanct. c. 14.

IV. Horum argumenta a multis ſæpe obtrita, iisque præſertim qui controverſas de religione quæſtiones ventilandas ſuſceperunt, ea *Refellantur argumenta Adverſariorum. Primum*

Digitized by Google

argumentum. eâ quàm de libri Sapientiæ Scriptione, collectione, interpretatione, & ætate proposuimus sententia discutit ipsa per se & retundit. Nam primum afferuntur nonnulla Veterum testimonia, qui a Salomone librum Sapientiæ scriptum fuisse negant; ac merito quidem, si Liber ille significetur, qui supereſt ad hanc diem; nam etsi doctrina ipsa ac sententiæ sunt Salomonis, ordo certe, contextus ac compositio sunt alterius.

Secundum argumentum. V. Plura etiam proferuntur Patrum testimonia, qui a Canone librum Sapientiæ segregant. In Esdrino quidem Canone propter causſas a me expositas locum non habuit. At defectum hunc sarsit demum Ecclesia Christi.

DE ECCLESIASTICO.

I. *Disputatur de Auctore libri Ecclesiastici. Ex ethicarum Salomonis scriptionum compilationibus excerptum fuisse verisimile est.* II. *Jesu filio Sirach operis concinnatio, Josepho Uzielidæ ipsius nepoti interpretatio adscribitur.* III. *Disputatur cur Latina interpretatio laxior, & multis laciniis auctior sit Graca.* IV. *Disputatur an Jesus filius Sirach idem sit qui ben-Sira.* V. *Disputatur de Ebraicis Ecclesiastici editionibus.* VI. *Probatur ejus γνησιότης & antiquitas.* VII. *Refelluntur argumenta Adversariorum. Primum argumentum.* VIII. *Secundum argumentum.*

Disputatur de Auctore libri Ecclesiastici. Ex ethicarum Salomonis scriptionum compilationibus excerptum fuisse verisimile est.

I. EX ethicarum Salomonis scriptionum compilationibus decerptus esse videtur Ecclesiasticus liber. Id ostendunt sententiæ quamplurimæ e Proverbiis Salomonis detractæ, ex Ecclesiaste etiam, & ex libro Sapientiæ. Illuc translatas aliquot e Proverbiis collegit Drusius in Observationibus suis. Aliæ his multæ adjici possunt. Velut illa: *Servo sensato liberi servient:* manifesto prodiit ex ista Proverbiorum: *Servus sapiens dominabitur filiis stultorum.* Et ista: *Melior est qui operatur & abundat in omnibus, quàm qui gloriatur & eget pane:* ad hanc expressa est: *Melior est pauper & sufficiens sibi, quam glorioſus & indigens pane.* Hæc quoque: *Priusquam audias, ne respondeas verbum:* ex ista nata est: *Qui prius respondet quam audiat, stultum se esse demonstrat, & confusione dignum.* Gravis hæc & pia Ecclesiastici sententia: *Initium sapientiæ timor Domini, κτησις (ipsis verbis)* in Proverbiis reperitur: etsi ex Jobi & Psalmorum libris primum profluxit. Effatum quoque hoc: *Arenam, & salem, & massam ferri facilius est ferre, quam hominem imprudentem, & fatuum, & impium:* & istud: *Commorari leoni & draconi placebit, quam habitare cum muliere nequam:* atque id etiam: *Qui diligit filium suum, assiduat illi flagella:* totidem pene concepta verbis extant in Proverbiis. Utrobique eædem Sapientiæ laudes, idem Sapientiæ studium: (quorum consimilia etiam habes in libro Sapientiæ) paria utrobique mulieris probæ præconia. Is comparationis instituendæ modus: *Duo genera abundant in peccatis, & tertium adducit iram & perditionem:* rursum alibi: *Duas gentes odit anima mea, tertia autem non est gens quam oderim,* crebro in Proverbiis usurpatur. Plura colliget, cui vacabit, nam obvia sunt. Sed & istud Ecclesiastici: *Omnes aquæ in terram revertentur:* germanum est illius ex Ecclesiaste: *Ad locum unde exeunt flumina, revertuntur ut iterum fluant.* Hæc vero: *In igne probatur aurum & argentum, homines vero receptibiles in camino humiliationis:* similia sunt illorum sapientiæ: *Tanquam aurum in fornace probavit illos, & quasi holocausti hostiam accepit illos.* Item illud: *Investiga sapientiam, & manifestabitur tibi, & continens factus ne derelinquas eam:* consentit his Sapientiæ: *Et ut scivi quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det, & hoc ipsum erat Sapientiæ, scire cujus esset hoc donum, adii Dominum.* Hoc denique: *Non tradent filii mulieris adulteræ radices, & rami ejus non dabunt fructum:* geminum est istius e Sapientia: *Spuria vitulamina non dabunt radices altas, nec stabile firmamentum collocabunt.* Conjicere quoque licet Salomonis opus hoc esse, ex eo quod affirmat Epiphanius, versibus scriptum fuisse; perinde ut alios libros Salomonis, Proverbia, Ecclesiasten, & Canticum. Inde adeo ὀπαδὸς τῦ σολομῶντος, *Salomonis assecla,* appellatur Jesus Libri hujus scriptor ab Athanasio, seu quisquis est auctor Synopseos; non quod ejus solum in condendis Parabolis modum rationemque tenuerit, sed etiam quod totas ipsius descripserit Parabolas ac sententias, & carminibus constrinxerit. Qua ratione contigisse opinor, ut veterum Patrum plerique

Prov. 1, 7. Job. 28, 28. Psalm. 110, 10. Eccli. 11, 8. & 25, 23. & 30. 1. Prov. 27, 3. & 21, 19. & 13. 24. & 23, 13. Eccli. 23. 28 Eccli. 50, 27 Prov. 30, 15. & seqq. Eccli. 40, 11. Eccl. 1. 7. Eccli. 2, 5. Sap. 3, 6. Eccli. 6, 28. Eccli. 23, 35 Sap. 4, 3. Epiph. de pond. & mens.

Druſ. Obſ. l. 1. c. 18. Eccli. 10, 28 Prov. 17, 2. Eccli. 1, 10. 30. Prov. 12, 9. Eccli. 11, 8. Prov. 18, 13. Eccli. 1, 16.

auctorem libri hujus Salomonem prædicent, & nomine Salomonis in eorum scriptionibus non raro citetur, & inter Salomonis volumina in Ecclesia Latina haberi solitus sit. Cum enim hæc legimus in vicesima secunda Origenis Homilia in Librum Numerorum: *In Libro, qui apud nos quidem inter Salomonis volumina haberi solet, & Ecclesiasticus dici; apud Græcos vero, Sapientia Jesu filii Sirach appellatur*, manifestum est Origenem, qui inter Græcos Alexandriæ natus fuit, de se ita locutum non fuisse, quasi Græcus non esset; proindeque id esse Rufini interpretis additamentum, qui per summam intemperantiam & perfidiam has interpretationes elaboravit, ut alibi dictum est a me. Vult ergo Rufinus Ecclesiasticum, quem Græci Sapientiam Jesu filii Sirach appellant, apud suos, Latinos nimirum, inter Salomonis volumina referri solere.

Jesu filio Sirach Operis concinnatio, Josepho Uzielida ipsius nepoti interpretatio adscribitur. Eccli. 50, 29

II. Cæterum operis concinnator fuit Jesus filius Sirach Hierosolymitanus, qui ad Salomonis sententias adjecit & suas, ac aliorum fortasse sacrorum Scriptorum nonnullas quoque adtexuit. Id ostendunt hæc verba e quinquagesimo Libri capite: *Doctrinam sapientiæ & disciplinæ scripsit in codice isto Jesus filius Sirach Jerosolymita:* & iste e Prologo: *Avus meus Jesus, postquam se amplius dedit ad diligentiam lectionis Legis, & Prophetarum, & aliorum librorum, qui nobis a parentibus nostris traditi sunt, voluit & ipse scribere aliquid horum, quæ ad doctrinam & sapientiam pertinent.* Apertissima vero isthæc ex alio Prologo ἐπιγράφῳ (*inscriptionem non habente*) Libri hujus, qui ex Athanasiana Synopsi depromtus est: ὁ γὰρ πάππος αὐτὸς Ἰησοῦς, καθὰ καὶ αὐτὸς μαρτυρεῖ, φιλόπονός τε γέγονεν ἀνὴρ καὶ φρονιμώτατος. ὃς ἐ μόνον τὰ ἑτέρων τῶν πρὸ αὐτοῦ συνταθέντα ἐνδελῶν ἀποφθέγματα συνήγαγεν, ἀλλὰ καὶ αὐτὸς ἴδιά τινα ἀπεφθέγξατο πολλῆς συνέσεως καὶ σοφίας γέμοντα· *Jesus ergo avus ejus, quemadmodum & ipse testatur, vir fuit laboriosus & sapientissimus, qui non aliorum duntaxat prudentium virorum, qui ipsum præcesserunt, sententias collegit, sed & quædam ex proprio ingenio effatus est, multæ prudentiæ & sapientiæ plena.* Quæ de postremis præcipue capitibus dicta sunt, in quibus prædicantur laudes sanctorum virorum, quorum plerique Salomone recentiores fuere; ac ea proinde non ex alieno, sed ex proprio penu Sirachides depromsisse credendus est. Atque hæc Ebraice descripta Græco sermone retulit Jesu istius nepos, cujus interpretatio ad hanc pervenit ætatem: Ebraico vero exemplari quid factum sit post viderimus. Porro controversum esse inter eruditos video, an ipse Libri Auctor, Interpretis avus, is fuerit, qui Jesus filius Sirach dictus est; an Interpres ipse potius Auctoris nepos. Quæ etsi levis est momenti quæstio, dicam tamen hoc nomine appellatum ipsum Libri Auctorem mihi videri; ita ut cum Sapientia filii Sirach, & Ecclesiasticus Jesu Sirachidæ citatur, avum non nepotem significari putem. Id persuadet recepta communi Scriptorum usu consuetudo, qui ex Auctorum, non ex Interpretum nomine libros appellare solent. Indicat hoc ipsum locus ex quinquagesimo capite mox adductus: qui sive ab Auctore ipso avo scriptus est, sive a nepote Interprete additus, ad eum omnino videtur pertinere, qui Librum ipsum lucubravit, quem Jesum Interpretis avum fuisse constat. Probat id quoque capitis quinquagesimi initium: *Oratio Jesu filii Sirach;* ea quippe oratio, ejusdem videtur esse, cujus & reliquum opus, Jesu nempe avi. Sunt qui existiment Jesum quoque appellatum fuisse nepotem Interpretem: nam cum tralatitio apud plerasque gentes, ac Ebræos etiam more, nepotes nomine avos referre consueverint, & Jesus itidem dici potuit, & pater ipsius Sirach; adeo ut Sirachides uterque extiterit. Verum, cum non alium esse existimem Libri hujus auctorem Jesum filium Sirach, ac ben-Siram, cujus Proverbia Ebraice scripta extant, uti mox ostendam, sequenda nobis est ejus auctoritas, qui Ben-Siram Scholiis Ebraicis illustravit, quique Uzielem Ben-Siræ filium, Josephum nepotem fuisse docet. Itaque Josephus ille idem fuerit, qui Sirachidæ Parabolas Græce reddidit, & cujus interpretatione fruimur. Ad eam cudendam anno ætatis suæ octavo & tricesimo in Ægypto se comparavit hic Josephus, cum Ægyptum regeret Ptolemæus Evergetes; non prior ille Philadelphi successor, ut perperam existimavit R. David Ganz; sed alter, Physcon cognomento dictus, Philometoris frater. Ac proinde circiter Ptolomæi Epiphanis ætatem vixisse liquet avum Interpretis Jesum Sirachiden, non multo post Simonis, Oniæ filii, summi Judæorum Pontificis, obitum.

Digitized by Google

obitum. Cur vero Syrus Interpres Libri hujus auctorem appellet Jesum filium Simeonis Asiro, & nomen Simeonis illuc intruserit, non aliam reperire possum caussam, quam quod Simeonem Oniæ filium, & Sirachum patrem Jesu, quorum præconia extant in eodem capite, perperam confuderit. Simonis enim & Simeonis nomina sæpe permistentur.

Disputatur cur Latina interpretatio laxior, & multis laciniis auctior sit Græca.

III. Quærere dignum est, quid sit cur Latinus Interpres tantum sibi permiserit, ut totas sententias infarciret huc illuc, & Auctorem Græcum sæpe deserens foras ipse tam licenter prodiret. Meliori usum exemplari vulgaris est omnium responsio. At recurrit quæstio, unde orta hæc exemplarium varietas. Mihi factum id videtur a viro aliquo pio & erudito, qui Librum describens utilia pleraque & bonæ frugis plena passim asperserit, prout rerum quas habebat in manibus argumenta postulare censuit: Jesu Sirachidæ invitatus exemplo, quem Salomonis effata colligentem, multa de suo largitum esse, & Salomonicis adjecisse sciebat.

Disputatur an Jesus filius Sirach idem sit qui Ben-Sira.

IV. Disputatur inter viros doctos, an Jesus iste filius Sirach idem sit qui Ben-Sira. Veri id quidem simile est, & ita censent Rabbini plerique: quippe afferuntur in Thalmude, & in Maimonidæ, aliorumque Magistrorum libris, effata pleraque Ben-Siræ, quæ in Siriachidæ Ecclesiastico extant: & magna pars sententiarum Ebraicarum, quæ sub Ben-Siræ nomine editæ sunt, in Ecclesiastico reperitur. Nomina præterea conveniunt, & ut Sirachides scripsit Ecclesiasticum, hoc est Eclogas Proverbiorum, ita & Ben-Siræ Proverbio circumferuntur. Nec sententiam hanc elevat quod opponunt quidam, disconvenire nomina; illum quippe בן סירח, υἱὸν σιμεὼν, hunc vero בן סירא appellari; illum existimari nepotem Jesu, qui fuit Josedeci filius; hunc verum filium Jeremiæ, ut est in Lekute, sive Collectaneis R. Josi Levi: denique quia in libro Ben-Siræ *sunt fascinationes, vel illusiones, ex faciei concisione*, ipsius lectionem decreto Thalmudis ejusdem interdici. Nam quod ad nominis discrepantiam pertinet; permutari facile ejusdem instrumenti literas Grammatici sciunt. Utriusque vero ignorabilis prosapia est; falsa etiam & inepta, quæ Sirachidæ affingitur. Quomodo enim nepos Jesu Josedecidæ esse potuit, quod vult Isidorus, qui totis trecentis annis eo recentior fuit? Suspecta vero, & valde dubia, quæ tribuitur Ben-Siræ, cum Jeremiæ per matrem nepos fuisse dicitur; nam si id ita esset, major ejus foret utique apud sequentes Scriptores celebritas & fides. Porro vitiatum in multis fuisse Ben-Siræ librum, etiam ante Thalmudis compositionem existimo, multaque in eum inserta, quæ Thalmudistis Magistris probari non potuerint. R. David Ganz in צמח דוד hoc Thalmudis interdictum sic exponit, ut vetitum usum libri Ben-Siræ velit, non quod pernicioſas res & malas, sed quod excellentes & sublimes contineat, quarum lubrica est & periculosa inquisitio. Sententiam Davidis istius adjuvat ipsum Thalmud, quod in Baba Cama, capite Hachobel, librum Ben-Siræ in Hagiographorum classem conjicit. Hagiographa intellige, non ea quæ proprie & κατ' ἐξοχὴν כתובים appellabant Ebræi, & Spiritus sancti afflatu scripta esse docebant; sed inferioris generis, eorum nempe quæ per בת קול dictata erant; cujusmodi creditos fuisse diximus libros Tobiæ & Judith.

Isid. l. 6. Orig. c. 2.

R. David Ganz. Germ. David.

Sententia igitur nostra hæc est: cum scriptionem suam Ebraice excudisset Sirachides, utpote Hierosolymita, idque ut videtur Hierosolymis, ea deinde usos esse Hierosolymitas Judæos, & qui in Syriæ partibus degebant, ac multis descriptis exemplaribus ad posteros propagasse: verum tractu temporis multa a Scribis & Rabbinis, multa a Librariis mutata, detracta, adjecta esse, quod in libro ἀνανενίστῳ *(in Canonem non recepto)* id sibi licere censerent; tandemque in eum quem habemus ordinem per literarum seriem, memoriæ fortasse caussa, esse digestum. Nec enim assentior Paulo Fagio, qui factum id a Ben-Sira ipso asseverat. In Palæstinam cum subinde venisset Hieronymus, exemplaria illic vulgata, ac jam adulterata nactum esse reor. Vitiata quoque venerunt in manus Thalmudistarum. At cum Græcam Libri ejusdem interpretationem in Ægypto elaborasset Josephus Uzielides, Sirachidæ, sive Ben-Siræ nepos, & Helleniſtis communicasset, credibile est argumenti gravitate & dignitate operis permotos, id inter sacros Libros reposuisse. Quod demum Ecclesiæ Christi ab iis traditum cum reliquis Codicibus sanctis, ambiguæ fuit aliquandiu auctoritatis,

Fag. in Ep. Præf. Ben-Sir.

Digitized by Google

ctoritatis, cum hinc admitteretur in Canónem ab Helleniſtis, inde a Judæis ſecluderetur; quoad Eccleſiæ demum Chriſtianæ conſenſu ac decretis auctoritatem adeptum eſt. Itaque valde diſpar exemplaris & interpretationis ſors fuit, cum hæc conſecrata ſit ab Helleniſtis, illud inter apocrypha rejectum. Unde evenit, ut in ea attentare quicquam nefas duxerint Helleniſtæ, nihilque prorſus mutaverint: cum id Judæi interpolaverint ad libitum & recoxerint. Inde nata hæc quæ nunc eſt Eccleſiaſticum inter & Proverbia Ben-Siræ diſcrepantia.

Diſputatur de Ebraicis Eccleſiaſtici editionibus.

V. Dixi Ebraico primum ſermone compoſitum fuiſſe librum hunc. Id utique clare teſtatur Prologus. Teſtatur & phraſis, quæ Ebraiſmum in multis olet, nonnunquam etiam mere Ebraica eſt: Puta illud e decimo capite, ἡμέρας ἀριθμῶ, *dies numeri*, hoc eſt, *dies paucos*, purum putum Ebraicum eſt, ימי מספר, & iſtud indidem, διαθήκην αἰῶνος, *teſtamentum ſeculi*, hoc eſt, διαθήκην αἰώνιον, *teſtamentum æternum*, mere Ebraicum eſt, ברית עולם. Item hoc e decimo nono capite: ἀπὸ προσώπου λόγου, *a facie verbi*; & ἀπὸ προσώπου βρέφους, *a facie infantis*; hoc eſt, *propter verbum, propter infantem*: Ebraice ſcriptum erat, מפני דבר, & מפני עולל. Id vero e quadrageſimo quinto capite, *cujus memoria in benedictione eſt*, nunc quoque uſitatiſſimum eſt in Rabbinicis ſcriptionibus זרתה לברכוב. Quæ libri originem Ebraicam indicant. Ebraica lingua ſcriptum vidiſſe ſe Hieronymus aſſeverat. Munſterus quoque, ſacrarum literarum apprime peritus, accepiſſe ſe narrat, Judæos Conſtantinopolitanos Eccleſiaſticum Ebraico ſermone conceptum, itidem ut librum Tobiæ typis vulgaſſe. Paulus Fagius, in iisdem ſtudiis ſubactus, ex viris fide dignis audiviſſe ſe ait, Eccleſiaſticum Ebraicum in Bibliotheca quadam extare. Verum merito dubitari poteſt, ipſumne hoc ſit Jeſu Sirachidæ archetypum Ebraicum, an Ebraica interpretatio e Græco profecta. Mihi probabile videtur, quod dixi, Ebraicum Sirachidæ exemplar, ſed jam vitiatum, in manus Hieronymi & Thalmudiſtarum veniſſe, novasque ſubinde labes paſſum ad ſequentis ævi Rabbinos ſub Ben-Siræ nomine fuiſſe transmiſſum. At de exemplaribus Ebraicis Munſtero & Fagio memoratis alia mihi ſuſpicio eſt: facile quippe crediderim ex Græco fuiſſe conversa, quod in libro Tobiæ factum dixi; apprime ſiquidem nota illis erant Proverbia Ben-Siræ. Antiquiſſimum eorum exemplar, Conſtantinopoli impreſſum, penes Munſterum fuiſſe docet nos Buxtorfius in Bibliotheca Rabbinica. Eadem vero Iſnæ edidit Paulus Fagius. Cum ergo operis hujus & Eccleſiaſtici diſcrimen probe cognoſcerent, minime putandum eſt falſos in eo deluſosque eſſe, ſed potius re attente explorata caute ea diſtinxiſſe. Sed hæc propoſita tantum a me ſunt, non definita.

Eccl. 10, 2. Eccl. 10, 10. Eccl. 19, 11. Eccl. 45, 1. Hier. Præf. in l. Salom. Pag. Epiſt. præfix. libr. Tob. Ebr. Buxtorf. in Bibl. Rabb. בן סירא

Probatur ejus γνησιότης & antiquitas.

VI. Cæterum Libro huic a ſacris ſequentium temporum Scriptoribus ſuus honos habitus eſt, exeoque depromtæ occurrunt non paucæ in Novo Teſtamento ſententiæ. Cujusmodi illa eſt Johannis: *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit*: quæ germana eſt iſtius ex Eccleſiaſtico: *Qui diligunt Dominum, conſervabunt viam illius.* Conſer illud ejusdem: *Si dives fueris non eris immunis a delicto*, cum hoc Pauli ad Timotheum: *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum Diaboli*, ſimilia eſſe dices. Item hoc Lucæ: *Dicam animæ meæ; Anima, habes multa bona poſita in annos plurimos: requieſce, comede, bibe, epulare. Dixit autem illi Deus, ſtulte, hac nocte animam tuam repetunt; quæ autem paraſti, cujus erunt?* nonne interpretatio eſt horum Eccleſiaſtici: *Eſt qui locupletur parce agendo, & hæc eſt pars mercedis illius, in eo quod dicit, Inveni requiem mihi, & nunc manducabo de bonis meis ſolus; & neſcit quod tempus præteriet, & mors appropinquet, & relinquat omnia aliis, & morietur.* Cum dixit Matthæus: *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*: nonne iſtud Eccleſiaſtici videtur expreſſiſſe: *Si volueris mandata ſervare, conſervabunt te?* Cum dixit Lucas: *Ego vobis dico, facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula*: numquid videtur reſpexiſſe clauſulam hanc Eccleſiaſtici: *Conclude eleemoſynam in corde pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo*: Prodiit etiam iſtud Pauli ad Romanos: *Annon habet poteſtatem figulus luti, ex eadem maſſa facere, aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam?* ex illo Sirachidæ: *Quaſi lutum figuli in manu ipſius, plaſmare illud & diſponere; ſic homo in manus illius quiſe fecit.*

Joh. 14, 23. Eccl. 2, 18. Eccl. 11, 19. 1. Tim. 6, 9. Luc. 12, 19. Eccl. 11, 18. 19. Matth. 19, 17 Eccl. 11, 16. Luc. 16, 9. Eccl. 29, 12. Rom. 9, 21. Eccl. 33, 13.

Quod

Digitized by Google

Quod si aliorum Scriptorum conquiramus testimonia, ex iis quoque Libri hujus vetustatem arguemus: verba quippe hæc Barnabæ ex Epistola Catholica: μὴ γίνου πρὸς μὲν τὸ λαβεῖν ἐκτείνων τὰς χεῖρας, πρὸς δὲ τὸ δοῦναι συσπῶν· hæc ipsa sunt Sirachidæ: *Non sit porrecta manus tua ad accipiendum, & ad dandum collecta.* Extant hæc eadem in Clementis Apostolicis Constitutionibus, in quibus alia plurima reperire licet indidem depromta, & nonnulla quoque in opere Josephi contra Apionem, & in Ignatianis Epistolis.

Eccl. 4. 36.

Cl. Const. Apost. l. 7. c. 11.

Refelluntur argumenta Adversariorum. Primum argumentum.

VII. Jam vero expedita est argumentorum, quæ ex contraria parte opponi possunt, & parata solutio: istius puta, quod Hieronymi subministrabit auctoritas, Salomonem Libri hujus auctorem esse præcise negantis, cum in Præfatione in libros Salomonis, tum præcipue in Commentariis ad nonum caput Danielis. Nempe ad Libri concinnatorem respexit, qui Sirachides fuit, ac etiam auctor dici potuit; perinde ut Stobæum Eclogarum suarum auctorem merito dicimus, & ut domus opifex censetur is, non qui materiam cædit, aut cæmenta tundit, sed qui hæc aliunde subministrata ordine collocat, & suis quæque locis ad condendam domum disponit; ita sententias a Salomone fere excogitatas, sic tanquam cæmenta ac materiam collegit Jesus Sirachi filius, & in ejus quo utimur operis fabricationem digessit. Qua de caussa, opinor, idem Hieronymus Ecclesiasten interpretans, cum Ecclesiastici testimonio uteretur, Salomonem testem citare se professus est.

Secundum argumentum.

VIII. Ad id autem quod legitur in Prologo ἀνεπιγράφῳ, (*titulo carente*) qui, ut dixi, ex Athanasiana Synopsi descriptus est, Jesum Sirachiden, cujus nomen hic Ecclesiastici titulus præfert: σοφία Ἰησοῦ υἱοῦ Σιρὰχ. *Sapientia Jesu filii Sirach*, nepotem ipsum esse; respondere possumus Prologo huic *eatenus esse credendum, quatenus verum dicit*, quod jam olim respondit Johannes Drusius. Pari responsione excipiemus Epiphanium, cujus hæc sunt verba: ἡ τοῦ Ἰησοῦ τοῦ υἱοῦ Σιρὰχ, ἐκγόνου δὲ τοῦ Ἰησοῦ, τοῦ νῦν τὴν σοφίαν ἐβραϊστὶ γράψαντος, ἣν ὁ ἔκγονος αὐτοῦ Ἰησοῦς ἑρμηνεύσας ἑλληνιστὶ ἔγραψε· *Quæ est Jesu filii Sirach, nepotis Jesu, qui Sapientiam scripsit Ebraice, quam nepos ejus Jesus interpretatus Græce conscripsit*; & Damascenum, qui nec aliter videtur sensisse. Idem nos olim, re minus explorata scripsimus alibi; ut nostra etiam posmet vineta cædamus; nunc vero Scholiastæ Ebraici libri Ben-Siræ auctoritatem sequimur, qui nepotem Sirachidæ Josephum appellat. Synopseos autem Auctori, aliisque, caussa fuisse videtur ambigua Libri inscriptio, cur Interpretem nepotem avo cognominem fuisse putarent: cum enim legissent in Libri lemmate: σοφία Ἰησοῦ υἱοῦ Σιρὰχ πρόλογος, uti nunc quoque habet Vulgatæ editionis titulus: *In Ecclesiasticum Jesu filii Sirach Prologus*, id ita acceperunt, quasi sensus esset, *Jesus filii Sirach Prologus in Ecclesiasticum:* cum potius id sibi velit, *Prologus in Ecclesiasticum Jesu filii Sirach*, atque ita interpungenda Græca sint, σοφία Ἰησοῦ υἱοῦ Σιρὰχ, tum adjecta τιτλῳ subjici debeat, πρόλογος. Cæterum & Auctor Synopseos, & Epiphanius, & fere quicunque nepoti, Jesu Sirachidæ nomen fuisse censent, avo tamen Libri lucubrationem ultro concedunt. Addit Prologi hujus ἀνεπιγράφου *(titulo carentis)* Scriptor, mortuo Jesu avo, cum ad summam Libri perfectionem aliqua etiamnum curatura desideraretur, id nepotem præstitisse: quod eatenus ab eo factum concedo, quatenus id interpretis fides pati potuit, uti ex vulgato altero Interpretis ipsius Prologo intelligitur. Ex opinione autem falso præcepta, Sirachidem esse nepotem, non avum, sequi necesse fuit hanc alteram nepotis esse Orationem toti operi subjectam, ut quam Jesu filio Sirach titulus adscribat.

Druf. in Eccl. Prol. 2 Epiph. de pond. & mens.

Joh. Dam.

Idem de orth. fid. l. 4. c. 18.

DE PROPHETIA ISAIÆ.

I. *Disputatur de Auctore Prophetiæ, quæ Isaiæ nomen præfixum gerit. Isaiæ ipsi adscribitur.* II. *Probatur ejus γνησιότης & antiquitas.* III. *Refelluntur argumenta Adversariorum. Primum argumentum.* IV. *Secundum argumentum.* V. *Tertium argumentum.*

Disputatur de Auctore Prophetiæ, quæ Isaiæ nomen præfixum gerit. Isaiæ ipsi adscribitur.

I. PRophetiæ, quæ Isaiæ sibi nomen præscribit, Auctorem esse Isaiam ipsum prima fronte Liber indicat: *Visio Isaiæ, filii Amos, quam vidit super Judæam & Jerusalem, in diebus Oziæ, Joathan, Achaz, & Ezechiæ, regum Juda.* Vero, inquies, Prophetiam ipsam edidit Isaias, at descripsit alter & Librum lucubravit. Frustra; se enim Libri

Isa. 30, 8.

Digitized by Google

ſcriptorem indicat aliis teſtimoniis compluribus, in quibus cum ſuum, patrisque ſui appoſuiſſet nomen, multa de ſe narravit, partim ex tertia perſona, partim ex prima: præcipue vero iſto, quo vaticinii hujus ſcriptorem ſe liquido profitetur: *Nunc ergo ingreſſus ſcribe ei ſuper buxum, & in libro diligenter exara illud, & erit in die noviſſimo in teſtimonium uſq; in æternum.* Amoſi ſe filium eſſe declarat, non ejus qui inter duodecim Prophetas cenſetur, & שמס nomen habet, ſed alterius, qui עמוץ appellatus eſt. Id agnovit Hieronymus in primum caput Iſaiæ, & in Proœmio Commentariorum in Amos; agnovit & Auguſtinus libro decimo octavo de civitate Dei: *Iſaias filius Amos, ſive Propheta ſive quod magis perhibetur, alterius qui non Propheta eodem nomine vocabatur*; agnovit & Cyrillus: ἕτερος ἦν ἀμὼς ὁ ἡσαΐου πατήρ. *Alter erat Amos Iſaiæ pater*, nempe a Propheta; agnovit & Procopius: λέγουσι δὲ μὴ τὸν ἕνα τῶν δώδεκα τοῦ ἡσαΐου τὸν πατέρα τυγχάνειν. ἐκεῖνος γὰρ ἀμὼς ψιλῶς λέγεται, καὶ ἐμμήνευτος, λόγος σκληρός· ὁ δὲ τοῦ ἡσαΐου, δασύνεται, καὶ σημαίνει τελείωσιν, καὶ δύναμιν, καὶ ἰσχύν. *Ajunt Iſaiæ patrem non eſſe unum e Duodecim. Is enim Amos tenuiter pronuntiatur, & exponitur, Sermo durus. At pater Iſaiæ aſpiratur, & ſignificat perfectionem, & potentiam, & robur.* In qua falſa ratione quod verum erat probare conatus eſt Procopius. Nam ע, nomini Amoſi unius e Duodecim præfixa, validiſſima eſt Ebraicarum omnium aſpirationum; tenuiſſima vero eſt א, quæ præfixa eſt nomini patris Iſaiæ. Cæterum hæc eo notantur a me, ut appareat Clementis Alexandrini error, qui hæc ſcripſit: προφητεύουσι δὲ ἐπ' ὀζίου ἀμὼς, καὶ ἡσαΐας ὁ υἱὸς αὐτοῦ. *Sub Ozia autem vaticinantur Amos, & filius ejus Iſaias:* & Pſeudo-Epiphanii, qui in libro de vitis Prophetarum eamdem ſententiam prodidit. Unde natam opinor Rabbinorum quorumdam opinionem, quos exiſtimaſſe ait R. David Ganz, Amoſum Iſaiæ patrem Prophetam fuiſſe. Idem incauto homini perſuadere iſta poſſunt, quæ habentur apud Iſaiam Hieronymianæ editionis: Ezechias *miſit Eliacim ad Iſaiam, filium Amos Prophetæ.* Item: *Intravit ad eum Iſaias, filius Amos Prophetæ.* Ubi Hieronymus: *Hic quia ipſe de ſe Eſaias ſcribebat hiſtoriam, non ſe appellavit Prophetam ſed filium Prophetæ.* Quod miror excidiſſe viro vetuſtas interpretationes explorare ſolito; nam utrobique Ebraica habent: הנבוא אמוץ בן ישעיהו אל Septuaginta: πρὸς ἡσαΐαν υἱὸν ἀμὼς τὸν προφήτην, & capite ſequenti: ἡσαΐας υἱὸς ἀμὼς ὁ προφήτης. Vulgata: *Ad Iſaiam, filium Amos, Prophetam.* Item: *Iſaias, filius Amos, Propheta.* Similiter Cyrillus & Procopius, Iſaiæ interpretes. Fuit Iſaias de tribu Juda, vir apprime nobilis, & ſi R. Iſaaco Abrabanieli fides eſt, regia ſtirpe ortus; utpote Amoſo, Azariæ regis tratre natus. Difertus & elegans, quod ipſius Liber indicat. Sed regibus Juda quatuor, Ozia, Joathane, Achazo, & Ezechia vaticinatum ſe declarat: & quid ſub unoquoque ſeorſum ſit vaticinatus, adnotat ſuis locis. Floruit Hieroſolymis & in Judæa, ubi & uxorem duxit, vatem & ipſam. Duos ſuſcepiſſe filios Jaſub & Emmanuelem ex perverſa ſeptimi capitis interpretatione priſci Judæi tradiderunt: ſed & filiam quoque, ut quem ſocerum fuiſſe dicant Manaſſis Judæorum Regis, a quo demum per ſummam crudelitatem ſerra lignea diſſectum eum ferunt, quod ipſius impietatem, optimatiumque corruptos mores libero ore caperet. Quam majorum ſuorum ſævitiam excuſare conantes Judæi, hanc ipſi inflictam pœnam commenti ſunt, quod Dominum Sabaoth oculis ſuis vidiſſe ſe prædicaſſet, cum Dei terga tantum Moſes diviſſet. Ad Iſaiæ ſupplicium refertur iſtud ex Epiſtola ad Ebræos: ἐπρίσθησαν. *Serra ſecti ſunt.* Sepultus demum eſt ſub quercu Rogel, juxta Regum ſepulcra. Præter hunc, quem habemus, vaticiniorum Librum, alia ab ipſo ſcripta eſſe conſtat ex Paralipomenis, ubi res geſtas Oziæ regis literis prodidiſſe narratur, neque in eo qui extat Libro uſpiam comparent. Opera vero Iſaiæ nomine falſo inſcripta, quale fuit illud Iſaiæ Apocryphum, Origeni ſæpe commemoratum; & Anabaticus Iſaiæ, cujus meminerunt Epiphanius, & Hieronymus; ſive duo hæc idem fuerunt opus, ſive duplex; & libellum quemdam ſuppoſititium, ſub Viſionis Iſaiæ titulo typis editum, ab hac diſſertatione removemus. Eam vero R. Moſis Kimchi ſententiam, quæ Judæis quibusdam præeuntibus librum Proverbiorum, Eccleſiaſten; & Canticum Canticorum Iſaiæ tribuit, ſatis ſupra diſcuſſimus.

Auguſt. de civ. Dei, l. 18. c. 27.

Cyrill. Præf. Expoſ. in Amos. Procop. in Iſa. 1, 1.

Clem. Alex. Strr. 1. Epiph. de vit. Proph. in Amos.

Iſa. 37, 2. Iſa. 38, 1.

Cyril. Præf. in Amos. Procop. in Iſa. 37, 2. & 38, 1. R. Abrab. Præf. in Iſ.

Iſa. 6, 5.

Ebr. 11, 37.

2. Par. 26, 22

Origen. in Matth. 23. & Epiſt. ad Afric. Epiphan. Hær. Archontic. c. 2. & Hær. Hieracit. c. 3. Hier. in Iſ. 64.

II. Jam vero Libri hujus γνησιότητα & antiquitatem per conſequentium ætatum teſtimonia

Probatur ejus γνησιότης & antiquitas.

Digitized by Google

monia more noſtro adſtruere perfacile eſt. Nam primum Michæas, qui Iſaiæ fere æqualis fuit, ex ipſius Prophetia clauſulam hanc integram, nec interpolatum ad ſe transtulit: *Et erit in noviſſimis diebus præparatus mons Domini in vertice montium, & elevabitur ſuper colles, & fluent ad eum omnes gentes: & ibunt populi multi, & dicent, Venite, & aſcendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Jacob; & docebit nos vias ſuas, & ambulabimus in ſemitis ejus, quia de Sion exibit Lex, & verbum Domini de Jeruſalem. Et judicabit gentes, & arguet populos multos, & conflabunt gladios ſuos in vomeres, & lanceas ſuas in falces: non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad prælium.* Id obſervatum eſt Origeni in Epiſtola ad Africanum, falſo cenſentem nullum e Prophetis vetuſtiorum Prophetarum ſententias uſurpaſſe; quaſi indignum hoc eſſet veritatis præconibus. Nahum quoque adverſus Sennacheribum vaticinans cum dixit: *Infirmatus eſt Baſan, & Carmelus, & flos Libani elanguit:* ad iſta Iſaiæ videtur attendiſſe, quæ de Sennacheribi itidem & Aſſyriorum expeditione protulit: *Luxit & elanguit terra, confuſus eſt Libanus, & obſorduit, & factus eſt Saron ſicut deſertum, & concuſſa eſt Baſan, & Carmelus.* Hoc autem vaticinium edidit Iſaias ſub Achazo, ſuum Nahumus ſub Ezechia, ut ſuo loco probabimus. Jeremias quoque, centum circiter & quinquaginta annis Iſaia recentior, multa ex eo in ſuum vaticinium depromſit: cujusmodi illud eſt: *Omne enim caput calvitium, & omnis barba raſa erit: in cunctis manibus colligatio, & ſuper omne dorſum cilicium. Super omnia tecta Moab, & in plateis ejus omnis planctus: quoniam contrivi Moab, ſicut vas inutile, ait Dominus:* quibus manifeſto exprimitur illud Iſaiæ: *Moab ululavit: in cunctis capitibus ejus calvitium, & omnis barba radetur. In triviis ejus accincti ſunt ſacco: ſuper tecta ejus, & in plateis ejus omnis ululatus deſcendit in fletum.* Ait Jeremias: *Qui fugerit a facie pavoris, cadet in foveam; & qui conſcenderit de fovea, capietur laqueo:* ſcripſerat ante Iſaias: *Qui fugerit a voce formidinis, cadet in foveam; & qui ſe explicaverit de fovea, tenebitur laqueo.* Eſt apud Jeremiam: *Confuſus eſt Bel, victus eſt Merodach, confuſa ſunt ſculptilia ejus, ſuperata ſunt idola eorum:* eſt apud Iſaiam: *Confractus eſt Bel, contritus eſt Nabo; facta ſunt ſimulatra eorum beſtiis & jumentis, onera veſtra gravi pondere usque ad laſſitudinem.* Iſaiæ præterea triceſimum ſeptimum caput, cum ſequentis initio; totum item triceſimum nonum, in quarti Regum libri decimo nono ac viceſimo capite deſcripta ſunt, idque ἐντολικῶς, *(ipſis verbis)* ut non ſententias modo, ſed verba etiam illinc iſtuc tranſiiſſe liquidum ſit. Apertiſſime vero Paralipomenon, Auctor: *Reliqua autem ſermonum Ezechiæ & miſericordiarum ejus, ſcripta ſunt in Viſione Iſaiæ, filii Amos, Prophetæ.* Vere: nam geſtis Ezechiæ narrandis triceſimum ſextum Iſaiæ caput, cum ſequentibus tribus conſecratur. Narrat Joſephus Cyrum Perſarum Regem pellectis iis quæ de ſe Iſaias ducentis circiter ante annis prædixerat, cum ſe certo Dei Iſraelitarum conſilio, reſtituendis in integrum Ebræis, reparandæque Hieroſolymæ, & Templo reficiendo deſtinatum intellexiſſet, ad id opere præſtandum adjeciſſe animum, & reipſa compleviſſe.

III. At quædam diſſolvenda veniunt argumenta, quibus oppugnatur iſte Liber. Primum a ſexti capitis initio exorſum eſſe Prophetam vaticinium ſuum quidam volunt, idcirco quod propter oris ſui impuritatem ad id tempus tacuiſſe ſe ait: tum ſubjicit: *Et audivi vocem Domini dicentis: Quem mittam, & quis ibit nobis? Et dixi, Ecce ego, mitte me. Et dixit, Vade.* Hæc ſi recte colliguntur, ſequitur vel perverſum eſſe Libri hujus ordinem, & priora quinque capita loco ſuo fuiſſe mota, vel adventitia eſſe & ſuppoſita. Quæ tamen non ita ſunt: nec enim id ſibi vult Prophetæ, ſe ad hanc diem penitus obmutuiſſe, & ſibi tum primum vaticinandi munus a Deo fuiſſe impoſitum; ſed de hoc tantum viſo ſe diutius quam deceret tacuiſſe, ejusque vulgandi mandatum a Deo accepiſſe. Multis enim vaticiniis Prophetarum libri conſtant, multis viſis a ſe ita disjunctis & ſecretis, ut nequaquam temere permiſcenda ſint, & quæ unius ſunt, ad aliud minime ſint flectenda. Rem confirmabimus exemplo. Leguntur iſta triceſimo tertio capite Ezechielis: *Et factum eſt in duodecimo anno, in decimo menſe, in quinta menſis transmigrationis noſtræ, venit ad me qui fugerat de Jeruſalem dicens, Vaſtata eſt civitas. Manus autem Domini facta fuerat ad me veſpere,*

Iſa. 2, 2. & ſeq. Mich. 4, 1. & ſeq.

Nah. 1, 4.

Iſa. 33, 9.

Jerem. 48, 37. 38.

Iſa. 15, 2.

Jer. 48, 44.

Iſa. 24, 18.

Jer. 50, 2.

Iſa. 46, 1.

2. Par. 32, 32.

Joſeph. Antiq. l. 11. c. 1.

Refelluntur argumenta Adverſariorum.

Primum argumentum.

Iſa. 6, 8.

Ezech. 33, 21. 22.

Digitized by Google

mane vesperæ, antequam veniret qui fugerat, aperuitque os meum, donec veniret ad me mane, & aperto ore meo non silui amplius. Quis hinc colliget vaticiniorum Ezechielis hoc esse initium, nec ipsum antea suum os reseraſſe? Nempe pertinet silentium illud Isaiæ ad id tempus, quo animo ejus hoc visum objectum est, neque ad alia priora est detorquendum. Huc adde aliam esse loci hujus sententiam apud Septuaginta Interpretes, ut ab Hieronymo quoque observatum est, qui sic illud reddunt: *ὦ τάλας ἐγὼ, ὅτι κατανένυγμαι. O miser ego, quia dolore punctus sum!* Jonathan ben Vziel: *Væ mihi, quia peccavi!* Syrus: *Væ mihi, obstupui!* Arabs: *Audax sum!* Recentiores Interpretes: Vatablus, & Forerius, אוי, exponunt, *Ilicet, perii, actum est de me.* Porro cum visa, quæ toto opere narrantur, sub quatuor Judæ Regibus, Ozia, Joathane, Achazo, & Ezechia, oblata sibi fuisse scribat Isaias; quæ autem sexto referuntur capite, ad annum eum pertineant, quo decessit Ozias, & a multis credantur post Oziæ interitum sub Joathane evenisse; sententia vero ad tricesimum usque & septimum caput sub Achazo contigerint, & reliqua demum ad Ezechiæ tempora referantur, sequitur quinque priora capita in Oziæ regnum esse conferenda. His autem generales quædam continentur præceptiones, monitiones, castigationes, ac minæ, quibus refractarios ac contumaces popularium suorum animos ad Dei obsequium subigere studebat: verum ne sic quidem edomita eorum pervicacia, graviora denuntiavit. Nec mirum sane aut novum videri debet, Isaiam prioribus hisce capitibus excidium genti suæ fuisse interminatum, quod Ozia regnante non contigit: nec enim temporis ordini semper congruit ratio vaticiniorum, in quibus *ὕστερον πρότερον* sæpe occurrit.

Hier. in Isa. 6, 5.

Secundum argumentum. Prov. 25, 1.

IV. Cum in libro Proverbiorum Thalmudistæ legissent, partem aliquam libri illius ab Ezechiæ regis famulis collectam fuisse; inter quos operam quoque suam ad id contulisse Isaiam supra conjectavimus; ipsi contra Isaiæ vaticinationes ab iisdem Ezechiæ familiaribus & necessariis, ipsoque adeo Ezechia scriptas fuisse censuerunt, ut est in Baba bathra. Nec enim aliud opinionis hujus argumentum reperio, quam hoc dictum libri Proverbiorum. Quasi vero vel Ezechias, vel Ezechiæ familiares divino omnes impulsi fuerint instinctu, & vaticinia fundere potuerint: quo stolido commento quantum hominibus istis gloriæ addunt & decoris Thalmudistæ, tantum de Libri hujus existimatione decerpunt, vaticinii dignitatem atque oraculi vim ipsi detrahentes. Ita religiosi illi sacrorum voluminum custodes, quibus *credita sunt eloquia Dei*, quique in apices & literas studiose inquirunt, librorum ipsorum fidem, honorem, ac commendationem temere labefactant. Rom. 3, 2.

Tertium argumentum.

V. Rursum hic in scenam prodit Philosophus Theologo-Politicus, atque Libri hujus auctoritatem elevat hoc argumento, quod non is ipse sit Liber, in quem vaticinia sua conjecit Isaias, sed tantum compilatio fragmentorum Libri hujus, quæ ut fors tulit, hinc inde collecta, potissimum vero ex Chronicis regum Juda & Israel, & in hoc quod habemus volumen compacta sunt. Atque id vult adversus reliquos Prophetarum libros valere. Rationes cur ita sentiat has habet, quod disturbato ordine ac perverso digestæ sint Isaiæ Prophetiæ, nec eam tueantur seriem, qua primum ab Auctore dispositæ inter se ac collocatæ sunt; quod res gestas Oziæ sit literis persecutus, ut adductum supra ex Paralipomenis comma indicat; sub eoque etiam sit vaticinatus, ut apparet ex initio libri Isaiæ qui nunc extat; cum tamen nec acta Oziæ referat idem ille Liber, nec ulla habeat vaticinia quæ sub Ozia edita fuisse constet; quod certum sit præterea, ex Rabbinorum sententia, sub Manasse quoque Isaiam vaticinia edidisse, quorum in ipsius Libro reperire liceat omnino nullum. Verum hæc facile dissolvimus: nam quod ex confuso in hoc Libro prædictionum ordine causſam reperiisse putat, quamobrem eum Isaiæ eripiat; imo vero, vel inde maxime appareat non esse id humanæ mentis opus, res conserte contexteque explicantis, & rationum cohærentiam sequentis, sed afflatu potius cœlesti instinctæ & agitatæ, ac res futuras per intercisa & salebrosa pandentis oracula, quorum obscuritas per ipsos demum eventus rerum erat illustranda. Negamus præterea Oziæ historiam inter vaticinia sua Isaiam descripsisse, sed peculiare opus fuisse censemus, temporum demum injuria deperditum. Supra enim auctoritate libri Paralipomenon, 2. Par. 26, 22.

Digitized by Google

n. Par. 29, 29. 2. Par. 20, 34. Theodoret. Præf. in I. Reg.

ripiomenon, & Theodoreti testimonio adducti docuimus, Prophetas, præter vaticiniorum suorum editionem, historias sæpe temporum suorum peculiari opera literis commendasse. Nec fatemur vero, quæcunque prædixit Isaias, fuisse relata in literas: ac proinde si qua sub Manasse præsignificavit, frustra in hoc Libro requiri putamus; cum præsertim titulus ipse ostendat hoc tantum opere contineri vaticinia sub quatuor regibus, Ozia, Joathane, Achazo, & Ezechia edita. Nam quod attinet ad prædictiones, quæ in Oziæ tempora conveniunt, jam supra ostendimus eas quinque prioribus capitibus descriptas videri.

DE PROPHETIA JEREMIÆ.

I. Disputatur de Auctore Prophetiæ, quæ Jeremiæ nomen præfixum gerit. Jeremiæ ipsi adscribitur Libri compositio, Baruchi vero descriptio. II. Varia Jeremianorum vaticiniorum partes variis temporibus sunt elaborata; III. nec juxta temporum ordinem inter se sunt dispositæ. IV. Recensentur Jeremiæ scriptiones quæ supersunt. V. Probatur Prophetiæ Jeremiæ γνησιότης & antiquitas. VI. Refelluntur argumenta Adversariorum. Primum argumentum. VII. Secundum argumentum. VIII. Tertium argumentum.

Disputatur de Auctore Prophetiæ, quæ Jeremiæ nomen præfixum gerit.

I. VAticiniorum nomine suo inscriptorum auctorem se, cum ipso initio, tum etiam passim profitetur Jeremias: *Verba Jeremiæ*, inquit, *filii Helciæ, de Sacerdotibus, qui fuerunt in Anathoth, in terra Benjamin.* Tum paulo post sic ipse de se non semel disserit τὸν ἐγγράφως (*ex propria persona:*) *Et factum est verbum Domini ad me.* Rursum: *Et misit Dominus manum suam, & tetigit os meum.* Quibus vero temporibus singula sibi a Deo, a se vero Judæis, aliisque gentibus edita sint oracula, suis signavit locis unde cognoscitur eum pene puerum, anno primum Josiæ decimo tertio vaticinia sua auspicatum, regnantibus deinde Joachazo, Joakimo, Jechonia, & Sedecia, per annorum circiter quadraginta decursum, ad Urbis usque excidium, quod Sedeciæ undecimo contigit, Dei mandata ac futura in Judæ ac Benjamin tribubus mala, populo denuntiasse: Godolia deinde, qui Sedecie fuerat suffectus, ab Ismaele interfecto, ipsum Jeremiam cum Barucho, a Johanano filio Caree, in Ægyptum fuisse abductum, & novis vaticiniis Judæos illic degentes, Ægyptum, aliasque gentes conterruisse. Quo factum esse ferunt, ut concitatis adversus se hominibus nefariis, gentilibus suis, quos crebris objurgationibus incessebat, lapidibus demum Taphnis oppressus sit; quo pertinere creditur istud ex Epistola ad Ebræos, λιθάζονται, *lapidibus cæsi sunt:* vel juxta Gregentium, jaculis in cœno sit confixus. Verum cum ejus obitus non aperte in scriptura sit expressus, superesse eum ad hanc diem in vivis, & cum Elia supremis mundi temporibus appariturum fore plerique Patres arbitrati sunt. Quidam ex Ebræis, in patriam ex Ægypto cum Baucho remeasse asseverarunt. Mirari porro subit, cur scripserit Abrabaniel Jeremiam cum Jechonia in Babyloniam fuisse deportatum, atque illic diem suum obiisse; Abulfaragius vero, inventam in Ægypto ejus urnam Alexandrum deportasse Alexandriam, ibique esse sepultum. Quæ inter Rabinorum deliria & Arabum nugas amandamus. Porro non voce solum prolata hæc a se vaticinia, sed in literas etiam Dei jussu a se fuisse relata non semel docet; velut vicesimo quinto capite, cum ait: *Et adducam super terram illam omnia verba mea, quæ locutus sum contra eam; omne quod scriptum est in Libro isto, quæcunque prophetavit Jeremias adversum omnes gentes:* Item alibi: *Et hæc sunt verba Libri, quem misit Jeremias Propheta de Jerusalem ad reliquias seniorum transmigrationis.* Et tricesimo capite: *Hoc verbum quod factum est ad Jeremiam a Domino dicens: Hæc dicit Dominus Deus Israel dicens: Scribe tibi omnia verba, quæ locutus sum ad te, in libro.* Tum ad calcem vaticiniorum suorum: *Et scripsit Jeremias omne malum quod venturum erat super Babylonem in Libro uno; omnia verba hæc quæ scripta sunt contra Babylonem.* Ad ea autem describenda usum eum opera Baruchi, filii Neriæ, hæc indicant e quadragesimo quinto capite: *Verbum quod locutus est Jeremias Propheta ad Baruch, filium Neriæ, cum scripsisset verba hæc in Libro ex ore Jeremiæ.* Clariora etiam isthæc e tricesimo sexto capite: *Factum est verbum hoc ad Jeremiam a Domino dicens:*

Ebr. 11, 37. Gregent. Disput. cum Herbano Jud.

R. Isaac. Abrab. in Ezech. 1. Abulf. hist. Orient. Dyn. 3.

Jer. 25, 13.

Jer. 29, 1.

Jer. 30, 1.

Jer. 51, 60.

Jer. 45, 1.

Jer. 36, 1, 2, 4.

Jeremiæ ipsi adscribitur Libri compositio, Baruchi vero descriptio. Jer. 1, 1-5. 7-9.

Tolle volumen Libri, & scribes in eo omnia verba, quæ locutus sum tibi adversum Israel, & Judam, & adversum omnes gentes, a die qua locutus sum ad te, ex diebus Josiæ, usque ad diem hanc. Vocavit ergo Jeremias Baruch, filium Neriæ, & scripsit Baruch ex ore Jeremiæ omnes sermones Domini, quos locutus est ad eum, in volumine Libri. Deinde: *Jeremias autem tulit volumen aliud, & dedit illud Baruch, filio Neriæ, scribæ, qui scripsit in eo ex ore Jeremiæ omnes sermones Libri, quem combusserat Joakim rex Juda igni, & insuper additi sunt sermones multo plures quam antea fuerant.* Jer. 36, 32.

Variæ Jeremianorum vaticiniorum partes variis temporibus sunt elaboratæ;

II. Ex his cognoscitur duplicem primum fuisse vaticiniorum Jeremiæ descriptionem; priorem oracula universa a Deo Jeremiæ edita ad Joakimi usque tempora complexam, alteram vero longe ampliorem, majori nempe verborum ornatu ac pondere elaboratam, & novis prædictionibus adauctam, graviorumque pœnarum; comminationibus, quibus ulciscendum Deus decreverat recens illud Joakimi regis facinus, cum priorem vaticiniorum Jeremiæ libellum discidit, & concremavit. His ergo necesse est multo post subjecta fuisse vaticinia hæc, quæ Jeremiæ revelata sunt Sedeciæ temporibus. Atque hæ duæ partes prius videntur totam Jeremianarum prædictionum complexionem constituisse. Manifeste id ostendit ipsum Libri proœmium: *Verba Jeremiæ: quod factum est verbum Domini ad eum in diebus Josiæ, filii Amon, regis Juda, in tertio decimo anno regni ejus. Et factum est in diebus Joakim, filii Josiæ, regis Juda, usque ad transmigrationem Jerusalem, in mense quinto.* Postea vero subnexa sunt ea quæ gessit & prænuntiavit Jeremias post ultimam Hierosolymorum cladem, & Sedeciæ deportationem, quoad ipse cum Barucho in Ægyptum abductus est. Reliqua in Ægypto literis tradita sunt & hac quinquagesimi primi capitis clausula terminantur: *Hucusque verba Jeremiæ.* Quæcunque vero adversus Babylonem quinquagesimo capite ac sequenti mala denuntiantur, eadem videntur in eo extitisse libro, quem per Saraiam Babylonem deferri, illicque prælegi, ac deinde in Euphratem projici jussit. Postremum caput e duobus postremis quarti libri Regum totum fere depromtum est: quo partim ea narrantur, quæ jam supra narraverat Jeremias, partim quæ post ejus obitum evenerunt: velut obitus ipse Jechoniæ. Qui cum multo junior fuerit Jeremia, uti chronologicis ratiociniis demonstrare facile est; cumque violenta morte obiisse tradatur Jeremias, naturali vero Jechonias, non absurde colligimus Jeremiæ superfuisse Jechoniam, resque obitu Jeremiæ recentiores postremo hoc capite narrari. Iterationes autem rerum jam supra dictarum, etsi apud Ebræos non infrequentes sunt, cum exiguæ sunt atque breves; at prolixæ, & iisdem verbis conceptæ apud eos fere sunt inusitatæ. Porro in clausula illa, *Hucusque verba Jeremiæ*, totum opus desiisse, ac proinde adventitia esse quæ subjecta sunt, manifesto liquet: nam quamvis perturbatus in eo sit ordo rerum, locum tamen suum retinuerunt primum ac postremum caput. Id effecerunt clausulæ utrique appositæ: hæc scilicet quæ primo præfixa est, *Verba Jeremiæ*; & ista postremo subnexa, *Hucusque verba Jeremiæ*; quibus velut certis notis Libri totius fines sunt determinati. Splendide itaque hallucinabitur, quisquis caput illud Jeremiani partem esse operis censuerit, uti supra adnotavi, cum de libris Regum dissererem. Minime vero dubium mihi est, quin Voluminum sacrorum concinnator Esdras hoc caput a se compositum, & e libris Regum a se, ut nobis verisimile fit, elaboratis, magna ex parte decerptum illuc adtexuerit, ut esset argumentum sequentium Jeremiæ Threnorum. Atque id propius ad verum videtur accedere, quam, quod opinatus est Sixtus Senensis a Barucho postremum id caput fuisse adjunctum: nec enim credibile est eadem illic iterasse ipsum de Sedeciæ infortuniis, quæ paulo superius Jeremia dictante retulerat. Sixt. Sen. Bibl. l. 1.

nec juxta temporum ordinem inter se sunt dispositæ.

III. Minime vero temporum ordini capitum series respondet, magnaque rerum inest confusio; id quod observatum est ab Origene in Epistola ad Africanum, & ab Hieronymo. Nam quæ postrema sunt, Joakimo regnante sunt prædicta, atque alia itidem nonnulla, huc & illuc sparsa; quibus inserta alia sunt, Sedeciæ temporibus edita; quædam etiam post ejus deportationem; sive hoc ordine dispositæ in Baruchi adversariis, eo defuncto reperta sint, cum morte fortasse oppressus ea nondum digessisset; sive casu deinde, Hier. Præf. in Jerem.

Digitized by Google

deinde, aut librariorum incuria confusa ea sint; sive demque temporum rationem insuper habuerit Baruchus, & certis aliquibus de caussis alium ordinem secutus sit; quod non temere credi potest. Nam cum quadraginta quatuor prioribus capitibus Judaicas res exposuisset, sequens ad Baruchum pertinet, reliqua ad extraneas gentes. Conjectura nostra nititur verbis Hieronymi, quæ de Jeremiæ Prophetia sic præfatur: *Præterea ordinem visionum, qui apud Græcos & Latinos omnino confusus est, ad pristinam fidem correximus.* Ergo Hieronymi interpretatio, quam hodie terimus, ad pristinam fidem correcta est, pristinumque ordinem sequitur: neque est cur Critici novitii in restituendo hoc ordine desudent; quasi Baruch & Esdra sapientiores esse velint. Confusio autem interpretationi Septuaginta Senum adhæsit, nec ab Hieronymo emendata est. Generatim vero observare licet, res a Prophetis nullo servato ordine, sed sparsim ac confuse fere esse narratas. Nempe sic decuit viros, non rationes humanæ dictata sequentes, & seriem rerum cogitate texentes, sed divino impulsos motu, ac decœlo afflatos, & sacro, si ita loqui fas est, furore correptos. Legimus apud Auctorem libri de vita & morte Prophetarum, qui Dorotheo tribuitur, omnes Prophetas, præter Davidem & Danielem, vaticinia sua non ipsos commendasse literis; sed Scribas, qui in Templo erant, ea quoties quibusque diebus ex vaticinantium ore excepisse: quæ cum alia, aliaque essent, & prout cœlestis se dabat ille spiritus, dissipato & indigesto ordine funderentur, ita a Scribis in libros fuisse relata. Hæc partim vera esse, partim aliter se habuisse puto: plures enim quam quos notat Pseudo-Dorotheus, suas ipsos prædictiones ad posteritatis memoriam arbitror descripsisse; nec omnium, qui hanc aliis reliquerunt curam, prophetias a Scribis illis fuisse scripto consignatas.

Recensentur Jeremiæ scriptiones quæ supersunt. Thalm. Baba bathr. c. 1.

IV. At præter hoc vaticiniorum opus, & Threnos, de quibus proxime acturi sumus, alia pleraque Jeremias scripsisse fertur. Nam & libros Regum fœtum ipsius esse sciscunt Thalmudistæ; quæ a nobis supra improbata est opinio: & ipsius nomen præferunt, Psalmus sexagesimus quartus, & centesimus tricesimus sextus; & ejus Epistola ad captivos qui in Babyloniam abducendi erant constat sextum Baruchi caput, de quâ mox disputabimus. Hæc autem Epistola, cum Threnis & Prophetia Jeremiæ, unicum efficiebat librum, uti tradunt Origenes apud Eusebium, & Hilarius. Denique ex eo libro, quo calamitates Babyloniis eventuras prædicebat, quemque per Saraiam Babylonem deferri, & in Euphratem mergi curavit, depromta videntur Jeremianorum vaticiniorum capita duo, quinquagesimum cum sequenti. Reliquas Jeremiæ scriptiones accurate recenset Sixtus Senensis; quæ quoniam intercederunt, neque ad institutum pertinent opus, eas prætermittimus.

Euf. Hiſt. l. 6. c. 25.

Sixt. Sen. Bibl. l. 2.

Probatur Prophetia Jeremiæ γνησιότης & antiquitas.

V. Cæterum Jeremiani vaticinii γνησιότητα & antiquitatem præclara ac manifesta proximarum & porro consequentium ætatum testimonia confirmant. Nam primum Threni ipsi eas habent locutiones, quas ex eadem origine venisse unde & ipsum prædictionum opus, haud dubium est. Tale est istud Threnorum comma: *Plorans ploravit in nocte, & lacrymæ ejus in maxillis ejus:* quod hujus Prophetia germanum est: *Plorans plorabit, & deducet oculus meus lacrymam, quia captus est grex Domini.* Ista quoque e Threnorum secundo: *Deduc quasi torrentem lacrymas per diem & noctem, non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui:* paria sunt istis: *Deducant oculi mei lacrymam per noctem & diem, & non taceant.* Baruch, Jeremiæ scriba ac familiaris, totas ex ejus scriptionibus sententias libello suo inseruit. Nam quod ait secundo capite: *Quod si non audieritis vocem Domini Dei vestri, operari regi Babyloniæ, defectionem vestram faciam de civitatibus Juda, & a foris Jerusalem, & auferam a vobis vocem jucunditatis, & vocem gaudii, & vocem sponsi, & vocem sponsæ, & erit omnis terra fine vestigio ab inhabitationibus eam:* id liquido expressum est ex istis Jeremiæ: *Perdamque ex eis vocem gaudii, & vocem lætitiæ, vocem sponsi, & vocem sponsæ, vocem molæ, & lumen lucernæ: & erit universa terra hæc in solitudinem & in stuporem, & servient omnes gentes istæ regi Babylonis septuaginta annos:* quibus similia reperies capite Jeremiæ septimo. Hanc autem locutionem ex Osea sumsisse Jeremiam infra ostendam. Subjicit Baruch: *Ut transferrentur ossa regum nostrorum, & ossa patrum nostrorum de loco suo: & ecce projecta sunt in calore Solis, & in gelu noctis:* quippe scripserat

Thren. 1, 2.

Jer. 13, 17.

Thr. 2, 18.

Jer. 14, 17.

Bar. 2, 22. 23.

Jer. 25, 10.

Jer. 7, 34.

Digitized by Google

Jer. 8, 1. 2. rat Jeremias: *In illo tempore ait Dominus: Ejicient ossa regum Juda, & ossa principum ejus, & ossa Sacerdotum, & ossa Prophetarum, & ossa eorum qui habitaverunt Jerusalem, de sepulcris suis, & expandent ea ad Solem & Lunam.* Bar. 2, 35. Nec multo post hæc scribit Baruch: *Et statuam illis testamentum alterum sempiternum, ut sim illis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum:* Jer. 31, 31. 32. ut istis Jeremiæ accineret: *Feriam domui Israel, & domui Juda fœdus novum:* deinde: *Ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum.* Bar. 4, 15. Alio loco sic Baruch: *Adduxit enim super illos gentem de longinquo, gentem improbam & alterius linguæ:* præiverat Jeremias cum diceret: *Ecce ego adducam super vos gentem de longinquo domus Israel, ait Dominus; gentem robustam, gentem antiquam, gentem cujus ignorabis linguam, nec intelliges quid loquetur.* Jer. 5, 15. Plurima indidem ab Ezechiele hausta reperire licet: puta hæc e decimo octavo capite: *Quid est quod inter vos parabolam vertitis in proverbium istud in terra Israel, dicentes: Patres comederunt uvam acerbam, & dentes filiorum obstupescunt? Vivo ego, dicit Dominus, si erit ultra vobis parabola hæc in proverbium in Israel. Ecce omnes animæ meæ sunt: ut anima patris, ita & anima filii mea est: anima quæ peccaverit, ipsa morietur:* Ezech. 18, 2. 3. 4. Jer. 31, 29. 30. ad istud exemplar videntur excusa: *In diebus illis non dicent ultra: Patres comederunt uvam acerbam, & dentes filiorum obstupuerunt; sed unusquisque in iniquitate sua morietur; omnis homo, qui comederit uvam acerbam, obstupescent dentes ejus.* Totum illud Ezechielis comma, quo pastores Israelis incessit tricesimo quarto capite, plane similia sunt eorum quæ Jeremias capite vicesimo tertio in eamdem sententiam disseruit. Omnem vero repugnandi ansam præcidit Dan. 9, 2. Daniel cum ait: *Ego Daniel intellexi in libris numerum annorum, de quo factus est sermo Domini ad Jeremiam Prophetam, ut complerentur desolationis Jerusalem septuaginta anni.* 2. Par. 36, 20. 21. Nec aliter Auctor Paralipomenon: *Ut compleretur sermo Domini ex ore Jeremiæ, & celebraret terra sabbatha sua: cunctis enim diebus desolationis egit Sabbathum, usque dum complerentur septuaginta anni. Anno autem primo Cyri regis Persarum ad explendum sermonem Domini, quem locutus fuerat per os Jeremiæ, suscitavit Dominus spiritum Cyri regis Persarum.* Eadem repetuntur initio libri Esdræ. Atque ea significantur, quæ extant capite vicesimo nono Jeremiæ: *Hæc dicit Dominus: Cum cœperint impleri in Babylone septuaginta anni, visitabo vos, & suscitabo super vos verbum meum bonum, ut reducam vos ad locum istum:* Jer. 29, 10. & quæ vicesimo quinto capite: *Et erit universa terra hæc in solitudinem & stuporem, & servient omnes gentes istæ Regi Babylonis septuaginta annis: cumque impleti fuerint septuaginta anni, visitabo super Regem Babylonis.* Jer. 25, 11. 12. Neque vero nobis prætermittendum videtur illud Zachariæ: *Hæc dicit Dominus exercituum. Convertimini de viis vestris malis, & de cogitationibus vestris pessimis:* Zach. 1, 4. quod manavit ex his Jeremiæ: *Hæc dicit Dominus: Ecce ego fingo contra vos malum, & cogito contra vos cogitationem. Revertatur unusquisque a via sua mala, & dirigite vias vestras, & studia vestra. Qui dixerunt, Desperavimus, post cogitationes enim nostras ibimus.* Jer. 18, 11. 12. Item alibi: *Misi ad vos omnes servos meos, consurgens diluculo, mittensque, & dicens: Convertimini unusquisque a via sua pessima, & bona facite studia vestra; & nolite sequi Deos alienos, & non inclinastis aurem vestram neque audistis me.* Jer. 35, 15 Confer & istud Zachariæ: *Ecce enim ego adducam servum meum Orientem,* Zach. 3, 8. cum isto Jeremiæ: *Suscitabo David germen justum;* Jer. 23, 5. utrobique vocem nex reperies, quam interpretes varie reddiderunt: eamdem porro prædictionibus istis sententiam inesse latebere. Alibi Zacharias: Zach. 14, 10. *Et revertetur omnis terra usque ad desertum de colle Remmon ad Austrum Jerusalem, & exaltabitur, & habitabit in loco suo, a porta Benjamin usque ad locum portæ prioris, & usque ad portam angulorum; & a turre Hananeel, usque ad torcularia Regis:* quæ subministrarunt ista Jeremiæ: *Ædificabitur civitas Domino, a turre Hananeel, usque ad portam anguli:* Jer. 31, 38. & seq. *& exibit ultra norma mensuræ in conspectu ejus super collem Gareb, & circuibit Goatha, & omnem vallem cadaverum, & cineris, & universam regionem mortis, usque ad torrentem Cedron, usque ad angulum portæ equorum orientalis. Sanctum Domini non destruetur, & non evelletur ultra in perpetuum.* Cum ergo Jeremiæ vestigia tam studiose legisse Zachariam observassent Judæi, vulgari sermone dicebant Jeremiæ spiritum in Zachariam transiisse. Cum ea scriberet Sirachides: *Incenderunt electam sanctitatis civi-* Eccl. 49, 8. 9.

tatem,

Digitized by Google

tatem, & desertas fecerunt vias ipsius in manu Jeremiæ: nam male tractaverunt illum, qui a ventre matris consecratus est Propheta, evertere, & perdere, & iterum ædificare & renovare: respiciebat procul dubio ad ista
Jer. 1, 10. Jeremiæ: *Ecce constitui te hodie super gentes, & super regna, ut evellas, & destruas, & dissperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes.* Nec leve vetustatis argumentum capi potest ex mensibus, quos numeris suis Jeremias designavit, cum post captivitatem Babylonicam nominibus Chaldaicis eos fere Judæi signare consueverint.

Quin etiam in Ethnicos sparsa est Jeremianarum prædictionum fama, easque & ipsum Jeremiam præconio insigni prosecutus est Alexander Polyhistor, qui Ptolemæi Lathyri temporibus vixit. Extat illud apud Eusebium libro nono Præparationis Evangelicæ; quod tamen si propius inspexerimus, ea illic de Jeremia referri deprehendemus, quæ in ipsius prædictionibus nuspiam occurrunt: ait enim Jeremiam impendentes clades, & mox futurum exilium ac servitutem denuntiasse Judæis, ac propterea flammis eum a Jechonia rege esse destinatum; captum demum a Nabuchodonosore Jechoniam ipsum, & Babylonem deportatum, cum universa Templi gaza, præter Arcam fœderis, & inclusas in ea Tabulas Legis. Quæ cum in Prophetia Jeremiæ non extent, videntur depromta ex ejus Descriptionibus, quæ Chaldæis Hierosolymam diripientibus, Arcam cum Tabernaculo & Altari incensi, in speluncam montis Nebo a Jeremia fuisse illatam & occultam docebant, uti testatur secundus liber Machabæorum. Ad ætatem autem Jasonis Cyrenæi, cujus historia in epi-
2 Mach. 2, 1. tomen contracta Machabaico eodem secundo continetur, proxime accessit Alexandri Polyhistoris ætas, adeo ut ab hoc quoque legi potuerint Jeremiæ Descriptiones.

Refelluntur argumenta Adversariorum. Primum argumentum. VI. At non Philosophi Theologo-Politici cavillationes effugit iste Liber, sed ex confuso ac perturbato, quem notavimus, temporum ordine, & ex ea quam in diversis rerum earumdem narrationibus inesse putat discrepantia ac repugnantia, criminandi ejus sumit argumentum. Hæc autem inde evenisse censet, quod ex diversis Historicis collectus sit & decerptus. Quæ tamen aliis plerique ex causis oboriri potuisse manifestum est. Nam quod ad temporum perturbationem spectat, id jam supra a me ostensum est. Res vero ut discrepare viderentur depravatio Codicum, vel narrationis obscuritas facere potuerunt. Verum ut temporum ac rerum confusionem inesse fateor, ita ullam inesse repugnantiam prorsus nego: nam quod ait vicesimo primo capite Scriptorem afferre causam, cur in carcerem conjectus sit Jeremias, nempe quod Urbis vastationem prædixerit Sedeciæ, tum capite sequenti Joakimi tempora repetere, & interpositis deinde multis capitibus tricesimo octavo demum capite ad ea reverti, quæ vicesimo primo narrari cœpta fuerant; aliamque illic narrari causam, quamobrem custodiæ traditus sit Jeremias, quam quæ superiori capite fuerat allata: hoc, inquam, nulla ratione objicitur. Nam vicesimo primo capite de Jeremiæ comprehensione, aut comprehensionis causa nullum prorsus verbum extat: at vicesimo secundo capite, & sequentibus duobus, quibus interrumpi putat annorum seriem, continuat Jeremias suam ad eosdem Sedeciæ legatos orationem, & ad perterrefaciendum Sedeciam nonnulla refert, quæ sibi a Deo adversus Joachazum sive Sellumum, & Joakimum, & Jechoniam præsignificata fuerant. Caput vero tricesimum octavum, quod vicesimi primi continuationem esse putat, omnino non est; hoc enim Phassurum, & Sophoniam alloquitur Jeremias; illo Saphatiam, Gedeliam, Juchalem, & Phassurum ait audivisse sermones, quos ad omnem populum habere ipse consueverat. Falsum quoque est, tricesimo septimo capite, & tricesimo octavo diversas afferri causas, quamobrem Jeremias comprehensus sit: nam res penitus diversæ utrobique narrantur; illic quippe Jeremias, cum rus suum peteret, sic tanquam profugus & perduellionis reus, a Jeria custode comprehenditur, & in carcerem Jonathanis compingitur: hic vero quod in hujus carceris vestibulo ad populum verba faceret, & ad relinquendam Urbem sollicitaret, Saphatias, Gedelias, Juchal, & Phassur, annuente Sedecia, inde extractum in lacum Melchiæ detruserunt. Itaque annorum seriem, & narrationem rerum hoc Libro confusam esse fateor; res vero aut verba inter se discrepare plane nego; & ut utrumque

Tractatus Th. Polit. c. 10.

Digitized by Google

darem, ex Hiſtoricorum tamen, unde petita ea vult Philoſophaſter, repugnantia & diſcordia prodire omnino infitiarer.

Secundum argumentum.

VII. Capite præterea vicesimo ſecundo carpendi ſui, & in dubium revocandæ ſuæ γνησιότητος Diſputatori eidem cauſſam præbuit Jeremiæ Prophetia. Quæ cum hæc habeat: *Numquid vas fictile atque contritum vir iſte Jechonias? numquid vas absque omni voluptate? quare abjecti ſunt ipſe & ſemen ejus, & projecti in terram quam ignoraverunt? Terra, terra terra, audi ſermonem Domini. Hæc dicit Dominus: Scribe virum iſtum ſterilem, virum qui in diebus ſuis non proſperabitur: nec enim erit de ſemine ejus vir, qui ſedeat ſuper ſolium David, & poteſtatem habeat ultra in Juda;* palam hæc repugnare ait Philoſophus libro quarto Regum, cujus poſtremum caput ſummis honoribus affectum ab Evilmerodacho Jechoniam fuiſſe narrat; & libro Paralipomenon primo, cujus tertium caput octo filios Jechoniam ſuscepiſſe docet, Salathielem in his, & Phadaiam Patrem Zorobabelis, qui populi dux fuit, & regium jus inter ſuos exercuit, licet regis nomen regiaque ornamenta non uſurparit. At vel ex hac argumentatione oſtendit Philoſophus vix unquam ſe in Scripturæ ſacræ adyta penetraſſe. Sciret hoc loco Paralipomenon alium notari Zorobabelem, quam qui Judæorum dux fuit, uti recte a Grotio obſervatum eſt; hunc Salathielis fuiſſe filium, ut habetur in libris Eſdræ, Aggæi, Matthæi, & Lucæ; illum Phadaiæ: huic Reſam filium fuiſſe, ut eſt apud Lucam; illum vero inter octo, quos genuit liberos, & quorum nomina extant in Paralipomenis, nullum Reſæ nomine appellatum habuiſſe. Quod ergo habet Alexandrinus Codex, καὶ υἱοὶ σαλαθιὴλ, ζοροβάβελ, καὶ σεμεΐ. *Et filii Salathielis, Zorobabel, & Semei,* pro eo quod præferunt vulgati libri Septuaginta Interpretum capite tertio prioris Paralipomenon: καὶ υἱοὶ Φαδαΐας, ζοροβάβελ, καὶ σεμεΐ. *Et filii Phadaiæ, Zorobabel, & Semei:* id videtur interpolatum aliquibus hanc clauſulam ſtudentibus ita conciliare clauſulis aliis, quæ Zorobabelem Salathielis filium faciunt. Mera vero corruptela eſt id quod extat apud Interpretem Syrum & Arabem: *Filii Nedabiæ, Zorobabel, & Semei.* Neque placet Judæorum reſponſio, qui Zorobabelem Salathielis nepotem fuiſſe volunt, utpote Phadaiæ filium, qui Salathiele genitus ſit: nepotes autem ſæpe filios dici, quippe qui ab avo patris genitore geniti cenſeantur. Quod ut tueri poſſint, dicere coguntur mancam eſſe & hiulcam decimi octavi verſus orationem: *Melchiram, Phadaia, Senniſer, & Jecemia, Sama, & Nadabia;* atque ad eam explendam verba hæc eſſe præfigenda: *Et filii Salathielis fuerunt.* Quæ ſi amplectamur, dicendum itidem erit, quod ab aliquibus dictum eſt, Moſollamum Zorobabelis filium, alio nomine dictum fuiſſe Abiud, ut Matthæi verbis ſua conſtet fides. Verum cum hæc nulla veterum ſcriptorum aut codicum tueatur auctoritas, temere nequaquam videntur admittenda. Porro Salathielem illum Zorobabelis patrem, Neri fuiſſe filium docet Lucas: at in Paralipomenis ſic habent Ebraica: ובני יכניה אסר שאלתיאל בנו. Septuaginta: καὶ υἱοὶ Ιεχονίας, Ἀσὴρ, σαλαθιὴλ υἱὸς αὐτῶν. *Et filii Jechoniæ, Aſir, Salathiel filius ejus.* Id ſibi vult, Aſirum Jechoniæ natura filium fuiſſe, Salathielem vero Aſiri filium lege, hoc eſt ſucceſſione, ac bonis; quia nimirum Salathiel Aſiro ſucceſſit, eoque defuncto ſummus populi judex, dux, & princeps creatus eſt. Fidem aſtruit huic reſponſioni ſuperior verſus capitis ejusdem Paralipomenon, ubi Ebraica, & Septuaginta habent: *Et filii Joakim, Jechonias filius ejus, Sedecias filius ejus.* At Sedeciam Joſiæ & Amitalis filium, Joakimi fratrem, Jechoniæ patruum fuiſſe docent libri Regum: hic autem Jechonias Joakimi filius fuiſſe dicitur, Sedecias autem Jechoniæ, quia nimirum in Jechoniæ locum a Nabuchodonoſore ſuffectus eſt: quod acute itidem vidit Grotius, & ante Grotium aliud agens Eraſmus, præmonſtrante Philone. Itaque Jechonias appellatur vir ſterilis, non quod liberos non procreaverit, ſed quod *abjectus ſit ipſe & ſemen ejus, & projectus in terram, quam ignorabat, & quod non fuerit de ſemine ejus vir qui ſederet ſuper ſolium David, & poteſtatem haberet ultra in Juda.* Itaque Ebraicum; עקרי, Septuaginta & Theodotion vertunt, ἐκκήρυκτον, hoc eſt, *exterminatum;* quod ſecutus eſt Arabs: Aquila, ἀναύξητον, *qui augeri non poteſt;* Symmachus, κενὸν, *vacuum.* Vas quoque fictile & contritum, vas ſine voluptate dicitur Jechonias, quod regno, patria, bonis, libertate

Jer. 22, 28. & ſeqq.

4. Reg. 25, 27. & ſeqq.

1. Par. 3, 16. & ſeqq.

Grot. in Luc. 3, 23.

Luc. 3, 26.

1. Par. 3, 19. 20.

Luc. 3, 27.

1. Par. 3, 16.

4. Reg. 23, & 24.

Eraſm. & Grot. in Luc. 3, 23.

Jer. 22, 28. 30.

tate dejectus, in externo solo ad alterius arbitrium vitam egerit: quarum rerum jacturam nulli honores, nulla præmia sarcire possunt. Præclare igitur Jeremiæ libro convenit cum Paralipomenis, si quis non in Scripturæ sacræ cortice cum Philostrato hærere, sed intima enucleare sciat.

Tertium argumentum.

VII. Alio præterea argumento fidem Libri hujus ac auctoritatem convellere conatur Theologo-Politicus Tractator. Jer. 34, 5. Scripsit Jeremias tricesimo quarto capite: *Audi verbum Domini, Sedecia, rex Juda: Hæc dicit Dominus ad te: Non morieris in gladio, sed in pace morieris.* Hæc ei minime convenire ait ille libertatis Philosophicæ patronus, cujus oculi effossi sunt, postquam filiorum cædem spectavit. Quid ita vero? an cœcorum omnium violenta mors est? at notasset duo hæc invicem opponere Prophetam, *mori in gladio, & mori in pace:* violentam nempe & maturatam mortem, tranquillæ, spontaneæ, & naturali, quæ cœcis perinde ut oculatis contigit. Hanc oppetiit mortem Sedecias, cum prius lethi genus filii ejus subiissent. At qui se Philosophum, Theologum, & Politicum duntaxat fuerat professus, hic etiam Criticum agit, & in clausula supra depromta e Jeremiæ vicesimo secundo capite, pro Jechoniæ nomine Sedeciæ nomen subjiciendum censet; hoc vero capitis tricesimi quarti loco, pro Sedeciæ nomine Jechoniæ nomine supponi jubet. Quam recte, videamus. Capite vicesimo secundo verba supra recitata proxime hæc Jer. 22, 24. præcedunt: *Vivo ego, dicit Dominus, quia si fuerit Jechonias, filius Joakim regis Juda, annulus in manu dextera mea, inde evellam* Jer. 22. 26. *eum.* Deinde: *Et mittam te & matrem tuam, quæ genuit te, in terram alienam, in qua nati non estis, ibique moriemini.* Quæ Jechoniæ plane convenire ista indicant e 4. Reg. 24, 15. quarto Regum: *Transtulit quoque Joachim in Babylonem, & matrem Regis, & uxores Regis, & eunuchos ejus.* Sedeciæ vero matrem illuc fuisse abductam nuspiam legitur. Nihilo magis altera pericope; e tricesimo quarto capite: Jechoniæ aptari potest; nam cum totum caput pertinet ad Sedeciam, tum Jer. 34, 2-3. ista maxime: *Hæc dicit Dominus Deus Israel: Vade & loquere ad Sedeciam, regem Juda, & dices ad eum: Hæc dicit Dominus: Ecce ego tradam civitatem hanc in manus Regis Babylonis & succendet eam igni.* Atqui a Nabuchodonosore concremata est Hierosolyma, postquam urgente fame Sedecias Urbem arrepta fuga deseruit; minime vero cum eam Jechonias Nabuchodonosori tradidit. Subungit Jeremias: *Et tu non effugies de manu ejus, sed comprehensione capieris, & in manum ejus traderis, & oculi tui oculos Regis Babylonis videbunt.* Quippe e fuga retractus est Sedecias, & in vincula conjectus, & post visum postremo Babylonium Regem luminibus oculorum est orbatus. At neque effugere conatus est Jechonias, cum in Nabuchodonosoris potestatem ultro venerit, & in libera custodia servatus sit. Tantumne inesse potest temeritatis cuiquam aut impietatis, ut obtuso adeo ac plumbeo ingenio, & severioribus disciplinis tam leviter tincto, sacrorum Voluminum majestatem violare, & in venerandæ vetustatis scriptiones ita grassari audeat!

DE LAMENTATIONIBUS JEREMIÆ.

I. *Disputatur de Auctore Lamentationum, quæ Jeremiæ nomen præfixum gerunt. Jeremiæ ipsi adscribuntur.* II. *Disputatur utrum idem sit hic Liber, qui a Joakimo rege crematus est.* III. *Disputatur de Auctore exiguæ Præfationis Threnis præfixæ. Septuaginta Interpretibus adscribi potest.* IV. *Probatur Lamentationum Jeremiæ γνησιότης & antiquitas.* V. *Refelluntur argumenta Adversariorum. Unicum argumentum.*

Disputatur de Auctore Lamentationum, quæ Jeremiæ nomen præfixum gerunt. Jeremiæ ipsi adscribuntur.

I. SEquuntur Lamentationes Jeremiæ, metro scriptæ, & in quatuor capita digestæ, quorum versus Ebraicarum literarum numerum exæquantes, eo artificio compositi sunt, ut priores ipsorum literæ ordinem elementorum Ebraicorum retineant; excepto tertio capite, quod singulis literis ter iteratis eodem ordine servato ternos versus inchoat. Factum id memoriæ juvandæ caussa, ne quid in iis modulandis cantores turbarentur. Hieronymus in Epistola ad Lætam: *Ordinem teneat literarum, ut memoria nominum in canticum transeat.* Harum argumentum postremo vaticiniorum Jeremiæ capite continetur: quod ab Esdra illuc e libris Regum translatum est, ut sequentium Threnorum caussam aperiret. Cum autem unicum librum cum vaticiniis Threni efficerent, iisque

Hier. Epist. ad Læt. c. 3.

Digitized by Google

continuata serie cohærerent, facile evenit, ut quod pertinebat ad Threnos, antecedentibus Vaticiniis sit adjunctum. Illic autem dum miserabile patriæ suæ excidium luget propheta, suas quoque capite tertio calamitates αὐτοπροσώπως *(ex propria persona)* deplorat, qua re operis auctorem sese luculenter prodit; tum se a populo derisum, contumeliis affectum, maledictis prosciſſum, a suis inimicis deinde in carcerem conjectum, & in lacum demersum conqueritur, seque tandem Dei beneficio inde eductum, & libertati redditum, & inimicos suos facinorum pœnam tulisse ait; quæ cum ipsius vaticiniorum Libro accurate consentiunt.

Disputatur utrum idem sit hic Liber, qui a Joakimo Rege crematus est.

II. Ebræis nonnullis, ac præcipue R. Salomoni persuasum fuit, hunc ipsum esse Librum, quem Joakimus rex, postquam a Baruch jussu Jeremiæ coram populo recitatus est, cum sibi prælegeretur, scalpello conscidit, & in ignem projecit, quemadmodum narratur tricesimo sexto Jeremiæ capite; quemque Baruchus Jeremia dictante rescripsit, gravibus comminationibus auctum, iis nempe quæ habentur quarto Threnorum capite, cum prius volumen tribus duntaxat primis capitibus constaret. His ne assentiar, duæ me causæ absterrent; prior, quod tricesimo sexto capite Jeremianarum prædictionum legatur: Jer. 36, 29. *Et ad Joakim regem Juda dices: Hæc dicit Dominus: Tu combussisti volumen illud, dicens: Quare scripsisti in eo annuncians, Festinus venit Rex Babylonis, & vastabit terram hanc, & cessare faciet ex illa hominem & jumentum?* Certum est itaque in priore illo volumine concremato postrema hæc verba extitisse. Quæcunque autem illic scripta erant, in alterum volumen Dei mandato relata sunt. Jer. 36, 28. *Rursum*, inquit, *tolle volumen aliud, & scribe in eo omnes sermones priores, qui erant in primo volumine, quod combussit Joakim rex Juda.* Atqui vaticinium istud, Babylonii Regis adventum prænuntians, in Threnis minime reperitur. Præterea hæc est ingruentis mali denuntiatio, Threni vero sunt illatæ jam cladis deploratio, ut ostendit Præfatio Libro præfixa. Altera causa oritur ex hoc commate ejusdem capitis: Jer. 36, 32. *Jeremias autem tulit volumen aliud, & dedit illud Baruch, filio Neriæ, Scribæ, qui scripsit in eo ex ore Jeremiæ omnes sermones Libri, quem combusserat Joakim rex Juda igni: & insuper addita sunt sermones multi plures quam antea fuerant.* Cum ergo tria prima capita totum efficerent priorem Librum, uti Ebræi volunt, longe ampliorem capitum numerum secundum volumen continebat, cum unico tantum capite auctor sit Threnorum liber.

Disputatur de Auctore exiguæ Præfationis Threnis præfixæ.

III. Exiguam illam, & vix unius versiculi præfationem, quæ Libri hujus argumentum complectitur, & in Editione vulgata extat, Septuaginta quoque Senum interpretatio repræsentat; sed nec Ebraico exemplari, neque in Chaldaica Jonathanis Paraphrasi, nec in Syriaca interpretatione habetur, neque in Hieronymo, qui Ebraica sectatus est. Hanc ab eo tempore Libro adtextam arbitror, ut quo caput postremum vaticiniorum Jeremiæ, quod ab Esdra argumenti loco fuerat Threnis præfixum, ut docuimus, a librariis inde sejunctum, & ad præcedentis libri calcem fuit adnexum. Nam cum argumento jam inde careret Threnorum liber, præmittendum istud viri eruditi arbitrati sunt. Septuaginta ipsos Interpretes facti auctores credunt plerique, neque nos dissentimus. Id enim vel in vetustissimis eorum editionibus reperitur, & Arabica quoque, aliæque præferunt Interpretationes, ad Græcam illam expressæ.

Septuaginta Interpretibus adscribi potest.

Probatur Lamentationum Jeremiæ synchronismus & antiquitas.

IV. Cæterum quoniam cohærebant Jeremiæ prædictiones & Threni, ut dixi, & in unum volumen compacta erant, hic quoque valere debent argumenta plurima ex iis, quibus illarum vetustatem probavimus. Idem ostendit & cognatio stili, quam statim subodorantur ii, quibus largitus est Deus ῥίνα κριτικήν. *(narem criticam)* Ostendunt & & locutiones similes in utroque opere & germanæ, quas supra adnotavimus. Ostendit & parva illa Præfatio, quam abipsis Septuaginta Senibus videri præfixam docui. Ostendunt & hæc Zachariæ: Zach. 1, 6. *Verumtamen verba mea & legitima mea, quæ mandavi servis meis Prophetis, numquid non comprehenderunt patres vestros, & conversi sunt, & dixerunt: Sicut cogitavit Dominus exercituum facere nobis secundum adinventiones nostras, fecit nobis?* quæ derivata sunt ex istis Threnorum Jeremiæ: Jer. 2, 17. *Fecit Dominus quæ cogitavit, complevit sermonem suum, quem præceperat a diebus antiquis, destruxit, & non pepercit, & lætificavit super te inimicum, & exaltavit cornu hostium tuorum.* Minime vero facit huc iste locus e secundo Paralipomenon:

Univer-

Digitized by Google

2. Par. 35. 24. 25. *Universus Judah & Jerusalem luxerunt Josiam, Jeremias maxime, cujus omnes cantores atque cantatrices usque in præsentem diem Lamentationes super Josiam replicant; & quasi lex obtinuit in Israel, Ecce scriptum fertur in Lamentationibus.* Quamvis enim de iis quæ supersunt Lamentationibus hæc videatur

Joseph. Antiq. l. 10. c. 6. scripsisse Josephus libro Antiquitatum decimo: Ἱερεμίας δ' ὁ προφήτης ἐπικήδειον ᾠδὴν συνετάξε μέλος θρηνητικὸν, ὃ καὶ μέχρι νῦν διαμένει. *Jeremias autem propheta in Josiæ funere lugubre carmen composuit, quod supereſt ad hanc diem:* & allata Paralipomenon verba ad eas quas habemus Lamentationes retulerit

Hieronym. Procem. in Lament. Hieronymus, cum dixit: *Quod enim Lamentationes prædictæ, non solum super urbis Hierusalem vastatione, & Judaici populi captivitate, sed etiam super Josiæ Regis occasu conscriptæ sint, liber Verborum dierum demonstrat:* & quamvis arbitrati sint Ebræi quidam, in hisque R. Selomoh, Iessum in Josiæ funere a Jeremia cantatum, quarto Threnorum capite contineri, atque id maxi-

Thren. 4. 20. me demonstrari hoc versu: *Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris; cui diximus: In umbra tua vivemus in gentibus:* (quippe & is captus dici potest, qui est interfectus. Sic Valerius Flaccus dixit de Amazone, quam sagitta Hercules occide-

Val. Flacc. l. 5. rat: *Herculea mox vulnere prensa sagittæ.*) nos tamen, contra horum omnium auctoritatem, Librum intercidisse judicamus. Nam & postremo hoc capite, & reliquis etiam, urbis ac regionis vastationem, & communem patriæ interitum manifeste luget, quæ in Josiæ funere minime contigerunt. Vel hoc qui affertur versu, etiamsi demus captum dici posse qui occisus est, fatendum tamen est aptius id congruere in Sedeciam, qui captus est, non occisus, & cujus captivitatem direptio urbis consecuta est; quam in Josiam qui occisus, non captus est. Huc adde statim post cædem Josiæ næniam a Jeremia super eo casu scriptam videri, cum post captum Sedeciam, & excisam Urbem, eas scripserit Lamentationes, quæ ad hoc tempus pervenerunt.

Refelluntur argumenta Adversariorum. Unicum argumentum. V. At venire in dubium potest postremum Threnorum caput, quod Oratio Jeremiæ vulgo appellatur; nam neque lamentatio est, & a Theodoreto, qui Librum explanandum susceperat, caput istud est præter-

missum. Verum etsi caput ipsum Lamentatio non est, Lamentationum tamen clausula est, qua post deploratas miserias suas Deum orat Propheta, ut condonatis demum popularium suorum noxis gentem suam restituat in integrum, & pristinis sedibus reponat. Nam quod ad Theodoretum spectat, itane tandem ex Interpretum diligentiæ arbitrio pendebit sacrorum Voluminum γνησιότης & auctoritas? Jam ergo incerta erit viginti posteriorum Jeremiæ capitum fides, quia priora tantum triginta duo, reliquis omissis, Hieronymus exposuit. Jam ergo nutabit & fides totius Lamentationum operis, quod in Aquilæ & Theodotionis Interpretationibus omnino non habebatur. Temere sane a reliquo Threnorum opere partem hanc segregare tentaveris, quam & Ebraicum exemplar, & Septuaginta Senum interpretatio, & Chaldaica, & Syriaca, & Arabica, & Hieronymus quoque ab eo non sejungunt.

DE PROPHETIA BARUCH.

I. *Disputatur de Auctore Prophetiæ, quæ Baruchi nomen præfixum gerit. Baruchi ipsi adscribitur.* II. *Disputatur de Auctore Syriacæ Baruchi Epistolæ. Scripta esse conjicitur a Christiano aliquo, Syriæ monacho.* III. *Probatur Prophetiæ Baruchi γνησιότης & antiquitas.* IV. *Refelluntur argumenta Adversariorum. Primum argumentum.* V. *Secundum argumentum.* VI. *Tertium argumentum.* VII. *Quartum argumentum.*

Disputatur de Auctore Prophetiæ, quæ Baruchi nomen præfixum gerit. Baruchi ipsi adscribitur.

I. AUctoris nomen præ se fert ipse Liber Baruchi: *Et hæc verba Libri, quæ scripsit Baruch, filius Neriæ.* Notat & tempus: *In anno quinto, in septimo die mensis, in tempore quo ceperunt Chaldæi Jerusalem, & succenderunt eam igni*: hoc est, quinque annis post cladem Hierosolymitanam; nec enim alio referri potest id quinquennium; non ad Sedeciam, qui undecim jam annos regnaverat, cum excisa sunt Hierosolyma; non ad Nabuchodonosorem, qui imperium obtinuerat, etiam antequam Judæorum regnum Sedecias capessiviſſet. Tum etiam significat exordium Libri, quorum causa sit lucubratus: *Et legit Baruch verba Libri hujus ad*

Bar. 1. 1. a. 3. 4.

Digitized by Google

aures Jechoniæ, filii Joakim, regis Juda: notat & locum: *Et ad aures populi, a minimo usque ad maximum eorum omnium habitantium in Babylonia, ad flumen Sodi.* Ex his ergo & sequentibus patet Baruchum librum hunc prælegisse Jechoniæ regi, reliquisque Judæis, qui in Babylonia captivi detinebantur; ab iisque ad Joakimum, Helciæ filium, Sacerdotem, cæterosque a Nabuchodonosore in patria, relictos missum fuisse. Tunc autem ab his capitis primi verbis duxisse videtur initium: *Domino Deo nostro justitia, nobis autem confusio faciei nostræ.* Superiora vero a Barucho ipso præfixa subinde fuisse crediderim. Hic ipse porro Baruchus est, Jeremiæ discipulus & amanuensis, quem Josephus nobilissima ortum familia, & patria lingua præclare eruditum fuisse ait: quem tamen vaticinandi facultatem a Deo minime consequi potuisse colligit Maimonides ex Jeremiæ capite quadragesimo quinto, variasque repulsæ hujus causas comminiscitur; quarum vanitatem, præter falsam Baruchi Epistolam, quæ inter Syros celebratur, vel unus ille quem habemus Baruchi liber abunde refellit; qui a viro Jeremianis præceptionibus instituto, assiduoque ejus comite, convictore ac librario scriptus, haud secus quam Jeremiæ vaticinium censeri debet: uti reipsa habitus est a multis, qui ejus testimoniis sub Jeremiæ nomine usi sunt. Porro hunc, itidem ut Jeremiam, Hieronymo teste, *tradunt Ebræi, priusquam Nabuchodonosor Ægyptum caperet, imminentem captivitatem morte vitasse*; cum alii tamen ex eodem Judæorum grege ipsum affirment Babylone mortuum esse & sepultum, duodecim annis post Hierosolymitanum excidium; quemadmodum habetur in Megillah, & apud R. Abrahamum Zacuth in libro Juchasin. Qui vero Baruchum Jeremiæ amanuensem a Barucho libelli hujus Auctore distinguunt, egregie halucinantur; cum uterque dicatur Neriæ filius, & ætates conveniant.

Bar. 1, 15.

Joseph. l. 10. c. 11.

R. Moses ben Maim. More nev. l. 2. c. 32. Bar. Epist. Syr. c. 1.

Hier. lib. 7. in Isa. c. 30.

Thalm. Megill. c. 1.

Disputatur de Auctore Syriaca Baruchi Epistola. Scripta esse conjicitur a Christiano aliquo, Syriæ Monacho.

II. Fertur & inter Syros, ut dixi, Epistola Baruchi, quam omnino suppositam dicas. Ita vero de futuro Judicio, & futuræ vitæ pœnis ac cruciatibus disserit, ut Christiani hominis fœtum esse omnino existimem; alicujus fortasse ex his Monachis, qui Syriæ deserta primis Ecclesiæ temporibus magno numero incoluerunt. Nugatoria sunt, quæ de Angelis narrat, a Deo missis ad convellendas Hierosolymitanas arces ac mœnia, & abscondenda Templi vasa, ne hæc pollueret hostes, & a se fuisse destructa illa gloriaretur. Scripta fingitur ad novem tribus ac dimidiam, trans Euphratem deportatas, ne hanc Israeliticæ gentis partem neglexisse videretur Baruchus, qui alios a Nabuchodonosore Babylonem adductos, & reliquias populi in Judæa manentes alloquiis & adhortationibus suis, altero Libro descriptis, ad pietatem & pœnitentiam erexerat. Scripta fingitur post Hierosolymitanum excidium, quod post eandem calamitatem Baruchi liber fuerit compositus. Quo quidem argumento colligitur pro certo habitum fuisse priscis temporibus, Prophetiam Baruchi editam fuisse, non solum post abductum Jechoniam, quod volunt quidam, sed etiam post Sedecianam cladem. Capite secundo hujus Epistolæ scripta hæc leguntur: *In hunc etiam modum scripsi fratribus nostris Babylonem, & ipsis quoque hac eadem contestor.* Quibus ipsum Baruchi vaticiniorum librum notatum esse credi potest: quod tamen non est ita; nam Syri supposititiam hanc Epistolam, primam Epistolam appellant; Librum vero vaticiniorum Baruchi, secundam Epistolam: nempe quod prior illa non multo post Hierosolymæ direptionem fingatur scripta, cum e Palæstina nondum excessisset Baruchus; vaticinia vero, toto ab ea clade quinquennio. Præterea vaticiniorum Liber, Epistola non est ad Jechoniam missa, sed Liber ipsi, aliisque exulibus Babylone præfectus.

III. Huic autem lucubrationi consequens ætas testimonium præbuit: nam ipsum operis exordium, quod olim, ut dixi, ab his verbis petebatur: *Domino Deo nostro justitia, nobis autem confusio faciei nostræ, sicut est dies hæc, omni Juda, & habitantibus in Jerusalem; regibus nostris, & principibus nostris, sacerdotibus nostris, & prophetis nostris, & patribus nostris. Peccavimus ante Dominum Deum nostrum, & non credidimus [illegible] in eum;* cum sequentibus, Prophetiæ suæ accudit Daniel: ait enim: *Tibi Domine, justitia, vobis autem confusio faciei, sicut est hodie, viro Juda, & [illegible] Jerusalem, & omni Israel, his qui prope, & his*

Probatur Prophetia Baruchi ex vetustate & antiquitate. Bar. 1, 15. 16. 17.

Dan. 9, 7. & seq.

Digitized by Google

his qui procul, in universis terris ad quas ejecisti eos, propter iniquitates eorum, in quibus peccaverunt in te. Domine, nobis confusio faciei, regibus nostris, principibus nostris, & patribus nostris qui peccaverunt: tibi autem Domino Deo nostro, misericordia & propitiatio, quia recessimus a te, & non audivimus vocem Domini Dei nostri, ut ambularemus in Lege ejus. Reliqua prætermitto. Horum germa-
2. Esdr. 9, 32 & seq. na sunt ista Nehemiæ, & indidem deprompta: *Nunc itaque Deus noster, magne, fortis, & terribilis, custodiens pactum & misericordiam, ne avertas a facie tua omnem laborem, qui invenit nos, reges nostros, & principes nostros, & sacerdotes nostros, & prophetas nostros, & patres nostros, & omnem populum tuum, a diebus Regis Assur, usque in diem hanc. Et tu justus es in omnibus quæ venerunt super nos, quia veritatem fecisti, nos autem impie egimus. Reges nostri, principes nostri, Sacerdotes nostri, & patres nostri non fecerunt Legem tuam, & non attenderunt*
Bar. 2, 7. & seq. *mandata tua.* Scripserat Baruchus: *Quia locutus est Dominus super nos omnia mala hæc, quæ venerunt super nos: & non fumus deprecati faciem Domini Dei nostri, ut reverteremur unusquisque nostrum a viis nostris pessimis: & vigilavit Dominus in malis, & adduxit ea super nos: quia justus est Dominus in omnibus operibus suis, quæ mandavit nobis; & non audivimus vocem ipsius, ut iremus in præceptis Domini, quæ dedit ante*
Dan. 9, 13. & seq. *faciem nostram:* ea sic retulit Daniel: *Sicut scriptum est in Lege Moysi, omne malum hoc venit super nos, & non rogavimus faciem tuam, Domine Deus noster, ut reverteremur ab iniquitatibus nostris, & cogitaremus veritatem tuam. Et vigilavit Dominus super malitiam, & adduxit eam super nos. Justus Dominus Deus noster in omnibus operibus suis quæ fecit;*
Bar. 2, 11. & seq. *non enim audivimus vocem ejus.* Pergit Baruchus: *Et nunc, Domine Deus Israel, qui eduxisti populum tuum de terra Ægypti in manu valida, & in signis, & in prodigiis, & in virtute tua magna, & in brachio excelso, & fecisti tibi nomen, sicut est dies iste. Peccavimus, impie egimus, inique gessimus, Domine Deus noster, in omnibus justitiis tuis;* pergit & Dan. 9, 15. Daniel: *Et nunc, Domine Deus noster, qui eduxisti populum tuum de terra Ægyti, in manu forti, & fecisti tibi nomen secundum diem hanc,*
Dan. 9, 5. *peccavimus, iniquitatem fecimus:* item hoc ipso capite: *Peccavimus, iniquitatem fecimus, impie egimus, & recessimus, & declinavimus a mandatis tuis ac judiciis:* his adsonat Ne- 2. Esd. 9, 10. hemias nono capite: *Et dedisti signa atque portenta in Pharaone, & in universis servis ejus, & in omni populo terræ istius: cognovisti enim quia superbe egerant contra eos: & fecisti tibi nomen, sicut & in hac die.* Sic paulo infra Baruchus: *Quia nomen tuum invoca-* Bar. 2, 15. *tum est super Israel, & super genus ipsius:* sic paulo infra & Daniel: *Quia nomen tuum in-* Dan. 9, 19. *vocatum est super civitatem, & super populum tuum.* Postremo cum ita Deum oraret Ba- Bar. 2, 19. ruchus: *Aperi oculos tuos, & vide quia non secundum justitias Patrum nostrorum fundimus preces, & petimus misericordiam ante conspectum tuum, Domine Deus noster, sed quia misisti iram & furorem tuum super nos:* hanc orationem ita expressit Daniel: *Aperi oculos tu-* Dan. 9, 18. *os, & vide desolationem nostram, & civitatem super quam invocatum est nomen tuum: neque enim in justificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis.*

IV. Caveamus interim ne argumentationem hanc labefactet temporum ratio, & dum Baruchi vestigia legisse Danielem credimus, ipsum se ad Danielis imitationem composuisse Baruchum deprehendamus. Quod sane aliter se habet: nam cum Baruchus Babylonem venit, quintus a Sedeciæ captivitate annus agebatur. Atqui nonnisi triginta annis, postquam hoc iter suscepit Baruchus, nonum prædictionum suarum caput scribere potuit Daniel, quippe cum jam Darius Medus Babylonicum regnum occupasset. Quo capite cum Jeremiæ vaticiniorum meminerit, proclivis conjectura est hoc ipso tempore Baruchi librum ob oculos vel in mente habuisse, qui a Jeremiæ discipulo compositus, velut ipsius Jeremiæ fœtus habebatur; proindeque tantam inter Judæos obtinebat existimationem, ut ejus lacinias scriptionibus suis assuere Daniel non dedignaretur. Atque id Libri hujus auctoritatem præclare confirmat adversus ætatis hujus Heterodoxos. *Refelluntur argumenta Adversariorum. Primum argumentum.*

V. Nam quod in Canone non est positus, unde secundum conflatur argumentum, id ex multorum consuetudine evenit, qui inter Jeremiæ scriptiones Librum hunc ponebant. Atque consuetudo a prima Ecclesiæ *Secundum argumentum.*

ætate

ætate prodita, a vetustis Patribus servata est. Nam Baruchi utentes testimonio, Jeremiam se testem citare sæpissime profitentur. Loca indicarem sexcenta, si non laborem hunc doctorum hominum industria jam sæpius antevertisset. Atque hinc evenisse puto, ut Ebraicum exemplar interciderit: cum enim librarii Volumina sacra exscribentes, in eorum indice Baruchi nomen non reperirent, qui sub Jeremiæ titulo continebatur, Librum quoque ejus inde amovendum censuerunt, cujus nomen in titulo non comparebat.

Tertium argumentum. Hier. Præf. in Jer. & Proœm. Comm. in Jer.

VI. Quamvis ergo Græca tantum oratione scriptus ad nos pervenerit; quamobrem eum a se, cum alios Prophetas exponeret, prætermissum testatur Hieronymus; ex Ebraico tamen exemplari, quod annorum diuturnitate consumtum est, derivatam esse hanc interpretationem, non ut volunt quidam, confictam & subditiam, evincunt Ebraismi complures, quibus opus totum perspersum est; iisque tam crebris, ut palam sit opus esse Ebraicæ originis. Neque enim verisimile est hominem Græcum, aut Hellenistam Græce scribentem, tantum Ebraici coloris huic scriptioni allinere potuisse, nisi præeunte ipso exemplari, cujus ductus fidus Interpres sequebatur. Quod si homini Ebraice perito promtum fuisse dicas, etiam cum Græce scriberet, Ebraicæ linguæ saporem retinere, & crebros ubique Ebraismos aspergere; mirum profecto videbitur, virum Ebraicæ loquelæ scientem, cum Baruchi Ebræi nomine opus confingere & supponere vellet, Græcam orationem, non Ebraicam adhibuisse.

Quartum argumentum.

VII. Cuditur etiam adversum nos argumentum ex ipso Baruchi Proœmio, unde apparet scriptum ab eo fuisse Librum, ut jam monui, quinto post anno quam a Chaldæis diruta Urbs & incensa est. Quod ad eam solum pertinere potest vastationem, quæ Sedecia regnante contigit. Nam cum Babylonem deportatus est Jechonias, Templi quidem vasa detracta sunt, multique simul abducti captivi, citra omnem Templi aut Urbis cladem; quæ incendio demum absumta sunt & diruta, cum Sedecias caperetur. Cum ergo post hoc excidium Librum suum significet se scripsisse Baruchus, stante tamen etiam cum Templo scriptum videtur. Nam quid aliud hæc sibi velint quæ a Judæis exulibus ad Judæos in patria relictos scripta fuisse refert: *Ecce misimus ad vos pecunias, de quibus emite holocautomata, & thus, & facite manna, & offerte pro peccato ad aram Domini Dei nostri?* Deinde: *Et legite Librum istum quem misimus ad vos recitari in Templo Domini, in die solemni, & in die opportuno.* Et capite sequenti: *Respice, Domine, de domo sancta tua in nos.* Ait præterea: *Et miserunt in Jerusalem, ad Jakim filium Helcia, filii Salom, Sacerdotem, & ad Sacerdotes, & ad omnem populum, qui inventi sunt cum eo in Jerusalem.* Quæ videntur aperte iis repugnare, quæ leguntur postremo capite libri quarti Regum: *Et succendit domum Domini, & domum Regis, & domos Jerusalem, omnemque domum combussit igni.* Tum: *Reliquam autem populi partem, quæ remanserat in civitate, & perfugas qui transfugerant ad Regem Babylonis, & reliquum vulgus transtulit Nubuzardan princeps militiæ. Et de pauperibus terræ reliquit vinitores & agricolas.* Hæc quantumvis ἀσύστατα (simul non consistentia) facile conciliabimus, si memineri mus auctorum locutiones non esse semper ad vivum resecandas, & ex verborum sono interpretandas: nam quamvis conflagrasse dicatur Templum, & universæ domus Jerusalem, non tamen sic accipiendum est, quasi ne Templi quidem parietinæ ne tugurium quidem, aut pergula incendio exempta sit. Demus tamen tantam fuisse ignium vim, aut Chaldæorum furorem, ut viles etiam attegias consumserit; num credibile est per annos quinque, qui effluxerunt ab Hierosolymitana clade, ad id tempus quo Liber Baruchi in Judæam missus est, vinitores illos & agricolas, quos ad excolendam terram incolumes Nabuzardan reliquerat, loci commoditate invitatos, in ipsis Urbis ruinis mapalia & inconditas casas non excitasse? & in vicinia habitantes incolas, religionis avitæ memores, Sacerdotes etiam ipsos & Levitas, statis festivitatum diebus inter Templi rudera Deum numquam fuisse veneratos, & ad aram aliquam tumultuario opere structam, & terream fortasse, cujusmodi sibi fieri Deus Mosi mandavit vicesimo Exodi capite? Huc accedit præterea, quod sacra quædam Templi vasa rapacitati Chaldæorum a Judæis fuerunt subducta, ut ostendit supposititia Baruchi Epistola, quam habent Syri

Bar. 1, 10, 14.
Bar. 2, 16.
Bar. 1, 7.
4. Reg. 25, 9 & seq.
Exod. 20, 24. 25.
Bar. Epist. Syr. c. 1.

Digitized by Google

Syri; quemadmodum Tabernaculum & Arca, & Altare incensi, a Jeremia servata sunt: quæ vasa deinde ad sacrificiorum usus adhiberi potuerunt.

DE EPISTOLA JEREMIÆ.

I. *Disputatur de Auctore Epistolæ, quæ sub Jeremiæ nomine edita est. Jeremiæ ipsi adscribitur.* II. *Probatur ejus γνησιότης & antiquitas.* III. *Refelluntur argumenta Adversariorum. Primum argumentum.* IV. *Secundum argumentum.* V. *Tertium argumentum.*

Disputatur de Auctore Epistolæ, quæ sub Jeremiæ nomine edita est. Jeremiæ ipsi adscribitur. Hilar. Prol. Explan. in Psalm.

I. QUod quinque prioribus Baruchi capitibus subjici solet in editione vulgata sextum & postremum caput, Jeremiæ illud Epistola est, a Baruchi libro non minus distincta ac sejuncta, ac a Threnis liber Baruchi sejungitur. Itaque in editionibus quibusdam Senum Septuaginta subnexa est Threnis ipsis, & in Arabica, quæ ex Septuaginta Senum interpretatione expressa est. Unde Hilarius ait vaticinia Jeremiæ cum Threnis & Epistola, unum constituere Librum, ex viginti illis duobus, quibus totus sacrorum Voluminum Canon constat. Peccant ergo qui a Barucho ipso adtextam libro suo arbitrantur. Scripta est statim post diruta Hierosolymam, ad commonefaciendos Judæos, qui in Babyloniam jamjam erant deportandi, ne ad impium idolorum cultum, cui impense dedita erat Chaldæa gens, malo exemplo raperentur. Aliam ad eosdem epistolam misit Jeremias, cum jam in Babyloniam perveniissent. Atque hæc, licet posterior tempore, priorem tamen occupat locum, utpote quæ vicesimo nono Jeremiæ capite habeatur. Cæterum auctorem indicat Jeremiam lemma ipsum ac materies operis; tum & ii ad quos scripta est, & scriptionis tempus: & decimum præterea prædictionum ipsius caput, quod in eodem versatur argumento, & sententias habet ejusdem κόμμαλος *(notæ)* magnam ostendit germanitatem.

Probatur ejus γνησιότης & antiquitas. 2. Mach. 2, 1. 2.

II. Agnovit Epistolæ hujus γνησιότητα Machabaici secundi scriptor, & luculenta testificatione confirmavit. Sic enim ille secundo capite: *Invenitur autem in descriptionibus Jeremiæ Prophetæ, quod jussit eos ignem accipere qui transmigrabant; ut significatum est, & ut mandavit transmigratis. Et dedit illis Legem, ne obliviscerentur præcepta Domini, & ut non exerrarent mentibus, videntes simulacra aurea, & argentea, & ornamenta eorum.* Quæ hanc, de qua disserimus, Jeremiæ Epistolam clarissime significant. Nec ea enim aliud sibi proponit Jeremias, quam ut idolorum ostendat vanitatem, ab eorumque cultu populares suos salubri consilio deterreat.

Refelluntur argumenta Adversariorum. Primum argumentum. Hieronym. Procem. Comm. in Jerem. Cyprian. de orat. Domin. Hilar. Prol. Explan. in Psalm.

III. Quæ quanquam ita sunt, eam tamen ψευδεπίγραφον *(falso nomine scriptum)* appellat Hieronymus, propterea nec explanationibus suis dignatus est. At Hieronymo Cyprianum opponimus, qui testimonium inde depromens, Jeremiam testem citare se declarat. Opponimus & Hilarium, qui Jeremiæ prædictiones; Lamentationes, & Epistolam, unum e Canonicis libris efficere docet. Cujus rei ignari plerique Epistolam, vel propter exiguitatem suam facile delitescentem, inter Canonica scripta non posuerunt. Hinc quoque contigisse puto, ut librariorum Ebraicos Codices describentium diligentiam fugerit. Quamobrem Hieronymus Ebraico Baruchi exemplari desiderato, cum eam præterea Baruchi libro, qui Græce solum descriptus extabat, ideoque sibi suspecto adjunctam reperisset, utrumque e Canone una litura sustulit. Sed hæc accurate jam disputata sunt ab iis, qui adversus recentiores Ecclesiæ perduelles sunt velitati.

Secundum argumentum.

IV. Quid quod e Græcis quibusdam Voluminum sacrorum exemplaribus excidisse hæc Epistola deprehenditur? Nempe id effecit, tum ea quam diximus Libelli brevitas, tum & situs diversitas: cum aliquando Threnis, nonnunquam Baruchi Prophetiæ subjungeretur. Fieri enim facile potuit, ut cum Threnos describsisset librarius ex uno Codice, in quo Epistola Jeremiæ subnexa erat Prophetiæ Baruchi, a Threnis una serie ad Baruchum describendum progressus sit: deinde vero cum Baruchum describeret ex altero Codice, in quo Threnos excipiebat Jeremiæ Epistola, ab incauto & parum attento librario prætermissa sit.

Tertium argumentum.

V. Quod si quis Theodoretum nobis objiciat, qui cum Baruchi librum explanaverit, Jeremiæ tamen Epistolam non attigit, respondebimus nihil ad Librum illum Epistolam pertinere; penitusque ab eo, ut dixi, fuisse

fuisse discretam. Quoniam autem Threnos exponens, postremum caput, quo Jeremiæ habetur Oratio, omisit, ideo Epistolam Jeremiæ, quæ pone sequebatur, simul quoque omissam opinor. Cum cæteroquin ex sacrorum Librorum fide nihil detrahat, ut dictum est superius, Interpretum negligentia vel studium, huc, illucve pro arbitrio industriam suam conferentium.

DE PROPHETIA EZECHIELIS.

I. *Disputatur de Ezechiele.* II. *Disputatur utrum Ezechiel idem sit ac Zaratus Assyrius, Pythagoræ præceptor.* III. *Ezechieli adscribitur Prophetia, quæ nomen ipsius præfixum gerit; ejusque probatur γνησιότης & antiquitas.* IV. *Disputatur de duobus Prædictionum voluminibus, quæ ab Ezechiele scripta fuisse tradit Josephus; & de Psalmo sexagesimo quarto, nomine Ezechielis, aliorumque inscripto.* V. *Refelluntur argumenta Adversariorum. Primum argumentum.* VI. *Secundum argumentum.* VII. *Tertium argumentum.*

Disputatur de Ezechiele

I. PErgamus ad Ezechielem Prophetam, Leviticæ tribus, Buzi Sacerdotis filium, & filiis Pontificum oriundum; in terra Sarera natum; Jeremiæ æqualem; cum Jechonia rege in Chaldæam deportatum; ibique futura prædicere exorsum ad oram amnis Chobar, quinto anno quam illuc traductus est; & per viginti annorum decursum vaticinatum; atque ibi demum interfectum a gentis suæ Principe, cum eum populumque adeo ad idola colenda proniorem ad virtutem excitaret, & in eadem spelunca sepultum, in qua Sem & Arphaxad, Abrahami progenitores, ad ripam Euphratis. Hæc scribimus ex fide Scriptoris, qui vitas Prophetarum retulit in literas sub nomine Epiphanii; qui ad ætatem suam superfuisse docet Ezechielis sepulcrum, miraculis clarum, & magno Judæorum concursu frequentatum. Tum vero nihil aliud fuisse narrat sepulcrum hoc, quam duplicem speluncam: at Benjamin Tudelensis supra sepulchrum magnificentissimi operis testudinem a Jechonia, & triginta quoque Judæorum millibus extructam fuisse narrat, Jechoniæ, ipsiusque comitum, & Ezechielis imaginibus decoratam: illic institutam fuisse Synagogam, & locupletissimam Bibliothecam, in qua volumen ingens visebatur Ezechielis manuscriptum, & Expiationis die prælegi solitum; ad quam diem, a primo usque Tisri die, quod anni initium est, magno peregrinorum illuc pietatis caussa confluentium concursu solennia festa agitari, & frequentissimis nundinis celebrari; nec Judæis solum, sed Muhammedanis quoque sacrum esse locum ac venerabilem. Fides esto penes verbum hunc, qui in longinquis regionibus describendis falsa immiscere veris sæpe deprehenditur. Certum est quindecim circiter Francicis leucis a Bagdado locum nunc quoque magnis Judæorum conventibus celebrari, in quo sepultum Ezechielem arbitrantur. Contra vero Scriptor Itinerarii Hierosolymitani, qui vixit Constantini temporibus, suo ævo prope Bethlehemum extitisse tradit Ezechielis sepulchrum, atque idem fuisse quod Jobi, Jessæ, Davidis, & Salomonis. Quod valde ineptum est. Facessat etiam Abrabaniel, qui Ezechielem & in terra Chanaan, & extra eam vaticinatum esse docet; cum quinto demum post deportationem suam anno futura prædicere aggressus sit.

Disputatur utrum Ezechiel idem sit ac Zaratus Assyrius, Pythagoræ præceptor.

II. Est apud Clementem Alexandrinum, existimare nonnullos Nazaratum Assyrium, quem Alexander, in libro de Pythagoricis symbolis, Pythagoræ præceptorem fuisse scribit, eumdem esse ac Ezechielem: quam demum opinionem rejicit. Mihi contra probatur; nec sine argumentis. Nam primum emendandus est Clemens, in quo hæc leguntur: ἀλέξανδρος δὲ ἐν τῷ περὶ πυθαγορικῶν συμβόλων, ναζαράτῳ τῷ ἀσσυρίῳ μαθητεύσαι ἱστορεῖ τὸν πυθαγόραν· ἰεζεκιὴλ τοῦτον ἡγοῦντό τινες· ὡς δ' ἔστι δὲ, ὡς ἔπειτα δηλωθήσεται. *Alexander autem in libro de Pythagoricis symbolis, narrat Pythagoram Nazarati Assyrii auditorem fuisse. Hunc quidam Ezechielem fuisse putant: haudquaquam vero est, ut infra ostendetur.* Illic pro eo quod legi debet, ζαράτῳ τῷ ἀσσυρίῳ, perperam legitur, ναζαράτῳ, ex vitiosa iteratione postremæ literæ præcedentis. Zaratus autem is est, quem Zabratum appellat Porphyrius in vita Pythagoræ, & Zaratam Plutarchus. Atqui hunc esse Zoroastrem supra probavimus, qui & Zarades apud Theodoretum & Agathiam appellatur. His positis, si temporum

Clem. Al. l. 1. Strom.

Plutarch. περὶ τῆς ἐν τιμαίῳ ψυχογονίας

Theodor. Serm. 9. de legibus.

Agath. l. 2.

Digitized by Google

porum ineatur ratio, deprehendemus juventutem Pythagoræ, qui Polycratis Samii æqualis fuit, in Ezechielis senectutem incidisse. Proindeque cum ad Chaldæos iviſſe Pythagoram conſtet, non ſolum fieri potuit, ut cum Ezechiele viro inter ſuos claro, & ſanctitate, vaticiniis, ac prodigiis celebrato fuerit converſatus, ſed aliter etiam fieri non potuit; cum ad ejusmodi tantum viros noſcendos & alloquendos tam longinquas peregrinationes ſuſceperit. Supereſt ut cauſſam quæramus, cur Ezechiel dictus ſit Zaratus; quem Zaratum eſſe Zoroaſtrem, ſive Moſem, alibi docuimus. Hujus appellationis hæc mihi videtur eſſe ratio valde probabilis, quod pleraque Ezechieli evenere, quæ Zoroaſtri itidem eveniſſe traduntur. Nam matrem Zoroaſtris ſtatim poſt eum conceptum, cœlum ardens & quatuor gryphes vidiſſe ferunt; ipſum deinde Zoroaſtrem Deum aliquando cœleſtibus micantem flammis aſpexiſſe, atque hinc Zarduſt, ſive Zoroaſtrem dictum; hoc eſt, *Amicum ignis*. De ſe autem ita ſcripſerat Ezechiel: *Et vidi, & ecce ventus turbinis veniebat ab Aquilone, & nubes magna, & ignis involvens, & ſplendor in circuitu ejus: & de medio ejus quaſi ſpecies electri, id eſt, de medio ignis: & ex medio ejus ſimilitudo quatuor animalium.* Deinde: *Et ſimilitudo animalium, & aſpectus eorum quaſi carbonum ignis ardentium, & quaſi aſpectus lampadarum. Hæc erat viſio diſcurrens in medio animalium, ſplendor ignis, & de igne fulgur egrediens.* Zoroaſtrem in cœlum raptum narrant a Deo librum accepiſſe: idem ſibi eveniſſe narrat Ezechiel. Addunt Zoroaſtri tradita tunc eſſe a Deo præcepta, ad hominum eradenda vitia & mores emendandos: paria de ſe refert toto ſuo opere Ezechiel. Zoroaſtri quoque futurorum præſenſionem a Deo conceſſam tradunt, itidem ut Ezechieli. Ex Sinenſium finibus in Perſidem veniſſe Zoroaſtres fertur: ex Judæa in Babyloniam, quæ Perſidi contributa deinde fuit, migravit Ezechiel. Hoc itinere fluvios obſtantes a Zoroaſtre congelatos fingunt: ſcribit Pſeudo-Epiphanius fluvium ab Ezechiele ſiccatum Ebræis Perſarum impetum fugientibus tranſitum præbuiſſe, Perſas ipſos obruiſſe. Prodigiis editis nobilitatum fingunt Zoroaſtrem: Ezechielis miracula refert idem Epiphanius. Humana oſſa Zoroaſtris lectulo ſuppoſita fuiſſe ferunt: in campum oſſibus arefactis plenum in ſpiritu deductus eſt Ezechiel. Multa Zoroaſtrem ſuæ de Deo; Deique cultu doctrinæ gratia paſſum volunt: pari de cauſſa mortem Ezechiel ſuſtinuit. Huc accedit quod de Zoroaſtris ætate, quam vix cognoſci poſſe ſcribit Agathias; tam varia, tamque dubia promſerunt Auctores, ut a quibusdam etiam æqualis Hyſtaſpis poſitus ſit: hic autem ab Ezechielis ævo non multum abfuit. Hinc ergo planiſſime liquet, quamobrem annorum diuturnitate veram rerum notitiam abolente, cum Zoroaſtre ſive Zarato Ezechielem confuderint Græci, a quibus id videtur Clemens Alexandrinus accepiſſe; gens ubi veritatis deeſſet notitia, quod jam ſæpius iteravi, in figmentis comminiſcendis intemperanter luxuriari ſolita. Multum vero ſua ratio Clementem fallit: Pythagoram non negat audiviſſe Zaratum, at Zaratum negat eſſe Ezechielem; cum Zaratum ſive Zoroaſtrem, qui Moſes fuit, nec audiverit, nec propter annorum intervallum audire potuerit; Ezechielem vero audiviſſe valde probabile ſit. Sunt qui hæc Clementis verba ita interpretentur, quaſi Ezechielem non Zaratum, ſed Pythagoram haberi a quibusdam voluerit, quod non ita eſſe cognoſcet, quisquis locum totum attente luſtraverit. Porro figmenti hujus opifices ignoraſſe manifeſtum eſt Zoroaſtrem fuiſſe Moſem. Verum cum ex eorum diſcrepantia, quæ de Zoroaſtris ætate patria, & rebus geſtis ſpargebantur, perſonatum eſſe hominem feliciter deprehendiſſent, in eo agnoſcendo aberrarunt; & Ezechielem eſſe conjecerunt, qui vere Moſes erat. Tantum abeſt ergo, ut opinioni noſtræ, qua Zoroaſtrem Moſem eſſe ſtatuimus, decedat aliquid roboris propter alterum iſtud eorum decretum, qui Ezechielem fuiſſe volunt, ut potius multum hinc eam confirmari putem. Nam & Zoroaſtrem, ſubdititiam eſſe perſonam, & ea magnum aliquem & ſanctum inter Iſraelitas virum occultari nobiſcum ſentiunt; & morem modumque noſtrum antiquitates ſacras profanæ vetuſtatis ſpoliis ditandi & decorandi exemplo ſuo comprobant. Nunc utri ſagacius odorati ſint; illinc, cum Ezechielem, an nos, cum Moſem in Zoroaſtre latere conjectavimus, æqui & attenti Lectoris eſto arbitrium. Lineamenta

Ezech. 1, 4. 5. 13.

Ezech. 1, 9. 10. & 2. 1. 2. 3.

Epiph. de Vit. Proph.

Ezech. 37, 1. & ſeq.

Agath. l. 2.

Digitized by Google

enim Ezechielis aliqua, at ipsum Mosis os, totumque corpus in eo haud dubie agnoscet.

Ezechieli adscribitur Prophetia, quæ nomen ipsius præfixum gerit; ejusque probatur γνησιότης & antiquitas.

III. Jam vero quod ad Prophetiæ, quæ Ezechielis nomine inscripta est, γνησιότητα & antiquitatem pertinet, ipse se initio operis auctorem Ezechiel declarat, idque αὐτοπροσώπως, (*ex propria persona*) genus suum, vaticiniorumque locum, ac tempus accurate indicans. Huic deinde fidem adstruit Daniel, qui quarto capite sic disserit: *Magna arbor & fortis, & proceritas ejus contingens cœlum: aspectus illius erat usque ad terminos universæ terræ: folia ejus pulcherrima, & fructus ejus nimius, & esca universorum in ea: subter eam habitabant animalia & bestiæ, & in ramis ejus conversabantur volucres cœli, & ex ea vescebatur omnis caro.* Tum deinde: *Arborem quam vidisti sublimem atque robustam, cujus altitudo pertingit ad cœlum, & aspectus illius in omnem terram, & rami ejus pulcherrimi, & fructus ejus nimius, & esca omnium in ea, subter eam habitantes bestiæ agri, & in ramis ejus commorantes aves cœli: tu es, Rex, qui magnificatus es, & invaluisti, & magnitudo tua crevit, & pervenit usque ad cœlum, & potestas tua in terminos universæ terræ.* Similis hæc arboris descriptio isti Ezechielis ex tricesimo primo capite: *Ecce Assur, quasi Cedrus in Libano pulcher ramis, & frondibus nemorosus..... Cumque extendisset umbram suam, in ramis ejus fecerunt nidos omnia volatilia cœli, & sub frondibus ejus genuerunt omnes bestiæ saltuum, & sub umbraculo ejus habitabat cœtus gentium plurimarum.* Hinc parem fere interpretationem accepere visæ multis per somnum arbores, Astyagi, Xerxi, Maiæ Virgilii matri. Porro ne quis fallatur, dum nos falli putat, sciat caput hoc Ezechielis tricesimum primum, ante ab Ezechiele fuisse scriptum, quam quartum operis sui Daniel lucubrasset. Illustre præterea, ad fidem Prophetiæ Ezechielis faciendam, testimonium Sirachidæ, cum ait: *Ezechiel, qui vidit conspectum gloriæ, quam ostendit illi in curru Cherubim: nam commemoratus est inimicorum in imbre, benefacere illis qui ostenderunt rectas vias*: respiciebat nempe ad initium Ezechielis, ubi gloria Dei, & currus Cherubim describuntur: maxime vero ad ista e decimo capite: *Et egressa est gloria Domini a limine Templi, & stetit super Cherubim, & elevantia Cherubim alas suas, exaltata sunt a terra coram me, & illis egredientibus rota quoque subsecuta sunt.* Unde istud Platonis petitum esse recte a Justino notatum est: ὁ δὴ μέγας ἡγεμὼν ἐν οὐρανῷ ζεὺς, ἐλάυνων πτηνὸν ἅρμα. *Magnus sane imperator in cœlo Juppiter, alatum currum agitans.* Respiciebat item Auctor Ecclesiastici ad hæc decimi tertii capitis Ezechielis: *Propterea hæc dicit Dominus Deus: Et erumpere faciam spiritum tempestatum in indignatione mea, & imber inundans in furore meo erit, & lapides grandes in ira in consumtionem.* Reliqua ad tricesimum quartum, & tricesimum sextum cum sequenti pertinent. Ista quoque e libro tertio Regum: *Operatus es mala super omnes qui fuerunt ante te, & fecisti tibi Deos alienos & conflatiles, ut me ad iracundiam provocares, me autem projecisti post corpus tuum:* at non alludunt ad illa Ezechielis: *Propterea hæc dicit Dominus Deus; quia oblita es mei, & projecisti me post corpus tuum, tu quoque porta scelus tuum & fornicationes tuas?* Illud Zachariæ: *Et erit in die illa, dicit Dominus exercituum; Disperdam nomina idolorum, & non memorabuntur ultra*, germanum est hujus ex Ezechiele: *Hac dicit Dominus Deus: Et disperdam simulacra, & cessare faciam idola de Memphis.*

Ezech. 31, 3. 6.

Eccl. 49, 10.

Ezech. 10, 18.

Justin. Pan.

Ezech. 13, 13.

3. Reg. 14, 9.

Ezech. 23, 35.

Zach. 13, 2.

Ezech. 30, 13.

Disputatur de duobus Prædictionum voluminibus, quæ ab Ezechiele scripta fuisse tradit Josephus; & de Psalmo sexagesimo quarto, nomine Ezechielis, aliorumque inscripto.

IV. Porro non unum hoc, quod extat, Prophetiarum volumen edidisse fertur Ezechiel, sed alterum quoque, quod per Judæorum socordiam intercidisse retur Auctor Synopseos. His Josephi verbis nititur ea sententia: ὧν μόνων δὲ οὗτος ἐφαμίλλας προφητείσεις ταῦτα τοῖς ἄλλοις, ἀλλὰ καὶ ὁ προφήτης ἰεζεκιήλος, ὃς πρῶτος περὶ τούτων δύο βιβλία γράψας κατέλιπεν. *Non solum autem Jeremias iste cœtibus hominum illa prædixit, sed & Propheta Ezechiel, qui primus libros duos de his conscriptos reliquit.* Quæ aliter accipienda censeo, ac vulgo accipi solent; nec enim alterum Ezechielis volumen interiisse existimo, quod vulgo tamen credi video; præsertim post Josephi ætatem, qua ætate per universas gentes vulgatæ erant, & in omnes propemodum linguas conversæ Scriptiones sacræ. Sed hunc Ezechielis librum, quo nunc utimur, in duas partes Josephi ævo distinctum fuisse puto; & si conjecturis patet locus, triginta novem prioribus capitibus primum volumen, postremis novem constitisse alterum, quo Templi reparatio ac Urbis dimensio continentur. Profecto

Athan. in Synops. Joseph. Antiq. l. 10, c. 6.

Digitized by Google

secto cum Pradus, & Villalpandus, diligentissimi libri hujus Interpretes, explanationem inter se partiri voluissent, ille triginta novem priora, hic reliqua exponenda suscepit; cum neutrum tamen ad vetustam illam partitionem respexisse credam. Nempe ita res ferebat; nam prædictiones sunt quasi distinctæ penitus inter se & discretæ. Psalmus præterea sexagesimus quartus, Davidis, Jeremiæ, & Ezechielis nomen præscriptum gerit: quod nimirum ad Psalmorum Davidicorum formam in Jeremia compositum Ezechiel, ad quem fuerat missus, aliquibus fortasse adjectis, vel resectis, vel mutatis, ad præsentem rerum statum accommodaverit, & populo præcinendum dederit.

Refelluntur argumenta Adversariorum. Primum argumentum. Tractatus Theol. c. 2. & 11.

V. Sed nec immunis a male feriatorum hominum calumniis & cavillationibus fuit iste Liber: nam primam struit Theologo-Politicus argutator ex Thalmudico tractatu Sabbathi, in quo legitur, propter sententias aliquas Ezechielis, quæ Mosis effatis videntur repugnare, Rabbinos de expungendo ipsius Libro & rejiciendo consilia agitasse; ac fuisse facturos, absque Anania quodam fuisset, qui discrepantias illas conciliaturum, nodosque omnes soluturum se recepit; ac re præstitit. Tum deinde horum repugnantium locorum specimen offert, eumque qui capite Ezechielis decimo octavo habetur, quo negat futurum Deus, ut majorum delicta immeriti nepotes luant, conferr cum tricesimo quarto Exodi, & tricesimo secundo Jeremiæ, ubi Deus paternorum scelerum pœnas a nepotibus ac pronepotibus expeturus esse dicitur. At hoc ipso argumento convellitur Deuteronomii γνησιότης, quod huic Ezechielis doctrinæ consentit his verbis: *Non occidentur patres pro filiis, nec filii pro patribus, sed unusquisque pro peccato suo morietur:* convelluntur & Libri Regum ac Paralipomenon, quorum par est doctrina. Otiosi hominis esset huc afferre quæ ad has sententias conciliandas Interpretes congessere. Paucis dicam, ob patrum noxas sæpe filios plecti pœnis temporariis: unde vetus illud:

Deut. 24. 16.

De male quæsitis non gaudet tertius hæres:

æternis vero suppliciis sua quemque peccata luere. Præterea cum post expensam illam sententiarum pugnam ac discordiam, Ezechielis librum nihilominus in Canone retinendum censuerint Rabbini, eamque Ananias composuerit, vel inde cognoscitur, temere, ipsis Rabbinis judicibus, ac perperam facere, quisquis Librum hunc propterea censeat oppugnandum.

Secundum argumentum.

VI. Ac velut infirmitatis argumenti hujusce prioris conscius idem Disputator, aliud ad elevandam Prophetiæ Ezechielis auctoritatem excogitat, eamque majoris operis fragmentum esse quatuor rationibus probare satagit, quarum prima hæc est, Librum a conjunctione connexiva initium ducere. Altera ab his verbis petitur, quæ in fronte Libri apparent: *Et factum est in tricesimo anno*, unde concluditur Ezechielem res sibi a Deo superioribus quoque annis præmonstratas commemorasse. Tertiam suppeditant ista tertii versus primi capitis verba: *Fuerat sæpe verbum Dei Ezechieli filio Buzi, Sacerdoti, in terra Chaldæorum.* Postrema oritur ex Josepho, qui capite decimo libri decimi Antiquitatum, prædixisse Ezechielem narrat, futurum ut Sedecias Babylonem non videret, quod in eo libro Ezechielis, qui supereſt, nusquam reperitur; sed contra decimo septimo capite in Babyloniam ductum iri prænuntiat. Quorum rationum levitatem arguere facile est: nam quæ ducitur ex conjunctione connexiva libro Ezechielis præfixa, eadem libris Josue, & Ruth, & primo Regum, & Jonæ, & primo Machabæorum præmissa est; neque semper copulam significat; sed sæpe ab Ebræis, vel ornatus adhibetur gratia, vel aliis de caussis quas afferunt Grammatici. Alteram confutat verborum, quæ opponit Adversarius, legitima interpretatio: ea autem ex Jonathane & R. Davide Kimchi petenda est; ille quippe tricesimum hunc annum numerandum esse ait ab eo tempore, quo Helcias summus Ebræorum Pontifex librum Legis invenit in domo Sanctuarii, anno nempe Josiæ decimo octavo; David autem Kimchi hoc tempore actum fuisse annum Jubilæum docet. Quibus characteribus insignitus ille annus, quidam fuit cardo temporis, unde consequentes annos Ezechiel numeravit. Tertia vero falso innixa fundamento sponte corruit: היה היה דבר יהוה אל יחזקאל, dictiones istæ, פעמים רבות, *multis vicibus*, hoc est *sæpe*, nus-

quam apparent, neque Interpretes agnoſcunt. Denique quod ex Joſepho prodit argumentum, futile eſt: nam quæcunque vaticinatus eſt Ezechiel, in literas relata non ſunt; neque quidquid unquam retulit in literas, hoc quod habemus Volumine continetur. Itaque prædictio illa ad Sedeciam pertinens, vel voce tantum prolata eſt, & per nuntios Sedeciæ ſignificata, vel per epiſtolam ab Ezechiele miſſa; minime vero in Librum vaticiniorum relata. Quod autem addit Theologo-Politicus Doctor, contrarium haberi decimo ſeptimo Ezechielis capite, in eo ſtolide halucinatur; nam Sedeciam non viſurum eſſe Babylonem, minime alteri huic vaticinio repugnat, Sedeciam ductum iri Babylonem: poſtquam enim oculis privatus eſt Sedecias, ductus eſt Babylonem; itaque Babylonem non vidit, & tamen Babylonem deportatus eſt. Atque id Sedeciam ipſum jam ante fefelliſſe ſcribit Joſephus: cum enim futurum aſſeveraret Jeremias, ut captivus Babylonem duceretur, negaret vero Ezechiel viſurum hunc Babylonem; repugnantes, ideoque vanas & incertas eſſe vaticinationes Sedecias ratus eſt, quas conſentientes ac veriſſimas eſſe eventus comprobavit.

Joſeph. Antiq. l. 10. c. 10.

Tertium argumentum.

VII. Tertia hæc afferri poteſt adverſus libri Ezechielis dignitatem contradictio, Thalmudiſtas capite primo Babæ bathræ, in Gemara, aliosque Rabbinos, lucubrationem ejus viris Synagogæ magnæ tribuere; cujus opinionis cauſſam hanc ibidem reddi. *Quod futurorum præſenſio tradita non ſit, ut extra Terram ſanctam ſcriberetur.* Atqui in Daniele falſum hoc deprehenditur, ut infra oſtendam; falſum & in Jeremia, qui vaticiniorum ſuorum partem in Ægypto ſcripſit. Thalmudiſtis aſſentitur Iſidorus. Atque hinc dubitat Thomas Hobbeſius, utrum Ezechiel ſua ipſe vaticinia ediderit. Equidem & Ezechielem librum condidiſſe cenſeo, & Synagogæ magnæ Magiſtros ſuo ipſum nitori reſtituiſſe, & deſcripſiſſe, & multis exaratis exemplaribus publicaſſe; qui rarior fortaſſe erat, nec in aliena terra, inter profani cultus & damnatæ religionis gentes, tuto & commode vulgari potuerat; cum ſua ipſi vaticinia Iſaias & Jeremias edidiſſent, ut idem Iſidorus adnotavit.

Iſid. Orig. l. 6. c. 2. Hobb. Lev. c. 33.

DE PROPHETIA DANIELIS.

I. *Diſputatur utrum Daniel fuerit Propheta.* II. *Diſputatur utrum Daniel fuerit Eunuchus.* III. *Diſputatur utrum Daniel idem fuerit qui Beleſis a Diodoro memoratus.* IV. *Diſputatur utrum Daniel Ecbatanis, an Suſis inſignem illam turrim a Joſepho & Hieronymo memoratam extruxerit, & utrum Suſis, an Babylone fuerit ſepultus.* V. *Diſputatur utrum ad unum eumdemque Danielem pertineant, quæcunque in Danielis Prophetia narrantur, deque ejus interpretationibus Græcis.* VI. *Diſputatur de ordine partim libri Danielis.* VII. *Diſputatur cur partim Ebraice, partim Chaldaice, partim Græce ſcriptus extet.* VIII. *Nonnulla afferuntur ad auctoritatem Additamentis Danielis conciliandam.* IX. *Diſputatur de Senibus, a quibus attentata eſt Suſannæ pudicitia.* X. *Diſputatur de ſuppoſititiis Danielis ſcriptionibus.* XI. *Probatur Prophetiæ Danielis γνησιότης & antiquitas.* XII. *Refelluntur argumenta Adverſariorum. Primum argumentum.* XIII. *Secundum argumentum.* XIV. *Tertium argumentum.* XV. *Quartum argumentum.* XVI. *Quintum argumentum.*

I. Τὰ βιβλία ὅσα συγγεγραμμένος καταλέλοιπε Δανιήλος, ἀναγινώσκεται παρ' ἡμῖν ἔτι καὶ νῦν, καὶ πιστεύομεν ἐξ αὐτῶν, ὅτι Δανιήλος ὁμιλεῖ τῷ Θεῷ. *Quoscunque libros a ſe conſcriptos reliquit Daniel, leguntur hodieque apud nos: atque hi nobis fidem faciunt, Danielem cum Deo colloquia habuiſſe.* Ita de Daniele, Danielisque libro ſentiebat Joſephus, ex cujus verbis ſcimus, & divinis Danielem præditum fuiſſe dotibus ac virtutibus, & genuinum eſſe ipſius vaticiniorum opus. Quod antequam probare aggredior, adnotanda veniunt quædam, vel obſervatione digna, vel parum explicata ad ſequentium quæſtionum enodationem opportuna. Quibus dilucide expoſitis, contradictiones plurimæ, adverſus Librum hunc jactari ſolitæ, concident ipſæ per ſe & evaneſcent. Danielem Prophetam non fuiſſe, fuiſſe vero Eunuchum conſentiens eſt Judæorum omnium opinio. Prophetam non fuiſſe has ob cauſſas exiſtimant, quas

Diſputatur utrum Daniel fuerit Propheta.

Digitized by Google

quas affert Maimonides in More nevochim; nimirum quod etsi Angelus ei videndum se dedit, eumque rerum futurarum notitia imbuit, per somnium tamen id factum sit, nec Angelum in sese deprehenderit, quod ad Prophetiam desiderabatur; proindeque non inter Prophetias Librum ipsius, sed inter כתובים, hoc est Hagiographa, collocant: quanquam laxiori significatione Prophetæ nomen ipsi Maimonides, aliique Rabbini largiuntur. Rationem præterea hanc addunt, nempe quod Daniel non Prophetico more vixerit, sed δυναστευτικῶς *(more principum)* item quod Ezechia credatur prognatus, ac proinde ex Davide, cujus prosapiam reges, ipsumque adeo Messiam daturam putant, non Prophetas. Sunt denique qui caussam hanc afferant, quod Messiæ ortum non clarioribus solum prænuntiaverit verbis, quam Prophetam decuit, sed tempus etiam certis notis signaverit. Adversus ea consurgunt Matth. 24, 15. Christiani Patres, Christi auctoritatem secuti, a quo Daniel Prophetæ titulo donatus est, & Prophetam jure optimo dici contendunt; & recte quidem: quippe si Propheta vere is est, qui clare & distincte eventura prænoscit & prædicit, quis tandem futuras rerum conversiones, imperiorum interitus, Christi adventum & necem prænuntiavit apertius? quis temporibus accuratius distinxit? sed & juxta Maimonidæ ipsius definitiones & principia, Prophetæ nomen etiam stricte sumtum Danieli congruit: quodque Judæis os occludit, inter Prophetas cum Jeremia, Aggæo, Zacharia, Malachia recensetur in Thalmudico libro Megillah, primo capite. Neque solum εἷς τις τῶν μεγίστων προφητῶν, *unus e maximis Prophetis* appellatur a Josepho, & Joseph. Antiq. l. 10. c. ult. cum Deo colloquia habuisse dicitur, sed aliis etiam anteponitur Prophetis: ὁ γὰρ inquit, τὰ μέλλοντα μόνον προφητεύων διετέλει, καθάπερ καὶ οἱ ἄλλοι προφῆται, ἀλλὰ καὶ καιρὸν ὥριζεν, εἰς ὃν ταῦτα ἀποβήσεται. καὶ τῶν προφητῶν τὰ μὲν προλεγόντων, καὶ διὰ τῦτων δυσχεραινομένων ὑπὸ τῶν βασιλέων, καὶ τῷ πλήθει, δανιήλος ἐναντίον ἐγίνετο προφήτης ἑαυτοῖς. *Non enim futura solum prædicere solebat, ita ut alii Prophetæ, sed & tempus, quo hæc eventura erant, determinabat. Cumque alii Prophetæ mala prænuntiarent, propterea que regum & vulgi odia in se concitarent, bonorum prænuntius his erat Daniel.* Tum deinde laudat τὸ τῆς ἀκριβοῦς ἑαυτῦ προφητείας ἀπαράλλακτον, *certa ejus Prophetiæ immutabilitatem.*

R. Mos. ben Maim. More nev. l. 2. c. 45.

II. At Eunuchum fuisse Danielem Judæis facile assentior: cum & hoc suadeant ista, quæ solent proferre, verba Isaiæ ad Ezechiam: *De filiis tuis, qui exibunt de te, quos genueris, tollent, & erunt Eunuchi in palatio regis Babylonis.* Suadent & illa Danielis: *Et ait rex Aspheneς Præposito Eunuchorum, ut introduceret de filiis Israel, & de semine regio.* Tum: *Fuerunt ergo inter eos de filiis Juda, Daniel, Ananias, Misael, & Azarias.* Itaque in eam sententiam ultro concesserunt Origenes & Hieronymus: Ajunt Pseudo-Epiphanius, & Pseudo-Dorotheus, in vitis Prophetarum, spadonem visum Judæis, propter insignem ipsius castitatem: ac si nulla sint præter castitatem exectæ virilitatis indicia. Josephus quosdam ex nobili illo captivorum flore Eunuchos fuisse autumat; an & ex illis Daniel fuerit, non affirmat; sed a Gentilium suorum persuasione discessisse vix credo. Quod autem ex Ezechiele objici potest pro contraria parte; *Si fuerint tres viri isti in medio ejus, Noe, Daniel, & Job, nec filios, nec filias liberabunt*, præclare dissolvit Hieronymus, ut dicemus infra.

Disputatur utrum Daniel fuerit Eunuchus.
Isa. 39. 7.
Dan. 1, 3.
Dan. 1, 6.
Orig. Hom. 4. in Ezech. & in Matth. Tom. 15.
Hier. l. 1. & 6. in Dan. & l. 1. c. 13. in Jov.
Joseph. Antiq. l. 10. c. 11.
Ezech. 14, 14. 15.
Hier. l. 1. in Jov. c. 13.

III. Dubitatum quoque est a nonnullis, annon Daniel idem fuerit qui Belesis. Eum dico qui a Diodoro memoratus est. Nec enim unus ille hoc nomine affectus apud veteres reperitur. Neque vana sane ea est suspicio, adeo multa ad fidem faciendam concurrunt. Nomina affinia, Belesis, & Baltassar, בלטשאצר: nam e medio vocabulorum litera T frequenter exteritur, ut a στγμὴ, *signum*; a πτίλον, *pilus*. At R & Ś in fine permutantur; *arbor, arbos; honor, honos.* Eamdem dictionem, בלשאצר, uti conjicio, Græce expresserat Ctesias, Βελτάξας, quemadmodum habet Plutarchus: quod nomen fuit scissoris: quo ad necandam veneno Statiram, Artaxerxis Mnemonis uxorem, usa est ejusdem mater Paryssatis. Nisi legere mavis, Βελτάκσας. Pro quo scripsisse Dinonem, Μελάντας, legitur apud Plutarchum: perperam; vitium quippe dictioni huic inolevit ex similitudine priscæ figuræ τῦ β, quæ ad figuram τῦ μ accedebat. Sed ad rem. Belesis erat de genere Chaldæorum: Chaldæis orti Ebræi progenitorum suorum nomine censebantur. Astrologicæ artis peritus & futurorum

Disputatur utrum Daniel idem fuerit qui Belesis, a Diodoro memoratus.
Diod. l. 2.
Plutarch. in Artax.

Digitized by Google

Dan. 1, 4. rum præscius fuit Belesis: Daniel fuit *eruditus omni sapientia, cautus scientia, & doctus disciplina*, & vaticinandi peritia imprimis nobilitatus. Unus ex Babyloniis fuit proceribus Belesis, fuit & Daniel. Denique vix ulla sese firmioribus argumentis approbaret conjectura, si non tempora penitus discreparent. Quippe Danielis deportationem annis plusquam sexaginta & ducentis antecessit Sardanapali interitus, cujus regnum opibus ac consiliis Belesis subnixus Arbaces occupavit. Ac fraudulentam præterea Belesis avaritiam notat Diodorus; cujus labis ne suspicio quidem potest in sanctissimum virum cadere.

Diod. l. 2.

Disputatur utrum Daniel Ecbatanis, an Susis insignem illam turrim a Josepho & Hieronymo memoratam extruxerit: & utrum Susis, an Babylone fuerit sepultus.

IV. Dignum etiam disquisitione est, utri habenda fides, Josepho, an Hieronymo, quorum ille a Daniele Ecbatanis Mediæ extructam ait fuisse turrim mirabili artificio, tantaque operis firmitate, ut ad suam ætatem integra, nec ulla omnino parte labefacta, aut vetustate deformata spectaretur; in ea sepeliri ad eam diem Medorum, Persarum, & Parthorum Reges, ejusque custodiam Judæo Sacerdoti credi solere. Eadem refert Hieronymus iisdem fere verbis: hac una re diversus, quod quæ Ecbatanis Josephus, Susis ipse locat; quodque mirere, ea se a Josepho sumsisse profitetur. Profecto etsi multa in hac Darii Medi historia a Josepho Xenophontem assectante peccata sunt, contra Berosi, Megasthenis, & Abydeni fidem, qui Danieli præclare consentiunt; velut cum eum Astyagis filium, Medorum regem, Cyri cognatum, ab eoque ad regnum Babylonium invadendum adjutum fingit, aliaque multa adversus historiæ veritatem comminiscitur, minime tamen in hac extructæ a Daniele turris narratione ab eo discedendum putamus. Nam post patratam cædem Baltassaris sive Laborosoarchodi, postremi ex stirpe Nabopollassari; qui pater fuit Nabuchodonosoris, quo natus Evilmerodachus, & filia Nirigliſſororo nupta, Laborosoarchodi mater, Darium oriundo Medum (non Hystaspis filium, quod credulis & stolidis Lectoribus persuadere conatus est Porphyrius, ut Danielis annos produceret) qui regno ad se delato, pro more gentis mutavit nomen, & Nabonidus, sive Nabannidochus dictus est, Assueri filium, cædis auctorem, cum imperii sui provincias lustrare vellet, Mediam potissimum adiisse verisimile est, unde genus ducebat; & Danielem in comitatu habuisse, cum propter hominis dignitatem, spectatasque virtutes, tum maxime quod ab eo filiisset prædictum, fore, ut post Baltassarem regnum esset adepturus. Cum itaque Ecbatanis substitisset Darius, turrim illic excitasse, vel ad urbis defensionem, vel ut posteris præclarum magnificentiæ suæ monumentum relinqueret, facile credo. Cui rei cum consilium suum ac industriam præbuisset Daniel, inde factum ut Danielis opus diceretur. Deinceps vero cum in Susianam perveniſſent, in qua magistratum aliquem jam ante gesserat Daniel, Baltassare regnante, ut habetur capite Danielis octavo, regioni huic denuo præfectus est a Dario cum summa auctoritate, atque illic cum per annos aliquot, etiam sub Cyri imperio, ad mortem usque vixisset, egregia ab eo extructa fuisse ædificia ad regionis tutelam ornatum probabile est. Horum gnarus quidem Hieronymus, sed memoria tandem lapsus, commemoratam a Josepho turrim Medicam cum Susiana turri confudit. Conjecturæ nostræ vim addit Benjamin Tudelensis, qui Susis sua ætate summæ elegantiæ ædificium jam inde a priscis temporibus extitisse ait, ibidemque sepultum fuisse Danielem, quod habet quoque Abulfaragius. Vetustum illud & elegans ædificium, quod Benjamini ætate Susis visebatur, Hieronymi quoque ævo videtur extitisse: hinc ejus error. Pseudo-Epiphanius, & Pseudo-Dorotheus, a quibus Prophetarum scriptæ sunt, Danielem Babylone defunctum, in spelunca Babylonica fuisse sepultum narrant, ad suaque tempora notissimum fuisse his in locis sepulcrum Danielis & celebratissimum. Scimus nos, anno Cyri tertio, in Susiana fuisse Danielem, ut ex ipsius decimo capite cognoscitur. Tunc autem valde senex erat. Regressum autem fuisse Babylonem, ibique diem clausisse, nemo ex vetustioribus Scriptoribus prodidit. Veri ergo propius est illic obiisse, ubi senectutem egit. Præsertim cum magnas, ob ejus loculum & reliquias, concertationes Susis ortas narrat Benjaminus. Caussam errori præbuisse videntur prisca quædam ædificia, Danieli auctori adscripta: velut illud quod viginti milliaribus Babele dissitum, Judæorum cœtibus excipiendis destinatum commemorat idem ille Benjamin; & Turris illa, quæ inter ipsa Babylonis rudera visebatur

Joseph. Antiq. l. 10. c. 12, Hieron. in Daniel. 8.

Abulfar. Hist. Orient. Dyn. 5.

Dan. 10, 1. 4.

Porph. apud Hieron. in Daniel. 9.

Digitized by Google

Cotov. Itin. Hieros. l. 2. c. 6.

visebatur, Cotovico teste. Multo etiam minus eorum mihi probatur ratio, qui Hierosolymam ipsum rediisse volunt, & Synagogæ magnæ interfuisse, cum ראשי הגולה, *Principibus captivitatis*. Quæ tamen sententia viris eruditis placuit.

Disputatur utrum ad unum eumdemque Danielem pertineant, quæcunque in Danielis Prophetia narrantur deque ejus Interpretationibus Græcis.

V. Gravior ea quæstio est, eidemne & uni Danieli, an duobus, ea omnia tribuenda sint, quæ in Prophetia Danielis referuntur. Caussam dubitationi præbent verba hæc Hieronymi, e Proœmio Commentariorum Danielis: *Porphyrio Eusebius & Apollinarius pari sententia responderunt, Susannæ, Belisque ac Draconis fabulas non contineri in Ebraico, sed partem esse Prophetiæ Habacuc, filii Jesu, de tribu Levi: sicut juxta Septuaginta Interpretes in titulo ejusdem Belis fabulæ ponitur: Homo quidam erat sacerdos nomine Daniel, filius Abda, conviva regis Babylonis; cum Danielem, & tres pueros de tribu Juda fuisse sancta Scriptura testetur. Unde & nos ante annos plurimos, cum verteremus Danielem, has visiones obelo prænotavimus; significantes eas in Ebraico non haberi.* Eumdem titulum, & narrationis exordium, Sixtus Senensis Græcis verbis repræsentavit; nescio an ex ingenio, an ex libris; προφητεία τῦ ἀββακοὺμ, υἱῦ τῦ Ἰωδὰ, ἐκ φυλῆς Λευί. Ἄνθρωπός τις ἦν ἱερεὺς, ὀνόματι Δανιὴλ, υἱὸς τῦ Ἀβδὰ, συμπότης τῦ βασιλέως τῆς Βαβυλῶνος. Primum hic notari velim, titulum illum ad Beli solum & Draconis historiam pertinere; Eusebium vero & Apollinarium ad Susannæ etiam historiam ex conjectura, uti quidem verisimile est, extendisse: quasi nempe utraque historia ex Prophetia Habacuci hujus deprompta sit; & idem Daniel, Sacerdos nempe, Abdæ filius, Susannam servaverit; & Belum ac Draconem confecerit. Quorum nullum omnino extat in Hieronymo vestigium: ait enim: *Sicut juxta Septuaginta Interpretes in titulo ejusdem Belis fabulæ ponitur.* Notandum præterea, nullam esse caussam, cur id sibi velle Hieronymum credamus, ipsos Septuaginta Interpretes titulum hunc historiæ Beli a se Græce conversæ præfixisse; sed credi posse eum in eodem volumine, quo ipsorum habebatur Interpretatio, fuisse repertum: quemadmodum hodieque in vulgatis Septuaginta Senum editionibus Græcam Danielis interpretationem, sine ullo Interpretum discrimine, descriptam videmus, quamvis sit Theodotionis: quemadmodum Lysimachum supra diximus auctorem videri Græcæ interpretationis libri Esther, quamvis in Septuaginta Senum editione extet: & quemadmodum videmus alias Scripturæ sacræ partes Græce conceptas, quas a Septuaginta Interpretibus neutiquam profectas esse constat; cum eæ tamen uno nomine editionis Septuaginta Interpretum contineantur, toto nimirum opere a præcipua parte appellato. Notandum denique, idque accurate, alio loco suspicari Hieronymum, hanc ipsam Danielis interpretationem, quæ Senibus Septuaginta tribuebatur, ab aliquo Chaldaicæ linguæ imperito, hoc nomine fuisse falso editam. Sic enim ille Præfatione in Danielem: *Sive quia sermo Chaldaicus est, & quibusdam proprietatibus a nostro eloquio discrepat; noluerunt Septuaginta Interpretes easdem linguæ lineas in translatione servare; sive sub nomine eorum ab alio nescio quo, non satis Chaldaam linguam sciente, editus est Liber.*

Sixt. Sen. Bibl. l. 1.

His animadversis, dico primum Danielem, Susannæ vindicem, eumdem esse ac Prophetam: nam contrarium non suadet allatum Hieronymi testimonium: Eusebio autem & Apollinario, opinioni huic adversantibus, opponimus vetustissimas Editiones Græcas, in quibus tantum abest ut ulla discriminis nota distinguatur Daniel Susannæ patronus a Daniele Propheta; ut potius ab hac Susannæ historia initium capiat Danielis Prophetia; servato scilicet ordine temporum; quod Daniel etiam tum duodecim annorum puer ab hoc facinore inclarescere cœperit, atque hoc primum virtutis & sapientiæ specimen ediderit. Opponimus & Synopseos Auctorem & Sulpitium Severum, & Eusebium quoque ipsum, qui historiæ Susannæ eumdem locum assignant. Dico præterea, ne Danielem quidem Beli ac Draconis domitorem, alium videri a Propheta. Comparetur narrationis hujus initium: *Erat autem Daniel conviva Regis, & honoratus super omnes amicos ejus*, cum his sexti capitis: *Daniel superabat omnes Principes & Satrapas, quia Spiritus Dei amplior erat in illo. Porro Rex cogitabat constituere eum super omne regnum: unde Principes & Satrapæ quærebant occasionem, ut invenirent Danieli ex latere Regis*; eumdem significari dices.

Athan. Synops. Sulp. Sev. Chron. l. 2. Euf. de vit. Proph.

Dan. 14, 1.

Dan. 6, 3. 4.

Digitized by Google

Cur ergo, inquies, olim in exemplaribus Septuaginta Senum, alteri Danieli eversio Beli, & Draconis interfectio; alteri item Scriptori, Habacuco videlicet, hujus historiæ narratio tribuebatur? Per mihi similis veri videtur mox allata Hieronymi conjectura, qui Danielis interpretationem Septuaginta viris adscriptam, ψευδεπιγραφον (*falsa inscriptione prænotatam*) fuisse suspicatur. Adstipulatur huic opinioni summa Interpretis licentia, qui pessima fide opus hoc Græce convertit. Audiamus eumdem Hieronymum: *Exceptis Septuaginta Translatoribus, qui hæc omnia nescio qua ratione prætermerunt, tres reliqui interpretati sunt. Unde judicio magistrorum Ecclesiæ editio eorum in hoc volumine repudiata est, & Theodotionis vulgo legitur; quæ & Ebræo, & cæteris Translatoribus congruit. Unde & Origenes in nono Stromatum volumine asserit se quæ sequuntur ab hoc loco in Propheta Daniele, non juxta Septuaginta interpretes, qui multum ab Ebraica veritate discordant, sed juxta Theodotionis editionem differere.* At fluxam illam in interpretando fidem plane alienam fuisse a Septuaginta Senibus alio libro ostendimus. Cum ergo artifex interpretationis hujus, homo videatur fuisse ingenii immodici, & nimium sibi permittentis, credibile est ipsum conjectasse, postremi capitis, quo Beli & Draconis narratur historia, auctorem fuisse Habacucum Prophetam; quod mirificum ejus illic narretur facinus, & reliquis fere Prophetis solenne sit casus suos ac visa memoriæ prodere, idemque proinde Habacucum sibi faciendum censuisse: atque hac demum conjectura ita delectatum fuisse Interpretem, ut jam non tanquam conjecturam, sed ut rem indubitatam in fronte capitis hujus adscripserit. Atque hanc ipsam historiam ψευδεπιγραφον (*falso nomine inscriptam*) significasse videtur Synopseos Auctor, cum inter apocryphos Veteris Testamenti libros Habacucum quemdam recenset. Sed judicio Magistrorum Ecclesiæ repudiata est tota hæc Danielis interpretatio, ascita vero est editio Theodotionis. Quamvis autem Danielem Sacerdotem dixerit levis ille Interpres, pluris mihi tamen est Theodotionis auctoritas, cujus editio, Hieronymo teste, *Ebræo, & cæteris Translatoribus congruit.* In Theodotione autem nihil comparet hujusmodi. Verum concedamus summam fuisse Interpretis hujus fidem, quid ergo dixisse eum narrat Hieronymus? illud nempe: *Homo quidam erat Sacerdos, nomine Daniel.* Sixtus vero: ἀνθρωπός τις ἦν ἱερεὺς, ὀνόματι Δανιήλ. Haud dubie Ebraica, quæ sequebatur, sic habebant: איש היה כהן ושמו דניאל. Græcus Interpres; כהן, reddidit ἱερεὺς, *Sacerdos*: perperam; nam hoc loco non *Sacerdotem*, sed *Satrapam* vel δυνάστην notat, qualis fuit Daniel. Sic libro Samuelis secundo, octavo capite, filii David dicuntur Sacerdotes, Ebraice כהנים, Septuaginta Senibus δυνάσται; Jonathani רבורין, *optimates*; Syro & Arabi, *Principes*. Auctor Paralipomenon de iisdem: הראשונים ליד המלך Septuaginta: οἱ πρῶτοι διὰ δεχοι τῦ βασιλέως. Vulgata ad verbum: *Primi ad manum Regis.* Sic *Sacerdos On*, dicitur Putiphar in Genesi; sic Jethro, *Sacerdos Madian*, in Exodo; sic Ira Jairites, *Sacerdos David*, libro secundo Samuelis, qui principes fuerunt.

Hieronym. in Dan. 4.

Athan. Synopsi.

Hieronym. in Dan. 4.

Hieronymus Procem. Comm. in Dan.

2. Sam. 8. 18

1. Par. 18. 17.

Gen. 41. 45

Exod. 2. 16.

2. Sam. 20. 16.

VI. Dixi Susannæ historiam fuisse in fronte libri Danielis collocatam in Septuaginta Interpretum antiquissimis editionibus; quippe egregium Danielis admodum pueri factum exponentem; ratione videlicet habita temporis. Qui vero rejecerunt ad calcem, quod vulgatus fecit Interpres, Ebraici exemplaris auctoritatem videntur secuti, unde abesse historiam hanc intelligebant. Idem de Beli & Draconis historia censendum est. Illuc etiam orationem Azariæ, & trium puerorum Hymnum itidem ablegassent, si sedibus suis emota ea ac distracta integram aliquam ac plenam historiam, non hiulcam ac imperfectam constituissent. Porro pertinet ea Susannæ historia ad postremum hunc usque capitis decimi tertii versum: *Et rex Astyages appositus est ad patres suos, & suscepit Cyrus Perses regnum ejus.* Is enim versus in optima Sixti V. editione Græca connectitur historiæ Beli & Draconis. Reliquis Danielis capitibus quæ videtur inesse perturbatio, nulla est: sciendum quippe est, non historicum hic agere Danielem, sed Prophetam; nec annales condere, sed miracula Dei, & res sibi a Deo revelatas ac præsignificatas ita referre, ut conducant Lectoribus, eorumque animos ad pietatem accendant. Prioribus itaque sex capitibus aliena fere visa narrat: sex sequentibus sua ipsius exponit, accurate

Disputatur de ordine partium libri Danielis.

Digitized by Google

accurate servata utrobique serie temporum. Nam etsi undecimo capite ad annum primum Darii Medi videtur reverti, cum superiori capite annum Cyri tertium attigisset, non est ita; Angelus enim sermonem capite decimo inchoatum, undecimo persequitur, & res Darii Medi temporibus gestas refert. Atque ea præposteri hujus ordinis longe probabilior est ratio, quam quæ ab Hieronymo proponitur. Putat enim idcirco capite septimo redire Baltassarem in scenam, cum præcedenti capite res Darii narrari essent cœptæ, *quod statim historiam historiæ copulavit*, hoc est, voluisse ipsum historiæ quinti capitis, sexti historiam serie continuata subnectere: cum tamen capitum etiam sequentium, quæ non historias exponunt, sed vaticinia, intricatus ordo sit & perplexus. Quod si aliqua sæpius iterata occurrunt, sic habeto, non visorum eorumdem repetitam esse narrationem, sed visa eadem sæpius a Deo fuisse Danieli objecta, fortasse, ut ejus animum validius pervellerent.

Hieronym. in Dan. 6.

Disputatur cur partim Ebraice, partim Chaldaice, partim Græce scriptus extet.

VII. Cur autem partim Chaldaice, partim Ebraice, partim etiam Græce scriptus extet liber Danielis, nobis quoque pervestigandum est. Primum enim caput, cum tribus sequentibus secundi versiculis, Ebraice scriptum habemus: sequentia ad octavum usque caput Chaldaico narrantur sermone, quæ subinde a R. Levi ben Gerson Ebraice reddita sunt; reliqua rursum Ebraico, præter orationem Azariæ, Hymnum trium puerorum, Susannæ, Beli & Draconis historias, quæ Græce scripta sunt. Ac pia sane & laudabilis doctorum virorum opinio est, qui discrepantiæ hujus causas scrutantes, consulto id factum a Daniele affirmarunt, ut sex Chaldaicis capitibus haberent Chaldæi, quæ regibus suis evenissent, sequentibus quinque docerentur Ebræi futura mysteria post excisum Babylonicum imperium, Christi adventum & interitum, Hierosolymitanam cladem, Judaicarum reliquiarum salutem, & mortuorum ad vitam revocationem. At cur tandem primum caput, cum prioribus tribus secundi versibus, Ebraice conceptum est, quo res narrantur mere Chaldaicæ? cur visa Chaldæorum regum ad septimum usq; pertinent caput, sermo vero Chaldaicus ad octavum producitur? Veri ergo mihi videtur propius, Librum Chaldaice primum fuisse exaratum a Daniele ipso, qui Chaldaica lingua jussu Regis Babylonii fuerat imbutus, & magnum linguæ hujus usum diutina inter Chaldæos mora comparaverat; deinde Ebraice a Judæis reducibus, in gratiam & utilitatem suæ gentis, idque publica auctoritate; demum etiam Græce ab Auctore priscæ Interpretationis, ab Aquila, a Theodotione, a Symmacho, & ab aliis. Inde contigit, ut male multatis & detruncatis exemplaribus, quod labentibus annis usu venisse nimis verum est, in ea præsertim gente tot exiliis, ruinis, ac incendiis vastata, cum librarii ad scribendum opus & recomponendum accederent, quæ in Ebraico exemplari deerant, ex Chaldaico supplere cogerentur; unde ambiguus ille fœtus exortus est. Orationi vero Azariæ, Hymno trium puerorum, Susannæ, ac Beli & Draconis historiis, quod lectu jucundæ, & ad vulgi captum essent accommodatæ, contigisse puto, ut valde celebrarentur inter Hellenistas & Alexandrinos præsertim, reliquosque Ægyptios, quorum ingenium hujusmodi deliciis & auditionibus mirifice capiebatur. Inde ergo prodeunte maxima Græcorum exemplarium copia, primigenia ipsa archetypa; ut fieri assolet, neglecta jacuerunt, ac sensum denique interciderunt; vel, ut acute conjicit Origenes, a Judæis ipsis dedita opera suppressa sunt, cum majorum suorum infamiam, scelerumque vestigia alio scelere abolere studerent. Quod ut felicius succederet, ipsum Historiæ Susannæ artificem, Græcum quemdam hominem nominabant, ut refert Hieronymus; Interpretem ipsum fortasse, aut commentitiam aliquam personam, pro Auctore, nefaria arte obtrudentes.

Origen. in Epist. ad African.

Hier. Præf. in Dan.

Nonnulla afferuntur ad auctoritatem Additamentis Danielis conciliandam.

VIII. Non est nostri otii, aut instituti, ea colligere, quæ de Græcis illis libri Danielis partibus habitæ a piis juxta & eruditis hominibus adversus horum temporum Heterodoxos disputationes peperere. Duo tantum Lectorem monebo, quæ his reliquis auctoritatem aliquam conciliare possunt: multos primum in iis Ebraismos occurrere, quod ab eruditis jamdiu est observatum; quos si quis oculis æquis perspexerit, Ebraice primitus fuisse conceptas fatebitur: deinde Judæos historiæ Susannæ veritati non refragari, sed Libri tantum hujus, quo ea continetur,

tinetur, auctoritatem oppugnare, unico hoc argumento, quod Ebraicis literis consignatus non extet; cujus rei probabilem hanc dari causſam ab Origene, quam dixi, quæcunque progenitorum ſuorum corruptelas ac impuritates monumenta continerent, ſummo a recentioribus Judæorum Magiſtris ſtudio eraſa fuiſſe & obliterata.

Origen. in Epiſtol. ad African.

Diſputatur de Senibus, a quibus attentata eſt Suſanna pudicitia.

IX. Ad opinionem ſuam comprobandam nonnulla affert Origenes, quæ ab Ebræo quodam ſeſe accepiſſe narrat; nempe vulgata traditione inter populares ejus ferri, delloccatos illos & impudicos Senes Ebræarum mulierum pudicitiæ hac arte illudere fuiſſe ſolitos, cum apud eas in privatis colloquiis frequentidem prædicaret uterque, conceſſum ſibi a Deo, ut Chriſtum gigneret; id ſupinis auribus accipientes ſimplices fœminas corporis ſui copiam impiis viris ſine mora feciſſe; at Suſannæ caſtitati cum pari aſtu eſſent inſidiati, vafritiem illorum prudentiſſimam fœminam eluſiſſe: nomina autem illis Achabo filio Coliæ, & Sedeciæ filio Maaſiæ fuiſſe, quos Jeremias his verbis increſſit: *Ponat te Dominus, ſicut Sedeciam, & ſicut Achab, quos frixit rex Babylonis in igne, pro eo quod fecerint ſtultitiam in Iſrael, & mœchati ſint in uxores amicorum ſuorum, & locuti ſint verbum in nomine meo mendaciter, quod non mandavi eis, ego ſum judex & teſtis, dicit Dominus.* Nam quod ignis ſupplicium inſonti Suſannæ falſo teſtimonio paraſſent, pœnam eamdem, juxta Deuteronomii præceptum, quo talionis pœna ſancitur, relatam ipſis fuiſſe Ebræi volunt: cum & Chaldæi in adulteros igne animadvertere ſolerent; ſicuti & in Chananæa ante Legem fieri ſolitum fuiſſe diſcimus ex Judæ & Thamaris hiſtoria. Atque hanc narrationem, ſed interpolatam Thalmudiſtæ reſinunt. Syrus Paraphraſtes ex editione Heraclienſi, non Achabum & Sedeciam, ſed Amidum & Abidum appellat. Utut eſt, quod Senes fuiſſe dicuntur, id potius eorum dignitatem notat, quam ætatem, Ebraice erat τροπ. Sic γέρων apud Græcos *Senem & Senatorem* ſonat; πρεσβύτερος, *Senem & Sacerdotem.* Hinc *Senior* Latinis. Gellius *Seniorum hominum, & Romæ nobilium, atque in morum diſciplinarumque veterum doctrina, memoriaque præſtantium, diſceptatio quædam fuit.* Ex Latino *Senior*, Gallicum *Seigneur.* Sic *Senem Montis*, *Le Vieil de La Montagne*, appellant Hiſtorici noſtrates Regem Aſſaſſinorum, ſive potius Haſchiſchorum ראש המשחישים: cum appellari debuiſſet, *Dominus Gebal*, יקר הגבל. Nam יקר, *Dominum*, ſive *Principem* ſignificat hoc loco. Item *Gebal*, & regionem hujus nominis ſub monte Libano ſitam, & *montem* quoque apud Arabes ſignificat. Quo ſenſu ſumendum eſt illud Ezechielis נקבי גבל, *Principes Gabalitani.* Vera eſſe, quæ proponimus, non infitiabitur, qui Benjaminum Tudelenſem legerit. Cujus Interpres (id enim ſilentio præterire non poſſum) in puerilem hoc loco incidit errorem, cum ait, Montanos omnibus paſſim eſſe terrori, *qui reges ferra diſſecant*: cum vertere debuiſſet, *quia reges dolo interficiunt.* Decepit eum vox מסירי, cujus radix eſt מסר, quæ dictio ſonat, *dolo prodidit*, & *ferra diſſecuit.* Hæc ſcripta erant a me, atque etiam edita, cum incidi in Origines Italicas Menagii noſtri, in iisque hæc fere jam obſervata reperi a veteri amico & municipe noſtro Stephano Monachio, numquam ſine laude nominando. Ex his, quæ ſupra dixi, poteſt exiſtimari, quam non abſurde, nec ſine cauſſa conjectarit Origenes, Judæos gentis ſuæ, optimatumque ſuorum famæ conſulentes, tanti dedecoris memoriam ſuſtuliſſe.

Jer. 29, 22.

Deut. 19, 18 29.

Gell. l. 15. c. 13.

Ezech. 27, 9

Diſputatur de ſuppoſititiis Danielis ſcriptionibus.

X. Fecit præſtans Danielis fama, & explicandis poteſſimum ſomniis celebrata, ut vetus quidam Onirocriticorum Auctor operi ſuo Somnialiorum Danielis nomen falſo præſcriberet. Ejus uſum damnant Decreta Gratiani, utpote ſuppoſititii & impii. At incertum eſt, idne, vel ſimile quid notaverit Synopſis, cum inter Apocrypha Danielem collocavit. Certe Additamenta Danielis non reſpexit, quæ inter legitimos hujus Prophetæ fœtus ab eo recenſentur. Ego vero & Latinam Chriſtiani hominis ſcriptionem eſſe puto, cum nulla ejus appareat mentio, vel in Artemidoro, vel in Achmete; nec valde antiquam, cum inter eos qui ante Artemidorum idem tractaverunt argumentum, nomen Danielis nuſpiam extet.

Decr. Part. 2. Cauſſ. 27. Quæſt. 2. c. 16.

Probatur Prophetia Danielis γνησιότης & antiquitas.

XI. Sed jam tempus eſt, ut ad probandam Libri hujus γνησιότητα & antiquitatem nos accingamus. Danielem ejus eſſe ſcriptorem, clauſula hæc indicat e ſeptimo capite, in qua ſic differit: *Anno primo Balthaſſar, regis*

Dan. 7, 1. 2.

Digitized by Google

regis Babylonis, Daniel somnium vidit : visio autem capitis ejus in cubili suo : & somnium scribens brevi sermone comprehendit ; summatimque perstringens ait : Videbam in visione mea nocte. Item istud e sequenti capite : *Tu ergo visionem signa, quia post multos dies erit. Et ego Daniel langui.* Et id etiam e capite duodecimo : *Tu autem Daniel claude sermones, & signa Librum usque ad tempus statutum. Et vidi ego Daniel.* Præclara ad hæc Danielis mentio apud Ezechielem, sic tam quam viri pietate & sapientia longe præstantis. Scripserat Daniel nono capite : *Et posui faciem meam ad Dominum Deum meum, rogare & deprecari in jejuniis, sacco, & cinere. Et oravi Dominum Deum meum, & confessus sum, & dixi : Obsecro Domine Deus, magne, & terribilis, custodiens pactum & misericordiam diligentibus te, & custodientibus mandata tua.* Manifesto hæc imitatus est Nehemias primo capite : *Cumque audivissem verba hujuscemodi, sedi, & flevi, & luxi diebus multis : jejunabam, & orabam ante faciem Dei cœli ; & dixi : Quæso Domine DEus cœli, fortis, magne, atque terribilis, qui custodis pactum & misericordiam cum his, qui te diligunt, & custodiunt mandata tua.* Librum eumdem se versiviſſe abunde testificatus est Mathathias, cum ait primo Machabaicorum : *Ananias, & Azarias, & Misael, credentes liberati sunt de flamma. Daniel in sua simplicitate liberatus est de ore leonum.* Danielem notant ista ex Epistola ad Ebræos : *Obturaverunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis.* Danielem vero Christus nominatim appellavit, cum dixit apud Matthæum : *Cum ergo videritis abominationem desolationis, quæ dicta est a Daniele Propheta, stantem in loco sancto (qui legit, intelligat) tunc qui in Judæa sunt, fugiant ad montes.* Quæ sic a Daniele expressa sunt : *Et erit in Templo abominatio desolationis.* Ad hæc objectas sibi de cœlo species in Apocalypsi referens Johannes, Danielem palam imitatur. Velut cum de Bestia cornibus instructa, sibi visa disserit. Antiquum dierum sic describit Daniel : *Antiquus dierum sedit : vestimentum ejus candidum quasi nix, & capilli ejus quasi lana munda, thronus ejus flamma ignis :* sic & virum vestitum lineis : *Et levavi oculos meos, & vidi : & ecce vir unus vestitus lineis, & renes ejus accincti auro obryzo, & corpus ejus quasi Chrysolithus, & facies ejus velut species fulguris, & oculi ejus ut lampas ardens ; & brachia ejus, & quæ deorsum usque ad pedes, quasi species æris candentis ; & vox sermonum ejus ut vox multitudinis ;* sic Christum Johannes : *Vidi .... similem Filio hominis, vestitum podere, & præcinctum ad mamillas zona aurea : caput autem ejus & capilli erant candidi tanquam lana alba, & tanquam nix, & oculi ejus tanquam flamma ignis, & pedes ejus similes oriehalco, sicut in camino ardenti, & vox illius tanquam vox aquarum multarum.* Apparet quoque imitatio, cum Regnum Sanctorum prædicat, & Libros judicii ; cum innumerabiles Ministrorum Dei copias infinitis millibus tentat comprehendere ; cum Bestiam igni tostam exhibet ; cum Filium hominis nubi cuiuli invectum, & Bestiam vitos pietate insignes oppugnantem & expugnantem describit ; cumque cornua decem Bestiæ, Reges totidem præsignificare docet. Ait Daniel : *Cumque loqueretur ad me, prolapsus sum pronus in terram, & tetigit me, & stetit me in gradu meo :* & alibi : *Et ecce dicens jacebam consternatus super faciem meam, & vultus meus hærebus terræ : & ecce manus tetigit me, & erexit me super genua mea, & super articulos manuum mearum, ... & ait ad me, Noli metuere Daniel :* ait Johannes : *Et cum vidissem eum, cecidi ad pedes ejus tanquam mortuus ; & posuit dexteram suam super me, dicens, Noli timere.* Cum Michaelis prælium narrat Johannes, Danielem aperte sectatur. Sic Daniel duodecimo capite : *Et audivi virum, qui indutus erat lineis, qui stabat super aquas fluminis, cum elevasset dexteram, & sinistram suam in cœlum, & juravisset per Viventem in æternum, quia in tempus, & tempora, & dimidium temporis :* sic Johannes : *Et angelus quem vidi stantem super mare, & super terram, levavit manum suam ad cœlum, & juravit per Viventem in sæcula sæculorum.* Hæc ipsa Danielis locutio : *In tempus, & tempora, & dimidium temporis*, quam & alio loco usurpat, a Johanne itidem usurpatur.

Dan. 8, 26. Apoc. 1, 13. 14. Dan. 12, 4. Ezech. 14, 14. 15. 20. & c. 28, 2. 3. 4. Dan. 9, 3. 4. Neh. 1, 4. 1. Mach. 2, 59, 60. Ebr. 11, 33. Matth. 24, 15. Dan. 9, 27. Joh. 13, 1. Dan. 7, 7. Dan. 7. 9. Dan. 10, 5. 6. Dan. 7, 22, 27. Apoc. 20, 4 Dan. 7. 10. Apoc. 5, 6. & 20, 12. & 5, 11. & 9, 16. Dan. 7, 11. Apoc. 19, 20. & 20, 10. Dan. 7, 13. Apoc. 14, 14. Dan. 7, 20. 21. Apoc. 11, 7. & 13, 7. Dan. 7, 24. Apoc. 12, 12. Dan. 8, 18. & 10, 9. 10. 12. Apoc. 1, 17. Dan. 10, 13. Apoc. 12, 7. Dan. 12, 7. Apoc. 10, 5. Dan. 7, 25. Apoc. 12, 14

Nunc si a Scriptoribus exoticis petamus subsidia, plurima sane succurrunt. Placet imprimis Godefredi Wendelini opinio, qui Pythagoræ τετρακτὺν, nihil aliud significare conjectat, quam Dei nomen τετραγράμματον, Wendelin. Diss. de Pythag. Tetr.

idque a Daniele Magorum Principe, qui tum senex fuerit, Pythagoram accepisse. Addidisset & Ezechielem; quicum conversari potuisse Pythagoram ostendimus supra. Adjungit & hoc e vetere Machabaicorum: οὐ γὰρ κατὰ βαρβαρίαν τοῖς ἑταίροις συνῆν τὸν θεῖον ἀνδρὸς ἐρασθείς· ἀλλ' ἐπὶ μὲν λαμπάσιν τοῦ κάνδυος, διάπυρον δρασείας πάμπαν ἐβλόσυν μέχρι πυρὸς ἀπημάντους, φλόγα πᾶσιν ἐπιπέμψας τοῖς ὑπεναντίοις· οὐ ταῖς διαβολαῖς φθόνῳ λόγοι κατὰ γῆς ἐφθάρη θεσπέσιος βοηθὸν δανιὴλ ἐς ἀφθίτους ἀνήγαγας ἀγῶνας. *Tu in Babylonia tres sodales, qui igni vitam suam ultro commiserant, ne idola colerent, ardentem fornacem rore respergens, flammis illæsos præstitisti, in omnes eorum adversarios flammam immittens. Tu Danielem, qui per invidorum calumnias feris leonibus in escam fuerat expositus, intactum in lucem eduxisti.* Præclarum vero, neque ulli exceptioni obnoxium Josephi testimonium. Alexandrum refert Hierosolymitano populo tributorum immunitatem in septimum quemque annum libenter dedisse, suisque uti legibus viveret concessisse, postquam ei Danielis vaticinia Pontifex ostendisset, quibus Persarum regnum a Principe Græcorum profligatum iri prædixit. Postmodum vero Græcis literis eadem Danielis Prophetia est explicata. Verumtamen huic interpretationi illa Theodotionis anteposita est. Itaque Josephus se hanc narrare testatur historiam, ita ut in vetustis Ebræorum Codicibus scriptam reperit: quos sane Codices dicere vetustos non potuisset, nisi multis ante ipsius, Christique ædo ætatem fuissent exarati.

Joseph. Antiq. l. 11. c. 8.

Refelluntur argumenta Adversariorum.

XII. Quæ quamvis nullis argumentis appeti posse videantur, Porphyrius tamen e quindecim libris, quibus Christianam religionem oppugnavit, toto duodecimo unum Danielis librum sibi refellendum proposuit. Sed a Methodio, Eusebio, & Apollinario, confutatus est luculentis operibus, quæ diuturnitate consumta sunt. Multa quoque ejusdem argumenta dissolvit Hieronymus; velut quod ex his conflatur, ἀπὸ τῶ σχήν σχίσω, καὶ ἀπὸ τῶ πρὸς πρέσω, quod & Africanus, & Judæorum usurparunt Magistri, ut Græci hominis opus hoc esse probarent, & ab Origene erudite discussum est, ut & ab Eusebio, & Apollinario. Plurima etiam adversus Additamenta Danielis commentati sunt novelli Heterodoxi: quæ cum egregie refellerint Catholicæ veritatis vindices, in iisdem repetendis oleum operamque non perdemus. Sed & supra de Daniele differentes, multas antevenimus contradictiones, vel iis data opera respondentes, vel ea certe afferentes in medium, ex quibus illarum nascitur solutio. Progrediamur ergo ad ea quæ nobis profliganda supersunt.

Primum argumentum.

Ac primum falso Danielis nomen Librum hunc præferre contendit Porphyrius; Antiochi enim Epiphanis ævo in Judæa fuisse a quodam compositum, qui res ad id tempus gestas, sic tanquam futuras prædixerit; reliqua autem, quæ vere futura erant, ut pote a se ignorata, incertis & falsis vaticiniis prænuntiaverit. *Tanta enim*, inquit Hieronymus, *dictorum fides fuit, ut Prophetæ incredulis hominibus non videatur futura dixisse, sed narrasse præterita.* Nos falsa ea esse vaticinia negamus; perperam vero a Porphyrio intellecta cum Hieronymo dicimus: Bestiam enim tertiam & quartam, Danielis capite septimo memoratas, ad unum Macedonicum regnum refert, cum ad Romanum Imperium quarta pertineat. Cornua item decem, & parvulum cornu de medio eorum exortum, pravis interpretationibus ad res præteritas detorquet, cum ad futuras trahi debere ostendat Hieronymus, & ex Apocalypsi confirmet Sixtus Senensis, ubi Bestia describitur, cornua itidem habens decem, symbola nempe decem Regum, *qui regnum nondum acceperant*, cum Apocalypsis, nedum cum liber Danielis scriberetur, *sed potestatem tanquam Reges una hora accepturi erant post Bestiam.*

Hier. Procem. Comment. in Dan.

Hieron. in Daniel. 7. Sixt. Bibl. l. 8.

Apoc. 17, 12.

Secundum argumentum.

XIII. Longius etiam abit Philosophus Theologo-Politicus, & librum Danielis prodiisse demum censet, dudum post instauratum a Juda Machabæo Templi cultum. Hujus sane perquam intricatæ sunt hoc loco opiniones, unde vix certi quicquam possis exsculpere. Nam capita postrema quinque sine dubio Danielis scripta continere fatetur. Unde colligimus, quæcunque adversus librum Danielis deinceps objicit, ad priora duntaxat septem pertinere. Ea autem suspicatur ex Chronologicis Chaldæorum libris esse depromta. Subjungit deinde, libro Danielis Esdræ librum adnecti, huic illum Estheræ; unde concludit ejusdem Auctoris opera esse, Danielis, Esdræ, & Estheræ libros: quibus mantissam

Tract. Theol. c. 10.

Digitized by Google

mantissam addit & illum Nehemiæ. Auctorem fatetur se prorsus ignorare. Tum subdit: *Quare non dubito, quin hi Libri, dudum postquam Judas Machabæus Templi cultum restauravit, scripti fuerint: idque quia tum temporis falsi Danielis, Esdræ, & Estheris Libri edebantur a malevolis quibusdam, qui sine dubio sectæ Sadducæorum erant: nam Pharisæi numquam illos Libros, quod sciam, receperant ..... Vel forte ea de caussa tum temporis descripti atque editi sunt, ut populo ostenderent, Danielis Prophetias adimpleras esse, atque eum hac ratione in religione confirmarent, ne de melioribus & futura salute in tantis calamitatibus desperaret.* Quæ adeo perplexa sunt, adeo vanitatis plena, ut hominem tantis de rebus, tamque seriis, tanta levitate differentem, omnino ceritum fuisse necesse sit. Non patiuntur scriptionis hujus angustiæ nos pede collato singula pro merito suo retundere; quæ & partim jam supra de Esdræ, Nehemiæ, & Estheræ libris disputantes, tanquam mera somnia ac deliramenta, nulla solida ratione subnixa explosimus; partim hic levi brachio excutiemus. Libro Danielis Esdræ librum annecti ait; cujus opinionis caussam nullam affert; nos ejus repudiandi istam habemus, quod liber Danielis desinat in anno tertio Cyri, a primo autem ejusdem anno initium ducat liber Esdræ, neque ulla intercedat argumenti similitudo. Esdræ libro Estheræ librum conjungit, idcirco, quod huic conjunctio præfixa est, quæ alio referri non possit. Nos rationis hujus infirmitatem supra de Ezechiele agentes declaravimus; neque video; cur ad Esdram potius, quam ad alium quemcunque librum conjunctio isthæc pertinere debeat. Demus tamen hæc conjungenda esse, propterean eidem Scriptori tribuenda sunt? Homeri Iliadem excipiunt Quinti Smyrnæi Paralipomena, Virgilii Æneidem Maphæi Vegii liber, idemne porro Quintus, & Homerus; Vegius, & Virgilius? Atque hos cur ejusdem parentis fœtus esse diceret, aliquem attulit colorem; cur Nehemiæ etiam Librum, plane nullum. Nempe ea est hominis auctoritas, ut etiam sine ratione nos frangere possit. Falsi illi Danielis, Esdræ, & Estheræ libri, a Sadducæis post restitutum a Juda Machabæo Templi cultum editi, (quibus verbis significari puto partes Græcas librorum Danielis & Estheræ, de Esdræ certium, de quo jam non disputo) germanæ, gratis obtrusæ, gratis retrusæ. Quod sequitur, Libros eos hac de caussa editos, ut Danielis prædictiones completas esse populus intelligeret, quid sibi vult? An ea sententia est, Judæos horum temporum, ex Chronologicis, ut conjectat, Chaldæorum libris accepisse, talia olim a Daniele fuisse prædicta, quæ ut majorem apud vulgus haberent fidem, supposuisse librum ipsius Danielis nomine, eique has Prophetias inseruisse? Hoc si censuit Conjector noster, quæram ab eo, cujus sectæ fuerint fabricatores doli: an Sadducæi? at Prophetias aspernabantur: an Pharisæi? at non ita caute dolum instruere potuissent, ut eorum adversariis Sadducæis fallacia non suboleret. Fraude autem patefacta, manifestum adiissent capitis discrimen: non minus enim impium fuisset & periculosum, Judæorum moribus, Prophetias confingere, quam Prophetam agere; quod morte puniri jussit Moses. An vero significat Dispu- Deut. 18, tator, ad confirmandam quinque postremorum Danielis capitum veritatem, quæ a Daniele vere scripta esse confessus est, septem priora supposita fuisse? At res plane diversæ utrobique narrantur, nec ad confirmandam unam altera conducit quicquam. Ajo præterea ea quoque septem capita temere vocari in dubium. Si quid enim id persuadere potest, maxime hæc duo, quod Chaldaice scripta sint, cum reliqua sermone Ebraico sint explicata; item quod in iis de Daniele ἑτεροπροσωπικῶς (*ex aliena persona*) sermo fiat, in reliquis ἰδιοπροσώπως (*ex propria persona*) At nos supra caussas conjectura videmur assecuti, unde factum, ut hæc partim Chaldaica, partim Ebraica loquela tradita sint. Ad hæc primum Libri caput, & tres versiculi priores capitis sequentis, Ebraice concepta sunt: unde sequeretur eam quoque partem Danieli adjudicandam. Septimum vero, quod ἑτεροπροσωπικὸν (*ex aliena persona prolatum*) est initio, pergit tamen ἰδιοπροσώπως (*ex propria persona.*) *Daniel*, inquit, *somnium vidit: visio autem capitis ejus in cubili suo:* hæc ἑτεροπροσωπικῶς (*prolata ex aliena persona.*) Pergit: *Et somnium scribens, brevi sermone comprehendit, summatimque perstringens ait:* hinc tamen se auctorem prodit. Tum addit: *Videbam in visione mea nocte:*

ἰδιοπρο-

Digitized by Google

ἀπὸ προσώπου (*ex aliena persona*) de se loqui hic incipit, ac porro pergit. Cur itaque caput octavum ac sequentia Danieli tribuat Disputator, non septimum, caussa nulla est. Quod si ei septimum largiare, ubi partim ex sua, partim ex aliena persona disserit, cur non & reliqua, in quibus ex aliena? Diximus supra probabile esse Librum Chaldaice primum fuisse scriptum a Daniele, deinde & Ebraice a Judæis in patriam postliminio reversis, in gratiam suæ gentis: hoc insuper addo, res suas narrantem Danielem alienam induisse personam, vel ex gentilium suorum usu, ac Moſis præcipue, qui cum gestorum suorum memoriam posteris prodiret, ἀπὸ προσώπου (*ex aliena persona*) locutus est; vel modestiæ & decori caussa, ne se virum captivum & extraneum apud victores Babylonios jactare videretur: Ebræos vero in Judæam reduces & compotes libertatis, cum id opus lingua sua referrent, Danielem partim ex sua, partim ex alterius persona indiscriminatim differentem pro arbitrio induxisse. At capite quarto, & fine tertii, Nabuchodonosor verbis suis somnium suum refert; quod consulto a Daniele factum est, ut majorem auctoritatem haberet oratio, edictum integrum ne mutatis quidem verbis repræsentans. Si quis præterea nos urgeat auctoritate Josephi, qui res a Daniele scriptis traditas retensens, postquam ad octavum pervenit caput, gradum sistit, quasi sequentia non agnoscat, respondebimus non singulas sacrorum Librorum partes explicandas suscepisse Josephum, sed aliquas tantum carptim pro libitu delibasse. Notabile vero est, hæc ipsum fere Danielis attigisse capita, quorum τινὰ ἐᾶσαι Tractator Theologo-Politicus in dubium revocavit. Sed & se reliquorum auctoritatem sequi ostendit alibi, cum Templi desolationem a Daniele prædictam esse ait, nono videlicet capite, atque item undecimo, & duodecimo.

Joseph. Antiq. l. 12. c. 11.

Dan. 9, 2. & 11, 31. & 12, 11.

XIV. Tertium suppeditat argumentum Thalmudistarum sententia, qui capite primo Babæ bathræ, in Gemara, librum Danielis a viris Synagogæ magnæ elaboratum fuisse sciscunt. Hos alii assectantur Rabbini. Isidorus a viris quibusdam sapientibus scriptum esse perhiberi ait. Hobbesius vero, an vaticiniorum suorum scriptor ipse fuerit, sciri non posse docet. Hac ratione nititur Thalmudistarum opinio, quod fas non fuerit literis Prophetias tradere extra Terram Sanctam, proindeque Ezechielis & Danielis vaticinia a Synagogæ magnæ viris, post reditum, in libros fuisse relata. At si Daniel fuerit unus ex illius Synagogæ proceribus, ut vult Maimonides in Jad Chazakah, utique non videtur rerum sibi visarum, suæque ipsius Prophetiæ literis consignandæ munus alteri concessisse. Sin ex illis non fuerit Daniel, uti statuit Abrabaniel in Hereditate patrum, (quod verisimillimum est, cum anno tertio Cyri esset in Susiana, in qua & sepultus fertur; anno autem Cyri primo Judæi patriis sedibus sint restituti) frivola etiam erit Thalmudistarum ratio, quippe cui refragatur ipse Daniel, cum ait: *Daniel somnium vidit, & somnium scribens brevi sermone comprehendit:* item: *Tu ergo visionem signa:* tum: *Tu autem, Daniel, claude sermones, & signa librum.* Præterea Jeremias vaticiniorum suorum partem literis prodidit in Ægypto. Falsum est ergo non licuisse extra Terræ sanctæ fines Prophetias describere: proindeque falsum quod inde cogitur, illam Danielis a Synagoga magna esse scriptam. Sed ut his careamus præscriptionibus, hac certe petitionem istam excipiemus, revera Synagogæ magnæ viros librum Danielis scripsisse, Ebraice nimirum, ut diximus, cum jam ante a Daniele Chaldaico sermone fuisset exaratus. Verum quid istis immoror, cum idem argumentum jam ante refellerim in disputatione de Prophetia Ezechielis?

Dan. 1, 1. 2.

Dan. 8, 26.

Tertium argumentum.

Isid. l. 6. Orig. c. 2. Hobb. Leviath. c. 33.

XV. Ex Habacuco discophoro, qui Danielis æqualis ponitur, & vaticinia tamen edidisse Manassis temporibus fertur in Seder Olam, & multis rationibus persuaderi potest, quartum prodit argumentum. Nam si rationem ineamus temporum, annos vixerit circiter centum & quinquaginta, juxta Eusebianos ἐπιλογισμοὺς (*computationes*;) minimum certe annos plusquam centum & triginta; cum mortuus fingatur biennio ante dimissos Israelitas, quod vix credibile est. At ea nos facile finginus, geminum Habacucum fuisse statuentes; priorem Prophetam, Manassis æqualem, cujus vaticinia supersunt ad hanc diem; alterum Prophetam quoque, qui escam ad Danielem deferre jussus est. Hunc fuisse de tribu Levi ostendit Lemma, historiæ Beli & Draconis præfixum in edi-

Quartum argumentum.

Digitized by Google

in editione Septuaginta Interpretum, quod exhibet Hieronymus in Prooemio Commentariorum Danielis, & nos supra adduximus. Ille vero Symeonis tribu oriundus fuit, ut est apud Pseudo-Epiphanium & Pseudo Dorotheum, in libris de vitis Prophetarum. Sed id pluribus infra persequemur. Demus tamen eumdem fuisse unumque Habacucum, ac vixisse annos plusquam centum & triginta: quid in eo novum? quid incredibile? Neque vero de Libri hujus dignitate detrahit, quod Magistrum quemdam Judæum præsente se objeciſſe narrat Hieronymus, nullum in veteri Testamento exemplum occurrere hominis gravi corpore volantis, & tantillo tempore tanta terrarum spatia tranantis. Quasi quæcumque vel in sacris, vel in profanis narrantur historiis, fidem amittant, nisi similia proferantur exempla. Detur e sacris Codicibus exemplum Noachici diluvii, vel Sodomitici incendii, vel Metamorphoseos uxoris Lothi. Nos vero, qui Christum scimus a Diabolo in montis cacumen, ac Templi fastigium fuisse delatum, Habacuci historiæ fidem facile tribuimus.

Hieron. Præf. in Dan.

XVI. Quintum demum argumentum procudunt Anabaptistæ ex istis Ezechielis: *Si fuerint tres viri isti in medio terræ, Noe, Daniel, & Job, nec filios, nec filias liberabunt.* Item: *Ecce sapientior es tu Daniele?* Quibus exprimitur vir quidam Daniel, grandis natu, & multorum liberorum parens; cum Propheta Daniel, quo tempore hoc scribebat Ezechiel, anno nempe Joachimi sexto, nondum pueriles annos excessisset. Id vero præclare retunditur ex Hieronymo, qui ait Danielem adhuc puerum inter grandævos homines ab Ezechiele fuisse collocatum, ut pote qui ex somniis Regis appositè explanatis, & ex liberata Susanna valde jam inclaruisset: ipsi vero non aliter liberos tribuisse, quam ἐξ ὑποθέσεως, *(ex fictione)* ac si dixisset, Etiamsi liberos haberent Noe, Job, & Daniel, non eos pœnis eximere possent.

Quintum argumentum. Ezech. 14, 14. & seq. & 28, 3.

Hier. l. 1. adv. Jov. c. 13.

DE LIBRO DVODECIM PROPHETARVM.

I. *Disputatur de ordine librorum Duodecim Prophetarum.* II. *Probatur libri Duodecim Prophetarum γνησιότης & antiquitas.*

Disputatur de ordine librorum

I. ANtequam agamus sigillatim de libris Duodecim Prophetarum, paucula quædam de iis in universum præfanda sunt. Notat Hieronymus aliter dispositos esse in Ebraico exemplari, ac in Septuaginta virorum Interpretatione, quam secutus est Auctor libri quarti Esdræ; secuti & Eusebius & Pseudo-Epiphanius, & Pseudo Dorotheus, a quibus Prophetarum scriptæ sunt vitæ. At Ebraicum Codicem assectatus Hieronymus pristinam seriem restituit. Nulla tamen in sex postremis occurrit utrobique discrepatio, nulla in primo loco Oseæ tribuendo: de reliquis concertatio est; nam Joelem secundum, Amosum tertium, quartum Abdiam, quintum Jonam, sextum Michæam ponunt Ebræi: Septuaginta vero, Amosum secundum, Michæam tertium, Joelem quartum, quintum Abdiam, sextum Jonam. Utram persequare sententiam, parum refert, æquales quippe fuerunt sex hi priores, exiguo vel nullo ætatis discrimine; atque hinc nata ea varietas est. Viri Synagogæ magnæ, a quibus in ordinem dispositi sunt, rationem habuerunt temporum, etiam in Abdiæ collocando libro: quamvis Abrabaniel in eo seriem temporum interruptam censeat, & Abdiam ætate priorem fuisse Joele & Amoso; his tamen esse subjectum, tum quod proselytus fuerit, tum etiam quod in eodem ac illi argumento versatus sit. Sed de his mox viderimus.

Duodecim Prophetarum. 4. Esdr. 1. 38. 39. 40.

II. Luculento porro Libri hujus antiquitatem testimonio comprobat Sirachides, cum ait quadragesimo nono capite: *Duodecim Prophetarum ossa pullulent de loco suo: nam corroboraverunt Jacob, & redemerunt eum in fide virtutis.* Quæ quidem testificatio, etiamsi reliquæ deessent omnes, omnibus Prophetarum vaticiniis, quæ hac collectione continentur, suam adstruit antiquitatem & γνησιότητα. Unumquodque tamen singulatim percensebimus, & præter generalem illam & late patentem, privata sua cuique ac legitima continget probatio. Sed nec aspernandum est testimonium Auctoris Beth-Israel, qui tradit Aggæum, Zachariam, & Malachiam Prophetias suas parvis Prophetiis adjunxisse, & in grandius volumen compegisse, ne separatæ propter exiguitatem perirent. Ac cum R. Isaac Aramah, Præfatione in Canticum, Synagogæ magnæ Magistris libri Duodecim Prophetarum scriptionem videtur tribuere, sic intellige, quosdam e Prophetis illis fuisse de numero Sapientum Synagogæ

Probatur libri Duodecim Prophetarum γνησιότης & antiquitas. Eccl. 49, 12.

Beth. Isr. ad Baba bathr. c. 1.

Digitized by Google

gogæ hujus, Aggæum videlicet, Zachariam, & Malachiam; totum vero conſeſſum prophetias horum Duodecim in unum volumen compoſuiſſe.

DE PROPHETIA OSEÆ.

I. *Diſputatur de Oſea.* II. *Probatur Prophetiæ Oſeæ γνησιότης & antiquitas.*

Diſputatur de Oſea.

I. PRophetarum Duodecim, qui Minores appellantur, ſed & majorum etiam quatuor primus cenſetur Oſee, quippe qui primus omnium æqualium futura prædicere aggreſſus ſit, Oziæ, Joathanis, Achazi, & Ezechiæ, regum Juda, Jeroboami vero, filii Joas, regis Iſrael temporibus. Hoc inter ſuos munere functus eſt per longiſſimum annorum decurſum, quos ad nonaginta proferunt Ebræi; proindeque ad ſummam vixerit ſenectutem: adeo ut Iſraelitici regni, teſte Hieronymo, futuram prænuntiaverit cladem, & luxerit ingruentem, & præteritam ad emendandum Judam commemoraverit. Tribu Iſſachar oriundum fuiſſe a Pſeudo-Epiphanio, Pſeudo-Dorotheo traditum eſt; oppido Bethſemes, non ut apud eos mendoſe legitur, Belemoth, quemadmodum a Druſio obſervatum eſt; patre Beeri, non Beera illo, quem captivum abduxit Thelgathphalnaſar, & cujus meminerunt Paralipomena, uti opinantur Ebræi: nam præterquam quod nomina diſcrepant, cum hic ſit בארה; ille בארו; Propheta fuit Iſſacharides; ut dixi, alterum vero principem Rubenitarum fuiſſe Paralipomena indicant.

Hieron. in Oſe 1.

Epiph. & Doroth. de vit. Proph. Druſ. in Oſe. 1, 1. 1. Par. 5, 6.

Probatur Prophetiæ Oſeæ γνησιότης & antiquitas.

II. At vaticinii hujus auctorem ſe ipſe declarat Oſee tertio capite, ſic de ſe diſſerens αὐτοπροσώπως (*ex propria perſona:*) *Et dixit Dominus ad me: Adhuc vade, & dilige mulierem dilectam amico & adulteram:* tum: *Et fodi eam mihi quindecim argenteis:* deinde: *Et dixi ad eam, Dies multos expectabis me.* Inde porro plurima ſumſiſſe Jeremiam deprehendimus: cum enim ſcripſiſſet Oſee ſecundo capite: *Et ceſſare faciam omne gaudium ejus, ſolemnitatem ejus, neomeniam ejus, ſabbathum ejus, & omnia feſta tempora ejus:* ſic eadem repræſentavit Jeremias: *Et quieſcere faciam de urbibus Juda, & de plateis Jeruſalem, vocem ſponſi & vocem ſponſæ: in deſolatione enim erit terra;* quæ bis, tertioque repetit. Ea quoque ita repræſentavit Ezechiel: *Et quieſcere faciam multitudinem canticorum tuorum, & ſonitus cithararum tuarum non audietur amplius.* Talibus convitiis Hieroſolymitanam Synagogam inceſſerat Oſee: *Et hæc neſcivit quia ego dedi ei frumentum & vinum & oleum, & argentum multiplicavi ei, & aurum, quæ fecerunt Baal:* hæc ipſa ei objicit Ezechiel: *Et ſumens de veſtimentis tuis, feciſti tibi excelſa, hinc inde conſuta, & fornicata es ſuper eis, ſicut non eſt factum, neque futurum eſt. Et tuliſti vaſa decoris tui, de auro meo atque argento meo, quæ dedi tibi: & feciſti tibi imagines maſculinas, & fornicata es in eis. Et ſumſiſti veſtimenta tua multicoloria, & operuiſti illa; & oleum meum, & thymiama meum poſuiſti coram eis. Et panem meum, quem dedi tibi, ſimilam, & oleum, & mel, quibus enutrivi te, poſuiſti in conſpectu eorum, in odorem ſuavitatis, & factum eſt, ait Dominus Deus.* Reliquum Ezechielis caput, ſi quis cum Oſeæ ſecundo conflixerit, paria omnia deprehendet: utrobique enim Hieroſolyma acerrimis verbis caſtigatur propter impios idolorum cultus, qui adulterii & ſpurci amoris nomine adumbrantur; pœnæque olim infligendæ, atque iis demum toleratis venia ſcelerum condonanda, novumque ſanciendum fœdus præſignificantur. Similis ſunt argumenti, quæ extant viceſimo tertio capite Ezechielis; atque hæc potiſſimum: *Sediſti in lecto pulcherrimo, & menſa ornata eſt ante te, thymiama meum, & unguentum meum poſuiſti ſuper eam.* Iſta quoque Oſeæ: *Et poſt hæc revertentur filii Iſrael, & quærent Dominum Deum ſuum, & David regem ſuum:* hæc Jeremiæ pepererunt: *Non dominabuntur Jacob amplius alieni, ſed ſervient Domino Deo ſuo, & David regi ſuo:* & hæc quoque Ezechielis: *Et ſuſcitabo ſuper eas paſtorem unum, qui paſcat eas, ſervum meum David: ipſe paſcet eas, & ipſe erit eis in paſtorem. Ego autem Dominus ero eis in Deum, & ſervus meus David princeps in medio eorum.* Ex hoc denique Oſeæ: *Et adducet urentem ventum Dominus de deſerto aſcendentem, & ſiccabit venas ejus, & deſolabit fontem ejus, & ipſe deripiet theſaurum omnis vaſis deſiderabilis:* manifeſto hæc Ezechielis expreſſa ſunt: *Et ventus urens ſiccavit fructum ejus: marcuerunt, & arefactæ ſunt virgæ roboris ejus: ignis comedit eam: & nunc transplantata eſt in deſertum, in terra invia & ſitienti.*

Oſe. 3, 1. & ſeq.

Oſe. 2, 11.

Jer. 7, 34. & 16, 9. & 25, 10.

Ezech. 26, 13

Ezech. 16, 16 & ſeq.

Ezech. 23, 41

Oſe. 3, 5.

Jer. 30, 8, 9.

Ezech. 34, 23.

Oſe. 13, 15.

Ezech. 19, 12

DE

DE PROPHETIA JOEL.

I. *Disputatur de Joele.* II. *Proponitur nostra opinio de ætate Joelis.* III. *Probatur Prophetia Joelis γνησιότης & antiquitas.* IV. *Refelluntur argumenta Adversariorum. Primum argumentum.* V. *Secundum argumentum.*

Disputatur de Joele. Epiph. de vit. Proph. Doroth. de vit. Proph.

I. OSeam sequitur Joel: de cujus patria & tribu quamvis parum inter Ebræos conveniat, Rubenitam tamen facit Pseudo-Epiphanius, ex agro Bethor, vel ut alii legunt, Bethoron. Dorotheus scribit, *Bethomeron.* Bethoron locus est in tribu Ephraimitica. Id si sequamur, Rubenita oriundo fuerit, Bethoronensis natalibus. Quid si legamus, *Betharan?* quo nomine dictus fuit locus tribus Gaditicæ, Rubeniticæ propior: vel *Bethnemra;* Gaditicæ item tribus: vel *Bethabara*, vel *Beelmeon*, quæ trans-Jordanem in Rubenitica tribu sita fuere? Lectoris arbitrium esto. Controversa quoque ipsius est ætas: nam quod regnum Juda prædictionibus suis perstringat, Israelitici vero regni prorsus non meminerit, hinc nonnullos ea incessit opinio, post expugnatam a Salmanasare Samariam, & excisum Israelis regnum, futura prædixisse Joelem, Manasse videlicet inter Judæos regnante. Sic Seder Olam Rabba, & Zutha: sic Ebræi Doctores alii, ut legitur apud R. David Ganz; quos & Christiani aliquot subinde sectati sunt. At Abrabaniel Oseæ tempore vaticinatum eum statuit, sed ante Amosum; cum ab eo versu auspicatus sit Amos Prophetiam, in quo suam Joel concluserat; isto nimirum: *Dominus de Sion rugiet.* Quæ Rabbinica ratiocinatio est, hoc est stolida & inepta. Ad Jorami utriusque tempora referri a nonnullis discimus ex R. Salomone Jarchio, & ex Davidibus Kimchio & Ganzio. A Michæa Cabalam eum accepisse traditur in Juchasin. At Hieronymus in ea est sententia, quam Abrabanieli placuisse dixi: cujus hanc affert rationem, quod in Ebræis Codicibus Oseæ subnexus sit Joel; quibuscunque autem Prophetarum libris temporis nota præfixa non est, hi ad ea sint tempora referendi, quæ in libro proxime præcedenti adnotata sunt. Ex incerta hac Joelis ætate factum est, ut in codicibus Ebraicis, & Hieronymianis enarrationibus Oseam sequatur Joel, quartum vero inter Duodecim Prophetas locum Græcæ ei editiones tribuant.

R. Abrab. Præf. in XII. Proph.

Hieronym. Præf. in XII Proph. & Præfat. in Joel, & Comm. in Joel. 1, 1.

II. In hac dissensione meam quoque proponere conjecturam jus fasque est. Scriptum fuisse hoc vaticinium post decem tribuum deportationem conjici potest ex his Joelis: *Congregabo omnes gentes, & deducam eas in vallem Josaphat, & disceptabo cum eis ibi super populo meo, & hæreditate mea Israel; quos dispersérunt in nationibus, & terram meam divisérunt; & super populum meum miserunt sortem.* Sin rem futuram, quasi præteritam, a Propheta, uti sæpe fit, enuntiatam fuisse respondeas, at altum præterea de Israelitico regno ejus silentium omnino nos persuadet excisum penitus tum fuisse: nec enim perversitatem Israelitarum indictam prætermissurum fuisse verisimile est. Sed & ante hanc calamitatem diu vixisse puto, ita ut Oseæ ætati suppar fuerit, vel æqualis: ipse quippe Osea, ut dixi, Israelitici imperii excidium præcessit, eidemque superstes fuit. Omnem vero dubitationem tollunt hæc Hieronymi: *Perspicuum est prophetante Osee, Esaia, Joel, & Amos, & Abdia, & Jona, & Michæa, qui σύγχρονοι, id est contemporanei ejus fuerunt, regnum decem tribuum esse finitum.* Credibilius etiam id fiet, si Augustinum audimus, qui Joathanis regis Juda regno Joelis ætatem adjungit. Itaque Oseæ æqualis esse potuit Joel, sed hujus prophetia prophetia illius recentior fuit, utpote post decem tribuum exilium scripta, quod illa præcessit. Qui ergo libri Joelis habuerunt rationem quartum ipsi locum assignarunt; qui Joelis ipsius, Oseæ conjunxerunt.

Proponitur nostra opinio de ætate Joelis. Joel. 3, 2. 3.

Hieronym. in Os. 1.

August. de civit. Dei, l. 18. c. 27.

III. Antiquitati Joelis suffragantur posteriores Prophetæ, qui in lucubrationes suas transcripserunt insignem hunc locum: *Canite tuba in Sion, ululate in monte sancto meo, conturbentur omnes habitatores terræ; quia venit dies Domini, quia prope est dies tenebrarum & caliginis, dies nubis & turbinis.* Deinde: *Sol & Luna obtenebrati sunt, & stellæ retraxérunt splendorem suum, & Dominus dedit vocem suam ante faciem exercitus sui: quia multa sunt nimis castra ejus, quia fortia & facientia verbum ejus: magnus enim dies Domini & terribilis valde, & quis sustinebit eum? Nunc ergo dicit Dominus: Convertimini in toto corde vestro.* Nec multo post: *Et erit post hæc, effundam spiritum meum su-*

Probatur Prophetia Joelis γνησιότης & antiquitas. Joel. 2, 1. 2, 10. & seq.

Digitized by Google

per omnem carnem, & prophetabunt filii vestri, & filiæ vestræ; senes vestri somnia somniabunt, & juvenes vestri visiones videbunt. Sed & super servos meos & ancillas, in diebus illis, effundam Spiritum meum. Et dabo prodigia in cælo & in terra, sanguinem, & ignem, & vaporem fumi. Sol convertetur in tenebras, & Luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus & horribilis. Et erit omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit; quia in monte Sion, & in Jerusalem erit salvatio, sicut dixit Dominus. Inde manifesto prodierunt

Soph. 1. 15. 16. ista Sophoniæ: *Dies iræ, dies illa, dies tribulationis & angustiæ, dies calamitatis & miseriæ, dies tenebrarum & caliginis, dies nebulæ & turbinis, dies tubæ & clangoris super civitates munitas, & super Angelos excelsos.* In-

Jer. 10, 7. 10. didem & illa Jeremiæ: *Væ, quia magna dies illa, nec est similis ejus, tempusque tribulationis est Jacob, & ex ipso salvabitur.* Tum: *Tu ergo ne timeas, serve meus Jacob, ait Dominus, neque paveas Israel, quia ecce ego salvabo te de terra longinqua, & semen tuum de terra captivitatis eorum, & revertetur Jacob, & quiescet, & cunctis affluet bonis, & non erit quem*

Act. 2. 16. & seq. *formidet.* Et hæc Petri Apostoli in Actis: *Hoc est quod dictum est per Prophetam Joel: Et erit in novissimis diebus, dicit Dominus, effundam de Spiritu meo super omnem carnem: & prophetabunt filii vestri, & filiæ vestræ, & juvenes vestri visiones videbunt, & seniores vestri somnia somniabunt. Et quidem super servos meos & super ancillas meas, in diebus illis, effundam de Spiritu meo & prophetabunt: & dabo prodigia in cælo sursum, & signa in terra deorsum, sanguinem, & ignem, & vaporem fumi. Sol convertetur in tenebras, & Luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus & manifestus. Et erit, omnis quicunque invocaverit nomen Domini, salvus*

Rom. 10, 13. *erit.* Quæ postrema verba a Paulo etiam relata sunt.

Refelluntur argumenta Adversariorum. Primum argumentum.

IV. Adversatur nobis Ebræorum nonnullorum opinatio, Christianorum etiam quorumdam calculo comprobata, qui Jorami regis Juda æqualem fuisse Joelem putant hoc argumento, quod diram famem Judæis instantem prædixerit; atque hanc ipsam famem esse ajunt, quæ per septem annos Judæam vexavit Jorami temporibus, quemadmodum narratur capite octavo libri quarti Regum. Ego vero res diversas perperam confundi ajo: nam famem illam, quæ nostris hoc tempore afflixit, naturæ vitio exortam esse certum est; quam vero penuriam annonæ prædixit Joel, hostilis incursionibus contractam esse constat.

Secundum argumentum. Theodor. Præfat. in Joel.

V. Ad censuram quoque nostram revocandi sunt novitii quidam Scriptores, Theodoreti sententiam persecuti, qui Joelem Oseæ æqualem statuit, uti reipsa fuit; verum ea ducitur ratione, quam minime possum concoquere: paria quippe vaticinatum ait utrumque, vastandam nimirum ab Assyriis & Babyloniis Israeliticam gentem, & in servitutem cogendam, & restituendam demum in libertatem. Quæ sententia non rationibus expugnanda venit, sed sola libri Joelis lectione, omniumque propemodum Interpretum suffragio obteritur, cum disertis & sæpius iteratis verbis designentur Hierosolyma, & regnum Juda; semel autem, ut videtur, Israelitica captivitas, idque obiter. Nam quid hæc sibi volunt: *Periit sacrificium* Joel. 1, 9. *& libatio de domo Domini, luxerunt Sacerdotes ministri Domini.* Utri autem conveniunt Hierosolymæ, an Samariæ? Et ista: *Accin-* Joel. 1, 13, 14. *gite vos, & plangite, Sacerdotes, ululate, ministri altaris: ingredimini, cubate in sacco, ministri Dei mei: quoniam interiit in domo Dei vestri sacrificium & libatio. Sanctificate jejunium, vocate cœtum, congregate senes, omnes habitatores terræ in domum Dei vestri.* Et mox: *Numquid non coram oculis vestris* Joel. 1, 16. *alimenta perierunt de domo Dei nostri, lætitia & exultatio?* Deinde: *Canite tuba in Sion, ululate in monte sancto meo.* Tum: *Canite* Joel. 2, 1. 15. *tuba in Sion, sanctificate jejunium, vocate cœtum, congregate populum: sanctificate Ecclesiam.* Et statim: *Inter vestibulum & altare plorabunt Sacerdotes ministri Domini.* Nec multo post: *Et filii Sion exultate, & lætamini in Domino Deo vestro.* Præterea: *In monte Sion, & in Jerusalem erit salvatio.* Adde & istud: *Cum convertero captivitatem* Joel. 3, 1. 6. 12. 16. 17. 18. 20. 21. *Juda & Jerusalem; congregabo omnes gentes, & deducam eas in vallem Josaphat.* Et hoc quoque: *Et filios Juda, & filios Jerusalem vendidistis filiis Græcorum.* Atque item illud: *Consurgant & ascendant gentes in vallem Josaphat.* Et id etiam: *Dominus de Sion rugiet, & de Jerusalem dabit vocem suam.* Item: *Et scietis quia ego Dominus Deus vester, habitans in Sion monte sancto meo, & erit Jerusa-*

lem

Digitized by Google

tum sancta. Deinde: *Per omnes rivos Juda ibunt aquæ, & fons de domo Domini egredietur.* Denique: *Judæa in æternum habitabitur, & Jerusalem in generationem & generationem; & Dominus commorabitur in Sion.* Verius itaque Hieronymus: *Sanctus Joel apud Ebræos post Oseæ ponitur: & sicut ibi sub nomine Ephraim ad decem tribus confertur vaticinium, quæ vel Samaria, vel Israel sæpe memorantur: sic in hunc Prophetam omne quod dicitur, ad tribum Juda, & ad Jerusalem pertinere credendum est, & nullam omnino Israelis, id est decem tribuum, in hoc fieri mentionem.*

Hieron. in Joel. 1, 1.

DE PROPHETIA AMOS.

I. *Disputatur de Amoso.* II. *Probatur Prophetia Amosi γνησιότης & antiquitas.*

Disputatur de Amoso.

I. DE Amoso certiora & liquidiora proferre licet, cum se pastorem Thecuitam, Oziæ regis Juda, & Jeroboami regis Israel ævo vaticinia protulisse significet, biennio ante terræ motum. Thecuam locat Pseudo-Epiphanius in terra Zabulon; sed refragantur Eusebius, Hieronymus & Cyrillus, & ad Hierosolymorum Austrum sitam esse docent; nimirum in tribu Juda. Terræ vero motum eum esse, qui tum contigit, cum Pontificiale jus sibi arrogavit Ozias, & cujus meminit Zacharias, censent Ebræi interpretes, & assentitur Hieronymus, & verisimillimum est. Hoc si fit, jam Prophetiæ hujus tempus compertum habebimus. Vaticinandi munere ad Achazum usque regem Juda functum esse Amosum Interpretes volunt, & non absurde probant. Sed & diutius etiam vivere, & futura prædicere per ætatem potuit, & Oseæ, qui sub iisdem floruit regibus, pietatis esse & propheticorum muniorum consors. Atque hinc extabit ratio, cur Oseæ libro Librum hunc Græci interpretes adjunxerint. Nihil autem attinet ea hic iterare, quæ attulimus supra, cum Amosum Isaiæ patrem alium esse ac Amosum hunc Prophetam evinceremus. Crebras ei ab impio Bethelis sacerdote Amasia inflictas plagas, cum idolorum cultum summa libertate carperet, mortem denique ipsi ab Amasiæ filio illatam, elisis clava temporibus, narrant ψευδώνυμοι *(falsum nomen gerentes)* Epiphanius & Dorotheus.

Epiph. de vit. Proph. Euf. de loc. Ebraic. Hieronym. Procem. in Amos, & de loc. Ebr. Cyrill. Præf. Enarr. in Amos. Zach. 14, 5.

Epiph. & Doroth. de vit. Proph.

II. Cum passim autem in suo prædictionum volumine de se ipse αὐτοπροσώπως *(ex propria persona)* differat Amos, tum maxime septimo capite: *Et dixit Dominus ad me,* inquit: *Quid tu vides, Amos?* Quibus ista subjicit, quæ quomodo ad Propheticum munus a Deo vocatus fuerit, exponunt: *Misit Amasias Sacerdos Bethel ad Jerobeam regem Israel: dicens rebellavit contra te Amos. ..... Hæc enim dicit Amos, in gladio morietur Jerobeam, & Israel captivus migrabit de terra sua. Et dixit Amasias ad Amos, Quid vides? gradere, & fuge in terram Juda, & comede ibi panem, & prophetabis ibi, & in Bethel non adjicies ultra ut prophetes, quia sanctificatio Regis est, & domus regni est. Respondit que Amos, & dixit ad Amasiam, Non sum Propheta, & non sum filius Propheta, sed armentarius ego sum, vellicans sycomoros; & tulit me Dominus cum sequerer gregem, & dixit Dominus ad me, Vade, propheta ad populum meum Israel.* Et sequenti capite: *Hæc ostendit mihi Dominus Deus, Ecce uncinus pomorum. Et dixit, Quid tu vides, Amos?* Hæc clarissima sunt universis, non tamen Hobbesio, qui hæc in Leviathani profari non dubitavit: *Liber Amos, prophetia ipsius est. An tamen ab eo scriptus sit, non apparet.* Pro eo quoque testimonium absque ulla ambage dicit Auctor libri Tobiæ, his verbis: *Cumque occultasset corpus, manducavit panem cum luctu & tremore, memorans illum sermonem, quem dixit Dominus per Amos Prophetam: Dies festi vestri convertentur in lamentationem & luctum.* En tibi ipsa Amosi verba: *Et convertam festivitates vestras in luctum, & omnia cantica vestra in planctum:* quæ priore quoque Machabaico adhibita sunt: *Sanctificatio ejus desolata & sicut solitudo, dies festi ejus conversi sunt in luctum, sabbatha ejus in opprobrium.* Ipsum quoque Amosi exordium retulerunt Joel & Jeremias. Sic Amosus: *Et dixit; Dominus de Sion rugiet, & de Jerusalem dabit vocem suam:* sic Joel: *Et Dominus de Sion rugiet, & de Jerusalem dabit vocem suam:* Sic Jeremias: *Et dices ad illos, Dominus de excelso rugiet, & de habitaculo sancto dabit vocem suam.* Id quoque Joelis: *Et erit in die illa, stillabunt montes dulcedinem, & colles fluent lacte, & per omnes rivos Juda ibunt aquæ, & fons de domo Domini egredietur, & irrigabit torrentem spinarum:*

Probatur Prophetia Amosi γνησιότης *& antiquitas.*

Amos. 7. 8. & seq.

Amos 8, 1, 2

Hobb. Leviath. c. 33.

Tob. 2, 5, 6.

Amos 8, 10.

1. Mach. 2, 14.

Amos 1, 2.

Joel. 3, 15.

Jer. 25, 30.

Joel. 3, 18.

Digitized by Google

ex hoc Amosi profluxit: *Stillabunt montes dulcedinem, & omnes colles culti erunt.* Dixerat Amosus: *Ponam oculos meos super eos in malum, & non in bonum:* dixit Jeremias: *Ecce ego ponam faciem meam in vobis in malum, & disperdam omnem Judam.* Hoc Amosi dictum: *Percussi vos in vento urente, & in aurugine, multitudinem hortorum vestrorum & vinearum vestrarum, oliveta vestra & ficeta vestra comedit eruca, & non rediistis ad me, dicit Dominus:* sic expressum dedit Aggæus: *Percussi vos vento urente, & aurugine, & grandine omnia opera manuum vestrarum, & non fuit in vobis, qui reverteretur ad me, dicit Dominus.* Hæc quæ a Stephano dicta sunt: *Scriptum est in libro Prophetarum: Numquid victimas & hostias obtuliſtis mihi annis quadraginta in deserto, domus Israel? Et suscepiſtis tabernaculum Moloch, & sidus Dei vestri Remphan, figuras quas feciſtis adorare eas:* ipsissima Amosi verba sunt.

Amos 9, 13.
Amos 9, 4.
Jer. 44, 11.
Amos 4, 9.
Agg. 2, 18.
Act. 7, 43.
Amos 5, 25. 26.

phetas, & abscondit eos quinquagenos & quinquagenos in speluncis, & pavit eos pane & aqua; quique irriguas convalles ad pastum pecoris ab Achabo quærere jussus, obvium Eliam habuit. Hanc opinionem Ebræis tribuit Hieronymus, atque ipse etiam in Epitaphio Paulæ, Abdiæ huic, dispensatori domus Achab, Prophetæ nomen tribuit. Cujus opinionis argumenta quærenti mihi, unica occurrebat ad animum similitudo nominis, qua nihil infirmius. In eadem tamen sententia subinde etiam fuisse videntur R. Selomoh Jarchi, & R. David Kimchi, & R. David Ganz; ut pote quam ex majorum suorum auctoritate sine confutatione proponant. Aliter vero Aben Ezra: *Ignoramus ætatem ejus, neque possumus dicere eum esse, cujus mentio sit in libro Regum; nam ibi scriptum est, Abdias erat timens Deum valde. Si ille fuisset ille Propheta, quare vocaret eum Scriptura, Timentem Deum, & non potius Prophetam? major quippe est Prophetæ dignitas.* Pentecontarchum hunc esse autumant Pseudo-Epiphanius, & ejus interpres Dorotheus, qui ab Ochozia ad Eliam missus, duobus jam igne cœlesti absumtis, similem pœnam pietate sua effugit; deductoque ad Regem Propheta, ei demum comes adhæsit. At Clemens Alexandrinus & Eusebius, Eliæ duntaxat æquævum ponunt, silent de reliquis. Veteribus Ebræorum Magistris placuisse tradunt R. Selomoh Jarchi, & R. David Kimchi, Idumæum fuisse, gentisque suæ repudiatis ritibus ad Ebraicos transiisse, propheticoque demum a Deo munere dotatum, popularibus suis futura mala prænuntiasse. Idem sensit & Abrabaniel. Fundamentum hoc est illius sententiæ, quod unos Idumæos libello suo perstringat, vana prorsus & inani conjectura. Alii Oseæ, Joelis, & Amosi, Prophetarum æqualem faciunt. Sententiam eamdem secuti sunt prisci sacrorum Voluminum Canonis concinnatores, qui eum Amosum inter & Jonam collocarunt; secutus est & Cyrillus. Sunt denique qui Jeremiæ & Ezechielis æqualem statuunt. Hos inter suspicantur quidam eum esse Abdiam, quem Paralipomena Templi instauratoribus ἐργοδιώκτην *(urgendi operis impulsorem)* a Josia adhibitum fuisse commemorant, una nominum similitudine ducti.

3. Reg. 18, 4.
R. Selom. Jarch. & R. David Kimch. & R. Ab. Ezr. in Abd. 1. R. Dav. Ganz. in Chron.
3. Reg. 18, 3.
4. Reg. 1, 13. & seq.
Clem. Al. Strom. 1.
Euſ. Chron.
R. Selom. & R. Dav. in Abd. 1.
R. Iſr. Abr. Præf. in Prophet. min.
Cyrill. præf. in Abd.
1. Par. 34. 12.

DE PROPHETIA ABDIÆ.

I. *Disputatur de Abdia.* II. *Proponitur nostra opinio de ætate Abdiæ.* III. *Probatur Prophetiæ Abdiæ γνησιότης & antiquitas.* IV. *Refelluntur argumenta Adversariorum. Unicum argumentum.*

Disputatur de Abdia. I. ABdiam Sichemitam fuisse, ex agro Bethachamar, tradit Epiphanius
Epiph. & Dor. de vit. Proph.
ψευδώνυμος *(falsum nomen ferens)* Bethacaram scribit ψευδώνυμος *(falsum nomen ferens)* item Dorotheus. Nos scimus Bethacaram, seu Bethacarem, urbem montanam fuisse in tribu Juda, proindeque longe Sichemo dissitam. Quid si legamus, *Bethacad*, qui vicus fuit Samariæ, uti ab Eusebio & Hieronymo notatum est? Sunt certe qui Samariæ sepultum fuisse affirment. De tribu vero Abdiæ, ejusque parentibus, nihil proditum est. Nos de ejus ætate dicturos summæ ambages circumsistunt, & satis amplus conjecturis quidem patet locus, firmæ vero ac certæ assensioni vix exiguus. Sunt enim qui Achabi Israelitici regis ætate floruisse Abdiam volunt, atque hunc ipsum esse Abdiam regiæ domus dispensatorem, qui *cum interficeret Jezabel Prophetas Domini, tulit centum Pro-*

Euseb. & Hieron. de loc. Ebr.

Digitized by Google

nostra opinio de ætate Abdiæ.

circumspectis sententiis, reque ipsa attente explorata, ea mihi placet in primis opinio, quæ Oseæ, Joelis, & Amosi æqualem ponit. Nec enim facile discedendum arbitror ab auctoritate vetusti Canonis, cujus antiquitatem suo loco probabimus. At in eo collocatos esse liquet Prophetas minores hoc ordine, quo vixerunt, uti & Abrabanieli persuasum fuit. Caussas præterea his temporibus extitisse reperio, cur Idumæos ita Abdias incesseret: nam cum Rasin, & Phacee Romeliæ filius, hic Israelis rex, ille Syriæ, Achazum persequerentur armis, & Hierosolymam obsidione frustra cinxissent, Ailam demum Judæis ereptam, Idumæis occupandam permiserunt. In partem quippe periculi ac prædæ venerunt Idumæi, multisque interfectis Judæis amplas manubias retulerunt. Traditur id in libris Regum & Paralipomenon. Hinc itaque frequentes Prophetarum συγχρόνων *(qui hac ætate vixerunt)* adversus Idumæos expostulationes & querelæ: Amosi puta, cum ait: *Hæc dicit Dominus, Super tribus sceleribus Edom, & super quatuor non convertam eum, eo quod persecutus sit in gladio fratrem suum, & indignationem suam servaverit usque in finem, mittam ignem in Thema:* & Joelis: *Erit Idumæa in desertum perditionis, pro eo quod inique egerint in filios Juda, & effuderint sanguinem innocentem in terra sua.* Quibus si conferamus Abdiæ verba, rem eamdem utrobique significatam esse fatebimur. *Propter interfectionem*, inquit, *& propter iniquitatem in fratrem tuum Jacob, operiet te confusio, & peribis in æternum. In die cum stares adversus eum, quando capiebant alieni exercitum ejus, & extranei ingrediebantur portas ejus, & super Jerusalem mittebant sortem, tu quoque eras quasi unus ex eis.*

Abrab. Præf. in Duodec. Prophet.

Amos 1, 11. 12.

Joel. 3, 19.

Abd. 10, 11.

Probatur Prophetia Abdiæ γνησιότης & antiquitas.

III. Itaque cum sequentibus annis, Nabuchodonosore Hierosolymam expugnante, eadem adversus Judeos attentassent Idumæi, similibus ipsos castigavit objurgationibus Jeremias, & ipsa Abdiæ verba in eos olim in pari caussa jactata usurpavit. Res apparebit ex verborum ipsorum contentione. *Auditum audivimus a Domino,* inquit Abdias, *& legatum ad gentes misit, Surgite & consurgamus adversus eum in prælium. Ecce parvulum dedi te in gentibus: contemtibilis tu es valde. Superbia cordis tui extulit te habitantem in scissuris petrarum, exaltantem solium tuum, qui dicis in corde tuo, Quis detrahet me in terram? Si exaltatus fueris ut aquila, & si inter sidera posueris nidum tuum, inde detraham te, dicit Dominus:* sic autem Jeremias: *Auditum audivi a Domino, & legatus ad gentes missus est: Congregamini, & venite contra eam, & consurgamus in prælium. Ecce enim parvulum dedi te in gentibus, contemtibilem inter homines. Arrogantia tua decepit te, & superbia cordis tui, qui habitas in cavernis petræ, & apprehendere niteris altitudinem tollis. Cum exaltaveris quasi aquila nidum tuum, inde detraham te, dicit Dominus.* Pergit Abdias: *Si fures introissent ad te, si latrones per noctem, quomodo conticuisses? nonne furati essent sufficientia sibi? Si vindemiatores introissent ad te, numquid saltem racemum reliquissent tibi?* Hinc illa Jeremiæ: *Si vindemiatores venissent super te, non reliquissent racemum: si fures in nocte, rapuissent quod sufficeret sibi.* Ait Abdias: *Numquid non in die illa, dicit Dominus, perdam sapientes de Idumæa, & prudentiam de monte Esau?* inde Jeremias: *Ad Idumæam. Hæc dicit Dominus exercituum: Numquid non ultra est sapientia in Theman? Periit consilium ac filiis ejus inutilis facta est sapientia eorum.* Merito ergo dicit Hieronymus: *Excepto ordine commutato, & aliis quæ videntur discrepare, magna pars Abdiæ in Hieremiæ volumine continetur.* Atque ex his satis patet Libri hujus vetustas.

Abd. 1. & seq.

Jer. 49, 14 & seq.

Abd. 5. & seq.

Jer. 49, 9.

Abd. 8.

Jer. 49, 7.

Hier. in Ab. 1.

Refelluntur argumenta adversariorum.

IV. Atenimqui Jeremiæ æqualem Abdiam esse docent, pugnabunt ipsius Abdiæ verbis, quæ post captam Hierosolymam omnino scripta videntur. Nam quid aliud hæc sonant: *In die cum stares adversus eum, quando capiebant alieni exercitum ejus, & extranei ingrediebantur portas ejus, & super Jerusalem mittebant sortem, tu quoque eras quasi unus ex iis.* Deinde: *Neque ingredieris portam populi mei in die ruinæ eorum.* Tum: *Quoniam juxta est dies Domini super omnes gentes: sicut feci, fiet tibi: retributionem tuam convertet in caput tuum. Quomodo enim bibistis super montem sanctum meum, bibent omnes gentes jugiter.* Refert hæc Hieronymus ad incursionem Chaldæorum, & Hierosolymæ excidium: atque ista in eamdem sententiam recitat e Psalmo centesimo tricesimo sexto, quem post deportatos Babylonem Judæos scriptum alibi diximus: *Memento, Domine, filiorum*

Unicum argumentum.

Abd. 11.

Abd. 13, 15. 16.

Psal. 136, 7.

Digitized by Google

filiorum Edom in die Hieruſalem dicentium, Exinanite, exinanite uſque ad fundamentum in ea. Has actiones multis excludimus exceptionibus, nam primum minus hic me movet Hieronymi auctoritas, qui hanc Abdiæ explanationem dedit admodum adoleſcens: *In adoleſcentia mea,* inquit, *provocatus ardore, & ſtudio Scripturarum, allegorice interpretatus ſum Abdiam prophetam, cujus hiſtoriam neſciebam.* Sin opus ab eo ſubinde emendatum fuiſſe dicas, at ſciunt certe qui in literis ſacris vel leviter ſunt verſati, de rebus futuris, ſic tanquam præteritis Prophetas differere ſolere: quamvis ergo hæc concederemus ad captivitatem Babylonicam & Hieroſolymitanam cladem pertinere, non hinc ſententia noſtra de ætate Abdiæ convelleretur. Verum nec iſtis concedimus Hieroſolymæ vaſtitatem præſignificari. Nam cum ait Propheta: *Extranei ingrediebantur portas ejus*, referri iſta poſſunt ad urbes plurimas, quas occupaſſe Syros neceſſe eſt, interfectis uno die centum & viginti Judæorum millibus, ducentis vero captivorum millibus in ſervitutem abductis. Præcipue vero Ailam notat, quam expulſis Judæis Syri Idumæis tradiderunt. Addit autem: *Et ſuper Jeruſalem mittebant ſortem*, utris nempe poſt expugnationem cederet. Minime vero ad Idumæos verba hæc ſpectant: *Quomodo enim bibiſtis ſuper montem ſanctum meum, bibent omnes gentes jugiter*, ne juxta plurimos quidem ex iis, qui poſtremum bellum Chaldaicum hic notatum volunt. Ad Judæos enim illic convertitur oratio, quos hac pollicitatione ſolatur DEus, futurum ut quas tolerarunt calamitates, easdem hoſtes ipſorum patiantur. Genuinam hanc eſſe ſignificationem metaphoræ iſtius oſtendit Chriſtus ipſe cum ait: *Pater mi, ſi poſſibile eſt, tranſeat a me calix iſte.* Præclare mentem Abdiæ aperit Jeremias, ſic ipſum velut interpretans: *Quia hæc dicit Dominus: Ecce quibus non erat judicium, ut biberent calicem, bibentes bibent; & tu quaſi innocens relinqueris? non eris innocens, ſed bibens bibes.* Ad Idumæos, ſed de Judæis verba facit. Senſus autem hic eſt: Si Judæos, quos ſummo favore ac benignitate complector, noxarum ſuarum pœnæ manent, putaſne, Idumæe, impune tibi erunt ſcelera tua? Par eſt apud Abdiam ſententia, ſed inverſa oratio: alloquitur enim Judæos, ſed de Idumæis, aliisque gentibus. Quemadmodum, inquit, in ſancto Monte Sion peccata veſtra luiſtis, cum circumſeſſam videretis Hieroſolymam, totamque regionem ferro flammaque vaſtatam, ita a reliquis gentibus criminum ſuorum pœnas expetam. Non alio igitur detorquendum hunc locum ratus eſt Aben Ezra, non Tremellius, non alii plerique ſacrorum Librorum interpretes.

Hieronym. Procem. Com. in Abd.

Matth. 26, 39.

Jer. 49, 12.

DE PROPHETIA JONÆ.

I. *Diſputatur de Jonæ patria*, II. *& ætate*, III. *Probatur Prophetiæ Jonæ γνησιότης & antiquitas.* IV. *Ex libro Jonæ quædam manarunt Græcorum fabulæ. Diſputatur de vera ſignificatione vocis* נחש. V. *Refelluntur argumenta Adverſariorum. Unicum argumentum.*

I. DE Jona quoque controverſia eſt. Scribunt Hieronymus & Iſidorus, opinari Ebræos, filium eum fuiſſe viduæ Sareptanæ, quem ad vitam Elias revocavit. Cauſa credendi hæc eſt, quod Jonæ patri nomen fuiſſe dicatur Amathi: id *Veritatem* ſonat: vidua autem poſt ſuſcitatum puerum dixerit Eliæ: *Nunc in iſto cognovi, quoniam vir Dei es tu, & verbum Dei in ore tuo Veritas eſt:* puerum itaque *Filium Amathi* dictum, hoc eſt *Filium veritatis.* Frivola penitus & caſſa ſunt hæc, cuſa in Rabbinicis officinis: Repugnat etiam locorum ſitus; nam Sareptanæ viduæ filium, Sareptanum & ipſum fuiſſe par eſt credere, cum ſcriptura ſacra Jonam de Geth-Opher prodiiſſe tradat libro quarto Regum. Situm Geth-Opher accurate indicat Hieronymus, non longe a Sephori, quæ Diocæſarea appellatur, verſus Tiberiadem, in tribu Zabulonitide, ubi & Jonæ ſepulchrum ſua ætate oſtenſum fuiſſe ait; nonnullosque carpit, qui in alia Geth, Lyddæ, ſeu Dioſpoleos proxima, natum eum & conditum volebant; Geth illam cum Geth-Opher, Dioſpolin cum Diocæſarea permiſcentes. Benjamin quoque in Itinerario Jonam ad Siporin in monte ſepultum tradit. Idem & indigenis perſuaſum fuiſſe ait Brocardus Argentoratenſis in Deſcriptione Terræ ſanctæ. Inſaniunt ergo ſolennia Pſeudo-Epiphanius, ejusque imitator Dorotheus, cum ex terra Carjathmaum, non longe ab Azoto, (ſeu Carjathjarim legere mavis,

Diſputatur de Jonæ patria.

3. Reg. 17. 24.

4. Reg. 14. 25.

Hieronym. Procem. Com. in Jon.

Digitized by Google

mavis, quæ urbs est tribus Judæ, longe tamen ab Azoto) ortum fuisse garriunt, & in terra Saar mortuum ac sepultum, in spelunca Cenesæi judicis. Othonielem intelligunt, unum ex Israelis Judicibus, filium Cenez, cui Caleb frater Axam filiam despondens, Carjath-sepher doti dixit. Est autem Carjath-sepher, quæ & Dabir, in tribu Juda. Atqui videtur Epiphanius ille nominum affinitate delusus, Carjath-sepher confudisse cum Geth-Opher, seu Geth-Epher; scribitur enim Ebraice גת חפר, *Gath-hachepher*. At Muhammedanos delirare sinamus, qui non longe a Ninives ruderibus Jonam sepultum fuisse censent, ejusque tumulum venerantur.

& erant. II. Quamvis autem Eliæ ævo vixisse Jonam Ebræi autument, Oseæ tamen, Amosi, & Isaiæ æqualem ponunt, ut testatur Hieronymus. Sic visum Abrabanieli. In eadem Euſ. Præp. l. 10. c. 14. opinione est Eusebius, & id pati possunt optimorum Chronologorum ratiocinia. Ut ut est, tempore certe præcessit partam a Jeroboamo de Syris victoriam, ut pote quam 4. Reg. 14, 25. prædixit, quemadmodum habetur in quarto Regum, ac proinde Oseæ, Amosi, & Isaiæ vel minimum æquævus esse potuit. Quatuor certe Majorum, & Minorum Duodecim Prophetarum nullum supereſt tantæ vetustatis vaticinium. In quæ tempora vero conferendum sit Niniviticum ipsius iter, atque hujus itineris historia, plane incertum est. R. David Kimchi, aliique Ebræi, Jehu filii Namsi, & Elisæi temporibus adjungunt. In Sardanapali ætatem, & initium Arbacis conScal. anim. in Euſeb. jicit Scaliger, & in Joasi ævum; ac propterea Niniven a Deo destinatum vult fuisse Jonam, quo solutos in flagitia & libidinem ad Regis exemplum Assyrios ad meliorem frugem revocaret. Sed parum solida hæc videtur conjectura. Profecto qui Canonem Librorum sacrorum digesserunt, in collocandis duodecim Prophetarum libris spectasse videntur rationem temporum, ut dixi, ideoque existimasse casum hunc, vel casus Clem. Alex. Strom. 1. certe descriptionem, Oseæ, Amosi, & Abdiæ Euſeb. Præp. l. 10. c. 14. prædictionibus supparem esse vel æqualem. Atque hæc est Clementis Alexandrini, Eusebii, Cyrilli, Augustini, Theodoreti, longeCyrill. Præf. in Jon. Auguſt. de civ. Dei, l. 18. c. 27. Theodor. que plurimorum Interpretum assensione probata opinio. Quanquam multo longius abit Clemens, velut pristinæ desertor sententiæ, cum signum Jonæ, postremam Danielis in lacum Leonum missionem, & Tobiæ junioris nuptias in idem tempus conjicit. Procem. Comm. in XII. Proph.

III. Etsi vero manifesto non apparet, utrum Libellum hunc ipse scripserit Jonas, ut pote qui non ἀυτοπροσώπως (*ex propria persona*) de se ipse disserat, genuinum tamen agnoscere se Jonæ librum posterior ætas non obscure declaravit. Nam prætermisso isto quarti Regum; *Jeroboam restituit terminos Israel, ab introitu Emath, usque ad mare solitudinis, juxta sermonem Domini Dei Israel, quem locutus est per servum suum Jonam, filium Amathi, Prophetam, qui erat de Geth, quæ est in Opher:* quod alterius Jonæ vaticinii, diuturnitate temporis aboliti, non ejus quod supereſt, antiquitatem probat; manifesta sunt illa Tobiæ: *In hora autem mortis suæ vocavit ad se Tobiam filium suum, & septem juvenes filios ejus, nepotes suos, dixitque eis: Prope erit interitus Ninive; non enim excidit verbum Domini.* Ubi Græca editio: ἄπελθε εἰς τὴν μυδίαν, τέκνον, ὅτι πέπεισμαι ἃ ἐλάλησεν Ιωνᾶς ὁ προφήτης περὶ νινευή, ἵνα καταστροφήσεται. *Vade in Mediam, Fili, quia quæcumque de Ninive dixit Jonas, futurum nempe ut evertatur, credo esse eventura.* Et deinde: νῦν οὖν, τέκνον, ἄπελθε ἀπὸ νινευή, ὅτι πάντως ἔσται ἃ ἐλάλησεν ὁ προφήτης Ιωνᾶς. *Et nunc, Fili, exi Ninive, quia quæ effatus est Jonas Propheta, omnino contingent.* Addam etiam testimonium e tertio Machabaico, Auctoris satis antiqui: τὸν τε βυθοτροφοῦς ἐν γαστρὶ κήτους Ιωνᾶν τηκόμενον ἀφθόως ἀπήμαντον πᾶσιν οἰκείοις ἐνδείξας, πάτερ. *Et Jonam pereuntem in ventre ceti viventis in profundo, prorsus illæsum omnibus notis exhibuisti, Pater.* Quam historiam recitat Christus Dominus apud Matthæum Matth. 12, 38. & seq. & 16, 4. & Lucam. Hausta videntur ex iisdem fonLuc. 11, 29. & seq. tibus & illa Joelis, cujus librum libro Jonæ Joel. 2, 13. recentiorem puto: *Benignus & misericors est, patiens & multæ misericordiæ, & præstabilis super malitia.* Nempe hoc ipsum est quod dixit Jonas: *Tu Deus clemens & mi-* Jon. 4, 2. *sericors es, patiens & multæ miserationis, & ignoscens super malitia.* Pergit Joel: *Quis* Joel. 2, 14. *scit si convertatur, & ignoscat?* Jonas iisdem verbis: *Quis scit si convertatur, & ignoscat* Jon. 3, 9. *Deus?*

IV. At non sacræ solum, sed profanæ quoque literæ Jonæ memoriam retinent. Herculem enim, cujus famam aliorum facino- *Ex libro Jona quadam manarunt Græcorum fabula.* ribus exornare Græci solent, finxerunt ad liberan-

Digitized by Google

Disputatur de vera significatione vocis. נביא.

liberandam Heſionen, in os & alvum canis Tritonis, ſive canis Carchariæ, qui ad eam depaſcendam mittebatur a Neptuno, inſiliiſſe, triduumque in ejus viſceribus latuiſſe, neque hinc aliud ipſi accesſiſſe incommodi, quam capillorum aliquot defluvium. Auctor Lycophron, & Lycophronis Interpres Iſacius Tzetzes: auctor quoque Cyrillus, & Theophilactus in Jonam: auctor denique Sextus Empiricus, & Phavorinus. Hoc vero diſcrimen adiiſſe eum, compage navis, qua vehebatur, ſoluta, narrat Æneas Gazæus in Dialogo de immortalitate animorum. Obſervat præterea Grotius Amythaonidas fuiſſe apud Græcos, quemadmodum Jonas Amathi filius inter Ebræos, & Jonæ nomen habere poſſe ſignificationem hominis ex Græcia orti: nempe quod Græci Jonum nomine apud Ebræos cenſerentur, a Javane ducta appellatione, qui fuit Japhethi filius. Quid inde efficiat, non apponit; neque ego certe video: nam Amythaon bellum Trojanum multis præceſſit annis, quo Amathi longe recentior fuit. Jonas vero, ſi ab Ionibus nomen habuit, ita Herculis caſus fuerit adſcriptus Jonæ, non vero Jonæ caſus Herculi, quod abſurdum eſt. Probabilius videtur, quod aliis venit in mentem, Arionis hiſtoriam a nautis in mare miſſi, & a Delphine excepti, & Corinthum delati, ex Jonæ hiſtoria detortam eſſe: nam tempora, licet non omnino conveniant, propius tamen accedunt; & in nomine Arionis veſtigia extant nominis Jonæ; & ut hic in mari Deum oravit & Pſalmum dixit, ita ille cantu delphinem deliniiſſe fertur. Jonas Propheta fuit, Arion citharœdus. Quemadmodum enim Ægyptiis multa ſonat vox Propheta, myſtagogum, myſtam, ſacrificulum, cantorem ſacrum, & quorumlibet ſacrorum miniſtrum: ſic Ebræis multiplex eſt ſignificatio vocis נביא: præcipue vero Prophetam, & cantorem ſive Poetam notat, ut Latinis vocabulum *Vates*, deſignat & *Prophetam* & *Poetam*. *Quis ignorat*, inquit Quintilianus, *muſicen tantum jam in illis antiquis temporibus, non ſtudii modo, verum etiam venerationis habuiſſe, ut iidem muſici, & vates, & ſapientes judicarentur?* Sic viceſimo quinto capite prioris Paralipomenon, Aſaph, Heman, & Idithun, qui fidicines fuerunt, dicuntur בכנורות הנבאים. Vulgata, *Qui prophetarent in cithara*. Septuaginta, ἀποφθεγγομένους ἐν κιθάραις. His aſſentitur Syrus Interpres, & Arabs. Simile reperias paulo inferius. Sic ſoror Moſis in Exodo appellatur, *Prophetiſſa*, הנביאה, quippe ſaltatrix & tympaniſtria. Sic Debbora in libro Judicum eodem affingitur *Prophetiſſæ*, נביאה nomine, cujus Canticum ſtatim ſubjicitur. David ipſe, non ob vaticinia ſolum, ſed & propter pſallendi ac carminum condendorum facultatem, Prophetæ nomen videtur eſſe conſecutus. Manichæi, Gnoſtici, Nicolaitæ vatem futurorum fuiſſe ipſum omnino negabant: negabat & Theodorus Mopſueſtenus, ut annotatur in Actis quintæ Synodi; & Prophetæ nomen, quod ſæpe illi tributum negare non poterant, ad unam canendi peritiam referebant. Sed non unicus hic error nefariis Hæreticis illuſit. Leguntur hæc capite decimo nono libri primi Samuel: לחקרת חנבאים נבאים. Vertunt Septuaginta, ἐκκλησίαν τῶν προφητῶν. Vulgata, *Prophetarum vaticinantium*. Ita Syrus quoque & Arabs. At Jonathan vertit, ספרי משבחין, *ſcribarum laudantium*. Et mox, ubi Vulgata habet, *& prophetare cœperunt*, habet Jonathan, ושבחו, *Et laudaverunt*. Item Vulgata, *& ambulabat ingrediens, & prophetabat:* Jonathan, *& ivit iens & laudans*, ומשבח. Vulgata, *Et prophetavit cum cæteris coram Samuele:* Jonathan, *Et laudavit*, ושבח. Vulgata demum: *Num & Saul inter Prophetas?* Jonathan: *Num & Saul inter ſcribas?* בספריא. Verum enim veriſimilius eſſe dicas, ſignificari muſicum concentum, an hominum turbam, ſibi invicem obſtrepentium, & vaticinia ita fundentium, ut a nullo poſſent exaudiri? Exiſtimare ſatius eſt, chorum notari pſallentium & ſaltantium hominum. His cum ſe adjunxerunt Saulis nuntii, & Saul ipſe, nempe afflatu divino ita ſunt permoti, ut ipſos cantandi quoque & pſallendi ac ſaltandi libido inceſſeret. Quemadmodum Eliſæus, cum vaticinari vellet, fidicinem canere juſſit: qui cum caneret, *facta eſt ſuper* Eliſæum *manus Domini*. Quippe muſico concentu excitata mens Prophetæ, & velut reſerata, inſtinctui Dei facilius patebat. Quam artem ne impiarum quidem religionum miniſtros neſciviſſe cognoſcimus ex Epiſtola Porphyrii ad Anebonem, & ex Jamblichi libro de myſteriis: nam & Corybantes,

Sext. Emp. adv. Gramm. l. 1. c. 12.
Phavor. in τριάκοντερος.
Grot. in Jon. 1, 1.
Quintil. l. 1. c. 10.
1. Par. 25.
Exod. 15. 20.
Judic. 4. 4.
1. Sam. 19. 20.
1. Sam. 19. 23.
4. Reg. 3, 15.
Jambl. de myſt. ſect. 3. c. 9.

Digitized by Google

bantes, & Bacchi, aliique hujus generis ſacerdotes, cymbalorum & tympanorum ſonitu agebantur in tetrum illum & Stygium furorem, quo ſtolidæ plebi illudebatur. Hac pſallendi & canendi exercitatione usque adeo incaluit Saul, ut veſtimenta detraheret, nimiaque demum laſſitudine confectus, in terram ſeſe nudus abjiceret. Quanquam non me fugit & Prophetis nonnumquam contingere, ut ſpiritus Dei correpti in terram prolabantur. *Qui viſionem omnipotentis intuitus eſt*, inquit Balaam, *qui cadit, & ſic aperiuntur oculi ejus.* Quod & iterat deinde. Hunc pſallendi ac tripudiandi morem inter Judæos receptum tenuit & David, cum Arcam de domo Obededomi Hieroſolymam reduceret: nam ſeptem cantantium choris ſtipatus, ad ſtrepitum citharæ & tubarum ſtrenue ſaltabat. Verum Micholi hoc majeſtate regia indignum in Davide viſum eſt, univerſo vero populo in Saule: unde natum eſt adagium: *Num & Saul inter Prophetas?* Sed Dei inſtinctu factum id ab utroque neſciebant; quod quum ita ſit, tum vere exiſtunt Prophetæ: & hoc prophetiæ genus in ſecundo gradu collocat Rabbinorum doctiſſimus Maimonides in More nevochim: *Secundus*, inquit, *prophetiæ gradus eſt, cum homo in ſe ſentit rem vel facultatem quampiam exoriri, & ſuper ſe quieſcere, quæ eum impellit ad loquendum; ita ut loquatur vel de ſcientiis & artibus, vel Pſalmos & Hymnos, vel utilia ac ſalutaria recte vivendi præcepta, vel res politicas & civiles, vel denique divinas, & quidem inter vigilandum, & in vigore ſenſuum ordinario. Et hic eſt de quo dicitur quod loquatur per Spiritum ſanctum. Hac ſpecie Spiritus ſancti inſtinctus Pſalmos ſuos ſcripſit David.* Nec hic Zachariam præteribo, quem Lucas Spiritu ſancto repletum prophetaſſe ait, cum hymnum Deo cecinit; etſi in eo futura quædam prædicta ſunt. Multa præterea communia ſunt Prophetis & Poetis. Utrique Deo agitante vaticinantur. Utrique læti & ſoli cantant. Id de Prophetis perhibet Maimonides in libro de fundamentis Legis. Is & in More nevochim ait triſtitiæ & luctus tempore ceſſare prophetiam. De Poetis teſtificantur Iſraelitæ Babylone captivi, qui rogati a captivis ut ſe cantionibus oblectarent, negant ſe extorres & captivos in luctu canere poſſe. Sic & Euripides:

Num. 24, 4. 16.

Maimon. in More nev. l. 2. c. 45.

Luc. 1, 67.

Maim. de fund. Leg. c. 7. par. 5. More nov. Part. 2. c. 36.

Pſal. 136.

τόνδ' ὑμνοποιὸν, ἐντὸς ἂν τίκτῃ μέλη, χαίροντα τίκτειν.
Et poetam, ſi verſus, ipſe pariat,
Lætum parere.

Euripi. Suppl. v. 180.

Et Horatius lyram appellat jocoſam. Notum illud:

Carmina proveniunt animo deducta ſereno,

Ov. Triſt. l. 1. Eleg. 1.

Notum & hoc:

Sed me Muſarum diſerta per avia dulcis
Raptat amor,

Et iſtud quoque:

Carmina ſeceſſum ſcribentis & otia quærunt.

Item illud de Poetis:

Scriptorum chorus omnis amat nemus, & fugit urbes.

Quoniam igitur qui Spiritu Dei excitati pſallebant, נביאים dicebantur, hinc & fidicines omnes καταχρηστικῶς (*abuſive*) eodem nomine videntur appellati. Atque ita ex Jona Propheta, Arion fidicen confingi potuit.

V. Dixi ſuperius Jonæ vaticinium, libro quarto Regum memoratum, annorum injuria periiſſe. Hinc ejus, quod extat, deprimendi anſam arripit Theologo-Politicus Diſputator, vel quaſi fragmenti alicujus e majori opere decerpti, vel certe quaſi e ſcriptionum complurium numero levis unius opuſculi & contemnendi. Quam notam reliquis itidem inurit Prophetarum libris; una omnes opera abolere, in contemtum certe adducere ſtudens. Aliis quoque, ſed ſaniora ſentientibus de Libris ſacris, grandioris hiſtoriæ particula viſa eſt Prophetia Jonæ; idcirco quod a conjunctione connexiva initium capiat. Ii vero ſibi id reſponſi habeant, quæ edidit vaticinia Jonas præter Libellum hunc, non videri ab eo literis fuiſſe mandata, proindeque nec temporum lapſu conſumta; ea quippe duntaxat ſcriptis tradidiſſe Prophetas, quæ in longitudinem pertinebant, ne ex hominum animis memoria ipſorum evaneſceret: quæ autem proxime ſpectabant ad exitum, etſi nonnunquam in libros relata ſunt, minime tamen id ita neceſſarium fuiſſe, ut pote quorum futura eſſet recens recordatio, tum cum eventu ipſo complerentur. Cujusmodi fuit illud, quod de Jeroboamo prænuntiatum a Jona libri Regum teſtantur: nam cum æquævi fuerint Jeroboamus & Jonas; veriſimile eſt in re inſtanti ac imminenti

Refellitur argumenta Adverſariorum. Unicum argumentum. 4. Reg. 14. 25. Tract. Theol. c. 10.

Digitized by Google

minenti prædictionem hanc a Jona editam fuisse. Favere nobis videtur Cyrillus: ait enim: ἄγγελος μὲν οὖν τῆς παρ' αὐτοῦ προφητείας λέγοιτο ὁδὸς παρὰ τοῦτον εἶναι. *Prophetiæ ab illo prolatæ sermo præter hunc nullus alter in literas relatus est.* Quæ autem ex conjunctione connexiva, initio Libri hujus posita, petitur ratio, frivolam esse demonstravimus alibi, cum librum Ezechielis contra Adversariorum argumenta tueremur; utpotequam ab Ebræis in fronte ornatus gratia collocari Grammatici doceant. Postremo etiamsi majoris operis partem esse Prophetiam hanc fateremur, quid inde illi ex auctoritate sua decederet, non intelligo. Imo vero hinc conjicere licet, nobilissimam visam ac utilissimam particulam hanc, quam adversus edacem vetustatem studium hominum, vel potius supremi numinis voluntas conservavit, ne eximio hoc Christi per triduum mortui, ac deinde resurgentis simulacro careremus.

DE PROPHETIA MICHÆÆ.

I. *Disputatur de Michæa.* II. *Probatur Prophetiæ Michææ γνησιότης & antiquitas.*

Disputatur de Michæa.

I. Quli ab Ebræis sextus inter Prophetas Duodecim ponitur Michæas, is tertius ab Interpretibus Septuaginta, aliisque Græcis scriptoribus collocatus est. Tempus quo edita ipsi a Deo sunt vaticinia, quibus nunc fruimur, ipsa in fronte indicant, nempe *in diebus Joathan, Achaz, & Ezechiæ regum Juda.* Proindeque munus Propheticum obire cœpit paulo post Oseam, Joelem, & Amosum, qui Oziæ regis Juda temporibus vaticinia sua exorsi sunt. Et vix stare potest Ebræorum sententia, qui Michæam Joeli Cabalæ mysteria tradidisse volunt. Patriam quoque titulus declarat, & Morasthiten fuisse docet. Viculum autem non grandem sua ætate fuisse Morasthi, juxta Eleutheropolin Palæstinæ urbem, tradit Hieronymus. Paria fere habet Eusebius in Topicis. Horum autem, in locorum sanctorum explorando situ, ratio potissimum habenda est, utpote oculatorum testium, qui ad præclaram Scripturæ sanctæ peritiam, diuturnam in his oris moram adjunxerunt. Minime igitur audiendus Paraphrastes Chaldæus, qui pro Morasthi Maresam reddit. Utrumque accurate distinguit Hieronymus, cum in Epitaphio Paulæ; tum in libro de locis Ebraicis, ubi Maresam esse ait in tribu Juda, alterum ab Eleutheropoli lapide, cujus rudera tantum sua ætate videbantur; Morasthi autem vicum esse ad Orientem Eleutheropoleos: quod ex Eusebii Topicis exscripsit. Nihilo magis audiendus Drusius, cum ambigere se ait, num Morasthi idem sit locus ac Moreseth Gath, cujus commate decimo quarto capitis primi Michææ fit mentio: nam pro eo quod est in vulgata: *Super hæreditatem Geth*, Ebraicum exemplar habet: על מורשת גת, quod quidam vertunt: *Ad Moreseth Geth*: quasi sit nomen loci proprium. His præter Vulgatum Interpretem refragantur Septuaginta Senes, & Jonathan. Deinde ex sequenti commate sententiam hujus odorari licet: *Hæredem*, inquit DEus, *adducam tibi, quæ habitas in Maresa.* Futurum nempe minatur, ut Maresitas de patria sua alienus hæres a se adductus extrudat: unde apparet pari prorsus comminatione & simili sententia Gethæos exterrere voluisse: *Dabit emissarios super hæreditatem Geth.* Scribit Pseudo Epiphanius interiisse Michæam ex alto præcipitatum a Joramo filio Achabi regis Juda, quem ob ipsius patrumque noxas crebris objurgationibus perstringebat: quæ ineptiæ non scutica, sed flagello animadvertendæ sunt; nam neque rex Juda Achab fuit, aut Joramus ipsius filius, sed Israel; nec Jorami ævo vixit Michæas Morasthites, sed post ejus ætatem annis minimum centum ac triginta. Fraudi fuit insulso Scriptori Michæas alter, qui & Josaphati & Achabi ætate vixit, variisque ab eo cruciatibus vexatus est. Decepit hunc quoque fortasse, quod legitur initio libri Michææ, Prophetias ipsum edere cœpisse: ἐν ἡμέραις Ἰωαθὰμ, *in diebus Joatham*; ubi perperam legisse videtur, ἐν ἡμέραις Ἰωρὰμ, *in diebus Joram*; non observatis iis quæ sequuntur, καὶ Ἄχαζ καὶ Ἐζεκίου βασιλέων Ἰούδα, *& Achaz & Ezechiæ regum Juda.* Deinde cum ait Epiphanius ille ὑποκολιμπαῖος, (*supposititius*) patri Michææ nomen fuisse *Iramo*, ita videtur expressisse nomen *Iemla*, quod prisci illius Michææ pater gessit. Sed nec supplicio affectum fuisse Morasthiten satis ostendere videntur ista Jeremiæ: *Numquid morte condemnavit Michæam Ezechias rex Juda, & omnis Juda? numquid non timuerunt Dominum,*

Juchas. & R. David. Ganz. Chronol.

Hier. Prol. in Mich. & de loc. Ebr.

Hieron. Ep. Paul. c. 6.

Jer. 26, 18.

Digitized by Google

mum, deprecati sunt faciem Domini, & pœnituit Dominum mali, quod locutus fuerat adversum eos? Demum in patria sepultum fuisse ait, prope Enacitarum sepulcretum; celebremque ad suam ætatem tumulum ejus fuisse. Huic paria succinit Dorotheus. Morasthin certe, Michææ antea sepulcrum, Ecclesiam vero sua ætate fuisse scribit Hieronymus. Nomen vero Morasthis, corruptum videtur apud Sozomenum & Nicephorum, & mutatum in Berath-satia, ubi sepultum Michæam narrant, ejusque sepulcrum dictum sermone locorum istorum Nephsameemana, quod exponit Sozomenus, μνῆμα πιστόν. Vere; est enim מצבת שמר. Unde apparet, eequa fides habenda sit iis, qui loca Terræ sanctæ descripserunt, dum in Oliveti montis descensu sepulchrum Michææ collocant.

Hier. Epit. Paul. c. 6. Sozom. l. 1. c. 19. Niceph. l. 10. c. 48.

Probatur Prophetia Michææ γνησιότης & antiquitas.

II. Libri porro hujus, qui Michææ nomen præfert, scriptorem se Michæas ipse satis prodit, cum alibi, tum maxime capite secundo ubi ait: *Utinam non essem vir habens spiritum, & mendacium potius loquerer.* Item tertio: *Verumtamen ego repletus sum fortitudine spiritus Domini, judicio & virtute; ut annuntiem Jacob scelus suum, & Israel peccatum suum.* Nec caret præterea sequentium temporum testimonio. Illustre hoc est & omni cavillatione majus; quod ipsi præbet Jeremias: *Michæas de Morasthi, fuit propheta in diebus Ezechiæ regis Judæ, & ait ad omnem populum Juda, dicens: Hæc dicit Dominus exercituum: Sion quasi ager arabitur, & Jerusalem in acervum lapidum erit, & mons Domini in excelsa sylvarum. Numquid morte condemnavit eum Ezechias rex Juda, & omnis Juda? Numquid non timuerunt Dominum, & deprecati sunt faciem Domini, & pœnituit Dominum mali, quod locutus fuerat adversum eos?* Quæ expressit Josephus: οἱ δὲ σοφῆς ὑπῆρξαν διανοίας ἐκπέλευσαν τὸν προφήτην ἀπὸ τῆς ἀυλῆς, καὶ τοῖς ἄλλοις συνεβούλευσαν μηδὲν διαθήναι κακὸν τὸν ἱερεμίαν. ἔλεγον γὰρ ὑ μόνον τοῦτον προλέγειν τὴ πόλει τὰ μέλλοντα, ἀλλὰ καὶ μιχαίαν πρὸ αὐτοῦ ταῦτα κατηγγελκέναι, καὶ πολλοὺς ἄλλους, ὧν οὐδεὶς ὑπὸ τῶν τότε βασιλέων οὐδὲν ἔπαθεν ἀλλ' ὡς προφήτης τοῦ θεοῦ τιμῆς ἔτυχε. *Qui vero mentis erant sanioris, Prophetam ex aula dimiserunt, aliisque auctores fuerunt, ne quid mali adversus Jeremiam designarent. Ajebant enim non hunc solum urbi futura prædicere, sed & Michæam ante ipsum eadem esse vaticinatum, aliosque complures, quorum nullus a sui temporis regibus malo ullo, sed honore tanquam Prophetæ Dei esset affectus.* Hæc autem verba, quibus Hierosolymæ excidium impune interminatus est Michæas, tertio capite sic concepta sunt: *Propter hoc causſa vestri, Sion quasi ager arabitur, & Jerusalem quasi acervus lapidum erit, & mons Templi in Excelsa sylvarum.* Videtur quoque Sophonias ex eodem Libro ista hausisse: *Salvabo claudicantem, & eam quæ ejecta fuerat congregabo, & ponam eos in laudem, & in nomen, in omni terra confusionis eorum.* Sic enim Michæas: *Et ponam claudicantem in reliquias, & eam quæ laboraverat in gentem robustam, & regnabit Dominus super eos in monte Sion.* Illa etiam Ezechielis: *Principes ejus in medio illius, quasi lupi rapientes prædam ad effundendum sanguinem & ad perdendas animas, & avari ad sectanda lucra. Prophetæ autem ejus liniebant eos absque temperamento, videntes vana, & divinantes eis mendacium, dicentes, Hæc dicit Dominus Deus, cum Dominus non sit locutus:* affinia sunt istorum Michææ; *Qui ædificatis Sion in sanguinibus, & Jerusalem in iniquitate. Principes ejus in muneribus judicabant, & Sacerdotes ejus in prophetia divinabant, & super Dominum requiescebant dicentes: Numquid non Dominus in medio nostrum? non venient super nos mala.* Appositа quoque ad id argumentum testimonia Matthæi & Johannis, unde intelligitur, ex prædictione Michææ consentientem Judæorum omnium opinionem extitisse, futurum ut Bethlehemi Christus nasceretur: nec enim ex sua ipsorum persona docent Evangelistæ id prænuntiasse Michæam, sed pervulgato inter Judæos sermone jactari istud solitum fuisse: talia enim de Herode refert Matthæus: *Et congregans omnes principes Sacerdotum, & Scribas populi, sciscitabatur ab eis ubi Christus nasceretur. At illi dixerunt ei: In Bethlehem Judæ; sic enim scriptum est per Prophetam: Et tu Bethlehem, terra Juda, nequaquam minima es in principibus Juda: ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel.* Item Johannes: *Quidam autem dicebant: Numquid a Galilæa venit Christus? Nonne Scriptura dicit, Quia ex semine David, & de Bethlehem castello,*

Sophon. 3, 19.

Mich. 4, 7.

Ezech. 22, 27. 28.

Mich. 3, 10. 11.

Matth. 2, 4. & seqq.

Joh. 7, 42.

Jer. 26, 18.

Jos. Antiq. l. 10. c. 7.

caſtello, ubi erat David, venit Chriſtus? Jamdudum enim percrebuerat inter Judæos inſigne illud Michææ vaticinium: *Et tu Bethlehem Ephrata, parvulus es in millibus Juda; ex te mihi egredietur qui ſit dominator in Iſrael, & egreſſus ejus ab initio, a diebus æternitatis.* Mich. 2, 1. Chriſtus ipſe denique verba ejus & voces uſurpare dignatus eſt: nam cum apud Matthæum ſic diſſerit: *Veni enim ſeparare hominem adverſus patrem ſuum, & filiam adverſus matrem ſuam, & nurum adverſus ſocrum ſuam; & inimici hominis domeſtici ejus:* Matth. 10, 31. 36. procul dubio in animo hæc habuit: *Veni enim ſeparare hominem adverſus patrem ſuum, & filiam adverſus matrem ſuam; & inimici hominis domeſtici ejus:* quæ Michææ ſeptimo capite reperiuntur.

DE PROPHETIA NAHUM.

I. *Diſputatur de Nahumi patria.* II. *Variæ de ejus ætate opiniones proponuntur;* III. *deinde noſtra.* IV. *Probatur Prophetiæ Nahumi γνησιότης & antiquitas.* V. *Refelluntur argumenta Adverſariorum. Primum argumentum.* VI. *Secundum argumentum.*

Diſputatur de Nahumi patria. I. DE Nahumi patria & ætate, deque Ninives excidio, quod vaticiniis Nahumus præſignificavit ſuis, magnæ cientur inter eruditos velitationes, & oppido pauca ac fere nulla poſterior ætas huic præbet teſtimonia; adeo ut quæcunque ad eum pertinent, jacebant propemodum in obſcuro, & denſis tenebris circumſepta ſint. Inſtitutum tamen tenere conabimur, & Librum hunc ab omni ψεύδους ſuſpicione vindicare. Agamus primum de Nahumi patria. Simeonitide tribu oriundum fuiſſe ait Pſeudo-Epiphanius, Elceſi natum, trans Jordanem, verſus Begabar. Epiph. de vit. Proph. Verba ipſius hæc ſunt: ὗτος ἦν ἐκτὸ ἐλκεσαὶ, πέραν τῦ Ἰορδάνου, εἰς βηγαβὰρ, ἐκ φυλῆς συμεών. *Hic erat ab Helceſi, trans Jordanem, in Begabar, de tribu Symeon.* Doroth. de vit. Proph. Dorotheus vero Epiphanii hujus ſimius: *Hic Nahum erat ab Elceſi, trans Bethabaran, de tribu Symeon.* Hinc emendandus Epiphanius, & pro βηγαβὰρ, legendum βηθαβαρὰν Bethabaran enim trans Jordanem eſſe ſitam docent Euſebius & Hieronymus, illicque Johannem lavacro homines in noxarum emendationem abluiſſe. Euſeb. & Hier. de loc. Ebr. Origen. in Ioh. Idem habet Origenes. Elceſi igitur circa Bethabaran natus eſt Nahumus, ex Epiphanii & Dorothei ſententia, ibidemque ſepultus. Elceſi quoque natum agnoſcunt Euſebius & Hieronymus. Verum hic longe a Bethabara Elceſin locat; aitque Helkeſai, כפר נחום, parvum Galilææ viculum, & vix veterum ædificiorum ruderibus agnoſcendum, ſua ætate extitiſſe, Judæis notum, ſibique ab itineris duce monſtratum. Unde eos confutat, qui Nahumum Helceſæum putabant eſſe dictum, a patre Helceſæo, Prophetaquoque & ipſo. Si qua in re, certe in notitia Terræ ſanctæ fidem meretur Hieronymus, qui & ex diligenti luſtratione, & ex accurata ſacrorum codicum lectione, & ex frequenti doctorum Judæorum conſuetudine Palæſtinæ loca apprime cognoverat. Euſeb. & Hier. de loc. Ebr. Hieronym. Procem. in Nahum.

II. Exploranda deinde Nahumi ætas, quam quidam ad Sardanapali tempora retulerunt; hoc Ninives excidium notatum ab eo eſſe volentes, quod Arbace auctore contigit, cum ab Aſſyriis ad Medos imperium translatum eſt; Joa Judæorum, Jehu Iſraelitarum regnum tenente. Id ſi ſit, ſacrorum omnium Prophetarum, majorum, & minorum, quorum ſcripta conſtant, antiquiſſimus ille fuerit. Probabilius Joſepho viſum eſt, ad Joathami tempora Nahumum pertinere; quas autem adverſus Ninivitas edidit vaticinationes, poſt centum & quindecim annos eſſe completas, Joſiæ nempe temporibus. Plures Ezechia regnante floruiſſe Nahumum cenſent, Hieronymus, Theodoretus, & Theophylactus, etiam poſt abductos a Salmanaſare in ſervitutem Iſraelitas; & Deum tum eos, tum & reliquos Ebræos, qui Ezechiæ parebant, & variis modis ab iisdem hoſtibus vexabantur, prædictionis hujus ſolatio recreare voluiſſe. Atqui idem Hieronymus, primo Nahumi capite prædictam fuiſſe ſentit cladem Sennacheribo, Aſſyriisque illatam ab Angelo, dum Hieroſolymam oppugnarent. Unde colligitur editum eſſe vaticinium inter duas Aſſyriorum expeditiones, Salmanaſaris adverſus tribus decem, Sennacheribi adverſus reliquas duas, quarum illa vix novem annis hanc anteceſſit. At auctor Seder Olam, & ex eo R. Iſaac Abrabaniel, Ebræique fere omnes, cum Michææ, quem ſub Joathamo, Achazo, & Ezechia floruiſſe ſciebant, ſuccedere Nahumum in Canone viderent, eum, ejusque prædictiones attribuendas duxerunt ævo Manaſſis, qui Ezechiæ *Varia de ejus ætate opiniones proponuntur;* Joſ. Antiq. l. 9. c. 11. Hieronym. Theodor. & Theoph. Procem. in Nahum.

Digitized by Google

chiæ regi successit. Atque has prædictiones exitum habuisse statuunt, Joakimo inter Judæos regnante, cum a Nabuchodonosore Ninive diruta est. Jonathan vero, & Pseudonymi Epiphanius & Dorotheus, aliique, Ninivitis imminentes calamitates prædixisse rentur, quod Jonæ comminationibus ad meliora jam ante conversi, in pristinas deinde noxas essent revoluti. Quot annis Jona fuerit recentior, accuratius definire in super habent, quod quidam nonaginta annorum spatio definiunt. Sunt qui Josiæ ævo futura prædixisse velint. Omnium vero longissime extra oleas abit Clemens Alexandrinus, Ezechiele ipso recentiorem Nahumum fingens.

Clem. Al. Strom. 1.

deinde nostra.

III. In tanta Interpretum discordia, ad similitudinem veri mihi valde videtur accedere Hieronymi sententia, qui in Ezechiæ ætatem Nahumi vaticinium confert, inter Israeliticam deportationem, & Hierosolymitanam Rabsacis obsidionem; nam & id postulare videtur ordo quem inter Prophetas minores obtinet, & eo inclinare video maximam eruditorum Interpretum partem. Verum aliud præterea adjecit Hieronymus accurata observatione dignum: nam inflictam quidem Assyriorum exercitui pro mœnibus Hierosolymitanis cladem, primo Nahumi capite prænuntiari sentit; sed reliqua duo libelli ejusdem capita ad toleratas olim ab Israelitis ærumnas, irrogatasque Judæis ab Assyriis contumelias, & excisam demum a Nabuchodonosore Niniven pertinere arbitratur. Quæ postrema capita duo priusquam explanet, Lectorem monet se Ebræorum expositionibus adhærere. Quamobrem si Ebræos illos, quos secutum se profitetur Hieronymus, conciliare velimus aliis ejusdem gentis Magistris, qui sub Manasse editum Nahumi vaticinium rentur, dicemus primum caput temporibus Ezechiæ prodiisse, post deportatas decem tribus; eventum vero tum esse nactum, cum Sennacheribi copiæ ab Angelo deletæ sunt, & ipse Sennacheribus Niniven redux, a filiis interfectus est; reliqua vero capita duo multis post annis primum a Nahumo fuisse adjecta, & ita quidem adjecta, ut in unum contextum colligata simul videantur cohærere; nimirum quod consimilis essent & ejusdem argumenti, & Assyriorum calamitates prænuntiarent; exitum vero habuisse, partim cum Niniven vastavit Cyaxares Medorum rex, Josiæ temporibus; partim etiam ac præcipue, cum eam Nabuchodonosor aliquot post annis funditus delevit. Idem quippe Hieronymus, Præmio in Jonam, sic disserit: *Quantum ad historias tam Ebræas, quam Græcas pertinet, & maxime Herodotum, legimus Niniven, regnante apud Ebræos Josia, & Astyage rege Medorum, fuisse subversam.* At cladis hujus auctorem fuisse Cyaxarem tradit Herodotus. Illuc respexit Josephus cum Joathami æqualem Nahumum statuens, post annos centum & quindecim edita ab ipso adversus Niniven vaticinia, eventu comprobata fuisse refert; in Josiæ qvippe ætatem incurret illud tempus, si a Joathami ætate initium feceris numerandi. Itaqve Nahumi prædictio adversus Ninivitas, quæ duobus postremis capitibus inest, a Cyaxare & Nabuchodonosore diversis temporibus completa est. Nec refragari videntur conditores prisci Librorum sacrorum Canonis, a qvibus Nahumus subjunctus est Michææ, qvi Joathami, Achazi, & Ezechiæ æqualis fuit: in eo quippe desiit Michæas, in quo vaticinari exorsus Nahumus ad Manassem pervenit.

Herod. l. 1. Jos. Antiq. l. 9. c. 11.

IV. Bene vero est, quod Duodecim Prophetarum memoriam Sirachides retinuit, unde satis probatur antiquitas Nahumi, qui unus ex illis semper habitus est, ut ex Septuaginta Senibus, aliisque cujusvis ætatis interpretibus cognoscere promtum est. Vix ulla autem Scriptoris hujus posterior ætas servavit vestigia. Unum hoc apud Habacucum & Ezechielem nanciscor, quod extat tertio Nahumi capite: *Væ civitas sanguinum, universa mendacii dilaceratione plena: non recedet a te rapina.* Ad id quippe videtur excusum hoc Habacuci: *Væ qui ædificat civitatem in sanguinibus, & præparat urbem in iniquitate.* Multo magis etiam istud Ezechielis: *Væ civitati sanguinum, cujus ego grandem faciam pyram.* Incertum autem habeo, an a Nahumo Isaias, an ab Isaia Nahumus hæc sumserit: *Ecce super montes pedes evangelizantis & annuntiantis pacem: celebra, Juda, festivitates tuas, & redde vota tua:* utrumque enim docui vaticinia hæc Ezechiæ temporibus scripsisse.

Probatur Prophetia Nahumi γνησιότης & antiquitas.

Eccli. 49, 12. Nah. 3, 1. Hab. 2, 12. Ezech. 24. 9. Nah. 1, 15. Isa. 52. 7.

V. Diximus Sennacheribi, Assyriorumque interitum prædictum fuisse primo capite Nahumi; at postremis duobus illatas Ninivitis per Cyaxarem & Nabuchodonosorem clades:

Refelluntur argumenta Adversariorum. Primum argumentum.

Digitized by Google

clades: quam ſententiam Hieronymi ſuffragio tutati ſumus. Epiph. & Doroth. de vit. Proph. Verum ſuppoſititii Epiphanius & Dorotheus aliorſum vaticinationes illas detorquent; præſignificaſſe quippe Nahumum volunt, futurum ut exundante aqua, & ignibus erumpentibus Ninive ſubvertatur; atque id eveniſſe; terræ quippe motu ſtagnum, quo cingitur civitas, ripas ſupergreſſum loca vicina, urbemque adeo ipſam ſubmerſiſſe, cum interea flamma aliunde efferveſcens eam depaſceret. Nempe Nah. 1, 5. 6. 8 hæc ad verbum interpretati ſunt: *Montes commoti ſunt ab eo, & colles deſolati ſunt, & contremuit terra a facie ejus.* Deinde: *Indignatio ejus effuſa eſt ut ignis, & portæ diſſolutæ ſunt ab eo.* Tum: *In diluvio prætereunte conſummationem faciet loci ejus.* Et alibi Nah. 2, 6. 8. 15. etiam: *Portæ fluviorum apertæ ſunt, & templum dirutum.* Paulo poſt: *Ninive, quaſi piſcina aquarum aquæ ejus.* Præterea: *Succendam usque ad fumum quadrigas tuas.* Nah. 3, 13. Rurſum: *Devorabit ignis vectes tuos.* Verum quid iſtis fiet, quæ ibidem leguntur: Nah. 2, 7. *Miles captivus abductus eſt, & ancillæ ejus minabantur gementes ut columbæ, murmurantes* Nah. 3, 2. 3. *in cordibus ſuis:* & iſtis: *Vox impetus rotæ, & equi frementis, & quadrigæ frementis, & equitis aſcendentis, & micantis gladii, & fulgurantis haſtæ, & multitudinis interfectæ:* & Nah. 3, 13. 14. his quoque: *Ecce populus tuus mulieres in medio tui: inimicis tuis adapertione pandentur portæ terræ tuæ, devorabit ignis vectes tuos. Aquam propter obſidionem hauri tibi, exſtrue munitiones tuas, intra in lutum & calca, ſubigens tene laterem. Ibi comedet te ignis, peribis gladio.* Quæ manifeſto declarant bello domitam & dirutam fuiſſe Niniven, & militum copiis, non aquis inundatam; & flammis hoſtilibus, non naturæ vi ingruentibus abſumtam; quod neque conſentit cum fide hiſtoriæ, neque cum Ninives ipſius ſitu, quæ ſtagno haudquaquam circumfuſa fuit. Attendiſſent autem Epiphanius ille & Dorotheus, quam ſæpe exotici & ſacri Scriptores, ac potiſſimum Prophetæ, ad bellicas clades exprimendas, hujusmodi translationibus ex incendiorum & exundationum impetu arceſſitis utantur.

Secundum argumentum. Theodor. Procem. in Nah. VI. Leve quoque eſt argumentum, quod ex Theodoreti verbis erui poteſt, quibus aſſeverat poſt interfectum a liberis Sennacheribum, imperium ad Chaldæos paulo poſt tranſiiſſe, & regum illorum genus extinctum fuiſſe. Hæc enim aperte pugnant cum hiſtoria a ſacris Auctoribus tradita, cujus fides non ad manifeſtas halucinationes exigenda eſt, ſed hæ contra ex illa convincendæ. Certum quippe eſt Sennacheribo ſucceſſiſſe Aſarhaddonum filium, ut docet poſtremus liber Regum; huic Saosduchinum, quem excepit Cineladanus; quod cognoſcitur ex Canone Mathematico Regum Babyloniorum, quem repræſentat Georgius Syncellus. Imperium autem Aſſyriorum a Chaldæis exciſum non eſt ante Nabuchodonoſorem, qui æqualis Joakimi fuit. Itaque a Sennacheribi obitu ad dirutam a Chaldæis Niniven, anni intercedunt circiter centum & viginti. Caſtigandus hic ergo Theodoretus; multo etiam magis Cyrillus, qui a Nahumo prædici cenſet eam Ninives expugnationem, quæ auctore Cyro facta eſt; Niniven haud dubie cum Babylone confundens, quam Cyrus ditioni ſuæ ſubjecit. 4. Reg. 19, 37. Cyrill. Præf. in Nahum.

DE PROPHETIA HABACUC.

I. *Diſputatur de Habacuci patria.* II. *Variæ de ejus ætate opiniones proponuntur.* III. *Deinde noſtra.* IV. *Diſputatur de libro apocrypho Habacuci.* V. *Probatur Prophetia Habacuci γνησιότης & antiquitas.* VI. *Refelluntur argumenta Adverſariorum. Unicum argumentum.*

Diſputatur de Habacuci patria. Epiph. & Doroth. de vit. Proph.

I. DE Hababuci patria & ætate nihilo certiora quamde Nahumo proferre poſſumus. Quid veſtigando tamen & ſcrutando reperire poſſimus, experiamur. Patriam deſignavit Epiphanius ὑποβολιμαῖος *(ſuppoſititius)* quem ſecutus eſt Pſeudo-Dorotheus, oriundumque fuiſſe ait ex tribu Simeon, natum in agro Bethſocher: cujus dictionis cum ambigua ſit & parum conſtans in exemplaribus lectio, Dorotheus vero ſcribat *Bitſuchar*, locum aſſignare promtum non eſt. Videndum an is ſit, qui ſexto capite prioris Machabaici dicitur Bethzachara, Joſepho non ſemel memoratus; an qui ſequenti capite Betzecha appellatur. Ait idem Epiphanius adventante in Judæam Nabuchodonoſore Habacucum fugiſſe Oſtracinen, (quam urbem in Iſmaelitica terra collocat,) ad Caſſiotidem usque, in qua Oſtracinen 1. Mach. 6, 32. 1. Mach. 7, 19

Digitized by Google

einen Ptolemæus statuit, Ismaelitarum fines prorogans; post discessum vero Chaldæorum rediisse in patriam, in eaque tandem fuisse sepultum. Quæ perperam accepta Dorotheus interpretando pervertit. Epiphanio consentit Said Ebn Batrik; in Ismaelitarum siquidem regionem fugisse vult Habacucum, atque inde in Ægyptum. Alii Levitica ipsum tribu prognatum fuisse volunt, & in urbe Cella sepultum. Eusebius quidem narrat in Topicis sua ætate sepulcrum Habacuci Ceilæ monstrari solitum fuisse. Sozom. l. 7. c. 29. Niceph. l. 12 c. 48. Quod ab illo sumserunt Sozomenus & Nicephorus.

Varie de ejus ætate opiniones proponuntur;

II. In ætate vero deprehendenda viri eruditi in varias opiniones discessere. Existimarunt Ebræi veteres filium fuisse Sunamitidis mulieris, quem vitæ restituit Elisæus, quemadmodum Jonam Sareptanæ filium ab Elia ad vitam revocatum fuisse rati sunt; atgumento ducto ex convenientia nominis Habacuc, cum verbis, quibus Elisæus Sunamitidi filium pollicitus est: חבקת בן *amplecteris filium*; quæ Rabbinicæ nugæ sunt. Saniora senserunt Judæi recentiores, in Manassis tempora Habacuci vaticinium conferentes. Ita Seder olam, Rabbah & Zuthah; unde Abrabaniel, & Rabbinorum greges sua hausere. Josiæ ætati assignant alii; Sedeciæ & Jeremiæ, Clemens Alexandrinus & Pseudo-Epiphanius; Danielis etiam idem Epiphanius, Hieronymus, Dorotheus, aliique complures, quibus placet non alium esse Habacucum hunc, quam qui cibaria ad Danielem inter leones jacentem ab Angelo vectus detulit, biennioque ante obiit, quam libertatis compotes facti Judæi in patriam remeassent. A quo tempore ad Elisæum retro computantur anni trecenti circiter & quinquaginta; quo intervallo Habacucum fuisse constat; sed in loco intra hos limites accurate definiendo laborant Interpretes.

4. Reg. 4. 16. Clem. Al. Strom. 1. Epiph. de vit. Proph. Hieronym. Prooem. in l. 1. Habacuc. Dorotheus de vit. Proph.

Deinde nostra.

III. Ego vero & supra jam dixi, cum de Daniele agerem, & nunc etiam asseverantius dico geminum fuisse Habacucum, alterum Danielis obsonatorem, alterum hunc Prophetam Manassis æqualem, de tribu Simeonis, cum illum Levitica prognatum esse declaret titulus historiæ Beli & Draconis, quem ex editione Septuaginta Senum repræsentat Hieronymus. Chaldæorum certe adversus Judæos expeditionem præcessit, quam & prædixit: *Quia ecce*, inquit, *ego suscitabo Chaldæos.* Chaldæorum ipsorum vastationem, sic tanquam rem nondum instantem, sed multis post annis eventuram denuntiat; *Quia adhuc visus procul, & apparebit in finem, & non mentietur: si moram fecerit, expecta illum, quia veniens veniet, & non tardabit.* His autem tangi videntur Manassis flagitia: *Lacerata est Lex, & non pervenit usque ad finem judicium: Quia impius prævalet adversus justum, propterea egreditur judicium perversum.* Rursum: *Quare aspicis super iniqua agentes, & taces devorante impio justiorem se?* Ista omnino his adsonant, quæ de Manasse narrat posterior liber Regum: *Insuper & sanguinem innoxium fudit Manasses multum nimis, donec impleret Jerusalem usque ad os; absque peccatis suis, quibus peccare fecit Judam, ut faceret malum coram Domino.* Addit Josephus, Deum intentatis per Prophetas minis ad meliorem mentem revocare ipsum frustra voluisse, cum interea novis sese alligaret sceleribus, & aliquem e Prophetis quotis quibusque diebus supplicio afficeret. Cum autem post Babylonicum exilium mores in melius commutarit, plane dicendum est Habacuci vaticinium ad priora illa & nefaria Manassis tempora pertinere: nec abludit a vero prædictionem illam Chaldaicæ irruptionis, non solum postremam, qua diruta est Hierosolyma, sed & priorem illam spectare, cum Manasses Babylonem deportatus est. Nam quamvis narrent Paralipomena captum eum fuisse a Principibus exercitus regis Assyriorum, nihilominus Chaldæos intelligere decet, qui a Principibus & regulis supremum Regis Assyriorum imperium agnoscentibus regebantur. Hanc autem Judæorum calamitatem notare videtur Propheta, cum Judæos monet eventura illa ipsorum temporibus: *Opus*, inquit, *factum est in diebus vestris.* Similibus Achazum & Ezechiam objurgationibus, & impendentis ab Assyriis & Chaldæis exitii minis Isaias aliquot ante annis perterruerat. Adeo ut æquævum ipsi Habacucum, simili instinctum afflatu, paribus denuntiationibus intonuisse credibile sit. Denique ætatem ejus patefacit assignatus ipsi in Canone locus inter Prophetas minores Duodecim: Nahumum enim sequitur, quem Ezechiæ

Hieronym. Procem. Comm. in Dan. Hab. 1, 6. Hab. 2, 3. Hab. 1, 4. Hab. 1, 13. 4. Reg. 21, 16. Joseph. Antiq. l. 10. c. 4. 2. Par. 33, 11. Hab. 1, 5.

Ezechiæ æqualem diximus; Sophoniæ vero præit, qui Josia regnante vaticinatus est.

Disputatur de libro apocrypho Habacuci.

IV. De libro apocrypho Habacuci, quem commemorat Auctor Synopseos, etsi jam a me superius disputatum est, cum de Græcis Prophetiæ Danielis interpretationibus agerem, aliqua tamen hic iteranda sunt, quæ prætermittere omnino locus non patitur. Hunc ergo apocryphum Habacuci librum, ipsam esse dixi Beli & Draconis historiam, in qua liber Danielis clauditur. Tradit enim Hieronymus, in Græca interpretatione Septuaginta virorum Habacuco adscriptam fuisse hanc historiam, & Eusebium ac Apollinarium cum Porphyrium refellerent respondisse, Susannæ, Beli, & Draconis historias partem esse Prophetiæ Habacuci de tribu Levi. At Græca libri Danielis interpretatio, quæ Septuaginta Senum nomen sibi præscripserat, Hieronymo merito suspecta fuit, & ab Ecclesiæ magistris repudiata est. Itaque quod Beli & Draconis historia Habacuco tribuitur, perperam id factum dixi, cum mirabilem illam Prophetæ exportationem, non ab alio quam ab ipso in literas relatam fuisse Interpres conjectasset; reliquorum Prophetarum consuetudine deceptus, qui res a se gestas memoriæ prodere consueverunt aliquando, at nonnunquam id facere neglexerunt. Nimium igitur suspicioni huic indulgens Interpres nomen Habacuci historiæ huic præmisit. Sed prudenter fecerimus, si titulum leviter & temere excogitatum inducamus.

Hieronym. Procem. Comm. in Dan.

Probatur Prophetia Habacuci γνησιότης & antiquitas.

V. Prophetiæ autem Scriptorem ipse suæ declarat Habacuc, cum ait secundo capite: *Super custodiam meam stabo, & figam gradum super munitionem, & contemplabor, ut videam quid dicatur mihi, & quid respondeam ad arguentem me. Et respondit mihi Dominus, & dixit: Scribe visum, & explana eum super tabulas, ut percurrat qui legerit eum.* Quibus significat, se a Deo mandatum habuisse, ut res sibi præmonstratas literis traderet: cui mandato pro sua pietate paruisse ipsum plane credendum est. Eas ergo αὐτοπροσώπως (*ex propria persona*) dissenuit. Unde Hobbesium mirari subit, qui incertum esse dicit, utrum prophetiam suam ipse Habacuc scriptam ediderit. Earum præterea in novitiorum Prophetarum libris expressa licet reperire vestigia. Cum enim gentem Chaldæam describisset Habacuc: *Ecce ego suscitabo Chaldæos: amaram & velocem gentem, ambulantem latitudines terræ, ad possidendas tabernacula non sua. Horribilis & terribilis est, & judicium ejus, & elatio ejus procedet. Super equos velociores pardis exacuti sunt, & velociores lupis vespertinis, & diffundentur equites ejus: equites namque ejus de longe venient, volabunt quasi aquila festinans ad comedendum:* ita Nabuchodonosorem pinxit Jeremias: *Ideo percussit eos leo de silva, lupus ad vesperam vastavit eos, pardus vigilans super civitates eorum:* ita & Ezechiel: *Hæc dicit Dominus Deus, Aquila grandis magnarum alarum, longo membrorum ductu, plena plumis & varietate venit ad Libanum.* Hæc quoque Jeremiæ querela: *Justus quidem tu es, Domine, si disputem tecum, verumtamen justa loquar ad te: Quare via impiorum prosperatur, bene est omnibus qui prævaricantur, & inique agunt?* numquid videtur referre hanc Habacuci: *Mundi sunt oculi tui, ne videas malum, & respicere ad iniquitatem non poteris: quare respicis super iniqua agentes, & taces devorante impio justiorem se?* Illud quoque Jeremiæ: *Et dices ad eos: Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel: Bibite, & inebriemini, & vomite:* ex hoc Habacuci detortum dicas: *Bibe tu quoque, & consopire: circumdabit te calix dexteræ Domini, & vomitus ignominiæ super gloriam tuam.* Deinde vero Lucas in Actis Habacucum designavit, cum diceret: *Videte ergo, ne superveniat vobis quod dictum est in Prophetis: Videte contemtores, & admiramini, & disperdimini, quia opus operor in diebus vestris, opus quod non credetis, si quis enarraverit vobis:* hæc enim ex Habacuci priore capite petita sunt. Cujus & istud: *Justus autem in fide sua vivet*, Paulus non semel in Epistolis suis usurpavit.

Hab. 1, 8. Jer. 5, 6. Ezech. 17, 3. Jer. 12, 1. Hab. 1, 13. Jer. 25, 27. Hab. 2, 6. Act. 13, 40. 41. Hab. 1, 5. Hab. 2, 4. Rom. 1, 17. Gal. 3, 11. Ebr. 10, 38.

Hab. 2, 1. 2.

VI. Circumspicienti vero mihi, si qua parte oppugnari posset nostra de Habacuci ætate sententia, unum occurrit ejus ipsius testimonium, unde cudere contra nos argumentum queant Adversarii. *Aspicite*, inquit, *in gentibus, & videte: admiramini & obstupescite: quia opus factum est in diebus vestris, quod nemo credet cum narrabitur.* De Chaldæorum bello adversum Judæos verba facere ipsum liquet, quod quum factum jam fuisse his diebus clarissime significet, hinc efficitur necessario, post vastatam a Nabuchodonosore Judæam vixisse Habacucum, & vaticiniis inclaruisse. Verum id argumentum infringit ipse commate sequenti, cum ait: *Ecce ego suscitabo Chaldæos:* nondum ergo fuerant suscitati, quos suscitaturum se Deus prænun-

Refelluntur argumenta Adversariorum. Unicum argumentum.

Hab. 1, 5.

Hobb. Lev. 2. 33.

Hab. 1, 6.

Digitized by Google

prænuntiat. Sed & Ebraicum exemplar, non futurum habet, אמעה, *faciem*, sed Benoni עשה, quod Ebræis præsentis, quo carent vice fungitur. Itaque Septuaginta id reddunt: Ἔργον ἐγὼ ἐργάζομαι *Opus ego facio*; & Symmachus, juxta testimonium Hieronymi: *Opus fiet in diebus vestris.*

Hieron. in Hab. 1. 3.

DE PROPHETIA SOPHONIÆ.

I. *Disputatur de Sophoniæ patria & tribu*, II. *& ætate*. III. *Probatur Prophetiæ Sophoniæ γνησιότης & antiquitas.*

Disputatur de Sophoniæ patria & tribu,

I. PRophetiæ Sophoniæ lemma hoc præfixum est: *Verbum Domini quod factum est ad Sophoniam filium Chusi, filii Godoliæ, filii Amariæ, filii Ezechiæ, in diebus Josiæ filii Amon regis Juda.* Inde Sophoniam vere Prophetam Dei fuisse cognoscimus: tum & quibus parentibus ortus sit, & quo tempore vixerit. Si patria ac tribus, unde prodiit, fuissent appositæ, nihil ultra requireremus. Verum occurrit desiderio nostro

Epiph. de vit. Proph.

suppositititius ille Epiphanius, sæpe jam in partes vocatus; nam Sarabatha monte ortum fuisse tradit. At sibi non constat in montis hujus nomine, ut neque in variis Libri illius locis Codicum fides; alii enim ha-

Doroth. de vit. Proph.

bent *Baratha*: Pseudo-Dorotheus scribit *Sabarthara*. An *Sarathasar* legendum, quem locum montanum fuisse intra terminos Rubeniticæ tribus discimus ex libro Jo-

2. Par. 4. 17.

suæ? an *Saredatha*, quem commemorant Paralipomena, & Sarthan esse volunt quidam? an *Barad*, inter quem locum & Cades statuit Moses Puteum Agaris? Addit Epi-

Gen. 16. 14.

phanius fuisse tribu Simeonitam, cum eum tamen Ezechiæ regis Juda abnepotem, proindeque de tribu Juda oriundum fuisse ratus

R. Ab. Esr. & R. David Kimch. in Soph. 1.

sit Aben Ezra, auctor inter Ebræos non futilis: quam opinionem nec admittit, nec rejicit R. David Kimchi. Quibus argumentis hanc opinionem secutus sit Aben Ezra, nescio; profecto tempora apte conveniunt, neque alia videtur fuisse causa, cur initio Libelli hujus, non pater solum Sophoniæ sit appositus, sed explicata præterea stemmatis serie, genus ab hoc capite contra Scriptorum sacrorum, Prophetarumque omnium morem sit repetitum, quam ut clarissimo & sanctissimo parente prognatum fuisse Prophetam appareret, neque nobilitatis tam præclaræ & illustris honore fraudaretur. An ita sensit Cyrillus, cum fuisse eum ait οὐκ ἄσημον τὸ κατὰ σάρκα γένος, *non ignobilem genere secundum carnem?* an propter commemoratos proavos minime quidem ignobilem credidit, quod & R. Davidi Kimchio visum est, non vero regia stirpe ortum? Veri quidem id similius est, quam quod aliis ex eadem Ebræorum gente persuasum est, descripta hic fuisse ab abavo usque parentum nomina, quod Prophetæ essent; cum pro certo inter eos constet, quorumcunque Prophetarum nominantur in Codicibus sacris parentes, Prophetas & hos fuisse.

II. Ætatis ipse suæ tempus cum definiverit Sophonias, Josia regnum Judæ tenente va-

& ætate. Soph. 1. 1.

ticinatum se dicens, satis pro merito culpare non possum Thomam Hobbesium, cum

Hobb. Lev. c. 33.

Prophetarum omnium antiquissimum Sophoniam, & Amasiæ ac Osiæ æqualem facit. Eorum vero mihi impense probatur ratio, qui sub initia Josiæ propheticum munus capessivisse ipsum affirmant, antequam profanos & sacrilegos idolorum cultus a Manasse inductos Josias sustulisset; quod in duodecimum

2. Par. 34. 3.

ipsius annum ab inito regno Paralipomena conferunt. Flagitiosos enim & impios Judæorum ritus hac objurgatione arguit: *Ex-*

Soph. 1. 4. 5.

tendam manum meum super Judam, & super omnes habitantes Jerusalem: & dispergam de loco hoc reliquias Baal, & nomina edituorum cum Sacerdotibus, & eos qui adorant super tecta militiam cœli, & adorant, & jurant in Domino, & jurant in Melchom. Deinde: *Visitabo super omnem qui arroganter*

Soph. 1. 9.

ingreditur super limen in die illa: qui complent domum Domini iniquitate & dolo. Nempe hæc ipsa sunt, quæ Josias præstitit, ut discimus ex postremo Regum: *Præcepit Rex Hel-*

4. Reg. 23. 4. 5. 6. 10.

ciæ Pontifici, & Sacerdotibus secundi ordinis, & janitoribus, & projecerunt de Templo Domini omnia vasa, quæ facta fuerant Baal, & in luco, & universæ militiæ cœli. Tum: *Et delevit eos qui adolebant incensum Baal, & Soli, & Lunæ, & duodecim signis, & omni militiæ cœli, & efferri fecit lucum de domo domini foras Jerusalem.* Deinde: *Contaminavit quoque Topheth, quod est in convalle filii Ennon, ut nemo consecraret filium suum, aut filiam per ignem Moloch.* Verumtamen,

Digitized by Google

ne sic quidem elisis penitus impietatis radicibus, novis ipsos commonitionibus Jeremias identidem urgebat: sed ita tamen ut non tanquam hujus temporis noxas, sed tanquam
Jer. 2, 5. vetera flagitia fere ipsis objiceret. *Quid*, inquit, *invenerunt patres vestri in me iniquitatis, quia elongaverunt a me, & ambulaverunt post vanitatem, & vani facti sunt?* Et paulo
Jer. 2, 20. post? *A sæculo confregisti jugum meum, rupisti vincula mea, & dixisti, Non serviam. In omni enim colle sublimi, & sub omni ligno frondoso tu prosternebaris meretrix:* Deinde:
Jer. 2, 32. & 3. 1. *Populus meus oblitus est mei diebus innumerabilibus.* Tum: *Fornicata es cum amatoribus multis. In viis sedebas expectans eos quasi latro in solitudine, & polluisti terram in fornicationibus tuis, & in malitiis tuis.* Quanto aliter Sophonias? non pristina quidem recolens facinora, sed tanquam in flagranti
Soph. 1, 4. 5. 9. deprehensos facinore increpans: *Disperdam de loco hoc reliquias Baal, & nomina adituorum cum Sacerdotibus, & eos qui adorant super tecta militiam cœli, & adorant, & jurant in Domino, & jurant in Melchom. Visitabo super omnem qui arroganter ingreditur super limen in die illa, qui complent domum Domini iniquitate & dolo.* Nempe hæc in re præsenti παρεγραφόμενα (*paratragœdiabat*) priusquam Josias violatam religionem reparasset, ablatis sceleratis ceremoniis: quod, ut dixi, duodecimo post capessitum regnum anno facere instituit. Verum cum inolitum morem tollere haud ita promtum esset, & post multos annos antiquæ consuetudinis vestigia supererent, instabat Jeremias, ut quod coacti a Josia fecerant Judæi, id sponte jam
Jer. 3, 10. præstarent: *Non est*, inquit, *reversa ad me prævaricatrix Juda in toto corde suo, sed in mendacio, ait Dominus.* Constat itaque nondum avitam impietatem abolevisse Josiam, cum hæc Sophonias vaticinaretur, atque inde licet prædictionis illius ætatem ante duodecimum Josiæ annum liquido statuere, proindeque & ante Jeremiæ prophetiam, quæ a decimo tertio Josiæ anno ducit initium.

Probatur Prophetia Sophoniæ γνησιότης & antiquitas.

III. Quare & dicta quædam Sophoniæ videmus subinde Jeremiam & Ezechielem usurpasse. Ait Sophonias: *Audivi opprobrium Moab, & blasphemias filiorum Ammon, quæ exprobraverunt populo meo, & magnificati sunt super terminos eorum. Propterea vivo ego, dicit Dominus exercituum Deus Israel, quia Moab ut Sodoma erit, & filii Ammon quasi Gomorrha, siccitas spinarum, & acervi salis, & desertum usque in æternum, reliquiæ populi mei deripient eos, & residui gentis meæ possidebunt illos:* inde Jeremias: *Audivimus superbiam Moab; superbus est valde; sublimitatem ejus, & arrogantiam, & superbiam, & altitudinem cordis ejus. Ego scio, ait Dominus, jactantiam ejus, & quod non sit juxta eam virtus ejus, nec juxta quod poterat conata sit facere. Ideo super Moab ejulabo, & ad Moab universam clamabo, ad viros muri fictilis lamentantes:* indidem & Ezechiel: *Et dices ad filios Ammon, Audite verbum Domini Dei, Hæc dicit Dominus Deus: Pro eo quod dixisti: Euge, euge, super sanctuarium meum, quia pollutum est, & super terram Israel, quoniam desolata est, & super domum Juda, quoniam ducti sunt in captivitatem. Idcirco ego tradam te filiis Orientalibus in hæreditatem, & collocabunt oculas suas in te, & ponent in te tentoria sua.* Jer. 48. a. & seq. Ezech. 25. 1. & seq.

Pressius etiam Sophoniæ vestigia sectatur Ezechiel cum ait: *Argentum eorum & aurum eorum non valebit liberare eos in die furoris Domini: animam suam non satiabunt, & ventres eorum non implebuntur, quia scandalum iniquitatis eorum factum est:* quid enim hæc distant istis Sophoniæ: *Sed & argentum eorum, & aurum eorum non potest liberare eos in die iræ Domini: in igne zeli ejus devorabitur omnis terra, quia consummationem cum festinatione faciet cunctis habitantibus terram.* Cum ait Ezechiel: *Sacerdotes ejus contempserunt Legem meam, & polluerunt sanctuaria mea; inter sanctum & profanum non habuerunt distantiam, & inter pollutum & mundum non intellexerunt, & a Sabbathis meis averterunt oculos suos, & coinquinabar in medio eorum: principes ejus in medio illius, quasi lupi rapientes prædam ad effundendum sanguinem, & ad perdendas animas, & avare ad sectanda lucra: Prophetæ autem ejus liniebant eos absque temperamento, videntes vana, & divinantes eis mendacium, dicentes, Hæc dicit Dominus Deus, cum Dominus non sit locutus:* nonne hæc Sophoniæ referre voluit: *Principes ejus* (Jerusalem) *in medio ejus quasi leones rugientes; judices ejus lupi vespere non relinquebant in mane: Prophetæ ejus vesani, viri infideles: Sacerdotes ejus polluerunt sanctum, injuste egerunt contra*

Soph. 2, 8. 9. Ezech. 7, 19. Soph. 1, 18. Ezech. 22, 26. 27. 28. Soph. 3, 3. 4.

contra Legem. Sed & ad Locum quendam e Michææ tertio capite, quem indicavi supra: videtur illic respexisse.

DE PROPHETIA AGGÆI.

I. *Disputatur de Aggæo.* II. *Probatur Prophetia Aggæi γνησιότης & antiquitas.* III. *Refelluntur argumenta Adversariorum. Argumentum unicum.*

Disputatur de Aggæo.

I. AGgæum ab aliquibus Angelum esse creditum, hominibus juvandis, & ad virtutem excitandis a Deo missum refert Hieronymus: caussa inde ducta quod מלאכי appelletur priore ipsius capite. Id & Angelum significat, & nuntium Domini. Quasi non & alii hoc nomine affecti sint, quos Angelos fuisse nemo suspicatus est. Unum e Synagogæ magnæ assessoribus cum Zacharia fuisse Rabbini asseverant. Synagogam vero magnam Darii Hystaspidæ temporibus initium habuisse censent. Aggæi autem & Zachariæ vaticinia, quæ in annum secundum Darii Regis Scriptura Sancta confert, ad Darium Nothum pertinere arbitratus est Scaliger, aliique Scaligerum sectati: quod Darius ille, cujus ætate futura prædixerunt Aggæus & Zacharias, quarto Esdræ capite subjungatur Assuero & Artaxerxi, quos Xerxem & Longimanum esse volunt. Sed certioribus niti videtur fundamentis eorum opinio, qui Darium hunc Histaspiden fuisse censuerunt. Hos inter, præter eos quos dixi Rabbinos, insigne nomen est Josephi, Clementis Alexandrini, Hieronymi, & Theodoreti; quibus maxima Chronologorum assensa est pars. Assuerum vero & Artaxerxem, Darii hujus decessores, vel Cyrum & Cambysen esse, ita ut gemino nomine designetur uterque; vel Cambysen certe & Smerdin; vel Cambysen unicum, sed πολυώνυμον (*multis nominibus affectum*) esse sunt arbitrati; quod Persarum reges, postquam rerum essent potiti, Xerxis fere & Artaxerxis nomina usurpare solerent. Hujus sane controversiæ, tot velitationibus in utramque partem excussæ, disputationem hoc loco repetere, etsi est præter nostrum institutum, dicam tamen valde infirmum mihi videri argumentum, quod Scaligeranæ doctrinæ patroni eliciunt ex hoc commate Zachariæ: *Et respondit Angelus Domini, & dixit, Domine exercituum, usque quo tu non misereberis Jerusalem, & urbium Juda, quibus iratus es? Iste jam septuagesimus annus est:* & ex isto: *Loquere ad omnem populum terræ, & ad Sacerdotes, dicens, Cum jejunaretis, & plangeretis in quinto & septimo per hos septuaginta annos, numquid jejunium jejunastis mihi?* Eodem tempore vaticinati sunt Aggæus & Zacharias, ut habetur quinto Esdræ capite, & ut libri utriusque ostendunt. Ad utrumque ergo ista pertineant. Anni, inquiunt, hi septuaginta, non sunt anni Babylonicæ captivitatis, qui desierunt anno primo Cyri: vaticinia autem illa scribebat Zacharias anno secundo & anno quarto Darii, quorum neuter septuagesimus erat ab excidio Hierosolymæ: Darius porro hic Hystaspides non est, nam si ab anno ejus secundo, vel quarto septuaginta annos retro numeres, ubicunque illorum consistat initium, nihil occurret, cui hæc oracula Zachariæ possint accommodari: unde concludunt non alium notari hic Darium, quam Nothum; septuaginta vero annorum Zachariæ initia repetenda esse a primordiis regni Assueri, quem Xerxem esse statuunt; apud quem accusati sunt Judæi, & gravissimas deinde calamitatibus oppressi. Verum hæc ipsa Zachariæ dicta opportunam nobis commenti hujus confutationem subministrant. Anno secundo Darii septuagesimum annum Propheta numerat; anno item quarto septuagesimum: numerasset utique septuagesimum secundum anno quarto, si septuagesimus in annum secundum cecidisset. Utrobique autem numeratur septuagesimus, quod in annos illos Darii secundum & quartum, septuaginta annorum finis non congrueret: definitum quippe jamdiu, ac circumscriptum annorum significabat spatium, quo Babylone captivi fuerant Israelitæ. Ebraica vero verba, interpretatio Septuaginta Senum, & Jonathanis Paraphrasis, si recte intelligas, non magis præsens quam præteritum tempus notant. Hinc error natus est. Respondent ad numeri rotunditatem Septuaginta annos dixisse Prophetam, qui septuaginta non erant. Cur idem igitur Propheta initio capitis utriusque, primi & septimi, non annos solum, sed menses & dies tam accurate distinxit? Adde splendidum Aggæi testimonium: *Quis in vobis*

Hieron. in Agg. 1, 1. Agg. 2, 13.

Joseph. Antiq. l. 11. c. 4. Clem. Al. Strom. l. 1. Hier. Prol. in Agg. Theodor. Procem. Comm. in XII. Proph. & Arg. Comm. in Agg.

Zach. 1, 12.

Zach. 7, 5.

Agg. 2, 4.

Digitized by Google

vobis est derelictus, qui vidit domum istam in gloria sua prima? & quid vos videtis hanc nunc? numquid non ita est, quasi non sit in oculis vestris? Multum in his eludendis æstuat Scaliger, ne fateri cogatur ex sua sententia consequi, homines hac ætate superfuisse centum septuaginta sex annis majores; atque ita hæc accipienda esse vult, quasi diceret Propheta, O si quis vestrum domum priorem vidisset, quam parvi hanc faceret! Verum quis non videt similia hæc esse eorum, quæ leguntur tertio Esdræ capite: *Plurimi etiam de Sacerdotibus & Levitis, & Principes patrum, & Seniores, qui viderant Templum prius cum fundatum esset, & hoc Templum in oculis eorum, flebant voce magna.* Multi supererant anno primo Cyri, vetustiores Templi excidio: quidam ex illis ad annum Darii Hystaspidæ secundum protraxerunt vitam, qui annus a primo Cyri decimus octavus fuit. Hæc sibi cohærent, & consentanea sunt. At Scaliger vim affert Aggæi verbis: ipsius tamen expositionem quamlibet violentam si admittamus, at fateri tamen cogetur ex opinione sua consequi, ad centum & quinquaginta annos, eoque amplius, vitam produxisse Jesum Josedeciden, & Zorobabelem; Esdram etiam ad ducentos annos: quod viris sobriis neutiquam persuadebit. Scio aliter istud comma Zachariæ ab aliis exponi, ejusque verisimilem a Petavio interpretationem afferri. Hanc defendant alii, dum meam mihi persequi liceat. Sed hæc obiter, nunc ad rem. Docent libri Aggæi & Esdræ propheticum munus administrasse Aggæum & Zachariam, antequam Templi instaurationi supremam manum imposuissent Zorobabel & Josue Josedecides Pontifex maximus. Unde & consentaneum est quod habet Cyrillus, jam inde a Cyri temporibus vaticinia ipsos edidisse: & fides haberi potest Epiphanio & Dorotheo ψευδωνύμοις *(falso nomine appellatis)* cum Aggæum adhuc juvenem Babylone profectum Hierosolymam venisse, ibidemque mortuum, ac prope Sacerdotum sepulcra humatum fuisse scribunt.

Scalig. l. 6. de emend. temp.

1. Esdr. 3, 2.

Petav. de doctr. temp. l. 12. c. 24.

Agg. 1, 1. 1. Esdr. 5, 2.

Cyrill. l. 1. adv. Julian.

Epiph. & Doroth. de vit. Proph.

Probatur Prophetia Aggæi γνησιότης & antiquitas.

II. Ejus autem Libello luculentum constat testimonium in his libri Esdræ verbis: *Tunc intermissum est opus domus Domini in Jerusalem, & non fiebat usque ad annum secundum regni Darii regis Persarum. Prophetaverunt autem Aggæus Propheta, & Zacharias filius Addo, prophetantes ad Judæos qui erant in Judæa & Jerusalem, in nomine Dei Israel. Tunc surrexerunt Zorobabel filius Salathiel, & Josue filius Josedec, & cœperunt ædificare Templum Dei in Jerusalem, & cum eis Prophetæ Dei adjuvantes eos.* Significantius etiam sequenti capite: *Seniores autem Judæorum ædificabant, & prosperabantur, juxta prophetiam Aggæi Prophetæ, & Zachariæ filii Addo, & ædificaverunt & construxerunt jubente Deo Israel.* Nec de nihilo est quod Sirachides scripsit: *Quomodo amplificemus Zorobabel? nam & ipse quasi signum in dextera manu Israel:* nempe alludebat ad id Aggæi: *In die illa, dicit Dominus exercituum, Assumam te, Zorobabel, fili Salathiel, serve meus, dicit Dominus; & ponam te quasi signaculum, quia te elegi, dicit Dominus exercituum.* Sed & istud ex Epistola ad Ebræos: *Cujus vox movit terram tunc, nunc autem repromittit dicens: Adhuc semel, & ego movebo non solum terram, sed & cœlum;* derivatum est ex his Aggæi: *Quia hæc dicit Dominus exercituum: Adhuc unum modicum est; & ego commovebo cœlum, & terram, & mare, & aridam, & movebo omnes gentes.* Et deinde: *Loquere ad Zorobabel ducem Juda dicens: Ego movebo cœlum pariter & terram.* Præter exiguum illum prædictionum Libellum, huic atque item Zachariæ Psalmum centesimum quadragesimum quintum adscribit Vulgata editio; adscribunt & Interpretes Septuaginta, atque sequentes insuper duos, & centesimum tricesimum octavum. Sed de collectione Psalmorum satis supra egimus.

1. Esdr. 6, 14.

Eccl. 49, 13.

Agg. 2, 24.

Ebr. 12, 26.

Agg. 2, 7. 8. 32.

Refelluntur argumenta adversariorum.

Unicum argumentum.

III. Porro quod inter magnæ Synagogæ συνέδρους *(assessores)* ponerentur ab Ebræis quibusdam, Aggæus, Zacharias, & Malachias, idcirco ex albo Prophetarum ab aliis illorum gregalibus, & Isaaco præfertim Abrabaniele expuncti sunt. Hanc quippe Synagogam Sapientibus, non Prophetis, conflatam fuisse volunt. Hinc & Danielem inter Synagogæ magnæ proceres adscribere volentes, Prophetæ dignitate fraudare conantur. At palam refragatur Maimonides, qui Synagogæ magnæ consessores Prophetas fuisse censet. Refragantur & ipsi Aggæi, Zachariæ, & Esdræ libri, qui hos Prophetæ titulo honestant.

Maimon. More nev. Part. 1. c. 59.

Refra-

Digitized by Google

Eccli. 49, 12. Refragatur & Sirachides Ecclesiastici Auctor, qui cum Duodecim Prophetarum mentionem facit, tribus his postremis, perinde ut aliis, titulum hunc manifesto tribuit. Refragatur & ipsa res, cum futurorum vaticinationes tum ipsorum, tum & Malachiæ scriptis contineantur. Hujus quoque refragatur inscriptio: *Onus verbi Domini ad Israel; in manu Malachiæ:* quo *oneris* vocabulo calamitatum prædictiones a Prophetis editæ affici solent. Itaque ab aliis Rabbinis repudiatur temerarium hoc Abrabanielis dogma: & Auctor Beth Israel Aggæum, Zachariam, & Malachiam fuisse statuit בניאים אחרונים *postremos Prophetas;* & in Avoth R. Nathan eximuntur e Synagogæ magnæ censu, sed Cabalam Synagogæ magnæ tradidisse dicuntur.

Auct. Beth. Mr. ad Bab. buthr. c. 1.

DE PROPHETIA ZACHARIÆ.

I. *Disputatur de Zacharia.* II. *Deque ejus avo Addone,* III. *& patre Barachia.* IV. *Probatur Prophetiæ Zachariæ γνησιότης & antiquitas.*

Disputatur de Zacharia.

I. SEquitur Zacharias, parentum ipse suorum & ætatis index; se quippe Deo afflatum fuisse anno secundo Darii, octavo mense, duobus nempe mensibus post Aggæum, quem mense sexto ejusdem anni vaticinatum esse Scriptura sancta nos docet; filium vero Barachiæ, filii Addo, declarat. Levitica tribu ortum, Sacerdotibus prognatum, & Hierosolymæ sacerdotio functum fuisse produnt Cyrillus & Pseudo-Dorotheus. Jam grandem natu Hierosolymam Babylone reveniſſe, plurimisque prædictionibus ac prodigiis editis utrobique inclaruisse, a supposititio Epiphanio, eodemque ipsius sectatore Dorotheo traditum est. In sepulcro vero ipsius assignando a duce suo discedit Dorotheus. Ille enim prope Aggæum fuisse sepultum narrat, Hierosolymis videlicet, ut diximus: Dorotheus ab Eleutheropoli stadiis quadraginta, in Agro Noeman, cui Bethania, centum ac quinquaginta stadiis Hierosolyma dissito. Verum cum subjiciat hunc fuisse Zachariam Barachiæ filium, cujus meminit Isaias, videtur Zachariam illum cum nostro hoc confudisse; quos tamen diversos fuisse ratio temporum demonstrat, & nos mox ostendemus. Supra notavimus Rabbinorum quorumdam esse sententiam, inter Synagogæ magnæ παρέδρους (*assessores*) lectum eum fuisse, perinde ut Aggæum, cum quo plurima ipsi fuere communia. Ea jam semel observasse satis esto. Nec de ætate, quæ æqualis utrique sub Dario Hystaspida fuit, verbum amplius addam. Tantum Lectorem commonefaciam, valde Cyrillum suam fefellisse memoriam, cum Zachariam Sophoniæ æqualem finxit, quem Josiæ temporibus floruisse nulli dubium est. Sed Sancto ac erudito viro gratificantes credamus potius mendam insedisse ipsius codices, & nomini Aggæi Sophoniæ nomen subrepsisse, ac illud sedibus tandem suis extrusisse.

Agg. 1, 1.

Cyrill. Præf. Comm. in Zachar. Doroth. de vit. Proph. Epiph. de vit. Proph.

II. Nunc vero dubitationibus aliquot occurrere decet, quæ circa Zachariæ parentes oriri possunt. Nam primum videndum est, quid sit, cur cum se dicat *filium Barachiæ, filii Addo,* initio Prophetiæ suæ, in libro tamen Esdræ filius Addo appelletur. Interpretes Septuaginta Zachariam Barachiæ & Addo filium statuunt his verbis: πρὸς Ζαχαρίαν τὸν τοῦ βαραχίου, υἱὸν Ἀδδὼ τὸν προφήτην. Hieronymus quoque in interpretatione sua ad Ebraicum excusa: *Ad Zachariam filium Barachiæ, filium Addo Prophetam;* quam lectionem & in expositione sua sequitur: cum Vulgata tamen habeat, *filii Addo.* Atque hinc quæstionem movet, neque solvit, *cum sit filius Barachiæ, quare dicatur filius Addo.* Existimat Cyrillus natura filium fuisse Barachiæ, institutione vero & imitatione Addonis Prophetæ. At exemplis fidem facere debuerat, quæ nusquam extant. Credibilius esset natura alterius filium fuisse, alterius Lege; altero nimirum sine liberis mortuo, alterum agnatum ad Mosaicæ Legis præscriptum vidua ducta, Zachariam in defuncti agnati nomen & familiam genuisse. Sed malumus in recentiorem Interpretum sententiam concedere, qui Barachiam Zachariæ patrem, Addonem avum ponunt; filium vero Addonis dici apud Esdram, quod generali filiorum nomine nepotes ab Ebræis appellari soleant. Testis unus pro omnibus Matthæus: *Liber generationis Jesu Christi, filii David, filii Abraham.* Ebraicum exemplar libri Zachariæ utramque admittit interpretationem, *Filium Barachiæ, filii Addo; & Filium Barachiæ, filium Addo.*

Deque ejus avo Addone.

1. Esdr. 5, 1.

Cyrill. Præf. Comm. in Zachar.

Matth. 1, 1.

Atque

Atque hinc dubitationis origo. Minime vero ferendus est Hieronymus, cum Addonem hunc Zachariæ avum, eum ipsum esse sine hæsitatione pronuntiat, qui ad Jeroboamum in Bethel sacrificantem missus, futuram aræ demolitionem prædixit. Utcumque enim rationem subduxeris, non efficies, ut avum inter & nepotem intercedere possint quadringenti & quinquaginta anni; quo intervallo Darius Hystaspides Jeroboamo Nabati filio recentior fuit.

& patre Barachiæ.

III. Quærendum præterea, idemne sit Zacharias hic noster Barachiæ filius, an Zacharias alter Barachiæ itidem filius, cujus capite octavo Isaias meminit. Id ne credamus, facit diuturnitas temporis, quæ Achazum regem Juda, ad cujus ætatem pertinet hoc Isaiæ caput, a Dario Hystaspida dirimit: anni enim interjacent plusquam ducenti. Is præterea quem Vulgata Isaiæ editio Barachiæ filium facit, Jebarechiæ filius fuit juxta Ebraicos Codices, בן יברכיהו: cum Propheta noster dicatur בן ברכיה, *filius Barachiæ.* Longe etiam minus credibile est, nostrum hunc Zachariam eum fuisse, quem Joasi regis jussu, in atrio domus Domini lapidibus necatum fuisse Paralipomena narrant: quod tamen Auctor libri de vita & morte Prophetarum; qui Epiphanio adscribitur, affirmasse legitur in Codice Augustano. Nam si Joasi temporibus occubuit, quomodo ad Darii Hystaspidæ tempora potuit pervenire, qui totis trecentis annis recentior fuit? Deinde hic Jojadæ filius fuit, ille Barachiæ. Utrum vero noster ille sit, quem apud Matthæum & Lucam Christus interfectum fuisse dicit inter Templum & aram; an potius Zachariam alium significaverit, qui Joasi regis jussu, ut dixi, in atrio domus Domini lapidibus necatus esse dicitur in Paralipomenis, dijudicare haud ita promtum est. Barachiæ quidem filius est noster, ut ille Christi; inter Templum vero & aram cæsum fuisse scriptores sacri haudquaquam tradunt. Ἀλλὰ καὶ περὶ τοῦ Ζαχαρίου υἱοῦ βαραχίου, inquit Origenes, φονευθέντος μεταξὺ τοῦ ναοῦ καὶ τοῦ θυσιαστηρίου, ἀπὸ μὲν ἰησοῦ μεμαθήκαμεν, ἀπ' ἄλλης δὲ οὐδεμιᾶς ἀλλ' ἢ γραφῆς ἐγνωμεν. *Sed & de Zacharia filio Barachiæ, occiso inter Templum & locum sacrificiorum, a Jesu quidem didicimus, a nulla vero alia Scriptura cognovimus.* Cæsus est ille Paralipomenon in atrio Templi, perinde ut ille Christi; at Barachiæ filius hic fuit, ille Jojadæ. Undique angustiæ. Censuisse nonnullos Prophetam nostrum a Christo fuisse notatum docet Hieronymus, optimus nodi hujus vindex: eosdemque hoc argumento refellit, quod ejus temporibus vix Templi ruinæ superfuerint. In alteram itaque abit sententiam, & Zachariam a Joaso morte affectum, cum esse vult, quem Christus commemoravit: atque hunc in Evangelio, quo utebantur Nazaræi, & cujus exscribendi licentiam sibi factam fuisse ait ab iis qui Beroeam Syriæ incolebant, non Barachiæ, sed Jojadæ filium esse dictum. Duos itaque tantum habemus Zacharias Barachiæ, filios, alterum Isaiæ æquævum, alterum Prophetam unum e Duodecim. Meminit præterea Josephus, in libris de bello Judaico, Zachariæ cujusdam, filii Baruchi, viri itidem pii & sancti, in Templo quoque a Zelotis per invidiam interfecti; atque ita priorem Zachariam Joasi æqualem, ut nomine, sic moribus & vita, ac interitu etiam & mortis causa referentis.

Matth. 23, 25. Luc. 11, 51. Orig. Epist. ad Afric. Hieronym. in Matth. 23. & de Script. Eccl. Joseph. de bell. Judaic. l. 4.

IV. Genuinum autem Zachariæ fœtum esse Prophetiam ipsi adscriptam ostendunt primum Libri ipsius verba, quæ de se Zacharias ipse ἐξ ἰδιοπροσώπου (*ex propria persona*) profert. Puta cum ait: *Factum est verbum Domini ad Zachariam filium Barachiæ, filii Addo, Prophetam, dicens: Vidi per noctem, & ecce vir ascendens super equum rufum, & ipse stabat inter myrteta, quæ erant in profundo; & post eum equi rufi, varii, & albi. Et dixi, Quid isti, Domine mi? Et dixit ad me Angelus, qui loquebatur in me, Ego ostendam tibi quid sint hæc.* Plurima hujusmodi per totum opus sparsa sunt. Hic præterea valere debent testimonia, quæ ad fidem libro Aggæi conciliandam supra adduximus, cum par vaticiniorum utriusque commemoratio iis contineatur. Nobis vero brevitati consulentibus ea iterare nihil attinet. Recitemus potius istud Malachiæ: *Revertimini ad me, & revertar ad vos, dicit Dominus exercituum:* quod prodiisse liquet ex hoc Zachariæ; *Convertimini ad me, ait Dominus exercituum, & convertar ad vos, dicit Dominus exercituum.* Jam vero si ad novum decurramus Testamentum, multa illic e Zacharia arcessita offendemus: hoc præcipue apud Matthæum, *Dicite filiæ Sion, Ecce rex tuus venit tibi mansuetus,*

Probatur Prophetia Zachariæ γνησιότης & antiquitas.

Zach. 1, 7-8.

Mal. 3, 7. Zach. 1, 3.

Matth. 21, 45. Zach. 9, 9.

Digitized by Google

sustus, sedens super asinam, & pullum filium subjugalis: quod & in Evangelium suum
Joh. 12, 15. Johannes transtulit. Et istud etiam: *Et acceperunt triginta argenteos, pretium appretiati, quem appretiaverunt a filiis Israel, & dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi Dominus.* Referuntur hæc quidem
Matth. 7, 9. Zach. 11, 12. apud Matthæum ad Jeremiam, sed id factum videtur oscitantia librariorum. Quanquam alias alii causas afferunt. Proclivem in nominibus propriis esse lapsum sciunt, qui manu scriptos Codices versare solent. Sic apud
Just. Dial. cum Tryph. Justinum Zachariæ tribuuntur ista, quæ Mal. 4, 5. Malachiæ sunt: *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam.* Petitum est indidem hoc Mat-
Matth. 26, 31. Marc. 14, 27. thæi: *Scriptum est enim, percutiam pastorem, & dispergentur oves gregis;* quod & Marcus
Zach. 13, 7. Joh. 19, 37. Zach. 12, 20. repræsentat: & hoc Johannis: *Et iterum alia Scriptura dicit, Videbunt in quem transfixerunt:* ἐνύλεξαν *(verbis ipsis)* vero istud
Eph. 4, 25. Pauli: *Loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo.* Zacharianum est denique illud
Zach. 8, 16. Apoc 1, 17. Zach. 12, 10. Johannis in Apocalypsi: *Ecce venit cum nubibus & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt, & plangent se super eum omnes tribus terræ.* Quam prædictionem jam ante attigerat in Evangelio.

Cæterum quæ supra diximus de Psalmis aliquot Aggæi & Zachariæ nomine inscriptis, cum Aggæi prophetiam expenderemus, atque item argumentum quod adversus Aggæi dignitatem prolatum confutavimus; quoniam ea Aggæo cum Zacharia communia sunt, huc etiam æquo jure pertinento.

DE PROPHETIA MALACHIÆ.

I. *Disputatur de Malachia.* II. *Utrum fuerit Angelus.* III. *Utrum fuerit Esdras.* IV. *Probatur Prophetiæ Malachiæ γνησιότης & antiquitas.*

Disputatur de Malachia.

I. MInorum Prophetarum agmen claudit Malachias, Synagogæ magnæ cum Aggæo & Zacharia a Rabbinis quibusdam adscriptus. Scribit supposititius Epiphanius oriundum eum fuisse tribu Zabulonis, & natum in Sopha, post solutam Captivitatem; sive ut habet Pseudo-Dorotheus, Supha; vel ut alii legunt, Socha, loco tribus ejusdem, ubi & sepultum volunt, cum juvenis obiisset. Tempus quidem quo floruit, ipse non adnotavit: at si verum est, quod scisit Hieronymus, quibus Prophetis temporis nota in titulo præfixa non est, eas hoc tempore fuisse editas, quod proxime præcedentes Prophetiæ adscriptum præferunt, æqualis fuerit Malachias Aggæo & Zachariæ, & Darii Histaspidæ ævo floruerit. Ita sensit ex præscripto suo Hieronymus; ita Eusebius, Theodoretus, & Augustinus; ita Cabalistæ, & Seder Olam, & R. David Ganz. Sed his suppar potius quam æqualis censendus est, si juvenis obiit: nam dici non potest æqualem quidem illis fuisse, sed serius ad futura prænuntianda fuisse a Deo instinctum. Recte id aliquando, quanquam non semper, distinxerunt Clemens Alexandrinus & Hieronymus; distinxit & Cyrillus. Itaque ut recentiorem eum credamus Prophetis reliquis undecim, postulat Libri ipsius locus, qui postremus est; postulat & ratio rerum, cum in Aggæi & Zachariæ libris, tum & in illo Malachiæ traditarum. Illi enim Judæos ad Templum instaurandum impellunt, hic ut in Templo pie ac reverenter se gerant Sacerdotes adhortatur. Illa ergo vaticinia ante restitutionem Templi edita sunt; hoc post Templum reparatum. Audi Malachiam: *Offertis super altare meum panem pollutum, & dicitis, In quo polluimus te? in eo quod dicitis, Mensa Domini despecta est.* Deinde: *Quis est in vobis qui claudat ostia, & incendat altare meum gratuito?* Tum: *Vos polluistis nomen meum in eo quod dicitis, Mensa Domini contaminata est: & quod supponitur contemtibile est, cum igne qui illud devorat.* Quid quod & Esdra ac Nehemia recentiorem ipsum statuit Cyrillus? quod non patitur sane eorum opinio, qui juvenem ipsum fato functum putant, neque optimorum Chronologorum computationes. Mihi quidem fit verisimilius inter instaurationem Templi, quæ sexto Darii Hystaspidæ anno contigit, & Esdræ reditum, qui incidit in septimum Artaxerxis Longimani, Malachiam vaticinium suum edidisse; cum in Canonem sit receptus, quem Synagogæ magnæ jussu ab Esdra concinnatum fuisse Artaxerxis Longimani temporibus paulo post ostendemus.

Hier. Præf. in Duodec. Prophet. & Procem. in Malach.

Euf. Chron. l. 2. Theodor. Procem. in XII. Proph. Aug. l. 18. de civ. Dei c. 36.

Clem. Alex. Strom. 1. Hieronym. Procem. in Malach. Cyrill. Præf. in Malach.

Mal. 1, 7. 10. 12.

II. Tangam obiter & eam quæstionem, inter veteres Christianos controversam, fueritne

Utrum fuerit Angelus.

Digitized by Google

Malachias Angelus extraordinaria legatione a Deo in terras missus, ad emendanda vitia & mentes hominum ad studium veritatis excitandas, quod & de Aggæo creditum diximus. Præcipuus sententiæ hujus auctor & defensor fertur Origenes, eumque hoc nomine in Origenianis nostris non perfunctorie castigavimus; quippe ex perverso προϋπάρξεως *(præexistentiæ)* animarum, & æqualis rerum omnium ratione pollentium naturæ dogmate, incessit illi prava hæc suspicio, Aggæum, Malachiam, Johannem Baptistam quoque, & Melchisedecum, & Prophetas denique omnes, ac viros sanctitate florentes, fuisse Angelos. Quanquam & ante Origenem plerique in eodem errore versati sunt. Nec de Malachia tamen idem sensisse puto Clementem Alexandrinum, quamvis fere eum appellet, τὸν ἐν τοῖς δώδεκα ἄγγελον *(Angelum inter Duodecim)* cum & ipsi suum aliquando Malachiæ nomen tribuat. Angelus quoque a Septuaginta Senibus appellatur in ipso Prophetiæ indice; atqui item aliis. Quicumque autem hoc ipsum titulo decorarunt, non in eodem versatos esse errore credendum est ac Origenem. Tradunt ψευδώνυμοι *(falsa gerentes nomina)* Epiphanius & Dorotheus, sic ipsum vulgo fuisse vocatum, propter morum candorem, benignitatem, pietatem, ac formæ etiam præstantiam, & commendationem oris. Ineptum vero est quod addit Epiphanius, quæcumque prædicebat, eodem die Angelum vulgo aspectabilem iterasse. Isidorus Angeli nomine affectum eum fuisse vult, quod quæcumque loqueretur, haud secus ac Dei ipsius mandata acciperentur. Profecto Sacerdotes, & Prophetæ, & quicumque Dei jussa hominibus significant, merito appellantur Angeli, & ita nonnunquam in Libris sacris nuncupantur: velut apud hunc ipsum Malachiam: *Labia enim Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum est.* Et alibi de Johanne Baptista: *Ecce ego mitto Angelum meum.* Quod & a Maimonide probatum est. At propiorem caussam in Malachiæ nomine reperio; nam, מלאכי, idem sonat ac *Angelus meus*: quam rationem non magis nobis persuadere debere ait Hieronymus, reipsa Angelum fuisse Malachiam, ac nomina Josuæ, & Joelis, & Jonæ; quorum illud *Servatorem* significat, id *Deum meum*, hoc *Columbam*; fidem facere possunt hunc fuisse columbam, istum Deum, illum Servatorem.

Clem. Alex. Strom. & & 3.

Epiphan. & Doroth. de vit. Proph.

Isid. Orig. l. 7. c. 8.

Mal. 2, 7.

Mal. 3, 1. R. Mos. ben. Maim. More nev. Part. 2. c. 42.

Hieronym. Procem. in Malach.

III. Nihilo magis audiendus est Jonathan Chaldæus Paraphrastes, vetustioresque Ebræorum Magistri, cum Malachiam eumdem atque Esdram fuisse docent. Cujus opinionis argumenta hæc affert Hieronymus; quod ætas utriusque conveniat; quod *omnia quæ in libro illius continentur, etiam hic Propheta commemoret*; quod denique cum ait Malachias, *Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum est*, se Esdram esse non obscure declaraverit; Esdram quidem Sacerdotem & Legis instauratorem dicens, se vero Angelum Domini appellans, quod sonat vocabulum, Malachias. Sed hæc diffiare facile est: nam quod tempora congruant, efficitur æquævos esse, non unum & eumdem virum. Falsum est porro eadem libris utriusque contineri. Quibus autem Malachiæ verbis ostendi putant eumdem ipsum esse ac Esdram, ea ad Levi primum, deinde ad universos Sacerdotes pertinere contextus orationis ostendit. Et tamen futilibus his argumentis labefactatus Hieronymi animus, opinationem istam si calculo aperte non comprobavit suo, at certe nec confutavit, pro eo ac debuit. Adde nec Prophetam in sacris Codicibus appellari Esdram, sed Sacerdotem & Scribam; cum decuisset tamen nobiliore eum titulo insigniri. Itaque senior Christianorum Patrum ac Interpretum pars commentum hoc repudiavit.

Veterum sententia Esdræ.

Hieron. Procem. in Mal.

Mal. 2, 7.

Hieron. Procem. in Mal.

IV. Ad propugnandam Libri hujus γνησιότητα & antiquitatem vix ullis ex Veteri testamento juvamur subsidiis, propter exiguitatem operis, & auctoris novitatem. Unicum se dat illud testimonium, quod ex Ecclesiastico Sirachidæ supra attulimus, quo generatim atque universe Duodecim Prophetarum, inter quos postremus hic est, fit mentio. Sed multorum instar unum hoc esse potest. At in novi Instrumenti scriptoribus Malachiæ auctoritas crebrius usurpatur. Matthæus quippe, Marcus, & Lucas, in testimonium citant hæc ipsius verba: *Ecce ego mittam Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam.* Scripsit Malachias: *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus & horribilis,*

Probatur Prophetia Malachiæ γνησιότης & antiquitas.

Matt. 11, 10. Marc. 1, 2. Luc. 7, 27.

Mal. 3, 1. Mal. 4, 5.

Digitized by Google

convertet cor patrum ad filios: id significabant Christi Discipuli, cum dicerent apud Matthæum & Marcum: *Quid ergo Scribæ dicunt, quod Eliam primum oportet venire?* significabat & Angelus, cum de Johanne Baptista Zachariæ patri hæc præmandaret apud Lucam: *Ipse præcedet in virtute Eliæ, ut convertat corda patrum in filios.* Malachiam quoque spectabat Paulus cum diceret: *Scriptum est, Jacob dilexi, Esau autem odio habui*: hæc quippe κυτολεξὶ (*ipsis verbis*) Malachiæ sunt.

Matth. 17. Marc. 9. Luc. 1. Rom. 9. Mal. 1.

Nihil hic me movent Rabbini quidam, qui quodam in Synagogam magnam allectum fuisse Malachiam nonnullis fuerit persuasum, causamque inde habuerunt, cur ei Prophetæ dignitatem detraherent; hos quippe refelli jam supra, cum de Aggæi Prophetia disputarem.

DE LIBRIS MACHABÆORUM.

AC PRIMUM DE PRIORE.

I. *Disputatur de priore Machabaico.* II. *Probatur prioris Machabaici γνησιότης & antiquitas.*

Disputatur de priore Machabaico.

I. TAntam nominis claritatem præclaris rebus gestis adepti sunt Asamonæi, ut eorum memoriam propagandam Judæi merito censuerint; quo posteri ad religionem conservandam, & tuendam libertatem, majorum exemplis incitarentur. Itaque sive privatorum aliquorum hominum studio & industria, sive, quod potius crediderim, auctoritate publica factum est, ut in literas Machabaica historia referretur, suppeditatis ad id, ut satis Libri ipsius primi finis indicat, publicis Commentariis, quos diligenter ab ea gente confieri solitos fuisse supra notavimus. Atque id quidem non multo post res gestas factum fuisse probabile est: quippe styli ipsius character vetustatem indicat, & ad priscorum exemplarium formam opus compositum est. Ac primum descriptum est Ebraica lingua, sive potius Syriaca, seu Hierosolymitana, ea nempe quæ hoc tempore inter Judæos patrium solum incolentes jam inde a soluta Babylonica captivitate usurpabatur. Ergo hæc historia continebatur priore Machabæorum libro, qui diu Ebraicis descriptus literis superfuit, quemque se vidisse testatur Hieronymus. Hinc Græca prodiit interpretatio qua fruimur; hinc & Latina quæ ad hanc diem extat: quippe Ebraismis utraque adeo oblita est, ut Ebraicam prorsus originem sapiat. Hæc vero, Latinam dico, an ex Ebraico exemplari proxime petita sit, an per Græcæ interpretationis fistulas derivata fuerit, incertum est. Titulum Libri Origenes indicat hunc fuisse σκηπτὸν σκηπτανὶ ἔλ. Hoc est, uti alibi exposuimus, שרביש סרבני אל, *sceptrum rebellium Dei*; vel si secundam dictionem disjungas, atque ita scribas, שרביש שר בני אל *Sceptrum principis filiorum Dei*. Atque id lemma libro Machabæorum priori, Ebraicum Ebraico præfixum primo fuit. Deinde vero cum Libro priori alter, & in aliquibus etiam Codicibus tertius quoque adjungeretur, omnes communem hanc appellationem tulerunt: quemadmodum libri Esdræ titulum sequens Nehemiæ liber participavit. Causa itaque non est, cur tantopere miretur Scaliger sub Ebraicum titulum librum Græcum venisse, nec cur Origeni Judæos imposuisse usque adeo asseveranter affirmet. Ignoratur Libri hujus prioris Auctor, quem tamen conjectando quidam assequi tentarunt. Sunt qui Johannem Hyrcanum fuisse putent, Simonis filium, quem diuturno potitum imperio ac Pontificatu, & futurorum quoque præscium fuisse narrat Josephus: quod & tuto credi, & sine periculo negari potest.

Hier. Præf. Galeat. Scal. Animadv. in Euseb.

Joseph. Antiqu. l. 13. c. 18.

Probatur prioris Machabaici γνησιότης & antiquitas.

II. Quamvis autem ad probandam Libri hujus γνησιότητα vix quicquam nobis Libri sacri præstent opis, reliqui etiam oppido pauca, quod in Canonem Ebræorum nunquam, in illum Christianorum sero sit admissus; satis clara tamen ad ejus agnoscendam antiquitatem supersunt vestigia, si quis animum adhibeat minime refractarium ac pertinacem, sed studiosum veritatis, qualem initio operis hujus desideravimus. Primum autem non una res est, quamobrem ex priore Machabaico in secundum multa transiisse suspicemur. Nam cum ex variis libris hinc inde compilatus sit secundus, ut ex capite secundo liquet; ad Ægyptios autem Hellenistas, inter quos prodiit, Hierosolymitani Judæi multa ex suis tabulariis deprompta transmiserint veteris memoriæ instrumenta, ut ostendit idem caput, atque item primum, dubitari vix potest, quin Machabaicam

Digitized by Google

quoque ipſis hiſtoriam imperiverint. Inde adeo non res ſolum eædem in utroque referuntur, ſed ſententiæ etiam aliquot occurrunt utrobique conſimiles. Nam quod his verbis expreſſerat Machabaicus prior: *Et ædificaverunt gymnaſium in Jeroſolymis ſecundum leges nationum & fecerunt ſibi præputia, & receſſerunt a teſtamento ſancto, & juncti ſunt nationibus, & venundati ſunt ut facerent malum:* id ſic alter retulit: *Etenim auſus eſt ſub ipſa arce gymnaſium conſtituere, & optimos quosque Epheborum in lupanaribus ponere.* Scripſerat prior: *Quicumque non feciſſent ſecundum verbum regis Antiochi, morerentur. Secundum omnia verba hæc ſcripſit omni regno ſuo, & præpoſuit principes populo, qui hæc fieri cogerent:* ſcripſit alter: *Decretum autem exiit in proximas gentilium civitates ſuggerentibus Ptolemæis, ut pari modo & ipſi adverſus Judæos agerent, ut ſacrificarent: eos autem qui nollent tranſire ad inſtituta gentium, interficerent.* Illic Judas Machabæus adverſus Nicanorem præliaturus ait: *Qui miſſi erant a rege Senacherib, Domine, quia blaſphemaverunt te, exiit Angelus, & percuſſit ex eis centum octoginta quinque millia:* iſtic vero: *Admonuit eos & de auxiliis Dei quæ facta ſunt erga parentes, & quod ſub Sennacherib centum octoginta quinque millia perierunt.* Nicanoris interitus, capitis ejus dextræque exectio, atque eorum contra Templum Hieroſolymitanum in ſublimi loco collocatio, & inſtituta victoriæ ab eo reportatæ anniverſaria celebritas, paribus fere verbis ab utroque recitantur. Plura non proferam, cum Librorum germanitas ex inſtituto ab aliis paralleliſmo præclare intelligatur. Ex his ſequitur ferri eorum non poſſe ſententiam, qui Theodotionem primum Libri hujus interpretem Græcum ponunt. Adde probabile haudquaquam videri, tamdiu paſſos fuiſſe Helleniſtas Judæos decora ſuæ gentis, & eximia Dei adverſum ſuos beneficia a popularibus ſuis ignorari. Jam ſi diſcedamus a ſacris Codicibus, Joſephum ita ſe ad prioris Machabaici affectationem compoſuiſſe reperiemus, ut totum in Archæologiam ſuam transtulerit. Id ultro fatentur Rabbini. Judæos a ſuperſtitioſo Sabbathorum cultu Tertullianus revocat exemplo Machabæorum, qui commiſſis Sabbathi die præliis patriam liberarunt. Meminit etiam hujus Origenes, ut dixi; & anteſſita ex eo teſtimonia uſurpat non ſemel Cyprianus.

1. Mach. 1. 15.
2. Mach. 4. 12.
2. Mach. 1. 52.
2. Mach. 6. 8.
1. Mach. 7. 42.
2. Mach. 8. 19.

DE LIBRO SECUNDO MACHABÆORUM.

I. *Variis conſtat partibus hinc inde collectis & conſutis ſecundus Machabaicus.* II. *Diſputatur de Auctore Libri hujus.* III. *Probatur Machabaici ſecundi γνησιότης & antiquitas.*

I. MUltis partibus conflatum eſſe Machabaicum ſecundum liquet. Nam primum ad Libri frontem præfixæ ſunt Epiſtolæ duæ; prior populi Hieroſolymitani ac Judaici ad Helleniſtas Ægyptienſes, quæ in nono verſu primi capitis deſinit: altera populi ejusdem, Senatus, & Judæ ad Ariſtobulum & eosdem Ægyptienſes Judæos. Hæc eos ad celebrandum diem ignis; iſta ad diem Scenopegiæ menſis Casleu, ſive Encæniorum feſto ritu traducendum hortatur. Quæ quoniam res Machabaicis geſtas temporibus continebant, & Machabaici erant argumenti, in hoc Machabaicum volumen merito relatæ ſunt. Subjecta eſt deinde Jaſonis Cyrenæi hiſtoriæ epitome. Quid ea hiſtoria contineretur, tradit ipſe Epitomes Auctor: *De Juda Machabæo, & fratribus ejus, & de Templi magni purificatione, & de ara dedicatione, & de præliis quæ pertinent ad Antiochum Nobilem, & filium ejus Eupatorem, ab Jaſone Cyreneo quinque libris comprehenſa, tentavimus nos unum volumine breviare.* Extrivi voculam, *itemque*, in editione Vulgata his dictionibus præfixam, *ab Jaſone Cyreneo*, unde imprudens aliquis alia ab Jaſone deſumta ſuſpicari poſſet, quam quæ ſupra memorantur; nam vocem illam Græcum exemplar non agnoſcit. Quæcunque præterea Machabaicus ille ſecundus continet, haudquaquam Jaſon ille ſuppeditavit: puta caput tertium & initium quarti, quæ res ſub Seleuco geſtas referunt; item poſtrema duo, quæ ad Demetrii Soteris tempora pertinent. Notandus interim obiter Blondellus, qui ignorari ait qua lingua hiſtoriam ſuam ediderit Jaſon Cyrenæus; cum clariſſima ratio ſuadeat, ea uſum eſſe lingua, qua Callimachus itidem Cyrenæus poematia ſua ſcripſit, Græca nimirum, quæ inter Cyrenæos Græcæ originis homines uſurpabatur. Eadem quoque in multis

Varie conflat partibus hinc inde collectis & conſutis ſecundus Machabaicus.

1. Mach. 2. 20.

Blond. de Sibyll. libr. 2. c. 24.

Digitized by Google

multis Ægypti partibus, ac maritimis præsertim obtinebat, maxime vero Alexandriæ. Itaque harum regionum incolæ Judæi Græco sermone vulgo loquebantur, & Libros sacros Græce scriptos in Synagogis prælegebant; Ebraicæ vero linguæ fere rudes erant & insciі. Quapropter Helleniſtæ dicti sunt, quod cum Judaicæ essent originis, Græca loquela uterentur. Ex pluribus ergo libris excerptum esse Machabaicum secundum satis ista indicant: *Considerantes enim multitudinem librorum, & difficultatem volentibus aggredi narrationes historiarum, propter multitudinem rerum, curavimus volentibus quidem legere, ut esset animi oblectatio; studiosis vero, ut facilius possint memoriæ commendare.* Tum deinde: *Libenter laborem sustinemus, veritatem quidem de singulis auctoribus contendentes, ipsi autem secundum datam formam brevitati studentes.* Ipsa præfatio in fine secundi capitis posita, ad sequentia viam muniens, non aliunde petita est, sed e Scriptoris Machabaici penu depromta. Valde porro credibile est ad id consarcinandum opus, inter reliquas scriptiones, priore Machabaico usum quoque fuisse, uti ostendimus supra, aliisque memoriis ex Hierosolymitano tabulario desumtis. Id ut significaret, eam, quam dixi, Hierosolymitanorum epistolam quasi dedita opera repræsentavit, in qua hæc habentur: *Judas ea quæ deciderant per bellum quod nobis acciderat, congregavit omnia, & sunt apud nos. Si ergo desideratis hæc, mittite qui perferant vobis.* Itaque ne prælaro hoc patriæ fortitudinis, & divinæ erga gentem suam benignitatis monumento carerent Helleniſtæ Ægyptienses, quemadmodum reliquos Codices sacros Ebraico sermone descriptos Græce redditos habebant, ita Machabaicorum quoque gestorum historiam literis Græcis, quibus utebantur, complexi sunt; exemplar Ebraicum ita affectati, ut alios quoque ejusdem argumenti libros adhiberent. Ex ipsa sane phrasi Græce lucubratum esse vere dixit Hieronymus. Oratio operosa affectata, præceptis abundans & sententiis, rhetoricis pigmentis fucata. Quidam non satis caute distinctis variis Libri hujus partibus, cum Librum ab Hierosolymitanorum Epistola inchoatum esse perspexissent, nec bene observassent Epistolæ hujus clausulam, reliqua cohærere, totumque Librum Epistolam unam esse crediderunt. Fuit in ea sententia Genebrardus; fuerunt & alii, cum recentiores, tum antiqui. Vetustam σημείωσιν (*notationem*) profert doctissimus Cotelerius, quæ Machabaicum secundum epistolæ formam habere definit. Eamdem ob caussam ab Hierosolymitanis scriptum esse Rabanus Maurus opinatus est; sed numero singulari Auctor de se ipse loquens in postremis Libri versibus deprehenditur, ut recte notatum est a Serario; & duæ sunt Epistolæ; & secunda in decimo nono capitis secundi versu clauditur.

II. At quis ea in librum unum compegerit, itidem ut prioris Machabaici Auctor, prorsus ignoratur, Philoni Judæo lucubrationem adscribit Honorius Augustodunensis, Josepho alii. At stili character a Philonis stilo discrepat, etsi disertus est; nec in Philonis scriptionibus occurrit quicquam, unde non modo fœtum ipsius hunc esse, sed vel visum ipsi conjectare liceat: quod esset sane aliter, si Libri auctor extitisset. Josepho autem cur sit adscriptus, caussa manifesta est. Scripsit is elegantem librum hoc titulo: περὶ αὐτοκράτορος λογισμοῦ. *De Machabæis, sive, de imperio rationis,* quo Eleazari, septemque puerorum, ac piissimæ matris supplicia narrantur. Hinc Hieronymus: *Josephus Machabæorum scriptor historiæ, frangi & regi posse dixit perturbationes animi, non eradicari.* Idem alibi quoque apud eumdem reperias, sed & apud Eusebium. Fraudi hæc fuerunt vel imperitis, vel incautis lectoribus, qui expressum ex Machabaico secundo Libellum, cum Machabaico ipso secundo confuderunt. Adde & nonnulla haberi in Archæologia Josephi, quæ cum Libro illo non satis consentiant. At Serarius Judæ cujusdam Essæi opus hoc esse opinatur; quam opinionem his rationibus fulcit. Judæ primum id adscribi vult his verbis secundi capitis: *Judas ea quæ deciderant per bellum quod nobis acciderat, congregavit omnia, & sunt apud nos.* Tum deinde disquirens, quisnam fuerit ille Judas, eo tandem delabitur, ut conjecturas suas in Juda Essæo sistat, quod magna ejus fuerit inter Ægyptios Judæos auctoritas, & quod vaticinandi etiam facultate floruerit, ut ex Josepho discimus. Nec alium esse putat quam qui huic ipsi Epistolæ scribendæ affuit, & in inscriptione nominatur. Atque

Disputatur de Auctore libri hujus.

hujus demum sententiæ auctorem laudat Rupertum. Ego contra hoc loco quem designat in secundo capite, minime adscribi puto Judæ isti Machabaici secundi lucubrationem. Judam ait res per bellorum motus dissipatas recollegisse; quod de Bibliotheca accipiendum ostendit antecedens comma. At aliud est colligere libros, aliud scribere. Præterea demus Judam libros scripsisse, non ideo Machabaicum hunc scripserit. Nego etiam Judam Essæum hunc fuisse, qui etsi summa inter suos dignitate ac futurorum præcognitione, non ideo scribendi quoque facultate præstiterit. Nego denique eumdem esse Judam illum, quem Machabæum esse verisimile est, ac qui in Epistolæ lemmate ponitur. Hanc ergo opinionem tam infirmis nixam radicibus corruere necesse est. Verum cum longe operosius sit reperire verum, quam falsum refellere; quis non fuerit hujus scriptionis Auctor ostendisse contenti, quis fuerit tandem, eruditioribus aut felicioribus investigandum relinquemus.

Probatur Machabaici secundi γνησιότης & antiquitas.

III. Nunc quod instat agendum, & sua γνησιότης ac antiquitas Libro huic inter Codices sacros postremo asserenda est. Opem ad id nobis præstat Epistola ad Ebræos, cujus hæc verba: *Alii autem distenti sunt, non suscipientes redemtionem, ut meliorem invenirent resurrectionem*, Theodoretus aliique eruditi viri complures, ex Eleazari & septem fratrum historia, sexto & septimo capitibus scripta, petita censuere. Nam quod habet scriptor Machabaicus: ἐνθουσιάσας ἐπὶ τὸ τύμπανον προῆγε *Sponte ad tympani supplicium præibat*, sic reddidit Paulus: ἄλλοι δὲ ἐτυμπανίσθησαν. *Alii Tympani supplicio sunt affecti.* Hinc quoque instructus ad egregiam ejusdem casus narrationem conscribendam videtur Josephus accessisse; vel quisquis auctor est libelli περὶ αὐτοκράτορος λογισμοῦ, *(de imperio rationis)* scriptor certe antiquus. Apertisme vero meminit Clemens Alexandrinus τῇ συνταξαμένῳ τὴν τῶν μακκαβαϊκῶν ἐπιτομήν. *Ejus qui composuit Machabaicorum epitomen.* Apertius etiam Origenes Machabaicum utrumque post Librorum sacrorum recensionem commemorat, grandemque ex secundo hoc laciniam suis in Exodum Exegeticis assuit, atque alibi sæpe ejus testimonio sententias suas confirmat. Ejus quoque suffragio crebro se tuetur Cyprianus. His subjungere Zenonem Veronensem, Ambrosium, aliorumque deinceps agmina tota, sed acquiescamus in Canonibus Apostolorum, apocryphis, ut voles, antiquis certe, qui Machabaicos tres agnoscunt; & in Thalmudicis scriptoribus, a quibus septem fratrum historia celebratur.

Ebr. 11. 35.

2. Mach. 6. 19.

Clem. Al. Strom. 5.

Can. Ap. 76

De Comparatione Testimoniorum, quæ ad Librorum Sacrorum probandam γνησιότητα & antiquitatem tota hac propositione ex his depromuntur.

I. *Refelluntur argumenta Adversariorum. Primum argumentum.* II. *Secundum argumentum.*

Refelluntur argumenta Adversariorum. Primum argumentum.

I. NUnc antequam tollamus manum ex hac tabula, occurrendum est expostulationi cuidam, supra a nobis leviter jam delibatæ, hominum pertinacium, quos tamen ab his disputationibus operis initio arcebamus. Queri enim possunt intutam esse, & malefidam viam, quam ad sacrorum voluminum γνησιότητα & antiquitatem demonstrandam sumus ingressi. Nam cum ad id recentiorum Scriptorum testimonia protulerimus, tanquam depromta ex eorum libris, quos antiquiores probare volebamus, id nobis ut probatum sumsisse, quod in quæstione positum erat; tam fieri quippe potuisse, ut quos antiquiores credidimus, ii e contrario testimonia a nobis prolata excerpserint ex iis, quos finximus recentiores; vel utrosque fortasse eadem excerpsisse testimonia ex priscis aliquibus Scriptoribus, quorum lucubrationes diuturnitate temporis consumtæ sint. Huic quærelæ primum obnoxios non esse scriptores ajo, quorum nomina ac scripta in aliis memorantur. Exempli caussa, quod Jeremianæ Prophetiæ nominatim meminerit Daniel, jure possum colligere vetustiorem Daniele fuisse Prophetiam Jeremiæ. Atqui complures e Scriptionibus sacris in hac classe ponendæ sunt. Ajo præterea, etiamsi id ita esse concedamus, ut volunt Adversarii, vix nobis inde deperire quicquam, vix illos quicquam inde lucrari: nam dum antiquitatem detrahunt uni, alteri adstruunt: utrumlibet enim priorem ponant, hujus certe probata fuerit antiquitas. Velut cum dixit Origenes in Epistola ad Africanum, totam pericopen ex Isaia Michæam transtulisse; si ex Michæa translatum id potius

potius dicere audeant Adversarii, hoc ipso
Isa. 22. & seqq. Mich. 4, 1. & seqq. Michææ Prophetiam Isaiæ Prophetia antiquiorem cogentur agnoscere. Atque ita Michææ antiquitatem & γνησιότητα satis comprobatam habebimus. Sin & Isaiam & Michæam ex vetustiore aliquo Propheta hæc hausisse contendant, utris potius habenda fides est, an his nullo argumento, sola pertinacia pugnantibus, neque ullum commentitiæ quam afferunt originis propheticarum sententiarum indicium, notamve dantibus; an nobis res liquidas clarissimaque testimonia proponentibus? Arbitretur prudens & æquus Lector, & sententiam ferat. Deinde si id quod volunt obtinent Adversarii, & quas scriptiones antiquiores posuimus, recentiores esse fateamur iis quas diximus posteriores, tum illidentur Chronologiæ & Historiæ scopulis, quæ has rerum & temporum perturbationes vindicabunt. Ad hæc recordari debemus Librorum fere omnium Veteris Testamenti γνησιότητα generatim nos probasse initio Propositionis hujus, iis argumentis, quæ nullis Adversariorum responsionibus eludi queant. Totam itaque volumus rationum quas adhibuimus molem spectari, quæ est hujusmodi, ut cavillationes omnes facile contemnat.

Secundum argumentum. II. Objici potest præterea Libros sacros a Spiritu sancto Prophetis esse dictatos, & verba Prophetarum verba esse Spiritus sancti, non ex aliorum depromta libris, sed ab eodem profecta Spiritu, qui a diversis Prophetis res easdem denuntiari hominibus voluerit; ac idcirco temere nos facere, qui vetustiorum Prophetarum testimonia a novitiis usurpata statuamus. Jampridem hoc ipsum
Hist. in Ep. ad Origen. Orig. Epist. ad Afric. apud Origenem jactavit Africanus, velut arbitratus Prophetarum, Spiritus sancti nuntiorum ac præconum; dignitati parum convenire, alienis dictis & sententiis uti. Quam perversam ei opinionem exemit Origenes, testimoniis ipsis Prophetarum in medium prolatis, quæ palam extant in antiquioribus: ac imprimis celebri illo, quod Michæas
Isa. 2, 3. 4. Mich. 4, 1. & seqq. ex Isaiæ secundo capite in quartum suum transtulit. Fateor equidem vaticinia Prophetarum Dei oraculo esse edita; at Spiritum sanctum ajo afflatus suos ad ingenium Prophetarum & hominum mores tempe-
1. Cor. 12, 4. & seqq. rasse: *Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus*, inquit Paulus: *& divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus; & divisiones operationum sunt, idem vero Deus qui operatur omnia in omnibus.* Optime Maimonides in eximio opere More Nevochim: *Scito unumquemque Prophetam peculiare quid habere; & ea lingua, eaque loquendi ratione, quæ ipsi est familiaris & consueta, impelli a Prophetia sua ad loquendum et qui intelligit ipsum.* Isaiam & Amosum idem afflavit Spiritus; disertus tamen est Isaias, rudis & inconcinnus Amosus: quemadmodum flatus uno ore emissus pro calamorum varietate varios sonos edit e fistula. Alioquin unus esset Scriptorum omnium sacrorum character, stilus unus, eadem oratio; quam tamen diversam esse observamus. Ergo afflatus ac inspiratæ ipsæ res, Spiritus sancti sunt; sermo ac verba, sunt Prophetarum, sic tamen inspirante & incitante Spiritu sancto loquentium: quæ verba proinde ab aliis sumere, & in proprios usus convertere potuerunt. Atque ea non a Scriptoribus solum sacris, sed & ab Ethnicis nonnumquam mutuati sunt; uti fecit Paulus, cum Arati, & Epimenidis sententias ac verba protulit. Verba hæc fuisse Spiritus sancti, nemo dixerit: ut a Paulo autem citarentur, Spiritus sancti instinctu factum est. At vetustiorum Auctorum sacrorum verba a recentioribus Auctoribus sacris recitata, & ut primum ederentur a vetustioribus, & ut deinde a recentioribus citarentur, Spiritus sanctus auctoritate & impulsu suo perfecit: fuerunt nihilominus Prophetarum verba, sed movente & instigante Spiritu sancto prolata.

More nev. Part. 2. c. 29

Act. 17, 28. Tit. 1, 12.

DE CANONE LIBRORUM SACRORUM.

I. *Disputatur de Auctore & ætate Canonis Librorum sacrorum. Variæ opiniones proponuntur.* II. *Unicus ante Christum editus fuisse videtur Canon, ab Esdra compositus, & Synagogæ magnæ auctoritate comprobatus.* III. *Disputatur de Synagoga magna.* IV. *Probatur nostra sententia veterum Scriptorum auctoritate;* V. *deinde argumentis.* VI. *Disputatur utrum inscriptiones libris Prophetarum præfixæ, a Synagoga magna, an a Prophetis ipsis additæ sint.* VII. *Nehemias & Judas Machabæus Canonem recognoverunt & confirmarunt, novum*

Digitized by Google

vum vero Ecclesia Christi edidit. VIII. *Disputatur de Arca in qua reconditi fuisse feruntur Libri Canonici.* IX. *Refelluntur argumenta Adversariorum. Primum argumentum.* X. *Secundum argumentum.* XI. *Tertium argumentum.* XII. *Quartum argumentum.* XIII. *Quintum argumentum.*

Disputatur de Auctore & ætate Canonis Librorum sacrorum. Varia opiniones proponuntur.

I. SUperiores omnes, quibus Librorum sacrorum γνησιότητα probare conati sumus, disputationes, una de eorumdem Canone disputatione continentur. Canonem dico, Librorum sacrorum collectionem ac catalogum, legitimo Synagogæ, vel Ecclesiæ consensu determinatum ac comprobatum. Caussa nominis hæc est. Canon regulam primario significat; deinde ea etiam quæ accedunt ad formam regulæ, ut virgulas, palos, pilas, columnas; tum etiam tabellas, ligna nempe levia & oblonga. Et quoniam tabellis hujusmodi ea inscribebantur, quæ ad omnium notitiam venire debebant, propterea que publice erant proponenda, Canonis nomen ad res Canoni inscriptas transiit. Hinc Canones Mathematici, & Chronici, Chronologis & Mathematicis propositi: hinc & decreta Conciliorum Canonum nomine affecta sunt: item indices & catalogi corporatorum ejusdem societatis tabellis inscripti & palam propositi sodalibus, ut sibi inter se cogniti sint; inde nomen Canonicorum: indices quoque omnes, quos vulgo legi & cognosci interest, velut nominum Sanctorum, quorum commemoratio fieri debebat in Ecclesiis. Jam liquet ex his ratio nominis hujus sacrorum Librorum indici tributi: quod nempe tabellæ inscriptus, & Ecclesiæ palam sit propositus. Qui aliam quærunt vocabuli originem, abutuntur operam. Quod si Canonem hunc Esdræ temporibus conditum fuisse demonstravero, libros omnes in eum collatos Esdra vetustiores esse necesse est, quod ad præsens institutum est satis. Plurimum ergo refert hujus Canonis ætatem scrutari, quod pro rei momento ac dignitate satis accurate a nemine factum adhuc reperio. De Canone enim differunt omnes, hosque vel illos libros κεκανονισμένους, *(in Canonem receptos)* vel ἀκανονίστους *(in Canonem non receptos)* fuisse affirmant, huncque vel illum Canonis conditorem fuisse ajunt; qui vero legitimis id argumentationibus probaverit, quod equidem sciam, nemo homo est. Nos huic quæstioni, cum utili per se, tum ad propositum opus valde opportunæ paucis satisfaciemus. Ac non una primum de eo sententia est. Plures quidem Canonis auctorem Esdram agnoscunt, eum qui Librorum sacrorum instaurator & reparator habitus est. Synodo magnæ adscribit Genebrardus, quam Quintam appellat, cuique Esdram interfuisse ait, at præter Esdrinum hunc Canonem, alios inducit duos, alterum ab Hierosolymitana Synodo Sexta conflatum, quam de sacris Codicibus ad Ptolemæum Philadelphum mittendis, & Septuaginta Interpretibus Græce eos reddituris coactam fuisse vult: in eum autem Canonem conjectos esse docet Libros sacros, qui post Quintam Synodum prodierant, puta Tobiæ ac Judith; Ecclesiasticum item & Sapientiam, quos per utriusque Synodi intervallum editos censet. Tertium demum Canonem existimat fuisse conditum in Septima Synodo, quam coiisse arbitratur ad probandos Pharisæos, quorum duces Sammai & Hillel; damnandos vero Sadoc & Barjethos, Sadducæorum antesignanos. Hujus porro Synodi decreto scribit fuisse confirmatam librorum Tobiæ & Judith, aliorumque auctoritatem, qui in antecedente Synodo fuerant cooptati in Canonem, in eumque tum primum adscriptos libros Machabæorum. Serarius, aliique literati viri geminum tantum Canonem admittunt priorem Esdrinum, in Synodo magna confectum; recentiorem alterum, in quem dedicati fuerint Libri reliqui, quos prior non continebat. Disputator vero Theologo-Politicus pro more suo παραδοξολογῶν (*paradoxa pronuntians*) nullum sacrorum Librorum Canonem ante Machabæorum tempora concinnatum fuisse asseverat; cum ejus, qui Esdræ tribuitur, libri aliquot Machabaico ævo haudquaquam vetustiores sint.

Genebr. Chronol.

Tract. Th. c. 10.

II. His diligenter pensitatis sententiis, verisimillimum mihi visum est unicum ante Christum editum fuisse Canonem, ab ea nempe Synagoga, quæ Magna appellata est; cum in libris colligendis, digerendis, & adornandis primas partes ageret Esdras, vir patriæ antiquitatis, Ebraicorum rituum, sacrarumque literarum longe peritissimus: γραμματεὺς,

Unicus ante Christum editus fuisse videtur Canon, ab Esdra compositus, & Synagoga magnæ auctoritate comprobatus.

1. Esdr. 7, 6. 11. 12.

Digitized by Google

γραμματεὺς ἐν νόμοις θεοῦ διδάσκαλος ἐπιφανής. *Scriba, & legum ſacrarum inſignis magiſter*, ut eum appellat Euſebius in Chronico; &, ut Esdræ ipſius verbis utar, *Scriba velox in lege Moyſi. Scriba eruditus in ſermonibus & præceptis Domini, & ceremoniis ejus in Iſrael*: & ut in Epiſtola compellatur ab Artaxerxe: *Scriba legis Dei cœli doctiſſimus*. Cum itaque doctrina, & priſcorum Codicum uſu ac tractatione æqualibus ſuis antecelleret, dubium non eſt quin Librorum ſacrorum conquirendorum, excutiendorum, ac dijudicandorum provinciam ei demandaverit Synagoga Magna Judæorum; ſed ita tamen ut ipſe de rebus a ſe mature expenſis ad illam referret, quæ eas demum ſupremo arbitrio determinaret ac componeret.

Diſputatur de Synagoga Magna.

III. Sciendum quippe eſt captivitate Babylonica ſolutos Judæos, & patriis laribus redonatos, cum de cultu Dei inſtaurando, & divinis ac humanis legibus reſtituendis cogitarent, viros gentis ſuæ ſapientia & eruditione florentiſſimos diverſis temporibus iis negotiis adminiſtrandis præfeciſſe; Zorobabelem in his, Mardochæum, Joſuam Joſedeciden; Aggæum quoque, Zachariam, & Malachiam. Prophetas iſtos ex hac ſerie expungunt alii, qui hunc cœtum, ut dixi, Sapientibus, non Prophetis, conſtitiſſe volunt. Unde & Danieli dignitatem Prophetæ detrahunt, ut eum inter Synagogæ Magnæ confeſſores collocent. Certe eum, & Ananiam, & Azariam, & Miſaelem ſuperioribus adjungit Maimonides in Jad Chazacah, ſed contradicente Abrabaniele: & de Daniele quidem falſum eſſe ſupra nos oſtendimus. Vocabantur illi ראשי הגולה. *Principes captivitatis*, & numero fuiſſe dicuntur centum ac viginti. Duodecim tantum ponit, ac nominatim etiam recenſet Abrabaniel in Præfatione ad מחלת אבות. An ex 12 factum 120, an ex 120 factum 12? proclivi ſane lapſu in numeris noſtratibus, unde error fortaſſe ad Rabbinos propagatus eſt. Cur autem Synagoga Magna כנסת גדולה dicatur a Judæis, diſcimus ex Tractatu Megillah, capite tertio, in Gemara; nempe quod majeſtatem in priſtinum ſtatum reſtituerit, non addito tantum ad reliquos Dei titulos titulo גדול, in oratione quadam, ut ibidem habet Gemara; ſed etiam quod totam Scripturam ſacram curis ſuis reparaverit. Ejus initia ad Darium Hyſtaſpiden probabiliter Rabbini referunt, cum nondum Babylone rediiſſet Esdras, ut quo tempore reficiebatur Templum, ejus quoque concelebrandi leges renovarentur. In eumdem porro cœtum alii ſubinde ingenio prædiți ac virtute ſunt cooptati: velut Esdras, poſtquam Babylone reverſus eſt. Quamobrem aliis porro, aliisque aſcitis, & in decedentium locum junioribus ſuffectis, diuturna fuit hæc Synagoga, & per multos annos perſeveravit. Nam & ex ea fuit Nehemias, qui ad Darii usque Codomanni & Alexandri tempora vitam prorogavit, & Simon cognomento Juſtus, qui Seleuci Nicanoris ævo ſummum Pontificatum tenuit, quemque poſtremum ex hoc conſeſſu ſuperfuiſſe narratur in Miſna Thalmudica. At hanc ſententiam plerique nobis præiverunt Rabbini; aliis licet diſſentientibus, quibus placet, non poſt multas ætates, & continuatam plurimorum hominum ſeriem, ſed intra unius tantum ævi anguſtias Synagogam Magnam defloruiſſe. Quamquam eam proprie Synagogam Magnam dicendam eſſe fatemur, quæ circiter Artaxerxis Longimani tempora viguit.

Probatur noſtra ſententia veterum Scriptorum auctoritate.

IV. Eam autem quam propoſui opinionem locupletibus primum auctoribus tueor. Conſtans eſt enim omnium fere conſenſio, crematos in Hieroſolymitano excidio, & in deportatione Babylonica amiſſos, aut neglectos Codices ſacros Esdram Artaxerxis Longimani ævo recuperata libertate reparaſſe. Etſi de modo, quo res acta eſt, non ſatis convenit; cum alii numine afflatum, ſacrum id quod ſupereſt opus dictaſſe velint; prioribus libris penitus abolitis. Ita ſenſit Auctor libri quarti Esdræ, qui decimo quarto capite commentitiam rei geſtæ hiſtoriam explicavit. Futilem hunc Scriptorem ſecutus eſt Clemens Alexandrinus Stromatum primo. Secutus eſt eum quoque Theodoretus Præfatione in Pſalmos. Apertiſſime vero omnium Baſilius in Epiſtola ad Chilonem. Et in eamdem ſententiam viri quidam docti recentiores abierunt. Propius accedit ad verum Irenæus, cum ait corruptas Scripturas Esdram reſtituiſſe. Paria habent Tertullianus & Hieronymus. Clariſſime vero Chryſoſtomus Esdram Deo inſtinctum Scripturæ ſacræ reliquias digeſſiſſe, & in unum corpus compoſuiſſe ſignificavit. Accuratius etiam

Iren. l. 3. c. 25. Tertull. de habit. mul. c. 3. Hier. adv. Helv. c. 3. Chryſoſt. Hom. 8. in Ep. ad Ebr.

Digitized by Google

Auctor Synopſeos, quæ Athanaſio tribuitur, ſacros Codices per Captivitatis diuturnitatem, & populi incuriam amiſſos Esdram ait penes ſe ſervaſſe, & ſuo demum tempore protuliſſe, ac publici juris feciſſe. Profecto Moſaica Lege in Exilio Ebræos non caruiſſe inde patet, quod Esdras ſe *Scribam velocem in lege Moyſi* appellat: patet & ex capite nono Danielis, ubi Moſis liber tanquam ſuperſtes, & vulgo cognitus, ac verſari ſolitus, teſtis citatur. Nam quis credat tantam eſſe potuiſſe cladem ac vaſtitatem, ut ne apud privatos quidem homines ulla ſervata ſint Codicum ſacrorum exemplaria? non apud Ezechielem, vel Mardochæum? nec apud ipſum quidem Jeremiam, quem Nabuchodonoſoris juſſu Nabuzardan militiæ magiſter ab omni injuria tutum præſtitit? Certum eſt igitur Esdram Libros ſacros diſſipatos collegiſſe, & inſtauraſſe. Utcunque vero egregius fuerit iſte labor, fructu tamen caruiſſet, niſi acceſſiſſet publica Synagogæ auctoritas, quæ recognoviſſet opus, & expenſum comprobaſſet, ejusque uſum populo conceſſiſſet. Quapropter non quaſi Esdræ, ſed quaſi Synagogæ ipſius opus ab Elia Levita, aliisque Rabbinis habitum eſt. Hinc Thalmudiſtæ capite primo Babæ bathræ, vaticinia Ezechielis, librum Duodecim Prophetarum, Danielis, & Eſtheris libros, a viris Synagogæ Magnæ ſcriptos eſſe definiunt; quos ab aliis ſcriptos, ab Esdra collectos ſuffragio ſuo Synagoga Magna firmavit. Memorabile habetur apud Joſephum, libro primo contra Apionem, teſtimonium, quod omnino conſuli velim. Gentilium enim ſuorum morem hunc eſſe ait, ut ſi quæ ingruant bella, pace demum compoſita veteres Scripturæ a ſuperſtitibus Sacerdotibus recognoſcantur, relegantur, ac renoventur; nec unicuique de rebus ſacris ſcripta in vulgus edere fas eſſe, ſed Prophetis ſolum, qui Dei inſtinctu, & præterita, & præſentia ſciunt: hinc duo ſolum ac viginti ſacra Volumina, & ea ſibi usquequaque conſentanea gentem ſuam uſurpare, veterem omnem anteacti temporis memoriam complexa; a Moſis uſque temporibus, ad Artaxerxis Longimani ætatem ſcripta; ab hac vero ætate ſingula fuiſſe relata in literas, ſed eamdem quam ſuperiora fidem minime eſſe conſecuta. Ex his liquet poſt Babylonica bella ex more Judæorum inſtauraſſe debuiſſe Codices ſacros, idque Sacerdotum ſuperſtitum opera, qualis fuit Esdras; horum vero Librorum collectionem in Artaxerxe Longimano deſiiſſe: quod ſane fieri non potuit, niſi per Canonem publica auctoritate conditum; quo qui non continerentur, pari exiſtimatione carerent.

1 Esdr. 7, 6.

Dan. 9, 11, 13.

V. Nunc ſi argumentis pugnare libet, primum ſubminiſtrat Septuaginta Senum interpretatio, quam cum Ptolemæi Philadelphi cura elaboratam eſſe conſentiant omnes, ante hæc tempora collectos eſſe Libros ſacros, conflatumque jam eorum Canonem oportuit. Convulſam enim & obtritam reor eam ſententiam, quæ Moſaicum duntaxat volumen a Septuaginta Interpretibus converſum fuiſſe fingit. Ab Iſraelitarum autem liberatione ad Philadelphum, nulla ejus condendi magis opportuna ac neceſſaria apparet occaſio, quam poſt reſarta ac recollecta ſacra volumina; nullus operis hujus Auctor magis idoneus, quam Esdras. Quadrageſimo præterea ac nono Eccleſiaſtici capite locum deprehendo, a nemine, opinor, adhuc obſervatum, unde vetuſtas Canonis præclare intelligitur. Nam cum ſanctos plerosque viros Sirachides laudare inſtituiſſet, in iisque Scriptores ſacros fere omnes; poſtquam de Iſaia, Jeremia, ac Ezechiele diſſeruit, tum ſervato Canonis Judaici ordine, qui tribus his Prophetis Minores Duodecim ſubjungit, hæc addit: *Et Duodecim Prophetarum oſſa pullulent de loco ſuo: nam corroboraverunt Jacob & redemerunt ſe in fide virtutis.* Quibus ſtatim ſubjicit Zorobabelem, & Jeſum Joſedeciden, principes Synagogæ Magnæ: non obſcure ſignificans poſt Duodecim Prophetas Synagogam Magnam extitiſſe. Itaque in unum librum jam compacta erant hoc tempore Duodecim Prophetarum vaticinia. Librum hunc haud dubie ſignificat Stephanus, cum hæc Amoſi verba recitans: *Numquid victimas & hoſtias obtuliſtis mihi annis quadraginta in deſerto, domus Iſrael? Et ſuſcepiſtis tabernaculum Moloch, & ſidus Dei veſtri Rempham, figuras quas feciſtis, adorare eas?* ſcripta eſſe diceret in libro Prophetarum. Atqui collectio hæc Duodecim Prophetarum, & in unum corpus conjunctio, nonniſi in ſacrorum Voluminum redintegratione facta credi poteſt; cum nonnulli e Prophetis illis Duodecim exiguo

deinde argumentis.

Eccl. 49, 12.

Act. 7, 42, 43 Amos 5, 25, 26.

Digitized by Google

gno annorum intervallo Esdræ reditum præcesserint; fortasse & vitam ad id usque tempus produxerint. Profecto antequam Scripturæ totius sacræ conderetur Canon, singulorum Librorum partes componi simul, & in unum corpus conflari, ac velut suo sibi Canone determinari oportuit. Psalmorum numerum definiri, & in unum colligi volumen necesse fuit, priusquam in generalem Canonem conjicerentur. Factum id ab Esdra docent Auctor Synopseos & Hilarius, atque ita vulgo credi: nos ab Esdra & Synagoga Magna factum diximus supra. Idem de libro Duodecim Prophetarum dictum velim. Inde est quod in Baba bathra docent Thalmudistæ, & post illos Abrabaniel, viros Magnæ Synagogæ Duodecim Prophetarum libros in unum volumen compegisse. Porro Sirachiden Ptolemæi Epiphanis æqualem fuisse probavimus; unde efficitur vetustiorem hac ætate Canonem fuisse. Atque inde idem ac superiori argumentatione colligimus, nullum videri aptius ejus conficiendi tempus, quam post recompositos Codices sanctos; neque ulli probabilius ejus confectionem adscribi posse, quam Esdræ. Ad hæc cum Rabbinorum vulgatissima opinio sit, Scripturam sacram, quæ nullis sectionibus, interpunctionibus nullis ad illam diem distincta erat, sed veluti unico comprehensa versu tota simul cohærebat, a Synagoga Magna, cujus Esdram fuisse scribam ajunt, in פרשיות, & in סדרים, & in מסקים, aliasque partes esse divisam; eamdem quoque a Scribis, eorumque principe Esdra octodecim locis emendatam, quos Masorethæ numerant, & תקון סופרים, *ordinationem Scribarum*, & תקון עזרא, *ordinationem Esdræ* appellant; cum priscos etiam Ebraicæ linguæ characteres hoc tempore Esdra auctore Assyriis mutatos esse Thalmudistæ affirment in Tractatu Sanhedrin, doctique omnes assentiant; quæ sine Synagogæ auctoritate & consilio fieri haudquaquam potuisse manifestum est: quis credat tantum operæ ac studii in Scripturæ sacræ characteribus mutandis, sectionibus determinandis, notandis lectionibus, distinguendis versibus posuisse Synagogam Magnam, ejusque velut mentem Esdram; totos vero Libros ipsos neglexisse, deque eorum numero definiendo ac sanciendo minime cogitasse? Hæc argumenta & testimonia si æquis animis expendissent nuperi quidam Scriptores, saniora utique & modestiora de Libris sacris, deque nostra sententia protulissent. Nam argumenta nostra quod attinet, nullum attigerunt fere, nedum confutarunt. Rabbinorum spernunt suffragia, utpote inepta: quasi non extent apud Rabbinos pulcra Judaicæ antiquitatis vestigia, quæ viri docti & cordati agnoscere sciunt, & ad Librorum sanctorum explicationem utiliter conferre. Patrum auctoritatem flocci faciunt, quasi non vel propter ætatem, in majori versati sint literarum sacrarum luce, plurimisque usi sint Libris, quos temporis vetustas abolevit. Scripsi auctorem Synopseos Athanasio tribui solitæ, de sacrorum Codicum restitutione per Esdram facta accuratius esse locutum, quam Chrysostomum. Quippe Chrysostomus tradidit Esdram Deo instinctum Scripturæ sacræ reliquias in unum corpus composuisse: Auctor vero Synopseos, non rem solum, sed rei etiam modum explicavit, cum diceret Libros sacros per captivitatis diuturnitatem a populo neglectos & vulgo deperditos Esdram penes se servasse, & demum reparasse. Annon accuratiora hæc sunt, & enucleatius exposita, quam quæ protulit Chrysostomus? Atqui, inquiunt, incerta ea sunt. Esto: annon aliud est accurate scribere, aliud certo atq; vere? Instant deinde, nosque contraria huic sententiæ & repugnantia subjecisse queruntur, cum diximus viros quosdam pios & eruditos Codicum sacrorum exemplaria apud se servasse: quippe si deperdita fuerunt, nusquam servata fuisse. Demus sententiam hanc priori adversari: annon nobis Auctori Synopseos contradicere jus fasque est? Cum sententiam ejus affero primum; huic deinde subjicio meam, jure meo mihi uti videor. Quid si vero consentit utraque sententia, & Auctoris Synopseos, & nostra, neque repugnat ullo modo, quis superierit cavillis locus? Ajo enimvero plane nobis cum hoc Auctore convenire. Is quippe affirmat Codices sacros per populi incuriam fuisse amissos, ab Esdra servatos & reparatos: quod nos itidem asseveramus. Nam stantibus Hierosolymis hi Codices ad sacros usus publica auctoritate observabantur in adytis; urbe deinde excisa, populo deportato, & Codicibus crematis, nulla jam supererat publica eorum custodia,

Hilar. Prol. in Psalm.

Abrab. Præf. in Isa.

Tract. Sanhedrin. c. 2.

Digitized by Google

qui nec ipsi supererant, nulli custodes publica auctoritate appositi. At nihil illud ad Esdram, aliosque privatos homines; quorum plerosque exemplaria Librorum sacrorum, vel omnium, vel aliquorum, pro pietate sua & studio apud se habuisse nemo sanus dubitare potest. Cum autem Babylone reduces, ea recognoscere & recolligere necesse haberent, pro more gentis, quem morem clarissimis verbis tradidit Josephus; cui negotium hoc datum dicemus potius, quam ei qui Legis divinæ, rerumque sacrarum peritissimus habebatur: qui tam solidis rationibus contradicere amant, videant unde sibi major gloria speranda sit, vel ex modesta & salubri veritatis agnitione, vel ex immoderata sanctissimarum rerum tractatione & contemtu.

Disputatur utrum inscriptiones libris Prophetarum præfixæ, a Synagoga magna, an a Prophetis ipsis additæ sint.

VI. Jam si id obtinemus, quod a nobis propositum est, nec sine pertinacia negari potest, jam liquet non alium quærendum esse auctorem, quam Esdram & Synagogam Magnam, additamentorum quorumdam, quæ ad Librorum sacrorum connexionem, vel illustrationem huc & illuc sparsa sunt. Cujusmodi sunt, quæ de Mosis morte, ad calcem Pentateuchi addita legimus. Aliam præterea operam in Codicibus sacris exornandis ab hac Synagoga collocatam fuisse ratus est Grotius, ad inscriptiones nimirum ac lemmata libris Prophetarum præfigenda; quod ex titulo libri Amos apparere existimat, qui talis est: *Verba Amos, qui fuit in pastoribus de Thecue, quæ vidit super Israel in diebus Oziæ regis Juda, & in diebus Jeroboam filii Joas regis Israel, ante duos annos terræ motus.* Ego vero & inscriptiones a Prophetis ipsis arbitror fuisse appositas, neque video quid ex hoc titulo pro contraria parte effici possit. Nam post terræ motum scribere hoc potuit Amos ipse, & vaticinii tempus ex hoc casu denotare; vel quod potius reor, imminentem terræ motum, pro sua vaticinandi facultate prævidere & prædicere potuit; quod & his capitis tertii verbis factum ab eo quidam Interpretes censent: *Et percutiam domum hybernalem cum domo æstiva: & peribunt domus ebureæ, & dissipabuntur ædes multæ, dicit Dominus.* Huc adde in ipso vaticiniorum contextu ejusmodi inscriptiones occurrere, velut apud Zachariam, versu septimo primi capitis: *In die vigesima quarta undecimi mensis Sabath, in anno secundo Darii, factum est verbum Domini ad Zachariam, filium Barachiæ, filii Addo, Prophetam, dicens:* item initio septimi capitis. Plurima hujusmodi reperies in brevissimo Aggæi vaticinio, plurima & in illo Jeremiæ; nonnulla etiam in Isaia, Ezechiele & Daniele. Ea profecto quin ab ipsis Auctoribus profecta sint, minime dubitandum est. Id si evicero, quod negari non potest, jam una quoque evicero vaticiniis ipsis præfixas inscriptiones, illarum consimiles, & prorsus germanas, eorumdem quoque auctorum esse; cum credibile non sit hos Auctores scriptionum suarum particulas his notis præmuniendas duxisse, tota vera opera ἀνεπιγράφα καὶ ἀτίτλα (*titulo & initio carentia*) emittenda censuisse.

Grot. in Amos 1, 1.

Amos 3, 15.

Nehemias & Judas Machabæus Canonem recognoverunt & confirmaverunt; novum vero Ecclesia Christi edidit.

VII. Cæterum operam Esdræ circa sancta Volumina, ac diligentiam imitatus Nehemias priscos sacrarum scriptionum Codices conquisivit, magnam collegit antiquitatis memoriam, rerum a se, fortasse & ab aliis, gestarum commentarios ipse scripsit. Hæc sequuntur ex isto secundi Machabaici dicto: *Inferebantur autem in descriptionibus & commentariis Nehemiæ hæc eadem; & ut construens Bibliothecam congregavit de regionibus libros, & Prophetarum, & David, & epistolas Regum, & de donariis.* Quibus verbis Bibliothecam tantum a Nehemia adornatam qui putant significari, non Librorum sacrorum collectionem & recognitionem, legitimum loci sensum ex sequentibus intelligant: *Similiter autem & Judas ea quæ deciderant per bellum quod nobis acciderat, congregavit omnia, & sunt apud nos.* Judam ait similia eorum fecisse, quæ fecerat Nehemias. Judaicæ autem gentis ea est consuetudo, teste Josepho, ut post bella Libri sacri recognoscantur & instaurentur, idque præstitit Judas. Idem ergo factum fuerat a Nehemia. Quæ si ita sunt, ut certe sunt, Canonem haud dubie recognoverit Nehemias, & ex veterum exemplarium fide confirmaverit; Librumque demum qui ejus nomine inscriptus est, quemadmodum situm Esdras, in sacrum Canonem retulerit; atque hæc demum sanxerit auctoritate Magnæ ejusdem Synagogæ, ad quam unam librorum consecratio pertinebat. Quamobrem exemplari illo aureis literis descripto, quod ad Philadelphum Eleazarus Pontifex misit, Nehemiæ liber continebatur, utpote qui cum reliquis Voluminibus sacris a Septuaginta

2. Mach. 2, 13. 14.

Joseph. l. 2. contr. Ap.

Senibus

Sanctis interpretatione donatus sit. Post annos eorum circiter 30 vigintiquinque fere id quidem Ptolemæus Philadelphus, Antiochi Epiphanis furias passus Hierosolymis, direptique ac incensi, sacrorum Librorum curam fecit Judas Machabæus, & qui per bellum intercideranr, recollegit, Nehemianam Bibliothecam supplevit, deditque operam ne qua sui parte Canon imminueretur; pro eo ac fieri apud Judæos solitum fuisse notavi ex Josepho, ut post bella sanctos Libros Sacerdotes recenserent. Nam quid aliud sibi volunt ista, quæ in Epistola Hierosolymitanorum Judæorum ad Ægyptienses Helleniſtas nobis exhibet secundus Machabæicus; testimonio indidem proxime deprompto subnexa: *Similiter autem & Judas ea quæ deciderant per bellum quod nobis acciderat, congregavit omnia, & sunt apud nos. Si ergo desideratis hæc, mittite qui perferant vobis.* Ipsi quippe Helleniſtæ, ad quos hæc scripta sunt, Hierosolymitanam Synagogam de rebus divinis consulebant, ejusque decreta sequebantur. Quamobrem etsi libros quosdam habebant in pretio, cujusmodi fuerunt illi, qui dicti sunt ἀπόκρυφοι *(apocryphi)* & ἀνάβιβλοι *(in Canonem non relati)* & ἀντιλεγόμενοι *(vocati in Controversiam)* quosque ab Helleniſtis acceptos Ecclesia Christi multo post in suum Canonem admisit, nunquam tamen ab ipsis pro Canonicis, & ἐνδιαθήκοις *(in Arca repositis)* ac ἔντοις *(certæ auctoritatis)* habiti sunt, cum nec eos Hierosolymitana Synagoga consecrasset, nec id juris ipsi sibi arrogarent. Profecto si in Helleniſtarum Canone habuissent locum, eumdem & in Canone vetustiorum Christianorum tenuissent; quod aliter fecus: nam prioribus Ecclesiæ seculis a multis repudiati sunt, & inter apocryphos habiti; at eos demum suscepit universa Christi Ecclesia, & in suum Canonem dedicavit. In jura quippe & auctoritatem priscæ Synagogæ successit Ecclesia, deque libris arbitria facere ipsam jus fasque fuit. Itaque suum ipsa concinnavit Canonem, & a pliis omnibus suscipi jussit.

Joseph. l. 1. contr. Ap.

2. Macch. 2, 14.

Disputatur de Arca, in qua reconditi fuisse feruntur Libri Canonici.

VIII. Operæ pretium hic me facturum puto, si quæsivero quamobrem Canonici Libri intra Arcam, Apocryphi vero extra Arcam fuisse dici soleant. Ac veterum scripta Auctorum memoria repetenti mihi primus omnium occurrit Epiphanius, qui id affirmaverit in libro de ponderibus & mensuris: librum enim Sapientiæ, & Ecclesiasticum, quamvis utiles, e Canonicorum numero exclusos fuisse ait: διὰ, inquit, τοῦτο τῇ τῆς διαθήκης κιβωτῷ. *Quamobrem & in Aron repositi non sunt, hoc est in Arca Fœderis.* Quod dictum sic explicuit Johannes Damascenus: ἡ δὲ παράφρασις, τουτέστιν ἡ σοφία τοῦ σολομῶντος, καὶ ἡ σοφία τοῦ ἰησοῦ, ἐκείνων μὲν καλαὶ, ἀλλ' οὐκ ἀριθμοῦνται, οὐδὲ ἔκειντο ἐν τῇ κιβωτῷ· *At Paraphrasis, hoc est Sapientia Salomonis, & Sapientia Jesu, egregiæ quidem virtutis præcepta continent, & pulchræ sunt, sed non numerantur, neque in Arca habebantur.* Hinc liquet emendandos esse vulgatos Epiphanii Codices, in quibus particula infitialis desideratur, & hæc ita leguntur, καὶ ἐν τῇ ἀρῷ ἐκεῖντο, *Et in Aron repositi sunt.* Unde male colligit Scaliger ideo esse dictos Sapientiæ & Ecclesiastici libros, quod intra Arcam Veteris Testamenti, in Sanctis sanctorum adytorum reconderentur. Johannis Damasceni interpres Jodocus Clichthovæus Aream Fœderis intelligendam censet, atque id magno consensu recentiores pene omnes arripuerunt. At Judæorum varia & multiplex opinio est. Somniarunt quidam duas fuisse Arcas, alteram a Mose, a Beseleele alteram fabricatam; hanc in Tabernaculo fuisse depositam, illam pro necessitate rerum huc illucque circumlatam; in hac reconditas fuisse Tabulas Legis integras repetitæ fabricationis, in illa Tabulas Legis confractas. Sic R. Jehuda ben Elai in Thalmudico libro תוספתא, capite sexto; sic R. Bechai, & R. Selomoh Jarchi, & R. David Kimchi, sic & alii. Sententiæ autem hujus patronis quibusdam persuasum est, in Arca Mosaica præter fragmina Tabularum fuisse etiam librum Legis. At Aben Ezra, Gerundensis, Abrabaniel, & quorum melior sententia menti, unicam fuisse Arcam volunt. Verum de rebus in ea reconditis haudquaquam inter illos convenit: quidam enim statuunt illuc conclusas fuisse Legis Tabulas utrasque, & integras, & comminutas, librum Legis, virgam Aaronis, & urnam manna plenam; alii solas Tabulas, & fractas, & integras; in capsulam vero ad latus Arcæ librum Legis, Virgam, & Urnam includunt. De Tabulis fractis, Virga, & Urna nunc non quærimus; disputamus tantum de volumine Legis. Id in Arca servatum

Epiph. de pond. & mens. c. 4.

Joh. Dam. Orth. fid. l. 4. c. 18.

Scalig in Euſ.

R. Bech. in Deut. 10, 1. R. Sel. & R. Dav. Kim. in 1. Sam. 4. Aben Ezr. in Deut. 10, 1. Ger. ibid. Abrab. in Prophet. prior.

Thalmud. Hier. libr. שקלים c. 6. Thalm. Babyl. in Baba bathr. Maimon. Præf. in Jad. Chaz. Abrab. in 1. Reg. 8, 9.

fuisse docet R. Meir in utroque Thalmude, Hierosolymitano, & Babylonico. Idem habetur in Debarim rabba, & apud Maimonidem. Hos sequitur Isaac Abrabaniel, hoc argumento, quod non minoris fuerit dignationis liber Legis ac Tabulæ ipsæ, propterea que non alio loco fuerit asservandus. Hi omnes, ipseque adeo Epiphanius, unicum opinionis suæ præsidium collocant in celebri

Deut. 31, 24. & seq.

hoc commate Deuteronomii: *Postquam ergo scripsit Moses verba Legis hujus in volumine, atque complevit, præcipit Levitis qui portabant Arcam Fœderis Domini, dicens, Tollite librum istum, & ponite eum in latere Arcæ Fœderis Domini Dei vestri, & sit tibi contra te in testimonium.* Illic latus Arcæ interius notari censuerunt, & R. Meir aliquem Arcæ angulum intellexit vacuum a Tabulis relictum, & a volumine Legis occupatum. Verum exterius Arcæ latus designari, videntur probare verba ipsa Mosis, צד ארון, *a latere Arcæ*, quæ usurpantur a Sacerdotibus

1. Sam. 6, 8.

& divinis Philistinorum, in primo libro Samuelis, cum vasa aurea, quæ solvebant Deo, apponi jubent *in capsella, ad latus* Arcæ. Atqui hæc in Arcam ipsam condita fuisse nullus ex Interpretibus existimavit.

3. Reg. 8, 9. 2. Par. 5, 10.

Docent nos præterea Tertius Regum, & Secundus Paralipomenon, non aliud fuisse quicquam in Arca Fœderis, quam duas Tabulas lapideas. Ergo Jonathan Paraphrastes

Jonath. in Deut. 31.

in capsa, ad latus dextrum Arcæ, positum fuisse credidit Sepher, hoc est, volumen Mosaicum, & R. Juda in Babylonici Thalmudis citato loco, idem supra tabellam ex Area foris prominentem locat; & Gemara ad caput primum Babæ bathræ, & ad Thalmudicum librum שקלים, vult Mosem ad latus Arcæ adtexuisse capsulam, (גלוסקמא hoc est, γλωσσόκομον) in eamque suum volu-

Aben Ezr. in Exod. 25, 16. R. David Kimch. in 1. Reg. 8. Abulf. Dyn. 2. Hist. Or. 4. Reg. 22, 8.

men inclusisse. Locat & extra Arcam Aben Ezra, & David Kimchi, & alii. At opinantur Arabes, Phinees Dei jussu urnam conflasse æneam, reconditisque in ea quinque libris Legis, Tabulis duabus, virga Mosis, & virga Aaronis quæ frondes emiserat, & pauxillo Manna, plumbo obturasse & in speluncam abdidisse. Quæ veri speciem non habent ullam. Cum autem librum Legis, ipsa Mosis manu exaratum, se in domo Domini reperisse ait Helcias; non fimeto infossum eruisse intel-

Chrysost. in Matth. 2.

lige, quod postulat Chrysostomus. Videtur enim data opera absconditus fuisse Codex Legis a Sacerdotibus, qui ob reverentiam sacri Voluminis nefas duxissent in locum fœdum & immundum id abjicere. Legitur in Gemara Sanhedrin, septimo capite, factum id Manassis temporibus, qui cum Mosaicos libros violare instituisset, archetypum ipsum Mosis exemplar furori ejus a piis Sacerdotibus esse subductum. Inter tigna Templi occultum fuisse vult Abrabaniel: quod probabilius utique est. Quocunque abditum fuisse dicas, simul cum ipsa capsula qua inclusus erat abditum dicito; nec enim sacratum pignus aliter haberi decebat. Ego vero in capsa illa latibulum aliquod parari potuisse censeo, cujusmodi recondendæ pretiosiori supellectili & κειμηλίοις fieri videmus. Illic ita delitescere potuit sacer Codex, ut spectantium oculos facile effugeret. Inde erutus est ab Helcia, cum ad instaurandum Dei cultum, sacra omnia Templi vasa, Arcamque adeo ipsam, & adtextam Arcæ capsulam diligentius lustraret. Cum ait ergo Auctor Paralipome-

2. Par. 34, 14.

non, tum repertum fuisse librum Legis ab Helcia, cum pecunia Templo offerretur, non inde colligendum est in eodem loco fuisse & Librum & pecuniam, sed eodem tempore & pecuniam elatam, & Librum repertum. Utut est, magnam Interpretum partem in id consentire videmus, non in Arca ipsa Fœderis, sed in scrinio ad latus Arcæ Mosaicas scriptiones latuisse. Concedamus tamen intra Arcæ ipsius conceptaculum servatas, non idcirco concesserimus Epiphanio & reliquos Canonicos libros illuc fuisse infartos, quod nullo sibi persuasit argumento: imo vero & falsum esse probare facile est; nam Arcam Fœderis, cum Hierosolyma a Babyloniis exscinderentur, in spelunca fuisse a Jeremia absconditam, legitur in secundo Machabaico; nec

2. Mach. 1, 5.

inde erutum iri, *quoad congreget Deus congregationem populi, & propitius fiat.* Canonicorum autem Librorum plerosque post illatam Babyloniis cladem scriptos, & Canonem ipsum multo post editum fuisse declaravimus. Qui ergo intra vel extra Arcam esse poterant, qui necdum erant? Aliam prioris similem in secundo Templo a Judæis dedicatam fuisse Rabbini volunt. At ne in eo quidem omnes consentiunt, cum e Thalmude tradant nonnulli loco Arcæ lapidem tribus digitis prominentem Judæos in terram destituisse,

Hom. 9. & in 1. Cor. 2. Hom. 7.

Digitized by Google

fuisse, eique thuribulum imposuisse. Josephus vero, qui unus nobis est pro millibus, conceptis verbis pronuntiat, post reditum e Babylonia nihil prorsus fuisse in adyto, quod Sancta Sanctorum appellabant: ἦν τὸ πᾶν οὐδὲν ἔνδον ἐν αὐτῷ. *Nihil prorsus in eo erat.* At in idem loculamentum, in quo repositos diximus libros Legis, conjectos quoque fuisse verisimile est reliquos Codices, simul atque ex consensu Synagogæ fuerant consecrati: direptis autem a Nabuchodonosore Hierosolymis, capsam quoque cum iis quæ inerant Voluminibus sacris periisse: verum restitutis iis post solutam Captivitatem, & composito per Esdram & Synagogam Magnam Canone, novam capsam servandis iis fabricatam esse; atque eam Arcam fuisse, qua probati & consecrati Libri continebantur; non, ut vulgo creditur, Arcam Fœderis, quæ jamdiu ablata erat, nec unquam sacris Voluminibus recondendis fuerat destinata. Præclare igitur Tertullianus, non Arcam appellavit hoc librorum receptaculum, ne falleret vocis ambiguitas, sed armarium: *Scio*, inquit, *Scripturam Enoch, quæ hunc ordinem Angelis dedit, non recipi a quibusdam, quia nec in Judaicum armarium admittitur.* Sed & ante captivitatem Helcias Pontifex librum Legis se reperisse ait, non in Arca Fœderis, sed in domo Domini: id quod a me superius observatum est. Atque hinc Augustinus libros Apocryphos ait non esse *in eo Canone Scripturarum, qui servabatur in Templo populi Ebræi, succedentium diligentia Sacerdotum.* Nunc quoque Judæi in Synagogis sacrorum Legis volumen includunt armario, & depromunt identidem, ac populo spectandum & venerandum præbent. Cæterum non Libros solum sacros, sed eos etiam qui vulgo probarentur, & utiles esse possent, in Templo fuisse repositos & dedicatos, ex Josephi pluribus testimoniis discere licet.

Joseph. de bell. Jud. l. 6. c. 14.

Tertull. de habit. mul. c. 3.

August. de civ. Dei, l. 15. c. 23.

Joseph. Antiq. l. 3. c. 1. & l. 6. c. 5.

IX. Refellenda supersunt argumenta, quibus proposita doctrina oppugnari potest. Primum arcessi posse video ex auctoritate veterum, qui locis a me supra notatis Esdram quidem Canonis instauratorem appellant, Synagogæ vero Magnæ haudquaquam meminerunt. At nec Macedonum memini, cum Alexandrum Persarum domitorem appello; quamvis ad subigendos Persas, non Alexandrum solum, sed plerosque fortissimos Macedones operam contulisse sciam.

Refelluntur argumenta adversariorum. Primum argumentum.

X. Genebrardus, qui triplicem finxit Canonem, primum Esdrinum, secundum ab Hierosolymitana Synodo Sexta concinnatum, priusquam ad Libros sacros interpretandos viri Septuaginta in Ægyptum mitterentur, tertium in Septima Synodo conditum, his argumentis suam tuebatur sententiam; editis post primum Canonem libris aliquot magnæ auctoritatis, novo Canone numerum Librorum sacrorum fuisse determinandum, ne eos Græce reddituris Interpretibus ulla in ea re existeret dubitatio, neve per errorem externis Gentibus profana pro sacris obtruderent, aut eas ulla sacrorum Voluminum parte fraudarent; tertium vero Canonem componi debuisse post bella Machabaica, per quæ divinæ res, ac Libri sacri neglecti jacuerant, tum & ut ad priores Canones Machabaici libri adjicerentur. Sed quorsum secundum confingemus Canonem, cum primum jam recensuisset Nehemias, qui ætatem suam ad proximum Septuaginta Interpretibus ævum produxit, neque post illum ulli deinde ad Canonem Libri adjecti sint? Nam quos ad priscum Canonem adjiciendos fuisse Genebrardus censet libros Tobiæ, Judith, Ecclesiastici, Sapientiæ, Machabæorum, eos in Judaicum Canonem nunquam admissos fuisse affirmamus; nam nulla unquam de iis in Ecclesia habita fuisset controversia, quæ tamen prioribus seculis extitit. Quidquid vero Libris sacris perturbationis ac confusionis intulerant Machabaici tumultus, per Judæ Machabæi eam, quam dixi, instaurationem sanatum est.

Secundum argumentum. Genebr. Chronol.

XI. Serarius, ut geminum fuisse Canonem probet, quodam utitur testimonio, quod tanquam e Lege affert Josephus libro secundo contra Apionem: γυνὴ δὲ χείρων ἐνδεὴς εἰς τὰ πάντα, καὶ ἡ πονηρὰ κατὰ ὑπερβολὴν ἀγαθοποιοῦ γυναικός· *Mulier vero in omnibus pejor viro, cujus nequitia mulierem etiam beneficam superat.* Atqui hæc habentur quadragesimo secundo Ecclesiastici capite. Igitur vim Legis Ecclesiastico tribuit; quod non faceret, nisi fuisset relatus in Canonem. Alter ergo ab Esdrino Canon conflatus est, in quem Ecclesiasticus, aliique Libri sacri Esdrinis recentiores conjecti sunt. Ego vero minime diffiteor magnam fuisse Libri hujus inter Judæos auctoritatem,

Tertium argumentum. Serar. Prol. Bibliac. c. 8. quæstiunc. 16. & Præl. 3. in Machab.

qui,

Digitized by Google

qui, ut suo loco dixi, ex Salomonicarum Parabolarum collectionibus videtur fuisse compilatus, & Salomonicis scriptis supparem existimationem habuisse, præsertim apud Helleniſtas, qui libris quibusdam apocryphis, & a Canone seclusis studiose utebantur, summamque venerationem iis exhibebant; maxime vero Josephi tempore, quo Libris istis jam prope eadem ac Canonicis auctoritas tribuebatur. Sed Canonici nihilominus nec erant, nec habebantur: nam si fuissent, nullo penitus reverentiæ discrimine habiti fuissent. At Josephus ipse priore contra Apionem libro diserte testificatur, quicunque ab Artaxerxe Longimano ad suam ætatem scripti sunt Libri, non æqualem prioribus fidem esse consecutos. Dicendum ergo est, ne a se ipse dissentiat Josephus, sententiam hanc sic tanquam a Salomone editam, & ad suam ætatem per παραδόσεως διδαχὴν *(doctrinam a majoribus acceptam)* propagatam, fortasse ipsum protulisse: cujusmodi plerague Prophetarum effata inter Judæos fuisse memoriter conservata, in scripta vero ante non relata, quam in Novo Testamento usurpata sint, viri eruditi consentiunt. Ad id credendum eo magis inclinat animus, quod sententiæ hujus, quam affert Josephus, prior illa pars, γυνὴ δὲ χείρων ἀνδρὸς εἰς τὰ πάντα, in Ecclesiastico non reperitur.

Quartum argumentum.

XII. Infirmis vero penitus ac caducis nititur fundamentis Philosophi Theologo-Politici opinio. Canonis enim, quem post Judam Machabæum conflatum fuisse vult, novitatem non aliunde arguit, quam ex imaginaria & commentitia sacrorum ipsorum Codicum novitate, quam vanissimis rationibus probare conatus est; & nos toto hoc opere abunde refellimus.

Quintum argumentum.

XIII. Postremum hoc in nos cudi potest argumentum, cum duobus ac viginti Libris constitisse Canonem Esdrinum fateantur omnes, postquam suum deinde librum adjecit Nehemias, jam non viginti duos, sed viginti tres fuisse; quod neque ullus dixit unquam, & aperte infitiatur Josephus; nam viginti duobus Libris Judaicam religionem contineri docet, qui eo intervallo, quod a Mose ad Artaxerxis usque Longimani tempora interceſſit, editi, totius ævi præteriti memoriam complexi sunt. Verum libros Esdræ & Nehemiæ unicum constituere volumen, notum omnibus ex traditicium est; & diserte apud Eusebium Origenes declaravit. Suum quippe librum Nehemias ad Esdræ librum, ut pote in ejusdem argumenti continuatione versatum, adtexuerat.

Joseph. l. 1. contr. Ap.

Euseb. Hist. Eccl. l. 6. c. 6

EPILOGUS QUARTÆ PROPOSITIONIS.

SEd modum tandem imponamus quartæ huic Propositioni, prolixissimæ illi quidem & fuse disputatæ, sed pro rerum copia & gravitate fortasse etiam brevi. Ac susceptum quidem munus ita videmur administrasse, ut jam constare possit Libros Veteris Testamenti ab iis auctoribus esse scriptos, quorum præ se ferunt nomina, & iis circiter temporibus quibus scripti esse feruntur. Unde sequitur esse genuinos. Quod erat probandum.

PROPOSITIO V.

Multæ habentur Prophetiæ in Veteri Testamento.

LUdam operam, si multis propositionem hanc persequi instituam: adeo crebra sunt per totum Vetus Testamentum vaticinia. Colligamus tamen aliqua in exemplum, ne qua pars operis hujus diligentiam nostram desideret. Ac ordiamur a nobilissima illa Prophetia, qua diversis temporibus Abrahamo, Isaaco, & Jacobo promisit Deus futurum, ut *in ipsis benedicantur omnes cognationes terræ:* quæ tum demum eventu sunt completa quum per universum orbem jacta Christianæ religionis semina adoleverunt. Cum de futuro gemellorum partu Deum Rebecca consuleret, respondit Deus: *Duæ gentes sunt in utero tuo, & duo populi ex ventre tuo dividentur, populusque populum superabit, & major servict minori.* Cum senectute confectus Isaacus Jacobo filio fausta apprecaretur: *Esto,* inquit, *Dominus fratrum tuorum, & incurventur ante te filii matris tuæ:* & ad Esau: *In pinguedine terræ, & in rore cœli desuper erit benedictio tua. Vives in gladio, & fratri tuo servies: tempusque veniet, cum excutias, & solvas jugum ejus de cervicibus tuis.* Quæ post obitum Mosis contigerunt, perinde ut ista, quæ Jacobus lecto ex morbo decumbens, & jamjam moriturus de Manasse nepote vaticinatur: *Iste quidem erit in populos:*

Gen. 12, 2. & 26, 4. & 28, 14.

Gen. 25, 23.

Gen. 27, 29. 39.

Gen. 48, 19.

Digitized by Google

populos: & multiplicabitur, sed frater ejus minor major erit illo, & semen ejus crescet in gentes. Reliquos deinde natos suos ad se
Gen. 49, 1. accersens Jacobus: *Congregamini*, inquit, *ut annuntiem quæ ventura sunt vobis in diebus novissimis.* Totum ergo ipsius Testamentum prædictionibus fere constat, quæ eventum Mosè defuncto sortitæ sunt. Insignis quo-
Num. 24, 17. 18. que Balaami prophetia: *Orietur stella ex Jacob, & consurget virga de Israel, & percutiet duces Moab, vastabitque omnes filios Seth. Et erit Idumæa possessio ejus: hæreditas Seir cedet inimicis suis, Israel vero fortiter aget.* Reliqua pertinent ad Amalecitas, Cinæos, & Assyrios, & valde illustria sunt. In futuris etiam prænuntiandis totum versatur Testamentum Mosis. Sin veniamus ad Psalmos, multa in iis occurrent prædicta in posterum: velut in Septuagesimo Psalmo, quem licet titulus ad Salomonem referat, nonnullaque in eo de Salomone intelligi possint, pleraque tamen alio spectare vel ipsis fatentibus Judæis, manifestum est. Sed ut reliqua deessent, Propositionem hanc aperte comprobant libri Prophetarum, quos vaticiniis totos constare, ipsa lectio indicat. Pauca ergo hæc de multis selegisse sufficiat, ex quibus facile cognoscitur multas haberi Prophetias in Veteri Testamento. Quod erat probandum.

PROPOSITIO VI.

Multæ Prophetiæ Veteris Testamenti veraces sunt.

COnstabit Propositionis hujus veritas, si ostendero multas Veteris Testamenti Prophetias ea præsignificasse, quæ eventu deinde completa sunt; ut ex tertio nostro Axiomate consequitur. Neque hic universas vaticinationes corradere animus est, quæ exitum habuerunt, sed eximias duntaxat aliquot, ad memoriam insignes, & nullis cavillationibus opportunas. Præclara illa est
Gen. 9, 24. quam protulit Noe, cum Chamum, & Chanaanum diris devoveret: *Maledictus*, inquit, *Chanaan, servus servorum erit fratribus suis.* Et fuit sane; vel cum Chananæos in servitutem redegerunt Israelitæ, & cum ipsorum reliquias Nabuchodonosor bello adortus edomuit; & hic & illi Semo prognati: vel cum ab Alexandro, aut Romanis Japheto oriundis devicti sunt. Futurum prædixit Gen. 42, 13. Jacob ut Zabulon mare accolat: idem a Deut. 33, 18. 19. Mosè prædictum est, atque item fore ut Nephtali mare possideat; quod & contigit, cum Chanaanitis terra sortito divisa est: hic enim ad Genesareticum mare, ille ad Mediterraneum situs fuit. Eventu quoque comprobatum est, quod de Issachare vaticinatus est Jacobus, futurum ut colendis agris vitam ignobilem nepotes ipsius impendant. Israelitas ad capessendam virtutem & mandata sua servanda adhortans Deus in Levitico, amplissimis præmiis propositis, quibus morigeros incitet; gravissimis in contrariam partem pœnis refractarios absterret. *Vos*, in-
Lev. 26, 33. 44. quit, *dispergam in gentes, & evaginabo post vos gladium, eritque terra vestra deserta & civitates vestræ diruta.* Subnectit deinde paulo post: *Et tamen etiam cum essent in terra hostili, non penitus adjeci eos, neque sic despexi ut consumerentur, & irritum facerem pactum meum cum eis.* Quæ in Deuteronomio deinde iterando inculcat; cum alibi, tum præcipue vicesimo octavo capite: *Ducet*
Deut. 4, 25. & seq. & 28. 36. *te Dominus & Regem tuum, quem constitueris super te, in gentem quam ignoras tu & patres tui.* Atque horum veritatem res ipsa olim, hodieque comprobavit. Luculenta vero & omni admiratione digna est hæc Balaami de Israele vaticinatio quam exhibet Vulgatus
Num. 24, 7. Interpres: *Tolletur propter Agag rex ejus, & auferetur regnum illius:* quibus miserabilis Saulis fortuna clarissime prænuntiatur, cum per intempestivam & impiam misericordiam vita Agago Amalecitarum regi, contra ac jusserat Deus, concessa, regno ipse excidit. Splendida & hæc arioli ejusdem
Num. 24. 24. prædictio: *Venient in trieribus de Italia, superabunt Assyrios, vastabuntque Ebræos, & ad extremum etiam ipsi peribunt:* quo loco si per Ebraicam vocem כתים, quam vulgatus Interpres *Italiam* reddidit, Græcos, & Alexandrum, aut Romanos, aut utrosque intelligas, manifesta erit vaticinii fides. Decimo septimo capite Deuteronomii prædicit Mo-
Deut. 17, 14. ses, futurum ut sibi Regem Israelitæ aliquando præficiant. Vicesimo vero octavo,
Deut. 28, 36. 48. & seq. Judæorum, Sedeciæque adeo ipsius captivitatem Babylonicam, tum & post futuras clades, calamitates, obsidionem, famem, horrendamque gentis ac urbis excidionem clarissime præsignificat. Josuæ diras adversus
Jos. 6, 26.

Digitized by Google

Hierichuntis instauratorem manifestus exitus multis post annis est consecutus. *Ædificavit Hiel de Bethel Jericho; in Abiram primitivo suo fundavit eam, & in Segub novissimo suo posuit portas ejus, juxta verbum Domini, quod locutus fuerat in manu Josue filii Nun.* 3. Reg. 16, 34. Suum hic postularet locum memorabile illud vaticinium, quo Bethelica Jeroboami ara a Josia olim destruenda prædicitur, quod post annos circiter ducentos evenit: sed quoniam eodem libro & prædictio & eventus referuntur, neque veritas rei ex diversis scriptionum ætatibus firmari potest, pergo ad alia. 3. Reg. 13, 1. & seq. 4. Reg. 23, 14. Israelitici regni excidium aperte prædixit Isaias; quodque magis mirere, tempus definivit, quo id contingeret: *Adhuc sexaginta & quinque anni, & desinet Ephraim esse populus.* Isa. 7, 8. Quæ partim per Salmanasarem, partim per Asarhaddonum ad exitum perducta sunt. Unde sexaginta quinque annorum illorum ducatur initium, hic non disputo: consuluntor Interpretes. Babylonicæ quoque urbis cladem adeo aperte vaticinatus est, ac si informia rudera, quæ supersunt, oculis ipse suis lustrasset: *Non habitabitur*, inquit, *usque in finem, & non fundabitur usque ad generationem & generationem, nec ponet ibi tentoria Arabs, nec pastores requiescent ibi: sed requiescent ibi bestiæ, & replebuntur domus eorum draconibus, & habitabunt ibi struthiones, & pilosi saltabunt ibi.* Isa. 13, 20. 21. & 14, 23. & 47. & seq. Quæ deinde non semel repetit, ac præsertim quadragesimo septimo capite. Eodem pertinent & illa Jeremiæ: *Propterea habitabunt dracones cum Faunis ficariis, & habitabunt in ea struthiones, & non habitabitur ultra in sempiternum, nec extruetur usque ad generationem & generationem.* Jer. 50, 39. Et hæc quoque: *Et erit Babylon in tumulos, habitatio draconum, stupor, & sibilus, eo quod non sit habitator.* Jer. 51, 37. Eodem pertinent & illa Psalmi centesimi tricesimi sexti: *Filia Babylonis misera, beatus qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuisti nobis: beatus qui tenebit, & allidet parvulos tuos ad petram.* Psal. 136, 8. 9. Quam veræ sint omnes istæ, ac præcipue Isaiæ & Jeremiæ vaticinationes, ostendit Benjamin Tudelensis, cum ait sua ætate visum illic fuisse Nabuchodonosoris palatium vastatum, serpentibus ac scorpionibus plenum. Qui plura volet, Teixeiram consulat, & Petrum Vallensem, aliosque, qui peregrinationes suas literis consignarunt. Prorsus vero mirabilem de Cyro prædictionem edidit Isaias, nomine ejus expresso; dignitate quoque, ac rebus gerendis tanto ante præsignificatis, Hierosolymorum videlicet, ac Templi reparatione. *Qui dico Jerusalem*, inquit Deus, *Habitaberis; & civitatibus Juda, Ædificabimini, & deserta ejus suscitabo. Qui dico Cyro, Pastor meus es, & omnem voluntatem meam complebis. Qui dico Jerusalem, Ædificaberis; & Templo, Fundaberis.* Isa. 44. 26. 27. 28. & 45, 1. & seq. Pergit deinde: *Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro, cujus apprehendi dextram, ut subjiciam ante faciem ejus gentes, & dorsa regum vertam, & aperiam coram eo januas, & portæ non claudentur. Ego ante te ibo, & glorioſos terræ humiliabo, portas æreas conteram, & vectes ferreos confringam. Et dabo tibi thesauros absconditos, & arcana secretorum, ut scias quia ego Dominus, qui voco nomen tuum, Deus Israel. Propter servum meum Jacob, & Israel electum meum, & vocavi te nomine tuo; assimilavi te, & non cognovisti me. Ego Dominus, & non est amplius: extra me non est Deus: accinxi te, & non cognovisti me.* Quæ si quis ad historiæ fidem exigat, talia esse comperiet, qualia post Cyrum ipsum sciri potuissent. Et hæc tamen ducentis propemodum ante Cyrum annis, eoque amplius, si Josephum sequimur, prænuntiata sunt. Quod stupendum sane est. Itaque perlectis iis Cyrus rei divinitatem summopere demiratus est. Huc etiam conferendum est prædictum illud Isaiæ; *In die illa erunt quinque civitates in terra Ægypti, loquentes lingua Chanaan, & jurantes per Dominum exercituum: Civitas Solis vocabitur una. In die illa erit altare Domini in medio terræ Ægypti, & titulus Domini juxta terminum ejus erit in signum, & in testimonium Domino exercituum in terra Ægypti. Clamabunt enim ad Dominum a facie tribulantis, & mittet eis Salvatorem & propugnatorem qui liberet eos. Et cognoscetur Dominus ab Ægypto, & cognoscent Ægyptii Dominum in die illa, & colent eum in hostiis & in muneribus, & vota vovebunt Domino & solvent.* Isa. 19, 18 & seq. Docet Josephus id completum fuisse post sexcentos annos, Ptolemæi Philometoris ævo, tum cum Leontopoli in Heliopolitana Præfectura templum Hierosolymitani simile condidit Onias. Scio aliter nonnullos sensisse, & hæc ad Sennacheribi & Josephus Antiq. l. 11. c. 1. Josephus Antiqu. l. 13. c. 6. & de bell. Jud. l. 7. c. 30.

Psam-

Digitized by Google

Psammitichi tempora retulisse. Sed & res ipsa, Templum nempe Dei in media Ægypto; & locus ipse, Civitas Solis; & rei auctor, tam perspicue designantur, ut alio torqueri posse prophetia haudquaquam videatur. Cum præsertim accedat Josephi auctoritas, quem duobus locis affirmaturum id non fuisse puto, nisi communi inter Judæos opinione receptum scisset. Atque hoc quidem κατὰ λέξιν *(juxta verba)* nec enim quidquam vetat, quominus κατὰ σχῆμα *(juxta figuram)* ad vocationem gentium pertineat. Hierosolymorum obsidionem & direptionem prænuntiat Jeremias his verbis: *Ecce ego convocabo omnes cognationes regnorum Aquilonis, ait Dominus: & venient, & ponent unusquisque solium suum in introitu portarum Jerusalem, & super omnes muros ejus in circuitu, & super universas urbes Juda.* Alio loco: *Ecce ego adducam super vos gentem de longinquo, domus Israel, ait Dominus; gentem robustam, gentem antiquam, gentem cujus ignorabis linguam, nec intelliges quid loquetur.* Tum: *Conteret urbes munitas tuas, in quibus tu habes fiduciam, gladio.* Promittit tamen non excisum iri funditus: *Verumtamen in diebus illis, ait Dominus, non faciam vos in consummationem.* Et paulo superius: *Ascendite muros ejus, & dissipate, consummationem autem nolite facere: auferte propagines ejus, quia non sunt Domini.* Iterum de Excidio: *Ejiciam vos de terra hac, in terram quam ignoratis vos, & patres vestri.* Rursum: *Omnes thesauros tuos in direptionem dabo.* Quæ sæpius subinde iterat; tum demum subjicit: *Et post hæc, ait Dominus, dabo Sedeciam regem Juda, & servos ejus, & qui derelicti sunt in civitate hac a peste, & gladio, & fame, in manu Nabuchodonosor regis Babylonis, & in manu inimicorum eorum, & percutiet eos in ore gladii, & non flectetur, neque parcet, neque miserebitur.* Et in oratione Threnis subjecta: *Sion disperiit, vulpes ambulaverunt in eo.* Quæ assonant his Michææ: *Sion quasi ager arabitur, & Jerusalem quasi acervus lapidum erit.* Atqui vera hæc esse oculorum suorum testimonio hodieque peregrinatores sciunt. Quæ primo capite pronuntiat: *Ab Aquilone pandetur malum super omnes habitatores terræ:* sunt qui ea referant ad irruptiones gentium septentrionalium, quibus orbis prope universus vexatus est. At nobilissimum & celebratissimum ejus vaticinium illud est, quo non Israelitarum solum captivitatem, & victricem gentem, & pœnam huic ipsi olim irrogandam; sed annos etiam captivitatis exprimit: *Et erit universa terra hac in solitudinem, & in stuporem: & servient omnes gentes istæ regi Babylonis septuaginta annis. Cumque fuerint septuaginta anni, visitabo super regem Babylonis, & super gentem illam, dicit Dominus, iniquitatem eorum, & super terram Chaldæorum, & ponam illam in solitudines sempiternas.* Et alibi: *Hæc dicit Dominus: Cum cœperint impleri in Babylone septuaginta anni, visitabo vos, & suscitabo super vos verbum meum bonum, ut reducam vos ad locum istum.* Tum: *Reducam captivitatem vestram ..... & reverti vos faciam de loco, ad quem transmigrare vos feci:* quæ aliis locis sæpe repetita invenies. Quæ de Ephree rege Ægypti prædixerunt Jeremias & Ezechiel, eorum exitum narrat Herodotus in Euterpe; Aprien siquidem, qui idem est ac Ephree, ab Amasi captum, & in Saiticam custodiam conjectum, ac tandem morti datum fuisse scribit. Quam accurate Babylonis excidium prænuntiaverit Jeremias capite quinquagesimo, & sequenti, memoratu dignum est. A gente Aquilonari, ejusque rege expugnatum iri ait; Medis nempe, eorumque rege Cyro; Persarum quippe reges, Medorum, Persarumque reges fuisse dictos appareret ex octavo capite Danielis: Reges Ararat, Menni, Ascenez, & Mediæ adversus eam prœliaturos, reges nempe Lydorum, & Armenorum, aliorumque, quos Xenophon Cyro in ea expeditione affuisse narrat. Oppugnationis quoque Babylonicæ rationem exponit Jeremias: *Siccitas,* inquit, *super aquas ejus erit, & arescent.* Deinde: *Currens obviam currenti veniet, & nuntius obviam nuntianti, ut annuntiet regi Babylonis, quia capta est civitas ejus a summo usque ad summum, & vada præoccupata sunt, & paludes incensæ sunt igni.* Hæc ita contigisse testes locupletes habemus Herodotum & Xenophontem, qui Cyrum tradunt Euphratis aquas aliorsum derivasse, atque ita arefacto fluminis alveo facilem sibi ad urbem capiendam transitum parasse. Ait quoque Jeremias: *Cessaverunt fortes Babylonis a prælio, habitaverunt in præsidiis.* Videlicet cum

Jer. 1, 15. Jer. 5, 15. Jer. 5, 17. Jer. 5, 18. Jer. 5, 10. Jer. 16, 13. Jer. 17, 3. Jer. 21, 7. v. 18. Mich. 3, 12. Jer. 1, 14. Jer. 25, 11, 12. Jer. 29, 10, 14. Jer. 44, 30. Ezech. 29. Xenoph. Cyr. l. 5. Jer. 50, 38. & 51, 31. Herod. Cl. Xenoph. Cyr. l. 7. Jer. 51, 30.

Digitized by Google

Nabonidus rex Borsippam se recepit, uti narrat Berosus. Qua de prædictione quid existimandum sit, malo docere verbis Josephi Scaligeri, viri doctissimi, quam meis: *Nabonidum in munimento Borsippeno inclusum tandem post diuturnam obsidionem expugnavit Cyrus. Quod a Jeremia ita ordine prædictum fuerat, ut dubitem majorne voluptas, ad admiratio sit, ea legere. Non enim vaticinium sed res gesta videtur.* Pergit Jeremias: *Intensa sunt tabernacula ejus, contriti sunt vectes ejus. Currens obviam curreti veniet, & nuntius obvius nuntianti, ut annuntiet regi Babylonis, quia capta est civitas ejus a summo usque ad summum.* Refert quippe Herodotus tantam fuisse magnitudinem urbis, ut extremis jam captis, rem nondum inaudiverint qui urbis meditullium incolebant. Idem habet Xenophon, atque orta demum luce se captos intellexisse, qui arces tenebant. At ineptum est, quod prodit Aristoteles, partem urbis aliquam die tertio se expugnatam nondum sensisse. Fieri sane id potuisset, si Peloponnesi totius ambitum Babylonicorum murorum circumscriptio exæquasset, quod perperam opinatus est. Ita error errorem trahit. Tandem Babylon *ubique dedit manum*, inquit Jeremias, *ceciderunt fundamenta ejus, destructi sunt muri ejus; quoniam ultio Domini est.* Quippe partim a Persis, partim a tempore rerum edace, Macedonumque negligentia, partim etiam a Seleuco Nicatore, cum ex ejus ruinis Seleuciam ad Tigrim condidit, consumtam refert Strabo. Reditionis in patriam pollicitationibus, Ebræorum captivitatem solatus est Ezechiel: *Habitare vos faciam sicut a principio, bonisque donabo majoribus, quam habuistis ab initio, & scietis quia ego Dominus.* Et alibi: *Inducam vos in terram Israel.* Rursum: *Requiescere vos faciam super humum vestram.* Deinde: *Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego assumam filios Israel de medio nationum, ad quas abierunt, & congregabo eos undique, & adducam eos ad humum suam.* Quæcunque vero adversus Tyrum futura denuntiat, sive per Nabuchodonosorem, sive per Alexandrum, sive quod potius reor, per utrumque exitum nacta sint, esse certe nacta constat, planeque verax hoc oraculum habendum est. Hadrianum Parvillerium e Societate Jesu, virum candidissimum & Arabice doctissimum, qui decem annos in Syria egit, memini me audire aliquando cum diceret, sibi olim ad collapsos Tyri ruinas accedenti, & rupes mari prætentas, ac dejectos passim in litore lapides procul spectanti, Sole, fluctibus, & auris detersos ac levigatos, & siccandis solum piscatorum retibus, quæ tum forte plurima desuper expansa erant, utiles, venisse in memoriam hujus Prophetiæ Ezechielis de Tyro: *Dabo te in limpidissimam petram: siccatio sagenarum eris, nec ædificaberis ultra, quia ego locutus sum, ait Dominus Deus.* At Daniel non tam vaticinia fundere videtur, quam narrare historiam, cum de quatuor regnis per quatuor bestiarum visa sibi adumbratis disserit. Ipse vero velamen sibi detrahit, cum citra omnem ambagem ait: *Aries, quem vidisti habere cornua, rex Medorum est atque Persarum. Porro hircus caprarum, rex Græcorum est, & cornu grande, quod erat inter oculos ejus, ipse est rex primus. Quod autem fracto illo surrexerunt quatuor pro eo, quatuor reges de gente ejus consurgent, sed non in fortitudine ejus. Et post regnum eorum, cum creverint iniquitates, consurget Rex impudens facie*, nempe Antiochus. Quæ adeo perspicua sunt, ut expositione non egeant. Legi tantum velim libri decimi Archæologiæ Josephi caput decimum. Cladem Judæis a Vespasiano & Tito inferendam clarissime denuntiat Daniel, dicens: *Post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus, & non erit populus, qui cum negaturus est. Et civitatem, & sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, & finis ejus vastitas, & post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una; & in dimidio hebdomadis deficiet hostia & sacrificium, & erit in Templo abominatio desolationis.* Undecimo præterea capite de prioribus Persarum regibus ad Xerxem usque, tum de Alexandro, ejusque successoribus Lagidis & Seleucidis ea narrat, quæ non aliam sibi deposcunt interpretationem, quam ipsam historiam. Atque hoc caput est, quod Alexandro prælegisse Jaddum Judæorum Pontificem Josephus memoriæ prodidit. Horum itaque pondere oppressus Porphyrius, Christianæ veritati semper infestus, eo recurrit, ut commentitium, & post res gestas, Antiochi videlicet Epiphanis temporibus, confictum hunc librum

Berof. apud Joseph. l. 1. contr. Ap.
Scal. Can. Isag. l. 3.
Herod. Clio, c. 191.
Xenoph. Cyrop. l. 7.
Arist. Polit. l. 3. c. 3.
Jer. 50, 15.
Strab. l. 16.
Ezech. 36, 11
Ezech. 37, 12. 14, 21.
Ezech. 26, 27. 28.
Ezech. 26, 5 14.
Dan. 7.
Dan. 8, 20 & seq.
Dan. 9. 26. 27.
Joseph. Antiq. l. 11. c. 8.

Digitized by Google

brum fuisse responderet: sed perfugium illud quarta nostra Propositio præclusit. Utcumque accipiantur ista Oseæ: *Dies multos sedebunt filii Israel sine rege, & sine principe, & sine sacrificio, & sine altari, & sine Ephod, & sine Theraphim; & post hæc revertentur filii Israel, & quærent Dominum Deum suum, & David regem suum, & pavebunt ad Dominum, & ad bonum ejus in novissimo dierum:* sive hæc referas ad Babylonicam captivitatem, & Ebræorum reditum ad pristinas sedes, Zorobabele duce, juxta complurium Judæorum sententiam; sive ad calamitates a Judæis post Christi necem toleratas, ut Hieronymo & multis Christianis visum est, constat utique ad eventum esse perducta. Israelitarum quoque deportationem in Assyriam prædixit, cum diceret: *Vaccas Bethaven coluerunt habitatores Samariæ: quia luxit super eum populus ejus, & aditui ejus super eum exultaverunt in gloria ejus, quia emigravit ab eo: siquidem & ipse in Assur delatus est, munus regi ultori.* Idem jam ante significaverat his verbis: *Et factus est Ephraim quasi columba seducta non habens cor: Ægyptum invocabant, ad Assyrios abierunt.* Terræ motum, qui tum contigit, cum Pontificiale munus usurparet Ozias, biennio ante prædixerat Amos, ut supra ostendi. Israelitarum quoque captivitas & reditio domum manifeste ab eo prænuntiatæ sunt: *Israel captivus,* inquit, *migrabit de terra sua.* Et alibi: *Concutiam in omnibus gentibus domum Israel.* Deinde: *In gladio morientur omnes peccatores populi mei.* Et mox: *In die illa suscitabo tabernaculum David quod cecidit, & reædificabo illud sicut in diebus antiquis.* Tum: *Et convertam captivitatem populi mei Israel; & ædificabunt civitates destertas, & inhabitabunt; & plantabunt vineas.* Hierosolymitanum excidium a Zacharia apertissime prædictum est: *Ecce veniet dies Domini, & dividentur spolia tua in medio tui: & congregabo omnes gentes ad Jerusalem in prælium, & capietur civitas, & vastabuntur domus, & mulieres violabuntur, & egredietur media pars civitatis in captivitatem, & reliquum populi non auferetur ex urbe.* Quæ sive referas ad cladem ab Antiocho Epiphane Hierosolymis illatam; sive, quod probabilius videtur Eusebio, ad alteram a Vespasiano & Tito inflictam, in qua ingens populi Judaici pars periit, & ad aliam ab Hadriano, cum magna civium multitudo Urbe ejecta est, vere utique χρησμὸς τελεσφόρος (*oraculum eventu completum*) est. Fatendum ergo est, multas Prophetias Veteris Testamenti veraces esse. Quod erat probandum.

Os. 3, 4. 5

Hieron. in Os. 3.

Os. 10, 5.

Os. 7, 8.

Amos 1, 1. & 3. 15.

Amos 1, 11. & 9, 9. 10. 11. 14.

Zach. 14, 1. 2

Eus. Dem. l. 6.

PROPOSITIO VII.

Multa habentur in Veteri Testamento Prophetia de Messia.

I. *Vetus Testamentum, forma & apparatus Novi.* II. *Duplex prædictionum genus, per signa & per verba.* III. *Multiplex prædictionum genus per verba.* IV. *Explodituur duplex Grotii sententia; prior, qua statuit universis de Christo prophetiis duplicem inesse sensum; primarium, qui ad historiam temporis, quo edita sunt, referendus sit; secundarium, qui ad Christum:* V. *altera, qua negat prædictionibus vim argumenti inesse.* VI. *Duplex eorum secta, qui prædictum fuisse Christum negarunt.* VII. *Colliguntur vaticinationes Christi prænuntiæ: e Genesi,* VIII. *Exodo,* IX. *Numeris,* X. *Deuteronomio,* XI. *Libro Josuæ,* XII. *Libris Regum, & Paralipomenon,* XIII. *Libro Job,* XIV. *Libro Psalmorum,* XV. *Prophetia Isaiæ,* XVI. *Prophetia Jeremiæ,* XVII. *Lamentationibus Jeremiæ,* XVIII. *Prophetia Baruchi,* XIX. *Prophetia Ezechielis,* XX. *Prophetia Danielis,* XXI. *Prophetia Oseæ,* XXII. *Prophetia Joelis,* XXIII. *Prophetia Amos,* XXIV. *Prophetia Abdiæ,* XXV. *Prophetia Michææ.* XXVI. *Prophetia Habacuc,* XXVII. *Prophetia Sophoniæ,* XXVIII. *Prophetia Aggæi,* XXIX. *Prophetia Zachariæ,* XXX. *Prophetia Malachiæ,* XXXI. *& libro primo Machabæorum,* XXXII. *Ethnici a Judæis, Judæorumque libris edocti Messiam prænoverunt & expectarunt. Astutissima Josephi fallacia deprehenditur.* XXXIII. *Pseudochristi complures.*

I. MEminerimus hanc nos supra Messiæ definitionem dedisse: *Homo Deus, a Deo divinitus missus ad hominum salutem, & a Prophetis in Veteri Testamento prædictus.* Quod si nulla in Veteri Testamento extaret de Messia prædictio, nullus utique vel foret, vel fuisset Messias, & rei non existentis neque extituræ ea esset definitio, qualis Geo-

Vetus Testamentum forma & apparatus Novi.

metrica definitio puncti est, & lineæ, & superficiei, quæ nec fuerunt unquam, nec esse possunt. Verum rem aliter se habere, declarabit hæc Propositio, qua sparsa per Veteris Testamenti libros oracula de Christo in unum colligemus. Quod priusquam facere aggredimur, verba præfari licet, quibus alloquitur Romanos Paulus: *Ei autem, qui potens est vos confirmare, juxta Evangelium meum, & prædicationem Jesu Christi, secundum revelationem mysterii temporibus æternis taciti, (quod nunc patefactum est per Scripturas Prophetarum, secundum præceptum æterni Dei, ad obeditionem fidei) in cunctis gentibus cogniti, soli sapienti Deo per Jesum Christum, cui honor & gloria in secula seculorum:* Et hæc, quibus Corinthios compellat: *Loquimur Dei sapientiam in mysterio quæ abscondita est, quam prædestinavit Deus ante secula in gloriam:* & ista Petri: *Redemti estis pretioso sanguine, quasi agni immaculati Christi, & incontaminati, præcogniti quidem ante mundi constitutionem, manifestati autem novissimis temporibus propter vos.* Cum enim ab omni retro ævo tempus definivisset Deus omnipotens, quo humanum corpus subire Filium unigenum decreverat, variis signis ac figuris, multisque Prophetarum prædictionibus, qua claris & apertis, qua obscuris & involutis, ad futuri beneficii spem homines excitavit. Quorum ne intercideret aliquando memoria, quam vel ad splendorem rei ac dignitatem, vel ad sanctorum hominum alendam pietatem, vel ad impiorum contundendam pertinaciam retineri decebat, singula certis Dei jussis in literas diligenter relata sunt. Ad hæc si quis mentem simplicem & sincerum pectus adhibeat, Christum, Christique dispensationem tam luculentis agnoscet expressam monumentis, ut finem Legis & Prophetarum Christum esse, & Vetus Testamentum formam esse & apparatum Novi fateri cogatur. Hinc illud vetustiorum Ebræorum: כל מה שנזכר בתורה ובנביאים ובכתובים רומזים אל החכמה *Omnia quæcunque memorantur in Lege, Prophetis, & Hagiographis, indicant sapientiam;* hoc est Christum. Nam si petitis a Mosaico Pentateucho initiis per universa prisci Fœderis volumina lectio decurrat, prænuntiatus uno concentu reperietur Christus; homo videlicet quidam eximius & divinus, imo & ipse Deus, de nova Lege condenda, humani generis moribus in melius reformandis, ejusdemque eluendis noxis, ac salute demum hominibus comparanda a Deo legatus. Quapropter cum apud Agrippam regem, & Berenicen, & Festum Præsidem causam ex vinculis diceret Paulus, hac præcipue testificatione crimen a se removebat: *Auxilio enim adjutus Dei usque in hodiernum diem sto, testificans minori atque majori, nihil extra dicens, quam ea, quæ Prophetæ locuti sunt futura esse, & Moyses, si passibilis Christus, si primus ex resurrectione mortuorum, lumen annuntiaturus est populo & gentibus.* Hac doctrina Romanos imbuebat, cum ad eos talia scriberet: *Finis enim Legis Christus, ad justitiam omni credenti.* Item apud Cornelium Centurionem de Christo sic disserebat Petrus: *Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes, qui credunt in eum.* Non alio sæpius usos argumento Apostolos & Evangelistas reperimus, quam quod sacrorum Vatum oracula subministrabant: ut quemadmodum in Novo Testamento complebatur Vetus, ita Veteri Novum confirmaretur.

Rom. 16, 25. 26.

1. Cor. 2, 7.

1. Pet. 1, 20.

Act. 26, 22. 23.

Rom. 10, 4. Act. 10, 43.

II. Duplex autem in veteris Instrumenti libris apparet prædictionum genus, ab antiquis Interpretibus optime agnitum utrumque & distinctum; alterum expressum verbis; signis alterum ac simulacris adumbratum; pro more per Orientem jam inde a vetustissimis temporibus usitatissimo, ac inter Judæos præcipue, quibus cogitationes, sive ad futura, sive ad præsentia, sive ad præterita pertineant, formis ac figuris significare solenne est. Hujus generis fuit Ahiæ Silonitæ vaticinium, cum pallii novi, in duodecim partes scissi, decem segmina colligere Jeroboamum jussit; hac imagine Salomonici regni scissuram præsignificans, cujus decem tribus sub hujus imperium erant olim concessuræ. Sic Sedecias Propheta, cum Syros ab Ebræis profligatum iri significare vellet, *Fecit sibi cornua ferrea, & ait: Hæc dicit Dominus, His ventilabis Syriam, donec deleas eam.* Sic Elisæus moriens Joaso Israelitarum regi prænuntiat victorias adversus Syros, jactu sagittarum, & terra repetitis ictibus percussa. Sic Jeremias per subligaculum lineum in Euphrate putrefactum,

Duplex prædictionum genus, per signa & per verba.

3. Reg. 22, 11. 4. Reg. 13, 14. & seqq.

Hierosolymæ

Digitized by Google

Hierosolymæ Judæorumque superbiam depressum iri portendit. Eidem per agri Anathothici emtionem præmonstravit Deus futurum, ut postliminio in patriam Babylone reversi olim Judæi novas agrorum emtiones venditiones contraherent, haud secus quam antea facere consueverant. Imminentes Judæis calamitates per capillorum & barbæ suæ rasuram, Dei jussu, præmonstrat Ezechiel. Scortum ducere jubetur Osee, eoque procreare liberos, atque ea ipsis imponere nomina, quibus futurorum inerant indicia. Paulum in vincula conjectum iri præsignificavit Agabus, cum sibi pedes atque manus zona Pauli alligasset, Rationem moris hujus dat Hieronymus: *Vult Scriptura divina, non solum auribus docere populum, sed & oculis. Magis enim mente retinetur quod visu, quam quod auditu ad animum pervenit.* Utroque modo Christus Jesus Discipulos suos præceptis instruebat: *Dominus, ac Redemtor noster*, inquit Gregorius Papa, *per Evangelium suum aliquando verbis, aliquando rebus loquitur.* Præclare id argumentum Paulus in priore ad Corinthios Epistola prosecutus est, cum diceret Ebræos *in Moyse baptizatos esse in nube & in mari, & omnes eamdem escam spiritualem manducasse, & omnes eumdem potum spiritualem bibisse, bibisse autem de spiritali consequente eos petra, petram autem fuisse Christum.* Tum addit: *Hæc autem in figura facta sunt nostri, ut non simus concupiscentes malorum, sicut & illi concupierunt.* Et deinde: *Hæc autem in figura contingebant illis; scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos fines seculorum devenerunt.* Nobilissimum præterea, & observatione dignissimum exemplum in duobus Abrahami filiis constituit, quorum alter ex libera, insigni Dei beneficio, post iteratas pollicitationes natus erat, alter ex ancilla fuerat prognatus. Hos Testamenti utriusque Veteris & Novi figuram gerere docet Paulus: *Unum quidem in monte Sina in servitutem generans, quæ est Agar, Sina enim mons est in Arabia, qui conjunctus est ei, quæ nunc est Jerusalem, & servit cum filiis suis. Illa autem quæ sursum est Jerusalem, libera est, quæ mater est nostra.* Deinde subjicit: *Nos autem, fratres, secundum Isaac promissionis filii sumus. Sed quomodo tunc is, qui secundum carnem natus fuerat, persequebatur eum, qui secundum spiritum, ita & nunc.* Idem alibi festos dies, neomenias, sabbatha, totamque adeo Legem, futurorum bonorum umbram esse docet; quorum cultui deditos circumcisos, exemplari & umbræ cœlestium deservire; crassos nempe & pingues Judæos, literam consectantes, obviam videlicet & apertam horum significationem; spiritum vero negligentes, intimam nempe significationem & reconditam; quam veri, & ex animo, intimisque sensibus Judæi, & corde circumcisi persequuntur.

Ezech. 5, 1. & seqq. Ose. 1, 2. & seqq. Act. 21, 10. & seqq. Hieron. in Jer. 19. Gregor. M. Hom. 31. in Evang. 1. Cor. 10, 2. & seqq. Gal. 4, 22. & seqq. Col. 2, 17. Ebr. 10, 1. & 8, 1.

III. Quæ verbis autem continentur Prophetiæ, vel nudam habent ac simplicem significationem, vel obscuram ac multiplicem. Prioris generis est celebre Danielis de Christi interitu prædictum. Tale & illud Oseæ: *Dies multos sedebunt filii Israel sine rege, & sine principe, & sine sacrificio, & sine altari, & sine Ephod, & sine Teraphim.* Occulta inest & implicata venturorum prædictio istis Isaiæ: *Et dixit Dominus ad me: Sume tibi librum grandem, & scribe in eo stilo hominis: Velociter spolia detrahe: cito prædare.* Et his quoque ejusdem Prophetæ: *Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hœdo accubabit: vitulus, & leo, & ovis simul morabuntur, & puer parvulus minabit eos: vitulus & ursus pascentur; simul requiescent catuli eorum: & leo quasi bos comedet paleas.* Hanc quam proponimus Prophetiarum divisionem manifeste amplectitur Origenes libro primo contra Celsum: λεκτέον οὖν πρῶτον ὅτι πολλοὶ προφῆται πανταχόθεν προεῖπον τὰ περὶ Χριστοῦ, οἱ μὲν δι' αἰνιγμάτων, οἱ δὲ δι' ἀλληγορίας, ἢ ἄλλῳ τρόπῳ, τινὲς δὲ καὶ ἀποκαλύπτοντες. *Primo igitur dicendum est, multos Prophetas res ad Christum pertinentes omnibus modis prædixisse; alios quidem per ænigmata, quosdam per allegoriam, vel alio modo; nonnullos etiam apertis verbis.* Ænigmata interpretor signa; allegorias vero vaticinia, quibus multiplex subest significatio. Sed de variis hisce prædictionum generibus uberius infra tractabimus. Nunc id tantum Lector admonendus est, in his testimoniis geminam significationem, manifestam aliam, aliam latentem complexis, tenendam hanc esse regulam, ut quotiescunque sensus obvius, & ex orationis contextu efflorescens, præ se fert absurdum aliquid, vel Legi divinæ, aut Scripturæ sacræ repugnans, tum insuper

Multiplex genus prædictionum per verba. Ose. 3. 4. Isa. 8, 1. Isa. 11, 6. 7.

Digitized by Google

insuper habeatur & spernatur ille sensus, nec in cortice Lector hæreat, sed reconditam sententiam enucleet, & evolvat.

Explodituꝛ duplex Grotii sententia; prior, qua statuit universis de Christo Prophetiis duplicem inesse sensum primarium, qui ad historiam temporis, quo edite sunt, referendus sit; secundarium, qui ad Christum:

IV. Minime vero probare possum Hugonis Grotii, viri de sacris literis cæteroquin egregie meriti, sententiam, qui Matthæi locum quemdam interpretans, pertinentes ad Christum prædictiones, non aliquas, quod pateremur, sed universas, primarium quemdam & proprium ac proximum sensum, ad historiam ejus temporis, quo proferebantur, referendum involvere docet; secundarium vero & mysticum ac allegoricum & remotum ad Christum. Hoc, inquam, in multis verum esse fatemur; velut in illa prædictione Jeremiæ: *Vox in excelso audita est lamentationis, luctus, & fletus Rachel plorantis filios suos, & nolentis consolari super eos, quia non sunt:* quibus & calamitates illo tempore Bethlehemitis a Babyloniis illatæ significantur primum, deinde & aliæ ab Herode inferendæ prænuntiantur. Hujusmodi & illud est: *Ego ero ei in patrem, & ipse erit mihi in filium:* quod de Salomone prædictum a Deo per Nathanem, ad Christum sine hæsitatione refert Paulus in Epistola ad Ebræos. Aliud quoque nobis exemplum suppeditat Hieronymus: *Hic est mos Scripturæ sanctæ*, inquit, *ut futurorum veritatem præmittat in typis, juxta illud, quod de Domino Salvatore in septuagesimo primo Psalmo dicitur, qui prænotatur Salomonis, & omnia, quæ de eo dicuntur, Salomoni non valent convenire. Nec enim permansit ille cum Sole, & ante Lunam generationis generationum, neque dominatus est a mari usque ad mare, & a flumine usque ad terminos orbis terrarum, nec omnes gentes servierunt ei, neque ante Solem permansit nomen ejus, nec benedictæ sunt in ipso omnes tribus terræ, neque omnes gentes magnificaverunt eum. Ex parte autem, & quasi in umbra, & imagine veritatis in Salomone præmissa sunt, ut in Domino Salvatore perfectius implerentur.* Verum alia esse pertendo Prophetarum oracula, quæ Christum mere respiciant, ad ea vero quibus edita sunt tempora, nulla quantumvis coacta ac violenta expositione queant detorqueri: cujusmodi sunt prædictiones Jacobi Patriarchæ de abrogando sceptro Juda, cum venerit Christus; & Danielis de Christi adventu post hebdomades septuaginta. Tale est & illud Zachariæ: *Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos. Et dixit Dominus ad me: Projice illud ad statuarium, decorum pretium, quo appretiatus sum ab eis. Et tuli triginta argenteos, & projeci illos in domum Domini ad statuarium.* Insolita illa Prophetarum acta, quæ Dei jussu fiunt, futurorum fere signa esse, constat ex allatis paulo superius exemplis. Hujusmodi esse & hoc Zachariæ certum est: cui ecquodnam aliud contigerit πλήρωμα (*complementum,*) quam cum a Juda Christus venditus est, comminisci Grotium non posse puto. Simile est & istud ejusdem: *Exulta satis, filia Sion; jubila, filia Jerusalem: ecce rex tuus veniet tibi justus & Salvator: ipse pauper & ascendens super asinam & super pullum filium asinæ.* Ostendat Grotius regem aliquem Juda, justum, Salvatorem, pauperem, asina vectum, pullo subsequente, Hierosolymam iniisse, non repugnabo. Simile & illud Davidis: *Et dederunt in escam meam fel, & in siti mea potaverunt me aceto.* Dicat Grotius ecquando felle pastus fuerit David, vel acetum biberit. Clarissimum vero præ reliquis istud ejusdem: *Foderunt manus meas & pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea. Ipsi vero considerαverunt, & inspexerunt me: diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem.* Quæ quem locum obtinere possint in historia Davidis, non intelligo. Scio hæc commentitiis quibusdam allegoriis obtundere conatum esse olim Theodorum Mopsuestenum, sed vanis adeo & frivolis, ut sententiæ nostræ veritatem adstruant potius quam destruant. Plura afferre possem, sed ista sane vim Prophetiarum satis defendunt, quam Grotii opinio labefactat.

2. Reg. 7, 14.

Ebr. 1, 5.

Hieron. in Dan. 11, 12.

Zach. 11, 12. 13.

Zach. 9, 9.

Ps. 68, 22.

Psal. 21, 18. 19.

Altera, qua negat prædictionibus vim argumenti inesse.

V. Eandem vero penitus infringit, cum ait vaticinia hæc, *non in vim argumenti proprie adhiberi, sed ad illustrandam atque confirmandam rem jam creditam:* quod perinde est ac si diceret, ad Christianam fidem probandam infirma esse & invalida, ornatus vero tantum, & fovendæ Christianorum pietatis gratia, sic tanquam quasdam Veteris & Novi Testamenti convenientias, & piis & ingeniosis hominibus excogitatas, & κατὰ κόλλησιν (*per applicationem*) accommodatas, observari & proferri; cum nihil ad ponenda fidei fundamenta prosint. Quæ doctrina,

Digitized by Google

doctrina, tanti viri pace dixisse liceat, parum certe abest ab impietate, & tota Socini fermento turget. Ejus siquidem discipulus Smalzius capite nono de divinitate Jesu Christi, in eamdem prorsus conspirat sententiam, quam & iisdem fulcit rationibus. Sic & Luthero visum narrant quidam. At aliter sentiebat Augustinus, qui adversus Faustum Manichæum Prophetarum prædictiones respuentem disputans, non fidem Christi miraculis & resurrectione comparatam, vatum Prophetiis confirmandam esse censuit; sed a vaticiniis potius Prophetarum ordiendam esse fidem, ad absconditos deinde sapientiæ & scientiæ thesauros penetrandum esse existimabat: *Ea ipsa,* inquit, *est simplex fides, qua credimus, antequam cognoscamus supereminentem scientiam caritatis Christi, ut impleamur in omnem plenitudinem Dei, non sine causa dispensationem humilitatis ejus, qua humanitus natus & passus est, a Prophetis per propheticam gentem, per propheticum populum, per propheticum regnum tanto ante prædictam.* Tum: *Ibi sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi, qui nulli aperiuntur, si sibi per maternam carnem trajectum cibum, id est per Apostolica & Prophetica ubera lactis alimenta contemserit.* Demum concludit: *Non ergo quod dicimus necessariam simplicem fidem, contrarium est ei quod dicimus, ut Prophetis credatur: magis enim ad hoc pertinet, ut Prophetis credatur, priusquam purgata & roborata mente possit intelligi, qui per Prophetas sic loquebatur.* Idem alibi: *Quid est Christus? dicit Paganus; cui respondemus: Quem prænuntiaverunt Prophetæ.* Nempe Pagarum Christi notitia & fidei rudimentis imbuendum, adire vult & consulere Prophetas. Alio item loco totam Ebraicæ Reipublicæ administrationem, Christi prophetiam fuisse docet: *Cui prophetando venturo,* inquit, *gens una deputata est, cujus Reipublicæ tota administratio prophetia esset illius Regis venturi, & civitatem cœlestem ex omnibus gentibus condituri.* Aliter sentiebat & Eusebius, cum scriberet: ἡ μεγάλη τυγχάνει τῆς καθ' ἡμᾶς ἀληθείας ἀπόδειξις, νῦν ἡ ἀπὸ τῶν ἑβραϊκῶν γραφῶν μαρτυρία, ἐν αἷς πρὸ μυρίων ἔσων ἐτῶν δι' ἁγίων ἑβραίοις προφήταις τὴν τῶν ἐναγγελίων κηρυγμάτων τῷ ὄντι βίῳ κηρύξαντες, ὀνόματι τῆς τε τοῦ θεοῦ προσηγορίας ἐμνήσθησαν, νῦν τὴν ἐκ δεξιῶν αὐτοῦ παρουσίαν προεθέσπισαν. *Non levis est probatio veritatis, quam tuemur, Ebraicarum literarum testificatio, in quibus cum ante multos annos Ebræi Prophetæ bonorum promissionem omni mortali generi prædicaverint, nominativo Christi appellationis meminerunt, ejusque adventum ad homines vaticinati sunt.* Itaque oraculis præcipue Prophetarum dogmatis Christiani veritatem in libris de evangelica demonstratione adstruxit. Aliter sentiebat Sylvester Papa, qui in disputatione cum Judæis Romæ habita, quam historiæ suæ Cedrenus inseruit, hoc uno propemodum argumento, quod ex Prophetiarum eventu ducitur, Christianorum causam tuebatur. Aliter sentiebat Constantinus Imperator, qui, cum colloquio huic interesset, sic Judæos affatus est: εἰ ταῦτα τῆς ὑμετέρας περιέχεται βίβλοις, περιασσῶς ἐντυλίγετε ὦ Ἰουδαῖοι, τῶν παθημάτων ἕνεκεν τοῦ χριστοῦ ἅπερ κατὰ τάξιν προλεχθέντα ἐν τῷ χριστῷ ἐπληρώθη. *Si hæc vestris continentur libris frustra, o Judæi, contradicitis, ob ea quæ passus est Christus, quæ ordine prædicta in Christo completa sunt.* Aliter sentiebat Lactantius, cum sic quemdam Christianæ religionis adversarium alloqueretur: *Disce igitur, si quid tibi cordis est, non solum idcirco a nobis Deum creditum Christum, quia mirabilia fecit, sed quia vidimus in eo facta esse omnia, quæ nobis annuntiata sunt vaticinio Prophetarum.* Et rursus: *Non igitur suo testimonio (cui enim de se dicenti potest credi? sed Prophetarum testimonio, qui omnia quæ fecit ac passus est, multo ante cecinerunt, fidem divinitatis accepit.* Aliter sentiebat Cyprianus, cum testimonia e Libris sacris adversus Judæos colligens scriberet in Præfatione ad Quirinum profuturas ei prædictiones Prophetarum, *ad prima fidei lineamenta formanda.* Aliter sentiebat Origenes, cujus hæc verba sunt adversus Celsum: τὸ μέγιστον τῶν περὶ τῆς εὐσέβειας τοῦ ἰησοῦ κεφαλαίων, ὡς ὅτι προεφητεύθη πρὸς τῶν παρὰ ἰουδαίοις προφητῶν, μωυσέως, νῦν τῶν μετ' αὐτὸν, ἢ νῦν πρὸ μωυσέως. *Omnium quæ ad adstruendam Christi fidem adhiberi possunt argumentorum maximum hoc est, quod prædictus fuit a Prophetis, qui apud Judæos fuerunt, tum Mose, tum & iis, qui Mose vel recentiores fuerunt, vel vetustiores.* Idem etiam probationem, quæ fit per Prophetarum prædictiones, ἰσχυροτάτην ἀπόδειξιν, *Validissimam demonstrationem* appellat. Aliter sen-

Augustin. adv. Faust. Man. l. 12. c. 46.

Augustin. Tract. 35. in Joh.

Augustin. l. 1. de consens. Evang. c. 11.

Euseb. Præp. l. 1. c. 3.

Lact. Inst. l. 5. c. 3.

Orig. contra Cels. l. 1.

Orig. contra Cels. l. 2.

ter sentiebat Tertullianus, qui librum suum adversus Judæos hac absolvit clausula: *Hæc aut prophetata nega, quæ coram videntur; aut adimpleta, quum leguntur: aut si negas utrumque, in eo erunt adimpleta, in quem sunt prophetata.* Aliter sentiebat Irenæus, qui homines Christi Jesu miracula præstigiis facta esse cavillantes, Prophetarum oraculis convincebat; atque non Prophetiarum veritatem adstruebat Christi miraculis, quod fieri vult Grotius; sed miraculorum Christi veritatem Prophetiis comprobabat. Aliter sentiebat Athenagoras, qui repudiatis Philosophorum opinionibus de Deo, & opinionum argumentis, de Christianorum dogmate ajebat: ἡμεῖς δὲ ὧν νοοῦμεν καὶ πεπιστεύκαμεν, ἔχομεν προφήτας μάρτυρας. *Nos autem eorum, quæ novimus & credimus, Prophetas testes habemus.* Deinde: αἱ φωναὶ τῶν προφητῶν πιστοῦσι ἡμῶν τὰς λογισμούς. *Prophetarum voces ratiocinationes nostras confirmant.* Aliter sentiebat Justinus, qui Prophetarum fere prædictis dogma Christianum adversus Ethnicos & Judæos defendebat. Aliter sentiebant Patres Quinti Concilii, qui Theodorum Mopsuestenum anathemate feriebant, cum ob alias causas, tum quod *Prophetias, quæ de Christo sunt, rejiciens, festinaret dispensationis pro nostra salute magnum mysterium, quantum ad se pertinebat, reprobare.* Quo clare significatur, Prophetiis quæ de Christo prolatæ sunt pessumdatis, sacræ ejus dispensationis mysterium labefieri. Aliter sentiebat & Paulus, cum sic alloqueretur Ephesios: *Estis cives sanctorum & domestici Dei, superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu:* cumque Thessalonicenses moneret, ne Prophetias spernerent: quod tuto certe facere poterant, si supervacanea erat illorum auctoritas; nec faciebant tamen, quemadmodum testificantur Acta: *Hi autem erant nobiliores eorum, qui sunt Thessalonicæ: qui susceperunt verbum cum omni aviditate, quotidie scrutantes Scripturas, si hæc ita se haberent:* item cum apud Romanos prædicaret *revelationem mysterii temporibus æternis taciti, quod patefactum est per scripturas Prophetarum, secundum præceptum æterni Dei, ad obeditionem fidei:* quibus significabat ad devinciendos in obsequium fidei hominum animos efficacissimum argumentum peti ex scripturis Prophetarum. Cum ergo Romæ Judæos ad se convenientes in Christiana fide instituere vellet, *suadebat eis de Jesu, ex lege Moysi, & Prophetis, a mane usque ad vesperam;* non ex Christi ipsius miraculis & resurrectione, quod vult Grotius. Imo vero causam suam agens apud Agrippam, reliquis prætermissis argumentis, unico hoc, quod vatum prædictionibus constat, utpote solidissimo & utilissimo, uti se solere declarat: *Auxilio,* inquit, *adjutus Dei usque in hodiernum diem sto, testificans minori atque majori, nihil extra dicens, quam ea, quæ Prophetæ locuti sunt, futura esse, & Moyses, si passibilis Christus, si primus ex resurrectione mortuorum, lumen annuntiaturus est populo & gentibus.* Cum ergo sic Agrippam interpellasset: *Credis, rex Agrippa, Prophetis?* statim respondit Agrippa: *In modico suades me Christianum fieri,* quasi id significans, admissis Prophetarum vaticiniis, statim Christo dandum esse nomen. Non alia ex nota Christum agnoscere se profitetur apud Nathanaelem Philippus, quam ex vaticinationibus Prophetarum: *Quem scripsit Moyses, in Lege,* inquit, *& Prophetæ, invenimus, filium Joseph a Nazareth.* Prophetas Evangelistarum præcursores prædictionibus suis muniisse viam Evangelio docet Petrus: *De qua salute exquisierunt atque scrutati sunt Prophetæ, qui de futura in vobis gratia prophetarunt; scrutantes in quod vel quale tempus significaret in eis Spiritus Christi, prænuntians eas quæ in Christo sunt passiones, & posteriores glorias: quibus revelatum est, quia non sibimet ipsis, vobis autem ministrabant ea, quæ nunc nuntiata sunt vobis per eos, qui evangelizarunt vobis, Spiritu sancto misso de cœlo, in quem desiderant Angeli prospicere.* Sequenti deinde Epistola propheticis oraculis fidem potius jubet adjungi, quam suo fratrumque suorum quantumlibet vero testimonio: *Accipiens enim a Deo Patre honorem & gloriam, voce delapsa ad eum hujuscemodi a magnifica gloria: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite. Et hanc vocem nos audivimus de cœlo allatam, cum essemus cum ipso in monte sancto. Et habemus firmiorem propheticum sermonem; cui benefacitis attendentes quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies elucescet, & Lucifer oriatur in cordibus vestris: hoc primum intelligentes, quod omnis prophetia Scri-*

Iren. adv. Hær. l. 2. c. 57.

Ath. Leg.

Concil. 2. Constant. Collat. 8.

Eph. 2. 19. 20.

1. Thess. 5. 20.

Act. 17, 11.

Rom. 16, 26.

Act. 28, 23.

Act. 26, 22.

Act. 26, 27.

Joh. 1, 45.

1. Petr. 1, 11. 13.

2. Petr. 1, 17. & seq.

Digitized by Google

tia Scripturæ propria interpretatione non fit. Non enim voluntate humana allata est aliquando Prophetia, sed Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines. Idem Hierosolymitas hoc ipso argumento ad eluendum pœnitentia crimen hortatur, quod Act. 3, 17. & seq. Jesum insontem trucidando admiserant: *Et nunc, fratres, scio quia per ignorantiam fecistis, sicut & Principes vestri. Deus autem quæ prænuntiavit per os omnium Prophetarum, pati Christum suum, sic implevit. Pœnitemini igitur, & convertimini, ut deleantur peccata vestra.* Vides non ad fovendam duntaxat fidem jam animis hominum illapsam opportunum esse & utile Prophetiarum subsidium, sed ad parandos animos & subigendos in fidei susceptionem. Lucernæ lucenti in caliginoso loco Propheticum sermonem comparat; an fide jam illustratam mentem caliginosum locum dixit? minime sane. Ergo fidei prævius esse debet sermo Propheticus, nedum comes aut assecla. Apollo Alexandri- Act. 18, 28. nus *Vehementer Judæos revincebat publice, ostendens per Scripturas, esse Christum Jesum*, non utique per miracula ab eo edita. Ait Apoc. 19, 10. Angelus Johanni in Apocalypsi: *Testimonium enim Jesu, est spiritus prophetiæ:* ac si diceret, ad fidem Christo Jesu conciliandam, non aliunde certiora duci quam ex oraculis Prophetarum testimonia. Emmauntios viatores gravissimis verbis castigat Christus, non quod ad patrata a se prodigia, sed quod ad edita de se prædictiones parum adhiberent Luc. 24, 25. & seq. fidei: *O stulti & tardi corde ad credendum in omnibus, quæ locuti sunt Prophetæ! Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam? Et incipiens, a Moyse, & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ de ipso erant.* Eodem Joh. 5, 39. & seq. argumento Judæos urgebat, cum diceret: *Scrutamini scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere, & illæ sunt quæ testimonium perhibent de me..... Nolite putare, quia ego accusaturus sim vos apud Patrem: est qui accusat vos Moyses, in quo vos speratis. Si enim crederetis Moysi, crederetis & mihi: de me enim ille scripsit. Si autem illius literis non creditis, quomodo verbis meis credetis?* Quibus significat, quicumque Mosem admiserit, se quoque ut admittat necesse esse: quippe ex eo non speciosa quædam & verisimilia, sed necessariæ consequentiæ argumenta depromi, ad persuadendam fidei Christianæ veritatem. In eamdem sententiam Apostolos affatur Christus: *Hæc sunt verba, quæ* Luc. 24, 44. *locutus sum ad vos, quoniam necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysis, & Prophetis, & Psalmis de me.* Profecto si Prophetiarum multiplex est significatio, aliaque ad res Veteris Testamenti spectet propius, alia ad Christum accommodari possit, non tamen in vim argumenti adhiberi, quod arbitratus est Grotius, eam certe impleri necesse non est, quæ jam in prioris significationis eventu πλήρωμα *(complementum)* suum est consecuta: unde efficitur, necesse non fuisse impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysis, & Prophetis, & Psalmis de Christo; quod cum ipsius Christi verbis ex adverso pugnat. Item alibi Discipulos sic alloquitur Jesus Dominus: *Nunc dixi vobis priusquam* Joh. 14, 29. *fiat, ut cum factum fuerit credatis:* efficacissimam esse docens ad persuadendum futurorum prædictionem. Hoc ipsum significatum voluit, cum in monte Mosem & Eliam alloqui visus est. Objiciat quispiam istud Pauli e priore Epistola ad Corinthios: *Itaque* 1. Cor. 14, 22. *linguæ in signum sunt, non fidelibus, sed infidelibus: Prophetiæ autem non infidelibus, sed fidelibus.* Si addatur vocula, quam suppleri debere Grotius ipse agnoscit, apertior erit loci sententia: *In signum sunt Prophetiæ, non infidelibus* solum, *sed fidelibus.* Præterea futurorum prædictiones Prophetiarum nomine neutiquam hic signari consentiunt Interpretes, & id satis indicat, quod extat initio capitis: *Nam qui prophetat hominibus, loquitur* 1. Cor. 14, 3. *ad ædificationem, & exhortationem, & consolationem.* Quantum denique ad futurorum cognitionem roboris insit prædictionibus Prophetarum, facile colligitur ex egregio hoc Amosi testimonio: *Non facit Dominus* Amos 3, 7. *Deus verbum, nisi revelaverit secretum suum ad servos suos Prophetas.* Quod si consiliorum suorum conscios habet Prophetas Deus, præcipue sane eorum, quæ ad Messiam spectant, qui fuit Legis ac Prophetarum finis. Atqui hæc arcana Prophetis aperit Deus, Amos. 3, 8. ut eadem illi hominibus prodant: subjungit quippe Amos: *Dominus Deus locutus est, quis non prophetabit?* Non aliam autem ob causam secreta sua pandi vult hominibus, nisi ut cognoscantur ab iis & credantur; alioquin suam, Prophetarumque suorum operam luderet. Fidem ergo Prophetiis adjungi vult Deus, proindeque vis iis probationis inest,

Digitized by Google

certissimaque inde argumenta conflantur. Atque horum profecto confessionem vis veritatis a Grotio expressit in explanationibus prioris Epistolæ ad Corinthios: illic enim ait Prophetiam cæteris donis præferri ab Apo-
1. Cor. 14, 1. stolo, *Quia maximam ea res auctoritatem præstabat Evangelio, convincebat incredulos, firmabat credentes; divinum enim*, inquit, *ab omnibus hominibus creditur esse prædictio, dicta ob id divinatio.* Ad id autem vi argumenti pollere Prophetiam necesse est. Constat itaque plerasque Prophetarum prædictiones ad Christum spectantes, easque præcipuas, esse hujusmodi, ut Christum mere, proprie ac proxime respiciant; nec aliam iis inesse significationem, nisi forte mysticam allegoricam, remotam, ad arbitrium excogitatam, minime vero necessariam; opportunissimum vero ac præcipuum
Origen. l. 1. contr. Cels. fidei Christianæ argumentum, τὸ μέγιστον τῶν περὶ τῆς συστάσεως τῷ ἰησοῦ κεφαλαίων (*maximum eorum argumentorum, quibus Christo fides asseritur*) ut loquitur Origenes, ex ipsis vatum prædictionibus arcessi. Addo & mihi videri valde probabile, testimonia Veteris Testamenti a Novi Scriptoribus Jesu Christo, ejusque doctrinæ accommodata, constanti omnium consensu hoc tempore credita esse de Christo venturo prædictiones continere; nec opportunius ullum Evangelistis, aliisque Novi Testamenti Scriptoribus visum esse argumentum, quo religionis Christianæ veritatem persuaderent. Quæ cum ajo, probationum aliarum vim haudquaquam oppugno. Quid de operibus suis Christus Judæis dixe-
Joh. 5, 36. & 10, 25. 37. 38. rit, probe memini: *Opera*, inquit, *quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me: Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio, & si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis, & credatis, quia Pater in me est, & ego in Patre.* Et Apostolis: *Non creditis,*
Joh. 14. 11. 12. *quia ego in Patre, & Pater in me est? alioquin*
Joh. 16, 24. *propter opera ipsa credite.* Et deinde: *Si opera*
Joh. 20, 30. 31. *non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Eadem est sententia
Joh. 20, 30. 31. istorum Johannis Evangelistæ: *Multa quidem & alia signa fecit Jesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc. Hæc autem scripta sunt, ut credatis, quia Jesus est Christus filius Dei, & ut credentes vitam habeatis in nomine ejus.* Idem apud regulum Capharnaitam quæritur Christus, Joh. 4, 48. quod *Nisi signa & prodigia non vidissent, non crederent.* Non ergo argumentorum, quæ ad fidem Religioni Christianæ faciendam, vel ex miraculis Christi & Apostolorum, vel aliunde utiliter petuntur, robur infringo: (absit a me hoc nefas) suum duntaxat Prophetiis servari volo. Utraque complexus est Apostolus hoc 1. Cor. 2, 4. commate: *Et sermo meus, & prædicatio mea, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis:* ἐν ἀποδείξει πνεύματος καὶ δυνάμεως. Demonstrationem spiritus appellat, quæ fit per prophetias, cujusmodi hæc nostra est: demonstrationem virtutis, quæ fit per miracula. Ita quidem interpretatur Origenes. Orig. l. 1. cont. Cels.

VI. Contra vero vel proxime & directe, vel remote & oblique Christum Jesum esse prædictum præfracte negarunt alii: quorum tamen opinio non simplex est & uniusmodi, sed in geminas videtur sectas fuisse divisa. Quidam enim Messiam a Prophetis prædictum esse non negant; at Jesum eum esse Christum, qui prædictus est, ejusque vitam, mortem, aliasve gestas res in Veteri Testamento fuisse prænuntiatas, id vero negant. Quam opinionem defendunt Judæi, & olim defendebat Marcion. Alii vero, qui Christum alium non expectant, quod faciunt Judæi, sed Jesum fatentur esse Christum, prædictum tamen a Propheris esse infitiantur. Qua in hæresi fuerunt Manichæi, magnaque adversus Faustum doctrinæ hujus patronum Augustino concertatio est. Eam deinde Theodorus Mopsuestenus, nefarius Hæreticus, sibi defendendam proposuit, in suis Libri Duodecim Prophetarum explanationibus, ut discimus ex Collatione quarta Concilii Quinti. Quanquam eum ab hac hæresi absolvere conatur Facundus. Itaque consentientes habemus & faventes Judæos in septimæ hujus Propositionis defensione, qua multas haberi statuimus in Veteri Testamento Prophetias de Messia: adversarios vero Manichæos, & Theodorum, quos hic nobis oppugnandos proponimus: neque solum ad id colligemus verba Veteris Testamenti, quibus venturus prænuntiatur Messias, sed res etiam ac signa quibus adumbratur & præsignificatur; non omnia quidem anxie corradentes, quæ in hanc sententiam congeri poterant, sed illustria tantum, & Ethnicorum, aut Hæ-

Duplex eorum secta, qui prædictum fuisse Christum negarunt.

August. adv. Faust. Manich. l. 12. c. 1. & l. 18. c. 4.

Facund. l. 3. c. 6.

Digitized by Google

aut Hæreticorum cavillationibus majora: cavebimusque interim, ne quod in aliquibus Christianis carpebat olim Maimonides, id admittamus, ne videlicet nimio partium studio provecti longius, signi ac typi aut vaticinii vim vel ingratiis tribuamus iis antiqui Fœderis testimoniis, quæ utroque vacua sunt. Deinde vero, Messiam illum fuisse Jesum Nazarenum, ex eorundem Prophetarum prædictionibus alia Propositione ostendemus. Impium porro Apellem, de Marcionistarum grege Hæreticum, qui Prophetias ut falsas sibique contrarias ac dissonas penitus aspernabatur, haudquaquam hic adoriemur. Quod oportunius fiet ab iis, qui interpretandas illas susceperunt. Quanquam vel ex sequentibus, iisque præsertim, quæ Propositione nona colligemus, sibimet consentire ipsas, & in prænuntiando Christo Jesu præclare convenire probabimus.

Colliguntur vaticinationes Christi prænuntiæ e Genesi.

VII. Prima occurrit capite tertio Geneseos, ubi serpentem insidiatorem his verbis affatur Deus: *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum & semen illius: Ipse conteret caput tuum, & insidiaberis calcaneo illius.* Vulgata quidem habet *Ipsa*; at Ebraicum exemplar, & Septuaginta Senum Interpretatio, & Samaritana editio habent *Ipse*. Ita & Onkelos, & Jacobus Tawosus Judæus, Persicus interpres, & Syrus. Ita Irenæus, Cyprianus & Hieronymus. Nempe significatur Christus. Quod quamvis Judæi recentiores alio flectere sunt conati, repugnat tamen vetustiorum fides, qui majori candore Christum hic agnoscunt. Ait quippe Jonathan ben Uziel, futurum ut filii mulieris, homines videlicet, præceptis divinis obtemperando caput serpentis conterant; rursum calcem eorum dente invadat serpens, cum prolabentur in vitia; at serpenti remedium fore nullum, piorum vero hominum vulneri Christum, cum venerit, medicinam facturum. Quod perinde est, ac si diceret, Christum, per sanctos homines auxilio ejus fretos, insidiantem iis Dæmonem devicturum. Quam interpretationem amplexus est Hierosolymitanus Paraphrastes.

Gen. 3, 15.

Iren. l. 4. c. 78. Cypr. Test. l. 2. c. 19. Hier. Trad. Ebr. in Gen.

Altera venturi Christi prædictio iis continetur pollicitationibus, quibus Abrahami, Isaaci & Jacobi fidem ac virtutem Deus est prosecutus, cum futurum ipsis spopondit, ut *Benedicantur in iis, & in semine eorum, cuncta tribus terræ.* Quæ sic intellexit Petrus, cum ad Judæos verba faceret: *Vos estis filii Prophetarum, & Testamenti quod disposuit Deus ad Patres nostros, dicens ad Abraham: Et in nomine tuo benedicentur omnes familiæ terræ. Vobis primum Deus suscitans Filium suum, misit eum benedicentem vobis, ut convertat se unusquisque a nequitia sua.* Nec aliter Paulus cum scriberet ad Galatas: *Abrahæ dictæ sunt promissiones, & semini ejus. Non dicit, & seminibus, quasi in multis, sed quasi in uno: Et semini tuo, qui est Christus.* Sic intellexerunt & Judæi, ut apparet ex libro Chasidim R. Samuelis, ubi promissio hæc Dei tunc ad effectum dicitur esse perventura, cum Christi temporibus boni erunt Abrahami posteri. Reperitur & eadem pollicitatio in Psalmo septuagesimo primo, quem ex magna parte ad Christum referri suo loco ostendam, licet ἱστορικῶς *(juxta historiam)* in gratiam Salomonis scriptus sit. Nunc si rem non ex auctoritate, sed ex ratione spectemus, certum est, non aliter quam per merita Christi comparatam esse hominibus eam gratiam, qua justi fiunt, quæque his locis *benedictio* appellatur; unde apposite iis usus est Paulus, cum probare vellet gratiam illam, qua justi & sancti efficimur, non ex Mosaicæ Legis operibus, sed ex fide pendere. Nec id facturum fuisse Paulum credibile est, nisi inter Judæos constare sciisset, his promissis Deum Abrahamo, Isaaco, & Jacobo futurum spopondisse, ut ex eorum prosapia Messias olim esset oriturus. Hæc enim certissima erat Israelitarum spes, fore ut sui generis ac sanguinis esset Christus, non aliis sane quam his quæ attulimus subnixa testimoniis. Sciebant præterea ex vaticinio Jacobi, Christum esse *expectationem gentium*, & ex Aggæo venturum esse *Desideratum cunctis gentibus*, proindeque non in alio *benedictum iri omnes gentes terræ.*

Gen. 12, 3. & 18, 18. & 22, 18. & 26, 4. & 28.

Act. 3, 25. 26.

Gal. 3, 16.

En vero insigne illud Jacobi prædictum, quo Messiæ adventus, genus, tribus, tempus, & munus promittuntur: *Non auferetur sceptrum de Juda, & dux de femore ejus; donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium.* En & hoc Aggæi: *Et movebo omnes gentes, & veniet Desideratus cunctis gentibus, & implebo domum istam gloria, dicit Dominus exercituum.* Hæc recentiorum Judæorum plerique pro more suo

Gen. 49, 10.

Agg. 2, 8.

Digitized by Google

commentitiis interpretationibus incruſtare ſatagunt. At vetuſtiores ad Meſſiam ſine hæſitatione referunt; Chaldæi præcipue Paraphraſtæ, & Thalmudiſtæ etiam, quos ſecuti ſunt R. Selomoh, & R. David Kimchi. Quoniam autem non Chriſti generatim prænuntium eſt iſtud teſtimonium, ſed eum quoque Jeſum fore indicat, alius erit infra de eo diſputandi locus.

Exodo, 1. Cor. 10, 1. & ſeq.

VIII. Chriſti venturi ſymbola quædam profert Paulus priore ad Corinthios: *Nolo enim vos ignorare, fratres, quoniam Patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes mare tranſierunt, & omnes in Moyſe baptizati ſunt, in nube, & in mari: & omnes eamdem eſcam ſpiritalem manducaverunt, & omnes eumdem potum ſpiritalem biberunt. Bibebant autem de ſpirituali conſequente eos petra: petra autem erat Chriſtus.* Tum ſubjicit: *Hæc autem omnia in figura contingebant illis.* Duos hic Chriſti typos obſervat Paulus, manna & rupem aquas profundentem: quorum illud Verbum Dei, hoc ſapientiam Dei, plane ad mentem Pauli Philo interpretatur. Nempe quibus olim eſcæ & potus ſymbolis diſſimulabatur Chriſtus, ſub iisdem nunc quoque populo ſuo in Euchariſtiæ ſacramento ſe impertit. Manna itaque in vaſtam ſolitudinem alendis Iſraelitis fame jam prope deficientibus cœlo depluens, Chriſtum præclare exprimebat, cœlo olim demittendum in terras bonæ virtutum frugis ſteriles, ad hanc ſublevandam inopiam, & hominum animos pietatis ac ſapientiæ nutrimentis paſcendos. Petra quoque aquis ſalutaribus Iſraelitarum in deſerti ſqualore languentium ſitim ſedans, egregium Chriſti ſimulacrum erat, gratiæ ſuæ ſalubres undas mortali generi propinantis.

Phil. libr. Pejorem inſidiari meliori, & l. Quis ſit rerum divinarum hæres.

Numeris, Num. 24, 17, 18.

IX. Præclarum de Chriſto Balaami arioli prædictum liber Numerorum ſuppeditat: *Videbo eum, ſed non modo; intuebor illum, ſed non prope. Orietur ſtella ex Jacob, & conſurget virga de Iſrael, & percutiet duces Moab; vaſtabitque omnes filios Seth; & erit Idumæa poſſeſſio ejus; hereditas Seir cedet inimicis ſuis.* Quibus Meſſiam prænuntiari olim fuiſſe Judæis perſuaſum oſtendit impii illius Ben Cuzibæ veſania, qui Meſſiam ſe ferens hanc ſibi prædictionem accommodabat: unde & Bar-Cocheba, ſive *Filius ſtellæ* appellatus eſt. Idem oſtendunt Onkelos, & Jonathan, & Interpres Hieroſolymitanus; & R. Moſes Haddarſan in Bereſith Rabbah. Idem docet & Maimonides, atque hæc in myſticum ſenſum flectit: quod & faciunt Chriſtiani Interpretes, inprimisque Euſebius. Is *duces Moab*, Deos interpretatur Moabitidis regionis præſides, puta Beelphegor; eosque a Chriſto ſubactos, & domitos eſſe ait, tum cum is idolorum vanitatem adventu ſuo diſcuſſit. Filios quoque Seth & Edom, gentes exponit Dæmonum tyrannide oppreſſas, & a Chriſto in libertatem vindicatas. Stellam ait appellari Chriſtum, quemadmodum Sol juſtitiæ a Malachia, oriens a Zacharia, lux ab Iſaia appellatus eſt. Radicem eum nuncupat Balaamus; quemadmodum & germen, & virga, & ſurculus ab Iſaia, & Jeremia, & Johanne quoque in Apocalypſi nuncupatur. Quanto hæc ſimiliora veris, quam quæ differit R. Lipman in Nitzachon, hæc πρὸς λέξιν (*ad verbum*) ſumenda cenſens, atque ita Chriſtianis extorquere contendens? Alii hiſtoricum quidem ſenſum Davidi tribuunt, a quo devicti ſunt Moabitæ, ut capite octavo libri ſecundi Regum, & Pſalmo quinquageſimo nono, & centeſimo ſeptimo traditur; myſticum vero Meſſiæ. Ego vero Maimonidæ Rabbinorum doctiſſimi auctoritatem ſecutus, id Balaami oraculum bifariam dividi poſſe puto; ita ut pars prior ad Chriſtum, poſterior ad Davidem referatur. Cujusmodi multa vaticinia bipertito interpretanda in ſacris Libris occurrunt. Utut eſt, hæc certe Balaami prædictio, atque item illa Jacobi Patriarchæ, tam perſpicuæ Origeni viſæ ſunt, ut alias quidem in Lege typice & obſcure Chriſtum præſignificantes reperire ſe poſſe diceret; quæ vero duabus hiſce manifeſtiores eſſent, apud Moſem extare prorſus nullas.

Euſ. Dem. l. 9.

Mal. 4, 2. Zach. 3, 8. & 6, 11. Iſa. 9, 2. Iſa. 4, 2. & 11, 1. & 53, 2. Jer. 23, 5. Apoc. 5, 5.

2. Reg. 8, 2. Pſal. 59, 8. & 107, 9.

Orig. in Joh. T. 14.

Deuteronomio. Deut. 18, 15. & ſeq.

X. Verumtamen clara hæc quoque ſunt e Deuteronomio: *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis ſicut me ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus: ipſum audies, ut petiſti a Domino Deo tuo in Horeb, quando concio congregata eſt, atque dixiſtis, Ultra non audiam vocem Domini Dei mei, & ignem hunc maximum amplius non videbo, ne moriar. Et ait Dominus mihi, Bene omnia ſunt locuti: Prophetam ſuſcitabo eis de medio fratrum ſuorum ſimilem tui, & ponam verba tua in ore ejus, loqueturque ad eos omnia, quæ præcepero illi.*

Qui

Digitized by Google

Qui autem verba ejus, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor exiſtam. Varie hæc interpretantur Judæi: quidam, quorum princeps Aben Ezra, Joſuam Moſis ſucceſſorem deſignatum volunt; Davidem Herbanus Judæus in Diſputatione cum Gregentio; alii Jeremiam, qui populum iisdem, quibus Moſes, verbis & argumentis adhortabatur; Kimchi, & Jarchi, omnes Prophetas, atque ita numero ſingulari vim συλλογιστικὴν (*collectivam*) tribuunt; nos uni Chriſto convenire ſtatuimus, Petri & Stephani auctoritate ducti, qui ad publicos Judæorum conventus verba facientes Chriſti venturi prædictionem his contineri declarant. Quod profecto non feciſſent, niſi id jam vulgata & tralatitia perſuaſione creditum Judæis eſſe ſciſſent. Cum præſertim in Midraſch Eccleſiaſtæ prædictionis ſententia reperiatur his concepta verbis: *Qualis primus Redemtor, talis Redemtor poſtremus.* Et res ipſa id ſuadebit, ſi introſpexerimus. Nam ſi ſtamus verbis, neque vim facimus ſententiæ, unicus Propheta extiturus hic prædicitur, non plures: deinde quominus Prophetarum aliorum quemquam Moſi ſimilem fuiſſe dicamus, iſta obſtant e poſtremo capite Deuteronomii: *Et non ſurrexit ultra Propheta in Iſrael ſicut Moyſes.* Itaque doctiſſimus & ſolertiſſimus magiſter Maimonides, in libro de fundamentis Legis quatuor rebus Moſis Prophetiam & miracula illis Prophetarum reliquorum excellere docet. Quod & deinde iterat in More Nevochim; ex quo libro idonea multa ad complures Scripturæ ſanctæ ſolvendos nodos ſubſidia comparari poſſunt. Jeſum autem inter & Moſem quanta interceſſerit ſimilitudo, fuſe docet Euſebius libro Demonſtrationis tertio, accurata inter utrumque inſtituta comparatione. Merito ergo Eulogius Alexandrinus Epiſcopus coacta Alexandriæ Synodo, & excuſſa Samaritanorum controverſia ſuper hoc prædicto Deuteronomii, quod alii Joſuæ, alii Doſitheo Samaritano accomodabant, utramque damnavit ſententiam, & Jeſum Chriſtum illic notatum eſſe definivit, ut ex ejus libris refert Photius. Non alio autem reſpexiſſe videtur Aggæus, quam ad hunc Deuteronomii locum cum dixit: *Verbum quod pepigi vobiſcum, cum egrederemini terra Ægypti, & ſpiritus meus erit in medio veſtrum, nolite timere..... Et movebo omnes gentes, & veniet Deſideratus cunctis gentibus.*

Act. 3, 22. & 7, 37.

Deut. 34, 10.

Maim. de fund. Leg. c. 7. paragr. 6. & ſeq.

Phot. Cod. 230.

Agg. 2, 7-8.

XI. Quod libris Joſuæ, Judicum, Samuelis, & Regum ejusmodi narrentur hiſtoriæ, quæ futurorum ſignificationes & figuras contineant, propterea נביים ראשנים *Prophetæ priores* appellantur. Certe eximia in Joſua conſtat Chriſti effigies. Ut ille ſucceſſit Moſi; ita Moſaicæ Legi Meſſiæ lex ſuffici debuit: ut Joſue Iſraeliticæ genti præfuit, cum ad præliandum procederent; ita Meſſiæ ductu magna bella ſe feliciter confecturos ſperant Judæi: ut errantes & extorres Iſraelitas in promiſſam Chanaanitidem terram induxit Joſue; ita per Meſſiam ſe Judæi in avitas ſedes reſtitutum iri confidunt. Multo plura vero nos Chriſtiani in Jeſu Meſſia noſtro ſigna ac notas reperimus, quibus Joſue conſimilis eſt: verum eas in Propoſitione nona colligemus. Hic vero forſitan mirabitur Lector, quæ cauſa ſit, cur cum ſeptima hac Propoſitione oſtendendum tantummodo ſuſceperim, multas ineſſe Veteri Teſtamento prophetias de Meſſia, nondum vero probare aggreſſus ſim Jeſum eſſe Meſſiam, hanc tamen diſputationem velut in anteceſſum & ante conſtitutum tempus delibem. Sciat autem ille, duplici modo ſpectari poſſe Chriſtum Jeſum, vel tanquam Chriſtum, eum videlicet cui hoc a Deo munus impoſitum ſit, nulla perſonæ ipſius ratione habita; vel tanquam Jeſum, certum hunc nempe hominem, his prognatum parentibus, hac ortum patria, hoc tempore natum, qui ſe Chriſtum ferens hæc atque illa præſtitit, atque hac demum morte interiit. Hæc nos Propoſitione nona perſequemur. Nunc vero ea tantum obſervamus in Jeſu, quæ ad Meſſiæ munia pertinent. Is cum ſe Meſſiam eſſe, atque has ſibi partes a Deo fuiſſe datas palam profiteretur, ea haud dubie geſſit, quæ a Meſſia, juxta Prophetarum prædictiones, gerenda eſſe, omnes credere ſcivit. Hæc ſi vaticiniis Prophetarum conſentiunt, recte concludimus, utique haberi in Veteri Teſtamento prophetias de Meſſia. Cum improbiſſimus ille planus Ben Cuziba Meſſias haberi vellet, Bar-Cochebam ſe nomine dixit, hoc eſt, Filium ſtellæ, quod nempe Meſſiæ prænuntiam & haberi & eſſe ſciret Balaami prophetiam, qua ex Jacob orituram eſſe ſtellam prænuntiavit. Hinc profecto colligere licet,

Libro Joſue.

Digitized by Google

licet, Messiam hoc oraculo a Balaamo esse prædictum. Similis est nostra in dissimili Christi Jesu causa ratiocinatio: qui jurene an injuria Messiæ titulos ac decus sibi arrogaverit, inferius, ut dixi, disputabitur.

Libri Regum & Paralipomenon. 1.Sam.2,10. XII. Manifesto Christum venturum denotant illa Annæ, quæ fuit mater Samuelis: *Dominus judicabit fines terræ, & dabit imperium regi suo, & sublimabit cornu Christi sui.* Christi dignitatem prædicans Paulus in Epistola ad Ebræos, sic disserit: Ebr.1,5. *Cui enim dixit aliquando Angelorum* (Deus,) *Filius meus es tu, ego hodie genui te: Et rursum: Ego ero illi in Patrem, & ipse erit mihi in Filium?* De- 2.Sam.7,12. & seq. promta sunt postrema hæc e secundo Samuelis: *Cumque completi fuerint dies tui, & dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo, & firmabo regnum ejus: ipse ædificabit domum nomini meo, & stabiliam thronum regni ejus usque in sempiternum. Ego ero ei in Patrem, & ipse erit mihi in Filium:* quæ πρὸς λέξιν (*ad verbum*) in priore Paralipomenon repetita 1.Par.17,13. 14. & 22,6. & 28.2. & seq. extant. Id vaticinium ex eo genere est, cui multiplicem diximus inesse significationem, quarum altera Salomonem, qui Christi typus fuit, propius respicit, altera Christum; vel potius quædam Salomoni, Christo quædam, nonnulla utrique tribuenda sunt. Conveniunt ista quidem soli Christo: *Stabiliam thronum regni ejus usque in sempiternum:* tum & ista quæ subnexa sunt: *Et fidelis erit domus tua, & regnum tuum usque in æternum ante faciem tuam, & thronus tuus erit firmus jugiter.* Ad quæ videtur allusisse Angelus Gabriel, cum sic sanctam Virginem Mariam Luc.1,32.33. alloqueretur: *Hic erit magnus, & Filius Altissimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, & regnabit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis.* Unius autem Salomonis hoc est, quod statim subjicitur: *Si inique aliquid gesserit, arguam eum in virga virorum.* Pertinet vero ad utrumque, Davide prognatum esse, Dei filium esse, Salomonem quidem adoptione per Christum, Christum ipsum natura; & Deo domum ædificare.

Libro Job, August. Ep. ad Hieron. Job.19,23. & seq. XIII. Jobo etiam, quem Prophetam merito Augustinus appellat, memoratus est Christus; nam velut rem aliquam magnam nuntiaturus sic præfatur: *Quis mihi tribuat ut scribantur sermones mei: Quis mihi det ut exarentur in libro stilo ferreo, & plumbi lamina, vel celte sculpantur in silice?* Tum deinde præclarum hoc edit oracullum: *Scio enim quod Redemtor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum: & rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum meum; quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius; reposita est hæc spes mea in sinu meo.* Sic quidem vulgata: at Ebraica aliter: *Et ego novi Redemtorem meum vivere, & novissimum super pulverem staturum.* Ex his Christum carnem assumturum, & mortuos suscitatum iri aperte docetur in Thargum, & in Interpretatione Syriaca, & in Arabica. Ita intellexit R. Haccadosch in Revelante arcana. Ita sumitur & in Beresith Ketanna. Unde extat Grotii halucinatio, qui nunquam hæc Judæos ad excitationem a mortuis retulisse affirmat. Redemptorem, sive, ut Ebraica habent, גאל, Messiam exponunt Rabbini. Sic Aben-Ezra in Isaiæ caput quinquagesimum nonum, comma vicesimum. גאל præterea propinquum, sive cognatum sonat, quod ei competat jus redimendi res propinqui venditas; atque hoc sensu Christus videtur a Jobo dictus גאל, quod assumpta natura humana frater noster sit effectus. Hanc significationem secutum esse Theodotionem testatur Chrysostomus. Jure ergo גאל appellatur Christus, & quod consanguineus noster sit, & quod Redemtor. Novissimum ait super terram staturum; quemadmodum & in Apocalypsi se esse ait Christus Alpha & Ome- Apoc.22,13. ga, primum & novissimum, principium & Isa.44,6. finem. Quo pertinet istud Isaiæ; *Hæc dicit Dominus rex Israel, & Redemtor ejus Dominus exercituum: Ego primus, & ego novissimus, & absque me non est Deus.* Eximiam præterea Christi venturi figuram in se expressisse Jobum, recte observarunt Polychronius, & alter incertus qui Hieronymo conjunctus est, quique Beda a Mariano Victorio esse creditur: atque is collegit multa, quibus illa Christum inter & Jobum constat similitudo.

XIV. Etsi Psalmorum librum inter Pro- *Libro Psalmorum.* pheticos haudquaquam ponunt Judæi, sed inter eos, quos כתובים appellant; pleraque tamen de Christo prophetice dicta extare in eo non diffitentur. Spiritus quidem sancti dictata referre se professus est David, cum 2.Reg.23,2. dixit:

Digitized by Google

sit: *Spiritus Domini locutus est super me, & sermo ejus per linguam meam: dixit Deus Israel mihi, locutus est fortis Israel.* At Christus Jesus in Lege, Prophetis, & Psalmis præ-
Luc. 24, 44 dictiones de se haberi asseverat. Is est nem-
Apoc. 3, 7. pe *Sanctus & Verus* Apocalypseos, *qui habet clavem David; qui aperit, & nemo claudit; claudit, & nemo aperit;* clavem nempe eam, quam abstulisse Legis peritos conqueritur Jesus, ne introirent ipsi, aliosve introire sinerent, videlicet vaticiniorum intelligentiam, ac Davidicorum præcipue; quæ paucis ante Christum cognita, & paucioribus etiam in vulgus celebrata & exposita, a Christo Jesu demum & mente intellecta, & ipsa re completa, & publice sunt interpretata: sic tamen ut quorum animis luce sua collustratis mysteria hæc pandere vellet, nullæ iis officerent vel nequitiæ hominum, vel dæmonum præstigiæ, quominus ad ea penetrarent: quos vero impietatis suæ tenebris circumseptos efficacibus gratiæ donis ad ea capessenda mysteria non prosequeretur, nemo opem ipsis ad
Apoc. 5, 5. id præstare posset. Is est *Leo de tribu Juda, radix David*, qui potest *aperire librum, & solvere septem signacula ejus.* Contra vero Manichæi, Gnostici, & Nicolaitæ, Davidem Christi vaticinatorem fuisse negabant; & eum probare vellent Quintæ Synodi Patres, Scripturæ sanctæ testimonia Christi prænuntia in perversum sensum deflexisse Theodorum Mopsuestenum, non alia protulerunt, quam quæ e Psalmis in eam sententiam depromi solent, & in Novo Testamento fere allata sunt.

Psal. 2. Clarissimas de venturo Christo prædictiones in Psalmo secundo propositas esse vetustiores Judæi palam confessi sunt. Legitur
L. Sucah. c. 5. quippe in loco Thalmudis Sucah, & apud R. Selomoh Jarchi, a priscis Rabbinis fuisse traditum, hæc ad Messiam dicta esse a Deo:
Psal. 2, 8. *Filius meus es tu, ego hodie genui te:* quod & legitur in Bereshith Rabba. Ait quippe illic R. Jonathan tres esse, quibus dictum est *Postula*, Salomonem, Achazum, & Messiam; quod postremum probat ex secundo Psalmo, ubi Christo Deus dixisse traditur; *Postula a me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam.* Non aliter de Psalmi hujus significatione sentiunt R. Aben-Ezra, & R. David Kimchi: non aliter Saadias Gaon in Danielem, & Auctor נפש חכמה *Animæ sapientis*, & R. Simeon in Jalcut, & Tryphon quoque apud Justinum & Midrasch Thehillim. Sed & Muhammedani, non in Christum tantummodo, sed & in Jesum speciatim Psalmum hunc convenire docent, teste Muhammedo ebn Jacob Alsirauzabadio, in Lexico quod Camus, sive Oceanum inscripsit. At veteres tamen hi Judæi scriptorem libri Nitzachon in eamdem sententiam non pellexerunt. Hi vero, quorum doctrinam nepotes ipsorum sunt aspernati, cum ad Christum Psalmum secundum referrent, majorum suorum dicta sequebantur: nam ex libris Novi Testamenti ostenditur, Christi temporibus, vulgo in eam partem, quam dixi, acceptum fuisse Psalmum hunc. Sic enim primævæ illius ætatis Christiani Deum precabantur:
Act. 4, 24. & seq. *Domine, qui Spiritu sancto per os patris nostri David pueri tui dixisti, Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania? Adstiterunt reges & Principes convenerunt in unum, adversus Dominum, & adversus Christum ejus. Convenerunt enim vere in civitate ista adversus sanctum puerum tuum Jesum, quem unxisti, Herodes, & Pontius Pilatus, cum gentibus & populis Israel, facere quæ manus tua & consilium tuum decreverunt fieri.* Sic Paulus Ju-
Act. 13, 31. 33. dæos Pisidas publice in Synagoga adhortabatur: *Nos vobis annuntiamus eam, quæ ad patres nostros repromissio facta est, quoniam hanc Deus adimplevit filiis nostris, resuscitans Jesum, sicut & in Psalmo secundo scriptum est, Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Atqui hæc Paulum tam diserte affirmare ausurum non fuisse credibile est, nisi id communi persuasione inter Judæos receptum esse perspectum habuisset. Nec id quoque ad Ebræos
Ebr. 1, 4. 5. & 5, 5. scripsisset de Messia: *Tanto melior Angelis effectus, quanto differentius pra illis nomen hæreditavit. Cui enim dixit aliquando Angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te?* Idem alibi: *Sic & Christus non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Confessionem hanc itaque a R. Selomoh veritas ipsa extorsit: *Majores nostri ad Regem Messiam Psalmum hunc totum referebant: oportet tamen eum referre ad Davidem juxta apparentem sententiam, sonumque verborum, propter Hæreticos;* videlicet Christianos. Jam si ratione rem disputemus, Psalmum hunc parte sui aliqua respicere Da-

Digitized by Google

videm, majore vero Christum reperiemus; sed ita tamen ut quæ Davidem, ea Christum quoque; quæ Christum, non itidem Davidem spectent. Nam Christum, perinde ut Davidem, reges terræ sibi adversantes domiturum, & Hierosolymis regnaturum Judæi censent; Davidem contra ad extremos usque fines terram redegisse in suam potestatem, dicere non audent, quod tamen facturum esse Christum opinantur. Nam quod ait in Demonstratione Eusebius, neutiquam fassuros Judæos structum iri insidias Christo ei, quem expectant, cum regem æternum & Redemtorem gentis suæ futurum eum e contrario putent, non satis cohæret: nec enim liberare eos & redimere poterit, quin hostes eorum subigat & expugnet. *Aspice universas nationes*, inquit Tertullianus, *de voragine erroris humani exinde emergentes ad Dominum Deum creatorem, & ad Deum Christum ejus. Et si audes, nega Prophetatum; statim tibi promissio Patris occurrit in Psalmis dicens, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Pete a me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Nec poteris eum magis David filium dicere, quam Christum; aut terminos terræ David potius promissos, qui ineruunicam Judæam regnavit, quam Christo, qui totum jam orbem Evangelii sui fide cepit, sicut per Isaiam dicit: Ecce dedi te in dispositionem generis mei, in lucem gentium, aperire oculos cæcorum utique errantium, exolvere de vinculis vinctos, id est de delictis liberare, & de domo carceris, id est mortis, sedentes in tenebris, ignorantia scilicet.* His suffragantur & aliæ confimiles Scriptorum sacrorum locutiones, quibus denotari Christum constat. Christus appellatur, quod est Messias, juxta illud quadragesimi quarti Psalmi: *Propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Rex dicitur, ut alias sæpe, velut in commate jam prolato e libro secundo Regum: *Firmabo regnum ejus ..... & stabiliam thronum regni ejus usque in sempiternum:* & apud Isaiam: *Super solium David, & super regnum ejus sedebit, ut confirmet illud, & corroboraret in judicio & justitia, a modo & usque in sempiternum:* & passim denique apud reliquos Prophetas. Addit Psaltes: *Prædicans præceptum ejus;* cui adsonat Isaias: *Ecce testem populis dedi eum: ducem ac præceptorem gentibus:* & Joel: *Filii Sion exultate, & lætamini in Domino vestro: quia dedi vobis doctorem justitiæ.* Memorata illic generatio Christi alibi quoque celebratur his verbis: *Ex utero ante luciferum genui te:* & in Proverbiis: *Nondum erant abyssi, & ego jam concepta eram. Ante colles ego parturiebar:* & apud Michæam: *Egressus ejus ab initio, a diebus æternitatis.* Unde Isaias: *Generationem ejus quis enarrabit?* Quod subjicitur in eodem Psalmo: *Postula a me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ*, id ipsum pollicetur septuagesimus primus Psalmus; Christi item, ut suo patefiet loco, prænuntius: *Dominabitur a mari usque ad mare, & a flumine usque ad terminos orbis terrarum.* Plura qui volet, consulat Eusebii Demonstrationem, in cujus quarto libro ostenditur, quam vere & aperte Christi dispensatio Psalmo hoc fuerit prædicta.

Euf. Dem. l. 4.

Tertull. adverf. Jud. c. 12.

Pfal. 44, 8.

2. Reg. 7, 12. 13.

Isa. 9, 7.

Pfal. 2, 6.

Isa. 55, 4.

Joel. 2, 23.

Transeamus ad octavum Psalmum, in quo leguntur isthæc: *Quid est homo, quod memor es ejus? aut filius hominis, quoniam visitas eum? Minuisti eum paulo minus ab Angelis; gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum: omnia subjecisti sub pedibus ejus, oves & boves universas, insuper & pecora campi.* Hæc Christo sic accommodat Paulus in Epistola ad Ebræos: *In eo quod omnia ei subjecit, nihil dimisit non subjectum ei. Nunc autem nec dum videmus omnia subjecta ei. Eum autem qui modico quam Angeli minoratus est, videmus Jesum, propter passionem mortis, gloria & honore coronatum, ut gratia Dei pro omnibus gustaret mortem:* & in priora ad Corinthios: *Omnia subjecit sub pedibus ejus, & ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam.* Ea declarant profecto, quorsum isthæc Psalmi sententia Apostolorum temporibus a Judæis traheretur. Tradunt itaque Magistri illorum a Christo gentiles suos expectasse quæ illic commemorantur, nempe ut terrenarum rerum imperium, Adami peccato amissum, Christi beneficio restitueretur; & comma hoc ad Christum sine ambage referunt. Nam quod Adami prima fronte significationem præfert, vel etiam Hominis, naturæ videlicet humanæ, qualis initio a Deo condita est, minime id quidem mirum, cum Adamus totius generis humani originem in se ac velut summam gesserit; & typus quoque fuerit Christi,

Pfal. 109, 3. Prov. 8, 23. 24.

Mich. 5, 2.

Isa. 53, 8.

Pfal. 2, 8.

Pfal. 71, 8.

Pfal. 8, 5.

Ebr. 2, 8. 9.

1. Cor. 15, 26.

Digitized by Google

Christi, qui novissimus Adamus a Paulo ap-
1. Cor. 15, 45 pellatur. Attamen ad Christum conveni-
entibus aptari rationibus conficiam, si non
necessariis, at valde certe probabilibus.
Psal. 8, 5. Prima ex eo petitur: *Aut filius hominis, quoniam visitas eum?* Adamus autem filius ho-
minis dici non potuit, qui non hominem, sed
Deum patrem habuit: *Qui fuit Dei*, inquit
Luc. 3, 38. Lucas: cum Christus e contrario hanc ap-
pellationem videatur sibi speciatim selegisse.
Præterea cum ait Psaltes, *Minuisti eum paulo minus ab Angelis*, notat & prius extitisse eum
qui minutus est; quod Adamo convenire
non potest, qui de nihilo creatus est; & ex
meliori statu in deteriorem fuisse mutatum,
quorum utrumque Christo præclare accom-
modatur, nam & ab omni retro æternitate
Phil. 2, 7. fuit, & *semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus.*
Deinde pro eo quod præfert Vulgata, *paulo*
Psal. 8, 6. *minus*, Ebraicum exemplar habet מְעַט, quod
brevitatem temporis notat hoc loco, ut &
in secundo Psalmo, vix ullo interpretum dis-
sentiente. Quadrat autem in Christum, qui
ad breve tempus infra Angelos se demisit,
nec multo post gloria coronatus est; non au-
tem Adamo, vel humano generi in Adamo
spectato, quod non ad exiguum spatium infra
Angelorum dignitatem positum est. Sin
adverbio מְעַט dignitas & gradus discrimen
notari velis, ne sic quidem Adamo, vel spe-
ctatæ in eo naturæ humanæ conveniet; nam
non paululum quod Angelus homini præstat
dignitate; at naturam humanam assumens
Christus eo evexit præstantiæ, ut non mul-
tum Angelorum excellentiæ concederet; ali-
qua etiam ex parte superaret. Denique ne-
que Adamus, neque spectatus in eo Homo,
constitutus est super opera manuum Dei,
cum exiguis finibus imperium ejus claude-
retur; nam neque in cœlum aut astra, neque
in aerem, neque in mare, sed in animalia so-
lum, & fruges terræ, atque arborum baccas
Matth. 28, 18 potestatem habuit. At Christo *data est*
Rom. 4, 13. *omnis potestas in cœlo & in terra*, & *Hæres*
mundi factus est: hominemque in Adamo
damnatum, & pristinis bonis magna parte
mulctatum in melius restituit, suorumque ipse
bonorum fecit participem; unde efficitur
non Adamum, & perditum in eo hominem,
sed Christum, & reparatum in eo humanum
genus intelligi illic debere. Nec movere
nos debet, quod oves & boves, cæteraque
animalia sibi Christus non subjecerit, con-
tra ac pollicetur iste Psalmus: sic enim futu-
rorum promissiones simulacris quibusdam
adumbrare solet sanctus Spiritus, totamque
Messiæ dispensationem sensilium rerum ima-
ginibus implicare. Quod attinet autem ad Matth. 21, 16
hoc Psalmi ejusdem colon, *Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem*, quod sibi apud
Matthæum adscripsit Christus, ea re duo vi-
detur præstitisse: nam & pervulgatum Da-
vidis effatum, ad id quod inibi gerebatur, sci-
te aptavit, & Psalmum hunc tot de se mys-
teria præfatum, hac quoque parte in se even-
tum habuisse declaravit.

Petrus ad Judæos Hierosolymis concio- Psal. 15, 8.
nem habens, verba hæc e Psalmo decimo & seq.
quinto Christo accommodat: *Providebam* Act. 2, 25.
& seq.
Dominum in conspectu meo semper, quoniam a dexteris est mihi ne commovear; propter hæc lætatum est cor meum, & exultavit lingua mea, insuper & caro mea requiescet in spe; quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem: Notas mihi fecisti vias vitæ, adimplebis me lætitia cum vultu tuo, delectationes in dextera tua usque in finem. Hæc Davidi aptari non
posse ait Petrus; cujus corpus post mortem
sepultum, & in tabem solutum more reliquo-
rum cadaverum fuit; ad Christum ergo esse
referenda. Hoc ipso argumento Paulus Act. 13, 15.
Christo accommodabat eamdem Psalmi hu-
jus pericopen, cum Judæos Pisidas alloque-
retur. Quam autem a Patribus, uti veris-
mile est, ejus interpretationem acceperant
temporis illius Judæi, eamdem posteris tra-
diderunt. Nam in Midrasch Thehillim eo-
dem ista flectunt Judæi, & Messiam hic præ-
signatum agnoscunt. Nec ab his recedit
Auctor נשמה חכמה, *Animæ sapientis*, qui
Psalmum hunc in eumdem sensum trahi de-
bere docet, ac secundum Psalmum, quem
Christi prænuntium esse proxime ostendi-
mus. Ergo consultius egisset R. Selomoh Jar-
chi, si eamdem tenuisset sententiam, nec
Davidi ista aptare tentasset. Notis certe
quibusdam tam claris hic expressus est Chri-
stus, ut neminem paulo oculatiorem latere
possit: quem enim esse dicas Sanctum Dei,
nisi qui a Daniele Sanctus sanctorum appel- Dan. 9, 24.
latur? cuinam delectationes ad dextram Dei
promissas esse dicas, nisi cui Deum dixisse ait

Digitized by Google

alio Psalmo David: *Sede a dextris meis?* Temeraria ergo & impia fuit Theodori Mopsuesteni vox, meritoque in Concilio Constantinopolitano secundo damnata, cum prædictum hoc Davidis ad Christum haudquaquam spectare dixit, sed ad Israeliticum populum; Petrum autem & Paulum Christo pro re nata accommodasse, verbis in res fortuito, non consulto congruentibus. Longe alia vero ex sermone utriusque excipiet, si quis attenderit: nulla enim circuitione usus Petrus hæc in Christum Jesum a Davide dicta
Act. 2, 15, 31. esse asseverat. Tum addit: *Propheta igitur cum esset, & sciret quia jurejurando juravisset illi Deus de fructu lumbi ejus sedere super sedem ejus, providens locutus est de resurrectione Christi, quia neque derelictus est in inferno, neque caro ejus vidit corruptionem.* Similiter Paulus eamdem Davidis prædictionem allaturus, ut Jesum revixisse probaret ait:
Act. 13, 32. *Et nos vobis annunciamus eam, quæ ad patres nostros repromissio facta est, quoniam hanc Deus adimplevit filiis nostris resuscitans Jesum.* Ergo Petrus & Paulus hoc Davidis testimonium, non tanquam ῥῆσιν (*sententiam*) attulerunt, sed tanquam προφῆτειαν (*prædictionem*) de Christi reditu ad vitam. Quod si hæc de populo Israelitico Davidem cecinisse, tunc Judæis fuisset persuasum, opinionem hanc ipsis utique eripere Petrus & Paulus propositis rationibus studuissent. Quod non fecerunt; verum hæc in Davidem minime convenire declararunt; unde cognoscitur, quorsum ea vulgus hoc tempore referret. Parco nomini nuperi cujusdam Scriptoris, in sacrorum Voluminum & Patrum lectione haud segniter versati, opinioni sane parcere non debeo, nec debet, quisquis suum Scripturæ sacræ honorem integrum ac tutum esse vult. Affirmare is non erubuit, se Petro & Paulo *cedere non posse*, cum Prophetiæ hujus significationem in Davidem neutiquam congruere, in Christo autem eventum habuisse docent. Vox Christiano homine prorsus indigna: ejurata enim sanctissimorum & θεοπνεύστων (*Deo afflatorum*) Apostolorum auctoritate, proximum est, ut ipsum Christi nomen ac doctrina repudientur. Non hoc igitur accurata responsione, quæ ex superioribus facile conflabitur, excipiendum est, sed fusis ad Deum precibus, ut cui doctrinam egregiam largitus est, eumdem benigna gratiæ suæ aura afflare, ac in majorem Verbi sui venerationem & reverentiam velit adducere.

Christum quoque hoc Psalmi decimi septimi commate præmonstratum esse scribit Paulus ad Romanos: *Propterea confitebor tibi in nationibus; Domine, & nomine tuo Psalmum dicam.* Quibus addo, maximam Psalmi ejusdem partem venturi Christi prædictiones continere; hæc vero potissimum: *Persequar inimicos meos, & comprehendam illos ..... cadent subtus pedes meos ..... Constitues me in caput gentium. Populus quem non cognovi, servivit mihi; in auditu auris obedivit mihi.* Quæ licet in Davide esse quodammodo completa negari non possit, in Christo tamen feliciorem ac promtiorem eventus expositionem habent. Sic enim de eo Psalmus centesimus nonus: *Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion, dominare in medio inimicorum tuorum.* Sic & septuagesimus primus: *Et dominabitur a mari usque ad mare, & a flumine usque ad terminos orbis terrarum.* Sic & Isaias: *In die illa radix Jesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur.*

Psal. 17, 44. Rom. 15, 8. 9
Psal. 17, 38. & seq.
Psal. 109, 2. 3.
Psal. 71, 8.
Isa. 11, 10.

Psalmum vicesimum primum pertinere ad Christum, docetur in Midrasch Thehillim; & in libro Thalmudico Sanhedrin, capite ultimo, tanquam certum id sumitur. Ad Davidem certe, aut Davidis ætatem quadrare ista neutiquam possunt: *Reminiscentur & convertentur ad Dominum universi fines terræ: & adorabunt in conspectu ejus universæ familiæ gentium: quoniam Domini est regnum, & ipse dominabitur gentium.* Præclare vero ista Christo conveniunt: *Anima mea illi vivet, & semen meum serviet ipsi. Annuntiabitur Domino generatio ventura; & annuntiabunt cœli justitiam ejus populo qui nascetur, quem fecit Dominus.* Sed quoniam longe opportuniora, & ad aliam institutæ disputationis partem aptiora testimonia subministrat iste Psalmus, nos eum suo loco accuratius excutiemus. Id monuero Lectorem in antecessum, habere hunc ipsum Psalmum, unde refellantur R. Selomoh Jarchi, Manasse ben Israel, aliique eorum congerrones, a quibus totus Israel hic signatus existimatur. Liquet enim singularem aliquam personam hic de se loqui: *Ego autem sum vermis & non homo.* Tum:

Psal. 21.
Psal. 21, 28. 29
Psal. 21, 31. 32.
Psal. 21, 7. & seq.

Digitized by Google

Tum : *Quoniam tu es, qui extraxisti me de ventre, spes mea ab uberibus matris meæ. In te projectus sum ex utero, de ventre matris meæ Deus meus es tu.* Deinde : *Dispersa sunt omnia ossa mea ; factum est cor meum tanquam cera liquescens in medio ventris mei.* Et mox : *Lingua mea adhæsit faucibus meis, & in pulverem mortis deduxisti me.* Rursum : *Foderunt manus meas & pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea .... diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem.* Postea : *Erue a framea, Deus, animam meam, & de manu canis unicam meam.* At alium se facit ab Israelica gente his verbis : *Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ laudabo te. Qui timetis Dominum laudate eum ; universum semen Jacob, glorificate eum :* item illis : *Apud te laus mea in Ecclesia magna : vota mea reddam in conspectu timentium eum.*

Psal. 21, 23. seqq.

Ebr. 10, 4. Psal. 39, 7. & seqq.

Paulus in Epistola ad Ebræos cadere in Christum ea censuit, quæ leguntur in Psalmo tricesimo nono : *Sacrificium & oblationem noluisti, aures autem perfecisti mihi : holocaustum & pro peccato non postulasti : tunc dixi, Ecce venio. In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam.* At non ista solum, sed totum Psalmum ex Christi persona a Davide pronuntiatum censuerunt Christiani scriptores imprimis eruditi. Quæ ad Jesum speciatim pertinent, ea nos suo persequemur loco : Christo vero generatim conveniunt ista : *In capite libri scriptum*

Gen. 3, 15. *est de me ;* nempe initio Geneseos, ubi prædicitur futurum, ut semen mulieris Christus scilicet, serpentis caput conterat : sive rectius vertas : *In volumine libri ;* in toto nempe Volumine sacro Veteris Testamenti, quod creberrimas de venturo Christo vaticinationes continet, de Davide vero fere nullas. Id adeo profitetur Christus Jesus,

Luc. 24, 44 cum alibi, tum præcipue apud Lucam : *Necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in Lege Moysi, & Prophetis, & Psalmis de me.* Propria etiam & peculiari nota Christum

Psal. 39, 10. & seqq. hæc designant : *Annuntiavi justitiam tuam in Ecclesia magna : ecce labia mea non prohibebo : Domine tu scisti. Justitiam tuam non abscondi in corde meo : veritatem & salutare tuum dixi. Non abscondi misericordiam tuam, & veritatem tuam a concilio multo.* Christi enim partes erant, non solum genus humanum perfuto sanguinis pretio redimere, sed concionibus etiam & adhortationibus ad redemtionis capiendos fructus præparare. Testatur Psalmus secundus : *Prædicans præceptum ejus ;* & Psal. 2, 6. vicesimus primus : *Narrabo nomen tuum* Psal. 21, 23. *fratribus meis : in medio Ecclesiæ laudabo te.* Sic Joel *Doctorem justitiæ ;* Isaias *præceptorem gentium* appellat. Atque id munus sum- Joel. 2, 23. Isa. 30, 20. & 55, 4. ma diligentia Jesus obiit, verus divinæ legis nuntius ac interpres, & hominum magister : *Erat enim docens eos, sicut potestatem habens.* Matth. 7, 8. Quorum quid simile in Davide reperitur ? aliud est enim psallere, & Dei laudes carmine concelebrare ; aliud concionari ad populum. Sacrificiorum præterea & ceremoniarum abrogatio veterem Legem rescindendam esse præmonstrat, quod nonnisi per Christum religionis instauratorem & novæ legis latorem erat faciendum. Clarissime id indicant verba isthæc : *Holocaustum, & pro peccato non postulasti : tunc dixi, Ecce venio.* Christum denique hæc designant : *Ego autem mendicus sum & pauper,* quod de eo variis locis, maxime vero a Zacharia prædicitur : *Exulta satis, filia Sion ;* Zach. 9, 9. *jubila, filia Jerusalem : Ecce rex tuus veniet tibi justus & Salvator : ipse pauper, & ascendens super asinam, & super pullum filium asinæ.* Id in se Christus Jesus agnoscebat cum diceret : *Vulpes foveas habent, & volucres* Matth. 8, 20 *cœli nidos, filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet.* Unde Paulus ad Corinthios : *Scitis enim gratiam Domini nostri Je-* 2. Cor. 8, 9. *su Christi, quoniam propter vos egenus factus est.*

Retulit & hæc ad Christum Paulus in Epi- Ebr. 1, 8. stola ad Ebræos, quæ extant in Psalmo qua- Psal. 44, 7. 8. dragesimo quarto : *Thronus tuus, Deus, in sæculum sæculi, virga æquitatis, virga regni tui. Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem : propterea unxit te, Deus, Deus tuus oleo exultationis præ participibus tuis.* Pulchre hic Judæos inter & Christianos convenit, cum Messiam utrique Psalmo hoc prænuntiatum magna consensione agnoscant. Ac ista quidem : *Speciosus forma præ filiis hominum,* sic παραφράζει (*fusius explicat*) Chaldæus Interpres : *Pulchritudo tua, Rex Messia, superat filios hominum.* De toto vero Psalmo sic opinatur Aben Ezra : *Iste Psalmus dicitur de Davide aut Messia.* Quod si propius quædam ad Salomonem, qui ty-

Digitized by Google

pus & ipse Christi fuit, videntur spectare, quam ad Christum, alia nos afferre possumus, quorum in Christo duntaxat legitima reperiri potest interpretatio. Cujusmodi illud est: *Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime:* item istud: *Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent, in corda inimicorum Regis:* quippe bellorum expers Salomon, re ac nomine pacificus, pacem quoad vixit coluit. Et id quoque: *Sedes tua, Deus, in seculum seculi:* ubi Deus esse dicitur is, ad quem verba fiunt; repugnantibus licet recentioribus Judæis, multaque ad incrustandum vas sincerum obgannientibus. Sequerentur Aquilæ gentilis sui vestigia, qui vocandi casum expressit: ὁ θρόνος σου, θεὸ, εἰς αἰῶνα καὶ ἔτι, & Chaldæi Thargumistæ fidem, qui ita interpretatus est; & alterius Judæi, quem idem confessum esse narrat Origenes, licet sensum ad Deum Patrem deflecteret, ac ineptissime quidem, cum in eum neutiquam cadere possint ista quæ præcedunt; *Speciosus forma præ filiis hominum; diffusa est gratia in labiis tuis: propterea benedixit te Deus in æternum:* nec ea quæ sequuntur: *Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem: propterea unxit te, Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Quæ quanquam de eodem apparet esse dicta, negabat tamen Judæus ille Origeni memoratus, & posteriora hæc Christo accommodabat, parum perspecta loci totius cohærentia, qui nulla prorsus divisione distractus hanc minime patitur distinctionem. At hic quoque, uti supra, Christus dicitur Deus, a Deo suo unctus, hoc est Messias consecratus; & oleo lætitiæ, Spiritus nempe sancti gratia delibutus: qui de se hæc prædicat apud Isaiam: *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me.* Certe si Christum superiori commate Deum dici concedatur, quod priscos Judæos non negasse ostendi, quænam erit invidia, & hic quoque Dei nomen ipsi tributum fateri? Hoc ergo ita esse ex Ebraicæ locutionis vocabulis approbare conatus est Eusebius, ex re ipsa Origenes & Hieronymus; Augustinus vero ex Græca oratione manifesto id apparere ait; unde conjicere fas est, pro eo quod nunc habet Interpretatio Septuaginta Senum: διὰ τοῦτο ἔχρισέ σε ὁ θεὸς ὁ θεός σου, scriptum olim fuisse, ὁ θεὸς, ὁ θεός σου, verum ex affinium dictionum iteratione discrimen utriusque evanuisse. Quanquam &, ὁ θεὸς, hoc loco pro, ὦ θεὸ, usurpari potuisse, recte adnotat Eusebius. Sic vicesimo primo Psalmo: ὁ θεὸς, ὁ θεός μου, πρόσχες μοι, ἵνα τί ἐγκατέλιπές με; quod a Marco expressum est: ὁ θεός μου, ὁ θεός μου, εἰς τί με ἐγκατέλιπες; Sic Psalmo tricesimo quarto: ἐξεγέρθητι, κύριε, καὶ πρόσχες τῇ κρίσει μου, ὁ θεός μου, καὶ ὁ κύριός μου, εἰς τὴν δίκην μου. Sic Thomas Apostolus apud Johannem: ὁ κύριός μου, καὶ ὁ θεός μου. Et Atticorum quidem mos ille est, rectum pro vocandi casu adhibere. Denique de Salomone haudquaquam exponi possunt ista, quæ Christo mirifice conveniunt: *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii, constitues eos principes super omnem terram:* Deinde: *Propterea populi confitebuntur tibi in æternum & in seculum seculi.* Christi præterea προαγορευτικὸν (*prænuntium*) esse Psalmum hunc colligitur ex consentientibus Scriptorum sacrorum de Christo sententiis. Nam quod regnum ipsi portenditur, idem in Psalmo secundo, & in secundo Regum observavimus; & passim in Novo Testamento regios titulos Christo Jesu tributos observare licet. Bellator prædicitur futurus: sic Balaamus vates de Christo, *Percutiet duces Moab, vastabitque filios Seth:* sic & apud Isaiam; *Percutiet terram virga oris sui, & spiritu labiorum suorum interficiet impium; & erit justitia cingulum lumborum ejus, & fides cinctorium renum ejus:* & alibi: *Quis suscitavit ab oriente Justum, vocavit eum ut sequeretur se? dabit in conspectu ejus gentes, & reges obtinebit, quasi pulverem gladio ejus, sicut stipulam vento raptam arcui ejus?* in quibus non solum bellica ejus virtus, sed justitia quoque prædicatur: quemadmodum & in hoc Psalmo; *Propter veritatem & mansuetudinem, & justitiam:* similiter in Apocalypsi de Christo Jesu, *Et vidi cœlum apertum, & ecce equus albus, & qui sedebat super eum, vocabatur Fidelis & Verax, & cum justitia judicat & pugnat.* Quod autem mansuetum eum fore dicit, in eo quoque suffragantem habet Isaiam, cum ait de Christo: *Quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum:* & Jeremiam sic ex Christi persona loquentem: *Et ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam.* Jesus vero Christus idem de se profitetur:

Pſal. 44, 4. 6.
Pſal. 44, 7.
Orig. l. 1. contra Celſ.
Euſ. Dem. l. 4.
Orig. l. 1. contra Celſ.
Hier. Epiſt. 140. ad Pr.
Auguſt. in Pſal. 44.
Iſa. 61, 1.
Euſ. Dem. l. 4. Pſal. 21, 1. Marc. 15, 34.
Pſal. 34, 23.
Joh. 20. 28.
Pſal. 44, 14.
Pſal. 44, 18.
Pſal. 44, 5. 7.
Pſal. 2, 6. 2. Reg. 7, 12. 13.
Num. 24, 17.
Iſa. 11, 4. 5.
Iſa. 41, 2.
Pſal. 44, 5.
Apoc. 19, 11.
Iſa. 53, 7.
Jer. 11, 19. Matth. 26, 29.

fitetur: *Discite a me, quia mitis sum & humilis corde.*

Pſal. 68. Sexageſimum octavum Pſalmum ſpectare ad Chriſtum quicunque negaverit, ſacris Novi Teſtamenti Scriptoribus fidem ille detraxerit, quorum in Chriſto illic agnoſcendo magna conſenſio eſt. Sibi quippe apud Johannem hæc vindicat Chriſtus Jeſus: *Oderunt me gratis.* Proditum quoque eſt a Johanne ad eum ſpectare iſthæc: *Zelus domus tuæ comedit me.* Sequentia etiam: *Opprobrium exprobrantium tibi ceciderunt ſuper me,* eodem flectenda eſſe Paulus Romanos edocuit. Id præterea: *Fiat habitatio eorum deſerta,* uſurpat ad Matthæum Chriſtus Jeſus, & Scribis ac Phariſæis ſibi repugnantibus eventurum vaticinatur: in Juda vero proditore exitum habuiſſe narrat Petrus in Actis. Chriſti adverſariis hæc imprecatum eſſe Davidem ſcribit Paulus in Epiſtola ad Romanos: *Fiat menſa eorum in laqueum; & in retributiones, & in ſcandalum. Obſcurentur oculi eorum ne videant, & dorſum eorum ſemper incurva.* Quæ loca ſi quis Davidicis quoque rebus accommodari poſſe pertenderit: at iſta ſane uni Chriſto convenire infra oſtendemus: *Et dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potaverunt me aceto.* Chriſto quoque addicunt Pſalmum hunc Veteris Teſtamenti Scriptorum ſuffragia. Nam quod ait: *Quæ non rapui, tunc exſolvebam:* & deinde: *Quoniam quem tu percuſſiſti, perſecuti ſunt, & ſuper dolorem vulnerum meorum addiderunt;* hoc eſt quod ſignificatum voluit Iſaias, cum diceret: *Vere languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit.* Item: *Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra: diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, & livore ejus ſanati ſumus.* Tum: *Propter ſcelus populi mei percuſſi eum.* Quem ibidem *Deſpectum & non reputatum* fuiſſe ait Iſaias, Chriſtum videlicet, is ipſe Pſalmo hoc ſe *Extraneum factum eſſe fratribus ſuis, & peregrinum filiis matris ſuæ* conqueritur. Quod ſubjicitur deinde: *Suſtinui qui ſimul contriſtaretur, & non fuit: & qui conſolaretur, & non inveni;* hoc idem de ſe prædicat Chriſtus alio Iſaiæ loco: *Circumſpexi, & non erat auxiliator; quæſivi, & non fuit qui adjuvaret.* His ergo animadverſis minime dubitabit Aben Ezra, Pſalmi hujus vaticinia Chriſto adjungere.

Joh. 15, 25. Joh. 2, 17. Rom. 15, 3. Matth. 23, 38. Act. 1, 20. Rom. 11, 9. Pſal. 68, 22. Pſal. 68, 6. Pſal. 68, 27. Iſa. 53, 4. & ſeqq. Pſal. 68, 9. Pſal. 68, 21. Iſa. 63, 5.

Salomonis nomen præ ſe fert Pſalmus ſeptuageſimus primus, quaſi ab eo, vel quod probabilius eſt, in eum a Davide lucubratus ſit. At tametſi occurrunt paucula quædam, quæ Salomoni aptari poſſunt, longe tamen clarioribus notis deſignatur Chriſtus, quæ ſunt ejusmodi, ut in Salomonem minime torqueri poſſint. Nam quis iſta de Salomone putet eſſe dicta: *Permanebit cum Sole & ante Lunam, in generatione & generationem. Deſcendet ſicut pluvia in vellus, & ſicut ſtillicidia ſtillantia ſuper terram: orietur in diebus ejus juſtitia, & abundantia pacis, donec auferatur Luna: & dominabitur a mari usque ad mare, & a flumine usque ad terminos orbis terrarum: coram illo procident Æthiopes, & inimici ejus terram lingent: Reges Tharſis & inſulæ munera offerent, Reges Arabum & Saba dona adducent: & adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes ſervient ei.* Deinde: *Ante Solem permanet nomen ejus; & benedicentur in ipſo omnes tribus terræ: omnes gentes magnificabunt eum.* Chriſto hæc adſcribenda eſſe, conſimiles Scriptorum ſacrorum de eo prædictiones indicant. Ortum ejus temporibus ipſis antiquiorem, & æternitatis æqualem eſſe prædicat Michæas: *Et egreſſus ejus ab initio, a diebus æternitatis:* prædicat & David: *Ex utero ante Luciferum genui te:* quod & de ſe prædicat Chriſtus Jeſus: *Et nunc clarifica me, tu Pater, apud temetipſum, claritate quam habui, priusquam mundus eſſet apud te.* Ut hic Chriſtus comparatur pluviæ, ſic apud Michæam rori, utrobique etiam ſtellæ. Juſtitiam & pacem æternam eo regnante orituras ſpondet? ſic juſtitiam ſempiternam adducturum eum Daniel pollicetur. Unde Iſaias: *Prope eſt Juſtus meus, egreſſus eſt Salvator meus:* unde & *Germen juſtum* a Jeremia Chriſtus appellatur, qui deinde ſubjungit: *In diebus illis ſalvabitur Juda, & Iſrael habitabit confidenter, & hoc eſt nomen quod vocabunt eum, Dominus juſtus noſter:* unde & Zacharias: *Ecce Rex tuus veniet tibi juſtus & Salvator.* Pacificum vero futurum eum paſſim tradunt Prophetæ, unus vero omnium apertiſſime Michæas: *Et erit iſte pax.* Quod videtur reſpexiſſe

Pſal. 71. Pſal. 71, 5. & ſeqq. Pſal. 71, 17. Mich. 5, 2. Pſal. 109, 3. Joh. 17, 5. Mich. 5, 7. Dan. 9, 24. & ſeqq. Iſa. 51, 5. Jer. 23, 5. 6. Zach. 9, 9. Mich. 5, 5.

Digitized by Google

ſpexiſſe Paulus, cum dixit de Chriſto Jeſu: Eph. 2, 14. *Ipſe eſt pax noſtra.* Totum orbem quaqua patet, in ejus leges conceſſurum, ne regibus quidem imperium ejus detrectantibus, idem prædixit Michæas: Mich. 5, 4. & 7, 12. 16. 17. *Magnificabitur usque ad terminos terræ.* Item: *In die illa & usque ad te veniet de Aſſur, & usque ad civitates munitas, & a civitatibus munitis usque ad flumen, & ad mare de mari, & ad montem de monte.* Et paulo poſt: *Videbunt gentes, & confundentur ſuper omni fortitudine tua: ponent manum ſuper os, aures eorum ſurdæ erunt: lingent pulverem ſicut ſerpentes, velut reptilia terræ perturbabuntur in ædibus ſuis, Dominum Deum noſtrum formidabunt, & timebunt te.* Prædixit & Zacharias: Zach. 9, 9. 10. *Poteſtas ejus a mari usque ad mare, & a fluminibus usque ad fines terræ.* Prædixit & Iſaias: Iſa. 49, 23. *Et erunt reges nutritii tui, & reginæ nutrices tuæ vultu in terram demiſſo adorabunt te, & pulverem pedum tuorum lingent:* quibus & iſthæc ejusdem adde: Iſa. 60, 6. *Omnes de Saba venient, aurum & thus deferentes, & laudem Domino annuntiantes:* quod & Pſalm. 2, 8. jam ante in Pſalmo ſecundo prædictum vidimus: *Poſtula a me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.* Quod ſubjicit denique: Pſal. 71, 17. *Et benedicentur in ipſo omnes tribus terræ,* hoc ipſum eſt, quod ſæpe Patriarchis pollicitus fuerat Deus, cum Chriſtum ex ipſorum ſtirpe olim proditurum obſcure ſignificaret. Ad Chriſtum porro pertinere Pſalmum hunc conſtans eſt Judæorum conſenſus. Id docent Chaldæus Paraphraſtes, & Midraſch Thehillim, & Liber Siphre, & R. Selomoh Jarchi, & Aben Ezra, & R. David Kimchi, & Saadias Gaon in Danielem. Quin etiam has voces decimi ſeptimi commatis שמו ינון, Thalmudiſtæ quidam ſic intellexerunt, quaſi id ſibi vellent, *Innon eſt nomen ejus,* atque inde Innon nomen Meſſiæ futurum opinati ſunt. Jure igitur Hieronymus in ſuis in eumdem Prophetam Commentariis ſic diſſerit: *Hic eſt mos Scripturæ ſanctæ, ut futurorum veritatem præmittat in typis, juxta illud, quod de Domino Salvatore in Septuageſimo primo Pſalmo dicitur, qui prænotatur Salomonis, & omnia quæ de eo dicuntur, Salomoni non valent convenire. Neque enim permanſit ille cum Sole, & ante Lunam generationis generationum, neque dominatus eſt a mari usque ad mare, & a flumine usque ad terminos orbis terrarum, nec omnes gentes ſervierunt ei, neque ante Solem permanſit nomen ejus; nec benedictæ ſunt in ipſo omnes tribus terræ, neque omnes gentes magnificaverunt eum. Ex parte autem, & quaſi in umbra & imagine veritatis in Salomone præmiſſa ſunt, ut in Domino Salvatore perfectius implerentur.*

Qui Pſalmum octogeſimum octavum ad Davidem pertinere totum dixerit, perfricet frontem, doceatque ecquo tandem pacto in Davidem iſta convenire queant: *Ponam in mari manum ejus:* hoc eſt, mare imperio ejus ſubjiciam: quamvis enim gentes maris accolas imperio ſuo parere coegerit, nunquam tamen trans littora ditionem ſuam prorogavit. In Chriſtum vero ut egregie congruant, oſtendimus ex Michæa: *In die illa & usque ad te veniet de Aſſur, & usque ad civitates munitas, & a civitatibus munitis usque ad flumen, & ad mare de mari, & ad montem de monte;* & ex Zacharia: *Poteſtas ejus a mari usque ad mare, & a fluminibus usque ad fines terræ.* Longe minus etiam iſta Davidi aptari queunt: *Ego primogenitum ponam illum excelſum præ regibus terræ.* An etiam Aſſyriorum rege excelſior fuit David, aliisve Regibus, quos David potentiores tum fuiſſe dubium non eſt? At Chriſtus eſt, juxta Paulum, *Primogenitus in multis fratribus, Primogenitus omnis creaturæ, Primogenitus ex mortuis, in omnibus primatum tenens;* & juxta Johannem, *Rex regum, & Dominus dominantium; Primogenitus mortuorum, & Princeps regum terræ.* Quæ cum ſcriberent Johannes & Paulus, ad hunc quem tractamus locum reſpiciebant. Præterea quem *Excelſum* Vulgata appellat, is Ebraice עליון dicitur, quo nomine Deus notatur in Libris ſacris. Itaque Sanchoniathon, qui Moſis libros verſaverat, ut dixi ſupra, narrat Elion fuiſſe patrem Cœli & Terræ. Elion vertit Philo Byblius ὕψιστον apud Euſebium. Ita & Aquila vertit עליון hoc loco de quo agimus, ut notat Theodoretus; & Symmachus, ἀνώτατον quod idem eſt; qua item notione Deus in ſanctis Codicibus agnoſcitur. Fuit & apud Phœnices id vocabulum: *Halonium,* inquit Siſenna, *Pœni dicunt Deum.* Hinc *Deos, Deasque* Pœnulus apud Plautum עליונים ועליונות

Pſal. 88. Pſal. 88, 26. & ſeqq. Mich. 7, 12. Zach. 9, 10. Pſal. 88, 28. Rom. 8, 29. Col. 1, 15. 18 Apoc. 19, 16 & 1, 5. Euſ. l. 1. Pr. Theod. in Pſ. 8, 8.

Digitized by Google

מחיה appellat. Atque hoc demum nomine Deum afficere Thebanos Cadmus edocuit. Heſychius: ἰλαιός, ζεὺς ἐν Θήβαις. Chriſto autem Altiſſimi nomen convenire
Rom. 9, 5. oſtendit iſtud Pauli ad Romanos: *Ex quibus eſt Chriſtus ſecundum carnem, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſecula:* & illud ad Philippenſes: *Propter quod & Deus exal-*
Philipp. 2, 9. *tavit illum, & donavit illi nomen quod eſt ſuper*
Pſal. 88, 27. *omne nomen.* Egregie & hæc in Chriſtum congruunt: *Ipſe invocabit me: Pater meus es tu:*
Pſal. 2, 7. quippe & id de Chriſto præcinuit Pſalmus ſecundus: *Dominus dixit ad me: Filius meus es*
Pſal. 109, 3. *tu, ego hodie genui te:* & centeſimus nonus,
Oſe. 11, 1. *Ex utero ante Luciferum genui te.* Sic & Oſee: *Ex Ægypto vocavi filium meum.* Itaque
Matth. 3, 17. & 17, 5. filium ſuum Deus clara voce de cœlo nuncupat Chriſtum Jeſum: *Hic eſt Filius meus dilectus.* Vides manifeſte deſignatum his verbis, non Davidem ipſum, ſed Chriſtum, quod & Rabbini ultro confeſſi ſunt. Sub-
Pſal. 88, 30. 36. jicit Pſaltes: *Ponam in ſeculum ſeculi ſemen ejus, & thronum ejus ſicut dies cœli:* & deinde iſtud: *Semel juravi in ſancto meo, ſi David mentiar, ſemen ejus in æternum manebit: & thronus ejus ſicut Sol in conſpectu meo, & ſicut Luna perfecta in æternum, & teſtis in cœlo fidelis.* At Davidis ſoboles regnare deſiit in Jechonia & Sedecia: de Chriſto autem JEſu ita vaticinatur Angelus
Luc. 1, 32. apud Lucam: *Hic erit magnus, & filius Altiſſimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus ſedem David patris ejus, & regnabit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis.* Hæc plane germana ſunt eorum quæ attulimus. Quibus adde & quæ e ſeptuageſimo primo proxime, & quæ e ſecundo Samuelis paulo ſuperius a nobis depromta ſunt. Nempe regnum illud eſt, quod nunquam corruptum iri non uno loco Daniel prænuntiat. Itaque Pſalmi hujus intellectum ad Meſſiam pertinere conceditur in Bereſith utraque, Rabba & Ketanna, & in Veelle Semoth Rabba, & in Midraſch Cantici Canticorum. Concedunt id quoque R. Selomoh & Aben Ezra.

Pſal. 96, 8. Verba iſthæc e Pſalmo nonageſimo ſexto: *Adorate eum omnes Angeli ejus*, regni Chriſti
Ebr. 1, 6. prænuntia eſſe, docet Paulus in Epiſtola ad Ebræos: *Cum iterum introduxit* (Deus) *primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei.* Nec aliam eſſe loci hujus ſententiam, Ebræi putant, & a R. Davide Kimchi traditum eſt.

Pſalmorum omnium, in quibus aliquæ venturi Chriſti prædictiones inſunt, nullus eſt centeſimo nono ad Chriſti divinitatem, generationem æternam, regiam dignitatem, ſacerdotium, victorias ac triumphos ſignificandos clarior & illuſtrior. Ac Chriſti quidem divinitatem iſta exprimunt: *Dixit Dominus Domino meo, Sede a dextris meis:* generationem æternam iſta: *Ex utero ante Luciferum genui te:* hæc regiam dignitatem: *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion; Dominare in medio inimicorum tuorum. Tecum principium in die virtutis tuæ, in ſplendoribus ſanctorum*: hæc ſacerdotium: *Juravit Dominus, & non pœnitebit eum, tu es ſacerdos in æternum, ſecundum ordinem Melchiſedec;* reliqua victoriam ipſi ac trophæa portendunt. Tam certum id olim inter Judæos & indubitatum fuit, ut cum publice eos alloqueretur Jeſus Chriſtus, pro confeſſo ſibi ſumſerit Meſſiæ prædictionem illic contineri, ut legimus in Evangelio Matthæi, qui
Matth. 22, 41. & ſeq. ſubjicit: *Et nemo poterat ei reſpondere verbum: neque auſus fuit quisquam ex illa die eum amplius interrogare.* Factum idem a Petro memorant Acta Apoſtolorum. Id &
Act. 2, 34. 1. Cor. 15, 25. Paulum ſenſiſſe, Prior ad Corinthios declarat Epiſtola. Apertiſsime vero Epiſtola ad
Ebr. 1, 13. & 5, 6. & 6, 20. & 7, 1. & ſeq. Ebræos, in qua & reconditos Pſalmi hujus ſenſus Apoſtolus explanavit. Haudquaquam vero probabile eſt tantum ſibi fuiſſe permiſſuros, ut nobiliſsimo Pſalmo novam & adhuc inauditam ſententiam affingerent, apud Ebræos præſertim, ſuperſtitionibus deditam gentem, & in iis, quæ ad religionem pertinerent irritabilem, niſi id communi opinione receptum ac vulgo creditum ſciviſſent. Itaque opinionem hanc jam inde a vetuſtis ductam temporibus ſecuti ſunt Judæi complures. In his Thargumiſta, &
R. Moſ. Hadarſ. in Gen. 18, 1. R. Moſes Hadarſan, & R. Saadias Gaon in Danielem. Idem reperias apud R. Iſaacum ben Aramah, & in Midraſch Thehillim, & in ipſis Pandectis Judaicis, in Sucah, quinto capite, in Gemara. Quæ cum ita ſint, alii tamen Judæorum Magiſtri, etiam antiqui, at minus pudentes, ad eludendam vim argumentorum, quæ ex hoc Pſalmo adverſum ſe cudi ſentiebant, nihil non commenti ſunt. At quoniam ſimplex eſt & una veritas, an-

Digitized by Google

ceps vero & multiplex mendacium, in diversas opiniones disipati sunt: quarum plerasque in veteri Nitzachon expositas reperias. Quidam enim auctorem ipsum vocare in dubium conati sunt, cum Psalmum tribuerent Abrahami procuratori, cujus filius fuit Damascus Eliezer, & tum ab eo compositum vellent, cum post profligatos quinque Reges, sedes suas Abrahamus repeteret. Consulunt or libri Sanhedrin & Nedarin, & Midrasch Thillim, & Jarchius, & Lipmannus, hæc ad Abrahamum relata reperientur. Verum opinionem hanc præclare confutant Hieronymus & Chrysostomus: quærunt enim, quomodo Abrahamo convenire ista possint: *Ex utero ante Luciferum genui te:* & hæc: *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec.* Quæro ego quoque, quomodo isthic, *Dixit Dominus Domino meo, Sede a dextris meis*, in Abrahamum Judæi conferre audeant, quem docet Thalmud ad Gehennæ fores excubare, ut populares suos illuc pro sceleribus suis confluentes barathri ingressu arceat. Rabbinorum etiam multorum constans est doctrina, pios homines post mortem in beatas quasdam sedes longe a cœlo positas recipi. Sub solio gloriæ ligatas esse proborum hominum animas, tradit Cabala. Quem locum, si sibi consentire velint, Abrahamo quoque assignare debent, non eum ad ipsam Dei dextram collocare. Legatur super hoc argumento Sepher Æmana; res egregie confirmata reperietur. Uni e Davidis cantoribus Psalmi lucubrationem adscribunt recentiores Judæi; & versum hunc, *Dixit Dominus Domino meo*, id sibi velle ajunt, David Dominus meus dixit Salomoni Domino meo: istum vero, *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec*, votum cantoris hujus esse volunt, qui regni diuturnitatem Salomoni apprecetur; כהן quippe sæpe *Principem* sonare, non semper *Sacerdotem*; לשלם non infinitum tempus, ut sæpe, sed diuturnum, ut quandoque, significare; על דברתי מלכי-צדק male redditum esse, *Secundum ordinem Melchisedec*, quod vertendum erat, *Super verbum meum regi meo justo* Davidi a Deo dictum. Ad hanc sententiam principes viam straverunt Aben Ezra, & David Kimchi. Ille tamen in explicatione primi versiculi, non Davidem alloqui censet Salomonem, sed Deum alloqui Davidem: quod itidem visum est Herbano Judæo, in disputatione contra Gregentium Tephrensem. Idem Aben Ezra מלכי צדק non *regem meum justum* interpretatur, sed Melchisedecum, quomodo sumitur & in Thalmudico tractatu Nedarim, sive de votis, atque sensum istum colligit: tu diu regnabis, & ex prædis hostium, quos subiges, decimas capies, ita ut cepit Melchisedec ex prædis ab Abrahamo relatis. Chaldæi vero Paraphrastæ expositio hæc est, Imperium diu tenebis, quia justus rex es. Plures denique Psalmos recenset Aben Ezra, inscriptos לדוד, perinde ut hunc, qui tamen non Davidi, sed Cantori de Davide loquenti tribuendi sunt; quasi לדוד non *Davidis*, sed *Davidi* vertendum sit. Alii ex eadem Judæorum secta, ab ipsis Ecclesiæ incunabulis Psalmi centesimi noni vaticinationes ad Ezechiam pertinere rati sunt; *Quia is, ajunt, sederit ad dextram Templi, & hostes ejus averterit Deus & absumserit; propter ea igitur & cætera, Ante Luciferum generavi te, in Ezechiam convenire, & in Ezechiæ nativitatem.* Verba sunt Tertulliani, qui vesaniam hanc deinde obterit; quod antea fecerat Justinus. Quidam denique e Judæis Zorobabelem; nonnulli vero Israeliticum populum illic intelligendum esse arbitrati sunt, quos obiter refellit Chrysostomus. Adversus ea afferri multa possunt, quæ in pauca contrahemus. Primum quod ad inscriptionem לדוד pertinet, ne ipse quidem Aben Ezra, aliique Ebræi censent alium semper hac auctorem, quam Davidem notari, sed eum nonnunquam, nonnunquam alium; ut alibi ostendimus; ita ut aliquando reddi possit *Davidi*, aliquando *Davidis*. Cum res itaque hoc loco dubia sit, ecquos deligere arbitros æquius est, quam veteres ipsos Ebræos, quos ex JEsu Christi, Petri & Pauli testimonio, Psalmi hujus confectionem Davidi adscribere demonstravimus? His adde Tryphonem Judæum, cui dubium ejus auctorem non fuisse inde intelligimus, quod adversus eum disputans Justinus haud cunctanter Davidi Psalmum assignat. De Psalmi vero ipsius interpretatione, ecqui nobis aptiores contingent controversiæ disceptatores, quam reliqui Scriptores sacri, qui cum de Messia agerent, similibus locutionibus, paribus sententiis usi sunt? Hæc enim, *Dixit Dominus Domino meo*, quid sibi velint, potest ex hoc Ecclesiastici

Hieron. in Matth. 22. Chrysost. in Psal. 109.

Tertull. l. 5. adv. Marc.

Justin. adv. Tryph.

Chrysost. in Ps. 109.

Sepher Aemana. c. 1.

Eccl. 51, 14.

Digitized by Google

clesiastici loco intelligi: *Invocavi Dominum patrem Domini mei.* Cur autem David Ezechiam, nepotem suum, sibi vix, ac ne vix quidem æqualem, aut Zorobabelem, Dominum suum appellasset? Consentaneum igitur erat, ut dicerent patroni hujus sententiæ, temporibus Ezechiæ aut Zorobabelis hoc esse scriptum; quod tamen dicere ausi non sunt: nam si dixissent; id utique cum cæteris refellere non omisissent Justinus, Tertullianus, & Chrysostomus, qui Ezechiam, aut Zorobabelem minime hic esse intelligendum adversus eos acriter disputarunt. Multo etiam minus Israeliticæ genti potest id convenire: nam subditum sibi populum, Dominum suum appellasse Davidem, quis sanus existimare possit? Sequitur deinde: *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion.* Hæc sic expressit Isaias: *Et erit in novissimis diebus præparatus mons Domini in vertice montium, & elevabitur super colles, & fluent ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi, & dicent, Venite & ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Jacob, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis ejus: quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Jerusalem.* Quæ verba πρὸς λέξιν (*ad verbum*) repræsentavit Michæas. Atqui agere illic utrumque de Messia obscurum non est. Istud vero: *Ex utero ante Luciferum genui te*, quam simile est illorum, quæ ad Christum in Psalmo secundo referuntur: *Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te:* & horum quæ in Psalmo septuagesimo primo: *Permanebit cum Sole & ante Lunam in generatione & generationem;* tum: *Ante Solem permanet nomen ejus:* & istorum quæ in Psalmo octogesimo octavo: *Ego primogenitum ponam illum, excelsum pra regibus terræ:* & horum quæ de se Sapientia ait in Proverbiis: *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quicquam faceret a principio. Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis, antequam terra fieret. Nondum erant abyssi, & ego jam concepta eram; necdum fontes aquarum eruperant, necdum montes gravi mole constiterant: ante colles ego parturiebar.* Unde Isaias: *Generationem ejus quis enarrabit?* Si pro his verbis: *Tu es Sacerdos in æternum,* reponamus, *Tu es Princeps in æternum,* quod recentiores Judæi volunt, ducto ex vocis כהן ambiguitate argumento, quæ & *Principem* & *Sacerdotem* sonat, en tibi consimile testimonium e Psalmo octogesimo octavo, quod Christum respicit: *Juravi David servo meo usque in æternum, præparabo semen tuum:* & iterum: *Semel juravi in sancto meo, si David mentiar, semen ejus in æternum manebit.* Quæ ne temporis longitudinem, non æternitatem significare putes, subnexa hæc sunt: *Et thronus ejus sicut Sol in conspectu meo, & sicut Luna perfecta in æternum, & testis in cœlo fidelis.* Quæ tamdiu regnaturum eum non vovent, sed prædicunt, quoad Sol manebit, & Luna, quam testem fidelem appellat, ut pote quæ citima terris, omnium quæ in iis geruntur, ex doctrina Veterum, spectatrix sit. Unde hoc Poetæ cujusdam antiqui apud Charisium: *Luna Deum quæ sola vides perjuria vulgi.* At sive principem, sive Sacerdotem intelligas, minime id profecto cadet in Ebræum populum, quem Psalmo hoc notatum esse Judæi quidam, ut dixi, opinati sunt. Sed quid his immoramur, cum veram vocis כהן interpretationem res ipsa subministret? Decimas capit Melchisedec; an jure regio? an pontificio? Decimæ quidem in Lege Sacerdotibus attribuuntur, Regibus non item. Atqui decimarum capiendarum jus hic significari, putat ipse Aben Ezra. Unde efficitur pontificiam dignitatem etiam ipso judice notari, non regiam. Reliqua horum germana sunt ex Isaia: *In umbra manus meæ protexi te, ut plantes cœlos, & fundes terram:* & illorum e Psalmo decimo quinto: *Providebam in conspectu meo semper; quoniam a dextris est mihi, ne commovear;* & istorum quoque e Psalmo quadragesimo quarto: *Deducet te mirabiliter dextra tua. Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent in corda inimicorum regis. Sedes tua, Deus, in seculum seculi, virga directionis, virga regni tui.* Inprimis vero totum Psalmum secundum cum isthoc conferri velim; tanta apparebit sententiarum, verborumque germanitas, ut rem unam, unum argumentum subesse utrique, vaticinationem nempe de Christo, omnino sit fatendum. Denique opinionis Adversariorum ad præjudicatum dogma defendendum consulto excogitatæ novitas, nihil illi sinceritatis, nihil veritatis inesse liquido nobis demonstrat.

Et centesimo decimo septimo Psalmo hæc sibi aptavit Christus Jesus, cum Principes Sacerdotum

Isa. 2, 2, & seq.
Mich. 4, 2.
Psal. 2, 7.
Psal. 71, 5. 17.
Psal. 88, 28.
Prov. 8, 22. & seq.
Isa. 53, 8.
Psal. 88, 4. 5. 36.
Isa. 51, 16.
Psal. 15, 8.
Psalm. 44. 5. & seq.
Psal. 117, 22.

Digitized by Google

Matth. 21, 42. cerdotum Judæorum, & Seniores populi alloqueretur: *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. A Domino factum est istud, & est mirabile in* Act. 4, 11. *oculis nostris.* Inde adeo Petrus Apostolus ad similem Judæorum cœtum verba faciens, de Christo Jesu sic disserit: *Hic est lapis, qui reprobatus est a vobis ædificantibus, qui factus* 1. Petr. 1, 4. 7. *in caput anguli, & non est in alio aliquo salus:* quod & in Epistola priore repetit. Inde Eph. 2, 19. & seq. Ephesios per Epistolam Paulus sic compellat: *Ergo jam non estis hospites & advenæ, sed estis cives Sanctorum, domestici Dei, superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu, in quo omnis ædificatio constructa crescit in Templum sanctum in Domino, in quo & vos coædificavi in habitaculum Dei in spiritu.* Inde & in Judæorum Synagogis creberrime legi solitum, & vulgo notissimum fuisse, innuere videtur Hieronymus in Epistola ad Damasum. Hinc quoque Isaias in simili caussa voces easdem usurpat; Christum enim præ- Isa. 28, 16. nuntiat his verbis: *Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretiosum, in fundamento fundamentum: qui crediderit non festinet.* Et alio loco futurum prædicit, ut Isa. 8, 14. Christus sit *In lapidem offensionis, & in* Dan. 2, 34. 55. *petram scandali duabus domibus Israel.* Eumdem comparat Daniel lapidi de monte abscisso, & in montem magnum mutato, a quo terra universa impleta est. Subest de- Psal. 117, 25. inde eodem Psalmo: *O Domine, salvum me fac; O Domine, bene prosperare; benedictus* Matth. 21, 9. & seq. *qui venit in nomine Domini;* atque hæc ipsa sunt, quæ Christo JEsu Hierosolymam ineunti plebs accinebat. Profecto R. Selomoh Jarchi hoc Psalmi, quem primum indicavi, loco Christum prædici asseveravit.

Prophetia Isaiæ, Hieronym. Epist. ad Paulin. c. 7. & præf. 117. in Transl. Isa. XV. Isaias, qui non tam prophetiam Hieronymo texere visus est quam Evangelium, egregium de Christo, & Christi lege, & pace per ipsum orbi comparanda, tum & de reprobatione Judæorum, vaticinium edit Isa. 2, 2. & seq. secundo capite: *Et erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & elevabitur super colles, & fluent ad eum omnes gentes. Et ibunt populi multi, & dicent, Venite & ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Jacob, & docebit nos vias suas, & ambulavimus in semitis ejus; quia de Sion exibit lex, verbum Domini de Jerusalem. Et judicabit gentes & arguet populos multos; & conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces: non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad prælium. Domus Jacob venite, & ambulemus in nomine Domini.* Et deinde: Isa. 2, 17. & seq. *Et incurvabitur sublimitas hominum, & humiliabitur altitudo virorum, & elevabitur Dominus solus in die illa, & idola penitus conterentur, & introibunt in speluncas petrarum, & in voragines terræ a facie formidinis Domini, & a gloria majestatis ejus, cum surrexerit percutere terram.* Christi regnum his prædici Ebræi & Christiani uno ore declarant; David præsertim Kimchius & Aben Ezra in Michæam, apud quem ista Isaiæ totidem propemodum verbis repetita invenies. Quamvis autem in vulgatis Aben Ezræ editionibus alia legantur, ac in vetustis, quas legerat Raymundus Martini; utcunque tamen legas, Christi prædictionem hic ab eo agnitam dices. Certe mons ille, lapis est per somnium Nabuchodonosori visus, *abscissus de monte sine manibus:* qui *factus est* Dan. 2, 34. & seq. *mons magnus, & implevit universam terram:* quibus Christi venturi mysterium subesse suo loco ostendemus. Mons ille est, de quo Zacharias ait: *Quis tu, mons magne, coram* Zach. 4, 7. *Zorobabel?* quod ad Christum Ebræi referunt. Pacem per ipsum orituram aliis verbis infra prædixit Isaias: *Vocabitur nomen* Isa. 9, 6. *ejus, Princeps pacis:* & alio loco: *Habitabit* Isa. 11, 6. *lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit.* Idem jam ante in septuagesimo primo Psal. 71, 7. Psalmo de eo fuerat prænuntiatum: *Orietur in diebus ejus justitia, & abundantia pacis:* sic & de eo Michæas: *Et erit iste pax:* & Mich. 5, 5. Aggæus in prophetia de restitutione Templi Agg. 2, 10. per Christum: *Et in loco isto dabo pacem, dicit Dominus exercituum:* & Zacharias de Zach. 3, 10. Christo venturo vaticinans: *In die illa, dicit Dominus exercituum, Vocabit vir amicum suum subter vitem, & subter ficum.* Unde & Christus Jesus de se ipso apud Johannem: *Pacem* Joh. 14, 27. *relinquo vobis, pacem meam do vobis.* Futurum ait Isaias secundo capite: *Judicabit gen-* Jes. 2, 4. & 19. *tes, & arguet populos multos;* & deinde: *Introibunt in speluncas petrarum, & in voragines terræ a facie formidinis Domini, & a gloria majestatis ejus, cum surrexerit percutere terram.* Idem de Christo prædixit alibi futurum Isa. 11, 4.

Digitized by Google

turum ut terram percutiat, & ut impios, vano nempe idolorum cultui deditos homines interficiat; & ut *ſtet in ſignum populorum, & ipſum gentes deprecentur*, ſupremosque honores conſequatur; quemadmodum hic futurum ſpondet, ut *arguat populos multos*, & coram eo *incurvetur ſublimitas hominum, & humilietur altitudo virorum.* Atque hæc eventura ait Iſaias, באחרית הימים, *in noviſſimis diebus*; quo loco tradit Kimchius, ubicunque legitur, אחרית הימים, Meſſiæ tempora notari. Iſa. 11, 10.

Agnoſcunt quoque Jonathan, & Midraſch Cantici Canticorum, Chriſti prædictionem his ineſſe, quæ extant quarto Iſaiæ capite: *In die illa erit germen Domini in magnificentia & gloria, & fructus terræ ſublimis, & exultatio his, qui ſalvati fuerint de Iſrael. Et erit, Omnis qui relictus fuerit in Sion, & reſiduus in Jeruſalem, ſanctus vocabitur, omnis qui ſcriptus eſt in vita in Jeruſalem: ſi abluerit Dominus ſordes filiarum Sion, & ſanguinem Jeruſalem laverit de medio ejus in ſpiritu judicii & ſpiritu ardoris.* At in Zohar referuntur iſta ad regnum, quod cum juſtis poſt ſex annorum millia Chriſtum habiturum Chiliaſtæ fingebant. Hæc deinde quæ ſubnexa ſunt; *Super omnem enim gloriam protectio*, quæ ad Antichriſtum referebant Judæi nonnulli, plures ex illis ad liberationem e Babylonica captivitate, Meſſiæ tribuit R. Abhu in Midraſch Pſalmiorum. Porro quemadmodum hic *Germen* dicitur Chriſtus, ſic apud Jeremiam: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & ſuſcitabo germen juſtum:* & alibi: *In diebus illis, & in tempore illo germinare faciam David germen juſtitiæ:* & apud Ezechielem: *Et ſuſcitabo eis germen nominatum.* Ergo Chriſti adventum his verbis apprecatur Iſaias: *Aperiatur terra, & germinet Salvatorem.* Hinc Chriſtus Jeſus ſe *Vitem veram*; hinc ipſum Johannes *Davidis radicem* appellat. Chriſto gloriam eodem loco ſpondet Iſaias; ita & David: *Gloria & honore coronaſti eum*; & Daniel: *Et dedit poteſtatem, & honorem, & regnum; omnes populi, tribus, & linguæ ipſi ſervient:* Et Zacharias: *Et ipſe portabit gloriam, & ſedebit, & dominabitur ſuper ſolio ſuo:* & Iſaias ipſe alibi: *Ecce intelliget ſervus meus, exaltabitur, & elevabitur, & ſublimis erit valde.* His ſuccinunt Apoſtoli & Evangeliſtæ, & Chriſti Jeſu gloriam prædicant. Sic Petrus in Actis: *Deus patrum noſtrorum glorificavit filium ſuum Jeſum:* ſic in Prima Epiſtola: *Cui eſt gloria & imperium in ſecula ſeculorum. Dominum gloriæ* Paulus appellat. Idem ad Philippenſes; *Dominus Jeſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris*; & ad Ebræos: *Cum ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ ejus:* deinde; *Videmus Jeſum propter paſſionem mortis gloria & honore coronatum:* & Johannes in Apocalypſi; *Sedenti in throno, & Agno, benedictio, & honor, & gloria, & poteſtas in ſecula ſeculorum.* Quod ſubnectit Iſaias, *Si abluerit Dominus ſordes filiarum Sion, & ſanguinem Jeruſalem laverit de medio ejus in ſpiritu judicii & ſpiritu ardoris*; idem de eo vaticinatur alibi: *Iſte aſperget gentes multas:* ita & Jeremias ex perſona Chriſti; *Et emundabo illos ab omni iniquitate ſua*; & Ezechiel; *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris:* & Zacharias: *In die illa erit fons patens domui David, & habitantibus Jeruſalem, in ablutionem peccatoris & menſtruatæ.* Ergo provinciam hanc adminiſtrare ſe declarat Chriſtus Jeſus; *Hic eſt ſanguis meus Novi Teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum:* & Johannes; *Sanguis Jeſu Chriſti, filii ejus, emundat nos ab omni peccato:* & in Apocalypſi: *Lavit nos a peccatis noſtris in ſanguine ſuo.* Iſa. 4, 2. & ſeq. Iſa. 4, 5. Jer. 23, 5. & 33, 15. Ez. 34, 29. Iſa. 45, 8. Joh. 15, 1. Apoc. 5, 5. & 22, 16. Pſal. 8, 6. Dan. 7, 14. Zach. 6, 13. Iſa. 52, 13. Act. 3, 13. 1. Petr. 4, 11. 1. Cor. 2, 8. Philipp. 2, 11. Hbr. 1, 3. & 2, 9. Apoc. 5, 13. Iſa. 4, 4. Iſa. 52, 15. Jer. 33, 8. Ez 36, 25. Zach. 13, 1. Matth. 26, 28. 1. Joh. 1, 7. Apoc. 1, 5.

Septimum, octavum, & nonum Iſaiæ caput in eodem fere verſantur argumento, & Judæos a Syriæ & Iſraelis regibus oppreſſos, hoc quidem periculo exemtum iri prænuntiat, at longe gravius ab Aſſyriis & Ægyptiis impendere; vaſtatum iri ab iis Judæam, Syrosque ipſos, & Iſraelitas Judæorum hoſtes maximis cladibus affectum iri ab Aſſyriis, & priſtinæ demum tranquillitati Judæam iri reſtitutum; quorum omnium tempus definit intra eos annos, quibus Virgo filium gignet, in lucem edet, & citra rationis uſum educabit. Verba autem in rem conferre jubetur Propheta; nam cum ſeptimo capite Dei juſſu denuntiaſſet Achazo futurum, ut ab Iſraelis quidem & Syriæ regibus nihil ipſi eveniret incommodi, ab Ægyptiis vero & Aſſyriis oppugnatus in maximas incideret calamitates, antequam Virgo concipere, filium parere, & ad annos rationi proximos educere poſſet; ſequenti capite hæc ſubjiciuntur: Iſa. 7, & 8. & 9.

Digitized by Google

Isa. 8, 1. jiciuntur: *Et dixit Dominus ad me: Sume tibi librum grandem, & scribe in eo stylo hominis, Velociter spolia detrahe, cito prædare.* Quæ quonlam ab omnibus interpretibus, quos quidem mihi videre contigit, in alienum sensum flecti solent, explicare operæ pretium est. Deum non ἐνδυόρρήμονα *(verbis propriis & apertis utentem,)* sed σεμνοπρεπῶς *(decore)* & verecunde loquentem inducit Propheta: ἐπὶ τῶν ἀκαταμφάτων καλοῖς ὀνόμασι χρώμενον, *(in rebus quæ honeste dici non possunt verbis honestis utentem)* & translatis verbis ac honestis negotium sibi dantem uti uxorem ducat, liberisque cum ea operam det. Maxima enim fuit Ebraicæ linguæ verecundia; adeo ut genitalium partium & rerum propria vocabula nulla habeat; quemadmodum a Maimonide observatum est. Etsi quando usu venit, ut designandæ sint, generales quasdam & improprias ascisçunt dictiones, quarum aliquas attulit Elias Levita in Thisbi. Uxorem itaque *Librum grandem* appellat: *Stilum hominis* nominat eam partem, quæ honeste nominari non potest: jubet in eo scribere *Velociter spolia detrahe, cito prædare,* hoc est, filium cum ea gignere, cui id nominis futurum erat. Paret itaque Isaias Dei mandato; *Adhibui mihi,* inquit, *testes fideles, Uriam Sacerdotem, & Zachariam filium Barachiæ, & accessi ad Prophetissam, & concepit, & peperit filium. Et dixit Dominus ad me, Voca nomen ejus, Accelera spolia detrahere, festina prædari; quia antequam sciat puer vocare patrem suum & matrem suam, auferetur fortitudo Damasci, & spolia Samariæ coram rege Assyriorum.* Hæc superiora illustrant, & interpretationi nostræ fidem faciunt. Tectior quidem verbis sermo hic est, sed sententia plane germanus istis Oseæ: *Dixit Dominus ad Osee, Vade, sume tibi uxorem fornicationum, & fac tibi filios fornicationum: quia fornicans fornicabitur terra a Domino. Et abiit, & accepit Gomer filiam Debelaim, & concepit, & peperit ei filium. Et dixit Dominus ad eum, Voca nomen ejus Jezrahel, quoniam adhuc modicum, & visitabo sanguinem Jezrahel super domum Jehu, & quiescere faciam regnum domus Israel.* Ubi loquitur Propheta, כלשון בני אדם, *juxta linguam hominum,* quod in explicanda Lege sæpe dictum reperias apud Maimoniden, & Aben Ezram. Simile quid & in tertio Oseæ capite reperias. Secus Isaias, qui rem obscœnam honesta circuitione usus dissimulat. Uti factum a Salomone, qui stupra & adulteria exprimit per aquas furtivas, clandestinum panem, cibum, os, esum: uti factum & ab Apolline Delphico, apud Euripidem, cum responsum daret Ægeo, oracula sua de liberis quærendis scisçitanti; quippe eum vetat solvere petiolum, sive canaliculum ex utre extantem, antequam in Atticam redierit: hoc est, liberis operam dare; dictionibus translatis partes obscœnas, remque veneream notans. Paulus eadem metaphora scriptionis aliam rem significat. Sic ille ad Corinthios: *Epistola nostra vos estis, scripta in cordibus nostris, quæ scitur & legitur ab omnibus hominibus: manifestati quod epistola estis Christi, ministrata a nobis; & scripta non atramento, sed Spiritu Dei vivi; non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus.* Ea porro quam damus, Isaiani hujus vaticinii mihi longe probabilior videtur expositio, quam quæ affertur a Basilio. Is quæ de libro & scriptione dicuntur ab Isaia, interpretatur ad verbum, & jussum esse Prophetam censet in libro revera scribere: at allegorice sumenda docent, quæ de accessu illo ad Prophetissam narrantur; jussumque eum mente ad Mariam Virginem accedere, ejusque conceptum & partum animo contueri & in literas referre. Quod ergo jussus erat scribere, Christi ortum videlicet, id ut scriberet, animum ad Mariam Virginem, eamdemque Prophetissam, & ad ejus conceptum ac partum appulit; iisque animo prævisis ac præcognitis, in libro tandem descripsit. Ita, vel non multo certe aliter intellexisse videntur Cyrillus & Procopius; quanquam obscura est & intricata hujus oratio. Sed quorsum tandem illi testes, quos adhibere necesse non erat, si Prophetæ animo futura prospicientis speculatio mera fuerat narranda? contra vero, uxorem ducturus eos ut adhiberet, moris patrii ratio postulabat. Propius recedit a vero Epiphanius adversus Ebionitas disputans: nam *Librum grandem* exponit uterum sanctæ Virginis; & scriptionem quæ fit stilo hominis, alias quidem notare censet opus virile, verum hoc loco Prophetæ dictum non esse ait, Scribet in eo libro homo quispiam, sed *Scribe;* quo verbo jubetur scribere Propheta, non ipse quidem Propheta, sed Spiritus sanctus, qui erat in Propheta, per quem

Maimon. in More nev. P. 3. c. 8.

Elias Lev. Thisb. in אבר & alibi.

Isa. 8, 2. & seq.

Ose. 1, 2. & seq.

Prov. 9, 17. & 30, 20. Eurip. Med. v. 674. & seq. & Schol.

2. Cor. 3, 2.

Basil. in Isa. 8.

Cyrill. & Proc. in Isa. 8.

Epiph. Hær. Ebion.

Digitized by Google

quem concepit Jesum Maria Virgo; nam per Prophetam ipsum, qui tot annis Mariam præcessit, fieri id haudquaquam poterat. Vulgatas loci hujus interpretationes qui tuentur, quique librum, & stilum, & scriptionem intelligunt πρὸς λέξιν (*ad verbum*) non vident, id jussum esse Prophetam a Deo, juxta suam expositionem, quod non præstiterit; id præstitisse, quod non jussus sit. Nono demum capite pueri ortum, & Judæ liberationem narrat, & futuras Israelis calamitates prædicit. Verumtamen etsi eam quam dixi significationem fronte præfert illa Isaiæ vaticinatio, aliud tamen longe illustrius in recessu latet mysterium; eaque arte totum hoc vaticinium contextum est, ut & præsens spectet tempus, ac historicum sensum specie ostentet, & ad futurum nihilominus tempus pertineat, & mysticum sensum introspicienti promittat. Ambigua quippe verba ista sunt: *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Proximus enim sensus hic est; Virgo in manum viri conveniet, ex eorumque conjugio nascetur filius; qui nomine suo Emmanuel, hoc est *Nobiscum Deus*, opem Dei Judæos prosequentem & præsentem ostendet: occultior vero ille est; Virgo Spiritus sancti virtute, sine viri consortio, filium pariet, qui cum in lucem prodierit, tum vere erit *Nobiscum* Joh. 1, 14. *Deus*, vereque de eo dicetur: *Et Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.* Ista deinde octavi capitis: *Sume tibi Librum grandem, & scribe in eo stilo hominis, Velociter spolia detrahe, cito prædare*, in duas partes trahi possunt, vel in eam quam mox dixi, ut jubeatur Propheta ducere virginem, ex eaque filium hujus nominis procreare; vel in alteram, qua Propheta jubetur in literas referre venturi Christi prædictionem, cujus id erit munus, ut peccato, Dæmone, ac mundo devictis, mortem quoque superet ipsam, ejusque spolia detracta prædetur. Paulo post de rege Assyriorum hæc scripta sunt: *Et erit extensio alarum ejus, implens latitudinem terræ tuæ, o Emmanuel:* quorum ambiguus quoque sensus est, nam & Judæam filii sui terram esse ait Propheta, quod ipsius patria sit; & Christi quoque terra futura erat, quam jure regio erat possessurus. Terra itaque filii Isaiæ dicitur, ut indigenæ; Christi, ut regis. Geminus Isa. 8, 13. & seq. etiam sensus illorum est: *Dominum exercituum ipsum sanctificate, ipse pavor vester: & erit vobis in sanctificationem; in lapidem autem offensionis, & in petram scandali duabus domibus Israel, in laqueum & ruinam habitantibus Jerusalem. Et offendent ex eis plurimi, & cadent, & conterentur, & irretientur, & capientur:* quorum alter obvius sensus est, alter pertinet ad Christum, *lapidem probatum, angularem, pretiosum, in fundamento fundatum*, ut alio loco Isaiæ dicitur; *lapidem* Isa. 28, 16. *reprobatum ab ædificantibus, & factum in caput anguli*, uti centesimo decimo septimo Psalmo appellatum eum supra notavimus; in quem *qui ceciderit, confringetur: super quem vero ceciderit, conteret eum*, inquit ipse Jesus apud Matthæum: quod repetunt subinde Matth. 21, Petrus & Paulus in Epistolis. Anceps & istud 44. 1. Petr. 2, est noni capitis: *Primo tempore alleviata est* 4. 7. *terra Zabulon, & terra Nephthali, & novissimo aggravata est via maris trans Jordanem Galilææ gentium. Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis:* nam & exitum ista habuere per Teglath-Phalasarem primum, deinde per Salmanasarem, qui Israelitas gravissimis exiliis & deportationibus multarunt; & Ezechiæ demum temporibus, cum ab Angelo cæsus est Sennacheribi exercitus. Sed plenius tamen & perfectius completa hæc esse per Christum, Matthæus quarto capite ostendit. Anceps Matth. 4. denique illud capitis ejusdem, *Parvulus* 15. *natus est nobis, & filius datus est nobis;* Isaiæ Isa. 9, 6. nempe filius, Dei jussu procreatus, Achazo supra prædictus, tanquam futurorum signum; minime vero Ezechias, quem hic prædictum Judæi opinantur; ut pote quem annos novem natum fuisse constat, cum regnum iniit pater ipsius Achazus, ut demonstrat Hiero- Hieron. in nymus; annos vero unum & triginta, cum Isa. 7, 14. ab Assyriis capta Samaria est, juxta hoc vaticinium; at insuper iisdem Isaiæ verbis prædicitur Christus, orbi terrarum universo, sed Judæis primum datus. Enimvero cum hæc ipsum spectent propius, addi aliquid debuit, quæ uni illi congruerent, nec alio præterea torqueri possent. Ista sunt nimi- Isa. 8, 6. & seq. rum: *Et factus est principatus super humerum ejus, & vocabitur nomen ejus, Admirabilis, consiliarius, Deus fortis, pater futuri seculi, princeps pacis. Multiplicabitur ejus imperium, & pacis non erit finis: super solium David,*

David, & ſuper regnum ejus ſedebit, ut confirmet illud & corroboret in judicio & juſtitia a modo & usque in ſempiternum. Zelus Domini exercituum faciet hoc. Verbum miſit Dominus in Jacob, & cecidit in Iſrael. Quæ ſint hujusmodi, ut partim filio Iſaiæ convenire non poſſint; partim Ezechiæ, quem hic notatum Judæi putant; partim neutri; omnia vero Chriſto mirifice congruant. Neuter certe admirabilis, quod Dei proprium eſſe nomen intelligitur ex decimo tertio capite Judicum; neuter Deus; neuter proprie fortis, quod de ſe Deus ſæpe prædicat: Gen. 46, 3. *Ego ſum*, inquit, *fortiſſimus Deus:* & alibi: Exod. 20, 5. *Ego ſum Dominus Deus fortis;* ſic quoque Iſa. 11, 2. Iſaias de Chriſto: *Requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini, ſpiritus conſilii, & fortitudinis:* cui ſpiritus conſilii & fortitudinis ineſſe dicitur, hic *Conſiliarius* & *Fortis* appellatur; neutrius æterna pax, neutrius regnum ſempiternum: quæ Chriſti propria eſſe oſtendimus ſupra ex his Pſalmi octogeſimi octavi: *Ponam in ſeculum ſeculi ſemen ejus ſicut dies cœli.* Idem iſta demonſtrant ipſius Iſaiæ, quæ ſupra ad Chriſti regnum ſpectare Iſa. 2, 4. dicebamus: *Et conflabunt gladios ſuos in vomeres, & lanceas ſuas in falces: non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad prælium:* & hæc quoque: Iſa. 11, 1. 5, 6. *Egredietur virga de radice Jeſſe..... Et erit juſtitia cingulum lumborum ejus..... Habitabit lupus cum agno:* quæ regni ipſius æternam tranquillitatem portendunt: nec Joh. 14, 27. non & iſta Chriſti Jeſu ad Apoſtolos: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.* Futurum vero ſpondet *principatum ſuper humerum ejus,* quippe datam ſibi omnem poteſtatem in cœlo, & in terra Jeſus Chriſtus prædicavit. Pluribus vaticinii hujus convenientiam cum Chriſto Jeſu demonſtrant alii, ac imprimis Procopius; ad quem brevitati conſulentes Lectorem amandamus. Jam ſi Judæorum perrogamus ſententias, ſi non omnium, ac certe aliquorum favorem experiemur: nam in Expoſitione magna Numerorum verba iſta ſeptimi capitis: Iſa. 7, 15. *Butyrum & mel comedet, ut ſciat reprobare malum, & eligere bonum,* ad Meſſiam & ad Ezechiam referuntur. Unum quidem Ezechiam, vel unum Iſaiæ filium hic intelligendum eſſe autumant R. David Kimchi, & Aben Ezra, & R. Lipman in Nitzachon; eumque more reliquorum animalium genitum, ſed prodigialiter tamen natum fatentur idem Kimchi, & R. Selomoh Jarchi, quod ex puella viro nondum matura, Deo ſic volente, procreatus ſit. Ad Ezechiam quod attinet, jam natum fuiſſe cumhæc agerentur fatetur R. Selomoh, & ratio ipſa probat: unde res ad Iſaiæ filium redit, quem & nos hic quoque, ſed & Chriſtum præterea, cum Bemidbar Rabba agnoſcimus. Agnoſcunt Chriſtum & Thalmudiſtæ in iſtis octavi capitis: *Et expectabo Dominum qui abſcondit faciem ſuam a domo Jacob, & præſtolabor eum.* Tralatitia autem inter illos opinio eſt, deſignari Chriſtum hac noni capitis ſententia, cujus initium illud eſt: *Parvulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis.* Diſertis id apud Tharmugiſtam verbis hoc loco conceptum eſt; & in Bereſith Rabba, & in Seder Debarim Rabba, & in Echa Rabbathi, ſive Expoſitione magna Threnorum. Memorabile & illud eſt, quod adnotarunt Thalmudiſtæ in libro Sanhedrin, & R. Selomoh Jarchi ad has voces ſeptimi verſus ejusdem capitis: למרבה המשרה, *ad multiplicandum imperium*, cum quærerent, quare in medio dictionis hujus למרבה contra Ebraicæ Scripturæ leges reperiatur מם סתומה, *Mem clauſum;* nempe latere illic occultum quippiam, cui venturi Meſſiæ prædictionem ineſſe Magiſtri aſſeverant. Et tamen in eodem libro Sanhedrin Ezechiæ tribuitur tota hæc prædictio, quod & ab Ebræis vulgo creditum queruntur Hieronymus & Cyrillus; nec ulla in Doctoribus iſtis inceſſit religio, ipſi hæc accommodandi: *Et vocabitur nomen ejus, Admirabilis, conſiliarius, Deus fortis, pater ſempiternus, princeps pacis.* Hos refellit Hieronymus, ac de parvulo infante recens nato agi vult, cum novem aut decem annos natus eſſet Ezechias, tum cum regnum capeſſivit Achazus pater, qui ſexdecim regnavit annos, annis vero viginti quinque majorem Ezechiam reliquit hæredem. Nos rationem non probamus Hieronymi, ad infantem hæc referentis, quæ ad unum Chriſtum ſpectare credimus. Factum tamen optime eſt, quod octo hæc nomina ad unam eamdemque perſonam referenda eſſe docent, ut inde retundi poſſit R. Salomonis Jarchi vecordia, qui quantum Chriſtiana fides hoc teſtimonio nitatur recte intelligens, commentitia illud interpretatione corrumpere

Thalm. in l. Sanhedr. c. 1. Iſa. 8, 17.

Iſa. 9, 6.

Hieron. & Cyrill. in Iſa. 7, 14.

Digitized by Google

pere tentavit; ac si priora sex nomina Dei essent, posteriora duo Ezechiæ, totusque locus sic esset sumendus; *Et Deus admirabilis, consiliarius, Deus fortis, pater æternus, vocavit nomen Ezechiæ, Principem pacis.* Qua explicatione diversos casus nominibus affingit ad libitum, alios nominandi, alios accusandi, quorum tamen in Ebraico exemplari nulla apparet distinctio. Verum aliter Maimon. in Epist. ad Afric. senserunt Chaldæus Paraphrastes, & Maimonides, & alii qui uni Messiæ nomina hæc omnia aptarunt. In eo denique quod proposuimus, unum eumdemque puerum toto hoc trium capitum vaticinio denotari, adstipulatorem habemus R. Davidem Kimchi: quamquam in eo dissentit a nobis, quod Ezechiam illic exprimi docet, nos filium Isaiæ typum Christi gerere censemus, & Eus. Dem. l. 7. Bas. Hier. Cyr. Theod. Proc. in Isa. 7. 8. & 9. assentientes habemus Eusebium, Basilium, Hieronymum, Cyrillum, Theodoretum, & Procopium.

Inter Veteris Testamenti vaticinationes, Isa. 11. & 12. quæ Messiæ adventum protendunt, celebratissima ea est, quæ undecimo & duodecimo Isa. 11. & seq. Isaiæ extat capitibus, magnoque consensu a Christianis & Judæis Christo accommodatur: *Et egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet:* hæc humanam ejus naturam declarant. *Et requiescet super eum spiritus Domini:* hæc ipsius divinitatem significant. *Judicabit in justitia pauperes, & arguet æquitate pro mansuetis terræ, & percutiet terram virga oris sui, & spiritu labiorum suorum interficiet impium:* his impositum Christo munus explicatur. *Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hœdo accubabit*, & reliqua futuræ per orbem pacis prænuntia, administrationis Christi effectionem demonstrant. *In die illa radix Jesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur:* hæc ejus auctoritatem & potestatem notant: ista vero honores illi post mortem exhibitos: *Et erit sepulcrum ejus gloriosum.* Isa. 12. 2. 3. Quas ob res sequenti capite gratias Deo agit Propheta: *Ecce*, inquit, *Deus Salvator meus, fiducialiter agam, & non timebo, quia fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem: haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.* Quæ in se eventum habuisse Christus ostendebat, cum clamaret: *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat: qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* Rursum: *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum; sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Cum Christianis itaque fatentur Judæi, floridum illum stolonem, de radice Jesse proditurum, eum esse Christum. Id asseverat Jonathan, asseverant & passim Thalmudistæ. Idem traditur & in Midrasch Thehillim, & in Beresith Ketanna, & apud R. Salomonem Jarchi, & R. Maimoniden. Proprium quoque id esse Messiæ, ut super eum requiescat Spiritus Domini, docetur in ultimo capite Thalmudici libri Sanhedrin, & in Beresith utraque, Rabba & Ketanna; idque auctore Isaia, non hoc solum quem tractamus loco, sed & quadragesimo Isa. 42. 2. secundo capite: *Dedi Spiritum meum super* Isa. 61. 1. *eum;* & sexagesimo primo: *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me.* De Christo etiam dictum esse affirmat Beresith Isa. 11. 3. Rabba, *Non secundum visionem oculorum judicabit, neque secundum auditum arguet.* Sequens comma Christo addicitur apud 2. Thess. 2. 8. Paulum in altera ad Thessalonicenses: *Tunc revelabitur ille iniquus, quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui.* Iniquus ille, Antichristus est; qua in opinione Judæorum Magistrorum plerique fuerunt: alii Gog & Magog hic notari volunt. Sed parvi id refert, constet modo, quod verum est, Judæos itidem ut Christianos Messiæ locum hunc tribuere. Sic Beresith utraque, Major & Minor, sic Midrasch Thehillim, & Midrasch Ruth. Subnexa aureæ velut ætatis, & animalium omnium concordiæ descriptione Christi regnum adumbratur, quod & supra Isa. 2. 4. prædicat Isaias: *Et conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces: non levabit gens contra gentem gladium, non exercebuntur ultra ad prælium.* Aliquorum autem Judaici fermenti, & nonnullorum quoque Christianorum, qui Hieronymi ævo Judaicis deliriis laborabant, tantus fuit stupor, ut hæc nude sumenda putarent, quorum Hieron. in Isa. 11. 6. vanitatem Hieronymus, & deinde doctissimus Maimonides exagitarunt. Allegorice Maimon. in Jad. quoque eadem interpretatus est R. David Chaz. Part. 4. l. de Kimchi. Christo etiam ista adjudicantur in Reg. c. 12. Epistola ad Romanos: *In die illa radix Jesse,* Rom. 15. 12. *qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur.* Sic etiam in Beresith Rabba, & in Midrasch Thehillim. Quorum omnium

Matth. 7. 37. Joh. 4. 13.

Digitized by Google

similia videre licet secundo Isaiæ capite, quo Christum prædici supra ostendimus. Duodecimum vero caput Christo adscribendum esse, ex Chaldaica hujus & superioris capitis interpretatione colligitur. Atque utinam Hugo Grotius, vir nobilissimi ingenii, & excellentis doctrinæ, & ob locatam egregie in Librorum sacrorum interpretatione operam sæpe a nobis laudatus, hic quoque veniret laudandus, vel nostras saltem animadversiones effugere posset; libenter profecto, pro nostro adversus tantum virum studio, ab omni ejus suggillatione temperaremus. Sed quando potius esse debet veritatis studium, in eo præsertim opere, quod circa primæ veritatis indagationem versatur, atque ita postulat candor noster, dicam libere, quod & jam supra dixi, valde mihi hanc ejus improbari rationem, qua Veteris Testamenti Prophetias ac typos, ad futuram Christi dispensationem manifesto & summo Interpretum omnium, qua Ebræorum, qua Christianorum, consensu pertinentes, alio solet avertere, & ad temporum illorum historiam accommodare: latentia vero illic Christi mysteria, vel prætermittere omnino, vel perfunctorie delibare; & levi brachio perstringere. Quod passim quidem factum ab eo est, maxime vero his capitibus, quæ cum apertam & agnoscendam vel invitis Christi significationem præ se ferant, universa tamen detorquet ad Ezechiam, & singulas prædictionis partes ipsi aptare satagit. Christum vero illic sensu sublimiore laudari, obiter tantum & strictim fatetur; quatenus autem vaticinii membra particulatim ipsi congruant, ostendere negligit. In quo geminus est ipsius error, & quod in Ezechiam deflexit, quæ cadere in eum non poterant, & quod Christo invidisse visus est, quæ ipsi apertissime conveniebant. Nam ad id primum: *Et requiescit super eum spiritus Domini*, Spiritum Domini Ezechiæ perpetuo affuisse ait: tumne etiam, cum Merodach-Baladanis legatis pretiosam suam omnem suppellectilem magnifice ostentavit? *Non juxta beneficia, quæ acceperat, retribuit*, inquit Auctor Paralipomenon, *quia elevatum est cor ejus, & facta est contra eum ira, & contra Judam & Jerusalem.* Quamobrem Dei ipse quidem minas; pœnas vero etiam progenies ipsius experta est. Ad id quod subnectit Propheta, futurum ut super florem de radice Jesse ortum requiescat Spiritus fortitudinis, Ezechiæ constantiam in adversis notari opinatur Grotius, quam tempore Sennacheribi egregie testatus sit: tumne, cum audita Sennacheribi adversum se suscepta expeditione, ad eum *misit nuntios in Lachis, dicens: Peccavi, recede a me, & omne quod imposueris mihi feram*, quod & re præstitit, missa ad eum magna auri & argenti vi, spoliato etiam ad id ipso Dei Templo, & refixis laminis aureis, quas ad valvas affixerat? tumne, cum ex morbo decumbens, & morti proximus, terrore mortis perculsus *flevit fletu magno?* Quanquam ejus fortitudinem alias in sacris literis prædicari non infitior. Ecquando vero *percussit terram virga oris sui, & spiritu labiorum suorum interfecit impium?* Preces ipsius ad Deum interpretatur Grotius, per quas Assyrium confecit; quod quam violenter detortum sit, Lector existimet: hic enim, ut alias sæpe, *Virga* regiam potestatem denotat; ut Psalmo secundo: *Reges eos in Virga ferrea*; & quadragesimo quarto: *Virga directionis, virga regni tui*; & centesimo nono: *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion, dominare in medio inimicorum tuorum.* Quibus sententiis regia Christi præsignificatur potestas; humilium vero Ezechiæ precationum ad Deum effectus minime exprimitur. Quid eximium vero præ cæteris habuit pax illa, quæ post profligatum Sennacheribum in Judæa floruit, ut tanta verborum & sententiarum amplificatione celebraretur, & ad miraculum usque extolleretur? Addit Propheta: *In die illa radix Jesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur:* Ad *Ezechiam*, inquit Grotius, *concurrent multi ex gentibus ad verum Deum conversi:* quod nullo Scripturæ sacræ testimonio nititur: sed & quædam repugnant. Nam cum scripserit Isaias: *Egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet*, liquet nondum egressam esse virgam hanc, nec florem illum ascendisse, cum vaticinia hæc ederentur. At jam natus erat Ezechias; quippe hæc Achazo regnante scripta esse septimum caput ostendit. Regnavit autem Achazus annos sexdecim, cui cum successit Ezechias, annum agebat quintum & vicesimum. Ergo jam in vivis erat Ezechias. Unde efficitur nulla ratione hoc Isaiæ dictum ad eum accommodari. Eadem certe de Messia, vel Judæis ipsis testibus,

2. Par. 32, 25. Psal. 2, 9. Psal. 44, 7. Psal. 109, 2. Isa. 11, 10.

teſtibus, iterata extant Iſaiæ quadrageſimo
Iſa. 42, 1. & ſeq. ſecundo capite, quæ undecimo: *Ecce ſervus meus, ſuſcipiam eum: electus meus complacuit ſibi in illo anima mea; dedit ſpiritum meum ſuper eum, judicium gentibus proferet. Non clamabit, neque accipiet perſonam, nec audietur vox ejus foris. Calamum quaſſatum non conteret, & linum fumigans non extinguet, veritate educet judicium. Non erit triſtis, neque turbulentus, donec ponat in terra judicium, & legem ejus inſula expectabunt.* Et paulo poſt: *Dedi te in fœdus populi, in lucem gentium.* Si quis duo hæc invicem contendat teſtimonia, eodem pertinere comperiet, & ſibi lucem ac robur conciliare. Et tamen Grotius priore ad Ezechiam deflexo, poſterius ad Iſaiam torquet: multiplex quippe eſt erroris trames, unicus veritatis. Multo etiam minus in Joſiam cadere iſta poſſunt, quem hic notatum eſſe opinati ſunt quidam, cum nec Ezechiæ ſplendorem ac divitias æquaverit, & Pharaonem Nechao Ægypti regem temere ac præter voluntatem Dei aggreſſus miſerabiliter confeſſus perierit; nedum mors ejus fuit glorioſa, quam ut pote infelicem & acerbam tamdiu lamentis populares ejus ſunt proſecuti. Vanum autem eſt & nulla legitima auctoritate firmatum, quod commentus eſt R. Iſaac Abrabaniel, Joſiam propter gentis ſuæ nequitiam interiiſſe. Judæis vero ab Hieronymo memoratis, qui vaticinationes iſtas nondum exitum habuiſſe, ſed in fine rerum habituras eſſe, tuncque exoriturum eſſe Chriſtum rentur, litem hic non moveo, cum Chriſtum hic prædici fateantur, quod unum obtinere Propoſitione hac conſtitui.

Iſa. 28. Diximus ſuperius lapidis ſymbolo Chriſtum ſic adumbrari in Pſalmo centeſimo de-
Pſal. 117, 22. cimo ſeptimo: *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli.* Eodem ſymbolo uſum quoque diximus Iſaiam alio loco, cum Chriſtum futurum dixit lapidem offenſionis & petram ſcandali, ex ejusque offenſione plurimos contritum iri. Indidem quoque expreſſum eſſe notavimus
Iſa. 28, 16. iſtud Iſaiæ: *Hæc dicit Dominus Deus, Ecce ego mittam in fundamentum Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretioſum, in fundamento fundatum, qui crediderit non feſtinet;* vel juxta aliam lectionem, quam ſecuti ſunt Petrus & Paulus, *non confundetur.* 1. Petr. 2, 16. Hoc ergo vaticinium, quod Jeſu addixerunt Rom. 9, 32. & 10, 11. Petrus & Paulus, Meſſiæ quoque R. Selomoh addixit.

Splendidis vero indiciis præmonſtratur Chriſtus toto triceſimo quinto capite Iſaiæ, potiſſimum vero hac clauſula: *Deus ipſe veniet, & ſalvabit vos. Tunc aperientur oculi* Iſa. 35, 4. & ſeq. *cæcorum, & aures ſurdorum patebunt: tunc ſaliet ſicut cervus claudus, & aperta erit lingua mutorum.* Et mox: *Erit ibi ſemita, & via, & via ſancta vocabitur: non tranſibit per eam pollutus, & hæc erit vobis directa via, ita ut ſtulti non errent per eam;* Deinde: *Et redemti a Domino convertentur, & venient cum laude, & lætitia ſempiterna ſuper caput eorum.* In iis Chriſto adſcribendis cum Chriſtianis conſpirant Judæi, qui ex hoc capite miracula quædam commenti ſunt, in ſuam gratiam olim a Chriſto edenda, cum reditum ipſis in Judæam parabit. Quin & ex poſtremo hoc quod attuli commate probat R. Moſes Hadarſan in Bereſith Rabba, pœnis Gehennæ damnatos per Meſſiam liberatum iri, & Paradiſum ipſis fore reſerandum. Sed miſſis horum ſuffragiis, liquet profecto nulli, vel Regi Judæorum, vel Prophetæ, imo nec mortali homini congruere poſſe ea miracula, quæ hic patranda promittuntur: at Chriſto congruere demonſtrat Iſaias, cum ait: *Ego* Iſa. 42, 6. & *Dominus dedi te in fœdus populi, in lucem gentium, ut aperires oculos cæcorum:* & alibi: *Vere languores noſtros ipſe tulit, & dolores* Iſa. 53, 4. *noſtros ipſe portavit.* Idem demonſtrant & hæc Ezechielis ex perſona Chriſti: *Quod con-* Ezech. 34. *fractum fuerat, alligabo; & quod infirmum* 16. *fuerat, conſolidabo.* Quæ in Chriſto Jeſu completa eſſe, una eſt vox Scriptorum omnium Novi Teſtamenti.

Manifeſtas etiam venturi Chriſti teſtificationes, fatentibus Judæis, præfert Iſaiæ quadrageſimum caput: *Vox clamantis in deſerto,* Iſa. 40, 3. *parate viam Domini, rectas facite in ſolitudine ſemitas Dei noſtri. Omnis vallis exaltabitur; & omnis mons & collis humiliabitur; & erunt prava in directa, & aſpera in vias planas. Et revelabitur gloria Domini, & videbit omnis caro, quod os Domini locutum eſt.* Similia de Chriſto prædicuntur quadrageſimo ſecundo capite, Pergit deinde: *Super montem excelſum aſcende tu,* Iſa. 40, 9. & ſeq. *qui*

Digitized by Google

qui evangelizas Sion: exalta in fortitudine vocem tuam, qui evangelizas Jerusalem; exalta, noli timere: dic civitatibus Juda, Ecce Deus vester, ecce Dominus Deus in fortitudine veniet; & brachium ejus dominabitur; ecce merces ejus cum eo, & opus illius coram illo. Sicut pastor gregem suum pascet, in brachio suo congregabit agnos, & in sinu suo levabit, fœtas ipse portabit. Hæc in Messiam convenire, tradunt R. Aben Ezra, & David Kimchi, & merito id quidem; nam insolitum Dei adventum, & inusitatam humanarum rerum administrationem hic prædicari manifestum est: at solennia ineptiunt, cum solitudinis muniendas vias, & scabritiem ac asperitates complanandas ex hoc Isaiæ prædicto colligunt, ut inoffenso pede avitam terram repetant. Nec ab Isaia modo typo pastoris exprimitur Christus, sed & Jeremia: *Qui dispersit Israel, congregabit eum, & custodiet eum, sicut pastor gregem suum:* & ab Ezechiele: *Hæc dicit Dominus Deus, Ecce ego ipse requiram oves meas, & visitabo eas, sicut visitat pastor gregem suum, in die quando fuerit in medio ovium suarum dissipatarum, sic visitabo oves meas:* tum alio loco: *Et servus meus David rex super eos, & pastor unus erit omnium eorum:* a Michæa etiam: *In unum conducam reliquias Israel; pariter ponam illum quasi gregem in ovili;* & a Zacharia: *Percute pastorem, & dispergentur oves.* Eodem symbolo a se ipso exhibetur Christus Jesus, & ab Apostolis. *Bonum se Pastorem* appellat; *Pastorem magnum ovium,* dicit Paulus; Petrus *Pastorem & Episcopum animarum nostrarum, & Principem pastorum.*

Jer. 31, 10. Ez. 34, 11. 12. & 37, 24. Mich. 2, 12. Zach. 13, 7. Joh. 10, 11. & seq. Ebr. 13, 20. 1. Petr. 2, 25. & 5, 4. Ma. 42.

Ex quadragesimo secundo capite Isaiæ multa in Novum Testamentum traducta, & Christo Jesu aptata licet animadvertere: unde proclivis existimatio est, creditum vulgo fuisse Christi Jesu temporibus, Messiæ adventum capite hoc prædici. Sic enim arbitror, ut jam supra dixi, quæ Veteris Testamenti prædictiones Jesu accommodatæ in Novo reperiuntur, eas tanquam Christi certo prænuntias hac tempestate vulgo fuisse habitas, proindeque utilissimum id esse visum Novi Testamenti Scriptoribus argumentum ad comprobandam Christianam fidem. *Ecce servus meus,* inquit Isaias, *suscipiam eum, complacuit sibi in illo anima mea, dedi spiritum meum super eum, judicium gentibus proferet.*

Isa. 42, 1.

Totum hoc comma cum sequentibus Christo Jesu addicit Matthæus. Nempe hic ipse notatur, de quo alio loco ait Isaias: *Et nunc dicit Dominus, formans me ex utero servum sibi, ut reducam Jacob ad eum:* & rursum: *Justificabit ipse justus servus meus multos,* & Jesum Dominum formam servi accepisse scribit Paulus; *in eoque sibi complacuisse* clara voce de cœlo edita Deus non semel testatus est, & primum quidem, cum Dei Spiritus columbæ specie super eum lapsus esset: quæ de Christo ab Isaia jam supra vidimus prædicta his verbis: *Et requiescet super eum spiritus Domini.* Addit Isaias: *Non erit tristis, neque turbulentus, donec ponat in terra judicium, & legem ejus insula expectabant:* & jam ante vaticinatus fuerat Jacobus futurum Christum *expectationem gentium.* Idem infra de Christo verba facturus: *Audite insulæ, & attendite populi de longe:* & rursus: *Prope est justus meus, egressus est Salvator meus, & brachia mea populos judicabunt.* Psalmi vero septuagesimi primi, quem Christo prænuntiando dicatum esse supra ostendimus, initium hoc est: *Deus judicium tuum regi da, & justitiam tuam filio Regis.* Et in Evangelio Johannis sic Jesus ipse de se: *Neque enim Pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit filio.* Pergit deinde Isaias: *Ego Dominus vocavi te in justitia, & apprehendi manum, & servavi te, & dedi te in fœdus populi, in lucem gentium: ut aperires oculos cœcorum, & educeres de conclusione vinctum, de domo carceris sedentes in tenebris.* Et jam ante præmonuerat Isaias nono capite, quo Christum prædictum esse ostendimus, futurum ut *Populus, qui ambulabat in tenebris, videret lucem magnam.* Idem de Christo apertius alio loco: *Parum est, ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Jacob, & faces Israel convertendas. Ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ.* Deinde: *Servavi te, & dedi te in fœdus populi, ut suscitares terram, & possideres hereditates dissipatas, ut diceres his qui vincti sunt, Exite; Et his qui in tenebris, Revelamini.* Et hoc ipso loco tricesimi quinti capitis, cui vaticinationem de Christo venturo inesse docui: *Deus ipse veniet, & salvabit vos: tunc aperientur oculi cœcorum, & aures surdorum patebunt.* Adde istud meridiana luce clarius: *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit*

Matth. 12, 15. & seq. Isa. 49, 5. Isa. 53, 11. Philipp. 2, 6. Matth. 3, 17. & 17, 5. Isa. 11, 2. Isa. 42, 4. Isa. 49, 1. Isa. 51, 5. Joh. 5, 22. Isa. 42, 6. 7. Isa. 9, 1. 2. Isa. 49, 6. 8. Isa. 35, 4. 5. Isa. 6, 1.

Digitized by Google

unxerit Dominus me, ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, & prædicarem captivis indulgentiam, & clausis
Luc. 4,18. *apertionem*; quæ in se evenisse Jesus Dominus Nazarethi inter populares suos publice
Isa.42,15.16 prædicavit. Subjicit Isaias: *Desertos faciam montes & colles, & omne gramen eorum exsiccabo, & ponam flumina in insulas, & stagna arefaciam; ducam cæcos in viam quam nesciunt, & in semitis quas ignoraverunt ambulare eos faciam, ponam tenebras coram eis in lucem,*
Isa.35,18. *& prava in recta.* Quorum consimilia ista sunt, quæ supra de Christo nuntiata fuisse probavimus: *Et erit ibi semita, & via, & via sancta vocabitur, non transibit per eam polluti, & hæc erit vobis directa via, ita ut*
Isa.40,3.4. *stulti non errent per eam.* Rursum: *Parate viam Domini, rectas facite semitas Dei nostri. Omnis vallis exaltabitur, & omnis mons & collis humiliabitur, & erunt prava in directa, & aspera in vias planas.* Opponi potest Septuaginta Interpretum auctoritas, qui ad Judaicam gentem hæc videntur deflexisse: sic enim primum capitis comma reddiderunt: Ἰακὼβ ὁ παῖς μου, ἀντιλήψομαι αὐτοῦ. Ἰσραὴλ ὁ ἐκλελεγμένος μου, προσεδέξατο αὐτὸν ἡ ψυχή μου. *Jacob servus meus, suscipiam eum: Israel electus meus, suscepit eum anima mea.* Hanc scripturam repræsentavit Justinus disputans adversus Tryphonem, quæ nec reliquis interpretibus, præter eos qui Septuaginta Senes secuti sunt, neque Ebraico ipsi exemplari consentit, nec
Euseb. Demonstr. l.9. Nicepn. in Isa. 42. a Matthæo agnoscitur, ut ab Eusebio & Hieronymo observatum est. Sed verum tamen sensum retinuit Justinus, & Jacobi ac Israelis nominibus Christum hic signari docuit, quod & ipsos Senes Septuaginta verisimillimum mihi fit intellexisse; vel συνεκδοχικῶς (*per synecdochen*) usurpato Israelis nomine, pro eo qui Israele prognatus & Israeliticæ gentis pars esset; quemadmodum Jacobi, & Israelis, & seminis Abrahami nominibus affici Christum
Theod. in Isa. 42. tradit Theodoretus; quemadmodum & David alibi Christus appellatur; & quemadmodum Albanos Romani dicuntur deviciſſe, quamvis unius Horatii virtute parta ipsis victoria sit: vel potius typo pro re signata usurpato, quod haudquaquam novum & insolens est; Christi autem typus fuit Israel, qui ut adversus Angelum Dei tota nocte luctatus, neque tamen victus est, sic Christus Dei patris iræ se opposuit, eaque placata quasi victor iræ illius extitit. Ergo & Christum Israelis nomine infra Isaias sic compellat: *Servus meus es tu, Israel, quia in te gloriabor.* Alioqui nonnulla extant hoc capite, quæ de Israelitico populo dicta esse nemo sibi persuadere queat, quod recte Eusebius animadvertit; velut illud: *Legem ejus Insulæ expectabunt.* Ec-
Isa. 42, 4. quando vero Israelitis paruerunt sitæ ad occasum gentes, quæ insularum vocabulo notantur? Quid hoc vero est: *Dedi te in fœdus populi?* Quod perinde esset ut si dixisset, Dedi populum in fœdus populi. Subest
Isa. 42, 19. deinde: *Quis cæcus nisi servus meus, & surdus nisi ad quem nuntios misi?* & quæ his subnexa sunt, quibus Israelitarum impietatem a Deo argui autumant optimi interpretes, & in his Hieronymus, Cyrillus, & Procopius. Quis credat autem Judaico populo cæcitatem exprobrasse Deum, de quo sic proxime
Hier. Cyrill. & Procop. in Is. 42 disseruerat: *Dedi spiritum meum super eum, judicium gentibus proferet.* Deinde: *Ego Dominus vocavi te in justitia, & apprehendi manum tuam, & servavi te. Et dedi te in fœdus populi, in lucem gentium, ut aperires oculos cæcorum.* Contraria hæc sunt & simul pugnant, quæ non aliter componi possunt, quam si hic Christum, illic Israeliticam gentem intelligas. Multo etiam minus convenire ista possunt Isaiæ, quem hic a Deo compellari Grotius opinatur. Quamvis autem
Grot. in Is. 42, 1. superiori capite & sequenti Judaica gens Israelis & Jacobi vocabulis notetur, non idcirco concedimus, eamdem quoque hic notatam Septuaginta Senes existimasse. Sciebant illi quippe, vocabula eadem alias aliasque subire significationes, & eodem sæpe capite sensum mutare. Utut est, in sola certe Septuaginta Magistrorum interpretatione vitiositas hæc reperitur. Vitiositatem dico, quæ primigenium exemplar adulteravit, & supposititias intrusit voces, quæ ex Ebraicis fontibus non manarunt, nec in Aquila comparent, aut Theodotione, aut Symmacho, & jam ante Eusebium obelo fuerant inductæ, uti ipse testificatur, & quas in Evangelium non admiserat Matthæus, qui totum comma transtulit. Venturi porro Christi mysterium capite hoc explicari, palam prædicat Jonathan ben Uziel. Idem & in Midrasch Thehillim reperies, & apud R. Davidem Kimchi, & Maimoniden.
Euseb. Demonstr. l.9.

Præcinitur quoque Messias in quadrage-
Isa. 49, 1. & seq. simo

Digitized by Google

simo nono capite Isaiæ: *Audite insulæ, & attendite populi de longe: Dominus ab utero vocavit me, de ventre matris meæ recordatus est nominis mei. Et posuit os meum quasi gladium acutum: in umbra manus suæ protexit me, & posuit me sicut sagittam electam, in pharetra sua abscondit me: & dixit mihi, Servus meus es tu, Israel, quia in te gloriabor.* Hæc paria sunt istorum Isaiæ, quæ infra pertinere ostendam ad Christum: *Posui verba mea in ore tuo, & in umbra manus meæ protexi te, ut plantes cœlos, & fundes terram, & dicas ad Sion, Populus meus es tu.* Paria sunt & istorum ejusdem, quæ Christo congruere supra docui. *Percutiet terram virga oris sui, & spiritu labiorum suorum interficiet impium.* Ergo cum se Johanni spectandum daret Christus in Apocalypsi, *De ore ejus gladius utraque parte acutus exibat:* Apostolis vero suis ajebat: *Non veni pacem mittere, sed gladium.* Unde Paulus in Epistola ad Ebræos: *Vivus est enim sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti.* Phocylides scriptor νουθετικῶν (*Admonitionum*) vir Christianus, vel Christianorum certe doctrinis imbutus:

Ὅπλον τοι λόγος ἀνδρὶ τομώτερον ἔτι σιδήρου.

Telum est homini sermo, ferro acutius.

Acutæ quoque sagittæ Christo, sic tanquam viro bellatori tribuuntur in quadragesimo quarto Psalmo, quod constat vaticiniis de Christo. Servum denique Dei Christum jam supra ab Isaia dictum proxime notavimus. Pergit Isaias: *Et nunc dicit Dominus, formans me ex utero servum sibi, ut reducam Jacob ad eum, & Israel non congregabitur, & glorificatus sum in oculis Domini, Deus meus factus est fortitudo mea: & dixit, Parum est, ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Jacob, & fœces Israel convertendas. Ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ:* quæ Messiam, & Messiæ officium perspicue exponunt. At illustriora etiam quæ sequuntur: *Hæc dicit Dominus redemtor Israel, sanctus ejus, ad contemtibilem animam, ad abominatam gentem, ad servum dominorum; Reges videbunt, & consurgent Principes, & adorabunt propter Dominum, quia fidelis est; & sanctum Israel, qui elegit te.* Idem de Christo prædictum jam supra deprehendimus in his Psalmi septuagesimi primi: *Reges Tharsis & Insulæ munera offerent, Reges Arabum & Saba dona adducent: & adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes servient ei.* Rursus Isaias: *Hæc dicit Dominus, In tempore placito exaudivi te, & in die sabbathi auxiliatus sum tui, & servavi te, & dedi te in fœdus populi, ut suscitares terram, & possideres hereditates dissipatas; ut diceres his qui vincti sunt, Exite; & his qui in tenebris, Revelamini. Super vias pascentur, & in omnibus planis pascua eorum: non esurient, neq; sitient, & non percutiet eos æstus & Sol; quia miserator eorum reget eos, & ad fontes aquarum potabit eos: & ponam omnes montes meos in viam, & semitæ meæ exaltabuntur.* His similia, ac propemodum eadem, quadragesimo secundo capite de Christo dicta vidimus, quæ huc iterum adducere nihil attinet. Atque hæc pronuntiata de Christo Jesu, quem Simeon vir pius *Lumen ad revelationem gentium* appellaverat, ad se quoque pertinere arbitrati Jesu Christi ministri Paulus & Barnabas, sic apud Antiochenos Pisidas differebant: *Sic enim præcepit nobis Dominus: posui te in lucem gentium, ut sis in salutem usque ad extremum terræ.* Sic quoque Jesus ipse Paulum alloquebatur: *Ad hoc apparui tibi, ut constituam te ministrum, & testem eorum quæ vidisti, & eorum quibus apparebo tibi, eripiens te de populo & gentibus, in quas nunc ego mitto te, aperire oculos eorum, ut convertantur a tenebris ad lucem, & de potestate Satanæ ad Deum.* Quippe hoc ipse jam ante fuerat effatus: *Qui credit in me, opera quæ ego facio & ipse faciet:* & postea: *Verba quæ dedisti mihi, dedi eis.* Tempus illud placitum, & diem salutis, hoc tempus esse vult Paulus, quo per Christi Jesu mortem parta hominibus gratia est: sic enim scribit ad Corinthios: *Adjuvantes autem exhortamur ne in vacuum gratiam Christi recipiatis: ait enim: Tempore accepto exaudivi te, & in die salutis adjuvi te. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* Eos qui Agni, Christi videlicet Jesu, sanguine fuerint, non fames, aut sitis vel æstus incommoda fore sensuros ex his Isaiæ prædictis probat Johannes in Apocalysi. Quos hic *ad fontes aquarum poturum* Christum prædicit Isaias, eosdem *hausturos aquas in gaudio de fontibus Salvatoris* prædixerat capite duodecimo, quo prænuntiari Christum docuimus. Totum hoc de se ipsum prædicasse Isaiam contendebant olim nonnulli, ut testatur

Isa. 49, 8 & seq.

Isa. 51, 16.

Isa. 11, 4.

Apoc. 1, 16.

Matth. 10, 34.

Ebr. 4, 12.

Psal. 44, 6.

Isa. 45, 5. 6.

Psal. 71, 10.

Luc. 2, 32.

Act. 13, 47.

Act. 26, 16.

Joh. 14, 12.

Joh. 17, 8.

2. Cor. 6, 1. 2

Apoc. 7, 16. Isa. 12, 3.

Digitized by Google

Procop. in Isa. 49. tur Procopius. Contendunt hoc ipsum Ebræorum Magistri, etsi non omnes; nam
Isa 49. 6. hic agnoscitur Christus in Midrasch Thehillim. Verum quis hæc in Isaia eventum habuisse putet? *Ecce dedi te in lucem gentium, ut*
Isa. 49. 7. *sis salus mea usque ad extremum terræ:* & illa quoque: *Reges videbunt, & consurgent Principes, & adorabunt propter Dominum, quia fidelis est; & sanctum Israel, quia elegit te:*
Isa. 49. 8-9. & ista præcipue: *Dedi te in fœdus populi, ut suscitares terram, & possideres hæreditates dissipatas, ut diceres his qui vincti sunt, Exite; & his qui in tenebris, Revelamini.*

Isa. 49. 4. 5. 9. Qui depromtorum hactenus ex Isaia testimoniorum meminerit, minime is profecto dubitabit, quin Christi quoque σημαντικὰ (*significativa*) sint ista e quinquagesimo primo ejusdem capite *Attendite ad me, populus meus, & tribus mea, me audite, quia lex a me exiet, & judicium meum in lucem populorum requiescet. Prope est justus meus, egressus est Salvator meus, & brachia mea populus judicabunt: me insulæ expectabunt, & brachium meum sustinebunt.* His enim verbis Christum ab
Isa. 2. 3. 4. 5. Isaia promissum jam supra vidimus: *De Sion exibit lex, & verbum Domini de Jerusalem, & judicabit gentes, & arguet populos multos:* & deinde: *Domus Jacob, venite, & ambulemus in nomine Domini.* Vidimus & sæpe Christum lucem gentium dictum. Vidimus id quoque Christi proprium, ac illo-
Isa. 42. 4. rum pene germanum: *Non erit tristis neque turbulentus, donec ponat in terra judicium, & legem ejus insulæ expectabunt.* Sic alibi
Isa. 60. 9. quoque Isaias ex Christi persona: *Me enim insulæ expectant, & naves maris.* Alio vero loco Christum apertissime nuntiaturus, hoc
Isa. 53. 1. utitur exordio: *Brachium Domini cui revelatum est?* Denotatur etiam Christus hoc
Isa. 51. 16. commate quinquagesimi primi capitis: *Posui verba mea in ore tuo & in umbra manus meæ protexi te, ut plantes cœlos & fundes terram, & dicas ad Sion, Populus meus es tu.* Simile hoc quoque est, quod de Christo ab
Isa. 49. 2. 3. Isaia dictum proxime vidimus: *Posuit os meum quasi gladium acutum, in umbra manus meæ protexit me, & dixit, Servus meus es tu Israel.*
Cyr. in Isa. 51. 16. Scio existimasse Cyrillum dicta illa a Deo hominibus piis & fidelibus; sed istam tamen Dei manum Christum esse vult, & proxime depromta a nobis capitis hujus verba ad Christum spectare. Infra quoq; Isaias cœli novi & terræ novæ creationem in Christo non semel pollicetur. Nec hic indictam præterire possum Grotii interpretationem, parum sane veritati ac pietati consentaneam, qua Cyrum *Justi & Salvatoris* vocabulis hic notatum esse contendit; insularum vero nomine Persas significari; gentem tam insularem, quam Germaniam. Profecto si nulla certior est Auctoris exponendi ratio, quam per ejusdem verba, sensum loci hujus excipiemus ex aliis locis, in quibus dictum non semel ab Isaia notavimus, Christum ab insulis expectari. Qua voce cum gentes omnes, tum eæ designantur potissimum ab Ebræis Scriptoribus, quæ spectant ad occasum; quippe quæ mari tantum ab iis adiri possint. Apud eas autem præcipue florere videmus Jesu Christi cultum, juxta Isaiæ prædictiones. Dicat deinde Grotius, utrumne Persas intellexerit Isaias, cum dixit ex persona Christi: *Me insulæ expectant, & naves maris in principio, ut adducam filios tuos de longe.* Isa. 60. 9. Haudquaquam vero prædictum hoc adscripsisset Cyro, si partium ejus ἀκολουθίαν (*connexionem*) observasset. *Lex*, inquit Isaias, *a me exiet, & judicium meum in lucem populorum requiescet:* legem populo suo spondet Deus: tum per quem ferenda sit lex ista statim subjicit: *Prope est justus meus, egressus est Salvator meus, & brachia mea populos judicabunt.* Ergo Ebræorum legislator Cyrus fuit, quod non puto Grotium facile concessurum. Videat, utrumne in Cyrum, an in Christum cadant testimonia Isaiæ consimilia, quæ a nobis adducta sunt, & quibus mysteria Christi manifesto subesse demonstravimus. Videat postremo, utri aptius conveniant *Justi & Salvatoris* cognomina, Christo, an Cyro.

Venimus tandem ad celeberrimum Isaiæ & clarissimum de Christo testimonium, quod in quinquagesimi secundi capitis septimo versu exorsum, ad usque sequentis capitis finem pertingit. Parum caute sane factum est, quod hæc apta sponte sua & connexa, in duas partes dissociata sunt, neglecta argumenti serie & cohærentia, ac auctoritate Veterum, Justini, Origenis, & Augustini, qui hæc conjunxerunt simul, & uno tenore repræsentarunt; ut unicam Prophetiam, tricesimam nempe Isaiæ, apud Ebræos ista constituunt. Isa. 52. 7. & seq. & 53. Just. Ap. 2 & in Tryph. Orig. contr. Cels. l. 1. August. de civ. Dei, l. 18. c. 29.

Digitized by Google

ſtituunt. Vaticinii autem hujus initium a decimo tertio commate repetunt, Juſtinus a decimo, nos Procopium ſecuti a ſeptimo. Magnum profecto aliquid & inexpectatum portendit hoc exordium. *Quam pulchri ſuper montes pedes annuntiantis & prædicantis pacem, annuntiantis bonum, prædicantis ſalutem, dicentis Sion, Regnabit Deus tuus.* Quibus Evangelii nuntiationem ſignificari non ſemel docet Paulus, regni nempe Meſſiæ: quod pleno ore Prophetas omnes promittere, partim jam probatum eſt, partim uberius probabitur infra. Addit Iſaias futurum, ut Prophetæ proſpectam mentis oculis Sionis emendationem palam prædicent. Tum ad lætitiam adhortatur Hieroſolymitas, propter parata illis a Deo ſolatia, futuramque eorum redemtionem, & ſalutem iis eximio Dei beneficio comparandam: cujus ut mereantur fieri compotes, jubet illos mundari, eluendo nempe labes animi ſalubri pœnitentia. Subnectit deinde ex Dei perſona: *Ecce intelliget ſervus meus, exaltabitur, & elevabitur, & ſublimis erit valde.* Meſſiam Deus ſervum ſuum ſæpe appellat, ut ſupra a nobis obſervatum eſt. Humilitatem præterea ejus & obſcuritatem prædicat, quam ſumma deinde gloria conſequatur. Quo reſpexiſſe videtur Paulus, cum ad Philippenſes de Chriſto hæc ſcriberet: *Semetipſum exinanivit formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo. Humiliavit ſemetipſum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen.* Deinde futurum prænuntiat Iſaias, ut gentes plurimas aſpergat, nempe ῥαντίσῃ ἔθνη πολλά, vel ut alii interpretantur, *diſpergat*, aut juxta alios, *doceat*: hæc quippe omnia ad officium Meſſiæ pertinent, adeo ut reges ſtupore defixi ne hiſcant quidem cum cultum ejus per orbem increbreſcere, eique gentes barbaras ſe dedere videbunt. Quæ itidem de Chriſto Paulus interpretatur in Epiſtola ad Romanos. Neque ab his abludit Ebræorum doctrina: nam in Midraſch Schir Haſſchirim Meſſiæ pronuntiatum hoc eſſe dicitur: *Quam pulchri ſuper montes pedes annuntiantis pacem!* Jam illud vero: *Ecce intelliget ſervus meus*, & ſequentia, ad Meſſiam ſpectare docetur in Thargum Jonathanis Uzielidæ, & in Expoſitionibus R. Selomoh Jarchi, & R. Iſſaaci Abrabanielis, & R. Moſis Alſchechi, qui & id a magiſtris ſuis acceptiſſe ſe ajunt: item in Bereſith Rabba, & in Midraſch Thehillim, & in Thanchuma.

Juſt. Dial cum Tryph. Procop. in Iſa. 52. Iſa. 52, 7. Rom. 10, 15. Eph. 6, 15. Iſa. 52, 13. Phil. 2, 8. 9. Rom. 15, 21.

His animadverſis conſectarium eſt ad Chriſtum quoque ſequens caput, quod priori huic cohæret, pertinere. *Quis credidit auditui noſtro, & brachium Domini cui revelatum eſt? Et aſcendit ſicut virgultum coram eo, & ſicut radix de terra ſitienti.* Sub radicis, & germinis, & virgæ, & furculi ſymbolo denotari Chriſtum conſtat: ſic Balaamus in libro Numerorum: *Conſurget virga de Iſrael:* ſic ſupra Iſaias: *In die illa erit germen Domini in magnificentia*; & aliquanto poſt: *Et egredietur virga de radice Jeſſe, & flos de radice ejus aſcendet.* Jeremias quoque: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & ſuſcitabo David germen juſtum*: Johannes in Apocalypſi: *Vicit leo de tribu Juda, radix David.* Itaque Chriſto Jeſu hæc adſcribunt Johannes & Paulus; adſcribit & R. Moſes Hadarſan in Bereſith Rabba, & Maimonides in Epiſtolis. Appellatur deinde ab Iſaia, *Deſpectus & noviſſimus virorum, vir dolorum, & ſciens infirmitatem.* Sic & in Pſalmo viceſimo primo, cui præclara inſunt de Chriſto vaticinia: *Ego autem ſum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abjectio plebis*: ſic ſupra Iſaias: *Hæc dicit Dominus ad contemtibilem animam*: & iterum; *Sic inglorius erit inter viros aſpectus ejus.* Unde Marcus: *Scriptum eſt in Filium hominis, ut multa patiatur, & contemnatur.* Nec aliter Abrabaniel. Subeſt apud Iſaiam: *Vere languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit, ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra: diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, & livore ejus ſanati ſumus.* Ex Matthæi & Petri teſtimoniis apparet exiſtimaſſe Veteres de Chriſto hæc eſſe dicta. Sic etiam Jonathan, hic & per totum fere caput. Sic Gemara capite ultimo libri Sanhedrin, unde diſcimus, Judæos ex vaticinio hoc Iſaiæ male accepto finxiſſe ſibi Meſſiam lepris laborare, & inter ægros eadem labe infectos in porta Romæ ſedere. Quod calculo ſuo confirmat R. Selomoh Jarchi. Longiſſime hi quidem recedunt a veteribus illis Rabbinis, quos opinatos eſſe refert R. Selomoh, mulieris capillo devinctum

Iſa. 53, 1. & ſeq. Num. 24, 17 Iſa. 4, 2. Iſa. 11, 1. Apoc. 5, 5. Iſa. 53, 3. Pſal. 21, 7. Iſa. 49, 7. Iſa. 52, 14. Marc. 9, 11. Iſa. 53, 4-5. Matth. 8, 16. 17. 1. Petr. 2, 24.

Digitized by Google

dum Messiam jacere in Paradisi ambulacris, perverse eo torquentes comma quintum septimi capitis Cantici Canticorum. Refertur & ad Messiam hoc Isaiæ prædictum in Siphre, libro veteri, qui Thalmude ipso habetur antiquior, & in Beresith Rabba R. Mosis Hadarsan. Subdit Isaias: *Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit, & posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum.* Isa. 53, 6. 1. Petr. 2, 25. Constat sibi Petrus, & id quoque Christo tribuit; ac merito, qui & superiora ei tribuerat. Eodem flexit sequentia commata Philippus in Actis, cum Eunuchum Candaces ad fidem capessendam institueret. Act. 8, 32. Ergo ista satis indicant, quo reliqua pars capitis pertineat, in qua Christi innocentia, & mors, & mortis genus ac fructus prædicuntur: *Si posuerit*, inquit, *pro peccato animam suam, videbit semen longævum, & voluntas Domini in manu ejus dirigetur. Pro eo, quod laboravit anima ejus, videbit, & saturabitur; in scientia justificabit ipse justus servus meus multos, & iniquitates eorum ipse portabit. Ideo dispertiam ei plurimos, & fortium dividet spolia, pro eo quod tradidit in mortem animam suam, & cum sceleratis reputatus est; & ipse peccata multorum tulit, & pro transgressoribus rogavit:* quæ præclara sane sunt. Fortium spolia divisurum eum ait; quemadmodum supra nomen ipsi futurum prædixit: *Accelera spolia detrahere, festina prædari.* Isa. 53, 10. & seq. Isa. 8, 13. Quæcunque autem continentur hoc loco, sic per necessariam cohærentiam apta sunt ex superioribus, ut qui unum adscripserit Christo, alterum quoque eidem adscribere necesse habeat. Quo magis miror Judæorum impudentem audaciam, qui cum postremam quinquagesimi secundi capitis partem a priscis Magistris suis Christo applicari fateantur, sequens tamen illud, cujus lucem ferre non possunt, & alio detorquent ipsi, & ab iisdem detorqueri pertendunt. Quod etsi aliis argumentis ostendi esse falsissimum, satis tamen utrosque, & priscos, & recentiores coarguit capitis utriusque series & connexio, ita colligata ac conserta, ut unius ejusdemque argumenti contextus, continuæ & nusquam interruptæ orationis complexio appareat. Itaque nulla certa ipsis ac constans in hoc interpretando capite opinio est. R. Moses Alschech secundum comma capitis hujus exponens, Magistros ait, qui superiora Regi Messiæ tribuerant, hæc sequentia Justo cuivis adscribere, qui amoris in hac vita perfert angustias. Quod cum amplectatur ipse, quippe priscarum doctrinarum satis retinens, in nono tamen commate aliam tenet rationem, & quæ nulli certæ personæ applicaverat, Mosi tandem addicit; atque ita Prophetiam hanc, quam unicam Judæi constituere solent, tricesimam videlicet, in tria membra secat, quorum prius in Messiam sit conferendum; secundum a secundo commate quinquagesimi tertii capitis exorsum, in Justum illum quemvis virum; tertium denique in Mosem, quem tamen videtur sic tanquam Justi illius exemplum proponere: Quæ interpretatio id habet commodi, quod cum Justum quempiam secundo membro notari statuat, Messiam non excludit; Mosem vero in tertio cum locat, non tanquam definite significatum, sed tanquam Justi illius exemplum admittit. R. Isaac Abrabaniel fatetur, etiam superiora de Christo interpretatos esse Veteres, & primum præterea fortasse hujusce capitis comma; at reliquam ejus partem ad populum Israelitum vult referri. Atque id quidem priore sua expositione. Quam sententiam a recentioribus Judæis Jarchio, Kimchio, aliisque magno consensu propugnatam, veteres Judæos tenuisse tradit quoque Origenes libris contra Celsum. Verum cujusnam tandem dolores portavit Judaica gens? ecquis ejus livore sanatus est? an *morti oblata est, quia ipsa voluit?* an *iniquitatem non fecit, nec dolus fuit in ore ejus?* an denique Deus populum Judaicum propter peccata populi sui percussit? quod absurdum dictu est. Quis non ex loci hujus lectione satis intelligit, non agi hic de multis hominibus, sed de uno aliquo? Ergo ejus demum opinionis Abrabanielem pœnituit, cum alteram suam expositionem pertexeret, & Josiam hic intelligi sanxit. Idem allegoricas interpretationes hic admittit nonnunquam, si sibi utiles sint; nonnunquam respuit, si rationibus suis adversentur. Vanitatem hominis satis ipsius inconstantia coarguit. Ejusmodi præterea argumento usus est, quod nobis valde conducibile esse dixi. Petitur illud ex serie orationis, in qua cum populi Judaici supra, infraque mentio fiat, mentionem hic quoque ejus fieri concludit. At suo sibi jugulatur gladio; nam cum Christi mentionem in fine superioris

Orig. contr. Cels. l. 1.

rioris capitis & hujus initio fieri Veterum adductus auctoritate fassus sit, idem huic quoque capiti subesse argumentum fateri debuit. Verum ne primum quidem versiculum capitis hujus sibi Christum vindicare patitur. Adde nec ipsi deinde tanti fuisse hoc argumentum, ut non priore repudiata explicatione novam adsciscceret, & in medio hocce de populo Judaico sermone celebratum ab Isaia fuisse Josiam pertenderet. Quæ posterior sententia minus etiam tolerabilis est, cum contra Dei interdictum pugnasse Josiam sacræ testentur Litteræ, nec ulla ratione dici possit, livore ejus sanatos esse Judæos, aut ipsum volentem interiisse, & ad certam mortem iviſe, aut illatam silentio sustinuisse, cum eam effugere conatus sit, cumque prælio ad curan-
2.Par.35,23. dum vulnus excessisse eum tradant Paralipomena; aut propter toleratam mortem spolia fortium divisisse. Hæc obiter: nec adversus horum Judæorum disputationes deesset nobis defensio longior; quam cum viri docti susciperе jam occuparint, addendum duntaxat supereſt, versum nonum: *Et dabit impios pro sepultura, & divitem pro morte sua*, quem in Mosem convertit Alschech, ab aliis quos sequitur Aben-Ezra ad Judæos in exilio mortuos, & gentes Israele ditiores detorqueri. Postremum quoque comma iisdem adjudicat: quod Siphre, & liber Thalmudicus Sotah, perinde ut Alschech, Mosi adscribunt. Quæ opinionum varietas ex falsitatis fonte proficiscitur, omnesque integritatem Prophetiæ luxant & cohærentiam abrumpunt. Unum præ reliquis Grotium mirari subit, qui Saadiam Gaonem ducem secutus, ducem ipse se Christianis quibusdam nimis facile sequacibus præbens, totam hanc vaticinationem, quam ne Judæi quidem nobis integram eripiunt, ipse tamen extorquere studet, & quicquid a versu septimo capitis quinquagesimi secundi ad calcem usque sequentis pertinet, Jeremiam, ipsiusque adversos casus, contumelias, ignominias, carcerem, & demum gloriam proprie ac præcipue præmonstrare asseverat; ad Christum vero eatenus pertinere, quatenus ejus figura fuit Jeremias, remote videlicet & oblique. Quamvis enim ista in Jeremiam quidem prius congruere dicat; sed potius, sublimiusque, sæpe etiam magis κατὰ λέξιν (*ad verbum*) in Christum; singulas tamen prædictionis partes persequitur accurate, ut Jeremiæ accommodet, de Christo plane securus, quem leviter ac ne vix quidem attingit. Hujus tamen interpretationem si quis resecet ad vivum, & propius aspiciat, absonam in multis & parum congruam deprehendet. Nam id interpretans: *Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit*, ait Isaiam hæc affingere Judæis, talia post captam Urbem dicturis: Hæc immeritus tulit, quæ nos meriti sumus. Primum quæro an *dolores nostri* recte dici possint, qui utcunque nobis debiti, numquam tamen ad nos pervenient. Deinde utri potius credendum, Grotione nobile hoc prædictum sic interpretanti, an Isaiæ ipsi mentem suam subinde sic exponenti: *Vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra*: tum: *Propter scelus populi mei percussi eum.* Atqui diversa hæc sunt: Scelera nostra causſæ fuerunt, cur plecteretur, eaque supplicio suo expiavit, quod vult Isaias, & Christo congruit, non Jeremiæ; &, Pœnas tulit immerito, quas nos commeriti sumus, quod vult Grotius, & utrique congruit. Sic deinde exponit ista: *Disciplina pacis nostræ super eum, & livore ejus sanati sumus*; Pacem & salutem fuissemus consecuti, si monitis ejus paruissemus. Quæ perindicativum reddita, uti reddi debuerant, quemadmodum totius capitis contextus ostendit, in Jeremia vera non erant; per potentialem autem modum exposita, uti exponuntur a Grotio, ut ad Jeremiam flecti queant, Christo non conveniant: vere enim livore ejus sanamur ἀπολύτως (*absolute*) non κατ' ὑπόθεσιν (*ex hypothesi.*) Quis non videt præterea idem istis significasse Prophetam, ac illis: *Dolores nostros ipse portavit*: quæ cum per modum potentialem neque reddiderit Grotius, neque reddi possint, frustra ac præter rationem modus ille hic adhibebitur, qui supra adhibitus non est. Quam vero recte hæc Jeremiæ conveniunt: *Oblatus est, quia ipse voluit, & non aperuit os suum?* tumne, cum in nervum missus a Phassure, indeque eductus, maximas illi calamitates vaticinabatur, dein suas ipse conquerebatur miserias, & natalem demum suum execrabatur? tumne, cum a Sacerdotibus & Prophetis comprehensus, & supplicio proximus, mortem deprecabatur? tumne, cum Sedeciam supplici hac oratione obtestabatur: *Nunc ergo audi, obsecro, Domine mi rex, valeat deprecatio mea in conspectu tuo, & ne me remittas in domum Jonatham scribæ, ne moriar ibi*; & cum iterum a Sedecia

Sedecia accersitus, & de futuris interrogatus, *Si annuntiavero tibi*, inquit, *numquid non interficies me?* Nimius essem, si singula persequerer: desinam in his duobus: *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum.* Dicat Grotius, ecquanam prole unquam auctus sit Jeremias, quem virginitatem servasse scribit Hieronymus. Deinde: *Abscissus est de terra viventium*: quibus consonant ista: *Dabit impios pro sepultura, & divitem pro morte sua:* tum: *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum:* & mox: *Tradidit in mortem animam suam:* hæc tum contigisse vult Grotius, cum in lacum cœnosum demissus est, & cum se ipse mortis periculis pro tuenda veritate objecit. Verum hic rursus ad totius Prophetiæ connexionem attendi velim; manifestum procul dubio erit ex tot consimilibus locutionibus veram mortem significari. Idem persuadet & istud: *Ipse vulneratus est* מחולל *propter iniquitates nostras*, quibus mors exprimi videtur: nam חלל non vulneratum solum, sed & trucidatum significat. Itaque caput hoc, ut docui, Abrabaniel aptabat Josiæ, qui sagitta trajectus occubuit. Candidius ac verius de prædictionis hujus sententia disseruit Grotius in libro de veritate religionis Christianæ, ubi confutato Judæorum commento, qui Judaicam gentem hic denotari volunt, totam Prophetiam Christo asseruit. Jam vero ut dissertationem hanc compendifaciam; ex iis quæ supra disputata sunt, manifestum est, corruere aliorum quorumdam Judæorum opiniones, quorum alii ad Abrahamum, alii ad Angelos ministerii hæc torquere conati sunt. At Messiæ clarissimo suffragio adscripsit R. Makir libro secundo Pulveris Aromatici: docet enim Deum in procreatione rerum Messiæ animam rogasse, num post certa annorum curricula homines redimere vellet, eorumque sustinere morbos, uti deinde ab Isaia prædictum est quinquagesimo tertio capite; atque hæc se libenter obituram respondisse. Sed & complures Judæos ita permovit una hæc prædictio, ut a Christiano dogmate jam inde minus abhorrerent; quidam etiam palam id amplexi sint. In his Johannes Isaacus Levita, qui in scriptis suis hoc ingenue de se professus est. Significativa sunt & illa Christi, quæ habentur quinquagesimo quinto capite: *Audite, & vivet anima vestra, & feriam vobiscum pactum sempiternum, misericordias David fideles.* Nempe fœdus illud est, quod in Christo cum hominibus pepigit Deus, quem supra sic in Isaia loquentem audivimus: *Ego Dominus vocavi in justitia, & apprehendi manum tuam, & servavi te, & dedi te in fœdus populi, in lucem gentium.* Rursum: *Dedi te in fœdus populi, ut suscitares terram, & possideres hæreditates dissipatas.* His adsonant ista Jeremiæ: *Ecce dies venient, dicit Dominus, & feriam domui Israel, & domui Juda fœdus novum, non secundum pactum, quod pepigi cum patribus eorum.* Misericordias autem David fideles, sive ut habent Acta Apostolorum, juxta Græcam interpretationem, *Sancta David fidelia*, Christo Paulus assignat: assignat & R. Moses Hadarsan in Beresith Rabba, & R. David Kimchi. Nam sive quod Christi typus fuerit David, quemadmodum supra disseruimus; sive, ut censent Cyrillus & Procopius, quod e Davidis prosapia proditurus esset Christus, Davidis nomen Christo tribuitur, cum hoc Isaiæ loco, tum isto Jeremiæ: *Servient Domino Deo suo, & David Regi suo, quem suscitabo eis;* & illo Ezechielis: *Et suscitabo super oves meas pastorem unum, qui pascet eas, servum meum David:* quod & apud eum non semel iteratum est. Quod si Davidis nomine Christum hic indicari nolis, at pollicitationes certe Davidi datas de Messia ex ejus posteris olim orituro intelliges. Hoc scilicet pactum æternum est, quod secum a Deo initum David sibi gratulabatur: tum nempe cum dixit Deus: *Ponam in seculum seculi semen ejus, & thronum ejus sicut dies cœli.* Rursum: *Stabiliam thronum regni ejus usque in sempiternum: ego ero ei in patrem, & ipse erit mihi in filium.* Subjungit Isaias: *Ecce testem populi dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus. Ecce gentem quam nesciebat, vocabis; & gentes quæ te non cognoverunt, ad te current;* de Christo nempe futurum jam superius nuntiaverat, ut poneret in terra judicium, legem ejus insulæ expectarent. Nec sine observatione prætermittendum est, quem Vulgatus Interpres *Ducem* appellat, in Ebraico exemplari dici נגיד, quam dictionem Daniel usurpavit nono capite, cum de Messia dissereret.

Jer. 38, 15.

Hier. adv. Jov. l. 1. c. 18. & in Jer. 23.

Joh. H. Levit. Def. verit. Ebr. Script. l. 2.

Isa. 55, 3. 4.

Isa. 42, 6.

Isa. 49, 8.

Jer. 31, 31.

Act. 13, 34.

Cyr. & Pr. in Isa. 55.

Jer. 30, 9.

Ezech. 34, 23. & 37, 24.

2. Reg. 23, 5. Psal. 88, 30.

2. Reg. 7, 13. 14.

Isa. 55, 4. 5.

Isa. 42, 4.

Dan. 9, 25.

Digitized by Google

Igitur Jonathan Paraphraſtes hic apud Iſaiam, *Regem ac dominatorem ſuper omnia regna* intellexit, quod de ſolo Meſſia dicere potuit: quippe eamdem Iſaiæ prædictionem exponens Aben Ezra ſolum Meſſiam eſſe dicit נגיד, *Ducem* ſuper univerſum orbem. Quod ait denique, fore ut montes & colles cantus edant, & flumina plaudant manu, & Dominus in ſignum æternum ponendus ſit, id ipſum de Chriſto ſupra prædixerat: *Lætabitur deſerta & invia, & exultabit ſolitudo, & florebit quaſi lilium: gloria Libani data eſt ei, decor Carmeli & Saron, ipſi videbunt gloriam Domini, & decorem Dei noſtri.* Prædixerat & David, cum diceret: *Jubilate in conſpectu regis Domini, moveatur mare & plenitudo ejus, orbis terrarum, & qui habitant in eo: flumina plaudent manu, ſimul montes exultabunt a conſpectu Domini, quoniam venit judicare terram: judicabit orbem terrarum in juſtitia, & populos in æquitate.* Signum quoque poſitum iri Chriſtum alibi tradit Iſaias: *Propter hoc dabit Dominus ipſe vobis ſignum: Ecce Virgo concipiet, & pariet filium*: & deinde: *In die illa radix Jeſſe, qui ſtat in ſignum populorum, ipſum gentes deprecabuntur.* Matthæus ſimiliter de Chriſto Jeſu: *Tunc parebit ſignum Filii hominis in cœlo*: & Lucas: *Et hoc vobis ſignum: invenietis infantem pannis involutum.* Multo hæc veri ſimiliora ſunt, quam quæ rurſum nobis occinit Grotius, ut Jeremiam hoc quoque capite prædici demonſtret: nam qua ratione dux ac præceptor gentium Jeremias dici poteſt? ecquas gentes ſibi ignotas vocavit? ecquæ gentes ad eum ipſis antea ignotum cucurrerunt? Pactum vero illud ſempiternum, quod icturum ſe hic pollicetur Deus, hoc ipſum eſſe vult, quod cum Noacho ex aquis diluvii ſervato icit Deus, futurum pollicens, ut nulla eum poſthac ſimilis lues invaderet. Hoc igitur fœdus iterum loco iſto proponi vult Grotius a Deo, gentes illas in id ſe recepturum promittente. Tum quod ſubeſt, *Miſericordias David fideles*, id ſibi velle ait: Beneficia in eos eadem conſtantia conferam, qua in Davidem contuli. Quæ ſane tanto viro indigna ſunt, ne quid pejus dicam. Nam quid abſurdius fingi poteſt, quam pactum iſtud hic oſtentari, quo de Diluvio in terras numquam inducendo cavit Deus? Ecquem vero legimus hanc pœnam ſceleſtis & impiis fuiſſe interminatum, futurum niſi reſipiſcerent, ut aquis Diluvii obruerentur? *Feriam*, inquit Deus, *vobiſcum pactum ſempiternum.* Ergo nondum ictum fuerat. Quare ſic Jeremias de eodem pacto: *Ecce dies venient, dicit Dominus, & feriam domui Iſrael, & domui Juda fœdus novum, non ſecundum pactum, quod pepigi cum patribus eorum.* Enimvero quæſiverim, quorſum fœdus illud iterare attinebat? ut in id, ait Grotius, gentes illæ admitterentur: quaſi non in id humanum omne genus, imo vero quidquid uſpiam mortale eſt in orbe terrarum admiſſum ſit. *Ecce ego*, inquit Deus Noacho, ejusque filiis poſt Diluvium, *ſtatuam pactum meum vobiſcum, & cum ſemine veſtro poſt vos, & ad omnem animam viventem, quæ eſt vobiſcum, tam in volucribus, quam in jumentis, & pecudibus terræ cunctis, quæ egreſſa ſunt de Arca, & univerſis beſtiis terræ.* Præterea quænam ſyntaxis pari poteſt, quam affert expoſitionem ſententiæ hujus: *Miſericordias David fideles?* Quis non intelligit ſuperioribus illa cohærere, eorumque eſſe velut interpretationem? Feriam vobiscum pactum, hoc ipſum nempe quod ici cum Davide, & conſtanter ſervavi. Tam perſpicax ingenium tantum cœcutire mirabile eſt.

Iſa. 55, 12. Jer. 31, 31. Iſa. 35, 1. 2. Pſ. 97, 7. & ſeqq. Iſa. 7, 14. Iſa. 11, 10. Matth. 24, 30. Luc. 2, 12. Gen. 9, 9. 10

Quinquageſimo nono capite leguntur iſthæc: *Et timebunt qui ab Occidente nomen Domini, & qui ab ortu Solis gloriam ejus, cum venerit quaſi fluvius violentus, quem Spiritus Domini cogit: & venerit Sion redemtor, & eis qui redeunt ab iniquitate in Jacob, dicit Dominus. Hoc fœdus meum cum eis, dicit Dominus: Spiritus meus qui eſt in te, & verba mea, quæ poſui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore ſeminis tui, dicit Dominus, a modo & usque in ſempiternum.* En tibi iterum fœdus a Deo cum hominibus in Chriſto pactum: en tibi redemtorem Sion; quod Meſſiæ munus peculiare eſt. Quamobrem Domino Jeſu effatum hoc adſcribit Paulus in Epiſtola ad Romanos. Verba Dei in ore Chriſti poſita jam ſupra notavimus ad caput primum & quinquageſimum. Itaque in poſtremo capite libri Sanhedrin, & in Echa Rabbathi Chriſto Judæi iſta adjudicant.

Iſa. 59, 19. & ſeqq. Rom. 11. 26.

Felicitatem per Chriſtum partam Eccleſiæ gratulatur

gratulatur Deus sequenti capite: *Surge illuminare Jerusalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est*: lumen videlicet illud verum, quod *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, *Lumen ad revelationem gentium*, quod se lumen vitæ, & lucem mundi esse professum est. Messiam certe istic notatum agnoscit Beresith Rabba. Quod subnectit Isaias: *Et ambulabunt gentes in lumine tuo, & reges in splendore ortus tui*, consimile horum est, quæ de Messia ab eodem prænuntiata esse docuimus: *Ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ.* Quo capite, plurimis de Christo vaticinationibus referto, hæc quoque κατὰ λέξιν (*ad verbum*) fere scripta invenies, quæ in Isaia deinceps leguntur: *Leva in circuitu oculos tuos, & vide; omnes isti congregati sunt, venerunt tibi: filii tui de longe venient, & filiæ tuæ de latere surgent.* Ad Messiam item referuntur ista in Beresith Rabba: *Inundatio camelorum operiet te, dromedarii Madian & Epha: omnes de Saba venient, aurum & thus deferentes, & laudem Domino annuntiantes.* Quorum germana sunt illa e quadragesimo quinto capite, vel Christo, vel typo ejus Cyro dicta; *Hæc dicit Dominus: Labor Ægypti, & negotiatio Æthiopiæ, & Sabaim, viri sublimes ad te transibunt, & tui erunt:* & ista quoque e septuagesimo primo Psalmo: *Reges Tharsis & insulæ munera offerrent; Reges Arabum & Saba dona adducent.* Quod autem subjicit Isaias: *Me enim insulæ expectant, & naves maris in principio, ut adducam filios tuos de longe*, id de Christo ab Isaia dictum non semel observavimus. Jam vero quod prædicitur, futurum ut Hierosolymæ muros ædificent extranei, Reges ipsi famulentur, & portis die noctuque parentibus peregre venientes ea excipiat, neque vel Solari aut Lunari luce, sed Deo ipso colluſtretur, hæc de cœlesti Hierosolyma, uxore Agni, Christi nempe Jesu, narrat Johannes in Apocalypsi: *Et templum non vidi in ea, Dominus enim Deus omnipotens; templum illius est, & Agnus. Et civitas non eget Sole, neque Luna, ut luceant in ea: nam claritas Dei illuminavit eam, & lucerna ejus est Agnus. Et ambulabunt gentes in lumine ejus, & reges terræ afferent gloriam suam & honorem gentium in illam.* Quem Hierosolymæ polliceatur Isaias populorum ac Regum cultum, cum ait: *Venient ad te curvi filii eorum, qui humiliaverunt te, & adorabunt vestigia pedum tuorum omnes, qui detrahebant tibi;* idem in quadragesimo nono capite, Christi prænuntio, Sioni promittitur: *Erunt reges nutritii tui, & reginæ nutrices tuæ, vultu in terram demisso adorabunt te, & pulverem pedum tuorum lingent:* & in quadragesimo quinto: *Post te ambulabunt, vincti manicis pergent, & te adorabunt, teque deprecabuntur:* quæ vel de Christo dicta sunt, vel de Cyro, qui Christi simulacrum fuit. Hæc igitur beneficia sibi olim a Deo concessum iri sperant Judæi, cum venerit tot annos frustra expectatus iis Messias, atque ea spe calamitates suas lenire conantur. Postremo in libro Sanhedrin, sub finem, Messiæ adscribitur prædictio illa ejusdem capitis: *Populus autem tuus omnes justi, in perpetuum hæreditabunt terram, germen plantationis meæ, opus manus meæ ad glorificandum:* qua germinis similitudine gentes ad se conversas Christus Jesus, & post eum Paulus & Apostolus adumbrare solebat. Legi porro velim, quæ in hoc caput scripsit Theodoretus; quibus demonstrat vaticiniorum illorum πλήρωμα (*complementum*) frustra quæri in Judaicis historiis, quod in Christi Jesu historia manifesto invenitur.

Quod sequitur caput, ab his initium ducit verbis, quæ sib vindicavit Christus Jesus, & in se exitum habuisse palam in Nazarena Synagoga testatus est: *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me: ad annuntiandum misit me, ut mederer contritis corde, & prædicarem annum placabilem Domino, & diem ultionis Deo nostro, ut consolarer omnes lugentes.* Consonant hæc istis quadragesimi secundi capitis, quibus manifestam de venturo Messia vaticinationem inesse declaravimus: *Ego Dominus vocavi te in justitia, & apprehendi manum tuam, & servavi te, & dedi te in fœdus populi, in lucem gentium, ut aperires oculos cæcorum, & educeres de conclusione vinctum, de domo carceris sedentes in tenebris;* & istis quoque quadragesimi noni capitis Isaiæ: *Hæc dicit Dominus, In tempore placito exaudivi te, & in die salutis auxiliatus sum tui, & servavi te, & dedi te in fœdus populi, ut suscitares terram, & possideres hæreditates*

Isa. 60, 1. Joh. 8, 12. Luc. 2, 32. Isa. 60, 3. Isa. 49, 6. Isa. 49, 18. Isa. 60, 4. Isa. 60, 6. Isa. 45, 14. Psal. 71, 9. Isa. 60, 9. Apoc. 21, 22 & seqq. Isa. 60, 14. Psal. 49, 23. Psal. 45, 14. Psal. 60, 22 Isa. 61, 1. & seqq. Luc. 4, 17. & seqq. Isa. 42, 6. Isa. 49, 8. 9.

tates dissipatas; ut diceres his qui vincti sunt, Exite; Et his qui in tenebris, Revelamini. item & his sexagesimi tertii capitis: *Dies enim ultionis in corde meo, annus redemtionis meæ venit:* consonant & istis Psalmi quadragesimi quarti Christi itidem, ut suo loco ostendi, prænuntiis: *Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem; propterea unxit te, Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Præclare observatum est ab Hieronymo, cohærere hæc cum superioribus, & ab eodem esse prolata, qui proxime dixerat: *Ego Dominus in tempore ejus subito faciam istud.* Itaque R. Saadias Gaon in Libro fidei, & R. David Kimchi in Libro radicum, ad Messiam haud cunctanter referunt. Pergit Christus apud Isaiam: *Vocabuntur in ea fortes justitiæ, plantatio Domini ad glorificandum.* Simile hoc ex proxime præcedenti capite attulimus: *Populus autem tuus omnes justi, in perpetuum hæreditabunt terram, germen plantationis meæ, opus manus meæ ad glorificandum.* Subest deinde: *Et stabunt alieni, & pascent pecora vestra, & filii peregrinorum, agricolæ & vinitores vestri erunt. Vos autem Sacerdotes Domini vocabimini: ministri Dei nostri dicetur vobis, fortitudinem gentium comedetis, & in gloria earum superbietis.* Atque hæc sibi ministeria, post exortum suum Messiam, a Christianis, cæterisque gentibus sibi exhibitum iri sperant Judæi, se vero ministros Dei & Sacerdotes futuros.

Isa. 63, 4. Isa. 44, 8. Hieronym. in Isa. 61, 1. Isa. 60, 22. Isa. 61, 3. Isa. 60, 21. Isa. 61, 5. 6.

Iterum Christi ortum proximo capite Isaias pollicetur: *Propter Sion non tacebo, & propter Jerusalem non quiescam, donec egrediatur ut splendor Justus ejus, & Salvator ejus ut lampas accendatur. Et videbunt gentes Justum tuum, & cuncti Reges inclytum tuum.* Idem ille nimirum *Justus* est & *Salvator*, quem quinquagesimo primo capite prædictum ab eo notavimus, cum dicentem Deum induceret: *Prope est Justus meus, egressus est Salvator meus.* Hic est, de quo dixit idem quinquagesimo tertio capite: *Justificabit ipse Justus servus meus multos:* Christus videlicet, uti exponitur in Bereshith Rabba R. Mosis Hadarsan. Nec aliter sumenda sunt postrema hæc capitis commata: *Ecce Dominus auditum fecit in extremis terræ, dicite filiæ Sion: Ecce Salvator tuus venit: ecce merces ejus cum eo, & opus ejus coram illo. Et vocabunt eos, Populus sanctus, redemti a Domino.* Quibus similia hæc quadragesimo capite de Christo dicta supra jam recitavimus: *Dic civitatibus Juda, Ecce Deus vester, ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, & brachium ejus dominabitur: ecce merces ejus cum eo, & opus illius coram illo.* Hinc in Apocalypsi Johannis sic ait Alpha & Omega, Primus & novissimus: *Ecce venio cito, & merces mea mecum est, reddere unicuique secundum opera sua.*

Isa. 62, 1. & seq. Isa. 51, 5. Isa. 53, 11. Isa. 40, 10. Apoc. 22, 12.

Messiam rursum spectant ista e capite sequenti: *Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra, iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suæ?* Prophetæ hæc sciscitanti respondet Christus: *Torcular calcavi solus, & de gentibus non est vir mecum: calcavi eos in furore meo, & conculcavi eos in ira mea, & aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea, & omnia vestimenta mea inquinavi. Dies enim ultionis in corde meo, annus redemtionis meæ venit.* Non frustra nos hæc Christo vindicare, locupletem fidejussorem damus Jacobum ipsum Patriarcham, qui in Testamento suo futurum prædixit, ut de Juda proditurus olim Messias, *Lavet in vino stolam suam, & in sanguine uvæ pallium suum.* Unde istud Johannis in Apocalypsi; *Et vestitus erat veste aspersa sanguine, & vocatur nomen ejus Verbum Dei.* Itaque ergo finxerunt sibi pingues & obtusi Judæi, indutum iri Messiam ארגמן טוב מראה וירמה לחין *Purpuram pulchram visu, & similem vino*, futuramque ejus vestem מלוה אדומים כרם *Lanam, rubram ut sanguinem:* quæ leguntur in Bereshith Rabba R. Mosis Hadarsan. Christum præterea sexagesimo primo capite, itidem ut hoc loco, *annum placabilem, & diem ultionis* veniisse dicentem notavimus. Subnexa sunt isthæc apud Isaiam: *Factus est eis Salvator; in omni tribulatione eorum non est tribulatus, & Angelus faciei ejus sanavit eos: in dilectione sua & in indulgentia sua ipse redemit eos, & portavit eos, elevavit eos cunctis diebus sæculi.* Rectius Interpretes Septuaginta, & magis ad rem: καὶ ἐγένετο αὐτοῖς εἰς σωτηρίαν ἐκ πάσης θλίψεως αὐτῶν· οὐ πρέσβυς, οὐδὲ ἄγγελος, ἀλλ' αὐτὸς ἔσωσεν αὐτούς, διὰ τὸ ἀγαπᾶν αὐτοὺς, καὶ φείδεσθαι αὐτῶν. *Et factus est ipsis in salutem ex omni eorum angustia. Non legatus, non nuntius sed ipse servavit eos, quod eos diligat, ipsisque parcat.* Quæ Messiæ officium optime designant,

Isa. 61, 2. Isa. 63, 8. 9. Isa. 63, 1. & seq. Gen. 49, 11. Apoc. 19, 13.

signant, quippe non per legatos aut Angelos, ut olim, sed ipse se redemtionis hominum pretium dedit. At Grotius pro more suo vaticiniorum προαγορευτικῶν (*prænuntiorum*) Christi fidem accidens, flectit istud ad Judam Machabæum, qui Idumæos magnis attrivit cladibus, & Bosram funditus delevit. Verum ubi ad id ventum est: *Torcular calcavi solus, & de gentibus non est vir mecum*, ægre se expedit Grotius, Judam affirmans solum, paucis Judæis comitatum, nullo extraneorum adjuvante, primum cum Philistæis, deinde cum Idumæis pugnasse: quæ non omnino vera sunt; nam si Judæis aliquot, quamlibet paucis comitatus pugnavit, certe non solus pugnavit; quod fecit Samson. Deinde paucosne eos fuisse fatear, qui octo millia fuerunt? Nullas ille quidem ad hanc expeditionem externarum gentium asciscit suppetias, sed demum tamen icto cum Romanis fœdere, præsidio eorum & auctoritate sese tutatus est. Minime profecto ferendus est Grotius, cum vel illustrioribus Prophetis, vel ducibus aut Regibus Israeliticis eximia quæque aptat vaticinia, tam pauca vero Christo adjudicat, qui Veteris Testamenti finis fuit, ad quem tota illa unice spectabat dispensatio, quemque propriis, claris, & crebris prædictionibus celebrari & nuntiari oportebat.

Postremo denique capite egregium ventu- Is. 66, 7. & seq. turo Christo testimonium Isaias præbuit his verbis: *Vox populi de civitate, vox de Templo, vox Domini reddentis retributionem inimicis suis. Antequam parturiret, peperit; antequam veniret partus ejus, peperit masculum. Quis audivit unquam tale? & quis vidit huic simile?* Deinde: *Ponam in eis signum, & mittam ex eis, qui salvati fuerint ad gentes in mare.* Vides ortum Christi prodigialem, qui in signum positus est gentibus; missosque ejus legatos ad varias gentes, ut ad veritatis notitiam adducantur. Par illud Is. 7, 14. est, quod supra protulimus: *Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum, Ecce virgo concipiet, & pariet filium:* & hoc quoque: *In* Is. 11, 18. *die illa radix Jesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur.* Hinc ex- Apoc. 12, 5. pressum est illud Apocalypseos: *Et signum magnum apparuit in cœlo, Mulier amicta Sole: & peperit filium masculum, qui recturus erat omnes gentes in virga ferrea.* Masculum ergo illum, Regem sive Messiam interpretatur Jonathan in Thargum. Judæi quoque his adducti sunt, ut crederent eo die natum esse Christum, quo Templum ipsorum dirutum est, ut est in Bereshith Ketanna, aliisque Judæorum libris. Aliter vero Bereshith Rabba R. Mosis Hadarsan: nam quod scripserit Isaias, *Antequam parturiret, peperit*, natum fuisse colligit Redemtorem primum, Christum videlicet, antequam nasceretur, qui postremus Judæos in servitutem redegit, Titus nimirum.

XVI. Succedit Jeremias, nobilis & ipse Christi præco, qui Christi dispensatione ac Testamento Vetus Testamentum abrogatum iri præcinuit his verbis: *Assumam vos* Jer. 3, 14. & seq. *unum de civitate, & duos de cognatione, & introducam vos in Sion, & dabo vobis pastores juxta cor meum, & pascens vos scientia & doctrina. Cumque multiplicati fueritis & creveritis in terra in diebus illis, ait Dominus, non dicent ultra, Arca Testamenti Domini, neque ascendet super cor, neque recordabuntur illius, nec visitabitur, nec fiet ultra. In tempore illo vocabunt Jerusalem, Solium Domini, & congregabuntur ad eam omnes gentes in nomine Domini in Jerusalem, & non ambulabunt post pravitatem cordis sui pessimi. In diebus illis ibit domus Juda ad domum Israel, & venient simul de terra aquilonis, ad terram quam dedi patribus vestris. Ego autem dixi, Quomodo ponam te in filios, & tribuam tibi terram desiderabilem, hæreditatem præclaram exercituum gentium? Et dixi, Patrem vocabis me, & post me ingredi non cessabis.* Magnam horum partem iteratam reperies vicesimo tertio Jeremiæ capite, quo capite Messiam prænuntiari in confesso est apud omnes prope Interpretes. Adsonat & Ezechiel, dum Christum pollicetur his verbis: Ez. 34, 23. *Et suscitabo super eas pastorem unum, qui pascat eas, servum meum David; ipse pascet eas, & ipse erit eis in pastorem.* Priscæ vero Legis antiquationem hic prædictam, in se fuisse completam Christus Jesus Samaritanam mulierem edocuit? *Mulier*, inquit, Joh. 4, 21. *crede mihi, quia venit hora, quando neque in* 23. *monte hoc, neque in Hierosolymis adorabitis Patrem; ..... sed venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate.* Unde Paulus ad Timotheum: *Volo ergo viros orare in omni loco,* 1. Tim. 2, 3. *levantes*

Prophetia Jeremiæ.

levantes puras manus sine ira & disceptatione. Tum Mosaicorum rituum abrogationem prædicit, quam passim & alii Prophetæ sunt vaticinati; *Ne memineritis priorum*, inquit Isaias, *& antiqua ne intueamini, ecce ego facio nova*: & alibi: *Ecce enim ego creo cœlos novos, & terram novam, & non erunt in memoria priora, & non ascendent super cor*: qua postrema locutione hic in pari caussa usus est Jeremias. Notat tempus Daniel, quo auferendum est juge sacrificium. Osee vero, *Dies multos*, inquit, *sedebunt filii Israël sine rege, & sine principe, & sine sacrificio, & sine altari, & sine Ephod, & sine Theraphim.* Et Malachias: *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim Solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in Gentibus, & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda.* Ipse Jeremias alio loco: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & feriam domui Israel, & domui Juda fœdus novum, non secundum pactum, quod pepigi cum patribus eorum*: Subjicit Jeremias tunc vocatum iri Jerusalem, Solium Domini, in eaque magnam fore hominum frequentiam: sic Isaias de Messiæ temporibus: *Et erit in novissimis diebus præparatus mons Domini in vertice montium, & elevabitur super colles, & fluent ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi, & dicent, Venite, & ascendamus in montem Domini, & ad domum Dei Jacob, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis ejus, quia de Sion exibit Lex, & verbum Domini de Jerusalem*: & Zacharias: *Hæc dicit Dominus exercituum: Reversus sum ad Sion, & habitabo in medio Jerusalem; Et vocabitur Jerusalem Civitas veritatis, & mons Domini exercituum, Mons sanctificatus*: & Malachias: *Et statim veniet ad Templum suum Dominator, quem vos quæritis, & Angelus testamenti, quem vos vultis.* Quod autem subest in Jeremia, congregatum iri omnes gentes Hierosolymam *in nomine Domini*, huic quoque inest Messiæ indicium, vel Bereshith Rabba teste, in qua profertur istud e Sophonia: *Quia tunc reddam populis labium electum, ut invocent omnes in nomine Domini*: tum subnectitur, nomen Domini illic memoratum nihil aliud esse quam Messiam, juxta hoc Isaiæ: *Ecce nomen Domini venit de longinqua.* Spondet deinde Jeremias futurum ut gentes ad Christi transeant partes, & ad meliorem sese frugem recipiant; & sopitis Judæa inter & Israelem dissidiis, universum genus Ebræorum alta pace compositum quiescat. Nempe hoc ipsum jam ante vaticinatus fuerat Isaias undecimo capite, quo Christum promissum esse ostendimus: *Et erit in die illa, adjiciet Dominus secundo manum suam ad possidendum residuum populi sui, & levabit signum in nationes, & congregabit profugos Israel, & dispersos Juda colliget a quatuor plagis terræ, & auferetur zelus Ephraim, & hostes Juda peribunt; Ephraim non æmulabitur Judam, & Judas non pugnabit contra Ephraim.* Idem futurum præmonstrat Ezechiel, per lignorum duorum symbolum, quæ in unum conjungit, ut Israelitarum & Judæorum futura per Christum conjunctio significetur: *Rex unus*, inquit, *erit omnibus imperans, & non erunt ultra duæ gentes, nec dividentur amplius in duo regna. Et servus meus David rex super eos, & pastor unus erit omnium eorum.* Ergo id a Jesu Christo præstitum Paulus scribebat ad Ephesios, cum *duos condidit in semetipso in unum novum hominem faciens pacem, & reconciliavit ambos in uno corpore Deo per crucem, interficiens inimicitias in semetipso.* Adoptaturum se deinde Judæos promisit Deus apud Jeremiam, ita ut ab illis pater appellari velit, præclaramque ipsis hæreditatem pollicetur, quod & ad gentes Christi obsequio deditas pertinere Paulus ostendit, sic Romanos compellans: *Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba pater. Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quo sumus filii Dei; si autem filii & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.* Quamvis autem hæc in Messiam & Gentium vocationem Rabbini plerique ultro conferant, quidam tamen Christiani nihil aliud in hac sententia quam Israelitarum ex Babylonicis vinculis liberationem odorati sunt. Perperam utique, nam ut acute iis occurrit Nicolaus de Lira, neque post hæc tempora inter ipsos omnis Arcæ vel mentio vel memoria intercidit; neque *Solium Domini* dicta est Jerusalem, quæ fere spreta, sæpe vexata, & tandem fœde diruta est; vix ulli vero ex circumjectis populis Judaicos ritus susceperunt. Grotius quoque veteris cultus abrogationem haudquaquam hic

Isa. 43, 18. 19.
Isa. 65, 18.
Dan. 12, 11.
Ose. 3, 4. 5.
Malach. 1, 10, 11.
Jer. 31, 31. 32.
Isa. 2, 2. 3.
Zach. 8, 3.
Mal. 3, 1.
Soph. 3, 9.
Isa. 30, 27.
Isa. 11, 11. & seq.
Ez. 37, 16.
Eph. 2, 13. & seq.
Rom. 8, 15. & seq.

hic notari docet, sed post hæc verba, *Non dicent ultra, Arca Testamenti Domini*, suppleri vult, *Præcedat nos ad prælium:* & post illa, *Neque ascendet super cor*, suppleri ista, *ad eum usum*. Quod autem subest, *Nec visitabitur, nec fiet ultra*, sic exponit, *Nec pugnabitur, nec ea fient, quæ in bello fieri solent*. Fidem hic Lectorum appello. An per illud tempus, quo scribebat Jeremias, moris fuit Israelitis Arcam deferre in prœlia, quod olim Deo jubente factum, tum fieri desierat? Præterea tantam Jeremiæ in scribendo indiligentiam non agnoscimus, ut legentium perspicacitati bonam sententiarum suarum partem supplendam relinquat; illic præsertim, ubi significationem plurimi interest certo & sine dubitatione teneri. Nec enim vel nihil vel parvi refert, dixeritne Propheta tantam fore Judæorum potentiam, ut non amplius tutelari præsentis Arcæ præsidio prœlia sua juvare necesse habeant; an Arcam venerari desituros; quod perinde est, ut si ritus eorum ac ceremonias mutatum iri dicas. Hoc præterea, *Nec visitabitur*, sic interpretari, *Non pugnabitur*, quam durum est ac violentum? Admittamus tamen interpretationem illam; an hic verbis istis suberit sensus quem putat Grotius, Arcam deinceps haudquaquam delatum iri in prœlia? minime sane; verum is loci erit intellectus, nullum deinceps commissum iri prœlium; quem nemo sanus admittet. Sed & verbum פקד nusquam simpliciter significat, *pugnare*. Quorsum denique attinebat tam exaggeratis & efficacibus verbis rem eam exprimere, quæ ad aliam rem exprimendam ipsa ascita erat? nam ut Judæorum potentiam notet, futurum ait ut Arcæ præsentis ope in prœliis carere possint. Satis enim id fuerat: *Non dicent ultra, Arca Testamenti Domini*. Cum addat vero, *Neque ascendet super cor, neque recordabuntur illius, nec visitabitur, nec fiet ultra*, gravius significatur quippiam, futura nempe Legis abrogatio. Grotio perversæ hujus interpretationis prænonstratores fuerunt R. David Kimchi, & R. Selomoh Jarchi: quos tamen egregie confutat Don Isaac Abrabaniel (etsi ab ea non multum abesse Jonathanem fatetur) quod neutiquam hic agatur de bello, aliisve, quibus nativam sententiam adulterant & corrumpunt. Hunc vero ipse loci intellectum esse vult: Non res ita ut olim, sic veniente Messia se habebunt, de quo tempore loquitur Propheta: olim enim Israelitarum sanctitas omnis in Arcæ ac Templi cultu & cæremoniis posita erat, ita ut eo fere universi ipsorum ritus referrentur: postquam autem venerit Messias, ea erit ipsorum pietas ac sanctitudo, ut non necesse habeant confluentes ad Messiam Gentes ex Arcæ ac Templi majestate & reverentia sanctitatem Judæorum æstimare; sed totam urbem Hierosolymam tot viris pietate florentibus refertam, Solium Domini appellaturæ sint. Verum διαστρέφειν τ' ἀλήθειαν *(distorquere veritatem)* & pervertere sententiam hoc est, non interpretari: nam ante decimum septimum comma nulla Gentium mentio; agitur solum de Judæis, quos prædicit Propheta, postquam multiplicati fuerint, non dicturos amplius, *Arca Testamenti Domini*. Nam cum ait, *Non dicent ultra, Arca fœderis Domini*, eos utique vult intelligi, qui prius id dicebant; nempe Judæos, qui Arcam sanctissime colebant; non Ethnicos, qui ne noverant quidem. Sumit præterea κατὰ λέξιν *(ad verbum)* Judaico more, quæ de Hierosolyma dicuntur, quasi foret olim in magnas opes ac gloriam restituenda: cum tamen omnem ejus instaurandæ spem Judæis ademtam esse manifestis Prophetarum testimoniis probaturi simus in παραλλήλισμῷ. At Ecclesiam Dei decebat intelligere, cujus typus est Hierosolyma. Frustra ergo his inesse ἀκατάσκευον caussatur, quæ apta simul esse vidisset ac connexa, si in literæ cortice non hæsisset. Deinde a Propheta, dum agitante spiritu fundit oracula, accuratus rerum ordo non est expectandus. Instat Abrabaniel, & si Judaicorum rituum hic significetur abrogatio, mala prænuntiare ait Prophetam, non bona, רע ולא טוב, cum tamen bona hic sponderi manifestum sit. Nos vero, umbras exoriente luce evanescere, & simulacra ac imagines prodeunte archetypo obsolescere, id malum esse negamus.

Abraban. in Font. Sal. sup. Dan. 9. & in Jer. 3.

Duo subjiciemus testimonia Jeremiæ, e capitibus, vicesimo tertio, & tricesimo tertio, partim prioris haud multum absimilia, partim & venturi Christi longe significantiora, quæ propter paritatem minime a nobis fuerunt disjungenda: *Et ego congregabo reliquias gregis mei de omnibus terris, ad quas* Jer. 23, 3. & seq. & 33, 14. & seq.

quas ejecerat ibi illuc, & convertam eos ad terram suam, & habitabunt. Et *suscitabo super eos pastores, & pascent eos: & non formidabunt amplius, & non pavebunt, & deficient, dicit Dominus.* Quod per Christum esse eventurum sequentia indicant: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & suscitabo David germen justum, & regnabit rex, & sapiens erit, & faciet judicium & justitiam in terra.* Quæ tricesimo tertio capite sic refulit: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus: suscitabo verbum bonum quod locutus sum ad domum Israel, & ad domum Juda. In diebus illis, & in tempore illo germinare faciam David germen justitiæ: faciet judicium & justitiam in terra.* Germen David nimirum illud est, quod *virgam de radice Jesse*, & *virgultum* ab Isaia dictum ostendimus; quod & germen alibi appellat: *In die illa*, inquit, *erit germen Domini in magnificentia.* Illud est quod a Zacharia Oriens dictum est: *Ecce enim adduco servum meum Orientem:* & alibi: *Ecce vir, Oriens nomen ejus.* Unde Lucas: *Visitavit nos Oriens ex alto.* Oriens autem his locis est צמח, hoc est, *germen.* Quo nomine Messiam his Jeremiæ & Zachariæ locis significari Jonathan confitetur. Eodem pertinet & istud Ezechielis supra memoratum: *Et suscitabo super eas pastorem unum, qui pascat eas, servum meum David: ipse pascet eas, & ipse erit eis in pastorem.* Subnectit Jeremias: *In diebus illis salvabitur Juda, & Israel habitabit confidenter, & hoc nomen quod vocabunt eum, Dominus justus noster.* Quæ tricesimo tertio capite pene πρὸς λέξιν (*ad verbum*) iterantur. Idem de Messiæ adventu a Daniele prædictum est: *Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt, ut adducatur justitia sempiterna.* Inde Paulus ait Christum Jesum factum esse nobis a Deo justitiam. Ergo hæc ad Christum haud dubitanter relata sunt in libro Thalmudico Beracoth, Distinctione Meemarai, & in Baba bathra, capite quinto, & in Beresith Rabba, & in Echa Rabbati, & in Midrasch Thehillim, & apud R. Josephum Albo, in libro Fundamentorum, & apud R. Davidem Kimchi. Tum deinde tempus affuturum spondet Jeremias, quo recentibus & amplioribus beneficiis cumulati Israelitæ, veteris illius vix recordentur, cum Ægyptiorum servitute exemti sunt: quod & decimo sexto capite

jam supra fecerat, pollicitus. Caeterum tricesimo tertio triennem illum Jer. 33, 17. pollicitationem repetens nonnisi futuram Davidis sobolem, & perpetuam stirpis regni opibus ac potentia futuram. Quod nonnisi in Christo extitum nancisci posse Judæi fatentur: præsertim cum iis adsonet illustre hoc de Christo prædictum: *Non auferetur sceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium.* Gen. 49, 10. Antiquum hic obtinet Grotius; nam quæ Christum præmonstrare non inanibus argumentis probavimus, priscorum Judæorum, quibus fuisse addixit, opinionem secutus, alio flectere conatur, & Zorobabeli accommodare. Nec quem hic prædicit Jeremias, eum & futurum regem, & regnaturum ait; cum neque rex dictus fuerit Zorobabel, neque regnum tenuerit, uti rectissime Judæis idem cum Grotio sentientibus objicit Theodoretus. Et Theod. in Jer. 33, 3. & seq. improprie ac parum accurate locutus est Saidus Batrikides, cum Zorobabelem dixit Hierosolymis regnasse, eum præfuisse Reipublicæ dicere vellet ac deberet. Quod autem addit, regem eumdem appellari capite nono Zachariæ, *Ecce rex tuus veniet tibi Justus & Salvator;* Zach. 9, 9. id vero ad Christum itidem spectare pertendimus. Itaque incertum probat per incertius, & litem lite resolvit. Hoc vero testimonio tricesimi tertii Jeremiæ capitis: *Non interibit de David vir, qui sedeat super thronum domus Israel,* Jer. 33, 17. quo causam suam firmare studet, hoc ipso ad eam labefactandam utimur. Tametsi enim Israeliticæ gentis δημαγωγὸς (*plebis ductor*) & Æchmalotarcha fuerit Zorobabel, non proinde *sedere super thronum* Davidis dici potuit: uti nec inter Romanos, vel Consules, vel Dictatores, etsi supremum gesserint magistratum, super Romuli thronum sedere idcirco dicti sunt. Nihilo magis probatur mihi, quod differit ad hunc locum: *In diebus illis salvabitur Juda, & Israel habitabit confidenter; & hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus justus noster:* vult enim, contra saniorum Interpretum fidem, populum Israeliticum eum esse, cui prædicitur fore tribuendum nomen illud, *Dominus justus noster*, sive ut alii interpretantur, *Dominus justitia nostra.* Verum si totius loci perpendatur connexio, ad Germen Davidis, de quo potissimum

Jer. 23, 6.

Isa. 11, 1. & 53, 2.
Isa. 4, 2.
Zach. 3, 8. & 6, 12.
Luc. 1, 78.
Ez. 34, 23.
Jer. 23, 6.
Dan. 9, 24.
2 Cor. 1, 30.
Jer. 23, 7. & seq.
Jer. 16, 14. 15.

potissimum hoc commate sermo est, referendum esse videbitur: nam cum illud appellasset *germen justum, & facturum judicium & justitiam in terra* dixisset, subdit continuo vocatum iri, *Dominum nostram justitiam:* quod perinde est ac si dixisset, post edita singularis justitiæ specimina, Justi nomen ac titulum meritis suis fore consecuturum. Sic intellexerunt Ebræi Doctores quos dixi, sic Christiani pene omnes. Johannem Bodinum excipio, qui in pestifero opere de abditis rerum sublimium arcanis, sub Salomonis Judæi persona, ut hoc Jeremiæ testimonium elevet, id quod habet Vulgata, *Vocabunt eum*, quodque velut novum & inauditum repudiat, sic interpretandum esse statuit, *Et clamabit*, sive, *elata voce dicet populus:* cum tamen Vulgatam Editionem non universi solum Interpretes hoc loco, & consimili qui in tricesimo tertio Jeremiæ capite extat, sed Bodinus etiam ipse sequatur. Addit deinde nomen illud, *Dominus justus noster*, sive, *Dominus justitia nostra*, convenire, non in *Germen Davidis*, sed in *Israel*; & quemadmodum in Genesi Jacob Aram a se erectam appellat, *Fortem Deum Israel*; & quemadmodum Ezechiel Civitati prædicit futurum nomen, *Dominus ibidem.* Hæc sumsit Bodinus ex Munsteri expositione libri Jeremiæ: verum ipsius responsionem dissimulavit, quæ talis est: aliter Aræ & Civitati, aliter Christo, Dei nomen tribui; illis ad ostendendum divinæ gratiæ effectum; huic, ut Christi significetur divinitas, & justitiæ nostræ beneficium, quod benignitati ipsius & gratiæ acceptum referimus. His addo, utrumque locum ex Genesi & Ezechiele longe seeus exponere Interpretes ac exponit Bodinus, quod Lectori consulendos relinquo. Defricandus ipse interim, qui dum Christianis Theologis linguæ sanctæ ignorationem exprobrat, suam ipse ineptissime prodit. Nam ut ostendat apud Ezechielem nomen, *Dominus ibidem*, ad Civitatem pertinere, repræsentat voces ipsas Ebraicas יהוה שמה, quarum postremam desinere ait in ה, quæ nota est feminini generis, non masculini; cum dictio שמה hoc loco non significet *Nomen ejus*, quod perperam censuit, sed *illic.* Has cavillationes Bodino, quemadmodum & Grotio, subministrasse reperio pertinaces quosdam Judæos, qui sic præterea

• Gen. 33, 20.

Ez. 48, 35. Munst. in Jer. 23, 6.

differunt, Jeremiam capite tricesimo tertio his verbis mentem suam explicasse; *In diebus illis salvabitur Juda, & Jerusalem habitabit confidenter*, וזה אשר יקרא לה, *& iste qui vocabit eam, Dominus justitia nostra:* in quibus inquiunt לה, feminini generis est, nec alio referri potest quam ad Jerusalem; non ergo ad Messiam. Fateor: quid tum? Mentem Prophetæ non assequuntur, quæ hæc est: *In diebus illis salvabitur Juda, & Jerusalem habitabit confidenter, & qui eam vocaturus est ad se, nempe is erit Dominus justitia nostra*, hoc est, Messias. At alius est sensus verborum vicesimi tertii capitis, nam cum Davidici germinis ortum prædixisset Jeremias, subjunxit: *In diebus illis salvabitur Juda, & Israel habitabit confidenter*, וזה שמו אשר יקראו, *& hoc est nomen ejus, quod vocabunt eum*, (qui nempe germen Davidis est) *Dominus justitia nostra.* Itaque affixum masculini generis, quod inest dictionibus hisce, שמו, & יקראו, referendum est ad צמח, *germen*, superioris commatis, hoc est, Messiam, ubi postquam fore eum *justum, & facturum justitiam in terra* prænunciavit, continuo subjicit, fore illi nomen, *Dominus justitia nostra*, ob insignem nimirum justitiam, quam commemoravit: quæ cohærentia rerum & series manifesta est. Alius quoque Judæorum fraudibus patuit locus vicesimi tertii capitis: sic enim eum distinxerunt, ut hic sensus efflorescceret, *Et hoc est nomen, quod vocabit eum Dominus, Justitia nostra.* Id cum proponere in medium ausi sunt Judæi, receptam in codicibus interpunctionem manifesto perverterunt: nam voci, יקראו, *vocabunt eum*, subjicitur accentus תפחא, qui διαχριτικὸς *(disjunctivus)* est, & vocabulum, cui affixus est, a sequenti distinguendum esse indicat. Falso ergo annectunt illi dictionem sequentem, יהוה, quæ ab ea discreta est, & sequentibus adhæret; vel R. Joseph Albo teste, qui in libro Ikkarim scribit: *Appellat Scriptura nomen Messiæ, Deus justitia nostra.* Porro Septuaginta Senum interpretatio sic habet: καὶ τοῦτο τὸ ὄνομα αὐτῷ ὃ καλέσει αὐτὸν κύριος Ιωσεδὲκ ἐν τοῖς προφήταις. quæ verba non uno vitio laborant. Videntur primum Septuaginta Interpretes nomen ipsum, quod hic Messiæ tribuitur, uti Ebraice conceptum erat, Græcis literis repræsentare voluisse, quemadmodum in

R. Joseph. Albo Ikk. l. 2. c. 28.

Digitized by Google

nominibus propriis fieri amat, quæ integra sine ulla interpretatione de lingua in linguam transire solent. Itaque nomen loco hoc Messiæ tributum, quod Ebraice ita scriptum est, יהוה צדקנו, sic videntur Græce expressisse Interpretes, ΙΑΩ ΣΕΔΕΚΝΟΥ. Dictio vero κύριος, quæ proxime præcedit, adventitia est. Nam in antiquis codicibus Interpretationis Septuaginta Senum, quotiescunque sacra vox יהוה occurrit, & ipsa, & ipsius interpretatio κύριος, exhibentur. Id observavimus in vetustissimo exemplari Renati Marchali, quo Græca Prophetarum omnium sacrorum interpretatio continetur. Ubicunque enim se offert tetragrammaton nomen, in contextu scriptum est κύριος, in limbo ΠΠΠ, quod est Ebraicum יהוה. Simile quidpiam factum hic est: nam & dictio Græca κύριος, & Ebraica יהוה, adscriptæ sunt. Ergo vox κύριος, hic παρέλκει, (redundat) cum Ebraica dictio יהוה, in voce ΙΩΣΕΔΕΚ lateat. Sequitur, ἐν τοῖς προφήταις, cujus additamenti hæc ratio est. In nono, quod proxime sequitur, commate hæc leguntur: *Ad Prophetas: Contritum est cor meum in medio mei.* Quæ sic reddita extant apud Senes Septuaginta: ἐν τοῖς προφήταις. συντετρίφη ἡ καρδία μου ἐν ἐμοί. Septimum porro & octavum comma penitus fuisse ab illis prætermissa notat Hieronymus. In vulgatis autem editionibus ad calcem capitis rejecta sunt. Unde intelligitur, additamentum hoc post Hieronymum illuc irrepsisse: multaque hujusmodi subinde a librariis vel studiosis hominibus fuisse intrusa, parumque finceram interpretationem hanc ad nos perveniisse. Utut est, ex hac duorum commatum prætermissione effectum est, ut sextum & nonum comma cohærerent; voces vero istæ, τοῖς προφήταις, quæ noni commatis erant, ad sextum pertinere existimarentur: quæ opinio Theodoreti temporibus jam inoleverat. Vocula porro, ἐν, sexti commatis est, detorta ex νοῦ, quod ad dictionem ΙΩΣΕΔΕΚ pertinebat. Ergo sic locum totum restitues: καὶ τοῦτο τὸ ὄνομα ἐυτῷ, ὃ καλέσει ἐυτὸν, ΙΑΩ ΣΕΔΕΝΟΥ. τοῖς προφήταις. συντετρίφη ἡ καρδία μου ἐν ἐμοί. clarissima sententia; nam καλέσει refertur ad Ἰσραήλ, quod præcedit. At τοῖς προφήταις videtur fuisse lemma sequentibus præfixum, quo sermonem ad Prophetas converti significatur. Sed hæc obiter.

Hieron. in Jer. 23, 6.

Theod. in Jer. 23, 6.

Futura etiam Messiæ mysteria aperiuntur tricesimo capite Jeremiæ, ubi Israelitarum vincula rupturum se spondet Deus, & alieno exemtos imperio in pristinam libertatem vindicaturum; quo tempore Deum sospitatorem suum & Davidem regem suum legitimo prosequentur obsequio; *Servient*, inquit, *Domino Deo suo, & David regi suo, quem suscitabo eis.* Itaque ad abjiciendum timorem, & sumendam fiduciam Israelem adhortatur, futurum spondens, ut ei per se salus parta sit & securitas, bonorumque omnium copia, dum præsentibus ipsum auxiliis prosequetur. Tum subjicit fore ut pristinas sedes recuperet Jacob, & civitas in excelsis statuatur locis, Templumque rite fundetur. Deinde ait: *Et erit dux ejus ex eo, & princeps de medio ejus producetur, & applicabo eum, & accedet ad me: quis enim iste est, qui applicet cor suum, & appropinquet mihi, ait Dominus? & eritis mihi in populum, & ego ero vobis in Deum.* Davidem illum regem Israeliticæ genti promissum, quem alium esse dicam, quam qui Ezechieli memoratur, cum ait: *Et suscitabo super eas* (oves) *pastorem unum, qui pascat eas, servum meum David:* & rursum: *Et servus meus David rex super eos, & pastor unus erit omnium:* & Oseæ: *Post hæc revertentur filii Israel, & quærent Dominum Deum suum, & David regem suum.* Quo nomine Messiam de Davidis stirpe oriturum signari rerum ipsarum cum præcedentibus ac frequentibus cohærentia ostendit: id quod toto capite probavit Galatinus in libro Arcanorum. Nunc afferemus hoc unum ex Ezechiele, quod multorum instar esse queat: *Et habitabunt super terram, quam dedi servo meo Jacob, in qua habitaverunt patres vestri, & habitabunt super eam ipsi, & filii eorum, & filii filiorum, usque in sempiternum, & David servus meus princeps eorum in perpetuum.* Dicat Grotius, qui hæc detorquet ad Zorobabelem, an sempiternum in Judæos imperium Zorobabel tenuerit; an rex fuerit dictus vel habitus; an recuperatam ejus auspiciis Chananæam terram Judæi perpetuo coluerint. Quod autem addit a Davide Davidem dictum Zorobabelem; sicut a Ptolemæo, Ptolemæos; a Cæsare, Cæsares; alium quempiam ostendat sic dictum, præter eum quem proponit

Jer. 30, 7. & seqq.

Jer. 30, 21. 22.

Ezech. 34, 23. & 37, 24.

Ose. 3, 5.

Gal. l. 3. c. 25.

Ezech. 37, 25.

Digitized by Google

nit Zorobabelem. Quod additur præterea
Jer. 30, 21. a Jeremia : *Et erit dux ejus ex eo, & princeps de medio ejus producetur*, germanum est
Mich. 5, 1. prædictionis hujus Michææ, quam Messiæ propriam esse magna consensio est : *Et tu, Bethlehem Ephrata, parvulus es in millibus Juda ; ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel.* Pergit Jeremias : *Et applicabo eum, & accedet ad me :* quod pontificiam dignitatem regia conjunctam exprimit,
Psal. 109, 4. juxta illud Psalmi : *Tu es Sacerdos in æternum.* Quæ interpretans Paulus in Epistola
Hebr. 4, 14. & 7. 24. 25. ad Ebræos sic disserit : *Habentes ergo Pontificem magnum, qui penetravit cœlos, & Jesum Filium Dei, teneamus confessionem :* & deinde : *Hic autem eo quod maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium : unde & salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum, semper vivens ad interpellandum pro nobis.* Non alium ergo Davidis nomine, quam Davidis filium Messiam, non alium ducem aut principem hic notatum censuit Jonathan Uzielides in Thargum ; non alium Thalmudistæ capite postremo Sanhedrin, & in libro Beracoth Hierosolymitano ; Nec Midrasch Thehillim.

Jer. 31, 6 & seqq. Hæc leguntur sequenti capite : *Erit dies, in qua clamabunt custodes in monte Ephraim, Surgite & ascendamus in Sion ad Dominum Deum nostrum.* Quibus consimilia dissertisse Isaiam ostendimus, cum Christum
Isa. 2, 3. Mich. 4, 1. 2 prædiceret secundo capite, quæ & a Michæa in pari causa usurpata sunt. Nec quicquam hic nobis prodesse volumus vocem נוצרים, *custodes*, quæ quod hujus similis sit נוצרים, *Nazirai*, quo nomine Christianos olim
Act. 24, 5. fuisse designatos legimus in Actis Apostolorum, Ecclesiæ Christianæ pastores a Jeremia notatos quidam voluerunt. Utiliora
Jer. 31, 22. nobis illa sunt, quæ sequuntur : *Quia hæc dicit Dominus, Exultate in lætitia, Jacob, & hinnite contra caput Gentium : personate, & canite, & dicite, Salva, Domine, populum tuum, reliquias Israel. Ecce ego adducam eos de terra Aquilonis, & congregabo eos ab extremis terræ, inter quos erunt cœcus & claudus, prægnans & pariens simul, cœtus magnus revertentium huc :* quibus paria
Jer. 3, 18. vidimus tertio Jeremiæ capite, & ad Messiam spectare ostendimus : *In diebus illis ibit domus Juda ad domum Israel, & venient simul de terra aquilonis, ad terram, quam dedi patribus vestris.* Quam autem cœco & claudo spondet gradiendi facultatem, eamdem Messiæ venturi beneficio concessum iis iri pollicitus fuerat Isaias tricesimo quinto capite, cum diceret : *Deus ipse veniet, & salvabit vos. Tunc aperientur oculi cœcorum, & aures surdorum patebunt : tunc saliet sicut cervus claudus, & aperta erit lingua mutorum.* Deinde : *Erit ibi semita, & via, & via sancta vocabitur.* Et paulo post : *& redemti a Domino convertentur, & venient in Sion cum laude.* Quæ de Messiæ ævo dicta esse supra a me demonstratum est. Ergo hac pollicitatione Jeremiæ spes suas alere, & miseriam suam solari Judæos docet nos R. Machir in אבקת רוכל. Subjicit Jeremias : *Usque quo dissolveris, filia vaga ? quia creavit Dominus novum super terram, Fœmina circumdabit virum :* quo mirabilis Christi ortus prædicitur. Nam gestatio fœtus in utero fœminæ his verbis σεμνῶς (*servato decoro*) describitur. Sic quarto Regum pari locutione
4. Reg. 4, 16 res eadem refertur. Nam quod habet Vulgata, *Habebis in utero filium*, id expressum est ex istis Ebrais אתי חבחת בן : *Tu amplexans filium.* Non autem communis fœtus concipiendi ratio hic prædicatur : quorsum enim dixisset Propheta : *Creavit Dominus novum super terram ?* qua præmonitione uti solent Scriptores sacri, cum magnum quid & insolitum portenditur. Sic cum Core, Dathan & Abiron terræ hiatu essent absorbendi, ait Moses : *Sin novam rem fecerit*
Num. 16, 30 *Dominus, ut aperiens terra os suum deglutiat eos.* Sic Deus apud Isaiam : *Ecce ego facio*
Isa. 43, 19. *nova, & nunc orientur, utique cognoscetis ea ; ponam in deserto viam, & in invio flumina.* Ergo portentosus filii conceptus apud Jeremiam prædicitur, quem ad Messiam pertinere R. Moses Hadarsan ultro agnoscit. Clarissima deinde vaticinatione, Mosaicæ Legis & pristini fœderis abrogationem denuntiat : *Ecce dies venient, dicit Do-*
Jer. 31, 31. & seqq. *minus ; & feriam domui Israel & domui Juda fœdus novum ; non secundum quod pepigi cum patribus eorum, in die qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Ægypti ; pactum quod irritum fecerunt, & ego dominatus sum eorum, dicit Dominus. Sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israel post dies illos, dicit Dominus : Dabo*

Digitized by Google

legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam, & ero eis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum. Et non docebit ultra vir proximum ſuum, & vir fratrem ſuum, dicens, Cognoſce Dominum, omnes enim cognoſcent me, a minimo eorum usque ad maximum, ait Dominus, quia propitiabor iniquitati eorum, & peccati eorum non memorabor amplius. Novi in Chriſto fœderis ſanctionem, priſtino abolito, his contineri ſcribit Paulus ad Ebræos. Jeremias quoque, triceſimo capite quod Meſſiam prænuntiare declaravimus, haud multum abſimilia habet: *Et erit dux ejus ex eo, & princeps de medio ejus producetur, & applicabo eum, & accedet ad me: & eritis mihi in populum, & ego ero vobis in Deum.* Et capite triceſimo tertio, quod ad Chriſtum quoque ſpectat: *Et emundabo illos ab omni iniquitate ſua, in qua peccaverunt mihi, & propitius ero cunctis iniquitatibus eorum, in quibus deliquerunt mihi, & ſpreverunt me.* Unde Lucas in Actis: *Huic omnes Prophetæ teſtimonium perhibent, remiſſionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes, qui credunt in eum.* Futura illa divinæ Legis, non in tabulis lapideis, ſed in piorum hominum corde deſcriptio, quam & aliis locis pollicetur Jeremias, & ab Ezechiele quoque non ſemel promittitur, novo fœderi per Chriſtum paciſcendo debetur. Chriſtianos enim ſic compellat Apoſtolus: *Epiſtola eſtis Chriſti, miniſtrata a nobis, & ſcripta, non in tabulis lapidis, ſed in tabulis cordis carnalibus.* Debetur & novo fœderi univerſalis illa, quam promittit Jeremias, Dei notitia: Iſaias enim capite undecimo, quod Meſſiæ προληπτικὸν (*prænuntium*) eſt, ſic loquitur: *Non nocebunt, & non occident in univerſo monte ſancto meo, quia repleta eſt terra ſcientia Domini, ſicut aquæ maris operientes.* Et alibi hæc ſpondet Eccleſiæ: *Ponam univerſos filios tuos doctos a Domino, & multitudinem pacis filiis tuis.* Quo reſpexit Jeſus Dominus, cum dixit apud Johannem: *Et ſcriptum eſt in Prophetis, & erunt omnes docibiles Dei.* Novo denique fœderi debetur memorata hic peccatorum abolitio, cujus potiſſimum gratia Chriſtum humano generi Deus promiſit. Ergo totam hanc prædictionem Chriſto adjudicandam eſſe ſtatuit R. Moſes ben Nachman. Ajo & Chriſti Eccleſiam ſignare poſtremum hoc capitis comma: *Sanctum Domini non evelletur, & non deſtruetur ultra in perpetuum*; nec enim Hieroſolymitanum Templum poteſt ſignare, quod funditus exciſum eſt.

Ebr. 8, 8. & ſeqq.

Jer. 30, 21. 22.

Jer. 33, 8.

Act. 10, 43.

2. Cor. 3, 3.

Iſa. 11, 9.

Iſa. 54, 13.

Joh. 6, 45.

Jer. 31, 4.

XVII. Memorabilem quoque de Chriſto prophetiam Threnis ſuis Jeremias intexuit: *Spiritus oris noſtri Dominus Chriſtus captus eſt in peccatis noſtris.* Quod quamvis Chaldæus Paraphraſtes & Rabbini plerique ad Joſiam, alii ad Sedeciam trahant, ſi quis tamen ſingulas voces accurate expenderit, vere hic notatum Meſſiam comperiet. *Spiritus oris noſtri* appellatur, quippe in quo *vivimus, & movemur, & ſumus*, inquit poſt Paulum Hieronymus; quod nonniſi coacte Joſiæ aut Sedeciæ accommodari poteſt. Dominus dicitur, quippe qui ſupremum rerum omnium tenet imperium. Captus eſſe dicitur propter peccata hominum, quod nec Joſiæ convenit, interfecto quidem, ſed non capto; niſi ſagittæ vulnere captum dicas, ut Amazonem Herculeæ ſagittæ vulnere prenſam dixit Valerius Flaccus, quod ſupra monui. Nec convenit Sedeciæ, qui non tantum alienarum, ſed ſuarum quoque noxarum meritiſſimas pœnas luit. Chriſtus vero Dominus & captus eſt, & *languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit*, ut de eo prædicavit Iſaias.

Lamentationibus Jeremiæ, Thr. 4, 20.

Act. 17, 28.

Hieron. in Thr. 4, 20.

Iſa. 53, 4.

XIIX. Poſtquam librum nomine Baruchi inſcriptum, genuinum eſſe oſtendimus, verba ipſius attuliſſe ſufficiet, ut prævisam illi & prædictam Chriſti ἐνανθρώπησιν (*humanæ naturæ aſſumtionem*) manifeſtum fiat: *Hic eſt Deus noſter, & non æſtimabitur alius adverſus eum, Hic adinvenit omnem viam diſciplinæ & tradidit illam Jacob puero ſuo, & Iſrael dilecto ſuo. Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt.* Unde hæc ſumſiſſe Johannem dicas: *Et verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis: & vidimus gloriam ejus.* Scio ambigua videri Græci exemplaris verba, quæ ſunt hujusmodi? μετὰ τοῦτο ἐπὶ τῆς γῆς ὤφθη, καὶ ἐν τοῖς ἀνθρώποις συνανεστράφη. Ita ut ὤφθη, συνανεστράφη, tam ad ὁδὸν ἐπιστήμης referri poſſint, quam ad θεός. Sed ſententiam hanc, quam admittunt verba, ratio prorſus reſpuit: nam ſi Jacobo Deus viam diſciplinæ tradidit, ſequitur in terris viſam fuiſſe, & cum hominibus vivente Jacobo converſatam. Quamobrem fruſtra ſubjunxiſſet Baruchus: *Poſt hæc in terris viſa eſt, & cum hominibus converſata.* Deinde quis tam audax eſt

Prophetia Baruchi,

Baruch. 3, 37. 38.

Joh. 1, 14.

in

in translationibus, ut dicere ausit viam disciplinæ in terris visam esse, & cum hominibus conversatam? Magno ergo consensu universus Patrum cœtus hoc testimonium juxta Vulgati Interpretis expositionem in Christianæ causæ patrocinium usurpavit.

Prophetia Ezechielis, Ezech. 34, 23. & seq. & 37, 24. & seq.

XIX. Prodeat suo ordine Ezechiel, cujus luculentæ quoque extant de Christo prædictiones. Cum enim tricesimo quarto capite pastorum populi sui avaritiam & injustitiam expostulasset Deus, exauctoratis iis se gregis sui curam gesturum ipse promittit, morbidas oves sanaturum, errantes quæsiturum, & in uberrima pascua, lætissimasque sedes deducturum, ubi summa pace fruantur. Tum subjicit: *Et suscitabo super eas pastorem unum, qui pascat eas servum meum David: ipse pascet eas, & ipse erit eis in pastorem. Ego autem Dominus ero eis in Deum, & servus meus David princeps in medio eorum: ego Dominus locutus sum. Et faciam eis pactum pacis.* Deinde: *Et suscitabo eis germen nominatum: & non erunt ultra imminuti fame in terra, neque portabunt ultra opprobrium gentium. Et scient quia ego Dominus Deus eorum cum eis, & ipsi populus meus domus Israel, ait Dominus Deus. Vos autem greges mei, greges pascuæ meæ, homines estis, & ego Dominus Deus vester, dicit Dominus Deus.* Iterantur hæc eadem tricesimo septimo capite: *Servus meus David, rex super eos, & pastor unus erit omnium eorum.* Rursum: *David servus meus, princeps eorum in perpetuum: & percutiam illis fœdus pacis, pactum sempiternum erit eis, & fundabo eos, & multiplicabo eos, & dabo eis sanctificationem meam in medio eorum in perpetuum. Et erit tabernaculum meum in eis, & ero eis Deus, & ipsi erunt mihi populus. Et scient gentes, quia ego Dominus sanctificator Israel, cum fuerit sanctificatio mea in medio eorum in perpetuum.* His Messiam præmonstrari multis approbare possumus. Primum Pastoris personam gerit: sic de eo Isaias quadragesimo capite, quo capite Messiam prædici ostendimus: *Sicut pastor gregem suum pascet: in brachio suo congregabit agnos, & in sinu suo levabit, fetas ipse portabit:* sic & de se ipse Dominus noster Jesus apud Johannem: *Ego sum pastor bonus:* sic eum Petrus in Epistola priore pastorem & Episcopum animarum nostrarum, & principem pastorum, & Paulus pastorem magnum ovium appellat. Servus Dei dicitur: sic de eo Deus apud Isaiam: *Ecce servus meus, suscipiam eum;* & alio loco: *Quis ex vobis timens Dominum, audiens vocem servi sui?* & iterum: *Ecce intelliget servus meus, exaltabitur, & elevabitur, & sublimis erit valde;* deinde: *In scientia sua justificabit ipse justus servus meus multos;* & apud Zachariam: *Ecce enim ego adducam servum meum Orientem.* Quapropter servili schema prodit Dominus Jesus; unde Paulus de eo: *Semetipsum exinanivit, formam servi accipiens.* David appellatur, & princeps, & rex, & germen: sic apud Jeremiam; *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & suscitabo David germen justum, & regnabit rex, & sapiens erit:* & alibi: *Non dominabuntur ei amplius alieni, sed servient Domino Deo suo, & David regi suo, quem suscitabo eis:* parentis Davidis nomen ita gerente filio Messiæ; quemadmodum & apud Aggæum Zorobabelis nomen eamdem ob causam Christo tribuitur. Sic & apud Isaiam: *Parvulus natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum ejus:* præterea: *Ecce testem populis dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus.* Hinc Angelus ad Mariam de Christo Jesu, apud Lucam; *Dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, & regnabit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis:* & de eodem Petrus in Actis: *Hunc principem, & Salvatorem Deus exaltavit dextera sua.* Fœdus icturum se cum populo suo pollicetur Deus: sic apud Isaiam: *Feriam vobiscum pactum sempiternum, misericordias David fideles:* sic & apud Jeremiam: *Ecce dies venient, dicit Dominus, & feriam domui Israel & domui Juda fœdus novum.* Pacem hoc fœdere sancitum iri ait: sic Isaias de Messiæ temporibus: *Habitabit lupus cum agno:* & alibi: *Non erit ibi leo, & mala bestia non ascendit, nec invenietur:* sic Christus apud Jeremiam: *Revelabo illis deprecationem pacis. Pavebunt & turbabuntur gentes in universis bonis, & in omni pace quam ego faciam eis:* & apud Oseam: *Et percutiam cum eis fœdus in die illa cum bestia agri, & cum volucre cœli, & cum reptili terræ, & arcum, & gladium, & bellum conteram de terra, & dormire eos faciam fiducialiter.* Unde & Paulus de Christo Jesu: *Ipse enim est pax nostra.* Ergo ad Messiam hæc Ezechielis sine controversia a Judæis referuntur, maxime vero ab Abrahamo

Isa. 40, 11. Joh. 10, 11. 1. Petr. 2, 25. & 5, 4. Ebr. 13, 20. Isa. 42, 1. & 50, 10. & 52, 13. & 53, 1. Zach. 3, 8. Phil. 2, 7. Jer. 23, 5. & 30, 9. 10. Agg. 2, 24. Isa. 9, 5. & 53, 4. Luc. 1, 32. 33. Act. 5, 31. Isa. 55, 3. 4. Jer. 31, 31. Isa. 11, 6. & 35, 9. Jer. 33, 6. 9. Ose. 2, 18. Ephes. 2, 14.

Digitized by Google

hamo Aben Ezra, & Davide Kimchi; & Davidis nomine Messiam nosci Thalmud docet. Nonnulli tamen ex hoc Judæorum grege, quos olim etiam Christianos quosdam esse
Theod. in Ez. 34, 23. Ezech. 37, 26. 28. affectatos conqueritur Theodoretus, & quos novissime secutus est Grotius, Zorobabelem hic agnoscere malunt, Templumque Zorobabelis tempore instauratum per hæc verba exprimi censent: *Et dabo sanctificationem*
Hieron. in Ez. 37, 26. *meam*, sive juxta Hieronymum, *Sanctuarium meum in medio eorum in perpetuum:* deinde: *Et scient gentes, quia ego Dominus sanctificator Israel, cum fuerit sanctificatio mea in medio eorum in perpetuum.* Certe Templum illud a Romanis excisum est, neque perseverabit in perpetuum. Egregie
Theod. in Ez. 37, 23. 24. præterea demonstrat Theodoretus, minime Zorobabelis temporibus convenire, quæ hic
Ezech. 34. 27, 28. pollicetur Deus: *Erunt in terra sua absque timore:* tum: *Habitabunt confidenter absque ullo terrore:* postquam enim Babylone reversi sunt Judæi, crebris insidiis appetiti, & apud Persarum reges perduellionis accusati sunt, ita ut Templi & Urbis instauratio intermitteretur. Cum vero Urbis reparandæ licentiam deinde impetrarunt Nehemiæ temporibus, tanta illos incessit circumstantium populorum formido, ut altera manu opus facerent, gladium altera tenerent. Addit deinde Theodoretus, neque in Zorobabelem ipsum cadere, quæ hic de Davide commemorantur; nam δημαγωγὸς (*populi ductor*) fuit, non Rex; nec fuit *princeps in perpetuum.*
Ezech. 37, 5. Potior ergo videtur sententia Hieronymi,
Hieron. in Ez. 37, 27. hæc ad Ecclesiam Christi Jesu, ipsiusque tempora accommodantis, cum sanctitate imbutis piorum animis, Spiritu inter illos habitavit, non corpore solum; positaque in eorum mentibus sede, Templum illic æternum sibi constituit. Quod & penitus confirmat Paulus, cum sic Corinthios alloqui-
2. Cor. 6, 16. tur: *Vos estis Templum Dei vivi, sicut dicit Deus: Quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo inter eos, & ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus.* Quæ cum scriberet, loca memorata Ezechielis procul dubio animo versabat.

Prophetia Danielis. XX. *Illud in præfatione commoneo,* inquit Hieronymus de Daniele, in Procemio Commentariorum, *nullum Prophetarum tam aperte dixisse de Christo. Non enim solum scribit eum esse venturum, quod est commune cum cæteris; sed etiam quo tempore venturus sit docet, & reges per ordinem digerit, & annos enumerat, ac manifesto signo prænuntiat* quæ totidem fere verbis Theodoretus declaravit. Unde Porphyrius, qui Danielem sibi insectandum proposuerat, non tam ventura dixisse illum, quam præterita narrasse jactabat. Verum ejus *impugnationem testimonium veritatis esse*, optime dictum est ab Hieronymo. Deinde num & Jesu recentiorem
Dan. 2, 34. & seq. dicet Libri Auctorem, qui tempus ejus aperte prædixit? Nos itaque vaticinia ejus de Christo colligentes, a secundo ordiemur capite, in quo symbolum Christi est, ejusque regni, lapis ille de monte sine manibus abscissus, qui post comminutam statuam πολυμιγῆ (*ex variis rebus conflatam*) in tantum excrevit montem, ut orbem universum compleret: quo regnum portendi docuit Propheta, nullis unquam mutationibus obnoxium, sed æternum, & universa olim terræ regna, non ope humana, sed Dei nutu & virtute eversurum. Lapidis quidem typo Christum exprimi, & in Psalmis, & apud Isaiam, supra
Isa. 2, 2. jam observavimus. Montis item specie eum adumbrati, in Isaiæ secundo capite dictum est a nobis. Regni Christi æternitatem alio quoque loco prædicat Daniel: *Potestas*, in-
Dan. 7, 14. quit, *potestas æterna quæ non auferetur, & regnum ejus quod non corrumpetur:* prædicat & Michæas, cum ait: *Regnabit Dominus*
Mich. 4, 7. *super eos in monte Sion, ex hoc nunc & usque in æternum.* Unde Lucas de Domino Jesu: *Regnabit in domo Jacob in æternum, & regni*
Luc. 1, 33. *ejus non erit finis.* Universis quoque regnis excidio futurum Psalmus secundus præcinit: *Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli*
Psal. 1, 9. *confringes eos:* & Isaias: *Gens & regnum*
Isa. 60, 12. *quod non servierit tibi peribit, & gentes solitudine vastabuntur.* In alia fuerunt opinione Judæi quidam, atque item Porphyrius, qui montem illum magnum, a parvis initiis in tantam molem provectum, ad Israeliticam gentem referebant, quam in fine seculorum ad summam amplitudinem evectum iri, regnisque omnibus superiorem fore arbitrabantur. Verum præterquam quod regnum illud in æternum fore perseveraturum dicere ineptum est, vanitas eorum propterea coarguitur ex Bereshith Rabba, & ex Midrasch Thehillim, & ex Aben Ezra, & ex R. Selomoh, & ex R. Saadia, & ex R. Levi ben Gherson,

Digitized by Google

Gherſon, & ex Joſephi Jachiadæ Paraphraſi in Danielem, & ex Thalmude ipſo, in libro Sanhedrin, capite undecimo; in quibus iſta Danielis Meſſiæ adjudicantur.

Poſteriorem Chriſti adventum ſpectat nobiliſſima illa Danielis prædictio, quæ continetur ſeptimo capite: *Aſpiciebam in viſione noctis, & ecce cum nubibus cœli, quaſi Filius hominis veniebat, & usque ad Antiquum dierum pervenit, & in conſpectu ejus obtulerunt eum. Et dedit ei poteſtatem, & honorem, & regnum: & omnes populi, tribus & linguæ ipſi ſervient: poteſtas ejus, poteſtas æterna, quæ non auferetur, & regnum ejus quod non corrumpetur.* Hoc ipſum de Chriſto prænuntiabat David, cum diceret: *Dixit Dominus Domino meo, Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum. Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion, dominare in medio inimicorum tuorum:* & alibi: *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum ejus, prædicans præceptum ejus. Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te: poſtula a me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ. Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos. Et nunc Reges intelligite, erudimini qui judicatis terram, ſervite Domino cum timore, & exultate ei cum tremore.* Hoc idem Ezechieli viſum eſt, quod Danieli: *Et ſuper firmamentum, quod erat imminens capiti eorum, quaſi aſpectus lapidis ſapphiri ſimilitudo throni, ſimilitudo quaſi aſpectus hominis deſuper.* Viſum eſt & Johanni in Apocalypſi: *Et vidi,* inquit, *& ecce nubem candidam, & ſuper nubem ſedentem ſimilem Filio hominis, habentem in capite ſuo coronam auream, & in manu ſua falcem acutam.* Ait alio loco Johannes, Verbum Dei ſe vidiſſe, ſedens in equo albo, caput diadematis multis revinctum, cœleſtibus exercitibus comitatum, gladium ore vibrans, quo gentes ulturum eſt, utpote miniſtrum iræ omnipotentis Dei, veſte indutum inſcripta hoc titulo, Rex Regum, & Dominus dominantium. Ergo Paulus ſcribebat ad Epheſios, Jeſum Dominum, poſtquam excitatus fuit ad vitam, ad Dei dextram in cœlo fuiſſe collocatum, ſupra omnem poteſtatem & virtutem & dominationem, non hujus ſolum ſeculi, ſed & futuri; omnibusque infra ejus pedes ſubjectis, caput Eccleſiæ fuiſſe conſtitutum. Scribebat & ad Philippenſes futurum, ut in nomine Jeſu omne genu flecteretur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum, ejusque gloriam gentes omnes agnoſcerent. Nec abſimilia ſunt, quæ leguntur initio Epiſtolæ ad Ebræos. Ipſe quoque Jeſus verba Danielis, coram Caipha, omnique impiorum conſeſſu ſibi arrogavit: *A modo videbitis Filium hominis ſedentem a dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cœli.* Item quod ait Daniel, perveniſſe Filium hominis ad Antiquum dierum, hoc de ſe non ſemel Jeſus Dominus prædicavit, cum ſe ad Patrem vadere diceret. Addit Daniel, traditam Filio hominis poteſtatem ab Antiquo dierum: idem quoque ſibi a Patre conceſſum Jeſus nos docuit: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra.* Quæ vero hic Filio hominis dominationis æternitas portenditur a Daniele, eadem & ab hoc præmonſtrata eſt regno illi, cujus typus mons ille ingens fuit, ex lapidis fragmine ortus; in ſomnis Nabuchodonoſori viſus, quo Chriſtum præſignificatum eſſe proxime oſtendimus. Chriſtianæ interpretationi Judaica conſentit; Filium enim hominis hic deſcriptum, Meſſiam eſſe traditur in libro Sanhedrin, capite ultimo, & in Bereſith Rabba, & in Midraſch Thehillim. Ita intellexerunt R. Aben Ezra, & R. Selomoh Jarchi; ita Saadias Gaon, & R. Abraham Seba in Faſciculo Myrrhæ; ita denique Joſephus Jachiades in Explanatione Danielis. Nec his tamen abſterritus eſt Grotius, quominus alia omnia fingeret, & ut lapide illo, quo pedes ſtatuæ contriti ſunt, ſic Filio hominis Populum Romanum a Daniele ſignatum pertenderet; cui poſtquam ſingulas vaticinii partes utcunque accommodare conatus eſt, tum vero nubes illas, cum quibus veniſſe narratur Filius hominis, ſic interpretatur, quaſi ad ſignificandam ſummam celeritatem & motum rapidum, quo in omnes partes ferebatur, hæc poſita ſint. Quapropter dici vult veniſſe Filium hominis cum nubibus cœli, pro eo quod dici debuerat, tanquam nubes cœli. Cui approbando locum affert e quarto capite Jeremiæ: *Ecce quaſi nubes aſcendet, & quaſi tempeſtas currus ejus.* Verum ut mittam præpoſitionis ב ſignificationem, quæ nunquam deſervit comparationi, quid fiet Ezechielis teſtimonio quod adduximus, in quo eadem ipſi

Dan. 7, 13. 14.
Pſ. 109, 1. & ſeq.
Pſal. 2, 6. & ſeq.
Ez. 1, 26.
Apoc. 14, 14.
Apoc. 19, 11. & ſeq.
Eph. 1, 20. & ſeq.
Phil. 2, 9. & ſeq.
Matth. 26. 64.
Joh. 16, 16.
Act. 1, 9.
Matth. 28. 18.
Jer. 4. 13.
Ezech. 1, 26.

Digitized by Google

ipsi in cœlo visa referuntur, quæ vidit Daniel? quid illis Apocalypseos, in quibus Filius hominis nubibus insidens & cœlo invectus describitur? quid illo Psalmi centesimi noni, & altero Pauli, in quibus Christus ad dextram Dei collocatur? quid illo denique Jesu ipsius, qui venturum se in nubibus cœli denuntiat? Profecto mirifica hæc Scriptorum sacrorum consensio veram loci sententiam omnino aperit.

Apoc. 14, 14. Psl. 109, 1. 2. 3. Eph. 1, 20. Matth. 26, 64.

At omnem exceptionem superat splendidum & memorabile testimonium, capiti nono insertum, quo Danieli postfuturarum rerum noscendi avido Gabriel, non quæsita solum sequentium annorum mysteria, sed alia quoque longe abstrusiora declarat. *Septuaginta*, inquit, *hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, & super Urbem sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur justitia sempiterna, & impleatur visio & Prophetia, & ungatur Sanctus sanctorum.* His signari Messiam ajo; nam noxarum abstersionem spondet, quod Messiæ proprium munus esse constat. Justitia illa sempiterna Christus est, de quo in Psalmo septuagesimo primo: *Orietur in diebus ejus justitia, & abundantia pacis, donec auferatur Luna:* de quo apud Isaiam: *Judicabit in justitia pauperes, & arguet in æquitate pro mansuetis terræ:* tum alibi: *Ego Dominus vocavi te in justitia:* & rursum: *Prope est justus meus, egressus est Salvator meus:* & postmodum: *In scientia sua justificabit ipse Justus servus meus multos:* Deinde: *Propter Sion non tacebo, & propter Jerusalem non quiescam, donec egrediatur ut splendor Justus ejus, & Salvator ejus ut lampas accendatur. Et videbunt gentes Justum tuum, & cuncti Reges inclytum tuum:* & postea sic Christus ipse de se: *Ego qui loquor justitiam.* Clarissime vero Jeremias: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & suscitabo David germen justum, & regnabit rex, & sapiens erit, & faciet judicium & justitiam in terra. In diebus illis salvabitur Juda, & Israel habitabit confidenter, & hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus Justus noster;* vel juxta aliorum interpretationem: *Dominus justitia nostra.* Addamus & hoc Zachariæ: *Ecce rex tuus veniet tibi Justus & Salvator.* Ex his Paulus sic de Christo Jesu: *Qui factus est nobis sapientia a Deo & justitia.* Implendam Christi temporibus prophetiam tradit Daniel, quod &. de se Dominus Jesus tradit apud Matthæum: *Omnes enim Prophetæ & Lex usque ad Johannem prophetaverunt.* Sanctum sanctorum ungendum prædicit, hoc est Messiam futurum, sive Christum, sive ut veteres quosdam Interpretes dictionem hanc reddidisse notat alicubi Lactantius, ἠλειμμένον *(Unctum)* Aquilam significans. Inde Petrus Judæos increpitans Sanctum & Justum appellat Christum Jesum. Sic & de eo Christiani in Actis: *Convenerunt vere in civitate ista adversus sanctum puerum tuum Jesum, quem unxisti, Herodes & Pontius Pilatus:* & Johannes in Epistola prima: *Vos unctionem habetis a Sancto.* Nec a nostra discrepat R. Mosis ben Nachman in loci hujus interpretatione sententia, aliorumve Judæorum, quorum opinionem exponit Hieronymus. Pergit Daniel: *Scito ergo & animadverte: Ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Jerusalem usque ad Christum ducem, hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duæ erunt, & rursum ædificabitur platea & muri in angustia temporum.* Christum illum ducem, Cyrum esse putant R. Selomoh, & R. Joseph Jachiades; Nehemiam, Aben-Ezra; Zorobabelem, Judæi recentiores plerique; quæ Rabbinica sapientia digna sunt. Nam manifesto post hebdomades novem & sexaginta futurus esse dicitur Unctus ille; quem si Cyrum esse dicas, vel Zorobabelem, vel Nehemiam, unde ducetur hebdomadum illarum numerandi initium? præterea idem hic est Unctus, ac Sanctus sanctorum proxime memoratus: quod de Cyro dicere absurdum est, nec aliis satis convenit: quamvis enim sanctitudine floruerint Zorobabel & Nehemias, num justitia æterna temporibus illorum in orbem inducta est? num elisæ sunt vitiorum stirpes, & scelerum radix recisa est? Hæc autem in Messiam congruunt, verum piorum ducem, juxta hoc Isaiæ: *Ecce testem populis dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus:* & istud Jeremiæ: *Et erit dux ejus ex eo:* sed audire pergamus Danielem: *Et post hebdomades septuaginta duas occidetur Christus, & non erit ejus populus qui eum negaturus est: & civitatem & sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, & finis ejus vastitas, & post finem belli statuta desolatio.*

Dan. 9, 24. & seq. Psal. 71, 7. Isa. 11, 4. Isa. 42, 6. & 51, 5. Isa. 53, 11. Isa. 62, 1. 2. Isa. 63, 1. Jer. 23, 5. 6. Zach. 9, 9. 1. Cor. 1, 30. Matth. 11, 13. Lact. l. 4. c. 7. Act. 3, 14. & 4, 27. 1. Joh. 2, 20. Hieron. in Dan. 9. Dan. 9, 25. Isa. 55, 4. Jer. 30, 21. Dan. 9, 26. 27.

Digitized by Google

tio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una, & in dimidio hebdomadis deficiet hostia & sacrificium: & erit in Templo abominatio desolationis, & usque ad consummationem & finem perseverabit desolatio. Hæc a Christo Jesu notata sunt, cum ad Discipulos de excidio Templi verba faceret, & cum Emmauntiis viatoribus diceret: *Sic scriptum*
Luc. 24, 46 *est, & sic oportebat Christum pati.* Porro redintegratio illa & confirmatio fœderis, pertinet ad Christum, quo sequestro fœdus sempiternum initurum se pollicetur Deus, eumque ipsum *in fœdus populi* daturum se spondet. Quibus cum Christianam caussam magnopere firmari Judæi intellexissent, pravis interpretationibus ea pervellere conati sunt. Igitur R. Saadias Gaon in Libro fidei, Messiam illum mactandum, signum esse vult eorum, qui hoc tempore obtinebunt sacerdotium. Quasi post instaurationem Templi ulla fuerit Sacerdotum unctio. Deinde quis non intelligit, unum hic eumdemque Messiam a Daniele signari, quem & Sanctum sanctorum, & Christum ducem appellat, & olim necandum esse prædicit? nam si tres diversi fuissent, & Sanctus sanctorum, & Christus dux, & qui necandus erat, distinxisset, utique, neque errori caussam præbuisset. Hinc refellitur & R. Selomoh, qui trucidandum Messiam, Agrippam esse statuit. Ineptior etiam Jachiades, qui Christum illum occidendum interpretatur Templum, Cyri nutu restitutum, & olim exscindendum: nam quis concedat Gabrielem res obscuras Danieli exponentem, tam intricata, tam absona metaphora usum, & tam variis interpretationibus opportuna? Quis ædem Deo consecratam, Christum; quis ejus destructionem, necem dictam putet? Christi quidem typus Templum esse potuit, & fuit; at Templi typus Christus haudquaquam fuit: scitum est enim, rem figuratam figura nobiliorem esse debere. Præterea proxime commemoratur futura illa Templi destructio: *Et civitatem, & sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, & finis ejus vastitas*: & paulo post: *Et erit in Templo abominatio desolationis.* Quid ergo attinebat μεταφορικῶς καὶ αἰνιγματωδῶς (*metaphorice & ænigmatice*) proponere, quod mox ἰδιωτικῶς καὶ σαφῶς (*vulgariter & aperte*) enuntiaturus erat? Alia & saniora de totius hujus loci sensu opinati sunt vetusti illi Ebræi, quorum sententiam Hieronymus suis in Danielem Commentariis inserit: nam & Justitiam sempiternam, & Sanctum sanctorum, & Christum ducem, & Christum occidendum, unum idemque significare censuerunt, Messiam videlicet Patribus promissum. Quæ profecto priscis temporibus adeo pervulgata fuit & communi omnium consensu recepta interpretatio, ut in Libro temporum de hoc Danielis prædicto pronuntiaverit Africanus, *Nulli dubium esse, quin de adventu Christi prædictio sit.* Nec recentiores Ebræos complures hanc majorum suorum doctrinam tueri puduit.

Hieron. in Dan. 9.

Afric. apud Hieron. in Dan.

XXI. Inter Oseæ vaticinationes imprimis celebratur illa: *Dies multos sedebunt filii Israel, sine rege, & sine principe, & sine sacrificio, & sine altari, & sine Ephod, & sine Theraphim. Et post hæc revertentur filii Israel, & quærent Dominum Deum suum, & David regem suum: Et pavebunt ad Dominum, & ad bonum ejus, in novissimo dierum.* Regem hunc David, Christum esse ajo, qui avum suum nomine refert, & hic, & apud Ezechielem, & apud Jeremiam, uti supra non semel observavimus. Atque hunc ab Israelitis quæsitum iri prædicit Propheta, postquam diu propriis religionis suæ ritibus, proprioque regimine caruerint. Hoc nunc fieri cernimus; illud ecquando futurum sit, novit Deus. Messiam quidem hic notari traditur in Thargum Jonathanis Uzielidæ, & in libro Beracoth Hierosolymitano, & apud Rabbinos plerosque. Quo vero tempore rege & sacrificiis, vel caruisse, vel carituros fore Israelitas velit Propheta, disputant Interpretes. Quidam Salmanasaream deportationem intelligunt hoc adducti Oseæ effato, quo Israelitis interendam ab Assyriis calamitatem prænuncians, dicturos eos ait, *Non est rex nobis, non enim timemus Dominum.* Judæos vero scribit Hieronymus ad Babylonicam captivitatem hæc referre, qua demum exemti patrias sedes repetierunt, Zorobabele duce, quem hic Davidis nomine indicari existimant. Atque hanc opinionem amplexi sunt Theodoretus & Theophylactus: amplexus est & Grotius. Alii tempora reditum illum consecuta hic intelligunt, quibus neque legitimos reges agnoverunt Israelitæ, neque legitimos Sacerdotes, & Christum Jesum Davide prognatum, ejurata prisca religione,

Prophetia Oseæ. Ose. 3. 4. 5.

Ose. 10. 3.

Theod. & Theoph. in Ose. 3. Grot. in Ose. 3.

gione, ducem secuti sunt. Nam quod prædicit Propheta, futurum hoc *in novissimo dierum*, hoc ipsum habent Isaias, & Michæas, cum de Christo ajunt: *Et erit in novissimo dierum, erit mons domus Domini præparatus in vertice montium:* item Petrus ex Joele: *Et erit in novissimis diebus, effundam de Spiritu meo super omnem carnem.* Alii denique, puta Hieronymus, Augustinus, Christianorumque bona pars, præsentem reliquiarum Judaicarum διασπορὰν (*dispersionem*) signatam putant ab Osea, qua tamdiu extorres jactabuntur, quod Christo jugo colla submittant. Interpretationem hanc valde mihi probabilem, ac veri similimam facit illud Pauli: *Cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret, & sic omnis Israel salvus fieret, sicut scriptum est; Veniet ex Sion, qui eripiat, & avertat impietatem a Jacob. Et hoc illis a me Testamentum, cum abstulero peccata eorum.* Quidam etiam varios illos Israelitarum casus una ista prædictione designari contendunt. Sunt & aliæ Prophetæ hujus vaticinationes, quas ad Christum pertinere nec Judæi diffitentur. Velut illa: *De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos: Ero mors tua, o mors; morsus tuus ero, inferne:* quam Beresith Rabba addicit Christo. Item illa: *Sanabo contritiones eorum*, quibus Thargumista, & liber Joma pœnitentiam hominum, & remissionem peccatorum per Messiam futuram notari sentiunt.

Isa. 2, 2. Mich. 4, 1. Joel. 2, 28. Act. 2, 17. Rom. 11, 25. 26. & seq. Osc. 13, 14. Osc. 14, 5.

Prophetia Joelis. Joel. 2, 23. & seq.

XX. De Christo etiam agitur in istis Joelis: *Filii Sion exultate, & lætamini in Domino Deo vestro, quia dedit vobis Doctorem justitiæ.* Scio ambiguitatem inesse voci מורה, quæ & *doctorem* & *pluviam* sonat, & quæ hic a nonnullis in posteriorem significationem trahitur. Aliter Chaldæus Interpres, aliter Septuaginta, & Vulgatus quoque. Aliud etiam suadet ipsa verborum convenientia, in quibus aptius est dicere *Doctorem justitiæ*, quam *pluviam justitiæ.* Idem suadet & Osee, cum ait de Christo venturo: *Tempus requirendi Dominum, cum venerit qui docebit vos justitiam.* Utrobique Doctor illæ justitiæ, Christus intelligendus est. Sin vertere malis *pluviam justitiæ*, Christum nihilominus intelligito, qui & pluviæ symbolo notatur in Psalmis: *Descendet sicut pluvia in vellus:* ubi & istud subnectitur: *Orietur in diebus ejus justitia.* Ita apud Malachiam Christus appellatur *Sol justitiæ.* Designari autem Christum hoc Joelis loco sequentia ostendunt: *Et scietis quia in medio Israel, ego sum, & ego Dominus Deus vester, & non est amplius; & non confundetur populus meus in æternum. Et erit post hæc, effundam spiritum meum super omnem carnem, & prophetabunt filii vestri, & filiæ vestræ: senes vestri somnia somniabunt, & juvenes vestri visiones videbunt:* quæ quomodo sumenda sint, docet nos Petrus in Actis Apostolorum. Sed & R. Saadias Gaon in Libro fidei, & R. Machir in Pulvere aromatico, aliique Rabbinorum eruditissimi, hæc Messiæ temporibus accommodant. Quo & nos invitat illud, quod paulo post subjicit Joel: *In monte Sion, & in Jerusalem erit salvatio.* Simile hujus apud Isaam prædictionis de Messiæ: *De Sion exibit lex, & verbum Domini de Jerusalem.* Consentienti huic Interpretum sententiæ contradicere ausus est Grotius, recoctaque veteri quadam prædicti hujus interpretatione, quam Rufino tribui video, Doctorem illum justitiæ Isaiam esse statuit; nec aliis tamen rationibus approbavit, quam quod Isaiæ temporibus Prophetæ & Prophetides extiterint, ipsiusque Isaiæ filii vaticinationes ediderint. Quasi vel ante Isaiam, vel post illum, nulli inter Judæos Prophetæ fuerint, vel Prophetides. Majus autem & largius gratiæ cœlestis donum, ac sancti Spiritus infusionem pollicetur apud Joelem Deus, quam priscis temporibus hominum generi concesserat; quod Isaiæ ævo minime contigit. Quod autem probare nititur, Isaiæ filios futura prædixisse, ex his ipsius verbis: *Ecce ego, & pueri mei, quos dedit mihi Dominus in signum & portentum Israel*, frustra est, cum inde colligi nequeat, quod vult. Concedamus tamen id de filiis Isaiæ: probet de filiabus: ait enim Joel: *Prophetabunt filii vestri, & filiæ vestræ:* probet itidem de ancillis & servis, quos Spiritus sancti aura afflatum quoque iri Joel prædixit.

Mal. 4, 2. Joel. 2, 27. 28. Act. 2, 17. Joel. 2, 32. Isa. 2, 3. Isa. 8, 18.

XXII. Est & Christi ac Ecclesiæ προλεπτικὸν (*prænuntium,*) id quod profatur Amos: *In die illa suscitabo tabernaculum David quod cecidit, & reædificabo aperturas murorum ejus, & ea quæ corruerunt instaurabo, & reædificabo illud, sicut in diebus antiquis, ut possideant reliquias Idumeæ, & omnes nationes, eo quod invocatum*

Prophetia Amos. Amos 9, 11. & seq.

Digitized by Google

invocatum sit nomen meum super eos, dicit Dominus faciens hæc. Ut superiora Joelis Petrus, sic ista Amosi Jacobus quo pertineant, Act. 15, 13. & seq. ostendit in Actis; ad Christum nimirum, & gentes sub ejus jugum cogendas. Nec infitiantur Judæi, qui in capite ultimo Thalmudici libri Sanhedrin, memoratum hic Tabernaculum David, Messiam esse volunt. Redeunt vero ad ingenium suum Judæi, cum prolixas loci hujus pollicitationes, tum ubertatis terræ, & fructuum proventus, tum diuturnitatis imperii & amplificationis ac securitatis, κατὰ λέξιν *(ad verbum)* sumi volunt, eoque Hieron. in Amos 9. nomine Hieronymo pœnas dant. Et merito sane; tales enim esse fructus hic ab Amoso promissos intelligere par est, qualis ea fames est, cui sedandæ comparantur hi fructus & promittuntur. Cujusmodi autem fames illa Amos 8, 11. sit, palam fecit Amosus ipse, cum dixit: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & mittam famem in terram; non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbum Domini.* Animadvertendum ergo idem a Grotio est, qui lethali literæ inhærens σαρκικῶς hæc & Judaice intellexit; & Tabernaculum illud David, cujus instaurationem spondet Propheta, domum David a Zorobabele reparatam esse docuit. Quod quam verum sit, patet ex iis, in quibus Prophetiam suam Amosus claudit: *Et non evellam eos ultra de terra sua quam dedi eis, dicit Dominus Deus tuus.* Sedibus enim suis ita depulsa & exterminata est Judaica gens, ut nulla unquam longioribus & infelicioribus exiliis damnata esse feratur. Sed nec omnes nationes Judaico imperio subjectæ sunt, vel Zorobabelis temporibus, vel sequenti ætate; imo in alienam Judaica ipsa gens ditionem Act. 15, 16. concessit. At Christus Davide oriundus τὴν σκηνὴν Δαβὶδ ἀνέστησε, *(reædificavit Tabernaculum David)* cum juxta Evangelistæ verba, Joh. 1, 14. ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο, καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν. *(Verbum caro factum est, & habitavit in nobis)* æternumque a Deo accepit regnum, crebris vaticiniis prædictum, & Davidi promissum. Optime hæc a Theodoreto adnotata sunt adversus eam sententiam, quam deinde amplexus est Grotius, & quæ jam ipsius ævo invaluerat, & a Cyrillo quoque propugnata est; sed ita tamen, ut hunc esse historiæ sensum vellet, alium autem veriorem ad Christum pertinentem illic inesse censeret.

Prophetia Abdiæ. XXIV. *Et in monte Sion erit salvatio*, inquit Abdias, *& erit sanctus: & possidebit domus Jacob eos, qui se possederant. Et erit domus Jacob ignis, & domus Joseph flamma, & domus Esau stipula, & succendentur in eis, & devorabunt eos, & non erunt reliquiæ domus Esau, quia Dominus locutus est.* Quoniam salutares suas leges Hierosolymis primum & in Sione laturus erat Christus, unde per totum orbem promulgandæ erant; idcirco & hic Abdias, & supra Joel, in Sione salutem Joel. 2, 32. per Christum fore propositam prædicunt, & de Sione legem ac Domini verbum exiturum per Christum Isaias prodidit; Ignis quoque Isa. 2, 3. symbolo sæpe adumbratur Christus, & ignitus describitur; præcipue vero apud Ezechielem, & in Apocalypsi Johannis. Mosi in Ezech. 1, 27. & 8, 2. Apoc. 1, 14. & 2, 18. & 19, 12. ardente rubo, & inter Sinai montis flammas locutum fuisse Christum, Justini, Origenis, Hieronymi, aliorumque Ecclesiæ Magistrorum contestata sententia est. Quo pertraxisse videtur eos Paulus in Epistola ad Ebræos, cum collatis inter se & compositis, hinc ardente ac procelloso Sinai, inde Sione ac Hierosolymæ cœlesti; hinc tubæ sono & formidolosa illa, ac terribili voce inde Ecclesia primitivorum ac Testamenti novi sequestro Jesu, subjungit: *Videte ne re-* Ebr. 11, 25. 29. *cusetis loquentem: si enim illi non effugerunt, recusantes eum qui super terram loquebatur; multi magis nos, qui de cœlis loquentem nobis avertimus.* Quasi eumdem velit utrobique fuisse locutum. Et demum: *Etenim Deus* Luc. 12, 49. *noster ignis consumens est.* Quocirca hæc ajebat Jesus ipse de se: *Ignem veni mittere in terram: & quid volo nisi ut accendatur?* Abdiæ vero penitus consonat Isaias, cum ait: *Dixit Dominus, cujus ignis est in Sion, &* Isa. 31, 9. *caminus ejus in Jerusalem.* Quod autem adjicit Abdias: *Et non erunt reliquiæ do-* Abd. 18. *mus Esau:* hoc ipsum de Christo a Balaamo prædictum vidimus: *Erit Idumæa pos-* Num. 24, 17 *sessio ejus, & erit possessio ejus Seir:* cui prædictioni ex altera hac Abdiæ R. Selomoh lucem affert, utpote significationis ejusdem, & ad Messiam spectantis. Par est illa Amosi proxime a nobis allata, & Messiæ itidem prænuntia: *Suscitabo Taberna-* Amos 9, *culum David, ut possideant reliquias Idumæa,* 11. 12. *& omnes nationes, eo quod invocatum sit nomen meum super eos; dicit Dominus faciens hæc.* In hoc denique commate prophetia Abdiæ con- Abd. 21. cluditur: *Et ascendent salvatores in montem*

Digitized by Google

Sion judicare montem Esau, & erit Domino regnum. Messiæ hæc adscribit doctissimus Rabbinorum Maimonides: adscribimus & nos, & *Salvatores* Messiam ac Messiæ ministros dictos censemus. Sion vero, unde primum nova Christi lex proficisci, & in qua Ecclesia fundari debuit, Ecclesiam illam significat: Esau vero, Ecclesiæ perduelles. Cæterum & hi, & illa, Christum regem sunt agnituri, ut apertissime in secundo Psalmo de se ipse Christus prædicat: *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, prædicans præceptum ejus. Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula a me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Hinc adeo Jesus Dominus dictus est Jesus: *Vocabis nomen ejus Jesum*, ait Josepho Angelus; *ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* Hinc & regnum illi æternum portenditur: *Et regnabit*, ait Mariæ Angelus, *in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis.* Hinc & in Actis Petrus: *Principem & Salvatorem* eum appellat. Hinc denique a Prophetis Regem, ducem, principem ac præceptorem dictum eum supra observavimus.

Psal. 2, 6. & seq. Matth. 1, 21. Luc. 1, 33. Act. 5, 31.

Prophetia Michææ, Mich. 2, 12. 13.

XXV. *Congregatione congregabo, Jacob, totum te; in unum conducam reliquias, pariter ponam illum quasi gregem in ovili, quasi pecus in medio caularum: tumultuabuntur a multitudine hominum; ascendet enim pandens iter ante eos: dividet & transibunt portam, & ingredientur per eam: & transibit rex eorum coram eis, & Dominus in capite eorum.* Verba sunt Michææ Prophetæ, quibus Christum præmonstrari contendo. Nam quamvis controversa sint inter eruditos, & ab aliis ad Samaritarum, Hierosolymitarumque excidium, ac Sedeciæ calamitates trahantur, ab aliis ad Christum; ego tamen vel apertiorem eam esse ajo interpretationem, quæ hæc Christo accommodat, vel utramque certe simul posse consistere, quod sæpe accidere, ex Paulo discere licet. Quippe proprium hoc Messiæ futurum esse officium Prophetæ docent, dispersos Israelitas congregare, quemadmodum errantes oves & dissipatas in unum gregem cogere pastores solent. Id sibi volebat Osee, cum diceret: *Et congregabuntur filii Juda, & filii Israel pariter, & ponent sibimet caput unum, & ascendent de terra.* Idem & Jeremias tricesimo primo capite, cui Christi προσωπεῖον inesse ostendimus: *Qui dispersit Israel, congregabit eum, & custodiet eum, sicut pastor gregem suum.* Idem & Ezechiel: *Hæc dicit Dominus Deus, Adhuc in hoc invenient me domus Israel, ut faciam eis: multiplicabo eos sicut gregem hominum, ut gregem sanctum ut gregem Jerusalem in solemnitatibus ejus. Sic erunt civitates destructæ, plenæ gregibus hominum, & scient quia ego Dominus.* Præiturum quoque ipsis Christum prædicit Isaias in quinquagesimo secundo capite, quod Messiæ itidem clarissimam prædictionem continet: *Non in tumultu exibitis, nec in fuga properabitis: præcedet enim vos Dominus, & congregabit vos Deus Israel.* Neque hic iterare opus est, quam sæpe in Codicibus sacris pastoris munus, nomenque ascisere amet Christus. Vetustiores itaque Judæi Messiæ διπροσωπίαν hic esse prædictam fatebantur, velut R. Moses Hadarsan sive Concionator in Beresith Rabba.

Osc. 1, 11. Jer. 31, 10. Ezech. 36, 37. 38. Isa. 52, 12.

Nobilem etiam capite quarto vaticinationem de Christo Michæas edidit; quæ quoniam ne verbis quidem ab ea discrepat, quæ secundo Isaiæ, continetur capite, nihil repetere necesse est, quæ ad hanc asserendam supra attulimus. Pauca quædam illustrare solum convenit, quæ loco huic peculiaria sunt. Velut illud: *Et corripiet gentes fortes usque in longinquum:* cui simile hoc habet Psalmus secundus de Christo: *Postula a me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Reges eos in virga ferrea.* Subjicit Michæas: *Et sedebit vir subtus vitem suam, & subtus ficum suam, & non erit qui deterreat, quia os Domini exercituum locutum est.* Hoc ipsum de Messiæ temporibus cecinit Zacharias: *In die illa, dicit Dominus exercituum, vocabit vir amicum suum subter vitem, & subter ficum.* Pergit Michæas: *In die illa, dicit Dominus, congregabo claudicantem, & eam quam ejeceram colligam, & quam afflixeram, ponam & claudicantem in reliquias, & eam quæ laboraverat in gentem robustam:* consona sunt ista Sophoniæ: *Ecce ego interficiam omnes, qui afflixerunt te in tempore illo, & salvabo claudicantem, & eam quæ ejecta fuerat congregabo, & ponam eos in laudem, & in nomen, in omni terra confessionis eorum.* Addit Michæas:

Mich. 4, 1. & seq. Jer. 31, 10. Mich. 4, 6. Zach. 3, 10. Soph. 3, 19.

Digitized by Google

Mich. 4, 7. chæas: *Et regnabit Dominus super eos in monte Sion, ex hoc nunc, & usque in seculum:* paria de Christo nuntiantem Danielem au-
Dan. 7, 14. divimus: *Potestas ejus, potestas aterna quæ non auferetur, & regnum ejus non corrumpetur:* & Angelum quoque apud Lucam de
Luc. 1, 33. Christo Jesu: *Et regnabit in domo Jacob in*
Mich. 4, 8. 9. *aternum, & regni ejus non erit finis.* Notatur quoque Christus in istis Michææ: *Et tu, turris gregis, nebulosa filiæ Sion, usque ad te veniet, & veniet potestas prima, regnum filiæ Jerusalem. Nunc quare mœrore contraheris? numquid rex non est tibi, aut consiliarius tuus periit?* Eadem habet Isaias de Chri-
Isa. 9, 6. sto: *Parvulus natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum ejus: Et vocabitur nomen ejus, Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, Pater futuri seculi, Princeps pacis.* Ergo hæc Michææ in Christum transscribebat Jonathan ben Uziel. Libenter vero Grotio assentior, Turrim gregis apud Bethlehemum statuenti, unde Christum oriturum mox apertius Mi-
Mich. 5, 2. chæas prædicet. Futurum is deinde spondet, ut filiam Sionis Christus redimat: nem-
Mich. 4, 10. pe a Jobo & ab Isaia Christum *Redemtorem* dictum notavimus. Sic demum filiam Sionis, Christi auxilio confirmatum Michæas
Mich. 4, 13. alloquitur: *Surge, & tritura, filia Sion, quia cornu tuum ponam ferreum, & ungulas tuas ponam æreas, et comminues populos multos, et interficies, Domine, rapinas eorum:* simi-
Psal. 2, 9. lia de Christo præcinuit David: *Reges eos in virga ferrea, et tanquam vas figuli confrin-*
Isa. 41, 14. 15. *ges eos.* Aptius etiam ad rem Isaias: *Ego auxiliatus sum tibi, dicit Dominus, et redemtor tuus sanctus Israel: ego posui te quasi plaustrum triturans novum, habens rostra serrantia; triturabis montes, et comminues, et colles quasi pulverem pones.* Quam Isaiæ clausulam Messiæ significativam esse mani-
Isa. 41, 10. festo illud indicat, quod præcedit: *Ego Deus tuus, confortavi te, et auxiliatus sum tibi, et suscepit te dextera Justi mei.* Hæc Judæorum Interpretum diligentiam non fugerunt, qui tot testimoniorum consensione notata Christum hic a Messia prædictum esse fassi sunt. Sic Beresith Rabba, sic R. Selomoh Jarchi, sic Aben Ezra. Contra ea Grotius, ex verborum secundi capitis Isaiæ, & quarti Michææ consensu, non sententiæ paritatem collegit, pro eo ac debuit; sed hæc ad illa πεπαρωδημένα res alias significare censuit: Isaiam quippe de regno Ezechiæ, Michæam de temporibus, quæ reditum ex Babylone sunt consecuta, differuisse opinatur. Arbitrentur æqui rerum æstimatores, utrum verisimilius sit, quorum verba consonant, eorum conspirare sententias; an summa verborum paritate, summam sententiarum discrepantiam contineri. Num hæc Michææ præterea convenire dicemus, vel Ezechiæ ævo, vel recentioribus Babylonica captivitate temporibus: *Et regnabit Dominus super eos in monte Sion, ex hoc nunc, & usque in aternum?* minime vero. Atqui si ad neutrum illa pertinent, certe nec superiora, quæ his arctissime cohærent. Adversus perversam hanc capitis istius interpretationem graviter excandescit Theodoretus, quam tum tuebantur, non Judæi solum, sed & Christiani quidam, solidisque eam argumentis obterit. Quærit enim ecquæ gentes magno numero Legi Dei obtemperaturæ ad Templum Domini concurrerint post reditum Judæorum e captivitate Babylonica; quarum gentium controversias arbitra ac disceptatrix Domini Lex composuerit, eorumque noxas & flagitia castigaverit; qua item pace fruitus sit Judaicus populus, qui variis exinde calamitatibus miserrime afflictus, gentium multarum incursiones ac vexationes perpessus est. Tum id quoque: *Nos autem ambulabimus in nomine Domini Dei nostri in aternum & ultra*, præclare ostendit, Michæam non designasse Judæos, qui patriis sedibus eliminati, totius orbis inquilini, & exules, sacra Legis suæ munia obire non possunt. Unde nec ipsis hæc competere ait: *Et regnabit Dominus super eos in monte Sion, ex hoc nunc & usque in aternum.* Priorem capitis partem, juxta historicum æque sensum & mysticum, Christo & Ecclesiæ adjungit Cyrillus; postremam, ab octavo commate ad capitis usque finem, Sennacheribi & Nabuchodonosoris expeditiones ἰσοριπῶς notare censet; Christum vero, secundum λεπτότερον καὶ πνευματικώτερον λόγον. *(subtiliorem & spiritalem sensum.)*

Theod. in Mich. 4.

Mich. 4, 5.

Cyrill. in Mich. 4.

Perpaucis quinti capitis versiculis multa de venturo Messia posteros Michæas docuit. Nam primum patriam ejus indicavit, cum diceret: *Et tu, Bethlehem Ephrata, parvulus es in*

Mich. 5, 2. & seq.

Digitized by Google

es in millibus Juda: ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel. Deinde ut ortum ejus, non temporarium, qualis hominum reliquorum est, sed omnibus temporum initiis priorem, & ipsius æternitatis æqualem fore ostendat, addit; *Et egressus ejus ab initio, a diebus æternitatis.* Sed muliere tamen prodituram eum ait per partum, atque ita humanæ naturæ participem, consanguinitatis vinculo iri conjunctum omnibus hominibus, etiam Barbaris; quos fraterno amore complexus, ut pote eorum similis & ὁμοφυὴς (*ejusdem naturæ particeps,*) ad Israelitarum jura vocabit; validoque & magnifico moderabitur imperio, cujus is erit splendor, ea fama, ut ad orbis usque pervadat fines, & remotissimas gentes ad se invitet & alliciat, atque altæ demum pacis compotes faciat. Mich. 5, 3. & seq. Verba hæc sunt: *Propter hoc dabit eos usque ad tempus, in quo parturiens pariet, & reliquiæ fratrum ejus convertentur ad filios Israel. Et stabit, & pascet in fortitudine Domini, in sublimitate nominis Domini Dei sui, & convertentur, quia nunc magnificabitur usque ad terminos terræ. Et erit iste pax.* Ad Christum hæc retulisse veteres Judæos, locuples Matth. 2, 4. & seq. Joh. 7, 40. & seq. testimonium suppeditat Evangelium Matthæi, atque illud Johannis; ex quibus clarissime intelligitur tralatitiam hanc & pervulgatam fuisse Judæorum sententiam, ex hoc Michææ loco deductam, Bethlehemo Messiam prodituram. Hanc majorum suorum doctrinam tenuerunt sequioris ævi Magistri. Sic Paraphrastes Chaldæus Jonathan; sic Thalmud in libro Sanhedrin, ultimo capite, & in libro de paschate, capite decimo; sic & Midrasch Thehillim, & R. Selomoh, & R. David Kimchi. Nempe & plerasque alias de Christo vaticinationes huic consonare sciebant. Mich. 5, 2. Nam quod ait Michæas, futurum *egressum ejus ab initio, a diebus æternitatis*, hoc ipsum de Christo præcinuerat David, cum induceret Deum Patrem Christo dicentem: Psal. 109, 3. *Ex utero ante Luciferum genui te.* Idem habet de eo Psalmus septuagesimus primus: Psal. 71, 5. 17. *Permanebit cum Sole & ante Lunam, in generatione & generationem:* & postea; *Ante Solem permanet nomen ejus.* Prov. 8, 23. Hoc de se sapientia ipsa, quæ Christus est, prædicabat his verbis; *Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis, antequam terra fieret.* Hoc sibi volebat Apostolus Iohannes, cum de Verbo, quod Christus est, diceret: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum.* Hoc de se quoque ajebat Dominus Jesus, sic Deum Patrem compellans: *Et nunc clarifica me tu, Pater, apud temetipsum, claritate quam habui, priusquam mundus esset, apud te.* Puerperam autem illam intellige, quæ Isaiæ septimo, octavo, & nono, capitibus commemoratur, pueri videlicet illius matrem, cui nomen. *Accelera spolia detrahere, festina prædari*, qui *Fortis* dicitur, & *Princeps pacis*, cujus immensum prædicatur imperium, & æterna pax. Quæ si quis omnia perpendat accurate, præsenti Michææ loco consona reperiet. Cum vero futurum pollicetur Propheta, ut Christus gentes *pascat in fortitudine*, pastoris hic quoque, ut alias sæpe, persona Christo imponitur, qui hunc habitum & ornatum, hocque adeo munus, suæ erga homines benevolentiæ & sollicitudinis testificandæ gratia, gerere amat, sibique imponit; quod supra jam a me animadversum est, & inferius quoque commodus erit observandi locus. Magnificentiam vero ejus ad fines usque orbis celebratum iri promittit, perinde ut superiore vaticinatione de Messia prædictum vidimus, futurum ut *corripiat gentes fortes usque in longinquum.* Mich. 4, 3. Idem Psalmo secundo de eo præsignificatur: *Postula a me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ:* & Psalmo septuagesimo primo: *Et dominabitur a mari usque ad mare, & a flumine usque ad terminos orbis terrarum:* & mox: *Omnes gentes magnificabunt eum.* Omnia vero tranquillaturum Christum & pacificaturum sexcenties jam nos Prophetæ monuerunt. Quemadmodum ergo Christum pacem futurum prædicit Michæas, ita Paulus de Christo Jesu: *Ipse enim est pax nostra.* Eph. 2, 14. Atenim tam perspicua veritatis argumenta aspernati Judæi complures, nec patrum suorum auctoritatem reveriti, hæc ad Zorobabelem detorquere tentarunt, quos & vetustos aliquot Sacræ Scripturæ Interpretes Christianos assectatos fuisse video, Chrysostomum, Theophylactum, Euthymium; novissimeque Grotium. Chrysost. Theoph. Euthym. Grot. Adversus hanc doctrinam insurgit Theodoretus, & Zorobabelem Babylone natum esse ostendit, Theodor. in Mich. 5, 2. non Bethlehemi; nec esse *egressum ejus a diebus*

Digitized by Google

diebus æternitatis. Scio quid ad hæc respondeat Grotius, Bethlehemo Bethlehemem non primum cognomen fuisse, sed Davidis, qui Bethlehemi natus est, quæ ante Ephrata dicta fuerit; egressum vero ejus a diebus æternitatis dici, quod longum stemmatis Davide duceret, multæque inter ipsum & Davidem intercessissent ætates, longaque diuturnitas temporis, postquam Bethlehemo stirps illa prodierat. Id si accipimus, jam ergo multiplex nobis patria erit, totque natales terras numerabimus, quot loci majoribus nostris ortum dederunt. Ergo & Zorobabel, præter Babylonem, in qua natus est, Jerusalem quoque patriam habebat, in qua tot Reges ipsius decessores sunt procreati; & Bethlehemum, in qua David, & Booz, & Obed, & Jesse; & Ægyptum, in qua Aminadab, & Naasson; & Haran Mesopotamiæ, in qua Judas; & regiones ad Chanaanitidis Austrum sitas circa Bersabee & Gerara, in quibus Jacob, & Isaac; & Ur Chaldæorum, in qua Abraham; quod neque dici neque ferri potest. Præterea utrum existimare satius est, Prophetam hunc, quem de Christo alias edidisse prædictiones ostendimus, eam præmonstrare voluisse urbem, quæ Christi patria futura erat, consentientibus vetustissimis Judæis, uti & revera fuit; an cum Zorobabelis imperium & res gerendas vaticinaretur, eam notasse urbem, quæ Davidis ipsius progenitoris patria fuisset? Adde & verba ista, *Ab initio, a diebus æternitatis*, quæ sic Ebraice concepta sunt, מקדם מימי עולם, quasi dicas, *Ab olim, a diebus æternitatis*, geminata rei ejusdem significatione, non longitudinem temporum, sed ipsius æternitatis infinitatem indicare. Quis vero nominis sui fama orbem credat Zorobabelem repleviſſe, exulum aliquot ducem, & gentis exiguæ, obscuræ, ac jam pene funditus exciſæ principem, propter reparatum Templum, splendidum quidem olim, dum manebant regna, tunc autem rudiori opera refectum, ad cujus conspectum prioris Templi memoria senibus lacrymas excutiebat? Qui pax denique dicetur Zorobabel, quem gravissimis Chuthæorum Samarienſium calumniis & criminationibus appetitum, vix inchoatum instaurationis Hierosolymitani Templi opus absolvere potuisse scimus? Comma septimum capitis hujus Christo adscribit liber Beracoth Thalmudis Hierosolymitani. Est autem hujusmodi: *Et sunt reliquiæ Jacob in medio populorum multorum, quasi ros a Domino, & quasi stillæ super herbam, quæ non expectat virum.* Quia videlicet ex Jacobi reliquiis suscitandus erat Messias, qui rore gratiæ cœlestis orbem universum irrigaturus erat & fœcundaturus; de quo in eamdem sententiam disserit Psalmus septuagesimus primus: *Descendet sicut pluvia in vellus, & sicut stillicidia stillantia super terram.* Psal. 71, 6.

Christi præterea venturi mysterium septimo capite tangit Michæas, cum Ecclesiæ instaurationem per Christum futuram nuntiat his verbis: *Dies, ut ædificentur macerie tuæ.* Id ad Christum Judæos quosdam retulisse scribit Hieronymus. Nec dissimilis illa est Amosi de Christo prophetia, quam supra attulimus: *In die illa suscitabo tabernaculum David, quod cecidit, & reædificabo aperturas murorum ejus, & ea quæ corruerunt instaurabo, & reædificabo illud sicut in diebus antiquis.* Addit Michæas: *In die illa longe fiet Lex:* par illud quod supra & hic & Isaias de Christo cecinerant: *De Sion egredietur Lex, & Verbum Domini de Jerusalem:* & deinde: *Magnificabitur usque ad terminos terræ:* paria & in Psalmis, secundo, & centesimo nono, Christi προκαταγγελτικοῖς (*prænuntiis*) vidimus: *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, prædicans præceptum ejus*: tum: *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion: dominare in medio inimicorum tuorum.* Quod autem subjungit Michæas, ad Ecclesiam remotas gentes transituras, *A civitatibus munitis usque ad flumen, & amare de mari, & ad montem de monte*: idem de Christo prædictum extat Psalmo septuagesimo primo: *Et dominabitur a mari usque ad mare, & a flumine usque ad terminos orbis terrarum:* idem & apud Zachariam: *Loquetur pacem gentibus, & potestas ejus a mari usque ad mare, & a fluminibus usque ad fines terræ.* Sequitur apud Michæam: *Et terra erit in desolationem:* nempe id quoque post Christum Daniel eventurum monuit. Christum deinde adhortatur Propheta, *ut pascat populum in virga sua, gregem hæreditatis suæ:* de quo videlicet supra fuerat vaticinatus: *Et stabit, & pascet in fortitudine Domini*; pastorale officium, juxta Prophetarum Mich. 7, 11. 14. & seqq. Hieron. in Mich. 7, 11. Amos 9, 11. Mich. 7, 11. Mich. 4, 2. Isa. 2, 3. Mich. 5, 4. Psal. 2, 6. Psal. 109, 2. Mich. 7, 12. Psal. 71, 8. Zach. 9, 10. Mich. 7, 13. Dan. 9, 26. Mich. 7, 14. Mich. 5, 3.

tarum omnium consensionem, Messiæ adscribens. Respondet Christus: *Secundum dies egressionis tua de terra Ægypti ostendam ei mirabilia:* sic in eodem septuagesimo primo Psalmo, qui Christum prænuntiat: *Benedictus Dominus Deus Israel, qui fecit mirabilia solus:* sic & apud Joelem, illic ubi Messiam ab eo prænuntiari diximus: *Laudabitis nomen Dei vestri, qui fecit mirabilia vobiscum.* Pergit Michæas: *Videbunt gentes, & confundentur super omni fortitudine sua, ponent manus super os, aures eorum surdæ erunt; lingent pulverem sicut serpentes, velut reptilia terræ perturbabuntur in ædibus suis, Dominum Deum nostrum formidabunt, & timebunt te*: his consentanea Psalmus idem septuagesimus primus suppeditat: *Coram illo procident Æthiopes, & inimici ejus terram lingent: Reges Tharsis & insulæ munera offerent, Reges Arabum & Saba dona adducent, & adorabunt eum omnes reges terræ, & omnes gentes servient ei:* cui simile est & istud Isaiæ de Messia: *Et erunt reges nutritii tui, & reginæ nutrices tuæ vultu in terram demisso adorabunt te, & pulverem pedum tuorum lingent.* Facit huc quoque illud Oseæ, Christi προλεκτικὸν (*prænuntium*) *Et post hac revertentur filii Israel, & quærent Dominum Deum suum, & David regem suum, & pavebunt ad Dominum.* Flagitiorum deinde veniam per Christum nobis largiendam promittit Michæas, quod passim de eo Prophetæ humano generi spondent. Ac demum quæ de venturo Christo, sub jurisjurandi lege, Abrahamo & Jacobo promissa sunt, effecturum eum asseverat.

Psal. 71, 18.
Joel. 2, 26.
Mich. 7, 16. 17.
Psal. 71, 9. & seq.
Isa. 49, 23.
Ose. 3, 5.
Mich. 7, 18. 19.
Mich. 7, 20.

Prophetia Habacuc. Hab. 2, 3.

XXVI. Secundo capite Habacuc hæc leguntur: *Adhuc visus procul, & apparebit in finem, & non mentietur: si moram fecerit, exspecta illum, quia veniens veniet, & non tardabit.* Quibus Messiæ adventum prædici consentiunt Ebræi Interpretes & Christiani. De Christianis dubitatio nulla est, qui Pauli auctoritatem secuti, vel ad Christi salutarem illapsum in animos hominum spectare ista censuerunt, vel ad ejus descensum in terras: quod & in Thalmudici libri Sanhedrin postremo capite, & apud R. Selomoh diserte docetur.

Ebr. 10, 37. & seq.

Nec mysterio caret illud, quod extat in oratione Habacuc: *Egressus est in salutem populi tui, in salutem cum Christo tuo.* Scio nonnullos hic Josiam notatum arbitrari; qui tamen unctus non fuit, nec Unctus dici potuit, nisi καταχρηστικῶς (*abusive*) & latiori significatione; quemadmodum in Paralipomenis quicunque exierunt de Ægypto, Christi vocantur, ut adnotat Hieronymus. Alii ad Davidem id flectunt. Utrumque certe Christi Jesu figuram gessisse diximus: cujus nomen cum & significationem habeat salutis, quæ hic promittitur, aptius ei videtur locus quam Davidi convenire; aptius etiam quam Josuæ, cui minus proprie quam Jesu competit Christi nomen. Itaque sic comma illud reddebat Sexta Editio, Hieronymo teste: ἐξῆλθες τῦ σῶσαι τὸν λαόν σε διὰ Ἰησῦ χριστόν σε. *Exiisti ad servandum populum tuum, per Jesum Christum tuum.* Et ad Messiam quoque id Ebræi retulerunt. Facit huc & id, quod paulo post subnectit Habacuc: *Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Jesu meo.* Scio Ebraice scriptum esse ישו, & ex nomine communi יש, nomen proprium esse factum; sed tamen ex adjunctione alterius prophetiæ & utriusque ἀλληλουχία (*mutua cohærentia*) Christus utrobique homini non luscitioso videbitur expressus. Jonathan certe posteriore hoc loco, itidem ut priore, Christum reddidit.

2. Paral. 28, 22.
Hieron. in Hab.
Hieron. in Hab. 3.

Prophetia Sophoniæ, Soph. 3, 9. & seqq.

XXVII. De Messiæ adventu Sophoniæ quoque vaticinatio extat tertio capite; ait enim ex Domini persona: *Reddam populis labium electum, ut invocent omnes in nomine Domini, & serviant ei humero uno.* Nomen Domini hoc loco Regem Messiam signare, traditur in Beresith Rabba, & in Pulvere aromatico R. Machir; totamque hanc prophetiam Christo adjudicasse Judæos testificantur. Recte sane; completam enim prophetiam hanc fuisse novimus in mirifica priscorum Christianorum concordia, quorum *erat cor unum & anima una.* Pergit Sophonias: *Ultra flumina Æthiopiæ, inde supplices mei, filii dispersorum meorum deferent munus mihi:* simile illud Psalmo quadragesimo quarto, qui Messiæ προλεκτικὸς (*prænuntius*) est: *Filiæ Tyri in muneribus vultum tuum deprecabuntur, omnes divites plebis:* simile quoque initio sexagesimi capitis de Christo Isaias prædicit; quod & in Eunucho Candaces Reginæ exitum habuit. Spondet deinde Sophonias altam pacem reliquiis Israelis: *Quoniam ipsi pascentur & accuba-*

Soph. 3, 10.
Psal. 44, 13.
Soph. 3, 13.

Digitized by Google

accubabunt, & non erit qui exterreat: quod Christi eventurum temporibus pollicentem itidem Michæam audivimus, cum diceret:
Mich. 4, 4. *Et sedebit vir subtus vitem suam, & subtus ficum suam, & non erit qui deterreat.* Israeli postmodum promittit Sophonias futurum
Soph. 3, 17. ut in medio ejus sedem suam Messias constituat: quod & apud Zachariam semel iterumque reperitur: *Et habitabo in medio tui:*
Zach. 2, 10. & apud Ezechielem: *Et erit tabernaculum*
Ezech. 37, 27. *meum in eis:* quod & Discipulis suis Chri-
Matth. 28, 9. stus Jesus promittebat: *Et ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem*
Soph. 3, 19. *seculi.* Quod adjicit deinde Propheta: *Salvabo claudicantem, & eam quæ ejecta fuerat congregabo, & ponam eos in laudem;* hoc idem pene ἀυτολεξὶ (*ipsis verbis*) apud Mi-
Mich. 4, 6. chæam de Christo prædictum supra vidimus.

Prophetia Aggæi, Agg. 2, 6, & seq. XXVIII. Expectati Christi mysterium clarissima prophetia & celeberrima Aggæus explicavit. Nam primum cum ait: *Verbum quod pepigi vobiscum, cum egrederemini de terra Ægypti, & spiritus meus erit in medio vestrum, nolite timere;* Ebræis in memoriam revocare velle videtur nobile hoc vati-
Deut. 18, 15 cinium Mosis de Christo: *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus: ipsum audies.* Huic vaticinio subobscure repetito subjun-
Agg. 2, 7. & seqq. git Aggæus: *Hæc dicit Dominus exercituum: Adhuc unum modicum est, & ego commovebo cœlum, & terram, & mare, & aridam; & movebo omnes gentes: & veniet Desideratus cunctis gentibus, & implebo domum istam gloria, dicit Dominus exercituum, Meum est argentum, & meum est aurum, dicit Dominus exercituum. Magna erit gloria domus istius novissimæ plusquam primæ, dicit Dominus exercituum: & in loco isto dabo pacem, dicit Dominus exercituum.* Hanc orbis commotionem Christo accommodat Paulus in
Ebr. 12, 25. & seqq. Epistola ad Ebræos; cujus aliorumque Novi Testamenti Scriptorum in Vetere explicando auctoritati multum tribuo; quod, ut superius sæpe dixisse memini, receptas & pervulgatas hac ætate opiniones videantur secuti; nec enim in nascentis Ecclesiæ primordiis, cum undique & ab Ethnicis, & acrius etiam a Judæis ea oppugnaretur, tutum fuisset prisci Fœderis testimoniis abuti, & vulgo probatas interpretationes pervellere. *Desideratus* autem *gentibus* is ipse est, quem Patriarcha Jacob futurum Expecta-
Ge 1. 49, 10. tionem gentium moriturus promisit. Is est de quo prædixit Isaias, ita ut verba ejus Pau-
Isa. 11, 10. lus repræsentat: *Exurget regere gentes, in*
Rom. 15. 12. Tit. 2, 13. *eum gentes sperabunt;* & qui Beata spes a Paulo ipso appellatur. Templo autem secundo novam per Christum conciliatum iri gloriam vetustissimi Ebræi fatebantur: quam doctrinam recentiores pessum dederunt, secundi Templi majorem fuisse gloriam fingentes quam primi, quod diutius aliquando perseveraverit; quasi ædificiorum splendor ac gloria ex vetustate pendeat, quæ per eam contra obsoleverit. Christiani quidam Templum secundum, non quale a Zorobabele exstructum est, sed quale ab Herode instauratum, Solomonico augustius fuisse & splendidius arbitrantur, atque eo spectare Aggæi vaticinationem. Hanc opinionem acute refellit Villalpandus ex Josepho, qui ædes
Villalpan. Tom 3. in Ezech. p. 80 duas, Cæsaream, & Agrippium, ab Herode
Joseph. de Bell. Jud. l. c. 16. exstructas, Templum magnificentia superasse scribit. Nos autem defendere prisco-
Mal. 3. 1. & seqq. rum Judæorum doctrinam possumus, tum ex hoc Aggæi loco, tum ex Malachiæ tertio capite: maxime vero ex quadragesimo tertio
Ezech. 43. 2. & seqq. Ezechielis, ubi magnificum illud Templum sibi visum describens, quale Judæi Messiæ temporibus excitatum iri asseverant, *Elevavit me,* inquit, *spiritus, & introduxit me in atrium interius, & ecce repleta erat gloria Domini domus. Et audivi loquentem ad me domo: & vir qui stabat super me, dixit ad me: Fili hominis, locus solii mei, & locus vestigiorum pedum meorum, ubi habito in medio filiorum Israel in æternum, & non polluent ultra domus Israel nomen sanctum meum, ipsi & reges eorum in fornicationibus suis.* Hinc David appellat Christum, *Regem gloriæ;*
Ps. 23. 7. 8. 1. Cor. 2, 8. Paulus, *Dominum gloriæ;* hinc de eo Zacha-
Zach. 6, 13. rias: *Et ipse portabit gloriam.* Pacem autem Templo suo dum hic apud Aggæum promittit Christus, antiquum obtinet, quem jam sexcentis Prophetarum testimoniis pacis principem & auctorem esse didicimus. Igitur inter venientis Messiæ significationes hanc quoque retulit vetustus Ebræorum Magister R. Akiba, ut in memorato jam a nobis postremo capite libri Sanhedrin proditum est.

Ea quam dedimus superioris Aggæi præ-
Agg. 2, 10. & seq. dictionis

Digitized by Google

dictionis expositio, viam munit ad eorum intelligentiam, in quibus ipsius Prophetia concluditur. Illic Zorobabeli nuntiare jubetur Aggæus, futurum ut cœlum & terram Deus commoveat, regna subvertat, exercitus deleat: *In die illa, dicit Dominus exercituum, assumam te, Zorobabel fili Salathiel, serve meus, dicit Dominus; & ponam te quasi signaculum, quia te elegi, dicit Dominus exercituum.* Commotio illa cœli & terræ, ea est quam adventante Messia gentibus desiderato eventuram hoc ipso capite supra dixit. Regnorum subversionem eam intellige, quæ
2.Cor.10,4. fit per *Arma militiæ, non carnalia, sed potentia Deo ad destructionem munitionum.* Sic Michæas quinto capite, quo Messiæ mysteMich. 5,10. ria pandi docui: *Et erit in die illa, dicit Dominus, auferam equos tuos de medio tui, &*
Zach. 9,10. *dispergam quadrigas tuas.* Sic Zacharias: *Et dispergam quadrigam ex Ephraim, & equum de Jerusalem, & dissipabitur arcus belli, & loquetur pacem gentibus.* Zorobabelis autem parentis nomine Christus filius intelligitur, uti apud Jeremiam & Ezechielem Davidis nomine affectum eum vidimus. Positurum se eum ait Deus sic tanquam signaculum: *Hunc enim pater signavit Deus*, inquit
Joh. 6,27. Johannes de Christo Jesu.

Prophetia Zachariæ, XXIX. Aggæo succedit Zacharias, qui creberrimas & ipse de Messia prædictiones edidit. Nos primam hanc depromemus e
Zach. 2, 8. & seqq. secundo capite: *Hæc dicit Dominus exercituum: Post gloriam misit me ad gentes, quæ spoliaverunt vos: qui enim tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei: quia ecce ego levo manum meam super eos, & erunt prædæ his qui serviebant sibi, & cognoscetis, quia Dominus exercituum misit me. Lauda, & lætare, filia Sion, quia ecce ego venio, & habitabo in medio tui, ait Dominus. Et applicabuntur gentes multæ ad Dominum in die illa, & erunt mihi in populum, & habitabo in medio tui, & scies quia Dominus exercituum misit me ad te.* Diligenti observatione digna sunt verba hæc; nam & prædicunt Christi adventum, & ejus divinitatem manifesto prædicant. Notandum quippe est loqui Dominum ipsum, & hæc de se profari: *Et scies quia Dominus exercituum misit me.* Ergo Dominus a Domino missus, Deus a Deo, Filius a Patre, quo præclara Messiæ significatio continetur. Sic centesimo nono Psalmo: *Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris* Psal. 109,1. *meis.* Porro similia de Christo nuntiantem Sophoniam supra audivimus: *Lauda, filia* Soph. 3, 14. *Sion; jubila, Israel; lætare & exulta in omni* 15. *corde, filia Jerusalem: rex Israel Dominus in medio tui.* Sic & de se Messias ipse apud Ezechielem: *Et erit tabernaculum meum in* Ezech. 37, *eis.* 27.

Sequitur apud Zachariam memorabilis Zach. 3, 8. illa de Messia prædictio: *Ecce enim ego ad-* & 6. 12. *ducam servum meum Orientem. In die illa, dixit Dominus exercituum, vocabit vir amicum suum subter vitem, & subter ficum:* quam subinde repetit: *Hæc ait Dominus exercituum, dicens, Ecce vir oriens nomen ejus, & subter eum orietur, & ædificabit Templum Domino.* Qui apud Interpretem Vulgatum appellatur Oriens, & apud Græcos Interpretes ἀνατολὴ, ἀναφυὴ, βλάστημα, is Ebraice dicitur צמח, hoc est, *Germen*, quo nomine passim Christus censetur, quemadmodum alibi a me dictum est. Nam *Germen Domini* dicitur Isaiæ, & *Virga de radice* Isa. 4, 2, & *Jesse*, & *Virgultum*, & *Radix*, & *Germen* 11, 1. & 53, 2. *justum* Jeremiæ, & *Germen nominatum* Eze- Jer. 23, 5. & chieli. Orientis quoque nomen agnoscitur 33, 15. in his verbis Balaami ad Christum pertinen- Ezech. 34, tibus: *Orietur stella ex Jacob:* & in illis 29. Num. 24, 17 septuagesimi primi Psalmi Christum quoque Psal. 71, 7. prænuntiantibus: *Orietur in diebus ejus justitia, & abundantia pacis:* & in istis Malachiæ, quæ ad Christum quoque spectant: *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol ju-* Mal. 4, 2. *stitiæ:* & in his Zachariæ alterius apud Lucam: *Per viscera misericordiæ Dei nostri vi-* Luc. 1, 78. *sitavit nos Oriens ex alto.* Servi quoque nomen sæpe obtinet in libris Prophetarum, uti probavimus supra. Inde adeo Jonathan ben Uziel *Germen*, his Zachariæ locis, interpretatus est *Messiam:* ita & R. Selomoh Jarchi, & Maimonides; ita & in Hierosolymitani Thalmudis libro Beraeoth. Pacem qua mundum beabit Messias iisdem pene verbis describit Michæas: *Et sedebit vir* Mich. 4, 4. *subtus vitem suam, & subtus ficum suam, & non erit qui deterreat.* Scio hæc a recentioribus Judæis, & a Cyrillo etiam, & Theodoreto, & novissime a Grotio, ad Zorobabelem referri: verum obstare videtur quod sequitur: *Et erit Sacerdos super solio* Zach. 6, 13. *suo;* nec enim in veteri lege jus erat Sacerdotibus sedendi in sella regia. Itaque reddunt

Judæi:

Digitized by Google

Judæi: *Et erit Sacerdos ante filium ejus, ut* על positum sit pro לפני, vel נגד. Sed hic כהן non Sacerdotem, sed principem virum notare docent. Præterea quod capite quarto de Templi instauratione per Zorobabelem administranda positum est, eorum simile quæ de Oriente sexto capite narrantur, Judæorum favet opinioni. Sed tamen testimoniorum quæ attulimus consensio cum istis & germanitas, & priscorum Ebræorum interpretatio nostræ plane consona, quam persequi debeamus sententiam plane ostendunt. Nisi quis utramque sic conciliare velit, ut quæ a Zorobabele gesta sunt, ea Christi mysteriorum simulacra fuisse dicat.

Zach. 9, 9. & seq. Præclare vero conspirant Interpretes Judæi & Christiani in exponenda hac Zachariæ vaticinatione: *Exulta satis, filia Sion; jubila, filia Jerusalem: ecce rex tuus veniet tibi Justus & Salvator: ipse pauper & ascendens super asinam, & super pullum filium asinæ. Et disperdam quadrigam ex Ephraim, & equum de Jerusalem, & dissipabitur arcus belli, & loquetur pacem gentibus, & potestas ejus a mari usque ad mare, & a fluminibus usque ad fines terræ.* Ex Evangelistarum Matthæi & Johannis testimoniis manifestum est, pro certo habitum fuisse ipsorum ætate, de Messia hæc Zachariam prædixisse. Nec aliter sane posteriores Judæi senserunt: sic enim habetur in libro Sanhedrin, undecimo capite; sic in Beresith utraque, Rabba & Ketanna; sic in Baal Hatturim ad Exodi vicesimum tertium caput; sic & in Midrasch Coheleth; nec aliter Aben Ezra, & Saadias Gaon, & R. Rachmon, & R. Abrabaniel, R. Moses ben Maimon in Epistola, qua Messiæ κεφάλαια (*notas*) aliquot exposuit, eodemque pertinere duxit illud Isa. 2, 7. Isaiæ: *Et vidit currum duorum equitum, ascensorem asini, & ascensorem cameli.* Omnium vero clarissime & R. Selomoh, qui non solum hæc accommodat Messiæ, sed ne alteri quidem accommodari posse definit. Et tamen Judæi recentiores quidam, spretis majorum suorum suffragiis, Esdram, alii Judam Machabæum hic notatum videre sibi visi sunt; alii vero, quos assectatur Grotius, Zorobabelem. Perperam omnes nisi me prophetiæ ipsius verba fallunt & sententiæ. Nam quis illorum rex fuit? Zorobabel, inquit Grotius; hoc enim titulo decoratur a Jeremia, cum ait: *Suscitabo David germen justum, & regnabit rex, & sapiens erit:* & ab Ezechiele, cum ait: *Rex unus erit omnibus imperans:* & paulo post: *Et servus meus David rex super eos.* Nempe ponis τὸ κρινόμενον ἐστὶ τῷ ὁμολογουμένῳ? (*controversum pro concesso*) quod suo loco demonstravimus. Deinde quis Zorobabelem pauperem fuisse dicat, vel Esdram, vel Machabæum? Satellitio, pompaque regia caruit Zorobabel, inquit Grotius, propterea que pauper dictus est. Itane vero? Julius Cæsar sine satellitio, regiaque pompa fuit, neque gestavit coronam, neque regis nomen sumsit, ideone pauper merito dici potuit? Præterea an asino vectus est? Sic est, inquis, præ modestia nempe & studio pacis. Quo auctore id affirmas? a nemine enim id proditum ad suam usque ætatem fuisse scribit Theodoretus. Sic tibi videtur: mihi contra videtur fuisse indecorum, gentis suæ principem regio sanguine prognatum, cujus potestas ex tua sententia ad fines terræ pertinebat, patriam suam hoc ornatu iniisse; arbitrari etiam absurdum. Miremur porro Grotii inconstantiam, qui alio loco ipsa hæc Judæ Machabæo applicanda esse docet. Nempe sic incertum ferri oportebat, qui nimis ingenio suo permittebat. Quanto verisimilius hæc Messiæ adscribimus, de quo Isaias iisdem quibus Zacharias verbis: *Prope est Justus meus, egressus est Salvator meus:* tum alibi: *Dicite filiæ Sion, Ecce Salvator tuus venit.* Eadem de se spondentem Christum vidimus apud Aggæum, quæ hic apud Zachariam: *Et subvertam solium regnorum, & conteram fortitudinem regni gentium, & subvertam quadrigam & ascensorem ejus:* item & apud Michæam: *Et erit in die illa, dicit Dominus, auferam equos tuos de medio tui, & dispergam quadrigas tuas.* Reliqua ex Psalmo septuagesimo primo repetita esse dicas, in quo hæc de Messia prædicantur: *Orietur in diebus ejus justitia, & abundantia pacis, donec auferatur Luna, & dominabitur a mari usque ad mare, & a flumine usque ad terminos orbis terrarum.*

Theod. in Zach. 9. Grot. in Matth. 1, 22. Isa. 51, 5. & 62, 11. Agg. 2, 23. Mich. 5, 10.

XXX. Messiam quoque, vel ipso Domino Jesu teste, postremus Prophetarum Malachias prænuntiavit. Nam cum de Johanne Baptista, præcursore suo dixerit Jesus: *Hic est de quo scriptum est, Ecce ego mittam*

Prophetia Malachiæ. Matth. 11, 10. Marc. 1. 2.

Digitized by Google

Luc. 1, 76. & 7, 27. *Angelum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te:* se autem Messiam esse palam professus sit; sequitur haud dubie & hoc loco significatum a Malachia Messiam voluisse: *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparavit viam ante faciem meam. Et statim veniet ad templum suum Dominator quem vos quæritis, & angelus Testamenti quem vos vultis. Et quis poterit cogitare diem adventus ejus, & quis stabit ad videndum eum?* Angelus Testamenti sive Fœderis, Christus illic appellatur, quod a Deo, sic tanquam nuntius, & magni consilii Angelus, missus sit ad sanciendum cum hominibus fœdus: unde Isa. 42, 6. de eo ait Dominus apud Isaiam: *Dedi te in* Jer. 31, 31. *fœdus populi:* & iterum apud Jeremiam: *Ecce dies venient, dicit Dominus, & feriam domui Israel & domui Juda fœdus novum:* Ezech. 37, 26. & rursum apud Ezechielem: *Percutiam illis fœdus pacis, pactum sempiternum erit eis.* Ergo hic prædictum Messiam Maimonides ultro agnovit in הלכות מלכים, & alibi quoque: agnovit & R. David Kimchi. Nec Messiam solum, sed & ejus præcursorem hic agnovit Saadias Gaon in Libro fidei. Quod Hieron. in Mal. 3, 1. & his vetustiores Ebræos sensisse tradit Hieronymus, præcursorem illum Angelum Eliam, Dominatorem vero Messiam fore arbitrantes.

Dabimus & hanc de Christo vaticinationem e Malachia: *Orietur vobis timentibus* Mal. 4, 2. *nomen meum Sol justitiæ.* Nempe hæc est Num. 24, 17. stella, quam ex Jacob orituram Balaamus Isa. 60, 1. 19. 20. prædixit; de qua sic disserit Isaias: *Surge, illuminare Jerusalem, quia venit lumen tuum.* Deinde: *Non erit tibi amplius Sol ad lucendum per diem, nec splendor Luna illuminabit te; sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam, & Deus tuus in gloriam tuam. Non occidet ultra Sol tuus, & Luna tua non minuetur, quia erit tibi Dominus in lucem sempiternam.* Hinc Christum Jesum Simeon Luc. 2, 32. appellabat, *Lumen ad revelationem gentium:* Joh. 1, 9. & Johannes, *Lucem veram, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum:* Dan. 9, 24. Daniel autem *Justitiam sempiternam* adducturum esse docet.

& libro primo Machabæorum. 1. Mach. 14, 41. XXXI. Nec de Christo venturo siluerunt Scriptores Machabaici. Prioris quidem hæc verba sunt: *Judæi & Sacerdotes eorum consenserunt eum esse ducem suum, & summum Sacerdotem in æternum, donec surgat Propheta fidelis.* Nempe Propheta is est, quem præ- Deut. 18, 15. & seq. nuntiaverat Moses: *Et ait Dominus mihi, Bene omnia sunt locuti, Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui, & ponam verba mea in ore ejus, loqueturque ad eos omnia quæ præcepero illi. Qui autem verba ejus, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor existam:* Propheta is Matth. 21, 11. de quo *Populi dicebant, Hic est Jesus Propheta a Nazareth Galilææ:* qui cum Naimitam suscitaret a morte, *Accepit omnes timor*, inquit Lucas, *& magnificabant Deum dicentes,* Luc. 7, 16. *Quia Propheta magnus surrexit in nobis:* de quo Emmauntios viatores dixisse tradit idem Lucas, *Qui fuit vir Propheta*: quem a Samaritide muliere sic compellatum fuisse refert Johannes: *Domine, video quia Propheta es tu:* qui cum virorum aliquot millia pauculis piscibus & panibus pavisset, hoc ab universo populo testimonium consecutus est: *Hic est vere Propheta, qui venturus est in* Joh. 6, 14. *mundum:* ad cujus sermones Hierosolymitæ obstupescentes dicebant: *Hic est vere Pro-* Joh. 7, 40. *pheta:* quem interrogatus Cœcus ab eo sanatus, Propheta esse agnovit.

Ebraici e Judæis, Judæorumve Libris sacris edocti Messiam prænoverunt & exspectarunt. Assumissima Josephi fallacia deprehenditur.

XXX. Has de Messiæ adventu & ὀικονομίᾳ vaticinationes e Veteris Instrumenti libris collegimus, multis prætermissis, quarum in controversiam & contentionem vocari poterat significatio; vel quæ ab ea quam quærimus longius remotæ sententia, illuc allegoricis tantum & mysticis Interpretum expositionibus detortæ sunt. De iis autem, quas proposuimus, tanta fuit consensio, ut non inter Judæos solum, sed Ethnicos etiam, quod infra quoque probabimus, magni alicujus Regis, sanctitate ac potentia conspicui, resque humanas in meliorem statum reposituri, obscura quædam spes concitata sit. Profecto evolventi mihi excerpta quædam e libro secundo magni illius Sinensium Philosophorum principis Confucii, quæ Latine reddidit Prosper Intorcetta Siculus, e Societate Jesu, nuper vero nobiscum communicavit clarissimus Thevenotius, vir singularis humanitatis & præstantis doctrinæ, summa incessit admiratio, cum hæc legerem verba Confucii; Regem ad virtutem adhortantis; *Legibus cœli ac terræ facta ejus consentiunt, neque vereri debet, ut cum Sanctus ille expectatus advenerit, idem tum virtuti ejus, ac dum regnaret, bonos habeatur.* Prævidisse eumdem

eumdem futurum ut Verbum caro fieret, proditum a Martinio est. Quod nemo profecto satis mirari possit. Atqui annis quinquaginta supra quingentos ortum Christi Sinensis ille Socrates antecessit. Ergo jam ad Sinas Veteris Testamenti oracula pervaserant. Inde adeo circa id tempus, quo exitus harum prædictionum expectabatur, & sequenti quoque ævo, in multis viris eventum habuisse creditæ sunt. Nam ut de Sibyllinis Oraculis taceam, quæ, Cicerone teste, Regem Romanis hac ætate pollicebantur; (nam Sibyllini hujus vaticinii fidem elevavit Blondellus:) ut prætermittam Neronem de quo idem aliquibus venisse in mentem ostendere videntur ista Suetonii: *Spoponderant quidam destituto Orientis ordinationem, nonnulli nominatim regnum Hierosolymorum*; quod vulgo jactatis per id tempus de Messia oraculis omnino niti videtur; Josephus historicus Vespasiano persuasit hæc in ipso eventum habuisse. Totum locum, quoniam facit ad nostrum institutum, afferre operæ pretium est: τὸ δὲ ἐπάρειν Ἰουδαίους μάλιστα πρὸς τὸν πόλεμον, ἦν χρησμὸς ἀμφίβολος ὁμοίως ἐν τοῖς ἱεροῖς ἐυρημένος γράμμασιν, ὡς κατὰ τὸν καιρὸν ἐκεῖνον ἀπὸ τῆς χώρας τὶς ἀντῶν ἄρξει τῆς οἰκουμένης. τοῦτο δὶ μὲν ὡς ἰδιῶν ἐξέλαβον, καὶ πολλοὶ τῶν σοφῶν ἐπλανήθησαν περὶ τὴν κρίσιν. ἐδήλου δ' ἄμα τὴν περὶ ὐεσπασιανοῦ τὸ λόγιον ἡγεμονίαν, ἀποδειχθέντος ἐπὶ Ἰουδαίας ἀυτοκράτορος. *Quod autem Judæos ad bellum præcipue incitabat, vaticinium erat ambiguum similiter in sacris Codicibus repertum, futurum nempe ut hoc tempore ex regione aliquis eorum toti orbi imperaret. Hoc nonnulli quidem tanquam sibi proprium accipiebant, & multi ex Sapientibus in eo intelligendo hallucinati sunt. Simul autem Vespasiani imperium significabat oraculum, qui in Judæa Imperator creatus est.* Alibi vero narrat, quomodo ex vinculis Vespasianum ipsum docuerit, de iis, quæ sacra ei oracula portendebant. Sumsisse hæc ab eo Suetonium, & in historiam suam conjecisse, verba ipsa palam facient: *Percrebuerat Oriente toto vetus & constans opinio, esse in fatis, ut eo tempore Judæa profecti rerum potirentur. Id de Imperatore Romano, quantum eventu postea patuit, prædictum Judæi ad se trahentes rebellarunt.* Sumsisse indidem & Tacitum, ex verbis quoque ipsius fiet manifestum: *Pluribus persuasio inerat, antiquis Sacerdotum literis contineri, eo ipso tempore fore, ut valesceret Oriens, profectique Judæa rerum potirentur: quæ ambages Vespasianum ac Titum prædixerant. Sed vulgus, more humanæ cupidinis, sibi tantam fatorum magnitudinem interpretati, ne adversis quidem ad vera mutabantur.* Hæc ex Josepho manasse, certa est fides, quem callide istud & malitiose ad Vespasianum retulisse ex ejus testimonio convincemus. Ac primum oraculum illud flexiloquum & ambiguum, uti appellat Josephus, quod Literis sacris contineri ait, hoc esse apparet, quod Judæ filio Jacob moriens edidit: *Non auferetur sceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium.* Tres enim oraculo huic inesse notationes vult Josephus; primam temporis, κατὰ τὸν καιρὸν; ἐκεῖνον; *(illo tempore)* secundam loci, Judææ nempe, ex qua proditurus erat ille, quem prænuntiat oraculum, ἀπὸ τῆς χώρας; *(ex regione)* tertiam dignitatis, imperii videlicet per universum orbem patentis, ἄρξει τῆς οἰκουμένης. *(toti orbi imperabit)* Quæ omnia in oraculo Jacobi, partim plana & aperta, partim adumbrata & implicita reperiri possunt. Designatur enim tempus, cum dicitur non ablatum iri sceptrum de Juda, donec veniat qui mittendus est. Ex Judæa quoque proditurus nuntiari videtur iisdem verbis. Orbis denique imperium ista portendunt: *Et ipse erit expectatio gentium.* Neutiquam ergo scopum attigit Casaubonus, cum intelligendum illic censuit Michææ vaticinium: *Et tu, Bethlehem Ephrata, parvulus es in millibus Juda: ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel.* Nulla enim in eo extat temporis significatio, unde in ætatem Vespasiani oraculi hujus exitum homines contulerint; nec orbis imperium, sed Israelis tantum, Dominatori huic spondetur. Nihilo magis audiendi sunt, qui a Suetonio & Tacito signari volunt prædictum hoc Isaiæ: *Parvulus enim natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum ejus, & vocabitur nomen ejus, Admirabilis, consiliarius, Deus fortis, Pater futuri seculi, Princeps pacis. Multiplicabitur ejus imperium, & pacis non erit finis.* Nam qui hæc in Vespasianum congruent, quem parvulum Judæa nunquam vidit? Felicius conjectant, non tamen usquequaque vere, qui notatam opinantur

Cicer. l. 2. de divin.

Blond. de Sibyl. l. 1. c. 11. & 12.

Suet. Ner. c. 40.

Joseph. de bell. Jud. l. 3. c. 28. & l. 7. c. 31.

Suet. Vesp. c. 4.

Tac. Hist. l. 5.

Gen. 49, 10.

Casaub. in Suet. Vesp. c. 4.

Mich. 5, 2.

Isa. 9, 6. 7.

Digitized by Google

Isa. 2, 2. & seq. opinantur hanc Isaiæ vaticinationem: *Et erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & elevabitur super colles, & fluent ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi, & dicent, Venite, & ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Jacob, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis ejus, quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Jerusalem: & judicabit gentes, & arguet populos multos, & conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas in falcet.* Quanquam nulla his ineſt ſatis diſtincta temporis nota, ſi quis ea tamen tueri velit, non ægre patiar. Hæc autem ut Veſpaſiano accommodare poſſet Joſephus, intortam orationem ſibi exorſus eſt: ait enim hoc eſſe prædictum, futurum ut *ex regione aliquis eorum toti orbi imperaret*: ἀπὸ τῆς χώρας τις ἀυτῶν ἄρξει τῆς οἰκουμένης, quibus magna ineſt ambiguitas, nec enim facile intelligas utrum dictio ἀυτῶν *(eorum)* dictioni χώρας, *(regione)* an dictioni τις, *(aliquis)* adjungenda ſit; ſive utrum ſic verba conſtruenda ſint: τις ἀπὸ τῆς χώρας ἀυτῶν ἄρξει τῆς οἰκουμένης; *(aliquis ex regione eorum, imperabit orbi)* an ita: τις ἀυτῶν ἀπὸ τῆς χώρας ἄρξει τῆς οἰκουμένης *(aliquis eorum ex regione imperabit orbi)* Nempe ſic Romanis blandiri illæſa gentis ſuæ dignitate volebat: nam ſi vocem ἀυτῶν *(eorum)* adnexuiſſes voci χώρας *(regione)* Veſpaſiano id adſcribi poterat, qui ex regione Judæorum egreſſus, totius orbis dominus prodiit: ſin vocem eamdem ἀυτῶν *(eorum)* conjunxiſſes voci τις, *(aliquis)* Meſſiæ a Judæis expectato convenire hæc poterant, quæ futurum ſpondebant, ut ex Judæorum regione aliquis ipſorum, Judæorum nempe, orbem recturus exiſteret; quæ ad Meſſiam unice ſpectant, & in Jacobi vaticinium facilius quadrare poſſunt. Verum probe ſciebat vir τερψιμαλλος *(verſipellis)* & aſtutus, pollicitationes ſuas ad ipſum Prophetiæ codicem minime exacturum Veſpaſianum, graviſſimis tum curis diſtrictum, atque hujusmodi blandimentis, ſive veris, ſive falſis gaudentem, & cujus intererat fidem eorum inter populares ſuos confirmari. Confidenter ergo hæc ſubjecit Joſephus; τοῦτο δὲ μὰν ὡς οἰκεῖον ἐξέλαβον, πολλοὶ τῶν σοφῶν ἐπλανήθησαν περὶ τὴν κρίσιν. *Hoc nonnulli tanquam ſibi proprium accipiebant, & multi e ſapientibus in eo intelligendo errarunt.* Hæc quoque ἀμφιβολικῶς *(ambigue)* enuntiata ſunt: nam cum ait quosdam hæc tanquam ſibi propria accepiſſe, populares ſuos deſignat, qui ad ſe ſuosque pertinere prædictionem hanc, uti revera pertinebat, arbitrabantur: cum ſtatim vero ſubjungit, multos, etiam e ſapientibus, in oraculi hujus interpretatione eſſe halucinatos, non facile dicas, an eosdem notet, quos mox id tanquam ſibi proprium accepiſſe dixerat, an alios. Atqui hoc monitione præmiſſa, Lectores ad commentitiam, quam propoſiturus erat, prædicti interpretationem præparabat, qua in Veſpaſiano completum illud fuiſſe docet. Quod perinde erat, ac ſi dixiſſet: Sapientes plerique oraculum hoc perperam expoſuerunt; quo facilius mihi concedenda eſt venia, ſi in eo quoque explicando errarvero. Accurate præterea obſervanda eſt dictio ἅμα, *ſimul*, cum ait: ἰδήλου δ' ἅμα τὴν περὶ τῦ ϐιεσπασιανῦ τὸ λόγιον ἡγεμονίαν. *Simul autem imperium Veſpaſiani ſignificabat oraculum.* Quaſi dixiſſet, Aliæ quidem ſunt vaticinii hujus ſignificationes, ſed ſimul cum iis ineſt ibi quoque imperii Veſpaſiani ſignificatio. Ita nobiliſſimum vaticinium homo verſipellis & alterplex affuſis tenebris opacavit, latebrasque adhibuit obſcuritatis, ut dum Romanis rerum dominis palpabatur, popularium tamen ſuorum reprehenſiones vitaret, exitusque ſibi ac effugia quaquaverſus paterent. Atqui hunc ejus locum cum in lucubrationes ſuas referrent Johannes Zonaras, Nicephorus, Pſeudo-Hegeſippus, Freculfus Lexovienſis, & Johannes Sarisberienſis, latentes ibi πλοκὰς *(dolos)* & verſutias haudquaquam animadverterunt. Unus Euſebius, quemadmodum optimi ipſius codices habent, verba Joſephi cum tota ſua ambiguitate fideliter repræſentavit.

Zon. Ann. Tom. 2. Nic. l. 3. c. 4. Hegeſ. l. 5. c. 44. & in Anaceph. Frec. Chr. Tom. 2. l. 2. c. 5. Joh. Sar. Pol. 2. c. 4. Euſeb. Hiſt. Eccl. l. 3. c. 8.

XXXII. Tralatitia illa præterea & pervulgata de venturo his temporibus Meſſia perſuaſione abuſi alii plerique, Chriſti nomen ac dignitatem uſurpare auſi ſunt, cum ante id tempus quemquam hoc attentaſſe nulla prodat hiſtoria. Primus hac impietate ſeſe alligavit Herodes Aſcalonita, cum Herodianorum, a quibus Meſſias habebatur, ſectam de ſe vocabulum habere paſſus eſt. Chriſtos poſtea ſe profeſſi ſunt vecordes illi Samaritani, Doſitheus, & Simon. Imperium deinde tenente Hadriano, Meſſiam ſe dixit Bar-Cocheba, ſive Filius ſtellæ; hoc inſignitus nomine,

Pſeudo-Chriſti complures.

Digitized by Google

nomine, quod sibi nobile illud Balami vati-
Num. 24, 17 cinium accommodaret: *Orietur stella ex Jacob:* deinde vero Bar-Cuziba, hoc est Filius mendacii dictus, postquam ejus impostura deprehensa est. Regnum ejus postmodum tenuit Rufus ipsius filius, ac deinde Romulus nepos, Cuziba & ipse dictus, avo cognominis. Multi exinde variis exorti sunt temporibus Pseudo-Christi, velut insignis ille David Eldavid, qui Persidis Regem bello lacessere ausus vesaniæ tandem suæ pœnas capite luit; aliique plures in Epistola Maimonidæ ad Rabbinos Massilienses, & in libro Schebet Jehuda commemorati: & nuper Sabbathæus apud Turcas.

Sed concludenda tandem hæc disputatio est, in qua luculenter a nobis ostensum est, multas in Veteri Testamento haberi prophetias de Messia. Quod erat probandum.

PROPOSITIO VIII.

Is est Messias, cui uni conveniunt Prophetiæ omnes Veteris Testamenti de Messia.

VEteris Testamenti Prophetiis, quæ spectant ad Messiam, collectis simul, & ob oculos positis, certa continentur χριτήρια, & notæ quædam singulares, quæ si in quoquam appareant, eum esse Messiam haud cunctanter asseverabimus: sin extent nuspiam, nec in illo ad hanc diem deprehensæ sint, confidenter pronuntiandum est, nec esse Messiam, nec fuisse. Factum id a Judæis, qui χριτήρια sibi fingunt quædam, ad quorum normam Messiæ agnitionem exigere solent. Falsa autem ea cum sint, falsa quoque illorum de Messia judicia consequi necesse est. Omnis itaque eorum error in χριτηρίων notitia & dijudicatione versatur: multa enim, quæ in mysticum trahenda erant sensum, mortiferam sectantes literam præpostere accipiunt. Velut cum forma præcellentem fore Messiam ajunt, propter istud Psalmi quadragesimi
Isa. 44, 3. quarti: *Speciosus forma præ filiis hominum.*
Psal. 2, 8. Et cum terreno regno potiturum eum arbitrantur, quod de eo scripta hæc legerint: *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.*
Ps. 44, 6. Bellatorem illum, & manu fortem, gentiumque multarum domitorem futurum sperant, quod de eo prædicta illa sint: *Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent.* Rebus tandem ab eo tranquillatis, summa pace, non homines solum inter se, sed brutas quoque animantes fruituras his Isaiæ persuasi crediderunt: *Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hœdo* Isa. 11, 6. & seq. *accubabit: puer parvulus minabit eos: leo quasi bos comedet paleas. Et delectabitur infans ab ubere super foramine aspidis, & in caverna reguli qui ablactatus fuerit manum suam mittet.* Sapientissimi Rabbinorum omnium Maimonidæ extat Epistola, qua deceptorem quemdam, Messiæ nomen usurpantem, de quo fuerat interrogatus, damnat vanitatis & mendacii, quod notæ illæ διακριτικοὶ *(ad discernendum opportunæ)* quibus agnoscendum esse Messiam ait, quasque ex Libris sacris colligi posse docet, in eo neutiquam apparerent. Tum multas ex iis affert, inter quas propriam hanc & peculiarem esse docet, quod simul atque prodire in lucem hominum, munusque suum obire cœperit, magnus apud Reges omnes terror ejus & formido futura sit, propter hanc Isaiæ prædictionem: *Super ipsum continebunt reges* Isa. 52, 15. *os suum: quia quibus non est narratum de eo, videbunt; & qui non audierunt, contemplati sunt.* Futurum quoque addit, ut solius loquelæ suæ vi homines interficiat, hoc nixus Isaiæ testimonio: *Percutiet terram virga oris* Isa. 11, 4. *sui, & spiritu labiorum suorum interficiet impium.* At quemadmodum κατὰ λέξιν *(juxta verbum)* interpretantur Judæi, quæ κατὰ σχῆμα *(juxta figuram)* intelligenda erant; sic e contrario pleraque allegoricis fœdant interpretationibus, quæ fuerant sumenda κατὰ λέξιν *(juxta verbum.)* Cujusmodi est illud vicesimi primi Psalmi: *Foderunt manus meas &* Psal. 21, 18. *pedes meos: dinumeraverunt omnia ossa mea. Diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem:* & id Psalmi sexagesimi octavi: *Et dederunt in escam meam fel,* Ps. 68, 22. *& in siti mea potaverunt me aceto:* & istud Zachariæ: *Ipse pauper, & ascendens super* Zach. 9, 9. *asinam, & super pullum filium asinæ:* & deinde: *Projice illud ad statuarium decorum* Zach. 11, 13. *pretium, quo appretiatus sum: & tuli triginta argenteos, & projeci illos in domum Domini ad statuarium.* Quorum omnium certissima ex eventu pendet dijudicatio. Vitio eodem laboravit vir Literarum sacrarum cæteroqui peritissimus Origenes, qui cum reliqua allegorice interpretari soleret, unum id sumsit κατὰ λέξιν *(juxta verbum)* quod solam inter-

pretationem allegoricam admittebat; Servatoris nempe dictum, quo Eunuchiſmum cœleſtis regni cauſa ſuſcipere perſuademur. His ergo collectis in unum κριτηρίοις, (*ſive notis*) & quæ κατὰ λέξιν, (*juxta verbum*) explicanda veniunt, & quæ κατὰ σχῆμα, (*juxta figuram*) & quæ utroque modo; ſingulisque intellectis probe, & in legitimam ſententiam deflexis; tum ſi cui omnia ea conveniunt, is profecto Meſſias ſine dubitatione habendus eſt: quippe κριτηρίοις illis vera Meſſiæ continetur definitio. Primum enim ſtatuit hominem eſſe propoſita initio operis hujus Meſſiæ definitio: id quoque de Meſſia ab Iſaia traditur: *Ecce Virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel. Virum dolorum* idem alibi eum appellat: ſic & de eo Jeremias: *Femina circumdabit virum:* & Ezechiel: *Et ſuper ſimilitudinem throni ſimilitudo quaſi aſpectus hominis deſuper:* Daniel quoque: *Ecce cum nubibus cœli quaſi Filius hominis veniebat.* Deum præterea eſſe vult noſtra Definitio: conſonat Iſaias: *Filius datus eſt nobis, & vocabitur nomen ejus, Deus fortis:* & alibi: *Deus ipſe veniet, ſalvavit vos,* & rurſum: *Dic civitatibus Juda, Ecce Deus veſter, ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, & brachium ejus dominabitur:* conſonat & Baruch: *Hic eſt Deus noſter, & non æſtimabitur alius adverſus eum. Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus:* & Michæas: *Egreſſus ejus ab initio, a diebus æternitatis.* Addit Definitio, a Deo divinitus miſſum eſſe ad hominum ſalutem: inde Job: *Scio enim quod Redemtor meus vivit:* inde & Iſaias: *Prope eſt juſtus meus, egreſſus eſt Salvator meus:* & alibi: *Et timebunt qui ab occidente nomen Domini; & qui ab ortu ſolis gloriam ejus: cum venerit quaſi fluvius violentus, quem Spiritus Domini cogit, & venerit Sion Redemtor, & eis qui redeunt ab iniquitate in Jacob, dicit Dominus:* & iterum: *Dedi te in fœdus populi, ut ſuſcitares terram, & poſſideres hæreditates diſſipatas: ut diceres his qui vincti ſunt, Exite; & his qui in tenebris, Revelamini:* rurſus quoque: *Spiritus Domini ſuper me, eo quod unxerit Dominus me: ad annuntiandum manſuetis miſit me, ut mederer contritis corde, & prædicarem captivis indulgentiam, & clauſis apertionem: ut prædicarem annum placabilem Domino:* Idem toto quinquageſimo tertio capite prædicat. Succinit Jeremias: *In diebus illis ſalvabitur Juda:* item: *Redemit enim Dominus Jacob, & liberavit eum de manu potentioris:* & Habacuc: *Egreſſus es in ſalutem populi tui, in ſalutem cum Chriſto tuo:* & Zacharias: *Applicabuntur gentes multæ ad Dominum in die illa, & erunt mihi in populum, & habitabo in medio tui, & ſcies quia Dominus exercituum miſit me.* Divinitus miſſum eſſe ſciſcit Definitio, hoc eſt miro quodam modo, qui modum naturæ, viresque ſuperet: idem tradit Iſaias, cum eum ex Virgine proditurum vaticinatur: tradit & Daniel: *Ecce cum nubibus cœli quaſi Filius hominis veniebat:* ad id facit & illud Iſaiæ: *Generationem ejus quis enarrabit?* Denique a Prophetis prædictum eſſe docet Definitio, quod & demonſtrant tot a me prolata teſtimonia. Ergo in Prophetarum prædictionibus de Meſſia, vera Meſſiæ continetur definitio. Reciprocari autem debent definitio & definitum. Cuicunque ergo competent κριτήρια illa definitionem complexa, hunc vere Meſſiam dicas: item qui Meſſias eſt, huic ineſſe dicas κριτήρια definitionem complexa. Vere ergo diximus, eum eſſe Meſſiam, cui uni prophetiæ omnes Veteris Teſtamenti de Meſſia conveniunt. Quod erat probandum.

Mat. 7, 14. Iſa. 53, 2. 3. Jer. 31, 22. Ezech. 1, 26. Dan. 7, 13. Iſa. 9, 6. & 35, 4. & 40, 10. Bar. 3, 38. Mich. 5. 2. Job. 19, 23. Iſa. 51, 5. & 59, 19. 20. Iſa. 49, 8. 9. & 61, 1. Jer. 23, 5. 6. & 31, 11. Hab. 3, 13. Zach. 2, 10, 11. Dan. 7, 13. Iſa. 53, 8.

PROPOSITIO IX.

Jeſus Nazarenus eſt Meſſias.

HUic enim conveniunt Prophetiæ omnes Veteris Teſtamenti, de Meſſia editæ. Quod ut accurate demonſtremus, poſtulat locus. Optimam autem hanc & tutiſſimam rationem fore exiſtimo, ſi ſingula Veteris Teſtamenti de Meſſia prædicta colligam, & cum iis, quæ in Novo Teſtamento de Jeſu Nazareno tradita ſunt, diligenter confligam. Ex hac enim Veteris & Novi Teſtamenti contentione apparebit, Teſtamentum Vetus eſſe occultationem Novi; Novum autem eſſe revelationem Veteris, ut verbis utar Auguſtini; atque ita Veteri Novum ineſſe, ut rota illa, quam vidit Ezechiel, inerat alteri rotæ, juxta Gregorii Magni interpretationem; ac ſummum denique Teſtamenti utriusque eſſe conſenſum: quo conſenſu Chriſtianæ religionis veritas continetur. Quamobrem is ut apertiſſime patefiat, proponemus hic παραλληλισμὸν, ſive comparationem

Auguſt. de civ. Dei l. 16. c. 26. Ezech. 1, 16. Greg. Hom. 6. in Ezech.

Digitized by Google

nem clarissimarum illarum prædictionum ad Christum pertinentium, quæ extant in Veteri Testamento, cum iis quæ in Novo Testamento de Christo Jesu narrantur. Ac primum testimonia ipsa decerpemus ex utriusque Testamenti libris, & sibi ex adverso & ἀντιπροσώπως (*facie contra faciem objecta*) utrimque oppositа ἐντολεξεὶ (*ipsis verbis*) repræsentabimus, unde facilius extare possit mirifica eorum conspiratio & concordia. Tum quoniam testimonia quædam in controversiam vocantur a Judæis, aliisque orthodoxi dogmatis adversariis, & perversorum Interpretum fraudibus oblimatà est germana eorum sententia, ut labefactis doctrinæ Christianæ fundamentis tota moles corrueret, ea nos pro suscepti operis ratione adversus impietatem vel imperitiam tuebimur; non omnia certe, sed ea tantum, quorum gravius est ad legitimæ religionis tutelam momentum & præcipua auctoritas, quæque siniſtris interpretationibus patuerunt. Partem eorum jam supra quidem in Propositione septima allatam & expensam retractabimus. Plurima prætermittemus omnino, futurum sperantes, ut in iis, quæ illic disputata sunt, Lector acquiescat; quæ prætermissa erunt veritati ipsi, ac rectis doctorum hominum studiis ab impiorum injuria relinquemus prohibenda. Quod si ex allatis vaticiniis nonnulla videbuntur esse ambiguæ & subobscuræ significationis, nec satis aperte ea prænuntiare, quæ iis prænuntiata esse volumus, sciant Lectores, nos constantem Interpretum secutos esse consensum; quos si cui consulere vacat, eos nobis adstipulari deprehendet. Horum autem suffragia huc referre minime patiebantur operis hujus angustiæ. Tum quoniam non verba duntaxat, sed & signa quædam in Scriptura Sacra proposita, futurorum dant nobis præsensiones, signis hujusmodi compluribus ac typis in Veteri Testamento prænonstratum hominibus & prædictum fuisse Messiam ostendemus. Demum ad verum prophetiarum intellectum monitis quibusdam Lectorem informabimus.

ΠΑΡΑΛΛΗΛΙΣΜΟΣ
VETERIS TESTAMENTI CUM NOVO, IN IIS QUÆ AD MESSIAM PERTINENT.

Prædicta in Veteri Testamento.	*Completa in Novo.*

CAPUT I.
Jesus de semine Abrahami.

GEn. 12, 1. 3. *Dixit Dominus ad Abram ..... In te benedicentur universæ cognationes terræ.*

Gen. 18, 17. 18. *Dixitque Dominus, Num celare potero Abraham, quæ gesturus sum, cum futurus sit in gentem magnam ac robustissimam, & benedicendæ sint in illo omnes nationes terræ?*

Gen. 22, 15. 18. *Vocavit autem Angelus Domini Abraham secundo de cœlo, dicens ..... Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ.*

MAtth. 1, 1. *Liber generationis Jesu Christi, filii David, filii Abraham.*

Luc. 3, 23. 24. *Et ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta; ut putabatur, filius Joseph, qui fuit Heli, ... qui fuit Isaac, qui fuit Abrahæ.*

Gal. 3, 16. *Abrahæ dictæ sunt promissiones & semini ejus. Non dicit, Et seminibus, quasi in multis; sed quasi in uno, Et semini tuo, qui est Christus.*

CAPUT II.
Jesus de semine Isaaci.

GEn. 26, 2. 4. *Apparuitque ei (Isaaco) Dominus, & ait ..... Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ.*

Luc. 3, 23. 34. *Et ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta; ut putabatur, filius Joseph ..... qui fuit Jacob, qui fuit Isaac.*

MAtth. 1, 1. 2. *Liber generationis Jesu Christi, filii David, filii Abraham. Abraham genuit Isaac. Isaac autem genuit Jacob.*

Digitized by Google

CAPUT III.

Jesus de semine Jacobi.

GEn. 28, 12. 14. *Viditque* (Jacob)..... *Dominum innixum scalæ, dicentem sibi; Benedicentur in te & in semine tuo cunctæ tribus terræ.*

Num. 24, 15. 17. *Dixit Balaam filius Beor..... Orietur stella ex Jacob, & consurget virga de Israel: & percutiet duces Moab, vastabitque omnes filios Seth.*

MAtth. 1, 1. 2. *Liber generationis Jesu Christi, filii David, filii Abraham. Abraham genuit Isaac. Isaac autem genuit Jacob. Jacob autem genuit Judam & fratres ejus.*

Luc. 3, 23. 34. *Et ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta; ut putabatur filius Joseph ..... qui fuit Jacob, qui fuit Isaac, qui fuit Abrahæ.*

Defenditur testimonium e Num. 24, 17.

NObile hoc Balaami prædictum nobis eripere contendunt Judæi recentiores, ac inprimis R. Lipman in Libro Nitzachon, qui & totum κατὰ λέξιν *(ad verbum)* exponendum censet. Unde cum juxta hanc interpretationem nec duces Moab interfecerit Jesus, nec vastaverit filios Seth, nec Idumæam possederit, nec Israelis opes ac robur a Jesu temporibus creverint, perperam hæc in Jesum conferri arbitratur. Grotius, qui pleraque Prophetarum de Christo oracula eruditis quidem & acutis interpretationibus, at non itidem veris labefactavit, Judæos illos novitios fere assectatur, atque hæc ad Davidem flectit, quod & antea feciſſe Julianum Imperatorem notat Cyrillus. A Davide autem attritos esse Moabitas & Idumæos traditum est in libro secundo Samuelis, & ipsi Davidis Psalmi indicant. Mystice tamen ad Messiam hoc Balaami prædictum Grotius referri posse concedit. Nos hæc negamus sumi posse κατὰ λέξιν *(secundum verba)* sed tantum κατὰ μεταληπτικὸν τρόπον *(juxta translativum modum)* eoque sensu Christum notari. Nam quid hæc sibi volunt, si sumantur κατὰ λέξιν *(secundum verba) Orietur stella ex Jacob?* quid ista, *Et consurget virga de Israel?* atque hæc, *Vastabit omnes filios Seth?* an universum genus humanum vastavit David? Grotium appello: an id facturus est Messias ille a Judæis expectatus? Lipmannum, gregalesque ipsius interrogo. Nam quod Sethum nescio quem Moabitarum regem comminiscitur Grotius, vel imaginariam quamdam urbem Moabitidem R. Nathan, aliique Rabbini absurdissimas interpretationes excogitant, nonne fuit satius apertis oculis lucem intueri & sequi quam micare in tenebris? Hæc igitur, quæ mere metaphorica sunt, qua eundum sit in reliqua prædictionis expositione manifeste demonstrant. Stellam dicimus Jesu Christi symbolum esse, quem Solis itidem, & Lucis, & Ignis symbolis significari ostendemus infra in Parallelismo. Virga quoque appellatur, Ebraice שבט, hoc est *Sceptrum:* id regiam dignitatem ac potestatem signat, quam Jesu quoque convenire Parallelismus declarabit. At Septuaginta Interpretes reddunt, ἄνθρωπος, *(homo)* in quo præclaram Christi notationem animadverto. Nam cum R. Abraham Seba in Fasciculo myrrhæ observaverit כוכב per cabalisticam artem Dei nomen יהוה continere, שבט Interpretes Septuaginta exposuerunt ἄνθρωπος *(homo)* ut intelligeremus divinitatem pariter & humanitatem Messiæ significari eodem hoc commate, in quo duæ hæ extant dictiones. Principes Moab, quæ gens fuit idolorum cultui impense dedita, & hoc memini in Libris sacris sæpe perstricta, simulacrorum cultores exprimunt, quorum superstitionem Christus Jesus emendavit & repressit, ut probabit quoque noster Parallelismus. Filios Seth intellige mortales omnes: a Setho enim ortus est Noe, humani generis reparator. Optime itaque vertit hanc clausulam Onkelos וישלוט בכל-בני אנשא *Et dominabitur omnium filiorum hominum:* quod in Christum quam apte quadret, abunde discetur ex Parallelismo. Unum hic proferam Isaiæ testimonium, unde alteri huic Balaami lux & robur accedet: *Egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet ..... & percutiet terram virga oris sui.* Ergo veteres Judæorum Magistri Messiam hic a Balaamo fuisse prædictum bona fide fatentur, atque hoc oraculum præ cæteris admirationē dignum arbitrantur. Sic intellexit & interpretatus est Onkelos; sic

Cyrill. l. 8. contra Julian. 2. Reg. 8. 2.

Isa. 11, 1. 4. 10.

Jonathan

Digitized by Google

Jonathan ben Uziel; ſic & impius ille Bar-Cokeba, qui cum Meſſiam ſe ferret, temporibus Hadriani, id nominis ex hoc Balaami vaticinio aſcivit, ac ſi *Filium ſtellæ* diceres, & in ſe oraculum hoc exitum habere jactavit: quod & R. Akibam, ab eo ita deceptum, ut apud ipſum armigeri munus obiverit, dicere conſueſſe legitur in Midraſch Threnorum, & in libro Taanit Thalmudis Hieroſolymitani, & apud Maimonidem in Jad Chazacah. Hic vero ſuam prædicti hujus interpretationem ita temperat in תלמוד, ut partim ad Davidem, primum nempe Meſſiam; partim ad ſecundum, verumque Meſſiam ſpectare velit: atque hæc quidem ad Davidem: *Videbo eum ſed non modo. Orietur ſtella ex Iacob. Percutiet duces Moab. Et erit Idumæa poſſeſſio ejus:* iſta vero ad Meſſiam: *Intuebor illum, ſed non prope. Conſurget virga de Iſrael. Vaſtabitque omnes filios Seth. Hæreditas Seir cedet inimicis ſuis.* Meſſiæ autem convenire iſta: *Vaſtabitque omnes filios Seth;* probat ex his Zachariæ: *Et poteſtas ejus a mari usque ad mare:* quod ut hic totius orbis, ita illic omnium hominum ſignificetur imperium. Eamdem opinionem perſecutus eſt R. Joſeph Albo in librum Fundamentorum, quam & a Magiſtris ſuis accepiſſe ſe ait.

Jad. Chaz. l. de reg. c. 11

Zach. 9, 10.

CAPUT IV.

Jeſus de ſemine Judæ.

GEn. 49, 10. *Non auferetur ſceptrum de Iuda, & dux de femore ejus: donec veniat qui mittendus eſt; & ipſe erit expectatio gentium.*

MAtth. 1, 3. 16. *Iudas autem genuit Phares & Zaram de Thamar ..... Iacob autem genuit Ioſeph, virum Mariæ, de qua natus eſt Ieſus, qui vocatur Chriſtus.*

Luc. 3, 23. 34. *Et ipſe Ieſus erat incipiens quaſi annorum triginta, ut putabatur, filius Ioſeph ..... qui fuit Phares, qui fuit Iuda.*

Ebr. 7, 14. *Manifeſtum eſt enim, quod ex Iuda ortus ſit Dominus noſter.*

Apoc. 5, 5. *Et unus de Senioribus dixit mihi: Ne fleveris, ecce vicit Leo de tribu Iuda, radix David.*

I. *Defenditur & explicatur teſtimonium e Gen. 49, 10.* II. *Præcipuæ, magisque receptæ proponuntur noſtrorum Interpretum ſuper hoc loco ſententiæ, & confutantur. Prima.* III. *Secunda.* IV. *Tertia.* V. *Quarta.* VI. *Quinta.* VII. *Proponitur deinde noſtra, & argumentis confirmatur.* VIII. *Refelluntur argumenta Adverſariorum. Primum argumentum.* IX. *Secundum argumentum.* X. *Tertium argumentum.* XI. *Ad viam refutationi Judæorum ſternendam oſtenditur in Jeſu completum eſſe hoc oraculum.* XII. *Refelluntur Judæi:* XIII. *ac ii primum, qui Meſſiam hoc oraculo prædictum fatentur quidem, at nondum veniſſe eum contendunt;* XIV. *quos inter præcipui ſunt, qui Æchmalotarcham Juda prognatum Judæis hodieque præeſſe affirmant:* XV. *tum R. Bechai, qui Meſſias duos a Jacobo prædictos affirmat, quorum alter fuerit Moſes, alter nondum advenerit:* XVI. *& qui vocibus,* שבט, *Sceptrum, &* מחקק, *Dux, tyrannicum & crudele imperium in ſe paſſim exerceri ſolitum prædici putant; & qui* שבט, *hic Tribum ſonare opinantur:* XVII. *quique Jacobum non id ſibi velle cenſent, fore ut Iſraelitis Reges de tribu Juda ſemper præſint, ſed ut non alii quam hac tribu orti præſint:* XVIII. *& qui prophetiam hanc* ὑποθετικὴν *eſſe ſtatuunt:* XIX. *quique ita exponunt, Judæis defenſores numquam defuturos.* XX. *& qui ita, Tribum Juda ex hominum commercio nunquam iri ſegregatum ut decem tribus.* XXI. *Refelluntur deinde Judæi, qui hoc oraculum ad Meſſiam ullo modo pertinere negant; ac ii primum, qui referunt ad urbem Siloh, & ad Davidem:* XXII. *tum ii qui ad Saulem;* XXIII. *& qui ad Jeroboamum;* XXIV. *& qui ad Nabuchodonoſorem.* XXV. *Cur hanc Jacobi prædictionem, aliasque complures ad Meſſiam pertinentes, Chriſtus, Apoſtoli, & Evangeliſtæ in teſtimonium non protulerint.*

Digitized by Google

Defenditur & explicatur teſtimonium eGen. 49, 1e.

EX omnibus, quæ in Scriptura ſacra venturi Chriſti prænuntia extant, oraculis, ut ſplendidum inprimis ac illuſtre, ita controverſiis etiam & diſputationibus vexatiſſimum illud eſt, quod Judæ filio moriens Jacob edidit, cum cæteris quoque filiis futuros rerum exitus panderet: *Juda*, inquit: *te laudabunt fratres tui: manus tua in cervicibus inimicorum tuorum; adorabunt te filii patris tui. Catulus leonis Juda; ad prædam, fili mi, aſcendiſti: requieſcens accubuiſti ut leo, & quaſi leæna; quis ſuſcitabit eum? Non auferetur ſceptrum de Juda, & dux de femore ejus; donec veniat qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio gentium. Ligans ad vineam pullum ſuum, & ad vitem, o fili mi, aſinam ſuam. Lavabit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine uvæ pallium ſuum. Pulchriores oculi ejus vino, & dentes ejus lacte candidiores.* Venturi Meſſiæ prædictionem his ineſſe, conſtans eſt & perpetua Chriſtianorum omnium opinio. Idem quoque priſcorum Judæorum arbitrium fuit. Verum inter utrosque id diſcriminis intereſt, quod nondum exitum habuiſſe vaticinationem hi exiſtimant; illi in Chriſto Jeſu fuiſſe completam certiſſime credunt. At recentiores Judæi nova doctrinæ ſuæ jam labaſcentis ac convictæ colligentes præſidia, & Chriſtianorum argumenta declinare conantes, alio clariſſimi oraculi deflexerunt ſententiam, ullamque Meſſiæ prædictionem his contineri præfracte negarunt. Nos hic illorum, vetuſtiorumque Judæorum, & ſi quorum par inſanitas eſt, vanitatem oppugnabimus.

Gen. 49, 8. & ſeq.

Præcipua magisque recepta proponuntur noſtrorum Interpretum ſuper hoc loco ſententia, & confutantur. Prima.

II. Quod ut ordine fiat, præcipuæ primum & magis probabiles exponendæ ſunt noſtrorum Interpretum ſententiæ; quibus diligenter excuſſis noſtram deinde ſubjiciemus, ac Judæos demum veritati offucias prætendere ſtudentes refellemus. Cum multæ ſint a Chriſtianis excogitatæ vaticinii hujus interpretationes, tum quinque occurrunt, vel plurium roboratæ conſenſu, vel ſimiliores veri. Prima ſtatuit ſemper e tribu Juda extitiſſe principes, donec Chriſtus Jeſus advenerit: non ergo poſtremum Sedeciam e Judæ tribu ſceptrum geſſiſſe, ſed tranſiiſſe illud ad ipſius poſteros, atque in eadem hac tribu ad Chriſtum usque per Aſſamonæos perſeveraſſe, quorum ſuprema inter Judæos poteſtas erat: his autem ab Herode ſublatis, a quo & regnum Judaicum uſurpatum eſt, tum una defeciſſe ſceptrum de Juda: Aſſamonæos porro quamvis paterno genere Levitæ eſſent, per matres tamen Juda eſſe prognatos: conjugatas quippe per matrimonia fuiſſe tribus Levi & Juda, atque id ex ſexto capite Exodi probari, in quo Aaron Aminadabi filiam duxiſſe uxorem legitur; & ex viceſimo ſecundo libri Paralipomenon poſterioris, in quo Jojada Pontifex filiam Jorami regis in matrimonio narratur habuiſſe.

Hujus doctrinæ anteſignanus Origenes plerosque e Patribus ſequaces habuit. Verum valide obtrita ea eſt a viris eruditis, quorum in propatulo ſcriptiones ſunt, neque nunc a nobis eas compilari decet. Paucis tantum dicam eam aperte a Jeremia jugulari, cujus de Jechonia inſigne illud extat oraculum: *Hæc dicit Dominus, Scribe virum iſtum ſterilem, virum qui in diebus ſuis non proſperabitur; nec enim erit de ſemine ejus vir, qui ſedeat ſuper ſolium David, & poteſtatem habeat ultra in Juda.* Adde & juxta Thalmudicum ſcitum nullo numero maternam ſtirpem cenſeri. Arbitrantur præterea R. Moſes ben Nachman, & R. Bechai, idcirco periiſſe infeliciter Saulem & Aſſamonæos, quod neutiquam orti genere regio alieni juris ſceptrum uſurpaſſent; quodque Lege ac priſcis Judæorum decretis in Thalmude collectis cautum ſit, ne Sacerdotes regnum capeſſant: quæ etſi fere falſa ſunt, ut dicemus paulo poſt, oſtendunt tamen, quam tralatitium fuerit, nullum ex hac cum tribu Juda affinitate jus ad ſceptrum Judaicum Aſſamonæis acceſſiſſe. Quæ eum intellexiſſent Gebrardus & Baronius, Aſſamonæorum ſtemma paternum ad Judam retulerunt; freti hoc teſtimonio libri prioris Machabæorum: *Et viri Juda magnificati ſunt valde in conſpectu omnis Iſrael:* quo Machabæos, Machabæorumque patrem Judam ſignificari volunt. Aliter haud dubie ſenſiſſent, ſi ad Græcum exemplar attendiſſent, quod verba hæc præfert: καὶ ὁ ἀνὴρ Ἰούδας, καὶ οἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ (*Et vir Judas, & fratres ejus.*) Idem habet Interpres Syrus. Neque hanc patitur interpretationem Pauli Epiſtola ad Ebræos, quæ de tribu Juda *nullum altari præſto fuiſſe* docet; nec liber Numerorum, in quo legitur Eleazarum ſacerdotem, Dei juſſu, impiorum Core,

Orig. Hom. 17. in Gen.

Jer. 22, 30.

Gen. Chr. Baron. Apparat. c. 5.

1. Mach. 5, 63.

Ebr. 7, 13.

Num. 16, 39. 40.

Digitized by Google

Core, Dathanis, & Abironis thuribula ænea produxisse in laminas, & affixisse altari; *ut haberent posteà filii Israel, quibus commonerentur, ne quis accedat alienigena, & qui non est de semine Aaron, ad offerendum incensum Domino, ne patiatur sicut passus est Core.* Rem vero apertissime conficit secundum caput Machabaici prioris, in quo Mathathias Machabæorum parens Joaribo prognatus fuisse legitur, cujus sors prima exiit in descriptione stationum & ἐφημεριῶν, quas ordine debebant obire Aaronitides familiæ, ut habetur vicesimo quarto capite prioris Paralipomeni. Eodem Machabaici prioris loco se Phinea oriundum prædicat Mathathias, eo qui Eleazari filius, Aaronis nepos fuit. Itaque hæc agnovit demum Baronius, priorem que sententiam homo candidi & ingenui moris ejuravit. Fac tamen Judæ tribules fuisse Assamonæos, an vero hoc ipsum de Sacerdotibus aliis poterit approbari, penes quos jamdiu ante hæc tempora suprema potestas fuit? Verum demus id quoque, & a Sedecia ad Christi usque tempora propagatam fuisse in tribu Juda regiam dignitatem constet: at certe a Juda ipso ad Davidem, neutiquam id juris supra reliquas obtinuisse certum est. Ruit ergo pessum prior hæc sententia.

2. Macha. 1. 1. Par. 24, 7. 1. Mach. 2, 54.

Secunda. III. Altera e Judæ tribu extitisse principes ad Christi usque tempora definit, quod supremus Ebræorum Consessus a Mose Dei jussu institutus, ut habetur undecimo Numerorum capite, Septuaginta viris conflatus, in Evangelio dictis πρεσβυτέροις *(Senioribus)* & ἄρχουσι *(Principibus)* & πρώτοις τοῦ λαοῦ, *(Primatibus populi)* quem סנהדרי גדולה, *Synedrium magnum*, sive בית דין הגדול שבירושלים *Domum judicii magni Hierosolymitani* appellabant, cui commissam fuisse Cabalam, & legis interpretandæ munus ferunt Judæi; penes quem summa erat auctoritas; quod hic, inquam, Consessus totus Senatoribus tribu Juda prognatis constaret. Δικαστήριον *(consessum Iudicium)* autem illud Hierosolymis Jebanam captivum fuisse abductum, quadraginta annis ante secundi Templum excidium narratur in Thalmude, nempe circa tempora mortis Christi, ac penitus demum fuisse sublatum. Designatos autem hos arbitrantur a Jacobo dictione מחקק. Cum ergo ad Messiæ usque tempora non defuerint מחקקים de tribu Juda, sic oraculum completum fuisse volunt; atque eo pacto sceptrum in Juda non defecisse, quoad venit ille qui mittendus erat. Ex Beresith Rabba fere hausta hæc sunt; quæ שבט *virgam judicis* interpretatur; & מחקק *Scribam*; & utroque designari statuit Synedrium magnum, quod ex Judæ stirpe ad venturum usque Messiam semper propagandum sit.

Nutat ea sententia, quod neque probari possit, neque verisimile sit, ex una tribu Juda selectos fuisse τοὺς συνέδρους *(Assessores)*, cum tulisse videatur populi Judaici consuetudo, & præceperit Deus, ut ex senibus omnibus Israeliticæ gentis deligerentur hi principes viri. Quod si ex una tribu Juda sumti fuissent, minime id profecto a Mose fuisset prætermissum. Quod cum animadvertissent eruditi homines, non totum Senatum ex Juda prodiisse dixerunt, sed Principem tantum Senatus. Princeps ille successerat in locum Mosis, qui pro jure suo Senatui a se instituto præfuerat, & præter Septuaginta illorum numerum censebatur. Dicebatur autem a Judæis, ראש וישבה, *Caput schola*; dicebatur & נשיא, *Princeps*, & נשיא בכל מקום *Princeps in omni loco*: cui secundarius alter addebatur, vulgo dictus אב בית דין, *Pater domus judicii*. Hunc ergo נשיא Ebrææ gentis velut sceptrum tenuisse volunt, eamque ex Legis statutis rexisse, ac judicia exercuisse: (cum alter ex alia familia, puta Assamonæorum, etiam Regis titulum gerens & insignia, munia obiret militaria;) & in tribu Juda, qua oriundus erat, Jacobi vaticinationem compleviſſe: cujus πληρώματος *(complementi)* signum publice ut extaret, sceptrum suspensum fuisse in medio conclavi supremi illius Hierosolymitani Synedrii. Verum cum hæc Thalmudistarum solum fide nitantur, neque ullam in sacro Codice probationem habeant, celebratissimi oraculi ambagibus explicandis parum videntur idonea; cum præsertim jam inde a Captivitate, & post solutam Captivitatem Babylonicam, verum ac supremum Judaicæ gentis imperium penes Persarum & Macedonum reges fuerit; umbram vero tantum summæ potestatis, idque precario, retinuerint Judæi; quam inter illos non posteri quidem Judæ, sed

Digitized by Google

sed Pontifices, postquam Hierosolymam reversi sunt, fere exercuerunt. Qua ergo fide dici potest, sceptrum tenuisse illum Nasi, qui sub Pontificum erat potestate, ab alieno fere arbitrio pendentium? Quid quod neutiquam inter Rabbinos constat, de tribu Juda semper delectum fuisse Nasi, sed ex alia quavis delegi potuisse eorum plerique censent.

Tertia. IV. Tertia sententia hoc oraculum, non ad Judæ tribum separatim, sed ad eamdem cum reliquis conjunctam, at præstantia quadam & excellentia florentem, inque iis primas tenentem refert. Id igitur sibi velle Jacobum statuunt, non defuturos in Judaica gente principes, ex qualicunque ortos tribu, eamque gentem legibus suis usuram, quoad Messias veniat: qui cum venit, ad Herodem, hominem ut ipsi volunt extraneum & ἀλλόφυλον (*alia gente ortum*) sceptrum transiisse. Magni sententiæ hujus patroni, Justinus, Eusebius, Diodorus Tarsensis, aliique Patres a recentioribus ejus defensoribus Pererio & Casaubono laudantur. Perer. in Gen. 49. Cas. adv. Bar. Exerc. 1, ad App. Cujus hæc afferuntur argumenta. Complures post Jacobum extiterunt Judaicæ gentis duces ac principes, ad Davidem usque; Juda neutiquam prognati: puta Moses e Levitica tribu; Josue & Debbora ex Ephraimitica; Barac e Naphtalitica; Gedeon e Manassæa; Samson e Danitica; Saul e Benjamitica. Rursum a Roboamo Salomonis filio defecerunt tribus decem, seque principibus ex tribu Juda neutiquam ortis permiserunt, ac primum quidem Jeroboamo Ephraimi nepoti. Post solutam autem Babylonicam captivitatem, ad ætatem Messiæ; per quingentos & amplius annos aristocratiæ formam assumsit Judæorum Respublica, cum summæ rerum Sacerdotes præessent, non Judæ posteri. Unde id effici volunt; cum sceptrum tribules Judæ non semper tenuerint, sed aliis aliisque tribubus orti principes ac magistratus, primas tamen tenente tribu Juda præ aliis, tantundem valere oraculi verba, ac si dixisset Jacobus, Non desinet Judaica gens ἐυτονομίαν (*potestatem legibus suis utendi*) & imperii majestatem ac formam retinere, præstante ac præcellente inter reliquas tribu Juda. Quod jam inde a Jacobo ita se habuisse contendunt: quippe Judæ jussis fratres paruisse, cum Josephum exemit letho, & ut Ismaelitis venderetur persuasit: Judæ potestatem a Jacobo patre factam Benjaminis, ad Josephum in Ægyptum deducendi, cum idem Rubeno jam ante negasset: Judam præ cæteris fratribus oratum accessisse propius ad Josephum, ne Benjaminem apud se detineret. Ajunt præterea secundo capite Numerorum in castris metandis primas partes Judæ dari: item & septimo libri ejusdem capite, & decimo, locum eumdem assignari Nahassoni de tribu Juda, in muneribus offerendis, & castris movendis: priore quoque loco numerari tribum Juda tricesimo quarto Numerorum capite, in recensendis Chananææ terræ erciscundæ præfectis; & in ipsa divisione terræ primam sortem tulisse, ut est in decimo quinto capite libri Josuæ: in designatione quoque Leviticarum urbium primum locum obtinere vicesimo primo capite Josuæ: post obitum Josuæ, in bellis adversus Chananæos & adversus ipsos Benjamitas gerendis ducatum eidem Dei oraculo concedi, Deumque cum ea esse dici: quamdiu populum rexerunt Judices, etiamsi e variis illi tribubus seligerentur, semper tamen præcelluisse tribum Juda, quoad rege creato Davide rerum summæ præfuit tribus Iuda, ad Zorobabelem usque: rursum in Paralipomenis priore numero inter Israelitas recenseri tribules Iudæ. Atque hanc denique dignitatem retinuisse ajunt ad Christi tempora, unde factum, ut & genti toti nomen de se fecerit; ab ea quippe Iudæos & Iudæam terram nomen traxisse. Quamvis autem tribui huic, totique adeo genti complures duces ex aliis tribubus orti præfuerint, tribum tamen Iudæ primas habuisse, ac tenuisse imperium dici & credi jubent; quemadmodum Romani populos imperio regere dicti ac crediti sunt, etiamsi Romanum imperium tenuerint Imperatores plurimi exteris gentibus orti. Hanc autem nominationem, quam ex Iuda tribus ista habuit, præcipuum argumentum habent, quo suam opinionem approbent, in eaque præcipue completum esse statuunt Iacobi vaticinium. Pluribus ista persequitur Eusebius, quæ nos in pauca contraximus. Nec longe hinc abit R. Isaac Abrabaniel, qui veterem quemdam Magistrum secutus, tenue aliquod imperium & exiguam jurisdictionem Iudæ promitti vult a Iacobo, qua ad Messiæ usque adventum fruatur. Hujus sententiam exponens R. Manasses

Num. 2, 3. Num. 7, 11. 12. Num. 10, 14. Num. 34. 19. Jos. 15, 1. Jos. 21, 4. Jud. 1, 2. 19. & 20, 18. 1. Par. 2, 3. Euf. Dem. Evang. l. 7. & 8. & Hist. Eccl. l. 1. c. 5. R. Manass. in Concil. Quæst. 65.

Digitized by Google

naſſes in Conciliatore, argumenta eadem affert, que mox adduximus; atque hoc præterea, ſeorſum a reliquis Ebræis numeratos fuiſſe a Saule Judæ poſteros, cum exercitum Iſraelitarum luſtraret: quod propter tribus præſtantiam ſupra cæteras factum putat. Sed & in ſecundam ſententiam prolabitur, cum ut perpetuum Judæ imperium & ἀξίωμα *(auctoritatem)* fuiſſe oſtendat, principes illos Synedrii commemorat & Capita Captivitatis, cum Babylonicæ, tum etiam ejus, quæ per univerſum orbem Judæi ad hanc ætatem premuntur. Cui probando affirmat numquam defuiſſe per Europam Davidis nepotes. Quod & de liberis ſuis jactabat ipſe, per matrem oriundis ſtirpe Abrabanielem, qui genus ad Davidem referebant. Sed nos cum Judæis velitabimur infra: nunc cum Chriſtianis, tertiæ ſententiæ defenſoribus, rem geramus.

1. Reg. 11, 8. & 15, 4.

Horum etſi una videtur ſimplexque ſententia, multiplex tamen reipſa eſt ac varia. Nam Pererius Euſebii ſententiam impugnat, quod *Sceptrum* ſignificare voluerit præſtantiam tribus Juda, ἀρχικὸν ἀξίωμα φυλῆς βασιλικῆς *(principalem dignitatem regiæ tribus,)* cum ſupremus principatus voce hac exprimatur: quodque ſceptrum remanſiſſe docuerit in alia tribu, Levitica nempe, poſt ſolutam Captivitatem; præſtantiam vero & honorem in tribu Juda: quaſi ſceptrum, dignitatem videlicet regiam, præſtantia & honos non conſequantur. Idem tamen Pererius Euſebii auctoritate ſententiam ſuam confirmat, quod ſceptrum Judæ intellexerit ſceptrum Judaicæ gentis, non tribus Juda, ſceptrumque in ſtirpe Judaica non defeciſſe doceat, usque ad Herodem externum hominem & peregrinum. Arbitrabatur enim Pererius Judæ vocabulo hic notari totam gentem Ebræam, atque id ſibi Iacobum, Ebræos ex ſua ſtirpe, ſuoque ſanguine principes habituros, quoad Meſſias veniat: propterea autem Judæ nomen toti genti accommodaſſe Iacobum, & partem pro toto poſuiſſe, quod populi Iudaici pars eſſet nobiliſſima; quemadmodum Ieruſalem & Sion pro Iudæis, Babylon pro Chaldæis, Samaria pro regno tribuum decem, nonnumquam poſita ſunt. Verum ne ſibi quidem ſatis conſtat Pererius; hac enim magno apparatu propoſita ſententia, multisque Patrum ſuffragiis & rationibus ſuffulta, aliam ſtatim affert, quam veriſimiliorem & ad intelligendum planiorem eſſe agnoſcit; prophetiam nempe hanc proprie ad tribum Juda pertinere, principatumque ipſi ſpondere, numquam ab ea auferendum, donec veniat Meſſias; atque id eventu fuiſſe comprobatum: poſtquam enim ſceptrum adepta eſt tribus Juda per Davidem, id retinuiſſe ad Captivitatem usque Babylonicam, qua ſoluta nec id amiſiſſe; quamvis enim Leviticæ perſonæ tum ſceptrum tenuerint, id tamen ſceptrum Judaicum fuiſſe, ſive tribus Juda, quod & regio & ſubditi eſſent de tribus Juda, atque id eſſet vere regnum Juda, & de tribus hujus nomine, & tota gens, & regnum ipſum appellaretur: tum autem defeciſſe illud, cum ad Herodem ἀλλόφυλον *(alienigenam)* tranſiit. Cum ergo a ſe ipſo diſcrepat Pererius, tum etiam ab Euſebio diſſentire ſe putat; quod hic ſceptrum Judæ, præſtantiam tantum & dignitatem tribus illius præ aliis ſignificare velit; Pererius vero ſupremam poteſtatem & imperium, quod in tribu Juda fuiſſe ait, etiam cum aliarum tribuum perſonæ ſceptrum gererent, ſive poſt ſolutam Captivitatem Babylonicam, cum gens tota de nomine hujus tribus nomen haberet; ſive poſt Ægyptiam, cum tribui Juda ducatus in gerendis bellis a Deo conceſſus eſt. Verum hoc ipſum ſenſiſſe Euſebium, nec ulla re a Pererio diſcrepare, manifeſtum eſt ex ea, quam proponit, & nos ſupra attulimus, Romani imperii comparatione, cui præfuerunt externi Imperatores & peregrini; licet tum quoque Romani rerum domini & dicerentur, & eſſent, ſceptrumque ac ſuprema poteſtas penes illos eſſet, non præſtantia tantum præ aliis gentibus & excellentia.

Pereri. in Gen. 49, 10.

Pererii veſtigia aſſectatus Caſaubonus, eamdemque ſententiam perſecutus, ducem tamen ſuum tum deſerit cum completa hæc in in Herode Aſcalonita, viro nempe extraneo & alterius gentis Pererius decernit; nam & Herodem hunc non fuiſſe extraneum erudite probat; (quod & jam ante fecerat Scaliger; & multo prius Nicolaus Damaſcenus, Herodis regis familiaris, qui ἐκ τῶν πρώτων Ἰουδαίων *(ex primatibus Judæorum)* oriundum fuiſſe docet: & Strabo, qui ἐνέγκα ἐπιχώριον *(virum indigenam)* appellat; & Joſephus, qui genere Judæum eſſe ſcripſit; quibus viri docti aſſenſi ſunt:) neque ante ſceptrum amiſiſſe

Scalig. in Euſeb. Chr. l. 2. Nic. Dam. apud Joſ. Antiq. l. 14. c. 2.

Strab. l. 16. Joſ. Antig. l. 20. c. 6.

Digitized by Google

amisisse Iudaicam gentem, quam Hierosolyma cum Templo diruta est. Is porro in Iacobæo oraculo quatuor contineri prædictiones observat; primam, adventus Messiæ, *Donec veniat Siloh*; secundam, vocationis gentium, *Et ipse erit expectatio gentium*; tertiam, desituræ Reipublicæ Iudaicæ, *Recedet sceptrum & dux*; quartam, temporis quo venturus erat Messias, *priusquam recederet sceptrum de Juda, & dux de femore ejus*. Has autem prædictiones quatuor ad omnes tribus in commune spectasse docet Casaubonus, non ad unam aliquam singularem, atque id tamen in hoc vaticinio præcipuum habuisse tribum Juda, quod ex illa oriturum Messiam prædictum sit; quod πρωτοτοκία, sive prærogativa natalium Judæ attribuatur his verbis: *Juda, te laudabunt fratres tui*; quæ Rubeno ablata fuerat: *Prior in donis, major in imperio*; *effusus es sicut aqua: non crescas*. πρωτοτοκία scilicet honoris & dignitatis; nam quæ ad facultates & bona pertinebant, ea in Josephum fuisse translata, tra-
1. Par. 5, 2. ditur quinto capite prioris Paralipomeni. Hanc autem præcellentiam tribui Juda concessam esse ait propter Messiam ex ea olim proditurum. Observat præterea ἀρχιαιχμαλωτίδας (*Duces captivitatis*) Babylonios, quos Iudæi ראשי הגולה, *Capita*, sive *Duces captivitatis* appellant, de tribu Juda semper fuisse delectos, hodieque deligi, uti quidem præ se ferunt Iudæi; nam in hac confusione tribuum fieri id posse credibile
Orig. l. 4. περὶ ἀρχ. c. 2. non est; & jamdiu notavit Origenes, notarunt & alii, falso jactare ipsos Patriarcharum suorum ortum ex Davide. Atque id affert Casaubonus, ut ostendat ne post solutam quidem Captivitatem tribum Iuda princi-
Just. Dial. cum Tryphon. patu excidisse. Docet postremo ex Iustino, *Sceptrum*, non regum præcise notare potestatem, sed rectorum omnium Reipublicæ Iudaicæ, sive regum, sive magistratuum, vel etiam sacerdotum; tumque oraculum vere esse completum, non cum Herodes regnum invasit, sed cum omnis magistratus civilis & hierarchicus abolitus est; capta nimirum & deleta Urbe; minime vero esse existimandum semel ac simul contigisse Reipublicæ excidium, sed diversis temporibus, uti evenit in priore Captivitate; initiumque postremæ hujus fuisse, cum a Pompejo domiti Iudæi ac libertate multati sunt; ad quam calamitatem variis subinde accessionibus factis, extremam demum gentis cladem, totiusque Reipublicæ eversionem consecutam esse, capta per Titum Urbe & solo æquata, Temploque funditus diruto.

Multa sunt, quamobrem his non assentior. Nam primum si quis negaverit (quod ego tamen libenter concesserim) tribubus aliis præcelluisse semper tribum Juda, & a Jacobo ad Davidem ullam apparere ipsius præstantiam, non ita facile convinci ipsum posse puto. Nam quod suasioni Judæ morem gesserunt fratres, cum auctor ipsis fuit, ut Josephum Ismaelitis venderent; aliud est impetrare quippiam precibus vel consilio, quod hic fecit Judas, aliud pro imperio jubere. Deinde Rubeno jam ante paruerant suadenti, *ne interficerent animam* Josephi, Gen. 37, 21. 22. *nec effunderent sanguinem, sed projicerent eum in cisternam, manusque suas servarent innoxias*: nec inde tamen Rubeniticæ tribui primas quisquam arrogare velit. Adde hoc ipsum a Juda datum fratribus de Josepho vendendo consilium culpari a Judæis. Sic Ben. Sir. c. 16. Ben Sira: *Juda non fuit usquequaque justus, quia vendidit Josephum Ismaelitis & cum nuru Tamare concubuit*. An & Judæ auctoritati id tribuisse Jacobum patrem dicent, ut licentiam ei concederet Benjaminis in Ægyptum ducendi; an potius urgenti fami & penuriæ frumenti, qua nondum ita premebatur, cum idem postulanti Rubeno abnuit? Quod autem ad Josephum confidenter accessit Benjaminis libertatem fatigaturus; nempe patri fidem suam pro reditu fratris obligaverat: itaque polliciti memor rem ipse suam procurabat, quæ in fratris salute agebatur. Cæterum nihil ipsi præ fratribus vel juris, vel honoris tum fuisse concessum cognoscitur ex convivio, quo apud Josephum excepti sunt: illic quidem *Sederunt coram eo, primogenitus* Gen. 43, 33. *juxta primogenita sua, & minimus juxta ætatem suam*. Quod in tribuum recensione prior nonnunquam numeratur tribus Juda, nullum idcirco prærogativæ jus ipsi attribuitur, nihilo certe magis quam Rubeno, qui variis Scripturæ locis prior recensetur; potissimum vero hoc Geneseos capite quod tractamus, in quo Jacobus primas Rubeno partes in recensione filiorum, non Judæ concedit, *prioremque* eum *in donis majorem in* Gen. 49, 3. 4. *imperio* esse ait. Quod addit autem: *Non*

crescas

Digitized by Google

erefcas תרחי אל, hoc ipſum eſt quod de eo poſtmodum prædixit Moſes jam morti proximus: *Sit parvus in numero.* Nam מיר, non qualitatem ſolum, excellentiam nempe & præſtantiam; ſed & quantitatem frequentiam ſcilicet, abundantiam & multitudinem notat. Nec enim in magnum numerum Rubenitica tribus excrevit. Id ſibi vult Septuaginta virorum interpretatio: μὴ ἐκζέσης. *Ne efferveſcas*; ſumta metaphora ab aqua ebulliente, quæ proxime uſurpata fuerat a Jacobo, cum diceret: *Effuſus es ſicut aqua.* Clarius etiam Aquila: μὴ περισσεύσῃς. *Ne redundes.* Symmachus: οὐκ ἔσῃ περισσότερος. *Non eris copioſior.* Sin bonorum copiam intelligi velis, quæ jure πρωτοτοκίων ad Rubenum pertinebant, Joſepho conceſſam eſſe, non Judæ, docet quintum caput prioris Paralipomeni, ut dixi Primum quoque locum in recenſendis tribubus Rubeno Moſes tribuit: at prior ab eodem recenſetur Simeon viceſimo ſeptimo capite Deuteronomii, cum ordinem præſcribit, quo ab Iſraelitis pii fauſtis precationibus, impii contra diris execrationibus de montibus Garizim & Hebal erant proſequendi. Exodi præterea ſexto capite Rubenitarum, Simeonitarum, & Levitarum ſtemmata deſcribuntur, ne memorata quidem tribu Juda. In caſtrorum metatione erecto Tabernaculo ad ortum ea ſtatui jubetur capite Numerorum ſecundo, non πρωτοτοκίων jure, ſed opinor propter tribulium multitudinem, quæ in libris Numerorum & Samuelis tanta fuiſſe narratur, ut eam alia nulla exæquaverit; vel propter fortitudinem, qua pollebant præ reliquis: *Porrò Judas qui erat fortiſſimus inter fratres ſuos, de ſtirpe ejus principes germinati ſunt.* verba ſunt Paralipomeni prioris: cum alioquin ex hoc loco non magna videatur tribui Juda facta eſſe dignitatis acceſſio; non major certe quam tribubus Iſſaſchar & Zabulon, quæ ad eamdem partem locatæ ſunt, præ aliis ejusdem ſortis; vel tribubus Ruben, Gad, & dimidiæ Manaſſe, quas in diviſione Terræ ſanctæ ſitas ad ortum reliquæ tribus habuerunt. His robur conciliatur ex Bemidbar Rabba, ubi legitur ad eamdem partem, qua tendebat Judas, tetendiſſe quoque Moſem & Aaronem, de gente Levitarum, quorum in ſtudio Legis valde nobilitata eſt induſtria, Iſſaſcharem etiam & Zabulonem, qui inſigni quoque Legis peritia præſtabant. Capite enim duodecimo prioris Paralipomeni ſcriptum id extat: *De filiis quoque Iſſaſchar viri eruditi, qui noverant ſingula tempora, ad præcipiendum quid facere deberet Iſrael, principes ducenti:* de Zabulone vero iſtud quinto Judicum, juxta Ebræum exemplar, quod Interpretationes omnes præter Vulgatam ſecutæ ſunt: *Et de Zabulon ſcribentes calamo ſcribæ.* Quaſi id velit Interpres, ad ortum ſitas eſſe has tribus, perinde ut illam Judæ; quod ut hæc fortitudine & numero ſuperabat reliquas, ſic illæ peritia Legis cæteris præcellebant. Atqui inde poteſt colligi, tantum his tribubus conceſſiſſe illam Judæ, quantum ſacræ Legis doctrina potior eſt audacia & multitudine. In caſtris autem movendis, muneribusque offerendis, idem ordo ſervatus eſt qui in metandis caſtris, proindeque & in recenſione loco priore recenſeri Judas debuit. In deligendis erciſcundæ Terræ præfectis, priores numerantur tribus Judæ, Simeonis, Benjaminis, & Danis, quæ ternionum ad quatuor mundi plagas in caſtris ſitorum principes erant: ſingulas enim plagas terræ tribus hæ reſpiciebant. Prior in diviſione Chananææ terræ ſors tribus Juda recenſetur; non, ut videtur, prærogativæ cauſſa, ſed quod proxime fuerit narratum, quemadmodum Caleb qui fuit de hac tribu, Hebron ἐκληρωτί (*ſine ſorte*) conceſſa ſit; unde data occaſio eſt uno tenore commemorandi, ecquam ſortem reliqua tribus tulerit. Sed & tribubus Ruben, Gad, & dimidiæ Manaſſe, ſortes ſuæ jam ante fuerant attributæ. Obtinet quoque locum præcipuum in deſignatione urbium Leviticarum tribus Juda, quod a meridionali plaga initium numerandi factum ſit, verſus quam ſita eſt, itidem ut Benjamitica tribus & Simeonitica, quæ cum illa Judæ priores appellantur. Iſraelitis bella gerentibus præire jubetur, propter inſignem ejus in adeundis periculis fortitudinem, ingentemque bellantium numerum. Nec plus ipſi inde accreſcit dignationis ac excellentiæ, quam Rubenitis, Gaditis, & dimidiæ tribui Manaſſe, quod fratribus ſuis in ſubigendis Chananææ terræ incolis duces ſe præbuerint. Addit ad ſuperiora R. Manaſſe in Conciliatore ſeorſum numeratos fuiſſe a Saule Judæ tribules in exercitus Iſraelitici recenſione: quod &

Deut. 33, 6.
1. Par. 5, 1.
Deut. 27, 12.
Num. 2, 3.
Num. 1. & 2, 9.
2. Reg. 24, 9.
1. Par. 5, 2.
1. Par. 12, 32.
Jud. 5, 14.
R. Manaſſ. Conciliat. Quæſt. 65.
1. Reg. 11, 8. & 15, 4.

Digitized by Google

2. Sam. 24, 9. 1. Sam. 17, 52. & 18, 16. in illa Jacobi factum est; uti & aliis locis seorsum ab Israele nominatum: quod nos non ob gentis ἀξίωμα (*dignitatem*) sed ob bellicam virtutem, qua superabant reliquos, factum interpretamur. Quod autem in Paralipomenis priore loco numerantur nepotes Judæ, factum id propter reverentiam dignitatis regiæ, quam tribus hæc multo ante obtinuerat quam Liber iste scriberetur. Priscis igitur Reipublicæ Ebraicæ temporibus nullum prærogativæ jus videtur habuisse tribus Juda. Largiamur id tamen, ne omnia negemus Josepho, apud quem David pronuntiat disertis verbis Judam Jacobi filium inter fratres fuisse delectum, qui rex designaretur: non tamen quod prior fuerit, sequitur sceptrum habuisse, quod futurum prædixit Jacobus. *Me vero illud argumentum non magis movet*, inquit vere & appositè Cunæus, *quam si Romæ, aut Athenis quispiam sceptri majestatem, non apud populum Romanum aut Athenienſem, sed apud unam dicat tribum fuisse, quæ ceteris nobilior florentiorque erat.* Sed neque post solutam Captivitatem Babylonicam, eximium aliud habuit tribus Juda, quam pristinæ dignitatis regiæ memoriam. Porro *Judas*, inquit Paralipomenon prius, *qui erat fortissimus inter fratres suos, de stirpe ejus principes germinati sunt.* Quo quid ad illam diem præcipuum haberet tribus ista, significatur. Adde & nominis a se impositi prærogativam; non toti quidem genti, ut scribunt Eusebius, & Casaubonus, sed imperio huic, quod tribu Juda, & Benjamiticæ ac Leviticæ parte constabat: cum interea Levitica tribus, præter honorem sacerdotii perpetuum, regno etiam ac suprema potestate aucta esset, & supra reliquas tribus longo evecta intervallo. Nomen autem ut his tribubus de se faceret tribus Juda, ex eo contigit, quod in defectione Jeroboami, sola tribus Juda Roboamo adhæsit. Sic enim habet tertius Regum undecimo capite: *Ecce ego scindam regnum de manu Salomonis, & dabo tibi decem tribus: porro una tribus remanebit ei:* sic & capite sequenti de Jeroboamo: *Constituerunt eum Regem super omnem Israel, nec secutus est quisquam domum David præter tribum Judæ solam.* Sola enim, ut dixi, Roboamo tota hæsit, cum tamen Simeoniticæ tribus pars aliqua, ea videlicet quæ Judæ finibus continebatur, Benjamiticæ vero longe major ei se adjunxerit. In hunc autem censum neutiquam venire solet Levitica tribus, quæ inter alias tribus minime numerabatur. Hinc illud e duodecimo capite libri tertii Regum: *Venit autem Roboam Jerusalem, & congregavit universum domum Juda, & tribum Benjamin, centum octoginta millia electorum virorum bellatorum, ut pugnarent contra domum Israel, & reducerent regnum Roboam filio Salomonis. Factus est autem sermo Domini ad Semejam virum Dei, dicens, Loquere ad Roboam filium Salomonis, regem Juda, & ad omnem domum Juda, & Benjamin, & reliquos de populo, dicens, Hæc dicit Dominus, Non ascendetis, neque bellabitis contra fratres vestros filios Israel.* Ergo Roboamum sequebantur domus Juda & Benjamin; illa quidem tota, hæc vero ex parte tantum. Quocirca hic Rex Juda solum, non rex Juda & Benjamin dictus est, uti neque successores ejus. Postquam autem a Theglathphalasare & Salmanasare in Assyriam deportati sunt ii, qui regibus Israel parebant, sola tribus Juda pristini imperii imaginem retinuit. Sic quartus Regum decimo septimo capite: *Iratusque est Dominus vehementer Israeli, & abstulit eos a conspectu suo, & non remansit nisi tribus Juda tantummodo.* Unde evenit, ut sequentibus annis de ejus nomine superstes hæc ditio dici cœpta sit. In quo Eusebium, ejusque sectatorem Casaubonum longe fefellit ratio, qui tribus duodecim a tribu Juda nomen traxisse scribunt. Decem quippe ex illis trans Euphratem degentes longa procul longis terris via dividebat, nec ulla iis erat cum tribu Juda consuetudo. Hunc errorem merito castigavit Cunæus. Minime vero προτερευτικῶν jure, nec propter tribus hujus dignitatem & excellentiam in socias tribus nomen ipsius defluxit, sed propterea quod post secessionem decem tribuum, quæ pars erat Ebraici regni, jam de se sola regnum effecit; tum deinde regno Israel deleto, sola superfuit, quæ Reipublicæ retineret formam, quæ patrias sedes servaret, & veteris imperii Ebræorum majestatem tueretur. Cum tamen hoc tempore, ut dixi, longe potior esset Leviticæ tribus dignatio, cui ad avitum sacerdotium quo exciderat numquam, regius præterea splendor accesserat. Agamus tamen liberaliter, præcipuamque

Joseph. Antiq. l. 7. c. 10.

Cun. l. 1. de sep. Ebr. c. 9.

1. Par. 5, 2.

3. Reg. 11, 31. & 12, 20.

3. Reg. 12, 21. 22. 23.

4. Reg. 17, 18.

Cun. l. 1. de Rep. Ebr. c. 10.

Digitized by Google

puamque fuisse demus tribus Juda præcellentiam a Jacobo ad Christum. Demus quoque aliquam πρωτοτοκίων adumbrationem penes ipsam fuisse, quod persuadere potest Jacobi denuntiatio: *Juda, te laudabunt fratres tui: ..... adorabunt te filii patris tui.* Similia enim sunt istorum, quibus Isaacus πρωτοτοκίων dignitatem ab Esau transfert ad Jacobum: *Esto Dominus fratrum tuorum, & incurventur ante te filii matris tuæ.* Quanquam ne id quidem satis valet ad πρωτοτοκεῖα Judæ adscribenda, quæ in Josephum fuisse transcripta docet prius Paralipomenon, atque his quidem verbis, quibus velut refelluntur ii, qui propter ortos ex Juda principes, & huic inde conflatam dignitatem, πρωτοτοκεῖα ipsi attributa poterant arbitrari: *Filii quoque Ruben primogeniti Israel: ipse quippe fuit primogenitus ejus; sed cum violasset thorum patris, data sunt primogenita ejus filiis Joseph, filii Israel, & non est ille reputatus in primogenitum. Porro Judas, qui erat fortissimus inter fratres suos, de stirpe ejus principes germinati sunt; primogenita autem reputata sunt Joseph.* Sed fateamur nihilominus translata fuisse ad Judam πρωτοτοκεῖα, non sic tamen causam obtinebunt sententiæ istius, quam tractamus, patroni. Volunt enim hæc verba, *Non auferetur sceptrum de Juda*, res duas plane diversas significare, Judaicæ nempe gentis ἐκτονομίαν *(facultatem suo jure utendi,)* & tribus Juda præ reliquis tribubus præstantiam: quod neutiquam pati potest ratio. Qui enim prius illud ajunt, cum inde urgentur quod nihil in hoc vaticinio peculiare habitura sit tribus Juda, si ad omnes tribus in commune referatur, cum singulæ tamen tribus in testamento Jacobi suas sibi prædictiones habeant, tum ad tribus Juda dignitatem confugiunt, quam hic secundum congruam quamdam applicationem intelligendam esse pertendunt. Quod perinde est, ac si partem pro toto sumi dicerent. Et ita sane sensit Peresius, opinionis hujus insignis assertor: *De Juda*, inquit, *idem valet, atque, de populo Judaico; vel de Juda, significat proprie tribum Juda; sed posita est pars illius populi nobilissima pro toto populo.* Adde & ex præcedentibus ac sequentibus significationem verborum istorum esse spectandam: nam si ad tribus duodecim referri nequeunt præcedentia, frustra ad eas sequentia detorquentur. Quis ista autem ad duodecim Ebraicæ gentis tribus pertinere dicat: *Juda, te laudabunt fratres tui:* & ista: *Adorabunt te filii patris tui.* Nonne & hæc fertilitatem indicant regionis quam insedit tribus Juda: *Ligans ad vineam pullum suum, & ad vitem, o fili mi, asinam suam. Lavabit in vino stolam suam, & in sanguine uvæ pallium suum. Pulchriores sunt oculi ejus vino, & dentes ejus lacte candidiores.* Frustra autem Justini auctoritas obducitur: nam si verba illius expendantur attente, nihil inde elicietur hujusmodi. Sic ille in Dialogo cum Tryphone: ὅτι ἂν ὑδέποτε ἐν τῷ γένει ὑμῶν ἐκαύσαντο. ὅτε προφήτης, ὅτε ἄρχων, ἐξότε ἀρχὴν ἔλαβε, μέχρις οὗ ἦλθε Ἰησοῦς χριστὸς κῦ γένοιτο, κῦ ἔπαθεν, οὐδ' ἀνασχόντως εἶπεῖν, ἢ ἀποδεῖξαι ἔχετε. κῦ γὰρ λεγόντων ἀφ' οὗ ἔπαθεν, ἀσκαλωνίτην γεγενῆσθαι λέγοντες, ὅμως ἐν τῷ γένει ὑμῶν ὄντα λέγετε ἀρχιερέα. *Igitur in gente vestra defuisse unquam Prophetam, aut Principem, ab ipsis ejus primordiis, quoad is Jesus Christus & natus & passus est, non adeo estis impudentes, ut dicere audeatis, neque demonstrare potestis. Nam Herodem, sub quo passus est, Ascaloniten fuisse dicentes, nihilominus tamen in gente vestra summum Sacerdotem esse dicitis.* Ex his concluditur, visum esse Justino Judæ nomine Jacobum totam gentem, non tribum solam appellasse: quod non est ita. Notandum quippe est Justino propositum esse solum ostendere, hoc oraculo præsignificatum esse adventum Christi, tumque esse completum, cum Jesus advenit. Ergo ad id satis ipsi fuit declarare, tum desiisse Judæos regibus suis parere, cum Jesus apparuit. Nihil autem conducebat ad ipsius propositum accurata vocabuli *Juda* interpretatio. Utrum enim totam gentem Judaicam, an solam tribum Juda significari dixisset, plane idem erat quoad vim argumenti. Totum itaque usurpavit pro parte; aliud haud dubie facturus, si interpretem egisset. Quemadmodum enim qui Romæ natus est, in Italia natus merito dici potest; & Principem Borbonia stirpe ortum, recte Francica domo prognatum dicas; propterea quod in toto continetur pars; & quæ ad partem pertinent, de toto prædicari possunt: ita qui ex tribu Juda proditurus erat, jure eum ac merito Justinus genere Judaico proditurum esse dixit. Id sibi voluisse ipsum manifesto

Gen. 49, 8.

Gen. 27, 29.

1. Par. 5, 1. 2.

Digitized by Google

probat locus alter ex Apologia secundâ: ὑμέτερον ἦν ἐκεῖνα ἀκριβῶς ἐξετάσαι καὶ μαθεῖν, μέχρι τίνος ἦν ἔρχων καὶ βασιλεὺς ἐν Ἰουδαίοις ἴδιος αὐτῶν. μέχρι τῆς φανερώσεως Ἰησοῦ Χριστοῦ, τοῦ ἡμετέρου διδασκάλου, καὶ τῶν ἀγνοουμένων προφητειῶν ἐξηγητοῦ, ὡς προεῤῥέθη ὑπὸ τοῦ θείου ἁγίου προφητικοῦ πνεύματος διὰ τοῦ μωϋσέως, μὴ ἐκλείψων ἄρχοντα ἀπὸ Ἰουδαίων, ἕως ἂν ἔλθῃ ᾧ ἀπόκειται τὸ βασίλειον· Ἰούδας γὰρ προπάτωρ Ἰουδαίων, ἀφ' οὗ καὶ τὸ Ἰουδαῖοι καλεῖσθαι ἐσχήκασι. *Vestrum est igitur accurate disquirere & discere, quousque princeps fuerit & rex apud Judæos ipsorum proprius, nempe quoad apparuit Jesus Christus magister noster, & ignorabilium prophetiarum interpres; quemadmodum prædictum est a divino sancto prophetico Spiritu per Moysem, non defore principem ex Judæis, donec veniat is quem regia dignitas manet. Judas enim Judæorum progenitor fuit, a quo & Judæorum, nomen habuerunt.* Vides hic Iudæ posteros designari, non totam gentem, sed tribum solam. Nec aliter sumenda sunt verba Athanasii, quæ afferuntur e libro de incarnatione Verbi: nam cum ait Mosem his verbis, quæ nunc expendimus, circumscripsisse regnum Iudæorum, neque ullum superesse apud Iudæos regem vel prophetam, totum pro parte nominavit; & de gente Iudaica generatim dixit, quæ de tribu Iuda Moses pronunciaverat. Ex hac enim propositione, Tribus Iuda semper potietur sceptro, necessario consequitur isthæc, Gens Iudaica semper potietur sceptro: quemadmodum ex ista propositione, Familia Borbonia semper potietur sceptro, necessario sequitur isthæc, Gens Francica semper potietur sceptro. Idem est verborum Ambrosii intellectus in libro de benedictionibus Patriarcharum, aliorumque Patrum, qui in hujus sententiæ subsidium adducuntur.

Quarta. V. Quarta autem loci hujus interpretatio, cujus vindices laudantur Epiphanius, Cyrillus, Augustinus, & recentiores plerique, nimis late patentem sententiam superiorem in arctum cogit, & Iacobæi oraculi vim, quæ pertinebat ad tribus duodecim, in una tribu Iuda concludit, ab eaque vult non ante ablatum iri sceptrum, formam nempe reipublicæ legibus suis utentis, seque ipsam regentis ac gubernantis, postquam semel ad eam pervenerit, quam Messias exoriatur; quo tempore solutum iri communitatem ac regimen tribus Iuda; atque id rerum ipsarum eventum confirmare; nam decem tribubus in disitas oras expulsis ac dissipatis, solam tribum Iuda sedibus propriis ac pristinis restitutam, jurisdictionem suam, imperium civilis corporis formam, & πολιτείαν *(regimen)* servasse, quoad Christus in terras venit. Duo autem hic notari jubent sententiæ hujus defensores, ad illius oraculi intellectum necessaria; primum, ad locum ac terram quam insessura erat tribus Juda respectum habuisse Jacobum: quemadmodum enim promissa Zabuloni, Issachari, aliisque a Jacobo data, ad portionem Chananææ terræ sortito ipsis eventuram spectant; sic quod Judæ datum est promissum, ad sedes posteris ejus in Terra sancta olim tribuendas pertinere; ac si dixisset Jacobus, ad Messiæ usque tempora tribum Juda in portione promissæ Terræ olim ipsi assignanda mansionem ac rèipublicæ formam habituram. Alterum hoc est, quod & superioris sententiæ patronis visum est, non hic determinari punctum aliquod temporis, quo cum affuerit Messias, tum tribus Juda momento eodem potestate excidat, regiminisque formam amittat: verum intelligendam diuturnitatem aliquam temporis, quæ a Pompejo vel ab Herode cœpta, videlicet ante Christi ortum, in clade Hierosolymis a Tito illata desinat. Enimvero qui sic sentiunt, oraculo huic exitum præparasse ajunt Spiritum sanctum jam inde ab Jeroboami divortio, cum altera populi Ebraici pars Israel dici cœpta est, altera assumto Judæ nomine veteris regni formam retinuit, & legitimorum regum seriem propagavit. Quarum populi partium altera profligata & in longinquas terras abducta est, nec unquam postea in patriam restituta; altera ad Christi tempora πολιτείαν, *(civilem administrationem)* suam & ἐυνομίαν *(legibus suis utendi facultatem)* habuit. Hoc ergo a prima & tertia discrepat quarta hæc sententia, quod statuit prima numquam defuturos aliquos Judæ satos, qui Ebraicæ gentis teneant imperium, ad Messiam usque; tertia non singularibus quibusdam personis, sed toti Ebraicæ genti id adscribit, ut de se rectores det populi sui, quoad Messias existat; quarta vero neque certis aliquibus hominibus, neque duodecim tribubus, sed toti Judæ tribui regimen ac imperium ad id usque tempus esse destinatum

Digitized by Google

natum velit. Quanquam & tertiæ asſertores ſententiæ in quartam iſtam prolabuntur. Pererius certe poſtquam in defendenda tertia ſententia multum æſtuavit, aliam demum ſubjicit, ut ſupra jam monui, quam eſſe fatetur *non minus quam ſuperiorem probabilem, quinimo planiorem ad intelligendum, & ad credendum procliviorem, totam nempe hanc prophetiam ad tribum Juda pertinere:* atque his deinde exponendis ea affert, quæ adſtruendæ quartæ ſententiæ utilia eſſe poſſunt.

Sententiam hanc multum habere probabilitatis fatendum eſt, & ad ſimilitudinem veri longe propius accedere, quam ſuperiores. Sed tamen id concoquere non poſſum quod שבט, *ſceptrum*, interpretantur totius tribus Juda πολιτείαν *(civilem adminiſtrationem)* & ἀυτονομίαν *(legibus ſuis utendi facultatem)* cum principes aliquos Juda oriundos intelligi debere ſequentia iſta liquido demonſtrent: *Neque dux de femore ejus.* Nec enim ullam afferunt diſtinctionis notam, unde probent ad diverſa pertinere, *ſceptrum & ducem.* Atqui *dux* ad totam tribum hic referri haudquaquam poteſt. Id oſtendit hæc locutio, *de femore ejus*, מבין רגליו hoc eſt ἀυτολεξὶ, *(ipſis verbis) De inter pedes ejus*, qua locutione partem virilem Scriptor ſacer σεμνῶς *(ſervato decoro)* ſignificavit. Sic & capite viceſimo octavo Deuteronomii ſumitur; & apud Iſaiam non ſemel. Cum cæteroquin ex extremis media intelligantur. Sic libro ſecundo Regum, cum ſcriptor ſacer ſignificare vellet Joramum in medio pectore ſagitta eſſe confixum, dixit, *inter brachia.* Vertunt ergo Onkelos & Hieroſolymitanus Interpres, *de filiis eorum:* Jonathán, *de ſemine ejus.* Quæ eo refero, ut appareat, notari hic ſingularium quarumdam perſonarum ſucceſſionem, quarum interitus gignendo reparatur: cujusmodi ſane nihil de tota tribu vel dici vel cogitari poteſt; nam ſingulares homines generantur & intereunt, ſibique hoc pacto ſuccedunt alii ex aliis progeniti: at cœtus hominum coguntur & diſſipantur, minime vero gignuntur & obeunt. Quod cum intelligerent quartæ hujus ſententiæ patroni, veram ac genuinam verborum iſtorum explicationem aſpernati, Aben Ezram ſectari maluerunt, qui Judam, ut in ſuperioribus, ſic & in iſtis leoni aſſimilari cenſuit. Ut enim prædam inter pedes firmiſſime retinet leo, nec eam ſibi extorqueri patitur, ſic a Jacobo prædictum eſſe volunt, πολιτείαν *(civilem adminiſtrationem)* imperium, ac ſceptrum, quod olim habiturus erat Judas, haudquaquam ab eo ereptum iri. Cujus ſtatim interpretationis velut pertæſi ad aliam decurrerunt, quæ proponitur in Bereſith Rabba, & eſt hujusmodi, reſpexiſſe Jacobum ad conſuetudinem ſcribarum & actuariorum, qui ad judicum pedes ſedere ſolent. Hæc quam inepta ſint & ſale Rabbinico digna, nihil attinet pluribus demonſtrare. Cum ergo ex ipſorum doctrina ad eadem referantur *ſceptrum* & *dux*; cumque *ducis* nomen ad certas quasdam perſonas de tribu Juda referri debeat, *ſceptri* quoque vocabulum ad eas itidem pertinere, non ad tribum Juda univerſam, dicendum eſt. Hoc inſuper in eadem ſententia improbo, quod non ad ſolam tribum Juda, ſed ad Levitas quoque, & Benjamitas, qui Judæ nomine continebantur, & unum ea tribu imperium conflabant, vim oraculi prorogant. Atqui ad unam tribum Juda id ſpectare, clariſſime indicat Moſes eodem Geneſeos capite: *Omnes hi in tribubus duodecim: hæc locutus eſt eis pater ſuus, benedixitque ſingulis benedictionibus propriis.* Quippe ſuam ſibi habet Benjamin, ſuam Levi: ergo tota illa Judæ propria eſt, neque cum ullis aliis tribubus ipſi communis eſſe poteſt. Neque argumenti hujus robur frangunt ea, quæ e libris Regum ſupra attulimus teſtimonia, in quibus ſola tribus Juda Roboamo hæſiſſe dicitur, cum tamen Benjamitica tribus, & Simeoniticæ pars, ac item Leviticæ, eum ſint ſecutæ: uſitatum quippe eſt & familiare ſcriptoribus, nobiliorem partem pro toto nominare, ſi modo partes ipſæ diſcernendæ inter ſe, vel a toto diſtinguendæ non ſint. Nam id ſi ſit, tum certe hoc figuræ genere abſtinetur, quæ opacaret ſtilum, & res confunderet. Roma ad Romanum imperium ſignificandum nominari & poteſt & ſolet, cum ab ipſo Romano imperio, vel ab ejus partibus diſtinguenda non eſt. Sin roget aliquis, ecquæ fuerint Romani imperii nobiliſſimæ urbes, & Romam ac Conſtantinopolim nominem; tum ſane Romam haudquaquam Romanum imperium vel Conſtanti-

Deut. 28, 53 Iſa. 7, 20. & 36, 12.

4. Reg. 9, 24.

Gen. 49, 28.

Digitized by Google

Constantinopolim significare censendum est. Par est de tribu Juda ratio, cujus nomine sociæ tribus tum sunt comprehensæ, cum earum discrimen afferre nihil necesse erat; at cum segregandæ invicem erant, singularumque futuræ dotes prædicandæ, quod facere instituerat Jacobus, tum vero alteri alterius nomen commodari nec potuit nec debuit. Adde Judæos, post Babylonicam captivitatem, ex Babyloniorum, Persarumque nutibus pependisse, iisque ac Græcis deinde tributa solvisse; non supremum igitur ac verum penes ipsos fuisse imperium, sed precarium & alienis arbitriis obnoxium, proindeque sceptrum a tribu Juda tum fuisse ablatum. Id tertiam sententiam, perinde ut quartam impugnat, & a nobis adversus secundam oppositum est. Aliud præterea subjiciam argumentum, quo propositæ omnes sententiæ ex æquo convelluntur. Cum enim Messia prodeunte sceptrum Judæ ablatum esse volunt, regia utique potestate Judam excidisse statuunt. Nam cum hic vox *Donec* rem cui inseritur desituram indicet, sequitur sceptri possessionem amisisse Judam, cum prodiit Christus. Atqui id adversa fronte pugnat cum clarissimis prædictionibus Prophetarum, quas mox sum allaturus, quibus regnum æternum posteris Judæ spondetur.

Quinta. Cajet. in Gen. 49, 10. Clar. in Gen. 49, 10.

VI. Quinta denique sententia patronos habet Cajetanum Cardinalem, & Anonymum quemdam virum Ebraicis literis eruditum, Isidoro Clario commemoratum, quam ipsi ex recentiorum Ebræorum apothecis eruerunt. Hæc quoniam strictim ab iis est proposita, neque ullis roborata argumentis, uberius a nobis pro ratione instituti dilatanda est, suisque rationibus fulcienda. Ajunt illi res duas valde notabiles & omni observatione dignas hic prædici a Jacobo, primum fore, ut prodeat aliquando Messias e tribu Juda, deinde ut æternum eadem tribus Juda regnum obtineat, a Messia videlicet tribuli Judæ propagandum. Æternitatem igitur imperii posteris Judæ his verbis promitti volunt: *Non auferetur sceptrum de tribu Juda, & dux de femore ejus:* quippe si nunquam de hac tribu sceptrum ac ducatus auferendus est, nullo utique fine possessionem ejus circumscriptum iri, proindeque æternam fore manifestum est. Sequentia verba liquido declarant, futurum ut perpetuitas hæc imperii tribui Judæ per Messiam olim ex ipso proditurum contingat: *Donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium.* Sed enim aliud omnino, inquies, sonare videntur verba ipsa; nempe tum desiturum Judæ imperium, cum venerit ille, qui mittendus est. Hic vero unica oraculi hæret difficultas, quam sexcentis tamen Scripturæ sacræ exemplis, sexcentis interpretum suffragiis, sexcentis Scriptorum exoticorum testimoniis eximere promtum est. Jamdiu enim monuerunt nos doctissimi Librorum sacrorum explanatores, vocem עד, quam habet Ebraicum exemplar, quamque dictione *Donec* retulit Vulgatus interpres, Septuaginta vero Senes vocabulo ἕως, non semper finem, cessationem, ac παῦσιν ejus rei notare, de qua sermo fit; sed ejus nonnumquam continuationem, cum interventu alterius, cui dictio *Donec* adjungitur: ut per vocabulum *interea* commode reddi possit. Sic octavo Geneseos de Noetico corvo: *Non revertebatur, donec siccarentur aquæ super terram:* an ergo postquam siccatæ sunt aquæ, corvus reversus est? minime vero. Itaque τὸ *Donec*, numquam reversum corvum significat, ne post siccatas quidem aquas. Ac si dixisset: Non revertebatur: interea siccatæ sunt aquæ. Sic vicesimo octavo Geneseos Jacobo ait Deus: *Nec dimittam te, עד אשר donec fecero quod locutus sum tibi?* an postquam ea feciset Deus, Jacobum deserturus erat? neutiquam sane; sed Interpretum omnium consensio est, auxilii divini Jacobo exhibendi perpetuitatem hic sponderi, cum interventu eorum, quæ ipsi Deus fuerat locutus. Sic ergo ea reddito: Nec dimittam te: Interea faciam quod locutus sum tibi. Sic Job vicesimo septimo capite: *Donec deficiam, non recedam ab innocentia mea:* an cum defecit Jobus, innocens esse desiit? Sic sexto capite secundi libri Samuelis: *Igitur Michol filia Saul non est natus filius, עד, usque in diem mortis suæ:* an die mortis suæ filios parere cœpit Michol? imo vero, perpetua ejus significatur sterilitas, cum mortis interventu, quam cum obiit Michol, sterilis esse non desiit, sed longe magis sterilis facta est, utpote quæ in vivis esse desiit. Sic Machabaicus prior de Simone: *Et civitatibus*

Gen. 8, 7.

Gen. 28, 15.

Job. 27, 5.

2. Reg. 6, 23.

1. Mach. 14, 10.

Digitized by Google

tibus tribuebat alimonias, & constituebat eas, ut essent vasa munitionis; quoadusque (ἕως ὅτου) nominatum est nomen gloriæ ejus usque ad extremum terræ. Quod tantumdem sonat ac si dixisset: Interea nominatum est nomen
Homer. Il. a gloriæ ejus. Sic apud Homerum Agamemnon Chryseidem se patri redditurum negat, quoad ipsam Argis apud se telam texentem senectus invadat; quod perinde esse docet Eustathius, ac si nunquam se redditurum
Homer. Il. x dixisset. Sic Achilles nulla sibi futura dixit cum Hectore fœdera, quoad alter alterum confecerit. Sic Hammonis sacerdos, apud
Curt. l. 4. c. 7. Curtium, ab Alexandro consultus respondet *Invictum fore, donec excederet ad Deos.* Ac si dixisset, semper invictum fore; interea excessurum ad Deos. Multa in eam sen-
Hier. adv. Hel. vid. c. 3. tentiam collegit Hieronymus; quibus impii Helvidii obtrivit hæresim, & veram sententiam celeberrimi hujus loci defendit, in quo de Joseph & Maria ita disserit Mat-
Matth. 1, 25 thæus: *Et non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum:* an post uxoris Mariæ partum eam cognovit Josephus, quod sentiebat impius Hæreticus? haudquaquam certe, verum perpetuam Mariæ virginitatem prædicat Evangelista, cum interventu partus, quo primogenitum suum edidit. Ergo vocis hujus similem intellectum esse vult Cajetanus in Jacobi vaticinio, assentientibus recentiorum Judæorum eruditissimis, ut sensus hic inde exurgat, Imperii firmam ac perpetuam possessionem tribui Juda promitti; quod a Davide, posterisque ejus per aliquot ætates gestum, & ad alios deinde nonnumquam translatum est, cumque ab his geretetur, mere terrenum erat; tum pervenit demum ad Messiam, unum ex ipsius posteris, a quo ex terreno cœleste factum est & æternum, ita ut ab eo auferri deinceps & extorqueri numquam possit.

Hæc ex officinis Rabbinicis fere depromta Cajetanus interpolavit. Adscribit ea
Fag. & Tostat. in Gen. 49, 10. quippe Judæis Fagius & refellit. Refellit & Tostatus, qui contineri ea ait Rabbinica quadam scriptione, cui titulus est, Defensorium fidei. Congruum huic præterea quippiam proponitur in Rabboth, & in Schebet Jehuda, & alibi: nempe sceptrum a Juda numquam iri ablatum, postquam semel venerit Siloh. Id probant ex accentu musico Jethib, qui voci עד adjungitur, cuique vim διαχριτικὴν (*disjunctivam*) inesse volunt; ita ut עד, cui inhæret, divellat a sequentibus, & dictio hæc exponenda sit *In æternum:* ut locus sic interpungendus sit & interpretandus: *Non recedet sceptrum ex Juda, & legislator de inter pedes ejus in æternum, quando veniet Siloh.* Duo habet hæc expositio sententiæ Cajetani plane consona, & quod regni perpetuitatem spondet Judæ, & quod voci עד, *Donec*, cessationis significationem non adscribit: Verum in quibusdam discrepat; primum quod regni tempus a Messia inchoat, cum longe vetustiora regni hujus initia statuat Cajetanus; deinde quod regnum illi temporarium & cum mundo finem habiturum intelligant; adeo ut עד, tempus indefinitum, non infinitum notet, cum Cajetani doctrina regnum primo temporarium signatum esse decernat, quod per Messiam spiritale fiat & æternum, ne ipso quidem mundi occasu finiendum. Præterea futilis est interpunctio illa, qua עד a sequentibus disjungunt, cum sequatur כי, quod cum עד præcedenti conjungendum esse sciunt, qui literis Ebraicis vel leviter tincti sunt. Tum vero עד voci כי conjunctum significat *Donec*, uti exponi vulgo solet, non *In æternum*, quod illi volunt. Nec quicquam juvantur accentu Jethib, qui non semper διαχριτικὸς (*disjunctivus*) est, velut in commate sequenti dictionem כבס, cui adnexus est, a sequentibus non divellit. Adde nec vocem כי recte exponi, *quando.*

Quantumvis probabilis videatur hæc Cajetani sententia, causas habeo tamen, cur ab ea cogar discedere. Nam primum notam & significationem temporis, quo venturus erat Christus, detrahit vaticinio Jacobi, adversus constantem & consentientem, non omnium modo Patrum Ecclesiæ, sed & vetustiorum etiam Judæorum opinionem, qui hoc oraculo tempus adventus Messiæ signari fassi sunt. De Patribus satis multa jam diximus, unde res appareat. Ex Judæis sic intellexisse videtur Josephus, & cum Vespasianum palpo percuteret, huic ejus exitum adscripsisse, uti superius a me observatum est. Sic intellexerunt & ii, qui ab Origenis ævo ad hoc tempus, Æchmalotarcham de tribu Juda, gentis suæ principem
Joseph. de bell. Jud. l. 3. c. 28. & l. 7. c. 31.

cipem ac ducem esse, & porro fore ad ortum usque expectati sibi Messiæ censuerunt; quos jamjam sumus adoraturi. Sic intellexerunt etiam R. Moses ben Nachman, ejusque sequaces, qui vocibus שבט & מחקק, *Sceptrum* & *Dux*, notari volunt sæva imperia, quibus ubique gens eorum premitur, quæque veniente Messia abroganda sint. Idem præterea Nachmanides, & R. Bechai, hunc ex ea prædictione sensum elici posse crediderunt, licet non semper Israelis imperium teneat tribus Juda, non alios tamen quam tribules Juda legitime id arrepturos, donec oriatur Messias. Sic intellexerunt denique, qui ὑποθετικῶς sceptrum Judæ promissum esse rati sunt ad Christi usque adventum, si nimirum Dei præceptis morigeram se tribus illa præstet. Quæ quamvis inepta omnia sint, & proxime a nobis refellenda, perpetuus tamen ille priscorum Rabbinorum cum sanctis Ecclesiæ Patribus consensus, & constans ac πατροπαράδοτος (*a majoribus transmissa*) traditio in assignanda Jacobæ huic prophetiæ nota ac significatione temporis ortus Messiæ, mihi non videtur temere spernenda. Aliud præterea vitium inhæret Cajetani sententiæ, quod nimirum iisdem Jacobi verbis, *Sceptrum*, & *Dux*, duas res plane diversas signari putet, regnum nempe temporarium, & regnum æternum, licet nullam distinctionis interpositam notam assignet, qua aliud secernatur ab alio, temporarium ab æterno; nullam conjunctionis, qua duo hæc prorsus disjuncta simul comprehendi debere approbet.

Proponitur deinde nostra, & argumentis confirmatur.

VII. Expositis præcipuis nostrorum hominum interpretationibus & sententiis, ac explosis, nostra nunc proponenda superest, suisque probationibus & argumentis instruenda. Res quatuor dico his notari Jacobi verbis: *Non auferetur sceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium.* Prima prædictionis pars hæc est, *Non auferetur sceptrum de Juda*, qua æterna sceptri possessio Judæ spondetur. Alterum prophetiæ membrum hoc est, *Et dux de femore ejus*, quo temporarius & caducus Judæ præsignificatur principatus. Tertium est istud, *Donec veniat qui mittendus est*, quo temporarii hujus regni finis & Messiæ adventus prædicuntur. Postremum hoc, *Et ipse erit expectatio gentium*, quo Messiæ regnum, non Chananææ terræ claudendum angustiis, sed quaquaversus per omnem orbem patens, & spiritale futurum nuntiatur. Harum quatuor prædictionis partium inobservata distinctio, maximam opinionum diversitatem, nec minorem rerum perturbationem ac confusionem peperit. Cajetano suboluit legitimus primi, secundi, ac postremi membri sensus, quibus regnum Judæ ex temporario æternum, ex terreno spiritale promittitur: sed tertii sententiam, quo mutatio isthæc & tempus adventus prædicuntur, non olfecit. Temporarii & terreni regni pollicitationem his inesse, ac notam præterea temporis quo proditurus erat Messias, perviderunt plerique Interpretes, ac fere omnes; reliqua non attigerunt. Caute si hæc distinxeris, omnibus angustiis ac difficultatibus nullo negotio te expediveris. Sed planum id ut fiat, accuratius perscrutanda loci sententia est. Dico priorem oraculi partem, *Non auferetur sceptrum de Juda*, generale quippiam proponere, & Judam erigere in spem æternæ regni possessionis posteris tribuendæ; sed ita tamen, ut modum, quo continget æternitas isthæc, non exponat, nec regni genus designet, futurumne sit spiritale, an temporarium. Pars altera a genere & indistincta rerum propositione descendit ad species, & promissi principatus naturam enucleate definire incipit: nam verba isthæc, *Et dux de femore ejus*, temporarium quid denotant & caducum, per humanam generationem & personarum mortalium successionem reparandum. Sic enim supra intelligendum esse dixi istud: *De femore ejus*; sive ut sonant Ebraica, *De inter pedes ejus*; quod vertit Ionathan, *de semine ejus*, Onkelos & Hierosolymita, *de filiis eorum*. Deinde dictio מחקק, quam Vulgatus Interpres exponit *Dux*, aliud quid sonat ac שבט, *Sceptrum*, quod præcedit, uti proxime ostendam: hoc enim regiam dignitatem simpliciter sonat, illud potestatem duntaxat tradendorum præceptorum, & juris dicendi ac præscribendi; ut significetur principatum temporarium ac terrenum, quo potituri erant Judæ posteri, angustum fore, accisum, & sæpe alienis imperiis obnoxium, velut in Zorobabele; ita ut possent quidem jus dicere inter suos; sed supremo tamen imperio,

Digitized by Google

imperio, libero, omnique alia dominatione soluto, & vere regio interdum exciderent, quoad adesset Messias, per quem hæc qualiscunque potentia abroganda erat, juxta illud Oseæ: *Dies multos sedebunt filii Israel sine rege, & sine principe, & sine sacrificio, & sine altari, & sine Ephod, & sine Teraphim.* At soluta hac potentia, nova constituenda erat per eumdem Messiam, sed diversa & generis alterius, spiritalis nimirum & æterna, nullis temporum curriculis definita, nullis locorum spatiis contracta, nec jam Israelitas solum regens, sed orbis universi gentes ditioni suæ subjiciens. Id clarissime prædixit Amos: *Ecce oculi Domini Dei super regnum peccans, & conteram illud a facie terræ: verumtamen conterens non conteram domum Jacob.* Pollicetur Deus non contriturum se penitus domum Jacobi, sed ejus ζώπυρα *(igniculos)* servaturum: quod eventu comprobatum est; primum dissipatis per universum orbem Israelitis; quippe subjicit Amos: *Ecce enim mandabo ego, & concutiam in omnibus gentibus domum Israel, sicut concutitur in cribro:* deinde terreno Israelitarum & caduco imperio reformato in spiritale & æternum per Messiam Davidis nepotem & hæredem: subnectit enim Propheta: *In die illa suscitabo tabernaculum David quod cecidit, & reædificabo aperturas murorum, & ea quæ corruerant instaurabo: & reædificabo eum sicut in diebus antiquis; ut possideant reliquias Idumææ & omnes nationes, eo quod invocatum sit nomen meum super eos, dicit Dominus.* Quamobrem addit Jacobus: *Et ipse erit expectatio gentium.* Designare autem isthæc spiritalem & æternam potestatem, cum alia plurima evincunt oracula Prophetarum, quæ recitabimus infra, cum Christi legem & regnum spiritalia fore & æterna demonstrabimus; tum istud maxime e Psalmo septuagesimo primo: *Deus judicium tuum regi da, & justitiam tuam filio Regis..... & dominabitur a mari usque ad mare, & a flumine usque ad terminos orbis terrarum..... & adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes servient ei;* quæ de Davidis & Regum Ebræorum ipsius successorum regno sumi non possunt; nec enim id ad terminos orbis terrarum propagatum est; nec omnibus regibus terræ, omnibus gentibus jura posuit: at aliud quoddam regnum notant, tantum quantum nullus unquam rex obtinuit, quod tamen posteritas Davidis obtinebit: Clarum hoc quoque e Psalmo octogesimo octavo: *Inveni David servum meum; oleo sancto meo unxi eum..... & ego primogenitum ponam illum, excelsum præ regibus terræ. In æternum servabo illi misericordiam meam, testamentum meum fidele ipsi, & ponam in seculum seculi semen ejus, & thronum ejus sicut dies cœli.* Memorabilis vero & prorsus apposita ad rem nostram vaticinatio hæc Isaiæ: *Parvulus enim natus est nobis, & factus est principatus super humerum ejus, & vocabitur nomen ejus, Admirabilis, consiliarius, Deus fortis, pater futuri seculi, princeps pacis. Multiplicabitur ejus imperium, & pacis non erit finis: super solium David, & super regnum ejus sedebit, ut confirmet illud, & corroboret in judicio & justitia; a modo, & usque in sempiternum.* Ecce Davidis regnum Messiæ spondetur in posterum tempus; sic ut postquam ad ipsum pervenerit, nullo casu intercidat, sic ut immensum sit ac pacificum, ut judiciorum æquitate firmetur, & per Messiam, Deum fortem & admirabilem, in perpetuum administretur. Quibus succinit Daniel, cum ait Antiquum dierum Filio hominis dedisse potestatem, & honorem, & regnum; omnes populos, & tribus, & linguæ ipsi servituras; potestatem ejus fore æternam, numquam ab eo auferendam, nec regnum ejus unquam iri corruptum. Et si testimonia hæc, aliaque multa huc pertinentia infra sum corrasurus in hoc Parallelismo, abstinere tamen non possum, quin & istud Jeremiæ, quod causam hanc juvat, in antecessum proferam: *Hæc dicit Dominus, Si irritum potest fieri pactum meum cum die, & pactum meum cum nocte, ut non sit dies & nox in tempore suo; & pactum meum irritum esse poterit cum David servo meo, ut non sit ex eo filius, qui regnet in throno ejus.* Addam & hoc Michææ: *Et tu, Bethlehem Ephrata, parvulus es in millibus Juda: ex te mihi egredietur, qui sit Dominator in Israel, & egressus ejus ab initio, a diebus æternitatis.* Duo hic prædicuntur, quæ in Jacobæo itidem oraculo prædicta sunt; prodituram nempe Messiam e tribu Juda, & æterno regno potiturum. Quæ & Mariæ Virgini pollicitus est Angelus Gabriel, cum de Christo ex ea proditurο talia prænuntiaret: *Hic erit magnus, & Filius Altissimi*

Ose. 3, 4.
Amos. 9, 8. & seq.
Psal. 71, 1. & seq.
Psal. 88, 21. & seq.
Isa. 9, 6, 7.
Dan. 7, 13. 14.
Jer. 33, 20. 21.
Mich. 5, 2.
Luc. 1, 32, 33.

Altissimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus sedem Davidis patris ejus, & regnabit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis. Quorum promissorum memores Christi Discipuli, postquam hunc vitæ reliquitum
Act. 1, 6. viderunt, *Interrogabant eum dicentes, Si in tempore hoc restitues regnum Israel?* Adjiciam
Isa. 11, 1. & seq. præterea id Isaiæ: *Et egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet, & requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilii & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & replebit eum spiritus timoris Domini. Non secundum visionem oculorum judicabit, neque secundum auditum aurium arguet: sed judicabit in justitia, & arguet in æquitate pro mansuetis terræ, & percutiet terram virga oris sui, & spiritu labiorum suorum interficiet impium.* His apertissime prædicitur spiritale fore Messiæ regnum; quanquam satis est æternum dixisse, ut spiritale intelligatur. Sententiæ nostræ plurimum lucis & roboris affert illud Eze-
Ezech. 21, 26. 27. chielis, e vicesimo primo capite; *Hæc dicit Dominus Deus, Aufer cidarim, tolle coronam: nonne hæc est quæ humilem sublevavit, & sublimem humiliavit? Iniquitatem, iniquitatem, iniquitatem ponam eam: & hoc non factum est, donec veniret cujus est judicium, & tradam ei.* Sedeciam regem Juda, qui postremus τῶν ἐκ τῆ δαβίδ γένους βασιλευσάντων (posterorum Davidis qui regnum tenuerunt) fuisse
Joseph. Antiq. l. 10 c. 11. dicitur Josepho, his perstringit Deus, & regio fastigio dejectum iri denuntiat. Nam quod Vulgata reddit *iniquitatem*, si Ebraicum exemplar consulas, reperies עוה, hoc est *perversam*, coronam videlicet, quam se conversurum promittit Deus, temporariam nempe istam Sedeciæ in æternam, cum is venerit, de quo dixit Deus apud Isaiam:
Isa. 42, 1. *Dedi spiritum meum super eum, judicium gen-*
Joh. 5, 22. & seq. *tibus proferet:* & Johannes: *Nec enim Pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio ..... & potestatem dedit ei judicium facere, quia Filius hominis est.* Atque huic coronam illam regum Juda traditurum se denique Deus affirmat. Tum vero id eveniet,
Amos. 9, 11. quod apud Amosum prædixit Deus: *In die illa suscitabo tabernaculum David quod cecidit, & reædificabo illud sicut in diebus antiquis.* Rivos hosce claudam, postquam recitavero voces magnas de cœlo editas, quas memorat
Apoc. 11, 15. Johannes in Apocalypsi: *Factum est regnum hujus mundi, Domini nostri & Christi ejus, & regnabit in sæcula sæculorum:* quibus temporarium hoc regnum, Domino Jesu Christo attributum, & æternum factum esse sine ambage declaratur. Et vero vel ipsa, quam tractamus, Jacobi prædictio, si recte intelligas, rem conficit. Nam cum prædicitur futurum ducem de posteris Jesu, ejusque dominatum iri potestatem temporariam & terrenam prodeunte Messia, a quo novum statuendum sit & erigendum imperium, alterius utiq; generis esse debet imperium illud; alioqui nec prius abolere fuisset necesse, atque id continuare potius diceretur Messias, quippe in eadem gente, iisdemque locis paternum administrans regnum, quam novum fundasse. Itaque dictio *Donec*, rerum, quibus inserta est, cessationem ac πάυσιν significans, vim suam hoc loco depromit quidem in secundum oraculi membrum, *Et dux de femore ejus*, quibus terrena & caduca potestas notatur; verum ad superiora isthæc non prorogat, *Non auferetur sceptrum de Juda*, quod regnum æternum, nec a Messia abrogandum Judæ nepotibus pollicetur. Ergo querimonias omnes ac dissensiones Interpretum hac expositione sopimus: nam satisfacimus iis, & quinotationem temporis ab oraculo Jacobi detrahi sine piaculo non posse censent; & qui regni Judæ, quod Prophetæ perpetuum fore clamant, mutationem ac finem his prænuntiari nolunt. &c.

VIII. Quin & egregie refellemus eos, *Refellitur argumento adversantium.* qui caussabuntur falsam esse hanc quam damus partis primæ Jacobæi vaticinii interpretationem, qua æternum posteris Juda sceptrum sponderi volumus; atque item secundæ partis, qua statuimus iisdem promitti continuam ac perpetuam ducum, sive dominorum ac principum ex eadem tribu successionem, quæ Messiæ temporibus finem sit habitura: cum certum sit, a Jacobo ad Davidem usque, & post solutam etiam Captivitatem Babylonicam, principes nullos extitisse, qui Israelitis jura legesque posuerint. At nos cum firmam sceptri possessionem promissam Judæ posteris & attributam fuisse dicimus, κτήσει quidem & mancipio ac proprietate ad eos pertinuisse intelligimus, etiamsi χρήσει & usufructu ad alios interdum transierit; atque id demum regnum agnationis jure Messiam recuperasse, & velut debi-

Primum argumentum.

Digitized by Google

debitam sibi hæreditatem creviſſe; at immutatam, longeque auctiorem ac nobiliorem, maximisque incrementis & insigni acceſſione amplificatam; quam enim terrenam, anguſtam, & temporariam reliquerat David, immenſam, cœleſtem, æternam, nullisque deinceps mutationibus obnoxiam Chriſtum cepiſſe. Mutabile enim fuit regnum Davidis & caducum, adeo ut id ex aſſe tertius hæres non poſſederit: perpetuum vero eſt illud Chriſti, neque ullis finibus circumſcribendum, quod totum nos *Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti* adituri ſumus. Ut autem Chriſti typus fuit David, quod inferius a me demonſtrabitur, ſic regnum Davidis typus fuit regni Chriſti; ſeu regnum potius idem unumque primus e tribu Juda David obtinuit, poſtremus Meſſias. Igitur etſi uſusfructus ſceptri a tribu Juda ſit aliquando ablatus, ipſa tamen proprietas, ipſum jus auferri non potuit, illiusque aliquando per Meſſiam de ſe prodituram recuperandi ſpes in ea ſuperfuit. Atqui jus ad ſceptrum, ſive ſceptri κτῆσις *(poſſidendi jus)* ſceptrum recte appellari poteſt & ſolet. Dicere enim poſſumus non ablatum fuiſſe Angliæ ſceptrum a Stuartorum gente, poſtquam in eam ſemel conceſſit, quamvis per multos annos Carolus Secundus rex patria regnoque depulſus vixerit: nam tum quoque jus ſuum retinebat. Hunc ſenſum, præter alios quos indicavimus Judæos, fere ſecutus eſt Onkelos in interpretatione vaticinii Jacobæi de Juda: dicit quippe non defuturos principem & ſcribam de tribu Juda, עד עולם, *in æternum*. Secutus eſt eamdem expoſitionem R. Selomoh, eique confirmandæ attulit locum hunc ex Daniele: *In diebus autem regnorum illorum ſuſcitabit Deus cœli regnum, quod in æternum diſſipabitur, & regnum ejus alteri populo non tradetur.*

Rom. 8, 7.

Dan. 2, 44.

Secundum argumentum.

IX. Opponi quoque nobis poteſt id, quod Cajetano objicit Pererius, non de ſpirituali poteſtate agere Jacobum, quæ in Ebræo populo numquam fuit; & ut fuerit, in tribu Levi, non Juda fuiſſe; ſed tantum de terrena; hac autem excidiſſe tribum Juda, neque poſtea recuperaſſe, ne per Meſſiam quidem, cujus regnum non fuit de hoc mundo, quique prognatus eſt hoc Jechonia, de quo futurum prædixit Jeremias, ut nepotum ipſius nullus imperium teneat. At iſta diſcutere facile eſt; temporariam enim ſolum & terrenam poteſtatem in Ebræo populo fuiſſe fatemur ante exortum Meſſiam, ſed quæ deinde in æternum regnum converſa ſit per eundem Meſſiam, qui & ipſe Ebræus fuit, Ebræis prognatus, tribulis Judæ, Davidis nepos; ſic ut prior illa poteſtas, velut rudimentum eſſet quoddam & adumbratio poſterioris. Quemadmodum enim Pharamundi ſucceſſor vere eſt & habetur Ludovicus XIV, cujus imperiis Francia felicisſime gubernatur, licet non eamdem ditionem tenuerit Pharamundus, alterique regioni præfuerit; ita verus ac legitimus Davidici regni ſucceſſor habendus eſt Chriſtus, licet alterius generis imperium obtineat: præſertim cum hic Davidico ſanguine cretus ſit, ille Pharamundino non ſit. His ita diſtinctis & explicatis, irritum cadit argumentum Pererii: poteſtatem enim ſpiritalem in tribu Juda vel populo Ebræo fuiſſe dicimus, quatenus Meſſias tribus Juda & populi Ebræi pars hanc & exercuit: quo factum eſt, ut cum terrena poteſtate excideret tribus Juda, cœleſtem per Meſſiam recuperaret. Utramque autem a Jacobo præſignificatam & prædictam fuiſſe merito arbitramur.

Tertium argumentum.

X. Facile quoque telum hoc alterum Pererii retundimus, quo per Cajetani latus noſtrum petitur; cum ait nullam ſceptri vel κτῆσιν *(jus poſſidendi)* vel χρῆσιν *(uſum)* habuiſſe tribum Juda temporibus iis, quæ Davidem præceſſerunt; defeciſſe itaque ſaltem hoc tempore ſceptrum de Juda, quod oraculo repugnat. Quo telo non noſtram ſolum, ſed & alias etiam quas attulimus loci hujus interpretationes, ſuamque adeo Pererius oppugnat; cum probari non poſſe adverſus eum diſputantes oſtenderimus, ullum prærogativæ jus in hac tribu fuiſſe ante Davidem. Utut eſt, male certe hæc Pererio temporibus diviſa ſunt: nec enim id ſibi vult Jacobus, ſtatim poſt ſuam prædictionem Judam regni poſſeſſionem aditurum: imo vero, proſpiciebat in longitudinem cum hæc diceret; ait enim: *Congregamini ut annuntiem quæ ventura ſunt vobis in diebus noviſſimis.* Igitur tum primum Judæ jus ad regnum Iſraeliticum declaravit & attribuit Deus, ſpemque ei dignitatis hujus fecit; non ipſi ſtatim, ſed poſteris ejus poſt aliquot ætates concedendæ.

Gen. 49, 1.

Ad viam refutationi,

XI. Poſtquam Chriſtianorum ſuper hoc

Digitized by Google

Judæorum sternendum, est enditur in Jesu completum esse hoc oraculum.

oraculo sensus satis exploravimus, nostrosque ipsi proposuimus & confirmavimus, supereſt nunc ut adoriamur Judæos, quorum non uniusmodi opinio est, sed in duas sectas dividitur. Alii enim Messiam quidem hie prænuntiatum agnoscunt, at Jesum hunc fuisse negant: alii ad Messiam id ullo modo pertinere infitiantur. Ex his duobus fontibus sententiæ oriuntur complures, quas collegit horum temporum clarissimus Judæus Manasse ben Israel, & ad undecim capita revocavit. Ad convincendum simul errorem utrumque, totam hanc prædictionem in Jesu completam fuisse palam faciam. Ac ista primum manifesto ad Jesum spectant: *Juda, te laudabunt fratres tui; manus tua in cervicibus inimicorum tuorum, adorabunt te filii patris tui.* Ad filium Judam verba facit Jacobus, quatenus Messiæ pater futurus est, vel Messiam potius in patre alloquitur. Nam quemadmodum Davidis avi nomen Messiæ nepoti tribuunt Prophetæ, quod declarabimus in hoc Paralleliſmo; sic & Messiæ Jacobus avi ejus nomen tribuit. A fratribus suis laudatus & adoratus est Jesus, Christianis videlicet, quos fratrum loco habere se profitetur apud Matthæum: *Quicunque*, inquit, *fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse meus frater, & soror, & mater est.* Itaque fratres non semel appellat, cum in Evangelio, tum in Psalmo vicesimo primo sub persona Davidis: *Narrabo nomen tuum fratribus meis.* Unde & cohæredes Christi Paulus nos esse ait. Ab iis autem primum laudatus est, cum prodigiosa eum patrantem opera aspexerunt: postquam autem viderunt eum ad vitam rediisse, tum vere Deum esse cognoverunt, eoque nomine adorarunt. Quamobrem servos se Christi in Epistolis sæpe Apostoli profitentur. Et nos hodieque, qui fidem ipsius amplexi sumus, divinos ipsi honores exhibemus. Cervices vero inimicorum vel cædit, vel sub jugum mittit; quippe *de ore ejus procedit gladius ex utraque parte acutus, ut in ipso percutiat gentes, & ipse reget eas in virga ferrea ..... & cæteri occisi sunt in gladio sedentis super equum, qui procedit de ore ipsius.* Principem hujusmodi se foras ejecturum jactat. *Exspoliavit principatus, & potestates traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso.* Quod & futurum præsensérat Balaamus, cum diceret: *Et percutiet duces Moab, vastabitque omnes filios Seth:* item David: *Persequar inimicos meos, & comprehendam illos, & non convertar, donec deficiant: confringam illos, nec poterunt stare, cadent subtus pedes meos: & præcinxisti me virtute ad bellum, & supplantasti insurgentes in me subtus me: & inimicos meos dedisti mihi dorsum, & odientes me disperdidisti:* & alibi: *Dixit Dominus Domino meo, Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.*

Manass. Conc. Quæst. 65. in Gen.

Matth. 12, 50.

Psal. 21, 33.

Rom. 8, 17.

Apoc. 19, 11. & seq.

Joh. 12, 31.

Col. 2, 15.

Num. 24, 17.

Ps. 17, 38. & seq.

Pergit Jacobus: *Catulus leonis Juda: ad prædam, fili mi, ascendisti: requiescens accubuisti ut leo & quasi leæna, quis suscitabit eum?* Quæ de Christi Jesu potentia dixerat: *Manus tua in cervicibus inimicorum tuorum*, leonis comparatione illustrat, quo inter quadrupedes nihil validius, quippe earum princeps & rex habetur. Hac ergo similitudine significantur, & Christi Jesu robur, & regium genus, quæ ipsi competere in Paralleliſmo a nobis demonstrabitur. Ascendit ad prædam, tum cum ex orci faucibus, Dæmonumque tyrannide humanum genus eripuit. Deinde victoriæ hujus modum, rationemque adumbrat, cum ait: *Requiescens accubuisti, ut leo*, quæ mortem Christi exprimunt: dormitionis enim ac somni vocabulis mortem significare consueverunt Scriptores sacri; & utramque notionem habet Ebraica dictio שכב; & somnus Homero dicitur *κασίγνητος θανάτοιο (frater mortis.)* Prædicta Jesu morte consequens fuit ipsius reditum ad vitam prædicere; quod & fecit his verbis: *Quis suscitabit eum?* ac si dicat, Non alius præter ipsum ac Patrem potest eum ad vitam revocare. Id sibi volebat Jesus, cum diceret: *Solvite Templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud ..... Ille autem dicebat de Templo corporis sui:* id Paulus, cum Patris potentiam ac virtutem prædicaret hoc modo: *Quam operatus est in Christo, suscitans illum a mortuis, & constituens ad dexteram suam in cœlestibus.* Igitur Christum Jesum respiciebat Balaamus, cum de Israele, unde ortum erat habiturus, sic vaticinaretur: *Accubans dormivit ut leo, & quasi leæna, quam suscitare nullus audebit.*

Gen. 49, 9.

Joh. 2, 19.

Eph. 1, 20.

Num. 24, 9.

Sic deinde futurorum prædictionem Jacobus prosequitur: *Non auferetur sceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est: & ipse erit expectatio gentium.* Hæc jam satis excussimus. Addemus

Digitized by Google

demus id tamen, geminis istis vocibus, *sceptrum*, & *dux*, sive ut habet Ebraicum exemplar, שבט, & מחקק, regiam dignitatem, & jus condendarum legum, esse expressa. Nam qui rex est, leges condere potest & vivendi normam præscribere. Unde fit, ut
Psal. 107, 8. Psalmo centesimo septimo Iuda, ad quem pertinebat sceptrum, quippe a Septuaginta Interpretibus vocatur βασιλεὺς, in Vulgata
Isa. 33, 22. *Rex*, Ebraice dicatur מחקק. Apud Isaiam Deus, qui Rex regum est, eodem afficitur nomine, quod exponunt Septuaginta ἄρχων (*princeps*) Vulgata *Legifer*, cui adsonat & Ionathan. At non quisquis leges ferre potest, proinde & rex est. Iura Ebræis posuit Moses, Athenienſibus Solon, Lacedæmoniis Lycurgus; quorum tamen nullus vere rex fuit. Quamobrem Aben-Ezra, & R. David Kimchi, & R. Selomoh, vocabulum istud in oraculo Jacobi reddunt, *Dominum*, & *Principem*; R. Lipman in libro Nitzachon, משרש, *Dominatorem*: non vero dixerunt *Regem*. Ergo regis potestas major est, legumlatoris angustior. Priorem potestatem, juxta Prophetarum vaticinationes, vere obtinuisse Christum Jesum, & paulo superius ostendimus, & in Parallelismo etiam infra probabimus. Legum quoque ferendarum jus, etsi regia potestate continetur, seorsim tamen Christo tribuitur; uti, præter alia testimonia in Parallelismo quoque a nobis afferenda, vel unum hoc Isaiæ declarat: *Non erit*
Isa. 42, 4. *tristis, neque turbulentus, donec ponat in terra judicium: & legem ejus insulæ expectabunt.* Ait deinde Jacobus: *Donec veniat qui mittendus est*; Ebraice, *Donec veniat* שילה: qua voce Messiam notari, consentiunt Chaldæi Paraphrastæ, & Thalmudistæ, aliique Magistri, quos supra adduxi in testimonium. Existimarunt multi legisse Hieronymum, שילוח, a שלח *misit*: quæ lectio Judæis nonnullis, & Steucho postmodum, Huntlæo, ac Grotio placuit; Chaldæos quoque ipsam fuisse secutos, at Judæos deinde adulterasse, censet Steuchus; Grotius vero approbare eam satagit, cum ex aliis Scripturæ sacræ locis, in quibus Messias a Patre missus esse dicitur, adhibitis ad id significandum verbis ἀποστέλλειν (*legare*) & πέμπειν (*mittere*) tum
Joh. 9, 7. maxime ex nono capite Johannis, ubi agitur de *natatoriis Siloe*, *quod interpretatur Missus*: quæ loca ad id Jacobi vaticinium spectare putat. Fuit in eadem opinione Eusebius, eamque libro septimo Demonstrationis prodidit, & Grotio id argumentum ex Siloe petitum submiſtravit. His addi poterant testimonia quædam Auctorum sacrorum, in quibus nomen ἐρχόμενος, sive Venturus Messiæ proprium videtur χαρακτηριστικὸν (*nota insignitum, qua ab aliis discernatur.*) Quale illud est Discipulorum Johannis ad Matth. 11, 3. Christum: *Tu es qui Venturus es, an alium expectamus?* & hoc Pauli ad Ebræos: *Adhuc enim modicum aliquantulum: qui Venturus est veniet, & non tardabit*: quod ex secundo capite Habacuc depromtum est: & Habac. 2, 3. hoc Epistolæ ejusdem ex persona Messiæ: Ebr. 10, 7. *Tum dixi, Ecce venio*: quod e triceſimo nono Psalmo prodiit. Quo refertur & hoc Pſ. 39, 8. 9. Samaritanæ ad Christum: *Scio quia Messias venit (qui dicitur Christus:) cum ergo venerit ille, nobis annuntiabit omnia*: atque id Joh. 4, 25. etiam Aggæi: *Et veniet desideratus cunctis gentibus.* Venturus autem & mittendus reciproca sunt. Verum tantis licet suffragiis, tantisque argumentis se tueatur hæc opinio, ab ea tamen me revocat unius Samaritani exemplaris auctoritas, ex cujus ductibus intelligitur, eam, quæ nunc obtinet in Ebraico contextu, scripturam esse vetustissimam, nec ullius vitiositatis suspectam. Nec abhorret a vero, legisse Hieronymum שילח, etiamsi vocis hujus originem repetiverit a שלח; quidni enim crediderit ח in ה, ejusdem instrumenti literam, mutari posse per variationem dialectorum, uti mutatur nonnunquam in ע? Nihilo magis Septuaginta Senum interpretationi assentiri possum: ἕως ἂν ἔλθῃ τὰ ἀποκείμενα αὐτῷ (*donec veniant quæ ipsi reposita sunt,*) vel, ut alii legunt, ᾧ ἀπόκειται, (*cui repositum est*) vel juxta nonnullos, ὃ ἀπόκειται (*quod repositum est.*) His significatas putat Eusebius Dei promissiEuſ. Dem. l. 6. ones, quibus futurum spopondit, ut in Abrahami, Isaaci & Jacobi semine *benedicerentur* Gen. 35, 11. *omnes cognationes terræ, & Reges de lumbis* Jacobi egrederentur. At idem paulopost ἀποκείμενα (*reposita*) illa aliter explicat, eaque opinatur esse, quæ Judæ Jacobus mox pollicitus est: *Juda, te laudabunt fratres tui; manus tua in cervicibus inimicorum tuorum; adorabunt te filii patris tui. Catulus leonis Juda: ad prædam, fili mi, ascendisti: requiescens accubuisti ut leo & quasi leæna; quis suscitabit*

Digitized by Google

scirabit eum? At Onkelos, & Hierosolymitanus Paraphrastes, & Syrus Interpres, & Arabs, & R. Selomoh, regnum putant id fuisse, quod Messiæ erat ἀποκείμενον (*repositum.*) Quam interpretationem Chrysostomus & Hieronymus arripuerunt. Ita videntur eamdem lectionem secuti ac Septuaginta; nempe שלו, hoc est, juxta ipsorum interpretationem, *quod ei*; ut ה pro י usurpetur, & ש pro אשר; quæ sane nimis coacta videntur, & parum omnia verisimilia; nam præter ה in י mutatum, vides י intrusum; Deinde ante Davidis tempora contractum fuisse אשר in ש, nullo exemplo probari potest, ut notavimus ad Originem. Esto tamen, contradictionem hanc tulerit ista ætas, quodnam hoc loquendi genus est, una, duabusve dictionibus triplicem involvens ἀποσιώπησιν (*reticentiam?*) Ut enim aliquis inde exculpatur sensus, τῷ *quod* primum præfigendum est *regnum*; subjungendum vero, *repositum est*; at τῷ *ei* subjiciendum *Messiæ*: quæ connexa hanc sententiam dabunt, *Donec veniat regnum, quod repositum est ei Messiæ.* Pateremur, si ulla præcessisset, vel regni, vel Messiæ mentio: quod cum non ita sit, explicationem hanc merito repudiamus. Nec illi auferimus alteram R. Davidis Kimchi, quam proponit in libro Radicum. Is שלה exponit בנו *filius ejus*, & vocem derivat a שלוה, quod *secundas* significat, sive χόριον. Id ut constare possit, dictio hæc parte sui ultima multanda est, & pro affixo ו supponendum ת, deinde י inferciendum, & dicendum demum *secundas* pro fœtu συνεσχισμένος (*per syncopen*) hic usurpari. Hæc sententia, quantumvis ab oratione communi abhorrens, recentioribus tamen plerisque Interpretibus Christianis placuit, quod Messiæ ortus ex matre, absque ullo patris opere, his designari visus sit. Nos vero, non quæ acutiora cogitatu, vel dictu pulchriora, sed quæ veriora sunt, persequimur. Ea mihi arridet præ reliquis vocabuli hujus interpretatio? quæ *Pacificum* reddit; a שלה, quod est, *quievit, in pace & otio fuit.* Id quam Christo conveniat, liquet ex Davide, qui de eo prædixit, futurum ut *Oriatur in diebus ejus justitia & abundantia pacis, donec auferatur Luna*: & ex Isaia, qui hæc de eo vaticinatur: *Vocabitur nomen ejus, Admirabilis, consiliarius, Deus fortis, pater futuri seculi, princeps pacis: multiplicabitur ejus imperium, & pacis non erit finis.* Quid quod conceptis de eo verbis præcinit Michæas: *Et erit iste pax:* & Zacharias: *Et loquetur pacem gentibus.* Quæ in Domino Jesu re fuisse completa evincit noster Parallelismus. An & vocis hujus veriloquium tangitur apud Isaiam, cum ait aquas Siloe vadere cum silentio, ἡσυχῇ πορεύεσθαι, (*tranquille ire*) juxta Septuaginta Interpretes? Fieri enim potuit, ut quemadmodum in oraculo Jacobi שילה Hieronymus, aliique arcessiverunt a שלה *misit*, ita Isaias שלח, quod fontis nomen est, derivaverit a שלה, *quievit, tranquillus fuit.* Jam vero quatenus Messias fuerit expectatio gentium; vel juxta Onkelon & Hierosolymitam, quatenus ipsi dicto audientes fuerint populi, vel juxta Kimchium & alios, quatenus ad eum aggregati fuerint populi, præclare R. Moses Hadarsan in Bereschith Rabba ostendit ex Isaia, qui futurum prædicit, ut *ipsum gentes deprecentur*, ut *legem ejus insulæ expectent*, ut Deus *det eum in fœdus populi, ut suscitet terram & possideat hereditates dissipatas*, ut Deus *testem populi det eum, ducem ac præceptorem gentibus.* His adde & istud Aggæi: *Et movebo omnes gentes, & veniet desideratus cunctis gentibus.* Simili promisso Deus patriarcharum Messiæ proavorum, Abrahami, Isaaci, & Jacobi spes sustentabat, futurum spondens, ut in illis *benedicerentur universæ cognationes terræ.* Hinc ista Simeonis viri sancti, cum Jesum in sinu gestaret: *Quia viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum, lumen ad revelationem gentium.* Sin R. Jonam Gerundensem quis sequatur, qui locum hunc sic intelligit: *Non a Juda abscedet virga exactoris, quod veniat filius ejus, qui gentium robur frangat*, uti quoque porerit Davidis suffragio, qui Deum inducit sic alloquentem Christum: *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu ego hodie genui te. Postula a me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Reges eos in virga ferrea & tanquam vas figuli confringes eos.*

His demum verbis Jacobi oraculum concluditur: *Ligans ad vineam pullum suum, & ad vitem, o fili mi, asinam suam. Lavabit in vino stolam suam, & sanguine uvæ pallium suum. Pulchriores sunt oculi ejus vino, & dentes ejus lacte candidiores.* Quadrare & hæc

Chrysost. in Gen. 49. Hier. Epit. Paul. c. 4. & alibi fæpe

Psalm. 72. 7.

Isa. 9, 6. 7.

Mich. 5, 5. Zach. 9, 10.

Isa. 8, 6.

Isa. 11, 10. & 41, 4. & 49. 8. & 55, 4.

Agg. 2, 8.

Gen. 12, 3.

Luc. 2, 30. & seq.

Psal. 2, 7.

Gen. 49. 11. 12.

Digitized by Google

hæc in Christum, ex Johanne intelligitur, apud quem Iesus hæc de se prædicat: *Ego sum vitis vera, & Pater meus agricola est:* tum: *Ego sum vitis, vos palmites: qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum.* Asinam autem & asellum, quibus invectus Hierosolyma iniit juxta Zachariæ vaticinium, Iudæorum & Ethnicorum symbola esse uno ore asseverant Interpretes. Porro significari a Iacobo his verbis eumdem, qui a Zacharia deinde in asina equitans descriptus est, traditur in Beresith utraque, Rabba & Ketanna. Cum illos ergo cœlestis gratiæ laqueis irretitos ad se pertrahit, sibique adjungit, tum vere ad vitem pullus & asina religantur. Flectimus hæc nos quidem in allegoricum sensum, quod & fecerunt Chaldæi Paraphrastæ. Onkelos vitem interpretatur Deum, Deique doctrinam, tum & ipsius Templum ac Civitatem; asinam vero & asellum exponit Israelem & Ethnicos, tum & æqui bonique amantes homines ac divina præcepta facessentes. Onkelon sequitur R. Selomoh. Ionathan & Hierosolymitanus interpres iis quæ sequuntur cruentas Messiæ victorias portendi putant. Ego vero ajo Iesu Christi supplicium his præsignificari, isto Isaiæ loco fretus, quem ad Messiam pertinere arbitratur optima pars Interpretum: *Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra, iste formosus in stola sua? ..... Quare ergo rubrum est indumentum tuum, & vestimenta tua sicut calcantium in torculari?* Quamobrem in sacrosancto Eucharistiæ sacramento de vino sanguinem suum fieri voluit, seque cruenta veste indutum obtulit in Apocalypsi. Nec ipse solum suo sanguine stolam tingit, at Discipulorum quoque suorum vestes eodem abluí jubet: *Hi sunt*, inquit unus de Senioribus Iohannem alloquens, *qui venerunt de tribulatione magna, & laverunt stolas suas, & dealbaverunt eas in sanguine Agni.* Alio loco sic ipse Iesus: *Beati qui lavant stolas suas in sanguine Agni.* Quæ sequuntur de oculorum pulchritudine & candore dentium, valent ea ad Messiæ speciem ac decorem commendandum; non eum qui in externa corporis forma, sed qui in animi dotibus ac virtute positus est. Quo pertinet istud e Psalmo quadragesimo quarto: *Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in æternum.* An æternum illum Dei favorem forma corporis quisquam promereri potest? minime profecto. Simile est hoc Isaiæ: *Regem in decore sico videbunt oculi ejus.* Eumdem igitur sensum accommoda & Cantico, in quo Sponsi pulchritudo tenerrimis & mollissimis verbis describitur: accommoda vero his præcipue: *Dilectus meus candidus & rubicundus:* quibus candidi mores, &, ut Virgilii utar verbis, ardens virtus denotantur, quorum symbola sunt lac & vinum. Rubor autem oculis maxime Messiæ tribuitur, perinde ut vis flammea in Apocalypsi, & apud Danielem; & Deo ipsi apud Ezechielem: nimirum ut perspicacitas ejus significetur, & oculorum vis omnia pervadens, etiam intima cordis. Quocirca Christus Iesus in Apocalypsi, postquam flammeos & ignitos sibi esse oculos dixit, subjicit continuo: *Novi opera tua:* & deinde; *Ego sum scrutans renes & corda.* Sic & Paulus ad Ebræos: *Non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus: omnia autem nuda & aperta sunt oculis ejus.* Cui vi exprimendæ nihil excogitari potest igne aptius, qui calore suo omnia penetrat, lumine collustrat universa. Candor autem adscribitur dentibus, propter sandi vim lacteam, qua Christum valuisse ex his Lucæ discimus: *Et omnes testimonium illi dabant, & mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipsius:* id quod tanto ante præmonitum fuerat in Psalmo quadragesimo quarto: *Diffusa est gratia in labiis tuis.* Id sibi quoque volebat Matthæus, cum diceret: *Erat enim docens eos sicut potestatem habens:* & ministri Pontificum & Pharisæorum apud Johannem: *Numquam sic locutus est homo sicut hic homo.* Nihil est enim ad persuadendum efficacius, nihil accommodatius ad delectandum, nativa hac oratione & simplici, quæ detracto omni ornatu verborum, rebus ipsis placet quas expromit, in earumque delectu laborem omnem & industriam consumit.

Joh. 15, 1. & seq.
Zach. 9, 9.
Isa. 63, 1. 2.
Apoc. 19, 13.
Apoc. 7, 14.
Apoc. 22, 14.
Ps. 44, 3.
Isa. 33, 17.
Cant. 5, 10.
Apoc. 1, 14. & 2, 18. & 19, 12.
Dan. 10, 6.
Ez. 1, 27.
Apoc. 2, 18. 23.
Ebr. 4, 13.
Luc. 4, 22.
Ps. 44, 3.
Matth. 7, 29.
Joh. 7, 46.

XII. His animadversis videant nunc Judæi, an commentitias suas loci hujus interpretationes nostræ possint opponere, & levi saltem aliqua veritate comprobare. Eorum, ut dixi, de Prophetiæ hujus intellectu duplex extat opinio; alii enim Messiæ quidem prædictionem ei fatentur inesse, at Jesum eum fuisse negant; alii ad Messiam id ullo modo pertinere infitiantur. Qui in priori versantur

Refellantur Judæi.

Digitized by Google

versantur hæresi, non in eamdem omnes conspirant sententiam; quidam enim Messiam a Jacobo promissum nondum venisse arbitrantur, venturumque exspectant: quæ sententia tradita extat in Thalmudico libro Sanhedrin; item in Beresith utraque, Rabba & Ketanna; & in Echa Rabbathi; apud Onkelon quoque, & alios Paraphrastas Chaldæos, Jonathanem & Hierosolymitam; apud R. Davidem Kimchi in libro שורשים, R. Abrahamum Aben-Ezram, & Salomonem Jarchi, & R. Josephum in Ikkarim sive Fundamentis fidei, qui & id Onkelon accepisse narrat a Schemaja & Abthalione, stante etiamnum Templo secundo: cujus rei fides penes auctorem esto. Eadem est etiam persuasio eorum, qui Babylonicæ Captivitatis principem, quem ראש הגולה, sive Æchmalotarcham appellant, magnis Judæorum copiis, uti quidem fingunt, Bagdadi præfectum, de tribu Juda numquam non deligi ajunt; unde oraculi veritatem peti censent; quippe nondum ablatum esse sceptrum de tribu Juda, nec proinde Christum venisse. Vigebat hæc jam inter Judæos opinio Origenis temporibus, quem plerique partium harum gregales sectati sunt. Pluribus de ea re differunt Benjamin Tudelensis in Itinere, & R. Abraham Zachuthus in libro Juchasin. Quidam vero Messiam geminum hoc Jacobi oraculo promissum arbitrantur; Mosem alterum, alterum Messiam κατ' ἐξοχὴν *(per excellentiam)* dictum: quem errorem secutus est R. Bechai. Adde & alios jam supra confutatos a nobis, qui Judæ hic promissam agnoscunt perpetuitatem regni, in Messia initium habituri. Qui vero nullam Messiæ his inesse prædictionem contendunt, vocem שילה, quam reddit Vulgatus Interpres, *Qui mittendus est*, vel ad Davidem, vel ad Saulem, vel ad Jeroboamum, ipsamque adeo Siloh urbem, vel ad Nabuchodonosorem referunt; quam postremam opinionem Julianus Apostata tueri videtur. Has sententias, utpote insigniores refelliss contenti erimus: alias quas scimus in Beresith Rabba, aliisque locis esse propositas, studiosorum industriæ discutiendas relinquemus.

Jul. apud Cyrill. l. 8.

ac ii primum, qui Messiam hoc oraculo

XIII. Ac priores quidem, qui Messiam hoc oraculo prædictum fatentur, at nondum venisse eum contendunt, nullum opinionis suæ afferunt argumentum; neque vero ullum aliud afferre possunt, præterquam quod nondum extitit quisquam, in quem partes oraculi hujus omnes apte congruerent. Quod manifeste falsum esse probavimus. Deinde cum superiori Propositione docuerimus eum habendum esse Messiam, cui uni prophetiæ omnes Veteris Testamenti de Messia conveniunt, hinc efficitur eum, in quem apposite quadrabit prophetia hæc Jacobi, si modo reliqua Veteris Testamenti vaticinia consentiant, Messiam esse habendum. Hanc autem Jacobi prophetiam in Jesum convenire luculenter demonstravimus, & reliquas præterea Veteris Testamenti vaticinationes huic consentire suis a me probatur locis. Unde efficitur Jesum esse Messiam, proindeque jam Messiam venisse.

prædictum fatentur quidem, eo nondum venisse eum contendunt;

XIV. Vanissima vero præ cæteris eorum opinio est, qui Æchmalotarcham quemdam confingunt, Judæorum imperium in Asia tenentem, & tribu Juda oriundum, quem Patriarcham appellant, perpetuaque successione dignitatem eam ad Christum usque extituram asseverant. Vetus illud quidem Judæorum commentum est, ut intelligi potest ex Seder olam Zutha; jam inde ab Origenis, ut dixi, superioribusque deductum temporibus; quod ita recentiores amplificarunt Magistri, ut Patriarcham hunc genealogiæ suæ seriem detexere, scriptisque ac legitimis instrumentis approbare posse putent. Atque ad hanc fabulam ordiendam una ipsis causæ videtur fuisse Jacobi de Juda prophetia, quam in Æchmalotarcha exitum habuisse prisci Rabbini existimabant, ut auctor est Maimonides in Jad Chazaçah. Opinioni huic profligandæ, inconstantiam ipsius & varietatem satis est prodidisse: nam Benjamin Tudelensis, qui in Itineris sui historia Israelitarum multitudinem ac potentiam vanis narrationibus commendare unice videtur habuisse propositum, multa de Æchmalotarcha congerit, ac ipsum Bagdadi sedem habere narrat, & imperium ejus Asiæ finibus circumscribit. Tum paulo post infinitas Judæorum copias versus Eurum statuit, sui juris, rerum omnium ubertate affluentes, amplissima & beatissima loca late incolentes, & ab omni commercio ac reliquorum hominum aditu seclusas, propter vastissimas solitudines interjectas. Quibus

quos inter præcipui sunt, qui Æchmalotarcham Juda progenitum Judæis hodieque præesse affirmant:

Maim. in Jad Chaz. l. ult. c. 4.

Margi-

Digitized by Google

Margianam ita a Veteribus descriptam notari putes. Pleraque tamen horum se fando tantum accepisse fatetur, quæ deinde R. Isaac ben Aramah in suis Legis explanationibus dicendo dilatavit. Auctor est etiam Aben-Ezra, ætate suâ nepotes quosdam Davidis extitisse Bagdadi. Sed & narrant R. Gedalias ben Jechaja in Catena Cabalæ, atque item R. Salomoh in Schevet Jehuda, posteris Davidis apud Persas summum honorem habitum fuisse. Multa quoque de maximis Judæorum ἀποδημοῖς & regnis in deserto Chabor & ad mare Rubrum sitis differit R. Abraham Peritzol in Orchath olam, sed de quibus nihil ipse quoque præter auditum habere se agnoscit. Multa idem, multa & ad nauseam usque insignis mendaciorum & ineptiarum fictor Eldad Danita, qui quatuor Israelitarum tribus, Danitidem, Gaditidem, Aseritidem, & Nephthalitidem in Æthiopia locat, Sabbathio flumine septas, & omnibus copiis circumfluentes; reliquas sex in Asia suis legibus utentes: nonnulla & R. Simeon in Jalcut, & ante illos Beresith Rabba & Thalmud in libro Sanhedrin de Judæis ultra Sabbathium flumen, quod ab aliis plerisque in Media statuitur, habitantibus, & regna illic obtinentibus; quos & mœnibus igneis protectos, & ab omni hominum commercio sejunctos esse quidam per summam vecordiam affirmare ausi sunt. Idem Peritzo Judæos versus orientem Solem locat & montibus immensis circumclusos fingit. Postellus nostras, vir magni sed immoderati & effrænis ingenii, intra has montium angustias diu latitasse decem tribus ait, sed tandem prognatos ex iis Tartaros & Turcas inde erupisse, vastissimasque regiones armis occupasse. Quod ex Haythoni Armeni Historia probare conatus, viris gravibus & eruditis persuasit. Magni etiam Judæorum exulum cœtus in India, magni ad Daphnen Antiochiæ suburbium statuuntur. Quidam & in America decem tribus requirunt. In quem errorem mirarer animum suum demisisse, eique defendendo studium suum & operam accommodasse doctissimum Manassem ben Israel, Amstelodami olim familiariter mihi notum, nisi Judæum fuisse meminissem. At res est omnibus cachinnis digna, asseverasse ipsum in Conciliatore, inter Judæos, qui per Hispaniam & Galliam ante annos aliquot dispersi erant, duces ac principes Davide prognatos semper extitisse, videlicet Abrabanieles: & post excidium secundi Templi duas ex hac gente familias in illas oras migrasse; quarum altera eorum erat, qui Bene David, *Filii David*, altera eorum qui Abrabanieles appellabantur. Quod & R. Isaaci ben Guiat autoritate confirmat; & aliorum præterea Judæorum auctoritate confirmare poterat. In quo tamen non gentilium solum suorum, sed & suam ipsius caussam agit homo non incallidus; nam duxerat uxorem de stirpe Abrabanielum, magnoque sibi ducebat honori Davidicam gentem affinitate contingere. Itaque Davidis nepotes se genuisse jactabat. Redeamus vero ad decem tribus, quas Thalmud Hierosolymitanum, omnes ineptias putidissimo figmento superans, nubibus protectas & a reliquis mortalibus hujusmodi septimento separatas comminiscitur, proindeque & ab Æchmalotarchæ ipsius imperio discretas. Quomodo enim ultro citroque ad eum illinc commeare, vel ab eo illuc penetrare legati potuissent, cum omnis aditus esset intercluſus? Nisi dicant fortasse solis Judæis hanc facultatem divinitus fuisse concessam, quod credet Judæus Apella, non ego. Scio memoriæ proditum esse a Josepho, tribus decem trans-Euphratem deportatas in immensam multitudinem sua ætate excrevisse, quod ab eo edoctus Orosius retulit: verum nulla illic regna commemorant; imo barbarorum imperiis fuisse subjectas optime a Sulpitio Severo observatum est. Nec moror auctoritatem Scriptoris libri quarti Esdræ, qui decem tribus in longinquas terras abiisse somniat, ut ritus suos sine impedimento possent observare; discessisse illis aquas Euphratis, ut olim Rubri maris & Jordanis; & post anni unius iter in regionem Arsareth perveniſſe, quo nemo hactenus penetraverat; ibique summa pace frui, quoad ipsis reditum Deus paret. Quæ impuri auctoris & otio suo abutentis mera figmenta sunt.

Atqui nos argumenta non deficiunt, quibus inanem hanc Jacobæi prædicti expositionem possimus diffiare. Nam primum constat, adeo permistas esse Judæorum tribus ac confusas, ut ne levi quidem suspicione origines familiarum internosci queant, nedum scriptis comprobari. Atqui ineptum est credere ea venientis Messiæ signa præmonstrasse

Orch. Ol. c. 14.

Thalm. in Sauh. c. 10.

Joſ. Antiq. l. 11. c. 5.

Oroſ. l. 2. c. 7. Sulpit. Sev. Hiſt. ſacr. l. 2.

Poſtell. Hiſtor. Or. Part. 1. c. 5. & 6.

4. Esdr. 13, 41. & ſeq.

Hyath. c. 17 Hiſtor. Orient.

Digitized by Google

Jacobum, eventuram nempe tribui Juda sceptri amissionem & ducum defectum, quæ deprehendi haudquaquam possent; cum ne ipsa quidem tribus Juda secerni ab illis ac distingui queat. Ajo præterea nusquam gentium jus sceptri, ditionemve ullam aut imperium Judæos obtinere. Hac enim ætate frequentibus mercatorum commerciis, & longinquis viatorum peregrinationibus, satis accurata terræ habitabilis percepta notitia est, ut fabulosa hujusmodi imperia confingere nemini liceat. Scimus vero quoquoversum dissipatam infelicem hanc gentem alienis parere legibus, nec quidquam eorum attentare fas ipsi esse, quibus constat regia potestas; puta reos morte plectere, bella denuntiare, monetam cudere, leges proponere: imo vero, ludibrio ubique ac despicatui habitam, velut in celeberrimo orbis universi theatro atrocissimam scelerum suorum pœnas luere. Mirum foret profecto tantam hominum multitudinem, bonis omnibus florentem, ita delituisse ad hanc diem, ut post tot ac tantas hominum nostrorum peregrinationes adiri non potuerit. At jamdiu est, quod Origenes & Theodoretus Patriarcharum originem de tribu Juda arcessitam vanitatis insimularunt. Nec uno loco scribit ille, jus gladii Judæis fuisse ademptum, eoque exitum habuisse Jacobi vaticinium Judæ filio editum. Quod si in reos aliquando animadvertisse leguntur ipsorum Ethnarchæ, id quod suis factum temporibus, seque expertum affirmat Origenes in Epistola ad Africanum, hoc sibi juris sumsisse illos ait, vel dissimulantibus Romanis, vel gratificantibus. Proditum deinde est variis locis a Maimonide, quam angustis finibus coercita fuerit Judæorum potestas & jurisdictio. Iis quidem extra terræ Chanaanitidis limites judicia capitalia exercere fas jusque non erat; itaque Babylone, & Alexandriæ, & Antiochiæ, ab iis, quibus subditi erant, Principibus capitalia jura petebant, vel eorum reddendorum licentiam impetrabant. At intra Chanaanitidem soli Palæstini Judæi jure gladii pollebant, non Babylonii, aut Ægyptii, aut Antiocheni, quibus id nullibi gentium erat concessum; unde efficitur ineptum esse, Babyloniis Judæis, quorum accisa adeo potestas erat, sceptrum & regiam dominationem adscribere. Quid quod & Æchmalotarcham ipsum a Muhammedanorum Calipha potestatem per sigilli traditionem accipere solitum Benjamin testificatur: quo minime proprium, sed fiduciarium dominium habuisse confitetur. Sed ne Synagogas quidem, collegia, aut scholas, nisi de Principum licentia, habere poterant: & si quibus fruebantur privilegiis, totum id benignitati Principum eorumdem acceptum referebant. Hæc quidem pro temporibus varie mutarunt. Id juris, quo pollebant olim Palæstini Judæi, ad hanc diem minime retinuerunt: penes Turcas est suprema potestas, a quibus omni juris dicundi facultate multati sunt. Quod ad regna vero illa imaginaria e decem tribubus propagata attinet, etiamsi nunc extare fateremur, quis ea credat se hominibus tribu Juda prognatis subjecisse? Quamvis enim legamus in Beresith Rabba, deportatas esse decem tribus in certum quemdam locum; in omnes vero regiones quoquoversus dispersas fuisse tribus Juda & Benjamin, ita ut unum aliquem ex tribu Juda apud se reperire potuerint, quem sibi præficerent; ex quo tamen Israel detrectavit imperium tribus Juda, seque ab illa segregavit, sicut *Non conuntur Judæi Samaritanis*, quemadmodum ex Christi Jesu & Samaritanæ mulieris colloquio cognoscimus; ita nec Israelitæ Judæis. Itaque R. Isaac Abrabaniel in sua Isaiæ interpretatione, quæ de Christi contumeliis & tormentis quinquagesimo tertio capite prædicta sunt, ea ad popularium suorum miserias detorquet, eorumque calamitates & ærumnas multis exaggerat; immemor beatorum illorum orientis regnorum, præclaræque Æchmalotarchæ dignitatis & potentiæ; regiaque potestate, sceptro, ac dominio Israelitas penitus excidisse, nec ullum Synedrium habere fatetur. Enimvero futurum id animo præsentiebat Amos, cum diceret: *Ecce oculi Domini Dei super regnum peccans, & conteram illud a facie terræ: verumtamen conterens non conteram domum Jacob, dicit Dominus:* hoc est, Regnum illud temporarium & terrenum Judæorum exscindam; at in aliud æternum deinde reparabo. Subjicit enim: *In die illa suscitabo tabernaculum David quod cecidit; & readificabo aperturas murorum ejus, & ea quæ corruerunt instaurabo.* Caduci quoque hujus Israelitarum regni ruinam prævide-

Origen. περὶ ἀρχ. L. 4. c. 1. Theod. in ἀρχιερ.

Joh. 4, 9.

Amos 9, 8. 11.

Digitized by Google

Oſe. 3, 4. prævidebat Oſee, cum diceret: *Dies multos ſedebunt Filii Iſrael, ſine rege, & ſine principe, & ſine ſacrificio, & ſine altari, & ſine Ephod, & ſine Theraphim.* Qua prædictione Origenes Iudæorum merito contundit vecordiam, qui tribum Iuda ad Meſſiam usque per Patriarchas ſuos ſceptrum retenturam eſſe jactabant. Ionathan quoque tempus illud eadem vaticinatione prænuntiari docet, quo nullis regibus Davide oriundis Iudæi parebunt. Candidius etiam R. David Kimchi præſens popularium ſuorum exilium illic indicari cenſet, quo regibus ac principibus generis ſui penitus deſtituti barbararum gentium imperiis continentur. Atque hæc prophetia jam compleri cœperat, cum dicebat Azarias: *Non eſt in tempore hoc princeps, & dux, & propheta, neque holocauſtum, neque ſacrificium, neque oblatio, neque incenſum, neque locus primitiarum coram te.* Candide quoque R. Bechai, & R. David Ganz, & R. Manaſſe, a nullis gentis ſuæ regibus vel principibus populares ſuos regi teſtantur. Diſertiſſime vero omnium R. Iſaac Akriſch in קול הנכשר, narrationes hujusmodi confictas eſſe declarat, & ad ſublevandos ſuorum animos excogitatas. Eſto tamen, tantum patuerit Babyloniorum Iudæorum ditio, quantum gentiles ipſorum volunt, conſtat certe nunc attonſam ac reſectam ubique terrarum ita eſſe, ut extincta potius & ſublata penitus dicenda ſit, ac proinde oraculo Iacobæo neutiquam accommodari poſſe. Nec enim ad id ſatis, verum aliquando fuiſſe quod de commentitio illo & ſtramineo gentis ſuæ ſceptro commemorant, ſed ad Meſſiam usque iis expectatum perſeverare debuit. Quod cum ſecus evenerit, nullaque hodie ſceptri umbra apud ipſos ſuperſit, nulla ratione defendi poteſt ea quam afferunt prædicti Iacobæi interpretatio.

R. Dav. Kimch. in Oſe. 3, 4.

Dan. 3, 38.

tum R. Bechai, qui Meſſias suos a Jacobo prædictos affirmat, quorum alter fuerit Moſes, alter nondum advenerit.

XV. Nihilo validior illa eſt quam propoſuit R. Bechai, a quo libri Moſis explanationibus ſunt illuſtrati. Is ſuper hoc loco Geneſeos, & in libro quem שלחן ארבע, *Menſam quadratam* inſcripſit, geminum hic Meſſiam prædictum eſſe opinatur, Moſem alterum, alterum Meſſiam proprie dictum, quem Iudæi expectant. Nec enim credibile eſſe ait Iacobum futura animo proſpicientem, longinquam & remotam Iſraeliticæ gentis liberationem prædicendam ſuſcepiſſe; inſtantem vero & proximam, cujus auctor futurus erat Moſes, ſilentio prætermiſiſſe; utramque ergo uno vaticinio prænuntiaſſe; præſertim cum altera alterius typus & exemplar, juxta doctrinam a Prophetis traditam, futura eſſet: præterea Siloh Moſem eſſe per artem Gematricam; nam ſi vocabulorum שילה, & משה, valorem arithmeticum colligas, habebis utrobique ſummam CCCXLV; ad Moſis vero tempora Iſraelitarum ſceptrum tenuiſſe tribum Juda, & ab ea demum ad Levitas per Moſem translatum eſſe. Regem porro fuiſſe Moſem probat hoc teſtimonio Deuteronomii: *Erit apud rectiſſimum Rex congregatis principibus populi, cum tribubus Iſrael:* quod adſonat huic prædicto Jacobi: *Et ei erit aggregatio populorum;* ſic enim Ebraica verba reddi poſſunt. Iſraelitæ autem populorum nomine afficiuntur eodem loco Deuteronomii: *Dilexit populos: omnes ſancti in manu illius ſunt.* Hæc Bechai, cui reſpondeo nugatoriam eſſe & futilem Gematricam artem, per quam ex hoc Jacobi oraculo, & ex quocunque Scripturæ loco ſexcenta ejusmodi figmenta quivis queat extundere. Ajo deinde, etſi ſceptri jus in tribu Juda ſemper fuerit, uſum tamen non fuiſſe ante Davidem, quod vult Bechai; nedum ante Moſem, cujus ævo Judaica tribus, totaque Iſraelitica gens duriſſima apud Ægyptios ſervitute premebatur. Fac tamen ſceptro tum potitam fuiſſe tribum Juda, repugnantia ſibique contraria implicabit hæc opinio: nam ut ei accedat fides, dicendum eſt, reipſaque dicit R. Bechai, ſceptrum de tribu Juda fuiſſe ablatum, poſtquam venit prior Meſſias Moſes. At ſciſcit idem Magiſter, non ablatum iri ſceptrum de Juda, antequam poſtremus Meſſias advenerit. Igitur Moſis ætate neutiquam ablatum fuit. Corruit ergo ſententia hæc, ſeque ipſa jugulat.

Deut. 33, 5.

Deut. 33, 3.

& qui vocibus שבט *Sceptrum, &* מחקק *Dux, tyrannicum & crudele imperium in ſe paſſim exerceri ſolitum prædici putant: & qui* שבט

XVI. R. Moſes ben Nachman, R. Joel ben Suib, aliique partium illarum Magiſtri, dictiones, שבט, *Sceptrum*, מחקק, quod vulgata *Ducem* reddit, deſignare putant ſævum & imporentem dominatum, quo miſera ipſorum gens paſſim vexatur. Cui calamitati tum a Deo finem impoſitum iri cenſent, cum Chriſtus advenerit. Facile enimvero confutatur opinio hæc ex verbis a Scriptore ſacro adjectis, quibus מחקק, *Ducem*, ſive *Legislatorem*

Digitized by Google

hic tribum sonare opinantur:

gislatorem hunc *de femore* Judæ prodituru̇m prænunciat. Unde liquet, non externos, quibus parere coguntur, principes, sed gentiles eorum ac tribules prædici. Inde se ut expediant alii, exponunt *Doctorem Legis*: ut sententia hæc sit; Legis Doctores semper fore inter Judæos, qui eos officii sui commonefaciant, nec Legis obliviſci patiantur, etiamsi iniquum Ethnicorum principatum & dominationem tolerare cogantur. Verum ne id quidem defendi potest: nam si sacrorum annalium replicemus memoriam, falsum esse reperiemus, duris semper Judæos imperiis fuisse afflictos, cum mitissimis & æquissimis Regibus, quos gens hæc plerosque tulit, paruerint. Nego denique vocem שבט, si solitaria sit, tyrannicum imperium sonare. Dominationem generatim significat, tam æquam & legitimam, quam impotentem: quæ sane adjuncto epitheto determinanda erat, cum in eo rei totius cardo verteretur, uti in Psalmo secundo determinata est. בשבט ברזל, *in virga ferrea.* Quia vero שבט hic tribum sonare rentur, ut sensus sit, Non ablatum iri tribum Juda, ita ut decem tribus ab Assyriis in longinquas regiones deportatæ sunt, semperque suos ipsam doctores habituram, veritati manifeste contradicunt, cum Judaicæ gentis reliquiæ ablatæ, deportatæ, miserrimis exiliis multatæ sint. Igitur si patriam ac penates servare debuit tribus Juda ad Messiam usque, Messiam jampridem venisse necesse est.

Psal. 2, 9.

quique Jacobum non id sibi velle censent, fore ut Israelitis Reges de tribu Juda semper prasint, sed ut non alii quam hac tribu orti prasint:

XVII. Existimarunt præterea R. Selomoh Alca bitzius, in libro Manoth hallevi, R. Obadias Saphornus in suis Legis expositionibus, proxime memoratus R. Moses ben Nachman, aliique hujus gregis, non hoc sibi voluisse Jacobum, ad Messiæ usque ætatem temporarii sceptri possessionem penes tribum Juda semper futuram, cum ea sæpe excidisse ipsam certum sit, sed non alios reges quam tribu Juda ortos Israelitis imperaturos: sin res secus eveniat, causæ futura ipsorum peccata; regnumque a Iuda ad tempus ablatum, ipsi aliquando restitutum iri; proindeque punitos fuisse a Deo, quicumque aliis prognati tribubus sceptrum usurparunt: cum ergo Saul qui Benjamita fuit, & Assamonæi qui Levitæ fuerunt, sceptrum sibi arrogassent, infeliciter ipsos periisse, Deo sic jus tribus Iuda persequente. Meminissent doctrinæ hujus patroni, quibus verbis Saulem Samuel compellaverit, cum unctura Regem eum Israelitarum consecraret: *Ecce unxit te dominus super hæreditatem suam in principem.* 1. Reg. 10, 1. Meminissent quibus eum verbis Samuel Regem renuntiaverit: *Certe videtis quem elegit Dominus, quoniam non sit similis illi in omni populo.* 1. Reg. 10, 24. Eane injusta est regni possessio, cujus auctor est Deus? Meminissent quam demisso sermone Samueli responderit Saul, cum in amplioris fortunæ spem excitaretur: *Numquid non filius Jemini ego sum, de minima tribu Israel, & cognatio mea novissima inter omnes familias de tribu Benjamin? quare ergo locutus es mihi sermonem istum?* 2. Reg. 10, 21. quasi regni honorem refugiens ac detrectans. Ex his intelligitur Iudæ sceptrum non contra jus, sed Deo sic volente & jubente Saulem occupasse; adeo ut qui secus sentiunt, apertissimo Dei judicio & clarissimis Scripturæ sacræ verbis contradicere videantur. Meminissent etiam Ieroboamum tribu Iuda haudquaquam oriundum certo Dei nutu Israelitis imperasse; sic enim ipsum Ahias Silonites compellat: *Hæc dicit Dominus Deus Israel, Ecce ego scindam regnum de manu Salomonis, & dabo tibi decem tribus:* 2. Reg. 11, 31. 37. 38. & deinde: *Te autem assumam, & regnabis super omnia, quæ desiderat anima tua, eritque rex super Israel. Si igitur audieris omnia quæ præcepero tibi, & ambulaveris in viis meis, & feceris quod rectum est coram me, custodiens mandata mea & præcepta mea, sicut fecit David servus meus, ero tecum, & ædificabo tibi domum fidelem, quomodo ædificavi David domum, & tradam tibi Israel.*

& qui Prophetiam hanc ὑπαλλαγὴν esse statuunt:

XVIII. Futilis vero penitus & absurda est eorum interpretatio, qui prophetiam hanc, non planam ac simplicem, sed ὑποθετικὴν, & connexis quibusdam determinatam esse statuunt: atque ea lege & omine principatum ad Messiæ usque tempora esse Iudæ promissum, si modo legi divinæ obsequatur. Cum enim opinionem istam nulla Scripturæ sacræ prosequantur testimonia, uti nullo jure proponitur, sic optimo jure repudiatur. Cum alioqui pari exceptione, si huic adhibetur fides, omnia sanctorum Prophetarum vaticinia eludi possint.

quique id ita exponunt, Judæis defen-

XIX. Proponitur præterea hæc loci interpretatio in Bereſith Rabba; Judæos, dispersos licet & captivos, non ita tamen vexatum

fores nunquam deſutures: veratum & afflictum iri, ut omni penitus præſidio careant; futurumque ſemper, ut ex uno loco expulſi, in alium benigne ſuſcipiantur, quoad Meſſias veniat; haut aliter atque a Machiro Ammielis filio David Abſalomum fugiens exceptus eſt, & omnibus copiis liberaliter adjutus. Atqui hoc non tribus Iuda privatim proprium eſt, ſed ad omnes Iſraelitas generatim pertinet: cum tamen demonſtrandum fuerit promiſſionem hanc, Iudæ privatam & propriam fuiſſe; nam Iacob *benedixit ſingulis benedictionibus propriis.* Deinde vix aſſignari regem, gentemve poſſe puto, quæ eos ita foveat ac protegat, vel tam certis adjuvet auxiliis, quam Machir Davidem; cum per univerſum orbem, quantum fando accepimus, æque viles habeantur, deſpicatui ſint, graviſſimis tributis obruti ſpolientur, diripiantur.

2. Reg. 17, 27.

Gen. 49. 8

& qui ita, Tribum Iuda ex hominum commercio nunquam iri ſegregatum ut decem tribus.

XX. Poſtremam hanc ex R. Manaſſis Conciliatore proponam oraculi Jacobæi expoſitionem; nunquam ita ſublatum iri tribum Juda, & ex hominum notitia ac commercio ſegregatum, uti decem tribubus contigit, ſed ſemper doctores ſuos, per quos erudiatur, ad Meſſiæ usque ortum habituram. Ego vero ajo non magis ex hominum ſocietate & uſu ſepoſitas eſſe decem tribus, ac illam Judæ: nam qui per orbem ſparſi ſunt Judæi, quibusnam prodierint tribubus; an ex decem, an ex Judæa tribu, valde incertum eſt; tamque credibile eſt decem tribus ab Aſſyriis in orientem abductas, Judæos illic ſuperſtites progenuiſſe, quam quæ a Romanis in has oras diſſipatæ ſunt, Judæos in occiduis partibus habitantes procreaſſe. Præterea poſt deportatas decem tribus, aliqui tamen iis orti in patria reperti ſunt; velut Anna Prophetiſſa, quæ fuit de tribu Aſer. Nunc vero cum inter tot inflictas a Deo genti huic calamitates, non poſtrema ſit tribuum confuſio & permiſtio, & certæ ſtirpium ſeriei ac ſtemmatum ignoratio, & poſt tot direptiones, ſectiones, publicationes, proſcriptiones, vetuſtorum inſtrumentorum jactura; unam aliquam a reliquis, Judæam ab aliis decem, nunc internoſcere velle, id vero eſt Judæum agere, hoc eſt deſipere.

Refelluntur deinde Judæi, qui hoc oraculum ad Meſſiam ullo modo pertinere negant; ac ii primum quireferunt ad urbem Siloh, & ad Davidem:

XXI. Nunc ii refellendi veniunt Judæi, qui majorum ſuorum ſpreta auctoritate ad Meſſiam ullo modo pertinere hoc oracu-

lum præfracte infitiati ſunt: qui ut a via veritatis receſſerunt ſemel, in varios protinus errores ſunt delapſi. Quidam Siloh, nominis hujus urbem, ſonare cenſent, & verba hæc, *Donec veniat Siloh*, exponunt, Donec definat Siloh & finem habeat: iſta autem, *Non auferetur ſceptrum de Juda*, id putant ſibi velle, Præſtantia Iudæ in regium dominatum mutabitur. Ut loci totius hæc ſit ſententia. Dignitas tribus Iuda & præſtantia in regnum mutabitur, cum Siloh Arcæ ſedes eſſe deſinet. Hanc ſententiam qui tuentur, vocem *Donec* ita exponant neceſſe eſt, quemadmodum a Cajetano exponi ſupra diximus, ſic nempe ut ceſſationem ejus rei, de qua habetur ſermo, non ſignificet, ſed continuationem potius cum alterius interventu; continuationem videlicet poſſeſſionis ſceptri, hoc eſt præſtantiæ, cum interventu finis Siloh. Sic intellexerunt doctiſſimi Magiſtri, quos inter præcipua eſt ſupra jam memorati R. Bechai auctoritas; atque id completum eſſe arbitrati ſunt, cum rerum potitus eſt David, & regiam poteſtatem eſt conſecutus. Verum enimvero quid tandem eſt locum corrumpere, ſi hoc non eſt? partim enim hæc cum hiſtoriæ veritate, partim cum manifeſta loci ipſius pugnant ſententia. Falſum enim eſt tum regnum capeſſiviſſe Davidem, cum de Siloh Arca ſublata eſt: nam Saul Davidis deceſſor hoc tempore rex nondum fuerat creatus. Quænam præterea hæc animi perverſitas eſt, ut verba hæc, *Donec veniat Siloh*, ſignificare exiſtimentur, *Donec definat Siloh?* Ait Iacobus non ablatum iri ſceptrum de Iuda, quoad venerit Siloh; quod ſignificat jam ante non veniſſe Siloh: ajunt Rabbini tunc ſceptrum capeſſiturum Iudam; cum deſinet Siloh, quod ſignificat jam ante veniſſe Siloh. Vides in quam rerum repugnantiam imprudentes Magiſtri ſe induerint. Cum enim בוא ſignificare pertendunt, *occidit, occubuit*, indoctorum credulitati illudunt: nam בוא non tantum ſonat, *venit*, ſed etiam, *iit, abiit*; quo ſenſu in Solem occidentem convenit, qui cum a nobis abit, occumbere & occidere dicitur. Sic in Geneſi: וירא השמש בא, *Et fuit Sol abiens*, hoc eſt, occidens. Ergo בוא proprie ſignificat, *abiit*; quod reddi poteſt, *occidit*, tum cum de Sole agitur; numquam vero alias. Deinde

Gen. 15, 17.

quo

quo ſequentia verba pertinebunt : *Et ipſe erit expectatio gentium ?* nulla quippe antecesſit Davidis mentio. Nempe hiulca erit prædictionis ſententia, niſi quid ſuppleveris ; puta, *& naſcatur David* : quod ſi fieri patimur, jam vero vanis Rabbinorum ſomniis Scripturam ſacram inquinari patiamur neceſſe eſt. Perſpectum id aliis fuit, qui notatum hic quidem Davidem ſenſerunt, at שילה exponunt בנו, quaſi שילה idem ſit quod שלו, *qui ejus* ; nempe Judæ. Hæc interpretatio eſt Aben Ezræ, & R. Levi ben Gerſon, haud paulo quidem ſuperiore tolerabilior, ſed hiſtoriæ tamen fidei contraria.

tum ii qui ad Saulem;

XXII. Nonnulli urbem Siloh hic quidem intelligendam eſſe putant, non quatenus ad Davidem, ſed quatenus ad Saulem pertinet, qui in ea Rex a Samuele per unctionem creatus & conſecratus eſt. Ut loci hic ſit intellectus, non auferetur ſceptrum de Juda, quoad veniat tempus Silohenſis uncturæ, qua Saul eſt conſecrandus. Sed hæc quoque veritati hiſtoriæ adverſantur ; non enim in Siloh, ſed in Ramathaim Sophim unctus eſt Saul a Samuele : in Maſpha vero rex ab eo renuntiatus eſt, ut liquet ex nono & decimo capite prioris libri Samuelis. Deinde quonam auctore Iacobæis verbis ſenſum hunc affingunt, ut voce Siloh uncturam Silohenſem notari deceſtiant? Largiamur hæc tamen : ne ſic quidem litem vincent ; nec enim ad id usque temporis ſceptrum obtinuit Iuda, ut dixi, quod non multo poſt unctionem hanc contigit.

& qui ad Jeroboamum;

XXIII. Iisdem propemodum argumentis alios convincimus, qui Siloh urbis nomen hic expreſſum, & ad Ieroboamum in Siloh, uti contendunt, regem creatum referunt. Nam quo auctore probabunt in Siloh regem creatum fuiſſe Ieroboamum, quod in Sichem factum longe veriſimilius eſt? Quis credet nomine Siloh, Silohenſe hoc factum fuiſſe notatum? Quæ tamen ſi concedamus, tum ſceptrum amiſiſſe tribum Iuda, non proinde fatebimur, quod penes Roboamum & reliquos Davidis nepotes ad Sedeciam usque manſiſſe certum eſt. Utilior etiam eſt eadem hæc ratio refellendo Ezechiæ auctori Chazcuni, qui in dictione Siloh latere autumat Ahiam Siloniten prophetam, eum qui Ieroboamo prædixit futurum ut decem tribuum rex crearetur. Quo jure vero *Expectationem gentium*, Ahiam dictum fingent? cur prædictum, cum de Ieroboamo ſileatur? quo exemplo de patriæ nomine appellatum? ut ſi Nathan Salomonis ortum Davidi prænuntians dixiſſet, *Syſcitabo Jeruſalem poſt te* ; Salomone patriæ nomen ſic gerente.

& qui ad Nabuchodonoſorem.

XXIV. Iam vero ſupra ex auctoritate vetuſtiſſimi exemplaris Samaritani eos caſtigavimus, qui pro שילה legunt שילוה *qui mittendus eſt*. Quidam enim, etiam e Iudæis, lectionem hanc præferunt, & Nabuchodonoſorem hic prænuntiatum opinantur, qui Judaicum abolevit imperium, capto Sedecia & Babylonem deportato. Verum, ut dixi, non patitur lectionem hanc Samaritanus codex. Ut præteream regium titulum, decus, & ornamenta Jechoniæ conceſſa ab Evilmerodacho, Nabuchodonoſoris ſucceſſore & filio ; licet dominatus ipſe & regia poteſtas in Sedecia a Nabuchodonoſore extincta eſſent.

Cur hanc Jacobi prædictionem, aliaque complures ad Meſſiam pertinentes, Chriſtus, Apoſtoli, & Evangeliſtæ in teſtimonium non protulerint.

XXV. Concludemus diſputationem hanc in tollendo ſcrupulo, quem movet Pererius, nec eximit. Quæri poſſe ait, cur hoc Jacobi oraculum ad fidem ſibi conciliandam, neque Chriſtus Jeſus, neque Apoſtoli, neque Evangeliſtæ in teſtimonium adduxerint. Tum reſpondet propterea id eveniſſe, quod inde cognoſci tantum potuerit hoc tempore venturum fuiſſe Meſſiam, quo natus eſt Jeſus ; at Jeſum eſſe Meſſiam illum, neutiquam inde colligi. Quæ mihi parum omnino roboris videtur habere reſponſio : nam pari ratione prædictio hæc Oſeæ : *Ex Ægypto vocavi Filium meum*, Filium quidem ex Ægypto vocatum iri prænuntiat ; at eum eſſe Jeſum non oſtendit. Itaque ab ea proferenda Matthæus poterat abſtinere, quod tamen non fecit. Nos hanc in Parallelismum retulimus, non quaſi ſolam per ſe probare exiſtimemus Jeſum eſſe Meſſiam, ſed quod una cum aliis omnibus ſpectata, in unum Jeſum quadrare poſſit. Quocirca poterat Matthæus, aliique Evangeliſtæ nobilem hanc Jacobi prophetiam non omittere. Plurima occurrunt in Veteri Teſtamento generis ejusdem vaticinia, quæ Meſſiam reſpicere fatentur Judæi, ad Jeſum pertinere præciſe negant : quorum tamen auctoritatem uſurparunt Evangeliſtæ : plurima etiam e contrario occurrunt ab iis prætermiſſa, quæ Chriſtum Jeſum mere reſpiciunt. Aliud igitur

Oſe. 11, 1.

Digitized by Google

igitur causſæ fuisse censeo, quamobrem hoc Jacobi testimonium in Novo Testamento non compareat: nempe quod neque Christo, neque Apostolis, neque Scriptoribus sacris propositum unquam fuerit Prophetarum oracula sigillatim recensere; cum Testamentum Vetus ad unum Christum spectare, in eoque finem ac πλήρωμα (*complementum*) nactum esse scirent. Totum igitur Testamentum Vetus sibi recitandum putassent, si Prophetiis pugnare voluissent. At pauculis his verbis rem totam Christus concludebat: *Habent Moysem & Prophetas, audiant illos:* rursum: *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere, & illæ sunt quæ testimonium perhibent de me:* & paulo post: *Nolite putare quia ego accusaturus sim vos apud Patrem: est qui accusat vos Moyses, in quo vos speratis. Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi; de me enim ille scripsit.* His admonitionibus Christus Jesus Judæos in memoriam vaticiniorum ad se pertinentium revocabat: ut quotiescunque ea sibi prælegerentur, quod in Synagogis fieri consueverat quotis quibusque sabbathis, pium adhiberent animum & veritatis studiosum, & in se exitum hæc habuisse agnoscerent.

Luc. 16, 29. Joh. 5, 39. 45, 46.

CAPUT V.

Jesus de semine Jesse & Davidis.

2. REg. 7, 4. 5. & seq. *Ecce sermo Domini ad Nathan dicens, Vade & loquere ad servum meum David: ..... Cum completi fuerint dies tui, & dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo, & firmabo regnum ejus; ipse ædificabit domum nomini meo, & stabiliam thronum regni ejus usque in sempiternum. Ego ero ei in patrem, & ipse erit mihi in filium. ... Et fidelis erit domus tua, & regnum tuum usque in æternum ante faciem tuam, & thronus tuus erit firmus jugiter.* Et 1. Par. 17, 11. & seq. & 22, 6. & 28, 6.

Psal. 88, 4. & seq. *Disposui testamentum electis meis, juravi David servo meo, usque in æternum præparabo semen tuum. ..... Et ponam in seculum seculi semen ejus .... Semel juravi in sancto meo, si David mentiar; semen ejus in æternum manebit.*

Isa. 11, 1. & seq. *Et egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet & requiescet super eum spiritus Domini ..... In die illa radix Jesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur.*

Jerem. 23, 5. 6. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & suscitabo David germen justum, & regnabit rex, & sapiens erit, & faciet judicium & justitiam in terra. In diebus illis salvabitur Juda, & Israel habitabit confidenter: & hoc est nomen, quod vocabunt eum, Dominus justus noster.*

Jerem. 33. 15. & seq. *In diebus illis & in tempore illo germinare faciam David germen justitiæ:*

MAtth. 1, 1. & seq. *Liber generationis Jesu Christi, filii David, filii Abraham .... Jesse autem genuit David Regem. David autem rex genuit Salomonem ..... genuit Joseph, virum Mariæ, de qua natus est Jesus, qui vocatur Christus.*

Matth. 1, 20. *Joseph fili David, noli timere, accipere Mariam conjugem tuam.*

Matth. 9, 27. *Et transeunte inde Jesu secuti sunt eum duo cæci, clamantes & dicentes, Miserere nostri, fili David.*

Matth. 12. 23. *Et stupebant omnes turbæ, & dicebant, Numquid hic est filius David?*

Matth. 15. 22. *Et ecce mulier Chananæa à finibus illis egressa clamavit, dicens ei: Miserere mei, Domine fili David.*

Matth. 20, 30. 31. *Et ecce duo cæci sedentes secus viam audierunt quia Jesus transiret, & clamaverunt dicentes: Domine, miserere nostri, fili David. Turba autem increpabat eos, ut tacerent: at illi magis clamabant dicentes: Domine, miserere nostri, fili David.* Et Marc. 10, 46. & Luc. 18, 38. 39.

Matth. 21, 9. *Turba autem quæ præcedebant & quæ sequebantur, clamabant dicentes, Hosanna filio David.*

Matth. 21, 15. *Videntes autem Principes Sacerdotum & Scribæ mirabilia quæ fecit, & pueros clamantes in Templo & dicentes, Hosanna filio David.*

Matth. 22, 41. 42. *Congregatis autem Pharisæis interrogavit eos Jesus dicens, Quid vobis videtur de Christo? cujus filius est? dicunt*

justitia : faciet judicium & justitiam in terra ..... Hæc dicit Dominus, Si irritum potest fieri pactum meum cum die & pactum meum cum nocte, ut non sit dies & nox in tempore suo ; & pactum meum irritum esse poterit cum David servo meo, ut non sit ex eo filius, qui regnet in throno ejus.

Luc. 1, 31. 32. *Vocabis nomen ejus Jesum : hic erit magnus, & filius Altissimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, & regnabit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis.*

Luc. 1, 69. 70. *Et erexit cornu salutis nobis in domo David pueri sui. Sicut locutus est per os Sanctorum, qui a seculo sunt, Prophetarum ejus.*

Luc. 2, 4. *Ascendit autem & Joseph a Galilæa, de civitate Nazareth, in Judæam, in civitatem David, quæ vocatur Bethlehem, eo quod esset de domo & familia David.*

Luc. 3, 23. 31. *Et ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur, filius Joseph, qui fuit Heli .... qui fuit Nathan, qui fuit David.*

Joh. 7, 42. *Nonne Scriptura dicit, quia ex semine David, & de Bethlehem castello, ubi erat David, venit Christus?*

Act. 13, 23. *Hujus* (David) *Deus ex semine, secundum promissionem, eduxit Israel Salvatorem Jesum.*

Rom. 1, 1. *Paulus segregatus in Evangelium Dei, quod ante promiserat per Prophetas suos in Scripturis sanctis de filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem.*

Rom. 15, 12. *Et rursus Isaias ait, Erit radix Jesse, & qui exurget regere gentes : in eum gentes sperabunt.*

2. Tim. 2, 8. *Memor esto Dominum Jesum Christum resurrexisse a mortuis, ex semine David.*

Apoc. 5, 5. *Ecce vicit leo de tribu Juda, radix David.*

Apoc. 22, 16. *Ego Jesus misi Angelum meum testificari vobis hæc in Ecclesiis, ego sum radix & genus David.*

I. *Judæi citantur ad testimonium. Iidem refelluntur.* II. *Defenditur testimonium e 2. Reg. 7, 4. & seq.* III. *Defenditur testimonium ex Isa. 11, 1. & seq.*

Judæi citantur ad testimonium. Iidem refelluntur.

I. MEssiam de stirpe Jesse & Davidis, de domo regia, de Bethlehem Juda proditurum, ejusque nomen futurum Menahem, hoc est Consolatorem, tradunt Judaici Pandectæ in libro Beracoth. Quod autem Christianis verpi Judæi objiciunt, Christum Davide ortum non esse, si Josephi filius non est ; sin Josephi filius est, natum Virgine non esse : id variis responsionibus solide refellitur. Ego vero id argumentum adversus Judæos sic retorqueo : si Christus Virginis filius non est, & more cæterorum hominum Iosepho prognatus est, ergo Davide ortus est : sin Davide ortus non est, ergo Virginis filius est. Hoc argumentum ex genere eorum est, quæ appellantur *ad hominem.*

Defenditur testimonium e 2. Reg. 7, 4. & seq.

II. Depromtum e libri secundi Samuelis capite septimo testimonium, quo Davidi templum Deo excitare paranti futurum denuntiat Nathan, ut id olim exequatur prognatus ipso filius, cujus regnum secula durando vincet ; hoc, inquam, testimonium quoniam anceps est, & vocari potest in controversiam, nos Christo Iesu certis argumentis addicemus. Id ex eo est vaticiniorum numero, quibus multiplex inest significatio. Quædam enim ejus partes Christo Iesu & Salomoni communes sunt ; puta Davide prognatum esse ; Dei Filium esse, Christum natura, Salomonem gratia ; Deo templum extruere ; regem esse. Quædam ad Salomonem solum spectant : *Si inique aliquid gesserit, arguam eum in virga virorum, & in plagis filiorum hominum.* Christo autem soli hæc competunt : *Stabiliam thronum regni ejus usque in sempiternum* : atque hoc etiam : *Et fidelis erit domus tua, & regnum tuum usque in æternum ante faciem tuam, & thronus tuus erit firmus jugiter.* Regnum enim Salomonis æternum non fuit. Perennitatem fine caritura illic designari, ostendit hoc loquendi genus, עד עולם, quo utitur Scriptor

Maimon. More nev. P. 2. c. 28. ptor facer. Scitum est enim Maimonidæ: עולם, *non necessario significat æternitatem, nisi ei conjungatur* עד : *idque vel post illud, ut* עולם ועד, *vel ante,* עד עולם. Idem arguitur præterea ex compluribus Scripturæ sacræ testimoniis, in quibus Davidi regnum promittitur, non diuturnum solum, quod in temporario Iudæ regno verum fuit; sed nullis omnino annorum curriculis determinandum, quod in solo Christi Iesu regno evenit. Tale hoc est ex octogesimo octavo Psalmo;

Psal. 88, 28. & seq. *Et ego primogenitum ponam illum, excelsum præ regibus terræ. In æternum servabo illi misericordiam meam, & testamentum meum fidele ipsi. Et ponam in sæculum sæculi semen ejus, & thronum ejus sicut dies cœli. ..... Semel juravi in sancto meo, si David mentiar: semen ejus in æternum manebit, & thronus ejus sicut Sol in conspectu meo, & sicut Luna perfecta in æternum, & testis in*

Isa. 9, 7. *cœlo fidelis.* Et illud Isaiæ de Christo: *Multiplicabitur ejus imperium, & pacis non erit finis: super solium David, & super regnum ejus sedebit, ut confirmet illud & corroboret in judicio & justitia, a modo & usque in sem-*

Jer. 33, 17. *piternum.* Nec non illud Jeremiæ: *Quia hæc dicit Dominus, Non interibit de David vir qui sedeat super thronum domus Israel:*

Jer. 33, 20. 21. deinde: *Hæc dicit Dominus, Si irritum potest fieri pactum meum cum die, & pactum meum cum nocte, ut non sit dies & nox in tempore suo; & pactum meum irritum esse poterit cum David servo meo, ut non sit ex eo filius qui regnet in throno ejus.* Et istud Danielis de Christi

Dan. 2, 44. regno: *In diebus autem regnorum illorum suscitabit Deus cœli regnum, quod in æternum non dissipabitur, & regnum ejus alteri populo non tradetur: comminuet autem & consumet universa regna hæc, & ipsum stabit in æternum;* atque hoc quoque ejusdem Prophe-

Dan. 7, 14. 27. tæ: *Et dedit ei potestatem, & honorem, & regnum: & omnes populi, tribus, & linguæ ipsi servient: potestas ejus, potestas æterna quæ non auferetur, & regnum ejus quod non corrumpetur.* Vides omnem omnino extremitatem & determinationem a regno Davidis & regno Christi excludi. Unde Gabriel An-

Luc. 1, 33. gelus apud Lucam: *Dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, & regnabit in domo Jacob in æternum: & regni ejus non erit finis.* Nempe hæc pertinent ad ea quæ attulimus Prophetarum prædicta, quibus non hunc affinxisset sensum Evangelista, nisi communi omnium consensu sic intelligi solita hoc tempore fuissent. Perperam ergo Grotius testimonium hoc Christianis eripit, nec quicquam aliud hic significatum esse vult, quam temporarii Davidis regni diuturnitatem, quæ annorum quingentorum spatium excessit. Ad Je-

2. Reg. 7, 13. sum item istud congruit: *Ipse ædificabit domum nomini meo;* Ecclesiam videlicet, quæ Domus symbolo sæpe in Libris sacris exprimitur. Sic David in Psalmis: *Domum tuam decet sanctitudo, Domine.* Sic angelus apud Lucam: *Et*

Psal. 92, 5. Luc. 1, 33. *regnabit in domo Jacob in æternum.* Sic Paulus ad Timotheum: *Ut scias quomodo oporteat te*

1. Tim. 3, 15. *in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi.* Ergo hæc Nathanis vaticinatio, tanquam Christum Jesum sine dubio præmonstrans, a Paulo usurpatur: *Cui enim dixit aliquando*

Ebr. 1, 5. *Angelorum, Filius meus es tu, ego hodie genui te?* & rursum: *Ego ero illi in Patrem, & ipse erit mihi in Filium?*

II. Si quis Isaiæ prædictum, quod ex undecimo capite attulimus, ut Jesum Jesse progenitum esse probaremus, alio detorquere paret quam ad Messiam, refragantes Judæos omnes experietur, ut supra demonstravimus in septima Propositione. Messiam certe Germinis, & Floris, & Virgæ, & Radicis symbolis sæpe a Prophetis expressum ostendemus infra in hoc Paralleliſmo, & iisdem quoque a Novi Testamenti Scriptoribus Jesum fuisse signatum. Spiritum Domini super Jesum requievisse manifesto indicio declaravit Deus, tum cum Spiritus Dei descendit sicut columba, & venit super eum recens a Johanne baptizatum. Stetit Jesus in signum populorum, quod & de eo

Luc. 2, 34. post Isaiam futurum prædixit Simeon: *Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel, & in signum cui contradicetur.* Ipsum gentes deprecari coperunt, tum cum ad eum vocatæ, Apostolis dicto audientes fuerunt. Judicavit in justitia pauperes, ita ut justus κατ' ἐξοχὴν (*per excellentiam*) sit dictus. Percussit terram virga oris sui, & spiritu labiorum suorum interfecit impium: bellator quippe Jesus. Idem tamen pacificus, quod lupi & agni, pardi & hœdi concordia Isaias significavit. Quæ omnia suis locis apparebunt in hoc Paralleliſmo.

Defenditur testimonium ex Isa. 11, 1. & seq.

Digitized by Google

CAPUT VI.

Davidis nomen Jesu tribuitur.

Isa. 55, 3. *Feriam vobiscum pactum sempiternum misericordias David fideles.*

Jerem. 30, 9. *Servient* (Israel & Juda) *Domino Deo suo, & David Regi suo, quem suscitabo eis.*

Act. 13, 34. *Quod autem suscitavit eum a mortuis, amplius jam non reversurum in corruptionem, ita dixit, Quia dabo vobis sancta David fidelia.*

Ezech. 34, 23. *Hæc dicit Dominus Deus: ..... Suscitabo super eas* (oves meas) *pastorem unum, qui pascat eas, servum meum David.*

Ezech. 37, 23. & seq. *Ego ero eis Deus, & servus meus David rex super eos ..... Et David servus meus princeps eorum in perpetuum.*

Ose. 3, 5. *Post hæc revertentur filii Israel, & quærent Dominum Deum suum, & David regem suum.*

CAPUT VII.

Jesus de semine Salomonis.

Psalm. 71, 1. 6. *Deus judicium tuum Regi da, & justitiam tuam filio Regis ... Permanebit cum Sole & ante Lunam in generatione & generationem.*

Matth. 1, 1. & seq. *Liber generationis Jesu Christi, filii David, filii Abraham. Abraham genuit Isaac ..... David autem rex genuit Salomonem ex ea quæ fuit Uriæ. Salomon autem genuit Roboam ....: Jacob autem genuit Ioseph virum Mariæ, de qua natus est Jesus, qui vocatur Christus.*

CAPUT VIII.

Tempus adventus Jesu.

Gen. 49, 10. *Non auferetur sceptrum de Juda, & dux de femore ejus: donec veniat qui mittendus est.*

Psalm. 71, 1. 7. *Deus judicium tuum Regi da, & justitiam tuam filio Regis ..... Orietur in diebus ejus justitia & abundantia pacis.*

Isa. 2, 2. & seq. *Et erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & elevabitur super colles, & fluent ad eum omnes gentes. Et ibunt populi multi, & dicent, Venite, & ascendamus ad montem Domini, & ad Domum Dei Iacob, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis ejus; quia de Sion exibit Lex, & verbum Domini de Ierusalem: & judicabit gentes, & arguet populos multos; & conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces; non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad prælium.*

Isa. 11, 1. & seq. *Et egredietur virga de radice Iesse ..... Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hœdo accubabit ... Non nocebunt, & non occident in universo monte sancto meo ..... In die illa radix Iesse qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur.*

Isa. 40,

Matth. 2, 1. *Cum ergo natus esset Iesus in Bethlehem Iuda, in diebus Herodis regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Hierosolymam.*

Matth. 14, 1. *In illo tempore audivit Herodes Tetrarcha famam Iesu.*

Luc. 2, 1. & seq. *Factum est autem in diebus illis, exiit edictum a Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis. Hæc descriptio prima facta est a Præside Syriæ Cyrino. Et ibant omnes ut profiterentur singuli in suam civitatem. Ascendit autem & Ioseph a Galilæa, de civitate Nazareth, in Iudæam, in civitatem David, quæ vocatur Bethlehem: eo quod esset de domo & familia David, ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore prægnante. Factum est autem, cum esset ibi, impleti sunt dies ut pareret. Et peperit Filium suum primogenitum.*

Luc. 3, 1. & seq. *Anno autem quintodecimo imperii Tiberii Cæsaris, procurante Pontio Pilato Iudæam, Tetrarcha autem Galilææ Herode, Philippo autem fratre ejus Tetrarcha Iturææ & Trachonitidis regionis, & Lysania Abilenæ Tetrarcha, sub Principibus Sacerdotum Anna & Caipha, factum est verbum Domini super Iohannem*

Digitized by Google

Isa. 40, 3. & seq. *Vox clamantis in deserto, Parate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri. Omnis vallis exaltabitur, & omnis mons & collis humiliabitur, & erunt prava in directa, & aspera in vias planas. Et revelabitur gloria Domini, & videbit omnis caro pariter quod os Domini locutum est.*

hannem Zachariæ filium in deserto. Et venit in omnem regionem Iordanis prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum..... Factum est autem cum baptizaretur omnis populus, & Iesu baptizato & orante apertum est est cœlum..... Et ipse Iesus erat incipiens quasi annorum triginta.

Jerem. 30. 18. & seq. *Hæc dicit Dominus; Ecce ego convertam conversionem tabernaculorum Iacob, & tectis ejus miserebor, & ædificabitur civitas in excelso suo, & Templum juxta ordinem suum fundabitur..... Et erit dux ejus ex eo, & princeps de medio ejus producetur, & applicabo eum, & accedet ad me. Quis enim iste est, qui applicet cor suum, ut appropinquet mihi, ait Dominus?*

Dan. 2, 40. & seq. *Et regnum quartum erit velut ferrum: quomodo ferrum comminuit & domat omnia, sic comminuet & conteret omnia hæc. Porro quia vidisti pedum & digitorum partem testæ figuli, & partem ferream; regnum divisum erit, quod tamen de plantario ferri orietur, secundum quod vidisti ferrum mistum testæ ex luto: & digitos pedum ex parte ferreos, & ex parte fictiles; ex parte regnum erit solidum, & ex parte contritum. Quod autem vidisti ferrum mistum testæ ex luto, commiscebuntur quidem humano semine, sed non adhærebunt sibi, sicuti ferrum misceri non potest testæ. In diebus autem regnorum illorum suscitabit Deus cœli regnum, quod in æternum non dissipabitur, & regnum ejus alteri populo non tradetur; comminuet autem & consumet universa regna hæc, & ipsum stabit in æternum.*

Dan. 9, 24. & seq. *Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, & super urbem sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur justitia sempiterna, & impleatur visio & prophetia, & ungatur Sanctus Sanctorum. Scito ergo & animadverte: Ab exitu sermonis ut iterum ædificetur Ierusalem usque ad Christum ducem, hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duæ erunt, & rursum ædificabitur platea & muri in angustia temporum. Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus, & non erit ejus populus, qui eum negaturus est, &c.*

Agg. 2, 7. & seq. *Quia hæc dicit Dominus exercituum: Adhuc unum modicum est, & ego commovebo cœlum, & terram, & mare, & aridam: & movebo omnes gentes, & veniet Desideratus cunctis gentibus: & implebo domum istam gloria, dicit Dominus exercituum. Meum est argentum, & meum est aurum, dicit Dominus exercituum; magna erit gloria domus istius novissima plus quam prima; dicit Dominus exercituum; & in loco isto dabo pacem, dicit Dominus exercituum.*

Zach. 3, 8. 10. *Ecce enim ego adducam servum meum Orientem..... In die illa, dicit Dominus exercituum, vocabit vir amicum suum subter vitem & subter ficum.*

Malach. 3, 1. *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam. Et statim veniet ad Templum suum Dominator quem vos quæritis, & Angelus Testamenti quem vos vultis.*

I. *Quo tempore natus est Iesus, Messias a Iudæis & Ethnicis expectabatur.* II. *Stante Templo secundo Messiam venturum esse prisci Ebræi crediderunt.* III. *Alta pace per totum orbem vigente nasci debuit Christus.* IV. *Florente Romanorum Imperio nasci debuit Christus.* V. *Intra septuaginta Danielis hebdomadas natus est Christus.* VI. *Præcipuæ, magisque receptæ proponuntur Interpretum nostrorum sententiæ super septuaginta hebdomadibus Danielis, & confutantur. Prima.* VII. *Secunda.* VIII. *Tertia.* IX. *Proponitur deinde nostra & argumentis approbatur.* X. *Refelluntur argumenta Adversariorum. Primum argumentum.* XI. *Secundum argumentum.* XII. *Tertium argumentum.* XIII. *Ad viam refutationi Iudæorum sternendam, ostenditur in Jesu completum esse hoc oraculum.* XIV. *Refelluntur Iudæi: ac ii primum, qui hebdomadas, non annorum, sed decenniorum, vel Iubilæorum, vel centum annorum hic intelligunt:* XV. *tum*

Digitized by Google

qui earum initium collocant in anno primo Darii Medi, finem in clade Hierosolymis ab Hadriano illata: XVI. *& qui inter utrumque Templi excidium septuaginta hebdomadas intercessisse volunt:* XVII. *quique Christum ducem, Cyrum esse statuunt, aut Jesum Sacerdotem, aut Zorobabelem:* XVIII. *& qui Christum occidendum, censent esse vel Sacerdotium, vel Templum, vel Agrippam juniorem.* XIX. *Refellitur privatim Aben Ezra.*

Quo tempore natus est Jesus Messias a Judæis & Ethnicis expectabatur.

I. UT major constet fides testimoniis, quibus ortum Christi & obitum prædicto a Prophetis tempore contigisse demonstravimus, exponenda sunt nonnulla, unde toti disputationi lux accedet. Certum est, quo tempore natus est Jesus, receptissimam fuisse inter Judæos & Ethnicos opinionem, nasci tunc debere Messiam. De Ethnicis egimus supra ad calcem septimæ Propositionis; egimus & de Josepho: videamus de reliquis Judæis. Persuasione hac imbutus erat Luc. 2, 25. 38. Simeon, quem testificatur Lucas *expectasse consolationem Israel:* eadem & ii quos alloquebatur Anna prophetis, Phanuelis filia, quos ait idem Lucas *expectasse redemtionem Israel.* Eadem mens erat Samaritanæ, cum Joh. 4, 25. Christo diceret: *Scio quia Messias venit.* Redemtio illa, sive Consolatio Israel, Messiæ adventus est, quem & *Regnum cœlorum* & *Regnum Dei* sacri Scriptores appellant; Thalmudici Menahem, *Consolatorem;* item *Consolationem;* & jurejurando affirmantes quippiam, per Consolationem hanc, velut sanctissimum religionis suæ mysterium, jurare solent. Pleni sunt sacramenti hujus eorum libri, in quibus, ut & in reliquorum porro Rabbinorum scriptis, doctrina eadem consignata est. Legimus in libro Sanhedrin, capite ultimo, Scholam Eliæ, non prophetæ hujus celebris, sed Ebræi Doctoris, mundi tempus sex annorum millibus definiviſse, quorum duo millia priora fuerint Thohu, duo sequentia Lex, postrema duo futura sint Messias. Atqui circa finem quartæ chiliadis reipsa venit Christus Jesus. Itaque ex eorum doctrina sequitur, tempus adventus Messiæ præteriisse. Fertur & in libris Rabbinorum, confessos esse majores ipsorum, qui temporibus Christo Jesu paulo superioribus vixerunt, Messiæ adventum imminere; qui non multo recentiores fuerunt, & Templum exscindi viderunt, Messiæ tempus jam venisse. Sunt qui non alium quam Ezechiam fuisse velint. Quam sententiam penitus damnari posse negat R. Joseph Albo in libro Ikkarim. Tradit R. Selomoh Jarchi asseverasse vetustos gentis suæ Doctores, jam venisse Messiam, eoque die esse natum, quo excisa Hierosolyma. Referunt R. Gedalias in Catena Cabalæ, & R. Azarias in Lumine oculorum, quid ipsi de tempore adventus Messiæ, quid R. Bechai, quid R. Saadias, quid is quem proxime laudavi R. Selomoh Jarchi, quid R. Levi ben Gherson, quid R. Abraham Hannasi, quid R. Moses Gerundensis, quid Abrabaniel senserint, quid & in libro Zohar proditum sit; ex quorum rationibus sequitur, jam id tempus esse elapsum. Quocirca in eodem libro Sanhedrin venisse quidem Messiam ajunt de verborum grege nonnulli, at Romæ inter ægros lepris laborantes latitare; (nam ex his Isaiæ verbis: *Et nos putavimus eum quasi leprosum,* Is. 53, 4. nomen ipsi Leproso esse fingunt:) ratum vero tempus, quo ex his latebris emersurus sit, non assignant. Quidam inter horti Eden delicias ævum agitare volunt cum Elia, a quo ungendus sit olim lætitiæ oleo, cum ad muneris sui administrationem foras prodibit. Nam quamvis Messiæ adventum negare per Judaicas leges fas non sit, ejus tamen tempus non ex Scripturæ sacræ prædictionibus, sed ex Cabala tantum cognosci posse censent. Verum egregie refelluntur hæc commenta ex Daniele ipso, qui post hebdomades septuaginta duas occisum iri Christum pronuntiat; & paulo post desiturum sacrificium, & hostiam. Jam ante ergo venerat Christus, quam ista somniarent Rabbini, & fuerat trucidatus, ac pactum Dei cum hominibus confirmaverat, omnibusque officiis & muniis fuerat defunctus, quibus explendis missus erat, & promissus. Quapropter extiterunt inter Thalmudistas, qui terminos omnes adventui Messiæ præfinitos sua ætate præteriisse faterentur, remque jam a pietate tantum sua, morumque emendatione pendere.

Ante Templo secundo Messiam venturum esse præsci Ebræi credidere-runt.

II. Constabat præterea apud plerosque e veteribus Magistris, stante Templo secundo vel venturum fuisse Christum, vel venisse. Testis Cantici Canticorum Thargumista; Tharg. Cant. 7. & 8. testis & Echa Rabbathi, & sæpius jam memoratus

moratus liber Sanhedrin, capite ultimo, qui in hunc ſenſum traxiſſe R. Akibam narrat celeberrimam vaticinationem Aggæi, in quâ Deus ea ſpe Zorobabel & Jeſum Joſedeci filium ſolatur, ut cum venerit *Deſideratus cunctis gentibus*, Templum tanta gloria completurus ſit, ut prioris Templi gloriam ſuperet. Atqui res quinque enumerant Thalmudici Doctores, quibus Templum prius poſteriori antecelluit. Urim & Thummim, Arcam, Ignem, Oleum unctionis, (pro quo liber Thalmudicus Joma, Jarchi, & Kimchi præſentiam Dei ponunt) & Spiritum ſanctum. Adjicit Sepher Æmana & Laminam auream, in Pontificis fronte geſtari ſolitam. Adjicit & multa Abrabaniel prioris Templi decora, quæ in ſecundo deſiderabantur. Adde & prioris magnificentiam, qua poſterius tanto poſt ſe intervallo reliquit, ut qui illud viderant, cum ſecundum aſpicerent, a lachrymis temperare non poſſent. Unde Aggæus: *Quis in vobis eſt derelictus, qui vidit domum iſtam in gloria ſua prima? & quid vos videtis hanc nunc? numquid non ita eſt, quaſi non ſit in oculis veſtris?* Gloria igitur Templo ſecundo promiſſa, per eum concilianda ipſi erat, qui a cunctis gentibus deſiderabatur, & erat expectatio gentium, Meſſiam videlicet, tum cum loco huic pacem erat daturus. Aggæum mirifice illuſtrat Malachias, cum ait: *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam: & ſtatim veniet ad Templum ſuum Dominator quem vos quæritis, & Angelus Teſtamenti quem vos vultis.* Dominatorem enim hunc eſſe Meſſiam palam agnoſcunt Ebræi, ut ſupra docuimus. Quod per Aggæum ſpondet Deus, idem jam ante per Jeremiam fuerat luculentis verbis pollicitus: *Hæc dicit Dominus, Ecce Ego convertam converſionem tabernaculorum Jacob, & tectis ejus miſerebor, & ædificabitur civitas in excelſo ſuo, & Templum juxta ordinem ſuum fundabitur ..... Et erit dux ejus ex eo, & princeps de medio ejus producetur: & applicabo eum, & accedet ad me. Quis enim iſte eſt, qui applicet cor ſuum, ut appropinquet mihi? ait Dominus. Et eritis mihi in populum, & ego ero vobis in Deum.* Hæc in Meſſiam congruere docet Jonathan; docet & R. Jehuda in libro Sanhedrin.

III. Clariſſimam quoque adventus Chriſti notam præmonſtravit Deus, cum futurum prædixit, ut *Oriatur in diebus ejus juſtitia & abundantia pacis*; ut gladii conflentur in vomeres; ut habitet lupus cum agno; ut deprimantur montes; ut complanentur valles, & ſcabra ac prærupta terrarum exæquentur; ut amici curis omnibus ſoluti ſub ramis arborum conveniant. Quibus læta pax, ſummaque tranquillitas ſignificatur. Atque hæc ſi partim κατὰ σχῆμα, *(ſecundum figuram)* partim κατὰ λέξιν *(ſecundum verba)* interpretanda ſunt. Ac priore quidem modo ſumſiſſe ea videtur Jonathan in Thargum. Nam cum initium undecimi capitis Iſaiæ allegorice intelligendum eſſe docuerit, ſequentia ſimiliter interpretatum eſſe credi par eſt. Jonathanem aſſectatur R. Selomoh Jarchi, aſſectantur & alii. Sumſit quoque hæc allegorice R. David Kimchi: ſumſit & Maimonides in Jad Chazacah, populareſque ſuos luculenter refellit, qui lupum inter & agnum futuras Meſſia veniente inducias, aliasque rerum vices ſtolidiſſime imaginati ſunt; cum Iſraelitarum, in nefariorum & impiorum hominum colluvie, ſecuritas tantum & tranquillitas promittantur. Nos gentium vocationem hic præmonſtratam cenſemus, quæ ſuperbia & morum feritate depoſita, manſuefactæ doctrina Chriſti Jeſu, & ad ejus obſequium ac fidem traductæ ſunt. Inſignis enim hic eſt & prope ſingularis Chriſti Jeſu, ipſiusque ſectatorum character, manſuetudo ac lenitas; cujus præſcius Michæas, non pacis tantum amatorem, ſed Pacem futurum ipſum præcinuit. Unde Diſcipulos ſuos Jeſus ad ſui imitationem his verbis provocabat: *Tollite jugum meum ſuper vos, & diſcite a me, quia mitis ſum & humilis corde, & invenietis requiem animabus veſtris. Jugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve.* Sed hæc fuſius in Paralleliſmo proſequemur. Sic intellexit Juſtinus, ſic Euſebius, ſic Hieronymus, ſic Chriſtiani Interpretes univerſi. At iidem etiam oraculum hoc κατὰ λέξιν *(ſecundum verba)* completum eſſe docent, nato Domino Jeſu Auguſti temporibus, qua tempeſtate omnes bellorum reſederant motus, quibus quaſſatus paulo ante fuerat univerſus propemodum orbis, altiſſimaque pace genus humanum fruebatur. Nec multo ante templum Jani obſeraverat Auguſtus, quod per multos annos clauſum Variana clades aperuit.

orbem vigente naſci debuit Chriſtus.

Inſcriptio

Agg. 2, 7-8. Thalmud. Hier. Cod. Maccoth, c. 11. Thal. Bab. in Joma, c. 1. R. Selom. Jarch. & R. Dav. Kimch. in Agg. 1, 7. Seph. Æm. c. 4. Agg. 2, 4. Mal. 3, 1. Jer. 30, 18. & ſeq. *Alia pace per totum*

Pſal. 71, 7. Iſa. 2, 4. & 11, 6. & 40, 3. Zach. 3, 8. 10. Matth. 11, 29. Juſtin. Apoc. Euſ. Dem. l. 2. Hieron. in Iſa. 2.

Digitized by Google

Inſcriptio vetus Emeritæ, quam proponit Gruterus:

Grut. p. 149.

IMP. CAES. DIVI. F. AUG. PON. MAX. COS. XII. TRIBUNIC. POTEST. X. IMP. VIII. ORBE. MARI. ET. TERRA. PACATO. TEMPLO. JANI. CLUSO. ET. REP. PO. ROM. OPTIM. LEGIB. SANCTISS. INSTIT. REFOR.

Ubi non pax ſolum terra, marique conſtituta, ſed & legibus optimis, ac ſanctiſſimis inſtitutis reformata Romana Reſpublica dicitur. Quippe non pacem ſolum, ſed & juſtitiam ætati huic ſacer Vates ſpoponderat:

Pſal. 71, 1. *Orietur in diebus ejus juſtitia, & abundantia pacis.* Quibus iſta conſonant e Pſalmo octogeſimo quarto:

Pſal. 84, 11. *Miſericordia & veritas obviaverunt ſibi, juſtitia & pax oſculatæ ſunt.*

Suet. Aug. c. 22. Audiendus quoque Suetonius: *Janum Quirinum ſemel atque iterum a condita Urbe memoriam ante ſuam clauſum, in multo breviore temporis ſpatio, terra marique pace parta, ter cluſit.* Diſertiſſimum vero & ad rem noſtram aptiſſimum eſt Oroſii teſtimonium:

Oroſ. l. 6. c. 22. *Anno ab V. C. DCCLII. Cæſar Auguſtus ab Oriente in Occidentem, a Septentrione ad Meridiem, ac per totum Oceani circulum, cunctis gentibus una pace compoſitis, Jani portas tertio ipſe tunc clauſit. Quas ex eo per duodecim fere annos quietiſſimo ſemper obſeratas otio ipſa etiam rubigo conſignavit: nec prius unquam niſi ſub extrema ſenectute Auguſti pulſatæ, Athenienſium ſeditione, & Dacorum commotione patuerunt. Clauſis igitur Jani portis, Rempublicam, quam bello quæſiverat, pace enutrire atque amplificare ſtudens, leges plurimas ſtatuit, per quas humanum genus libera reverentia diſciplinæ morem gereret. Domini appellationem ut homo declinavit.* Verus quippe rerum Dominus, omnis juſtitiæ ac pacis auctor, ſanctiſſimarumque legum conditor naſcebatur: de quo cecinit Iſaias:

Iſa. 9, 7. *Multiplicabitur ejus imperium, & pacis non erit finis.* In eum enim annum, quem notat Oroſius, vel proximos certe annos, de communi doctiſſimorum Chronologorum conſenſu, incidit ortus Chriſti Jeſu. Neque vero prætermittendus hic eſt Tacitus, qui pacis hujus, quam Auguſtus ſanxit, diuturnitatem commemorat in eo fragmento, quod idem promit Oroſius:

Oroſ. l. 7. c. 3. *Deinde, ut verbis Cornelii Taciti loquar, ſene Auguſto Janus patefactus, dum apud extremos terrarum terminos novæ gentes ſæpe ex uſu, & aliquando cum damno quæruntur, usque ad Veſpaſiani duravit imperium.* Quibus hæc ſubjungit Oroſius: *Cæterum & tunc capta, everſaque Urbe Hieroſolymorum, ſicut Prophetæ prænuntiaverunt, extinctisque Judæis, Titus, qui ad vindicandum Domini noſtri Jeſu Chriſti ſanguinem judicio Dei fuerat ordinatus, victor triumphans cum Veſpaſiano patre Janum clauſit. Igitur etſi ſub extremis Cæſaris temporibus apertus eſt Janus, tamen per multa ex eo tempora, quamvis in procinctu eſſet exercitus, nulla bella ſonuerunt.* Conſentanea ſunt iſtis quæ ſubjecit Euſebius utrique prædictioni, ex Pſalmo ſeptuageſimo primo, & ex ſecundo capite Iſaiæ ſupra allatæ:

Euſ. Præp. Evang. l. 1. c. 4. ἐκβλαστήσει, inquit, τοῖς προφητεύσεσιν ἐπηκολούθη τὰ ἔργα. πᾶσα μὲν ἐυτύχια περιηρῆτο πολυαρχία βαμαίων, ἀυγύστου κατὰ τὸ αυτὸ τῇ τῆ σωτῆρος ἡμῶν ἐπιφανείᾳ μοναρχήσαντος. ἐξ ἐκείνης δὲ ὡς δεῦρο οὐκ ἂν ἴδοις, ὡς τὸ πρὶν, πόλις πόλεσι πολεμοῦσας, οὐδ' ἔθνος ἔθνει διαμαχόμενον, οὐδὲ τὸν βίον ἐν πάσῃ συγχύσει κατατριβόμενον. *Conſentaneæ prædictionibus res conſecutæ ſunt. Statim enim ſublatus apud Romanos dominatus ille a multis uſurpatus, cum ad unum Auguſtum imperii ſummâ ſub ipſum Servatoris noſtri ortum rediiſſet. Ab eo enim tempore, ad hanc usque ætatem minime videas civitates cum civitatibus, ut prius, decertantes, neque gentem cum gente prœliantem, neque res hominum omni perturbationis genere attritas.* Quod & alibi iterat. Pacem hanc orbi per Chriſtum conciliatam, jus ſancitum, refrænatam licentiam, res in melius compoſitas, Auguſto gratificaturus Virgilius ſplendidis verſibus prædicavit:

Euſ. Dem. Evang. l. 1.

Virg. Æn. l. 1.

Aſpera tum poſitis mitescent ſecula bellis:
Cana fides, & Veſta, Remo cum fratre Quirinus
Jura dabunt: diræ ferro, & compagibus arctis
Claudentur belli portæ: furor impius intus
Sæva ſedens ſuper arma, & centum vinctus ahenis
Poſt tergum nodis, fremet horridus ore cruento.

Produnt quoque Sinenſium Annales, eo tempore cui aſſignamus ortum Chriſti, altam pacem per illos tractus floruiſſe. Duplex igitur per Chriſtum Jeſum pax hominibus parta eſt, temporaria, & æterna. Hæc ea eſt, quam Jeſus moriturus Diſcipulis ſuis reliquit:

ajebat

Joh. 14, 27. jebat enim: *Pacem meam relinquo vobis, pacem meam do vobis: non quomodo mundus dat, ego do vobis:* hæc motus animorum sedat, & mentes humanas, etiam dum inquietis illigatæ sunt corporibus, tranquillat & componit, & beatitatis æternæ nulli unquam rerum turbini obnoxiæ compotes efficit; illa vero Christo Jesu venienti orbem præparavit, sopitis bellis, & pace terra marique sancita; quæ etiam post Christum diu perseveravit. Utramque pacem statim post natum Jesum beati Angeli cantibus celebrabant; & æternam quidem ac cœlestem, his Luc. 2, 14. verbis: *Gloria in altissimis Deo;* terrenam vero ac temporariam, istis: *Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Unde facilis est Adversariorum depulsio, qui pacem illam Augusti ævo florentem, post annos aliquot turbatam fuisse caussantur; quamobrem ad Jesum minime pertinere volunt istud Pro-
Ps. 72, 7. Isa. 9, 7. phetæ, quod attulimus: *Orietur in diebus* Isa. 54, 10. *ejus justitia, & abundantia pacis, donec auferatur Luna:* nec istud quoque: *Et pacis non erit finis:* nec illud: *Fœdus pacis meæ non movebitur.* Perperam enim ad terrenam pacem flectuntur ista, quæ pertinent ad æternam. In eumdem trahi possunt sensum &
Isa. 2, 4. Ezech. 34, 28. ista Isaiæ: *Nec exercebuntur ultra ad prælium:* & hæc Ezechielis: *Et non erit ultra in rapinam in gentibus.* Quamvis & pacem temporariam notare possunt: dictio enim, *Ultra*, sive ut Ebraice concepta est, עוד, nonnunquam æternitatem, diuturnitatem aliquam nonnunquam, sæpe etiam brevitatem temporis significat. Postremum hoc docet R. David Kimchi in libro Radicum, & exemplis probat. Aliquando etiam particulæ neganti conjuncta aliquam rei partem detrahit, non totam infitiatur. Sic tricesimo quinto Ge-
Gen. 35, 10. neseos capite Jacobo dixit Deus: *Non vocaberis ultra Jacob;* quamvis sæpe deinceps, & hoc ipso capite aliquoties vocatus sit Jacob. Plura ejusmodi exempla sunt in promtu. Non ergo penitus id negatum est vocibus iis, *Non ultra;* sed pars tantum aliqua detracta est: nam cum semper deinceps Jacob vocari debuisset, Israël aliquando vocatus est. Similem iis significationem tribue in allatis Isaiæ & Ezechielis testimoniis; non ut in æternum, sed ut in multos annos, magnaque ex parte extinctum iri bella intelligas.

Florente Romano- IV. Ad hæc florente Romanorum Impe-

rio prodituram Messiam prædixit Daniel, quo certum adventus ipsius indicium contineatur. Atque hic Judæorum consensu juvamur, apud quos commune effatum est, vigente imperio Idumæorum (quo nomine Romanos signare solent) prodituram Messiam. Cum enim Nabuchodonosoris somnium interpretaretur Daniel, futurum prænuntiavit, ut regno ipsius succedat regnum aliud argenteum, Persarum videlicet & Medorum; huic tertium æreum, quod late dominaturum sit, Alexandri nimirum, qui maxima terrarum spatia subegit; atque isti demum quartum ferreum, robore longe præstans, quod reliqua hæc domet & conterat, quemadmodum omnia ferrum comminuit. De quarto hoc Regno magna apud Interpretes controversia est; aliis Seleucidarum & Lagidarum regna, Romanum aliis imperium eo signari contendentibus. Ego vero postremam hanc opinionem sequi me profiteor. Extat quippe ex his ipsis vaticinii verbis priorís confutatio: *Et regnum quartum* Dan. 2, 40. *erit velut ferrum: quomodo ferrum comminuit & domat omnia, sic comminuet & conteret omnia hæc;* aureum nimirum Nabuchodonosoris regnum, argenteum Cyri, æreum Alexandri. Regna autem Lagidarum & Seleucidarum, regnum ipsum Alexandri ex parte fuerunt. At quamvis magnis sese oppugnarunt & appetierunt bellis, minime tamen se comminuerunt; uti neque regnum Macedoniæ, quod ærei regni Alexandri caput fuit; deinde regnum illud quartum, regnum unicum fuit: duo vero Lagidæ & Seleucidæ regna tenuerunt. Quanto aptius hæc ad Romanorum Imperium congruunt, quod priora hæc regna contrivit? Sequitur: *Porro quia vidisti pe-* Dan. 2, *dum & digitorum partem testæ figuli, & par-* 41. 42. *tem ferream, regnum divisum erit; quod tamen de plantario ferri orietur, secundum quod vidisti ferrum mistum testæ ex luto; digitos pedum ex parte ferreos, & ex parte fictiles; ex parte regnum erit solidum, & ex parte contritum.* Ajo bella Cæsaris & Pompeji, Augusti & Antonii his portendi. Tempora enim hæc pedibus comparantur, quod Messiæ ortum proxime præcesserint. Romana Respublica bellis hisce civilibus scissa in duas partes & divisa est. Cæsariana pars robore pollens prævaluit; Pompejana & Antoniana

rum imperio nasci debuit Christus.

victrix fuit, ferrea autem pars victrix gente & potentissima majoribus prodit. Lapidem hunc nostram esse, qui Imperii Romani dominationem in universam, ejusque pedum nomine Romam communiscuntur, utram enim partem hujus, utram ferream, esse dicent? utraque Dan. 2, 43. enim contrita est. Addit Propheta: *Quod autem vidisti ferrum mistum testa ex luto, commiscebuntur quidem humano semine, sed non adhærebunt sibi, sicut ferrum misceri non potest testæ.* Connubia significat, quibus Cæsarem inter & Pompejum, Augustum & Antonium affinitates contractæ sunt: minime tamen animi coaluerunt, conjunctionem dirimente insana regnandi cupiditate. Dan. 2, 44. Tum hæc subnexa sunt: *In diebus autem regnorum illorum suscitabit Deus cæli regnum, quod in æternum non dissipabitur, & regnum ejus alteri populo non tradetur; comminuet autem & consumet universa regna hæc, & ipsum stabit in æternum.* Grotius, aliique Grotio vetustiores, qui quarto regno notari censent Ægypti & Syriæ regna, ad Romanum Imperium ista referunt, quatenus futurum erat sedes Ecclesiæ. Ac hoc cum ajunt, vel sibi volunt in Romano Imperio Ecclesiam solam spectari, vel Ecclesiam cum Romano Imperio. Si primum, perfecto verisimile non est, Danielem vaticinii sui nobis ultima notantem imperia, longe omnium nobilissimum, Romanum præteriisse: si postremum, at falsum est quod affingunt Danieli, Romanum Imperium numquam ita dissipatum, cujus vix umbra nomenque supereset; nec alteri populo traditum, quod Francis, Germanis, Turcis, aliisque traditum est. Suscitandum præterea fuit regnum illud æternum *in diebus regnorum illorum*, quæ profecto commemoravit. Atqui penitus jam conciderant regna Syriæ & Ægypti, cum Ecclesiæ regnum fundavit Christus: nondum vero excitata illa erant, cum Romanum regnum exortum est. Unde sequitur stantibus regnis Syriæ & Ægypti, neque Romanorum, neque Ecclesiæ regnum fuisse suscitatum: igitur vel regna Syriæ, regna illa non sunt, quibus stantibus regnum illud æternum suscitandum esse prædicit Daniel; vel regnum hoc æternum, neque Romanorum Imperium, neque Ecclesiæ regnum est. Ego vero regno ferreo notari censeo Romanum Imperium, ut dixi; regno vero æterno, seguuta Christi, quod aeternum sine fabula Litteræ passim docent, dimensa [illegible] docebimus. Regna autem universa eversum iturum, omnibus [illegible] Paulus his 1. Cor. 15, 24. patefecit epistolæ ad Corinthios: *Deinde finis, cum tradiderit regnum Deo & Patri, cum evacuaverit omnem principatum, & potestatem, & potentiam. Oportet autem illum regnare donec ponat omnes inimicos sub pedibus suis*; & in posteriore ad Corinthios: *Nam arma militiæ nostræ* 2. Cor. 10, 4. & seq. *non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum; consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei.* Et David in secundo Psalmo: *Postula a me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ; reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos.* Isaias quoque: *Gens & regnum quod non servierit tibi, peribit, & gentes solitudine vastabuntur.* Præcipue vero Daniel, optimus sui interpres: *Et ecce cum nubibus cæli, quasi Filius hominis veniebat, & usque ad Antiquum dierum pervenit, & in conspectu ejus obtulerunt eum. Et dedit ei potestatem, & honorem, & regnum: & omnes populi, tribus, & linguæ ipsi servirent; potestas ejus, potestas æterna quæ non auferetur, & regnum ejus quod non corrumpetur.* Deinde: *Regnum autem, & potestas, & magnitudo regni, quæ est subter omne cælum, detur populo sanctorum Altissimi; cujus regnum, regnum sempiternum est, & omnes reges servient ei, & obedient.* Lapidem præterea Dan. 2, 34. 35. 45. hunc, de monte sine manibus abscissum, qui statua aurea, argentea, ærea, & ferrea disjecta & comminuta, mons evasit magnus, & universam terram replevit, Christi symbolum esse certissimis argumentis vicimus ad Propositionem septimam. Sed & regnum illud æternum, regnum esse Christi, ibidem cum auctoritate Scripturæ sacræ, tum & Rabbinorum suffragiis abunde probavimus.

V. In nono vero capite Danielis lucidissimum & haud scio an clarissimum omnium, quotcunque sacri Codices Veteris Testamenti suppeditant, vaticinium proponitur, idemque longe obscurissimum. At clarissimum quidem, quoad Christum pertinet, qui discentis illic præmuntiatur verbis, Jesum videlicet, cujus ætas illic, undecunque tandem computandi ducantur exordia, tam manifesto indicatur, ut inde potissimum ad finem

Intra septuaginta Danielis hebdomadas natus est Christus.

venturi

venturi circa hæc tempora Messiæ excitatos Judæos & Ethnicos plerosque crediderim. Obscurissimum vero, quoad prædictarum illic septuaginta hebdomadum initia spectat & exitus. Quidquid igitur Chronologorum est, quidquid Theologorum, quicquid Scripturæ sacræ Interpretum, eorum ubertimæ extant argumenti hujus disceptationes. Verum tantis undique angustiis, ac difficultatibus circumsepta quæstio est; tot, tamque diversæ ac pugnantes proponuntur sententiæ, ut penitus molesta sit ac operosa earum dijudicatio; novum vero aliquid ac certius afferre, longe etiam operosius. Quod cum nuper vir cæteroquin eruditus tentasset, in magnas ineptias delapsus est. Libenter ergo ab hac tractatione manum abstinuissem, nisi eam a meinvito propositi operis ratio exprimeret.

Præcipuæ, magisque receptæ proponuntur Interpretum nostrorum sententia super septuaginta hebdomadibus Danielis, & confutantur. Prima.

VI. Cum in hujus prædicti interpretatione multiplex extiterit opinionum diversitas, quæ diligenter ab aliis collectæ sunt & expositæ, complures ex illis ἀλογίσμοις (*perversi ratiocinii*) convictæ exoleverunt. Quamvis autem virorum aliquot doctorum patrociniis sese etiamnum tueantur bene multæ, nos tamen consulentes brevitati, tres duntaxat afferemus in medium, quarum præcipua inter cæteras auctoritas est, quæque majoris nominis patronos habent. Prima in anno Artaxerxis Longimani septimo septuaginta hebdomadum ponit exordium, quas in Christi morte concludit. Quod spatium quadringentorum nonaginta annorum est, sive hebdomadum septuaginta. Hanc opinionem magna contentione defendunt Jacobus & Ludovicus Cappelli, viros graves, Chronologicæ & Astronomicæ disciplinæ peritos secuti, accuratisque hujus annorum curriculi delineatis tabulis, & rationibus subtiliter disputatis fidem sibi conciliare conati sunt.

Jac. Capp. Hist. sacr. Lud. Capp. Chr. sacr. Not. ad Tab. XI.

Fatendum sane est veri eos quam simillima disserere, atque hanc quæsiti annorum numeri cum historiæ veritate convenientiam pene nobis assensum extorquere. Verum ad hanc calculi fidem reliqua non congruunt; inchoandas quippe hebdomadas esse definit apud Danielem Angelus Gabriel, *ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Jerusalem*; ab edicto videlicet, quo Hierosolymorum instauratio permissa est. At in Artaxerxis edicto, quo Esdræ reditum anno regni sui septimo concessit, de reparandis Hierosolymis nulla omnino mentio fit, sed de instaurando tantum Templi cultu, & Lege restituenda. Nec nodum solvit Ludovicus Cappellus, cum ait licentiam reficiendorum murorum, etsi verbis non expressam, at re ipsa fuisse Esdræ concessam: *Cur enim*, inquit, *instaurationem murorum vel prohibuisset, vel non concessisset Artaxerxes ille, qui se usque adeo benevolum erga Judæos eo edicto præbet?* Eamdem nimirum ob caussam, quæ Cyrum erga Judæos itidem benevolum, quæ Darium absterruit, quominus id iis permitteret; experta nimirum gentis pervicacia & mobilitas, & cupidus rerum novarum animus. Quod si promovendi cultus Templi expressa verbis facultas tacitam instaurandi muri continet facultatem, jam igitur non a septimo anno Artaxerxis, sed a primo Cyri, vel a secundo Darii septuaginta hebdomadum sumenda sunt initia, qui Judæis restituendi Templi fecerunt potestatem. Veri profecto simile non est hoc Artaxerxis edictum, cum res alias momenti minoris sigillatim exprimat, sumtusque ad Templi cultum conferendos minutatim percenseat, concessam murorum & Urbis extruendæ facultatem, sic tanquam rem nihili, silentio prætermisisse. Crederemus fortasse, si rem in edicto prætermissam opere ipso Esdras complevisset. Verum nec ex edicti verbis, nec ex gestis ab Esdra rebus ulla sumi possunt opinionis hujus argumenta; propterea-que a nobis explodituR.

Secunda.

VII. Altera Scaligeri sententia est, quam a Sulpitio Severo, aliisque, ut ipse ait, Scriptoribus antiquis acceptam renovavit, virisque eruditis, Johanni Drusio, & Constantino Lempereur, ut eamdem defenderent pro sua auctoritate persuasit. Is in anno Darii Nothi secundo septuaginta hebdomadum exordium statuit, finem in anno Neronis duodecimo, quo anno Judæos inter & Romanos bellum tumescebat: unde si annos tres cum dimidio numeres, incides in excidium Hierosolymitanum. Darium ergo illum, cujus anno secundo inchoatam Templi refectionem, sexto absolutam esse tradit Esdræ liber, non Hystaspidem Darium esse credit, uti vulgo creditur, sed Nothum Artaxerxis Longimani successorem, alterius

Scalig. l. 6. de emend. temp. Joh. Druſ. in Sulp. Sev. Hiſt. l. 2. Conſtant. Lemper. Præf. in Jach. & in Jach. in Dan. c. 9.

Dan. 9, 24.

1. Esdr. 4, 24. & 6, 15.

Digitized by Google

Artaxerxis, cognomento Memorioſi, deceſſorem. Præterea aliter ſpectari vult hanc ſeptuaginta ſeptimanarum ὁμάδα (*ſimul collectam multitudinem*) aliter expreſſam a Daniele ipſarum partitionem in ſeptem, ſexaginta duas, & unam: ſexaginta quippe & duas hebdomadas, ductas a quinto anno Artaxerxis Memorioſi, quo anno de reſtituenda Hieroſolyma edictum promulgatum fuiſſe ait, cadere in interitum Chriſti. Septem reliquæ ſeptimanæ quo pertineant, neſcire ſe fatetur. De poſtrema nihilo certiora affert. Probationes doctrinæ ſuæ nullas dat Sulpitius, has Scaliger & Scaligerani ſuæ. Tria lata ſunt de inſtaurandis Hieroſolymis & Templo edicta; prius a Cyro, alterum a Dario, quem Nothum eſſe volunt, tertium ab Artaxerxe, quem Mnemonem eſſe ſtatuunt. Non patitur annorum diſputatio, ut inchoatum ab edictis Cyri, vel Artaxerxis illius Memorioſi intervallum, quod præſcripſit Daniel, deſinat in aſſignatis ab eo temporibus: igitur Darii Nothi edictum a Daniele notatur. Alterum ex his Zachariæ verbis depromunt argumentum: *Cum jejunaretis & plangeretis in quinto & ſeptimo per hos ſeptuaginta annos, numquid jejunium jejunaſtis mihi?* Ex jejuniis, inquiunt, illis, per ſeptuaginta annos celebratis, intelligitur ſeptuaginta jam annos Hieroſolymis ritus ſuos & cerimonias obiiſſe Judæos; nam ejusmodi ſolennibus in Captivitate Judæi abſtinebant. Atqui a reditu ad Darium Hyſtaſpidem tot anni non effluxerant. Ergo Darius ille, cujus ævo hæc vaticinabatur Zacharias, Nothus erat, non Hyſtaſpides. Deinde verba hæc ex quarto Esdræ capite proferunt: *Conduxerunt autem adverſus eos conſiliatores, ut deſtruerent conſilium eorum omnibus diebus Cyri regis Perſarum, & usque ad regnum Darii regis Perſarum. In regno autem Aſſueri, in principio regni ejus ſcripſerunt accuſationem adverſus habitatores Judæ & Jeruſalem. Et in diebus Artaxerxis ſcripſit Beſelam Mithridates, & Thabeel, & reliqui qui erant in conſilio eorum, ad Artaxerxem regem Perſarum.* Quibus hæc ad calcem capitis ſubjiciuntur: *Tunc intermiſſum eſt opus Domini in Jeruſalem, & non fiebat usque ad annum ſecundum Darii, regis Perſarum.* Proferunt & iſta e ſexto capite: *Seniores autem Judæorum ædificabant, & proſperabantur, juxta prophetiam Aggæi prophetæ, & Zachariæ filii Addo; & ædificaverunt & conſtruxerunt, jubente Deo Iſrael, & jubente Cyro & Dario, & Artaxerxe regibus Perſarum; & compleverunt domum Dei iſtam usque ad diem tertium menſis Adar, qui eſt annus ſextus regni Darii regis.* Ordine, inquiunt, hic recenſentur Perſarum reges, ſub quibus inchoata, affecta, & perfecta demum eſt Templi extructio, Cyrus, Darius, Aſſuerus, Artaxerxes, Darius alter ſive Nothus: Artaxerxes vero alter, a quo Esdras ad Templum colendum miſſus eſt; is eſt Artaxerxes Memorioſus. Magnum inſuper ſententiæ hujus propugnaculum ſtatuunt in ſpatio temporis, quod Cyri edictum, & annum Darii ſecundum interceſſit. Nam cum neceſſe habuerit Darius hoc Cyri edictum conſulere, & archiva luſtrare, ut de conceſſa olim Judæis a Cyro redeundi facultate conſtaret, liquet utique rem fuiſſe non novam, neque heri vel nudius tertius factam: fuiſſet autem, ſi Darius ille eſſet Hyſtaſpides; nam a primo anno Cyri, quo latum eſt de Judæorum poſtliminio edictum, ad ſecundum Hyſtaſpidæ annum, omnino elapſi ſunt anni, ut ipſe putat, duodecim, vel ut rectius putare debuit, octodecim, brevius ſcilicet intervallum, quam ut archivorum referandi fuerint foruli, & luſtranda tabularia, ad rem explorandam, cujus teſtes in vivis fere ſupererant. Unde efficitur Darium illum fuiſſe Nothum, ad cujus ſecundum annum, a primo Cyri, excurrunt anni aliquot ſupra decem & centum.

Zach. 7, 5.

1. Esdr. 4, 5. & ſeq.

1. Esdr. 6, 14. 15.

His nititur rationibus iſthæc ſententia, quas ſi revocamus ad examen, fidem amittent. Nam in eo quod diſſerunt de tribus edictis, Cyri, Darii, & Artaxerxis, non uno modo peccant: quatuor enim de Hieroſolymæ & Templi reſtitutione lata ſunt edicta, primum anno primo Cyri, ſecundum ſecundo Darii, tertium & quartum ſeptimo & vicesimo Artaxerxis. Deinde tria illa priora ad Templum duntaxat, vel Templi cultum inſtaurandum, non ad Urbem ipſam ſpectarunt. Nam neque in edicto Cyri, neque in Darii reſcripto, neque in illo priore Artaxerxis, ulla apparet inſtaurandæ Urbis mentio. Quærit Scaliger, *Quare Nehemias non ſolum miratur, ſed etiam dolet, mœnia Hieroſolymorum adhuc diruta jacere, niſi quia putabat jam inſtaurata eſſe?* Dolere fatemur, mirari

Scal. Prol. de emend. temp.

mirari negamus? nam mœnia & præcipua ædificia Urbis in ruinis jacere noverat. Verum ex Hanani relatu, rei indignitatem exaggerantis, atque oculis pene subjicientis, novum animo concepit dolorem, & ad impetrandam reficiendæ Urbis facultatem accensus est. Extat quidem quarto capite Esdræ exemplar Epistolæ Præfectorum Persicorum ad Artaxerxem, qua Judæos instauratæ Urbis & mœnium accusant, ac responsum quoque Regis ad Præfectos, quo jubentur providere, ne Urbs reficiatur. Sed si animum diligenter velimus advertere, confictam hanc fuisse deprehendemus ac falsam nefariorum hominum & Judæis invidentium expostulationem; qui cum domos in Urbe excitari viderent, quod necessario faciendum Judæis erat, Urbem reædificari conquesti sunt, ambigua & flexiloqua accusatione. Aliud enim est domos in Urbe habitandi causa extruere, quod pro jure suo Judæi faciebant; aliud publica ædificia & munita loca instaurare, quod concessum neutiquam erat, nec faciendi potestatem Judæi sibi arrogaverant. Et utrumvis tamen qui faciunt, Urbem condere dici possunt. Addunt iidem accusatores, muros Urbis reparari. Ambiguum hoc quoque, nam mœnia Templi, eadem Urbis mœnia dici poterant & firmissimum munimentum, ab ea parte quæ obversa erat ad orientem. Ancipiti ergo hac denunciatione Regi persuaserunt, postremum hoc a Judæis fuisse attentatum: atque hic porro ne id faceret pergerent, edicto sanxit. Verissima hæc esse, quæ proponimus, sequentia illa demonstrant: *Tunc intermissum est opus domus Domini in Jerusalem:* non opus Urbis dixit, sed *opus domus Domini.* Deinde vero cum hoc edicto ab Urbis, non Templi instauratione prohiberi se intellexissent demum Judæi, Aggæi & Zachariæ hortatu rursum se ad absolvendam Templi extructionem anno secundo Darii accinxerunt, nulla prius impetrata vel postulata venia, cum hoc Artaxerxis edictum alio pertinere cognovissent. At iterum opus a Præfectis interpellatum est. Refertur ad Darium de ea re: is edictum Cyri confirmat, quo permissa fuerat Templi instauratio. Atque ea denique sexto anno Darii absoluta est. Scio aliter visum doctissimo viro Dionysio Petavio. Existimat ille Persarum Reges, quicunque reparandi Templi licentiam Judæis dederunt, ædificandæ Urbis jus iisdem tributisse. Pugnat autem auctoritate Isaiæ, cujus hæc denuntiatio est quadragesimo quarto capite: *Qui dico Cyro, Pastor meus es, & omnem voluntatem meam complebis: qui dico Jerusalem, Ædificaberis; & Templo, Fundaberis:* atque hæc etiam capite sequenti: *Ego suscitavi eum* (Cyrum) *ad justitiam, & omnes vias ejus dirigam, ipse ædificavit civitatem meam.* Pugnat & auctoritate Josephi, qui conceptis verbis docet, Cyrum Judæis instaurandæ Urbis & Templi potestatem fecisse. At Urbs instaurari, ut monui, duplici modo dici potest; vel excitatis ad habitandum domibus, vel extructis publicis ædificiis, mœnibus, ac munimentis. Priore modo reædificari Hierosolymam permiserunt Persarum Reges: quidni enim permisissent, qui Judæos in unam civitatem coalescere, & Templum extrui permiserant? Arcendi profecto fuerunt imbres, æstus, & frigora, non sub dio agitandum. De publicis ædificiis reparandis nihil omnino concessum est usque ad annum vicesimum Artaxerxis. Id præsignificabat Gabriel Angelus, cum diceret Danieli: *Rursum ædificabitur platea & muri in angustia temporum:* ædificia nimirum publica, & munimenta Urbis ac mœnia. Cum ergo Darii deinde temporibus Judæos insimularet Aggæus Propheta, quod magnificas sibi ædes construerent, neglecta Templi structura, aperte indicat, non de securitate & mœnibus Urbis cogitasse ipsos, quod procul dubio non tacuisset Propheta, sed de commodis suis. Cum vero in Apocrypho libro tertio Esdræ revocatur Darius in memoriam voti de ædificanda Jerusalem suscepti, ædificationem domorum intellige, quæ ad excipiendos Judæos Templum extructuros necessaria erat; nam ex iis, quæ in eodem libro subnexa sunt, apparet, Templi solum extructionem, non mœnium fuisse quæsitam. Nec caussæ suæ utile quicquam conficere potest Petavius est his verbis septimi capitis libri prioris Esdræ: *Ipse Esdras ascendit de Babylone, ... & dedit ei Rex secundum manum Domini Dei ejus super eum, omnem petitionem ejus.* Cultum Templi, ac Legis observationem sibi proposuerat Esdras: id sibi juris tantum depoposcit a Rege, & impetravit; de mœnibus reficiendis ne-

Tomp. l. 2. c. 31.

Isa. 44, 28.

Isa. 45, 13.

Joseph. Antiq. l. 11. c. 5.

Dan. 9, 25.

Agg. 1, 4.

3. Esdr. 4, 43.

1. Esdr. 4, 24.

1. Esdr. 7, 6.

Petav. de doctr.

Digitized by Google

que transactum fuisse, neque omnino actum, gestæ rei narratio indicat. 1. Esdr. 9, 9. Parum quoque juvatur ex iis, quæ nono capite refert Esdras, Dei nempe nutu fuisse factum, ut permitteret Persarum Rex domus Dei solitudines extrui; quod ad Urbis instaurationem pertinere vult, non Templi solius, cujus extructionem sexto Darii anno fuisse absolutam sextum Esdræ caput ostendit. 1. Esdr. 6, 15. Certe precatione hac noni capitis, non res tantum, quæ temporibus iis, sed & quæ superioribus sibi, suisve evenerunt, commemorare Esdras instituit: majorum videlicet suorum flagitia, Urbis excidium, Judæorum captivitatem, reditum, & Templi instaurationem. Adjicere 1. Esdr. 9, 9. poterat Petavius, quæ subnectit Esdras: *Et daret nobis sepem in Juda & Jerusalem:* nam dictione *sepis*, Ebraice גדר mœnia Urbis possunt intelligi. At longe frequentior ejus usus est ad significandam maceriam, infirmum nempe parietem, rudi & tumultuario opere fabricatum; quales erant illi domunculorum, quas Judæi reduces properanter videntur Hierosolymis extruxisse. גדר etiam notat septa cratitia ovium. Qua significatione vocem adhibere potuit Esdras, nempe κατὰ σχῆμα (*secundum figuram*,) præsertim Deum alloquens gentis suæ pastorem: ac si id vellet, dissipatas oves, Judæos nempe, jam a Deo pastore coactas, & ad pristinas caulas ac antiqua ovilia esse reductas. Sed hæc nihil ad mœnia Hierosolymorum, his temporibus disjecta etiamnum & diruta, & a Nehemia deinde excitata. Manifestissima rei probatio consistit in primo Nehemiæ capite, in quo de statu Hierosolymorum interrogatos a se Judæos quosdam narrat Nehemias id 2. Esdr. 1, 3. sibi responsum dedisse: *Murus Jerusalem dissipatus est, & portæ ejus combustæ sunt igni.* Quo cum ipse perveniisset, vidisse se ait, 2. Esdr. 2, 13. *Murum Jerusalem dissipatum, & portas ejus consumtas igni:* tum deinde Judæorum magi- 1. Esdr. 2, 17. stratus sic fuisse allocutum: *Vos nostis afflictionem, in qua sumus, quia Jerusalem deserta est, & portæ ejus consumtæ sunt igni: venite, & ædificemus muros Jerusalem.* Quæ cum a Judæis fieri accepisset Sanaballatus, 2. Esdr. 4, 2. 7. *Numquid ædificare poterunt*, inquit, *lapides de acervis pulveris, qui combusti sunt?* deinde hæc subjungit Nehemias: *Factum est autem cum audisset Sanaballat, & Tobias, & Arabes, & Ammonitæ, & Azotii, quod obducta esset cicatrix muri Jerusalem, & quod cepissent interrupta concludi, ivati sunt nimis.* His adjunge hoc Nehemiæ elogium ex libro Ecclesiastici: Eccl. 49, 15. *Et Nehemias in memoria multi temporis, qui erexit nobis muros eversos, & stare fecit portas & seras, qui erexit domos nostras.* Ex quibus omni luce clarius est, ad Nehemiam usque, & annum Artaxerxis vicesimum, disjecta penitus jacuisse Hierosolymorum mœnia, neque ante hunc diem esse refecta, ὡς ὐ κεκελευσμένης τούτω, *utpote rei hujus potestate non facta*, inquit Africanus: Afric. apud Euseb. Dem. l. 8. quod non ita profecto fuisset, si rei tam necessariæ, tantisque votis a se expetendæ Judæi jus fasque habuissent. Nunc redeamus ad Scaligerum. Patet ex superioribus, nullum anno secundo Darii de Urbe extruenda latum esse edictum; unde sequitur ab hoc anno capi non posse initium hebdomadum septuaginta, quæ juxta Danielem decurrerunt *ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Jerusalem.* Dan. 9, 25. Demus tamen instaurationem Urbis his edictis fuisse permissam, negamus certe ducto calculo a septimo Artaxerxis anno, non congruere prædictionem Danielis cum eventibus rerum ab eodem notatis: quod Cappello utrique contra visum esse diximus. Artaxerxem dico, non Memorio-sum, quod putat Scaliger, sed Longimanum, quem in Esdra significatum esse, ac Darium itidem Hystaspiden, non Nothum, adversus Scaligerum a Petavio valide demonstratum est. Petav. de doctr. temp. l. 12. c. 31. Quod autem caussæ suæ præsidium collocat Scaliger in ultimo Zachariæ capite, & jejuniis quæ per septuaginta annos observata fuisse narrantur, solidis argumentis disjecit Petavius, & nos quoque supra Propositione quarta, cum de Aggæi & Zachariæ prophetiis ageremus. Unde commoda quoque peti potest responsio ad loca duo e quarto capite Esdræ depromta, in quibus Reges Persarum recensentur hi, Cyrus, Darius, Assuerus, Artaxerxes, Darius cujus sexto anno absoluta est Templi instauratio, quemque ex proposita hac Regum serie non alium esse concludunt quam Nothum. Illic enim docuimus ex optimorum Chronologorum doctrina, Darium illum utrobique designatum, Hystaspiden esse, insertos vero Assuerum & Artaxerxem, vel Cambysen & Smerdin esse, vel Cambysen unicum & πολυώνυμον (*multis nominibus affectum,*) pro more a Regibus Persarum

farum uſurpato, nomina Xerxis & Artaxerxis aſciſcendi, poſtquam ſumma rerum tradita ipſis fuiſſet. Caſſa quoque eſt ratio ex intervallo petita, quod Cyri edictum inter & annum Darii ſecundum interjacet. Nec enim idcirco ad tabularia recurrere opus fuit, quod de facultate a Cyro conceſſa dubitaretur, ſed ut facultatis hujus conditiones, ac cuncta item edicti, ad quod provocaverant Judæi, capita cognoſcerentur, ad ejusque formam illud Darii conſcriberetur. Quod haud ſecius fuiſſet factum, ſi ante menſem vel annum edictum hoc tuliſſet Cyrus, quod ante octodecim annos latum fuiſſe dixi. Fruſtra ergo Dario Notho adſcribuntur, illa, quæ ad Hyſtaſpiden egregie congruunt. Nihil vero ad rem faciunt μακροβιότητος καὶ πολυετίας (*longævæ & annoſæ vitæ*) exempla a Scaligero, ipſiusque ſequacibus collecta, ut mirum non eſſe probent, quod ex doctrina ipſorum conſequitur, Zorobabelem & Jeſum Joſedeciden vitæ humanæ diuturnitatem exceſſiſſe, ut qui centum & quinquaginta annos vivendo ſuperaſſe fatendi ſint, ſi Scaligeri opinio admittatur. Ducenteſimum vero annum attigerit vel ſuperaverit Esdras, ſi ſeptimo anno Artaxerxis Memorioſi, ut putat, non Longimani, Babylone profectus ſit; utpote Saraia Pontifice natus, qui eodem anno, quo Sedecias captus eſt, a Nabuchodonoſore fuit interfectus. Minus id fortaſſe mirum eſſet in uno aliquo vel altero, cum vivaces & diuturnos homines identidem oriri ſciamus; verum hos, quos dixi, ejusdem ævi viros, eodem genere oriundos, ejusdem conſilii ac negotii participes & ſocios, iisdem caſibus exercitos, in iisdem locis moratos, velut de compacto in eamdem ætatis longinquitatem conſpiraſſe, incredibile ſane eſt. Quod cum ſubjicit Scaliger factum eſſe a Deo in eorum gratiam, quos populo ſuo & Eccleſiæ ſuæ præfecerat, & imaginariis miraculis cauſſam ſuam fulcire conatur, tum vero maxime ejus infirmitatem prodit. Neque hos ſolum, quos dixi, tam diuturnos & vivaces facere cogitur Scaliger, ſed illos etiam, quos his verbis compellare jubetur Aggæus: *Quis in vobis eſt derelictus, qui vidit domum iſtam in gloria ſua prima? & quid vos videtis hanc nunc? numquid non ita eſt, quaſi non ſit in oculis veſtris?* cujus loci frivolam quoque expoſitionem affert Scaliger: nam perinde hoc eſſe putat, ac ſi dixiſſet Propheta: ſi quis veſtrum domum priorem olim vidiſſet, hanc illi minime æquiparandam eſſe fateretur. Sed vanitatem interpretationis hujus ſupra jam patefecimus. Adverſatur inſuper Scaligeri ratiocinium Judæorum verbis, qui ſecundo capite Johannis ſic alloquuntur Chriſtum: *Quadraginta & ſex annis ædificatum eſt Templum hoc, & tu in tribus diebus excitabis illud?* nam a locatis ſub Cyro Templi fundamentis, ad poſitum ſexto anno Darii Nothi faſtigium, anni interjacent centum & viginti. Apparet quoque vel maxime opinionis hujus abſurditas, cum ad ſeptuaginta hebdomadum partitionem confertur, quam expoſui ſupra, quamque expoſuiſſe, refutaſſe eſt; id quod a Petavio quoque factum abunde eſt.

Agg. 2, 4.

Joh. 2, 4.

VIII. Tertiam proponemus Johannis Lucidi ſententiam, qui ab anno viceſimo Artaxerxis Longimani ducto ſeptuaginta hebdomadum initio, in quarto poſt Chriſti mortem anno exitum ipſarum conſtituit; mediumque inter extrema hæc intervallum annorum eſſe putat quadringentorum & nonaginta, ſive hebdomadum ſeptuaginta. Nulla certe convenientior loci hujus excogitari poſſet interpretatio, ſi mediorum annorum conſtaret ille, quem ponit Daniel, numerus. Nam rectiſſime poſitum initium eſt in viceſimo anno Artaxerxis Longimani, quo anno ſine controverſia de reſtituenda urbe Hieroſolyma edictum latum eſt, reique conficiendæ curam Nehemias ſuſcepit, atque opus effectum dedit. Egregie quoque finem huic annorum curriculo præſcripſit in anno quarto ab obitu Chriſti, juxta illud Danielis: *Confirmabit autem pactum multis hebdomada una, & in dimidio hebdomadis deficiet hoſtia & ſacrificium.* Verum in medii intervalli numerandis annis toto decennio aberrat Lucidus; tot enim ad explendas ſeptuaginta hebdomadas deſunt anni.

Tertia.

Dan. 9, 27.

Hanc opinionem exagitans Pererius, & in omnem partem excutiens, omniaque effugia præcludens, eam ſibi ipſe opponit exceptionem, non ab obitu Xerxis numerandum eſſe initium regni Artaxerxis, in cujus regni viceſimo caput ſeptuaginta hebdomadum Lucidus poſuit, ſed a duodecimo circiter anno Xerxis, quo anno in regni ſocietatem aſciviſſe

Perer. Comment. in Dan. Lib. P. 2. Opin. 15.

Digitized by Google

visse Artaxerxem filium Xerxes videri posset; pro more Persicorum Regum, quibus ad bella extra Persidem gerenda proficiscentibus regni hæredem designare solenne fuit, ut non uno loco Herodotus asseverat; atque hoc eo videri verisimilius, quod Thucydides, Charon Lampsacenus, aliique probatissimi Auctores tradant, Themistoclem Græcia profugum ad Artaxerxem Xerxis filium, νεωστὶ βασιλεύοντα, *recens regnantem* literas dedisse: scribere vero Diodorum Siculum, anno secundo septuagesimæ septimæ Olympiadis Themistoclem adiisse ad Xerxem non ad Artaxerxem, quod & a claris historiarum scriptoribus, Ephoro, Dinone, Clitarcho, & Heraclide literis mandatum esse Plutarchus docet; idem quoque apud Strabonem & Eusebium reperiri; atque hæc contraria & repugnantia ita conciliari posse, si simul regnasse detur patrem Xerxem, & Artaxerxem filium, hoc ad participandum regnum assumto. Facilius ista convenire potuissent, si dixisset Diodorum, aliosque fefellisse nominum Xerxis & Artaxerxis permistionem, quæ sæpe uni eidemque tributa sunt. Conjectura Pererii Petavio placuit, & totam in suum de temporum doctrina librum transtulit, quasque adversus suum hoc commentum præscriptiones attulerat Pererius, partem earum Petavius discutere & solvere conatus est; ipsumque commentum adversus ejus auctorem tueri. Sic autem disputat Pererius: si Xerxes ad bellum proficiscens regni successorem designare debuit, profecto cum anno primo septuagesimæ quintæ Olympiadis ferale bellum adversus Græciam moveret, jam inde regni participem facere debuit Artaxerxem. Ab eo igitur initio si septuaginta annorum decurrant hebdomades, citra obitum Christi consistent. Nihil huic argumento obduxit Petavius. Quærit præterea Pererius, cur regni socium allecturus Xerxes Dario natu majori filio Artaxerxem minorem ac impuberem, & rebus gerendis imparem prætulerit. Acute sane & erudite respondet Petavius, Darium Xerxe nondum regnum adepto, sed privato genitum fuisse, propterea que antepositum ipsi fuisse Artaxerxem in purpura natum, & patre jam rege procreatum, quemadmodum Xerxes ipsemet ob easdem causas Artobazani fratri a patre Dario fuerat antelatus. Cum autem per conjecturam proposuisset Xerxe nondum rege natum esse Darium, id alia firmat conjectura ex Herodoti libro nono ducta, ubi legimus Xerxem post Salaminiam pugnam Sardibus agentem, Masistis fratris filiam Artayntam in matrimonium Dario filio dedisse; cum autem commissa fuerit pugna Salaminia octo circiter annis, postquam regni consors factus est Xerxes, sequitur ante id tempus natum esse Darium; nam alioqui nuptiis maturus non fuisset. Verum quid proderit hoc argumentum, si dicamus non exspectata fortasse maturitate ætatis uxorem duxisse Darium, uti sæpe fit inter principes viros? quid si ante annos nuptiis in regionibus nostris præfinitos, maturitatem, & pubertatem, & genitalem vim adipisci solitos fuisse Persas? Apud Indos quidem Persarum vicinos, septennes pueri nuptias contrahunt, ac liberos etiam gignunt. Nihilo opportuniora sunt verba e Diodoro deprompta, quibus Artabanus, post interfectum a se Xerxem, significavit Artaxerxi sceleris auctorem esse Darium, τὸν τὴν βασιλείαν ἐς ἑαυτὸν περιποιήσαντα, & *regnum affectare*. Nec enim hujus loci sententia est regnum Artaxerxi jure debitum intervertere conari Darium, sed regnum, quod jure Xerxes pater obtinebat, parricidio ad se traducere. Corruit ergo conjectura hæc Petavii. Sed & alia nobis suppetunt argumenta, quibus ejus sententiam oppugnemus: hoc primum, aliud esse regni designare successorem, aliud regni socium asciscere. Prius hoc Persis solenne fuisse fateor; at Artaxerxem ad successionem regni a Patre fuisse destinatum si concesserо, nihil inde causæ suæ opportunum Petavius eliciet. Scribit præterea Plutarchus ex Thucydide, Charonte Lampsaceno, & vetustis quibusdam Chronicis, defuncto jam Xerxe Themistoclem ad Artaxerxem venisse. Quo testimonio labefactatur penitus Petavii opinio; quippe quod aperte demonstret neutiquam fuisse persuasum Plutarcho, vel iis quos laudat Scriptoribus, simul regnasse patrem & filium, cum in Persidem Themistocles secessit. Id si fuisset, aliqua procul dubio ejus extaret apud Auctores significatio, quæ penitus nulla est: nec in diversis eorum referendis sententiis laborarent Cornelius Nepos & Plutarchus; nulla enim tum foret eorum discrepantia. Ad hæc consentaneum est

Herod. l. 1. & 7. Thucyd. l. 1. Charon apud Plutarch. in Them.

Plutarch. Themist. Strab. l. 14. Euseb. in Chron.

Petav. de doctr. temp. l. 16. c. 25. & l. 12. c. 32.

Herod. l. 9. c. 107.

Diod. l. 11.

Plutarch. Themist.

Corn. Nep. Them. c. 9

est rationibus Petavii, puerum fuisse Artaxerxem, cum ad eum venit Themistocles, nam post interfectum quoque patrem fuisse etiam tum puerum testificatur Justinus; longe igitur magis puer fuit, cum patre etiamnum vivo, ut Petavius sentit, Themistoclem excepit. Deinde a Xerxe jam rege procreatum eum esse Petavius asseverat; ascitum vero in communionem regni duodecimo circiter anno postquam rex Xerxes creatus est. Ergo minor erat duodecim annis, cum particeps regni factus est. Atqui ad Artaxerxem νεωτὶ βασιλεύοντα, *recens regnantem* fugisse Themistoclem narrat locuples Auctor Thucydides. Ex quibus colligitur nondum eum excessisse pueritiæ annos hoc tempore. Id vero manifeste repugnat Thucydidis & Plutarchi testimonio, qui adveniente Themistocle ea gesta ab Artaxerxe, dictaque referunt, quæ nonnisi ab homine virilem prudentiam jam adepto poterant proficisci. Nec satis Petavio constat ratio in reperienda caussa, quamobrem tum abesset Xerxes. Abfuisse enim tunc temporis a Perside, & urbe regia, & in aliquam expeditionem profectum, disertis verbis affirmat. Expeditionem autem hanc adversus Græcos fuisse susceptam conjectat, post detectam Pausaniæ Lacedæmoniorum regis conjurationem, sumtumque de eo supplicium; atque id bellum caussæ fuisse, cur Artaxerxem regni socium faceret. Fulcit alteram hanc conjecturam Petavius auctoritate Justini, cujus hæc verba sunt: *Nec multo post accusatus Pausanias damnatur. Igitur Xerxes, cum proditionis dolum publicatum videret, ex integro bellum instituit. Græci quoque ducem instituunt Cimonem Atheniensem, filium Miltiadis.* Bellum illud significat Justinus, quo Græci Cimone duce Persas navali prælio ad Cyprum, terrestri ad Eurymedontem fluvium uno die fuderunt. Id contigit tertio anno septuagesimæ septimæ Olympiadis, qui annus Themistoclis fugam proxime consecutus est. Fraus autem Pausaniæ supplicio compressa fuit sub finem septuagesimæ quintæ Olympiadis. Igitur inter Pausaniæ obitum, & Cimonis victoriam, anni interfuerunt septem. Allectum vero ad regnum a patre Artaxerxem anno tertio septuagesimæ sextæ Olympiadis statuit Petavius; videlicet inter Pausaniæ casum, & Cimonis prælium. Sane si filium allegit Xerxes, cum Græcos esset invasurus, eoque allecto profectus est ad id bellum gerendum, quo Persæ fracti a Cimone & profligati sunt, quod Petavio dicendum omnino est, cur Babylonem ad Artaxerxem contendit Themistocles tanto locorum intervallo dissitum, cum labori ac tempori parcere potuisset, Xerxem ipsum conveniens in propinquis locis bellum administrantem? Quod attinet ad Justinum, non id sibi vult, statim ab interitu Pausaniæ Xerxem adversus Græcos bellum movisse: Diodorus quippe prius illud bellum Persicum, quod duorum annorum fuit, finem habuisse ait post fractos Persas ad Plateas, & Mycalen, & captam ab Athenienſibus Sestum; quæ anno secundo septuagesimæ, quintæ Olympiadis contigerunt: nec quicquam deinceps adversus Græciam Persas aperte moliri fuisse ausos ante Cimonis expeditionem, ex ipsius apparet narrationibus; sollicitatum tantummodo fuisse ad defectionem Pausaniam, sed clam & occulte. Quod ergo ex Justini verbis excipit Petavius, nimirum detectis Pausaniæ fraudibus, Xerxem in Græcos arma movisse, propterea que filium regni socium fecisse, historiæ haudquaquam consentaneum est; cum inter Pausaniæ supplicium, & Cimonis res gestas ac victoriam adversus Persas, nullum Xerxis memoretur bellum, propter quod filium in regni societatem ascisceere debuerit: Cimonis autem expeditio nimio distet temporis intervallo a Pausaniæ obitu, quam ut ex eo bellum hoc ortum censeri possit; & longius quoque absit a commentitia illa cooptione, quam ut ei caussam præbuisse putemus. Hunc potius credamus Justini verborum esse intellectum, post publicatum Pausaniæ dolum, irrogatamque ipsi pœnam, dolore accensum Xerxem ulciscendæ injuriæ desiderium concepisse animo, bellique olim moliendi facultatem optasse sibi dari, ad rem tamen non perveniſſe. Nulla ergo in potentatus communionem cooptandi filii tunc occasio Xerxi, vel necessitas fuit, neque ullum conjecturæ huic præsidium Justinus subministrat. Concedamus tamen liberaliter, quod merito pernegavimus, ascitum fuisse in regni societatem Artaxerxem hoc tempore, quod præfinit Petavius, ajo enimvero non propterea annos regni Artaxerxis computantem Nehemiam,

Plutarch. Themist. Justin. l. 3.

Petav. de doctr. temp. l. 10. c. 25. & l. 12. c. 32.

Thucyd. l. 1.

Justin. l. 2. c. 15.

Diod. l. 11.

Digitized by Google

hemiam, ab hoc tempore initium computandi fuiſſe ducturum, ſed ab eo quò poſt defunctum Xerxem plenam ac integram poteſtatem adeptus eſt, ac ſolus regnavit. Poſtulabat id hiſtoriæ ratio, & Hiſtoricorum conſuetudo, quam in hoc opere ſuo Petavius ipſe tenuit; Nam tempus regni Xerxis deſiniens, annos ei viginti aſſignavit, petito nempe initio ab obitu Darii, cum duos tamen ſupra viginti aſſignare debuiſſet annos, ſi ab eo tempore numerum iniviſſet, quo a Dario regni ſucceſſor inſtitutus eſt. Nec negaverim aliter id fortaſſe factum aliquando. Maximiani puta imperii initia ab eo ducuntur anno, quo Cæſar a Diocletiano creatus eſt, non quo Auguſtus. Verum perpauca ſunt moris hujus exempla, quæ nec in argumentum trahi poſſint.

Petav. de doctr. temp. l. 13.

Proponitur deinde noſtra, & argumentis approbatur.

IX. Diſcuſſis aliorum ſententiis, quæ majorem veritatis ſpeciem præ ſe ferunt; iis vero prætermiſſis, quarum deprehenſa jam ab aliis falſitas eſt, vel quæ a viris eruditis propoſitæ tantum, nullis autem allatis argumentis fultæ ſunt, nobis nunc ipſis in arenam deſcendendum eſt. Ergo exiſtimo ſeptuaginta hebdomadum initium non aliunde peti poſſe, quæ a viceſimo anno Artaxerxis Longimani, quo anno *Exiit ſermo, ut iterum ædificaretur Jeruſalem*; cum nullam ante id tempus reſtituendæ Hieroſolymæ poteſtatem Judæis factam fuiſſe approbaverim. Viceſimum autem hunc annum a Xerxis obitu & adita ab Artaxerxe regni hæreditate numerari velim, non a conficta hac Artaxerxis cooptatione, quæ ſuperiori diſputatione confutata eſt. Septuaginta vero hebdomadum finem, non in mortem Chriſti præciſe, ſed in inferiora tempora conjicio, ut ſexageſima nona hebdomas ante Chriſti mortem deſinat, Chriſti vero mors intra ſeptuageſimæ hebdomadis ſpatium contingat. Nam ſi conveniret ſeptuageſimæ hebdomadis finis in mortem Chriſti, occiſus utique fuiſſet Chriſtus poſt ſeptuaginta hebdomades; quod ſecus eſſe debuit: Danieli quippe prædixerat Angelus, futurum ut poſt hebdomades ſexaginta novem occideretur Chriſtus. Quod & aperte ſignificavit, cum diceret:

Dan. 9, 24. *Septuaginta hebdomades abbreviatæ ſunt ſuper populum tuum, & ſuper urbem ſanctam tuam, ut conſummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur juſtitia ſempiterna, & impleatur viſio & prophetia, & ungatur Sanctus ſanctorum.* Hæc completa ſunt, cum natus eſt & obiit Chriſtus, & ad vitam rediit. Contractas autem ac decurtatas fuiſſe ait ſeptuaginta hebdomades, quia non effluxerant totæ nec curriculum ſuum abſolverant, cum prædictum hoc evenit; ſeptuageſima quippe adhuc erat in curſu. Atque hæc eſt ſimpliciſſima loci hujus interpretatio, & iis longe verisimiliot, quæ hactenus allatæ ſunt; ſi Ebraicam dictionem חתך, qua uſus eſt Propheta, ita intelligas, ut intellexit Vulgatus Interpres, & ut intellexerunt Septuaginta, qui verterunt, συντμηθήσεσθαι (*decurtatæ ſunt.*) Quæ notio dictionis hujus aptiſſime in noſtram ſententiam convenit. Atque ea quoniam verbis non ſatis perſpicuis expreſſa videri poterant, clariora ſubjicit Angelus, quæ rem aperte explanant: *Scito ergo, & animadverte; Ab exitu ſermonis, ut iterum ædificetur Jeruſalem, usque ad Chriſtum ducem, hebdomades ſeptem & hebdomades ſexaginta duæ erunt: & rurſum ædificabitur platea & murus in angustia temporum. Et poſt hebdomades ſexaginta duas occidetur Chriſtus.* Dan. 9, 25. 26. Nunc autem inſtituenda ratio eſt, qua demonſtrare poſſimus ſexageſimam nonam hebdomadem ante Chriſti obitum effluxiſſe, ſeptuageſimam vero ante eumdem obitum inchoatam poſt eum deſiiſſe, atque intra ejus decurſum Chriſtum fuiſſe in crucem actum. Facili id conſequemur negotio, ſi a viceſimo anno Artaxerxis computemus ſexaginta novem hebdomadas, ſive quadringentos octoginta tres lunares annos, quorum ſinguli ſint trecentorum quinquaginta & quatuor dierum. Conſtituto enim anni viceſimi initio in quarto Olympiadis octogeſimæ tertiæ, ſive Periodi Julianæ 4269, fine vero anni ejusdem viceſimi in primo Olympiadis octogeſimæ quartæ; ſive Periodi Julianæ 4270; edictum Artaxerxis, quo Nehemiæ facultatem Hieroſolymæ reſtituendæ conceſſit, datum menſe Niſan, incidere potuit in annum Periodi Julianæ 4270, qui primus eſt Olympiadis octogeſimæ quartæ. Huc ſi annos ſolares addideris quadringentos ſexaginta novem, incides in annum Periodi Julianæ 4739, qui ſecundus eſt Olympiadis ducenteſimæ primæ, Tiberii decimus tertius. Atqui anni ſolares quadringenti ſexaginta novem, annos lunares efficiunt quadringentos octoginta tres,

Digitized by Google

tres, sive sexaginta novem hebdomadas cum dimidia circiter anni parte. Cum autem mortem obierit Christus anno Tiberii decimo octavo, Periodi Julianæ 4744, Olympiadis ducentesimæ secundæ tertio, convenit id in quintum annum septuagesimæ hebdomadis, quæ proinde absoluta est duobus post Christi obitum annis. Supereſt nunc ut afferamus causam, cur hoc septuaginta hebdomadum σύνταγμα (*collectio*) in septem, sexaginta duas, & unam Angelus distribuerit. Scaliger & Grotius nullum partitioni huic subesse mysterium arbitrantur, non plus quam isti distributioni minæ in siclos apud Ezechielem: *Porro viginti sicli, & viginti quinque sicli, & quindecim sicli, minam faciunt.* Ego & minæ, & hebdomadum partitionem, non vanam esse & inutilem, sed occulti alicujus mysterii argumentum continere puto. Ac minam quidem Ezechielis non sine caussa sic divisam esse testantur Salomoh Jarchi, David Kimchi, atque inprimis Abrabaniel, qui singulas distributionis hujus partes nummos fuisse usitati ac vulgaris commercii asseverat. De Danielis hebdomadibus sic statuo, priores septem definire spatium, quo Urbis instauratio plane est absoluta; sexaginta duas, ut dixi, ad eam usque decurrere, qua interfectus est Christus; quæ postrema septuagesima est. Itane vero, inquies, quadraginta novem annis refecta Urbs est, cujus murus quinquaginta duobus diebus est absolutus, ut habet liber Nehemiæ? Respondeo, propter circumstantes adversarios summa festinatione muros fuisse excitandos; quibus absolutis lentiores in reliquis operibus fuisse progressus. Non enim muri duntaxat, sed & plateæ fuerunt reficiendæ, juxta Gabrielis prædictum, *Dan. 9, 25. Rursum ædificabitur platea & muri.* Nec muros solum, sed & fossam simul intellige, ut significat Ebraicum exemplar; neque solum plateas, sed & publica ædificia, strata viarum, fora, porticus, cisternas, aquæductus, aliaque hujus generis quamplurima, quæ disturbaverat Nabuchodonosor. Domus etiam tumultuario opere antea extructæ, in meliorem formam directis ordinibus metandæ fuerunt. Audiamus Nehemiam: *2. Esdr. 7, 1. 4. Postquam autem ædificatus est murus, & posui valvas ..... Civitas erat lata nimis & grandis, & populus parvus in medio ejus, & non erant domus ædificatæ.* Audiamus & Sirachiden: *Et Nehemias in memoria multi temporis, qui erexit nobis muros eversos, & stare fecit portas & seras, qui erexit domos nostras.* Audiamus & Epistolam adversus Judæos Hierosolymæ instauratores ad Artaxerxem scriptam, uti recitatur a supposititio Esdra: *Notum sit domino Regi, quoniam Judæi qui ascenderunt a vobis ad nos, venientes in Jerusalem civitatem refugam & pessimam, ædificant furnos* (Lege *fora*, Græce ἀγοράς) *ejus, & statuunt muros, & templum suscitant.* Quæ non minus postulabant spatium temporis, quam Templi ipsius ædificatio, cui quadraginta sex annos fuisse impensos Judæi testificantur apud Johannem, ac tres præterea externo Templi ornatui perficiendo, quemadmodum ex Josepho Eusebius observat. Eo pertinent verba isthæc Gabrielis Angeli ad Danielem: *Et rursum ædificabitur platea & muri, in angustia temporum.* Angustiam temporum dicit, pro Ebræorum consuetudine, quod nos angustum tempus diceremus; ut paulo inferius, *Abominationem desolationis*, quod nos Abominandam desolationem. Alter præterea locutioni huic inest Ebraismus usurpato θετικῶ ἀντὶ τοῦ συγκριτικοῦ, (*positivo pro comparativo*) nam *angustum tempus*, hic sonat, angustius tempus. Contra in Genesi, *Major serviet minori*, ubi Ebraica sonant, Magnus serviet parvo: usurpato positivo pro comparativo. Cum igitur divisisset Angelus sexaginta novem hebdomadas, in septem, & sexaginta duas, subjungit: *Et rursum ædificabitur platea, & muri, in angustiore tempore:* e duobus nempe illis temporibus quæ proposuerat; altero septem hebdomadum, quod angustius est; altero sexaginta duarum, quod longius. Hoc igitur cum dixit, perinde est ac si dixisset, & rursum ædificabitur platea & muri intra septem illas hebdomadas.

Primus eas, quas indicavimus, numerandarum Danielis hebdomadum, & intricatæ ac perplexæ prophetiæ exponendæ vias iniit Julius Africanus, cum peculiari opere de septuaginta hebdomadibus & prophetia Danielis, tum libro quinto χρονογραφιῶν, (*Descriptionum temporum*) unde totam ejus dissertationem repræsentarunt Eusebius, Hieronymus, & Georgius Syncellus. Hunc secuti

Scal. Prol. de emend. temp. & l. 6. Grot. in Dan. 9, 24. 25. - Ez. 45, 12.

Eccl. 49, 15.

2. Esdr. 2, 18

Joh. 2, 20.

Euseb. in Dem. l. 8. Dan. 9, 25.

Dan. 9, 27.

Gen. 25, 23.

Euseb. l. 1. Chron. Gr. & l. 8. Dem.

Digitized by Google

secuti sunt deinde Theodoretus, Beda, Zonaras, aliique complures. Verum aliter rationes suas disputat: nam vicesimum annum Artaxerxis addicit anno quarto Olympiadis octogesimæ tertiæ; nos primo octogesimæ quartæ: annum vero secundum Olympiadis ducentesimæ secundæ, Tiberii decimo sexto, vel potius decimo quinto, ut vertit Hieronymus, proclivi in numerorum notis lapsu; nos anno decimo septimo. Finem ille septuagesimæ hebdomadis collocat in morte Christi; nos in anno e morte Christi secundo. Mortem Christi confert in annum decimum quintum, vel decimum septimum Tiberii, quem secundum esse putat Olympiadis ducentesimæ secundæ; nos in decimum octavum Tiberii, quem tertium esse statuimus hujus Olympiadis. Decurtatas denique ideo dici ab Angelo hebdomadas septuaginta censent Africani sequaces, quod constent lunaribus annis, qui breviores sunt solaribus; nos sic arbitramur dictas, quod nondum totæ præteriissent, cum prædictæ res exitum habuerunt.

Hieron. in Dan. Georg. Syncel. Chr. ad A. M. 5534.

Refelluntur argumenta adversariorum. Primum argumentum.

X. Atenim gravi pulsamur argumento, quod tantum apud Scaligerum & Petavium valuit, ut non aliam ob caussam ab hac sententia discesserit uterque; ille etiam, Scaligerum dico, pro suâ ἰνθαδίᾳ, (*pervicacia*) anilem, ridiculam, asininam appellare non dubitarit; cum ipse tamen in absonam penitus & vitiosam incurrerit. Cujus persuasionis argumentum hoc habuit, quod lunari anno non usi fuerint Ebræi, sed Agareni; hi quidem lunarem annum simplicem observaverint, nulla intercalatione adhibita; Ebræi vero, etsi ad Lunæ motus menses accommodabant suos, annum tamen juxta solarem cursum determinaverint; & utriusque anni conciliandi & ad idem principium revocandi gratia, embolimos menses lunaribus annis jam inde a Mosis temporibus adjecerint, in quam rem præclara extat Aben Esræ testificatio; nec probabile fit, Angelum verba facientem ad hominem Ebræum, alterius significationem anni adhibuisse, quam qui inter Ebræos usu communi erat receptus. Non id utique nesciebat Africanus, qui opinionem suam proponens hac eam admonitione præmunit: ἔλληνες καὶ ἰουδαῖοι τρεῖς μῆνας ἐμβολίμους ἕκτῳ ἐπὶ ὀκτὼ παρεμβάλλουσιν. *Græci & Judæi tres embolimos menses ad octo annos interserunt.* Non est ergo cur eum insciliæ quisquam insimulet. Porro petitionem istam sic excipit Pererius, idcirco annos lunares ad præfiniendum vaticinii sui tempus adhibuisse Gabrielem, quod Ebræis parum cogniti, nedum usitati forent; quo nimirum majori prædictionem suam obscuritate involveret, pro more in vaticiniis recepto: eamdem ob caussam per hebdomades Angelum septem annorum designasse currentes; & in superioribus capitibus vocabulo Temporis, anni spatium non semel expressisse; his ambagibus & involucris rerum futurarum exitus data opera contegentem, ut ab intuenda nuda veritate profani vulgi oculos prohiberet; atque idcirco præmonuisse; *septuaginta hebdomadas abbreviatas esse super populum*, ut de vulgata & populari annorum Ebraicorum forma delibandum aliquid & decerpendum Daniel intelligeret.

Astic. apud Euseb. L. 8. Dem.

Perer. in Dan. l. 11. Qu. 9.

Dan. 9. 24.

Optime id quidem, sed & alia responsione frangere possumus oppositum argumentum. Danieli prædictionem hanc edidit Gabriel Angelus in ditione Darii Medi, quem ait ipse Daniel *imperasse super regnum Chaldeorum*. Hinc sequitur, probabile esse in annorum designandis intervallis ad eam anni formam spectasse Angelum, quæ popularis & pervulgata iis erat gentibus, inter quas versabatur Daniel, ad quem tum verba faciebat. Daniel enim, unus e Darii Medi purpuratis, in actis, scriptisve, & communi vitæ usu eam temporum putandorum procul dubio rationem tenuit, quam gens illa, cui pro sua parte regendæ præfectus erat, quam Rex ipse, cujus continebatur imperio, tenere consueverat. Etsi ratio id suadet, nec ampliori probatione indiget, minime tamen possum quiddam prætermittere, quo res valide confirmatur. Ante Babylonicam Captivitatem menses non aliter appellare consueverant Judæi, quam ex numero & ordine, quem ii inter se obtinebant. At postquam transmigrarunt in Babyloniam, Chaldaica mensium nomina paulatim ascisere cœperunt, atque ea in libris suis frequenter adhibuerunt, quicunque e Scriptoribus sacris Captivitate recentiores sunt. Adeo vulgare est ac proclive, ad eorum, quibuscum versamur & vivimus, mores & usus

Digitized by Google

usus nos nostraque componere. Ergo vel anni Chaldaici, vel Medici, vel Persici formam Daniel observabat. Qui anni solaresne fuerint, an lunares, incertum plane est, neque de iis quicquam a veteribus Scriptoribus est traditum. Nam quæ a Josepho Scaligero super hoc argumento disputata sunt, ea ex proprio conjecturarum suarum penu, nullis veterum subnixus præsidiis, homo confidens & ἰδιογνώμων (*suis addictus opinionibus*) depromsit, & a Petavio sunt confutata. Et ille tamen lunari anno usos fatetur Chaldæos & Persas, etsi non mero ac simplici. Cum igitur ex veterum monumentis anni Chaldaici, Medici & Persici ratio haudquaquam satis possit intelligi, superbe sane & confidenter faciunt, qui Julium Africanum, priscum scriptorem, eruditum, & Chronologicæ consultissimum artis, de qua libros ævo sequenti laudatissimos reliquit, & antiquorum commentariis, quibus nunc caremus, instructum reprehendere audent, & de anni lunaris forma ab Angelo & Daniele usurpata pronunciantem ac statuentem in crimen vocare. Concedamus tamen ultro Gabrielem Angelum cum Ebræo homine de rebus Ebræorum differentem, earumque intervalla ac tempora metantem, ad anni inter Ebræos pervulgati rationem ea exegisse; non sic tamen labefiet Africani sententia. Nam de forma prisci Ebræorum anni magni est inter Chronologos controversia. Solarem ad Macedones usque fuisse, ostendere conatus est in Eclogis Chronicis Astronomus doctrina & ingenio præstans Johannes Keplerus. At Petavius, a quo oppugnatus est Africanus, geminum statuit Ebræorum fuisse annum, lunarem & solarem. Operæ pretium est verba ipsius referre. *Judæi veteres, quorum civilem annum fuisse lunarem omnes existimant, licet in civilibus actionibus reliquis ac solennibus lunarem annum observarent, eum tamen de anno simpliciter loquebantur, ejusque conversione, solarem intelligebant.* Tum alio loco, ex Josephi, Philonis, & Agathobulorum duorum auctoritate hæc collegit: *Quare aliquot ante Christum seculis saltem lunarem observatum esse annum extra controversiam habetur: ante illud vero tempus, atque ex Moysis instituto, crediderim idem factitatum; tametsi nihil ex Scripturis evinci posse videatur.* Hoc ergo teste duplex erat Ebraicus annus, lunaris & lunaris, quos certis temporibus ad easdem metas revocare necesse fuit, ad determinandos nimirum annos Schemitah sive Remissionis, hoc est Sabbathicos, tum & Jubilæos. In describendis quoque annalibus, solaris anni rationem fuisse habitam non infitior: in communi vero & populari usu lunarem adhibitum fuisse verisimile est, utpote notiorem populo, cujus captum subtilis hæc emboliſmorum doctrina superabat. Adeo ut gemina fuerit Judæis temporis putandi consuetudo, altera eruditiorum hominum ac Sacerdotum, per solares annos, perque lunares solaribus accommodatos & & intercalationibus emendatos; altera profani vulgi & indocti, per lunares annos simplices embolimis mensibus solutos. Quod ne cui novum videatur, simile quid de Arabibus & Ægyptiis Scaliger opinatus est: sic enim ille libro tertio Canonum Isagogicorum: *Et sane videtur ipse emboliſmus apud peritiores* (Arabes) *fuisse; annus autem retextus apud vulgus remansisse; quemadmodum apud Ægyptios anni vagi usus apud vulgus, intercalatio diei ex quatuor quadrantibus collecti penes Hierophantas & Sacerdotes erat.* Græcos quoque veteres duplici usos esse anno constat, altero civili ac vulgari, ad Lunæ motus ordinato; recondito altero & Sacerdotibus tantum cognito, ad Solis nimirum curricula exacto. Contra vero nos Christiani hoc tempore annum habemus duplicem; civilem alterum & popularem, ex motu Solis constitutum; alterum Ecclesiasticum, paucis intellectum, ad Lunæ motus digestum, Sacerdotibus in festis diebus designandis usitatum. Minime ergo mirandum est duplicem Ebræis fuisse annorum modum, lunarium, & solarium; atque horum usum inter doctos, illorum in vulgo fuisse acceptum; Angelum vero in præfiniendo annorum intervallo vulgi tenuisse morem, & popularem annum adhibuisse. Audiendus omnino super ea re Theodoretus: ἰδέναι γὰρ χρὴ, ὡς ἕλληνες, κατὰ τὸν τῆς σελήνης δρόμον ἀριθμοῦντες τὸν ἐνιαυτὸν ἕνδεκα ἡμέρας περιτίθασι ἀποφαίνειν, ἃς καὶ ἡμεῖς ἐμβολίμους καλοῦμεν· ὁ γὰρ τῆς σελήνης δρόμος ἐν ἔτεσιν ἐννέα ἡμέρας καὶ ὥρας ἓξ συμπληροῦσιν· οὕτω δὲ ἀριθμοῦντες τριακοσίων καὶ πεντήκοντα καὶ τεσσάρων ἡμερῶν ποιοῦσι

Petav. de doctrin. temp. l. 3. c. 4. & 5. & 16.

Scalig. de emend. Temp. l. 2. & 3.

Petav. de doctrin. temp. l. 1. c. 8.

Petav. de doctrin. temp. l. 2. c. 27.

Theod. in Dan. 9.

Digitized by Google

ποιῆσει τὸν ἐνιαυτόν· ἐνιαυὸν τοίνυν ὁ ἄγγελος ἀρχόμενος τῷ μακαρίῳ Δανιὴλ διαλεγόμενος, ἐνδεῖ ἑξαμήνου, φησὶ διδάσκων ἐκεῖνον ἀριθμὸν τῶν ἐτῶν, τὸν συνηθῆ πάντως ἔλεγεν ἀριθμὸν, ἰουδαϊκὸς προσθῆναι δὲ τὰ ἐκ τῶν ἐμβολίμων συναγόμενα ἔτη. *Sciendum est enim, Ebræos, ad Lunæ cursum annum ordinantes, undecim dies superstites facere, quos nos etiam intercalares appellamus. Nam Lunæ cursus intra viginti novem dies & horas sex absolvitur. Sic autem numerantes, trecentorum quinquaginta quatuor dierum annum faciunt. Cum ergo sanctus Archangelus beatum Danielem, virum Ebraum alloquens, ipsumque docens annorum numerum, usitatum annum omnino significaret, necessario addendi sunt anni ex intercalaribus collecti.* Hoc est, Addendi sunt anni ex diebus intercalaribus collecti, ut cum Solaribus conveniant, & numerus annorum Solarium, itidem ut Lunarium cognoscatur. Atque ex Lunæ Cursu tempora sua descripsisse vulgus Ebræorum eo credibilius est, quod a finitimis gentibus idem factitatum videbant. Phœnices enim, Madianitas, Arabes, aliasque Lunæ cultui impense deditas Orientis gentes, anni formam juxta ejus cursum crediderim digessisse.

Secundum argumentum. Scal. Prol. de emend. temp.

XI. Alterum, quo sententiam nostram oppugnat Scaliger, telum hoc est: perperam ab ejus Regis temporibus septuaginta hebdomadum duci initium, cujus toto tempore cessavit ædificatio; *quod plane*, inquit, *est dicere Esdram falli aut mentiri,* (adsit verbis reverentia) cujus quarto capite legimus, Artaxerxis edicto jussos Præfectos, darent operam, ne Hierosolyma a Judæis instauraretur, tanta alacritate rem præstitisse, ut templi extructio ad annum secundum Darii intermitteretur. Gesta hæc esse fatemur; falli vero Esdram, aut mentiri, nec dicimus, nec dictum volumus. *DI meliora piis.* Artaxerxem hunc esse Longimanum, id vero pernegamus. Consuluntor Interpretes, quorum alii Cyrum, alii Cambysen esse putant.

Tertium argumentum. Dan. 9, 27.

XII. Postremum hoc nobis objici potest, pugnare doctrinam nostram cum ipsis Angeli ad Danielem verbis: *Et in dimidio hebdomadis deficiet hostia & sacrificium*; quibus significatur in dimidio septuagesimæ hebdomadis letho datum iri Christum: nos vero, non in dimidium postremæ hujus hebdomadis, quartum videlicet annum, sed in quintum conjicere mortem Christi. Hujus argumenti facilis depulsio est: nam quod vertit Vulgatus Interpres, *Et in dimidio*, Ebraice scriptum est, חצי, a verbo חצה, *divisit, distribuit in duas partes*, sive æquales illæ sint, sive non sint. Sic decimo sexto capite tertii Regum: *Tunc divisus est populus Israel in duas partes*, לחצי. In hac divisione qui accuratam partium æqualitatem quæsiverit, halucinabitur. Inde fit, ut Interpretes quidam, non tempus inter partes duas æquales medium hic significatum velint, sed alteram e dimidiis partibus, qua se circumagente Christus obiturus sit. 3. Reg. 16, 21.

Ad vim refutationis Judæorum secundum ostendimus in Jesu vaticinium ista hoc oraculum.

XIII. Perrogandæ nobis deinceps supersunt Judæorum sententiæ; quod priusquam facere ingrediamur, ut facilior earum confutatio sit, in Domino Jesu eventum habuisse hoc Danielis oraculum probabimus. Ubicunque enim septuaginta putandarum hebdomadum ponas initium, plane eas elapsas esse necesse est. Atqui exactis iis ungi debuit Sanctus sanctorum, nasci Christus, & occidi. Ergo unctum esse Sanctum sanctorum, natum & occisum Christum fatendum est. Hoc deinde occiso dirui debuerunt Templum & Urbs. Atqui hæc diruta sunt. Ergo ille occisus est. Præterea in dimidio postremæ hebdomadis abrogari debuerunt sacrificia & veteris Legis cerimoniæ. Atqui abrogata ea sunt. Ergo postrema hebdomas præteriit. Ad hæc septuaginta hebdomadibus hic præstitutus est finis, ut obliterentur delicta hominum, ut æterna adducatur justitia, & ut compleantur vaticinia Prophetarum. Atqui hæc in Christo nacta esse exitum, partim demonstravimus supra, partim demonstraturi sumus. Ergo venit Christus. Adversus ea nulla valere potest exceptio. Itaque apud Hieronymum sic disserit Africanus: *Nulli dubium, quin de adventu Christi prædictio sit, qui post septuaginta hebdomadas mundo apparuit, post quem consummata sunt delicta, & finem accepit peccatum, & deleta est iniquitas, & annuntiata justitia sempiterna, qua Legis justitiam vincet, & impleta est visio & prophetia.* Primores quidem Rabbinorum ad Christum pertinere hoc Gabrielis oraculum haudquaquam sunt infitiati: non R. Barachias in Beresith Rabba; non R. Moses ben Nachman Hieron. in Dan. 9.

Digitized by Google

Nachman in Danielem; non is R. Samuel, cujus epistolam ad R. Isaac exhibet Dionysius Carthusianus. Verum quo liquidius appareat, recte id eos, atque item Christianos, meritoque sentire, singulas hujus prædicti partes attentius paulo perlustremus.

Dan. 9, 24. *Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, & super Urbem sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur justitia sempiterna, & impleatur visio & prophetia, & ungatur Sanctus sanctorum.* Noxas hominum eluere, eosque redimere, præcipuum fore Christi munus, Prophetæ omnes uno ore cecinerunt, atque id in Jesu completum fuisse, manifesto docebimus infra ex Evangeliis. Præclarum

Isa. 61, 1. & seq. hoc Isaiæ: *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me: ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, & prædicarem captivis indulgentiam, & clausis apertionem, ut prædicarem annum placabilem Domino.* Utrobique prædicitur Unctus, sive Christus, ad id mittendus, ut hominum eluat peccata, & Deum propitiet. Præ-

Zach. 3, 8. 9 clarum & illud Zachariæ: *Ecce enim adducam servum meum Orientem ..... & auferam iniquitatem terræ illius in die una.* Hinc Pe-

Actor. 10, 43. trus in Actis de Jesu: *Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes, qui credunt in eum.* Hinc de eodem Paulus ad

Rom. 3, 24. & seq. Romanos: *Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemtionem quæ est in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiationem per fidem, in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiæ suæ, propter remissionem præcedentium delictorum, in sustentatione Dei, ad ostensionem justitiæ ejus in hoc tempore; ut sit ipse justus, & justificans eum, qui est ex fide Jesu Christi:* & ad

Col. 2, 13. 14 Colossenses: *Et vos, cum mortui essetis in delictis, & præputio carnis vestræ, convivificavit cum illo, donans vobis omnia delicta, delens quod adversus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci.* Plura qui volet, Parallelismum consulat, unde intelligi poterit delicta hominum, quæ Lex vetus detergere non potuerat, ea sanguinem Christi, quantum in ipso erat, eluisse; cujus fructu nemo nisi volens fraudari queat. Valde sane ineptus est R. Selomoh, qui hæc interpretans ait, post Templi ac Urbis cladem, futurum ut peccatis abstineat Judaica gens, jusque & fas colat. Nam cui persuadeat, Judæos, tum cum idolorum cultui dediti essent, & in omnem impietatem profusi, levi brachio a Deo fuisse castigatos, paternamque ipsius benignitatem identidem sensisse, laribus suis, unde ejecti fuerant, restitutos, & hostium, a quibus oppressi fuerant, dominatu exemtos; nunc vero, cum nullius sunt culpæ affines, uti quidem vult Selomoh, justitiamque incorrupto tenore retinent, tot annorum affligi calamitatibus, opprobriis, suppliciis, nulla melioris status ostentata spe? Adde perversos Judæorum mores in Thalmude non semel carpi; & in primo capite Thalmudici libri Joma caussam moræ Messiæ conferri in stupra virginibus oblata Nahardeæ, ubi celebris fuit Judæorum Academia; contra vero affirmare R. Judam in libro Sanhedrin, capite undecimo, quo tempore veniet Messias, infames fore impudicitia & corruptela doctorum Judæorum conventus. Justitiam porro illam sempiternam, quid aliud esse dicamus, quam Christum ipsum, vel individuam Christi comitem justitiam, de qua Jeremias: *In diebus illis, & in tempore illo, germinare faciam David germen justitiæ; faciet judicium & justitiam in terra.* Et Jer. 33, 15.

Malachias: *Et orietur vobis timentibus nomen meum Sol justitiæ.* Mal. 4, 2. Isaias quoque: *Rorate cœli desuper, & nubes pluant justum; aperiatur terra, & germinet Salvatorem, & justitia oriatur simul:* Isa. 45, 8. tum alibi: *Sicut enim terra profert germen suum, & sicut hortus semen suum germinat, sic Dominus Deus germinabit justitiam.* Isa. 61, 11. Sane R. Levi in hujus prædictionis interpretatione pessime versatus, non aliud tamen *Justitiam sempiternam* hic significare quam Messiam fatetur. Ergo Paulus in priore ad Corinthios: *Ex ipso autem vos estis in Christo Jesu, qui factus est nobis sapientia a Deo, & justitia:* 1. Cor. 1, 30. Et in sequenti Epistola: *Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso.* 2. Cor. 5, 21. Quod autem subjicit Gabriel: *Et impleatur visio & prophetia*, hujus duplex præcipue potest esse intellectus: nam vel finem prophetiis Christo nato impositum iri vult, quod confirmat Jesus apud Matthæum: *Omnes enim Prophetæ & Lex usque* Matth. 11, 13

ad

Digitized by Google

ad Johannem prophetaverunt. Quo pertinet
Ebr. 1, 1. 2. & iſtud in Epiſtola ad Ebræos: *Multifariam, multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, noviſſime diebus iſtis locutus eſt nobis in filio.* Atque hoc eventu completum cernimus; cum nulli in hac Judæorum fæce ac colluvie Prophetæ exiſtant, nulla eos Dei aſpiratio proſequatur, nullisque miraculis Dei adverſum ſe favorem agnoſcant. Vel ad Chriſtum ſpectare omnia Prophetarum oracula ſignificat Angelus, quod & de ſe in
Joh. 5, 39. Johanne prædicat Jeſus: *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipſis vitam æternam habere, & illæ ſunt, quæ teſtimonium perhi-*
Matth. 5, 17. *bent de me.* Et apud Matthæum: *Nolite putare quoniam veni ſolvere Legem aut Prophetas; non veni ſolvere, ſed adimplere.* Præ-
Rom. 10, 4. dicat & Paulus in Epiſtola ad Romanos: *Finis enim Legis Chriſtus, ad juſtitiam omni credenti.* Eum denique Sanctum ſanctorum, quem ungendum eſſe vaticinatur Angelus, Meſſiam eſſe, demonſtrat iſtud e Pſalmo
Pſal. 44, 8. quadrageſimo quarto: *Dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem: propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ conſortibus tuis:* quæ in Jeſum conſert Paulus in Epiſtola ad
Ebr. 1, 8. 9. Iſa. 61, 1. Ebræos. Et hoc Iſaiæ: *Spiritus Domini ſuper me, eo quod unxerit Dominus me:* quod de ſe itidem prædictum eſſe Jeſus in Nazarena Synagoga palam profeſſus eſt. Petrus
Luc. 4, 17. & ſeq. Act. 10, 37. 38. in Actis: *Vos ſcitis, quod factum eſt verbum per univerſam Judæam: incipiens enim a Galilæa, poſt baptiſmum, quod prædicavit Johannes, Jeſum a Nazareth, quomodo unxit eum Dominus Spiritu ſancto.* Adſcribitur &
Act. 4, 26. 27. Jeſu in Actis prædictio hæc e Pſalmo ſecundo: *Adſtiterunt reges terræ, & principes convenerunt in unum, adverſus Dominum, & adverſus Chriſtum ejus. Convenerunt enim vere in civitate iſta adverſus ſanctum puerum tuum Jeſum, quem unxiſti, Herodes & Pontius Pilatus:* ubi Sanctus & Unctus, perinde ut apud Danielem, Jeſus nuncupatur. Sic &
Marc. 1, 23. 24. Homo ille Dæmone vexatus apud Marcum: *Quid nobis & tibi, Jeſu Nazarene? veniſti perdere nos? ſcio quis ſis, Sanctus Dei.* Sic &
1. Petr. 1, 14. & ſeq. Petrus in priore Epiſtola: *Secundum eum qui vocavit vos Sanctum, & ipſi in omni converſatione ſancti ſitis: quoniam ſcriptum eſt, Sancti*
1. Joh. 2, 20. *eritis, quoniam ego ſanctus ſum.* Johannes quoque in prima itidem Epiſtola: *Sed vos unctionem habetis a Sancto;* & in Apoca-
lypſi: *Et Angelo Philadelphiæ Eccleſiæ ſcribe,* Apoc. 3, 7. *Hæc dicit Sanctus & Verus, qui habet clavem David.* Plura e Paralleliſmo noſtro peti poterunt. Atqui hoc Danielis oraculum, etſi apertam continet Meſſiæ prædictionem, plus tamen ſuo cum aliis prophetiis conſenſu valuiſſe puto, ad exprimendam ab Ebræis Magiſtris veritatis confeſſionem, quos ſupra docui hoc ad Chriſtum retuliſſe. Pergit Gabriel Angelus: *Scito ergo & animadverte:* Dan. 9, 25. 26. *Ab exitu ſermonis, ut iterum ædificetur Jeruſalem, usque ad Chriſtum ducem, hebdomades ſeptem, & hebdomades ſexaginta duæ erunt: & rurſum ædificabitur platea & muri, in angustia temporum. Et poſt hebdomades ſexaginta duas occidetur Chriſtus, & non erit ejus populus, qui eum negaturus eſt.* Chriſtum illum ducem, Jeſum eſſe probant iſta Matthæi: *Sciſcitabatur ab eis, ubi Chriſtus naſceretur: at illi dixerunt ei, In Bethlehem Judæ: ſic enim ſcriptum eſt per Prophetam, Et tu, Bethlehem, terra Juda, nequaquam minima es in principibus Juda: ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Iſrael.* Propheta ille Michæas eſt, cui concinit Iſaias: *Ecce teſtem* Iſa. 55, 2. *populis dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus.* In nece vero ejus prædicenda Prophetæ conſentiunt. Sic David: *In pulverem* Pſal. 22, 15. & ſeq. *mortis deduxiſti me, quoniam circumdederunt me canes multi, concilium malignantium obſedit me, foderunt manus meas & pedes meos.* Sic Iſaias: *Sicut ovis ad occiſionem ducetur.* Iſa. 53, 7. Sic Zacharias: *Aſpicient ad me quem confixerunt, & plangent cum planctu, quaſi ſuper unigenitum, & dolebunt ſuper eum, ut doleri ſolet in morte primogeniti.* Quæ in Jeſum Dominum convenire, docebit noſter Paralleliſmus, & de ſe Jeſus ipſe apud Emmauntios viatores prædicabat: *Tunc aperuit illis ſenſum,* inquit Lucas, *ut intelligerent Scripturas,* Luc. 24, 45. 46. *& dixit eis: Quoniam ſic ſcriptum eſt, & ſic oportebat Chriſtum pati.* Prædicabat & de eo Philippus apud Eunuchum Candaces reginæ, quem cum proxime memoratam Iſaiæ de Chriſti interitu prædictionem legentem offendiſſet, *Incipiens a Scriptura iſta evangelizavit illi Jeſum.* Quod autem ſubeſt: *Et non erit ejus populus, qui eum negaturus eſt;* aliter Ebraice ſcriptum extat: ולא אין *Et non ei:* ſive potius, *Et non ſibi,* hoc eſt, Et non propter ſe occidetur; quæ poſtrema vox ἀπὸ κοινοῦ *(ex communi)* repetenda eſt. Nempe Act. 8, 30. & ſeq.

hoc

Digitized by Google

hoc ipsum est, quod de eo nuntiaverat Isaias: *Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit ..... Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra; disciplina pacis nostræ super eum, & livore ejus sanati sumus ..... Propter scelera populi mei percussi eum ..... & ipse peccata multorum tulit.* Isa. 13, 4. & seq. Thr. 4, 20. Cui adstipulatur Jeremias in Threnis: *Christus Dominus captus est in peccatis nostris.* Atque id muneris obiisse Jesum Christum, & de se ipse sæpius, & Novi Testamenti Scriptores passim affirmant, ut constabit ex nostro Paralleliſmo. Sic demum prophetiam hanc Angelus absolvit: *Et Civitatem & Sanctuarium dissipabit populus eum duce venturo, & finis ejus vastitas, & post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una, & in dimidio hebdomadis deficiet hostia & sacrificium: & erit in Templo abominatio desolationis, & usque ad consummationem & finem perseverabit desolatio.* Hanc propter interemtum Christum irrogandam Judæis pœnam jam ante præviderat David, cum diceret: *Fiat habitatio eorum deserta, & in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet: quoniam quem tu percussisti persecuti sunt, & super dolorem vulnerum meorum addiderunt.* Psal. 68, 26. 27. Zach. 13, 6. & seq. & 14, 1. & seq. Præviderat item Zacharias, cum diceret: *Et dicetur ei, Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? Et dicet, His plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me ..... Ecce venient dies Domini, & dividentur spolia in medio tui: & congregabo omnes gentes ad Jerusalem in prælium, & capietur civitas, & vastabuntur domus.* Ose. 3, 4. Præviderat, & Osee, cum diceret: *Quia dies multos sedebunt filii Israel sine Rege, & sine Principe.* Atque hæc clarissimis ac repetitis oraculis a Veteris Testamenti Prophetis tanto ante prædicta Jesus ipse Judæis denuntiavit: *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.* Matth. 23, 38. Item de Templo: *Non relinquetur hic lapis super lapidem, qui non destruatur ..... Cum ergo videritis abominationem desolationis, quæ dicta est a Daniele Propheta, stantem in loco sancto; qui legit, intelligat; tunc qui in Judæa sunt, fugiant ad montes.* Matth. 24, 1. & seq. Luc. 19, 41. & seq. Rursus de Hierosolyma: *Venient dies in te, & circumdabunt te, & coangustabunt te undique, & ad terram prosternent te, & filios tuos qui in te sunt, & non relinquent in te lapidem super lapidem, eo quod non cognoveris tempus visitationis tuæ.* Quæ nos item complectemur in Paralleliſmo, ubi & pacti illius, quod confirmatum iri prædicit Gabriel, sequestrum fore Christum Jesum demonstrabimus. Nam quid aliud sibi velle dicas istud Isaiæ: *Dedi te in fœdus populi:* & hoc: *Feriam vobiscum pactum sempiternum, misericordias David fideles: ecce testem populis dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus.* Isa. 42, 6. & 49, 8. & 55, 3. 4. Similia his habent Ezechiel, & Osee, & sæpe Jeremias: potissimum vero cum ait: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & feriam domui Israel, & domui Juda fœdus novum, non secundum pactum, quod pepigi cum patribus eorum ..... pactum quod irritum fecerunt ..... Sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israel post dies illos, dicit Dominus: Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam.* Ezech. 16, 60. 62. Ose. 2, 18. & seq. Jer. 31, 31. & seq. Quam prædictionem per Jesum fuisse perductam ad exitum in Epistola Pauli ad Ebræos accurate declaratum est. Ebr. 8, 6. & seq. Sacrificiorum Judaicorum abrogatio, quæ deinceps ab Angelo prædicta subest, a Davide quoque præcinebatur his verbis: *Sacrificium & oblationem noluisti, aures autem perfecisti mihi. Holocaustum, & pro peccato non postulasti: tunc dixi, Ecce venio.* Psal. 39, 7. & seq. Quæ in Jesu contigisse probat Paulus in Epistola ad Ebræos, & nos in Paralleliſmo probabimus. Quo loco & Oseam de Israele sic dissentem producemus: *Cessare faciam omne gaudium ejus, solemnitatem ejus, neomeniam ejus, sabbathum ejus, & omnia festa tempora ejus.* Ebr. 10, 4. & seq. Ose. 2, 10. & seq. Producemus eumdem monentem Israelitas, futurum ut diu sedeant, non sine Rege solum, & sine Principe; sed & *sine sacrificio, & sine altari, & sine Ephod, & sine Theraphim.* Ose. 3, 4. Producemus & hoc Amosi: *Odi & projeci festivitates vestras, & non capiam odorem cœtuum vestrorum:* & hoc Malachiæ; *Quis est in vobis, qui claudat ostia, & incendat altare meum gratuito? non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra: ab ortu enim Solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda.* Amos 5. 21. Mal. 1, 10. &c. Id significabat Christus Jesus, cum moriens diceret, *Consummatum est*; & cum *Velum Templi scissum est.* Joh. 19, 30. Matth. 27, 51. Ruinas deinde Urbis & Templi numquam instauratum iri prædicit, quod populares suos jam ante monuerat

nuerat Isaias: *Posuisti*, inquit Deum alloquens, *Civitatem in tumultum, urbem fortem in ruinam, domum alienorum, ut non sit civitas, & in sempiternum non ædificetur:* & alibi: *Ideo iratus est furor Domini in populum suum, & extendit manum suam super eum, & percussit eum, & conturbati sunt montes, & facta sunt morticina eorum quasi stercus in medio platearum. In his omnibus non est aversus furor ejus, sed adhuc manus ejus extensa.* Eadem est sententia istorum Jeremiæ: *Hæc dicit Dominus exercituum, Sic conteram populum istum, & Civitatem istam, sicut conteritur vas figuli, quod non potest ultra instaurari.* Id suffragio suo Jesus ipse confirmavit, cum hac denuntiatione Judæos perterrefaceret: *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.* Rei veritatem comprobavit eventus; nam cum ad instaurandum Templum sese comparassent Judæi sub Hadriano & Constantino, ab his quidem fuerunt prohibiti; sed id tertium Juliani Imperatoris nutu attentantes vis divina prodigialiter compressit; nam inceptum opus motu primum terræ deturbatum est, deinde e fundamentis erumpentes flammæ Judæos rei auctores invasere. Christianorum scriptorum temporis illius & proxime sequentis vix ullus rem pressit silentio. Adiri præcipue velim Chrysostomum, cum alibi passim, tum maxime Sermone tertio contra Judæos. Quodque omnem dubitationem tollit, Ammianus Marcellinus, scriptor Ethnicus, minimo vanus, quique sub Juliano stipendia meruit, portentum illud testificatione confirmavit sua. Nec nos ista in Paralleliſmo prætermittemus.

Isa. 25. 2.

Na. 5, 25.

Jer. 19, 11.

Matth. 23, 37.

Ammian. Marc. l. 23.

Refelluntur Judæi; ac ii primum, qui hebdomadas, non annorum, sed decenniorum, vel Jubilæorum, vel centum annorum hic intelligunt:

XIV. Nunc exploremus Judæorum sententias. Horum alii, nec postremi inter illos, nec recentes, vi veritatis convicti, in Messiam oraculum hoc, ut dixi, contulerunt. Scribunt Thalmudistæ Jonathanem, Chaldæum Paraphrasten Prophetarum, cum ad interpretanda Hagiographa se accingeret, monitum fuisse per Bath col, ne faceret: quippe ab iis enim, Daniele nimirum, prædictum esse tempus adventus Messiæ, qui finis est. Alii contra insimulare erroris Danielem fœdissimis ipsi erroribus impliciti per summam impudentiam ausi sunt, cum non alia ad oraculi perspicuitatem præscriptione uti possent. Pari audacia Porphyrius, nullis prolatis rationibus, Librum hunc Antiochi Epiphanis temporibus conscriptum finxit, rerumque gestarum narrationes, non futurarum prædictiones, illic contineri. Quam insaniam suo loco castigavimus. Tolerabiliore alii errore legitimum sententiæ intellectum pervertere conati sunt. Quidam enim, non hic hebdomadas annorum, sed decenniorum, quos Origenes secutus est, vel Jubilæorum, vel centum annorum intelligunt, sed parata eorum est confutatio. Nam Civitatem & Templum excisum iri post septuaginta hebdomadas; sacrificia vero in medio postremæ hebdomadis abolitum iri prædicit Daniel. Atqui multo ante hæc evenerunt, quam forent elapsæ hebdomades decem vel quinquaginta vel centum annorum, undecunque tandem numerandi ducatur exordium: cum alioquin hujusmodi hebdomades nullo Scripturæ sacræ, vel sui Thalmudis testimonio Judæi nobis approbare queant. Puduit hujus commenti Magistros plerosque, & repudiatis his hebdomadibus, cum hebdomades dierum nihilo magis locum hic haberent, in hebdomadibus annorum, quas idoneo Levitici loco niti sciebant, quadringentorum videlicet & nonaginta annorum spatio acquieverunt. Sic Saadias Gaon, & Aben Ezra in Danielem; sic Auctor libri qui Domus Israel inscribitur; sic & Seder Olam.

Orig. Tractat. 29. in Matth.

Levit. 25. 8.

XV. Verum in hebdomadum metandis intervallis, per summam Historiæ & Chronologicæ artis insciti am immaniter lapsi sunt. Narrat enim Hieronymus, Veteres quosdam ex hoc grege, hebdomadum putandarum exordium a primo anno Darii Medi repetere, quo anno oraculum hoc Gabriel effatus est: sexaginta vero duarum hebdomadum finem conjicere in tempora excisi a Tito Templi, auspiciis Vespasiani; unde rursus deductas hebdomades septem in clades ab Hadriano Judæis illatas conferri; postremam vero hebdomadem, seorsum ab Angelo commemoratam, juxta nonnullos ex illis, in Vespasianum & Hadrianum ex æquo distrahi. Verum qui nobis absurdum hoc commentum retulit Hieronymus, idem ejus refellendi argumentum subministravit, ex Chronologia petitum. Certe a primo Darii Medi anno, ad initum ab Hadriano imperium, anni plus septuaginta supra sexcentos

tum qui eorum initium collocant in anno primo Darii Medi, finem in clade Hierosolymis ab Hadriano illata:

Digitized by Google

sexcentos excurrunt. Consultius paulo factum est ab Origene libro decimo Stromatum, & Tertulliano, libro quem adversus Judæos scripsit, cum exordio hebdomadum sumto ab eo tempore, quo prædictionem hanc Danieli Angelus edidit, primo nempe anno Darii Medi, eas in adventu Christi aut morte concludunt. Quanquam & ipsi in magno errore versantur; nam hebdomadum est novem & septuaginta intervallum, inter Darii primum annum, & ortum Christi.

& qui inter utrumque Templi excidium septuaginta hebdomades intercessisse volunt:

XVI. Stolidus quoque Judæis iis error illusit, qui posito hebdomadum initio in prima Templi eversione, finem in secunda constituunt; & per septuaginta annos jacuisse Templum volunt, viginti vero supra quadringentos toto huic adscribunt spatio, quo Templum secundum stetit; ex quibus numeris summam quadringentorum & nonaginta annorum, sive septuaginta hebdomadum colligunt; ut inter Templi utriusque cladem, & quæ per Nabuzardanem primo, & quæ per Titum secundo illata est, spatium illud decurrat. Hanc sententiam tuentur, non R. Selomoh solum, & Saadias Gaon, & Seder olam Rabba, sed ipsum etiam Thalmud in primo capite Avoda Zara. At ejus vitiositatem solerter deprehendit Aben Ezra, & in Saadia castigavit. Et merito quidem: nam si a captis undecimo Sedeciæ anno Hierosolymis, & incenso Templo, ad Vespasiani secundum, quo Hierosolyma & Templum a Tito deleta sunt, numerum ducas, nonaginta quatuor hebdomades annorum exurgent.

quique Christum ducem, Cyrum esse statuunt, aut Jesum Sacerdotem, aut Zorobabelem:

XVII. Cum autem ad singulas vaticinii partes exponendas ventum est, valde æstuant. Nam a sequentibus excerpunt verba hæc Angeli: *Ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Jerusalem, usque ad Christum ducem, hebdomades septem:* & Christum illum R. Saadias & R. Selomoh Cyrum, & R. Levi Jesum Josedeciden, alii Zorobabelem esse putant; contra veterum Ebræorum sententiam, quos refert Hieronymus Messiam hic significatum sensisse. Verum præterquam quod decurtata Angeli verba proferunt, ac postrema sui parte mutila, quæ sic ut jacent repræsentari debuerunt: *Ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Jerusalem usque ad Christum ducem, hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duæ erunt,* (quanquam & hæc a Pagnino disjuncta sunt) perperam priora commatis verba accipiunt, ac si scriptum foret: *Ab exitu sermonis, ut exscindatur Jerusalem.*

Hieron. in Dan. 9.

& qui Christum occidendum censent esse, vel Sacerdotium, vel Templum, vel Agrippam juniorem.

XVIII. De Christo etiam, quem post hebdomades sexaginta duas occisum iri prædicit Angelus, nihilo meliora afferunt Judæi. Sacerdotium interpretantur R. Levi in Danielem, & Saadias Gaon in Sepher Haemunoth; Templum Jachiades. In Agrippam vero juniorem id confert R. Selomoh, quem a Romanis trucidatum fuisse scribit, cum Templum secundum exscinderetur. Magna ineft his opinionibus labes, quod hebdomades ad Hierosolymitanam usque ἅλωσιν *(expugnationem)* proferunt. Alterum quoque vitium acute animadvertit Raymundus Martini, quod neque Sacerdotes, neque Reges, qui post solutam Captivitatem Judæis præfuerunt, Christi, sive uncti fuerunt. Quinque enim rebus Templum primum secundo antecelluisse Judæi docent, quarum duæ fuerunt Oleum unctionis, & Spiritus sanctus, sine quibus nulla esse potest legitima unctio, nec quisquam Christi titulum merito consequi. Cum iis ergo Templum secundum caruerit, qui eo cadente regium & pontificale obtinebant munus, Christi haudquaquam fuerunt. Alio præterea, eoque gravi laborat vitio ea opinio, quæ Agrippam minorem decernit Christum hunc esse, cujus mortem prædixit Angelus. Eum quippe Romanorum partes fuisse secutum, & Hierosolymis, tum cum expugnarentur, abfuisse, belloque huic annos aliquot fuisse superstitem, Josephi & Taciti historiæ demonstrant. At prisci illi Ebræi, quorum sententiam retulit Hieronymus, hæc ad Messiæ mortem pertinere candide, ut dixi, confessi sunt.

Raymund. Mart. Pug. Fid. Part. 2. c. 3. §. 29.

Joseph. de bell. Jud. l. 2. c. 16. & de vita sua. Tac. Hist. l. 5. Hieron. in Dan. 9.

Refellitur privatim Aben Ezra. R. Saad in Dan. 9.

XIX. Privatim refellendus venit Aben Ezra, cum propter insignem hominis apud suos auctoritatem, tum quod suos ipse gentiles, velut melius quidpiam allaturus, refellere instituit. Primum is Saadiam arguit, quod septuaginta annos a primi Templi clade ad secundum Darii interposuerit. Hæc enim sunt verba Saadiæ; ע"ש שנים לגלות בבל משחריב נבוכדנצר בית המקדש עד שנת שתים לדריוש *Septuaginta anni Captivitatis Babylonicæ, jam inde ex quo Nabuchodonosor evertit Templum, usque ad annum secundum Darii:*

Digitized by Google

Hyſtaſpidæ nimirum. Septuaginta annos
Aben Ezra in Dan. 9. intereſſe negat Aben Ezra; quadraginta ſolum & novem annos intereſſe vult. In quo ſuus ipſum calculus fallit: nam juxta computationem Petavii, (quam alii aliter ineunt) ab excidio primi Templi, ad ſolutam per Cyrum Captivitatem, anni intercedunt circiter quinquaginta; indidem vero ab excidio Templi hujus, ad ſecundum annum Darii Hyſtaſpidæ anni excurrunt propemodum ſeptuaginta. Tum ipſe deinde Aben Ezra hebdomadum numerum proficiſci vult, מוצא דבר בתהלה, *Ab exitu ſermonis, in oratione;* nempe ab anno primo Darii Medi, quo Daniel orationem hanc fudit ad Deum, quæ extat nono ipſius capite. Inde computat ſeptem hebdomadas ad profectionem Nehemiæ, quæ in annum Artaxerxis Longimani viceſimum incidit; cum intercedant hebdomades plus quindecim. Ab hoc deinde Artaxerxis anno numerat ſexaginta duas hebdomadas cum dimidia ad ſecundi Templi conflagrationem, cum plus tres ſupra ſeptuaginta intercedant. Inde patet, *Chriſtum ducem*, ex ipſius ſententia, eſſe Nehemiam; ac ſi dixiſſet Angelus id tantum: *Ab exitu ſermonis, ut iterum ædificetur Jeruſalem, usque ad Chriſtum ducem, hebdomades ſeptem:* cum dixerit: *hebdomades ſeptem, & hebdomades ſexaginta duæ erunt.* Secundum denique Chriſtum, quem occidendum eſſe prænuntiat Angelus, regiam poteſtatem denotare putat, quæ inter Judæos cum Templo & Urbe delenda eſſet. In quo multiplex ineſt halucinatio; nam, ut dixi, legitima unctione poſt Templi primi occaſum caruerunt Judæi; propterea que Chriſti haudquaquam fuerunt, qui populum Judæum ſtante Templo ſecundo rexerunt. Deinde nec cum Templo ſecundo regia poteſtas inter Judæos extincta eſt, cum & Agrippa rex cladi huic diu fuerit ſuperſtes, ut cognoſcitur ex Joſephi vita a Joſepho ipſo conſcripta.

CAPUT IX.

Jeſus natus de Virgine.

ISa. 7, 14. *Propter hoc dabit Dominus ipſe vobis ſignum; Ecce Virgo concipiet & pariet Filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel.*

Jerem. 31, 22. *Usque quo deliciis diſſolveris, filia vaga? quia creavit Dominus novum ſuper terram: Femina circumdabit virum.*

Ezech. 44, 2. 3. *Hæc dicit Dominus ad me: Porta hæc clauſa erit; non aperietur, & vir non tranſibit per eam: quoniam Dominus Deus Iſrael ingreſſus eſt per eam, eritque clauſa Principi. Princeps ipſe ſedebit in ea, ut comedat panem coram Domino: per viam portæ veſtibuli ingredietur, & per viam ejus egredietur.*

MAtth. 1, 18. & ſeq. *Chriſti autem generatio ſic erat: cum eſſet deſponſata mater ejus Maria Joſeph, antequam convenirent, inventa eſt in utero habens de Spiritu ſancto. Joſeph autem vir ejus cum eſſet juſtus, & nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam. Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis ei, dicens: Joſeph, fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam; quod enim in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt; pariet autem Filium, & vocabis nomen ejus Jeſum; ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum a peccatis eorum. Hoc autem factum eſt, ut adimpleretur quod dictum eſt a Domino per Prophetam dicentem, Ecce Virgo in utero habebit, & pariet filium, & vocabunt nomen ejus Emmanuel. Et non cognoſcebat eam, donec peperit filium ſuum primogenitum, & vocavit nomen ejus Jeſum.*

Luc. 1, 26. & ſeq. *In menſe autem ſexto miſſus eſt Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem deſponſatam viro, cui nomen erat Joſeph, de domo David, & nomen Virginis Maria..... & ait Angelus ei, Ne timeas, Maria, invenisti enim gratiam apud Deum: Ecce concipies in utero, & paries Filium, & vocabis nomen ejus Jeſum ..... Dixit autem Maria ad Angelum, Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco? Et reſpondens Angelus dixit ei, Spiritus ſanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi: ideoque & quod naſcetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.*

I. *Defenditur teſtimonium ex Iſa. 7, 14.* II. *Diſputatur de ſignificatione dictionis* עלמה. III. *Explicatur teſtimonium e Proverb. 30, 18. 19.* IV. *Virgo illa, cujus conceptum*

conceptum & partum prædicit Isaias 7, 14. non solum ad conceptum usque & partum, sed post utrumque etiam virgo fore prædicitur. V. *Vaticinium illud Isaiæ 7, 14. in Maria matre & Jesu filio completum est.* VI. *Refelluntur argumenta Adversariorum. Primum argumentum.* VII. *Secundum argumentum. Defenditur γνησιότης duorum primorum capitum Lucæ, adversus Marcionem & Johannem Bodinum.*

Defenditur testimonium ex Isa. 7, 14.

I. OStendimus jam supra in Propositione septima, pertinere ad Messiam celeberrimum hoc Isaiæ oraculum: *Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum: Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium; & vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Multa vero illic attulimus ad præsens institutum opportuna, quæ ante repeti jubemus & cognosci, quam progressus fiat ad sequentia, quibus idem hoc oraculum in Jesu demum, qui Maria Virgine natus est, eventu completum esse probaturi sumus. Tribus adversus Prophetiæ hujus veritatem & Christianorum interpretationem exceptionibus uti solent Judæi. Ac primum Ebraicam dictionem hoc loco usurpatam, עלמה, non virginem, sed puellam adolescentulam, sive integram, sive corruptam significare pertendunt. Ajunt præterea, etiamsi concedatur vocabulo עלמה, virginem notari, non inde effici virginem notari, quæ virginitatem in conceptu & partu retinuerit, sed quæ aliarum more puellarum delibata virginitate filium conceperit & enixa sit. Denique ut ea significetur virgo, quæ integritatem in partu & conceptu servaverit, id tamen in Mariam matrem Jesu neutiquam convenire volunt: quo in errore, non Judæi solum, sed Judæorum etiam fraterculi, Carpocrates, Cerinthus, & Ebion, Nazaræi quoque & Helcesæi versati sunt. Nos hæc sigillatim refellemus.

Disputatur de significatione dictionis עלמה

II. Judæi igitur de significatione vocabuli עלמה sic disputant: ea notari puellam quamcunque, sive virum expertam; sive intactam; sive nuptam, sive innuptam. Sic R. David Kimchi in libro Radicum; qui & עלמה nihil differre ait a נערה, qua dictione puella quæcunque, sive integræ virginitatis, sive imminutæ vulgo significatur. Quæ vero virgo sit, eam proprio vocabulo בתולה exprimi contendunt; ita ut עלמה ætatem indicet, בתולה, virginalem corporis integritatem; proinde Interpretes Aquilam, Theodotionem, & Symmachum vertisse νεάνιδα *(juvenculam,)* non παρθένον *(virginem:)* in Cantico etiam Salomonis in eumdem sensum usurpari vocem עלמות, quippe amatoriis rebus virgines adhibere fuisse indecorum; in Proverbiis dictione hac manifesto eam notari, quæ viriles congressus experta sit. Quæ cum ita sint, absurdum fuisse dicunt in prædicenda re tanti momenti, quanti fuit Christum de Virgine matre nasci, quod ad Christiani nominis pertineret decus, ancipiti voce uti Prophetam. Cant. 1, 3. & 6, 7. Prov. 30, 19.

Nos vero dictionem עלמה, ancipitem esse, & in puellam, sive quæ virum passa sit, sive quæ ejus sit expers, congruere præcise negamus; sed ei convenire affirmamus, quæ virginitatem adhibita custodia servaverit, ad eamque custodiendam abstinuerit publico, & intra παρθεώνος *(conclavis virginum)* septa sese continuerit; עלמה enim idem esse ac *Absconditam*, & עלם, quo notatur adolescens, idem ac absconditum a themate עלם; quamobrem vocabulum hoc, quod Rebeccæ tribuitur in Genesi, vertisse Aquilam, *Absconditam*, ut observatum est ab Hieronymo. Magna Veteribus diligentia asservabantur pueri & adolescentes; multo majore etiam virgines, quæ ab omni fere virorum accessu prohibebantur. Mentio fit in libro Esther *domus, in qua electæ virgines servabantur* apud Persas, appositis earum custodiæ Eunuchis. Alexandrum laudat Plutarchus hoc nomine, quod Darii uxorem ac filias ab omni petulantia ita tutas præstiterit; ac si non in hostilibus castris, sed in occulto intra sacros παρθενῶνας *(conclavia virginum)* ab hominum conspectu remotæ fuissent. Judæi quoque concludebant virgines, ut ex secundo Machabaico, & ex tertio apocrypho cognoscitur. Est apud Josephum, Amnonem, Davidis filium, vix Thamaris sororis, quam amabat, fieri compotem potuisse, propter ipsius virginitatem, & διὰ τὴν φυλακὴν, *propter accuratam custodiam*, qua servabatur. Philo περὶ τῶν ἐν ἄδῃ νόμων. Θηλείας δὲ οἰκυρία, καὶ ἔνδον μονή· παρθένοις μὲν ὅσαι κλισιάδων, τὴν μεσαίτατον ὄροφον πεποιημένας· τελείας δὲ ἤδη γύναιξι τὴν ἄυλιον. *Feminis autem convenit custodia domus, & assidua intus mansio: & virginibus quidem intra penetralia, quæ media* Gen. 24, 43. Hieron. in Isa. 7. Esth. 2, 11. 15. Plut. Alex. 2. Mach. 3, 19. 3. Mach. 1, 18. Joseph. l. 7. Antiq. c. 7.

Digitized by Google

casa continentur; mulieribus vero jam maturis, intra reliquam domum. Heliodorus Charicleam in Ægypto cum Nausiclea puella, εἰς τὴν γυναικωνῖτιν χωρεῖσθαι, *in gynæceum seorsum secessisse* ait: & deinde dum hæc Cnemoni nuberet, illam χωρισθεῖσαν μόνην τῶν ἄλλων ἐπὶ τὸ συνηθὲς ἐλθεῖν δωμάτιον, καὶ τὰς θύρας εἰς τὸ ἀσφαλὲς ἐπικλείσασθαι. *Solam ab aliis segregatam in solitum conclave venisse, & fores ad securitatem clausisse;* vecte nempe intus objecto, quem nisi dimoveret ipsa, ostium aperire nemo posset. Elegans est in Achillis Tatii amatoria historia thalami descriptio, Tyri in viri opulenti ædibus constructi, & mulieri cuidam, filiæ, ancillæ, ad habitandum, penumque asservandum concessi. Is in aliquot cellas, seu cubicula distributus erat: ad ea per angustam semitam erat aditus: semitæ ipsius limen porta muniebat, qua quæcunque intra thalamum erant omnia continebantur. Hanc mater cubitum discedens, intus ipsa quidem claudebat, foris vero claudi curabat, sibique per foramen claves tradi. Quæ eo refero, ut appareat, quanta in his oris matrum esset in filiarum tuenda virginitate sollicitudo. Intra munitas etiam turres a Græcis fuisse aliquando conclusas ostendunt Danaes, Herus, & filiarum Lycomedis fabulæ. Ad quarum exemplum Rhodanthen suam in turriculam a Patre conclusam finxit Theodorus Prodromus, unde vix unquam pedem huic licebat efferre, ne lascivis obtutibus virorum objiceretur. Fere autem intra materni thalami claustra cohibebantur. Unde Hesiodus ventorum frigoribus obnoxiam non esse virginem ait:

Hel. Æth. l. 5. & 6.

Ach. Tat. Erot. l. 2.

Theod. Prodr. l. 2. p. 65.

Hesiod. ἔργ'.

ἥτε δόμων ἔντοσθε φίλη παρὰ μητέρι μίμνει,
ὥτε ἔργ' εἰδυῖα πολυχρύσου Ἀφροδίτης.

Quæ intra domum prope coram matrem manet,
Nondum operum aureæ Veneris perita.

Hero puellam scribit Musæus intra turrim, ut dixi, a parentibus inclusam, pudoris & castitatis studio æqualium suarum ac juvenum cœtus & tripudia vitasse. In Oreste pronuntiat Euripides, indecorum esse virginibus, prodire in publicum. In ejusdem Phœnissis, regia puella Antigone, cum exercitum Argivorum de summo tecti fastigio spectare vellet, conclavi non exit sine matris licentia, & senis nutritii, viri gravis ac sapientis, comitatu; qui priusquam virgo prodeat, vicina ipse lustrat loca, ne in curiosi alicujus oculos temere hæc incurrat. Unde Statius:

At parte ex alia tacitos obstante tumultu
Antigone furata gradus (nec casta retardat
Virginitas) volat Ogygii fastigia muri
Exuperare furens.

Non retardante tum puellam virginitate, ut alias semper. Item cum in eodem Euripidis dramate ad Eteoclis & Polynicis dirimendum certamen ea mater uti vellet, seque sequi juberet in medios Thebanorum & Argivorum exercitus, verecunde repugnanti Antigone mater affirmat salvo pudore facere id tum illam posse; quæ & factum deinde ad circumspectantes milites puella modeste excusat. Postea publico abstinere jubet Creon, & in interiora domus secedere, illicque virginis more vivere. Apud eumdem Euripidem in Iphigenia Aulidensi cum Clytemnestram domum repetere juberet Agamemnon, ne puellæ solæ illic & incustoditæ manerent, respondet illa intra virginea septa conclusas diligenter asservari. Phocylides in Præceptis:

παρθενικὴν δὲ φύλασσε πολυκλήϊσι θαλάμοισι,
μήδέ μιν ἄχρι γάμων πρὸ δόμων ὀφθῆναι ἐάσῃς.

Virginem autem custodi intra thalamos diligenter,
Neque eam sinas ante domum videri, quoad nupserit.

Sic conditionem suam queruntur virgines apud Agathiam in Anthologia:

ἡμῖν δ' οὐδὲ φάος λεύσσειν θέμις, ἀλλὰ μελάθροις
κρυπτόμενοι, ζοφέρους φρουτίσι τηκόμενοι.

Anthol. l. 7.

Nobis vero ne lucem quidem licet aspicere:
sed intra domus
Occulimur, atris curis consumtæ.

In Terentii Eunucho, quæ Comœdia palliata est, Thais, quamvis meretrix, Chæreæ habitum eunuchi speciemque gerenti, commendat virginem, edicit ne vir quisquam ad illam adeat, & ne ab ea abscedat ipse imperat, in interiore parte ædium maneat solus cum sola. Apud Dionysium Halicarnasseum Horatius e unus tergeminis fratribus, cum victor Romam rediret, & obviam haberet extra urbem sororem Curiatio desponsam, miratur virginem relicta matre turbæ se commisisse. Virginem Catullus comparat flori

Dion. Hal. l. 3.

Digitized by Google

Catull. Carm. nupt. flori secreto in septis hortis nascenti, tutoque a pecoris aut aratri accessu. Sibylla eadem & virgo dicitur a Virgilio, & intra immanis antri secreta delitescere fingitur, proptereaque *Alma* non semel appellatur, Stat. Theb. l. 1. ἐπιθέτῳ ex re concinne adjuncto. Statius ex Virg. Æn. 7. Virgilio virginem dicit domum & penates servare. Virginem Manilius, *coercitam* appellat. Manil. l. 4. v. 190. Pudorem virginibus non obstare, quo minus in Rufini funere præ gaudio procurrant in publicum, tanquam rem insolitam narrat Claudianus. Eustathius Eroticorum scriptor dentes virginibus comparat, quod labellis obsepti sint & contecti. Apud eumdem viris & feminis ad Jovis templum sacrificandi causa proficiscentibus, sola Ismene virgo in cubiculo relicta est, ὅτι ἐ. προσῆκον παρθένοις ἐνδεῖν ἐναντίον χωρεῖν. *Quod virgines non deceat in virorum conspectum venire.* Atque inde est, quod munera quædam novæ nuptæ dabantur a sponso & cognatis, cum primum videndi sui potestatem faciebat, quæ & ὀπτήρια, & διώρητα, & ἀθρήματα, & ἀναλυπτήρια dicebantur; quod nempe revelata tum facie videndam se præberet, cum antea latuisset in abdito, hominumque visus studiose vitasset. Itaque Phurnutus, sive potius Cornutus, novas nuptas censet νύμφας idcirco dici, quod tum primum prodeant in publicum, cum antea latuissent; ἀπὸ τῆ νῦν πρώτως φαίνεσθαι, κρυπτομένας πρίν. *Quod tum primum prodant, cum antea latuissent.* Inde etiam est, quod apud Romanos e matris gremio rapi ad nuptias virgo simulabatur, quasi ad id tempus in gremio matris abdita fuisset. Tertullianus ipsum non latendi desiderium, minus pudicum esse, nec virginem decere ait; & plures Ecclesias apud Græcos & Barbaros, & in sua etiam Africa virgines abscondere. Et Ambrosius, *Discite virgines, non circumcursare per alienas ædes, non demorari in plateis, non aliquos in publico miscere sermones.* Atque inde est, quod apud Thargumistas meretrix per circuitionem dicitur, Quæ vagatur foras. Sunt & apud Americanos, qui nubiles puellas diligenti muniunt custodia, & intus latere jubeant. Patet ergo intra domorum latebras, & in secretis locis, & a virorum consortio semotis eductas fuisse virgines, proptereaque dictionem hanc עלמה, quæ *Occultam* significat, non cuilibet feminæ, sed ei, quæ occultam coluerit vitam, congruere; quod vitæ genus virgines persequi solebant. Præclare Hieronymus in hunc locum Isaiæ, *Alma, non solum puella vel virgo, sed cum ἀποκρύφου, virgo abscondita dicitur & secreta, quæ nunquam virorum patuerit aspectibus, sed magna parentum diligentia custodita sit?* quod & repetit in Libris contra Jovinianum. Unde sequitur, hoc inter עלמה & בתולה discriminis interesse, quod hoc virginem simpliciter, illud virginem accurata septam custodia significet. *Virginem abditam* appellat Horatius Danaen, utpote intra turrim æneam & robustas fores inclusam. Imo vero, ne vox quidem בתולה, *Virginem* simpliciter, proprie, ac semper sonat; nam apud Joelem manifesto usurpatur ad significandam viduam: unde sequitur solam dictionem עלמה habere Ebræos, qua virginem proprie designent. Probabilis alia afferri potest vocis אלמה notatio, quasi sic dicatur virgo, quod tegendas corporis sui partes nulli patefecerit unquam, sed occultas eas ac diligenter velatas servaverit: ut עלמה perinde sit ac si *tectam, velatam, amictam* dictas. Moses in Levitico incestos affinium & consanguineorum vetans concubitus, σωφρῶς (*servato decoro*) rem sic expressit: *Omnis homo ad proximam sanguinis sui non accedet, ut revelet turpitudinem ejus:* & in Deuteronomio: *Non accipiet homo uxorem patris sui: nec revelabit operimentum ejus:* & postmodum: *Maledictus qui dormit cum uxore patris sui, & revelat operimentum lectuli ejus.* Simili ergo locutionis figura puella, cujus numquam turpitudo vel operimentum revelatum fuisse, hoc est, quæ tecta semper ac velata fuisse dicitur, ea virgo ac עלמה plane intelligenda est. Id etiam nomen virgini ea de causa adscriptum suspicari possumus, quasi *clausam, obseratam, obsignatam* dicas, quod inviolatum virginitatis suæ sigillum, & integra claustra servaverit. Quo spectat istud Salomonis in Cantico: *Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus.* Quamobrem virginem integram Veteres *signatam* dixerunt, ut notat Nonius; quod & Lucilii auctoritate confirmat. Nihilominus tamen fac ambiguum esse vocabuli עלמה intellectum, & ad virgines integras æque ac imminutas referri, priorem certe obtinere hic significationem verba ipsa

Phurn. de nat. Deor. de Nept.

Tertull. de veland. Virgin.

Ambr. l. 2. in Luc.

Hor. Carm. l. 3. Od. 16.

Joel. 1, 8.

Levit. 18, 6.

Deut. 22, 30.

Deut. 27, 20

Cant. 4, 12.

Isaiæ

Iustin. in Tryph. Tertull. adv. Jud. c. 9. Origen. l. 1. contr. Celf. Euseb. l. 7. Dem. Hier. Cyrill. & Proc. in Isa. 7, 14. Basil. de hum. Chr. gen. & in Isa. 7, 14. Jer. 31, 22.

Isaiæ indicant. Conceptum enim virginis, tanquam signum proponit, hoc est velut rem novam, inusitatam, & prodigialem. Quod fuisset secus, si puella post delibatam virginitatem more communi feminarum concepisset. Hoc argumentum, ut oportunum & utile, valide urgent Justinus, Tertullianus, Origenes, Eusebius, Hieronymus, Basilius, Cyrillus, & Procopius. Porro quod ab Isaia *Signum* appellatum est, a Jeremia dictum est *Novum*, seu *Novitas*. *Creavit*, inquit, *Dominus novum super terram: Femina circumdabit virum.* Quibus mirabilem Jesu ortum prædici, ex iis, quæ in Propositione septima diximus, liquidum est. Cum ergo signum hoc loco, inusitatum videlicet quippiam & præter communem naturæ legem promitti intelligerent R. Selomoh Jarchi, & R. David Kimchi, filii ortum hic prædici ajunt, non ex virgine quidem integra, sed ex puella, quæ viro nondum matura esset. Ergo his animadversis Septuaginta Interpretes עלמה nulla circuitione usi verterunt παρθένον, *(virginem)* & Syrus Interpres Novi Testamenti in primo Matthæi capite, בתולא. Virginem etiam Punica lingua, quæ Ebraicæ propago est, *Alma* appellari testificatur Hieronymus in Isaiam; qui & subinde addit, haudquaquam se meminisse vocabulum hoc ad mulierem nuptam significandam unquam fuisse adhibitum, sed ad notandam virgunculam. Idem fuse exaggerat in Traditionibus Ebraicis. *Alma*, inquit, *quod interpretatur Abscondita, id est Virgo nimia diligentia custodita, majoris mihi videtur laudis esse quam Virgo. Virgo quippe, juxta Apostolum, potest esse corpore, & non spiritu. Abscondita vero, quæ virgo est, ἀπόρρητον virginitatis habet, ut & virgo sit, & abscondita: & quæ abscondita est, juxta idioma linguæ Ebraeæ, consequenter & virgo est; quæ autem virgo, non statim sequitur ut abscondita sit.* Atque hæc demum sic concludit: *Ostendant igitur Judæi, in Scripturis alicubi positum Alma, ubi adolescentulam tantum, & non virginem sonet, & concedimus eis illud, quod in Isaia apud nos dicitur: Ecce Virgo concipiet & pariet, non absconditam virginem, sed adolescentulam significare jam nuptam.* Fidem sibi præterea exemplis conciliat Hieronymus, in quibus vox עלמה, ad notandam virginem adhibetur: velut in Geneseos vicesimo quarto capite, Rebecca etiam tum virgo, בתולה, & עלמה, promiscue appellatur. Et in secundo Exodi, Mariæ sorori Mosis, quæ virgo erat, idipsum nomen tribuitur. Nam quod objiciunt quidam, Rebeccam, quæ appellatur עלמה, non fuisse tamen absconditam, utpote quæ aquationis caussa, non thalamo solum materno, non paterna domo, sed urbe etiam exiret; id facili negotio refellitur. Nec enim volumus ita fuisse absconditas virgines, ut extra limen numquam omnino pedem efferrent; sed prodiisse foras, vel sacrorum caussa, vel ubi necessitas aliqua, aut patria consuetudo postularet; custodiam vero noctu maxime fuisse circa illas adhibitam, ut ab omni virorum accessu secluſæ penitus ac tutæ essent. Patet id ex illis Machabaici secundi: *Accinctæque mulieres ciliciis pectus, per plateas confluebant: sed & virgines, quæ concluſæ erant, procurrebant ad Oniam, aliæ autem ad muros, quædam vero per feneſtras aſpiciebant:* & ex istis Machabaici tertii: *Virgines etiam in thalamis cum matribus concluſæ exierunt, & pulvere ac cinere capita conſperſæ fletibus & gemitibus plateas impleverunt.* Hero licet in turre concluſa a parentibus, foras tamen exit festo Veneris die ad sacrificium, seque publice videndam præbet. Achilles Tatius in ea quam commemoravimus thalami descriptione, quo Leucippe caute a matre asservabatur, narrat fores noctu diligenter fuisse clausas, mane vero exoriente aurora easdem fuisse apertas. Quamvis igitur domesticis ministeriis interdiu vacaret Rebecca, juxta patrios mores, haud minus sollicite propterea a parentibus, noctuque præcipue custodiebatur: unde merito עלמה, sive *abscondita* dicta est. Adstipulatur R. David Kimchi in libro Radicum, & huic nomini, quod Rebeccæ adscriptum est, absconsionis significationem inesse docet. Aquila quoque, ut dixi, hoc Geneseos loco vertit, *Absconditam.* Quæ vero ex Salomonis Cantico testimonia proferunt Adversarii, in quibus vocabulum עלמות, puellas jam virum passas notare putant, quippe virgines parum decuisse amatoriis διαιτημοῖς (*colloquiis*) interesse, valde eos sua fallit opinio; innupti enim pueri Sponsum, innuptæ puellæ Sponsam comitabantur ad nuptias; & carminibus, tum κατακοιμητικοῖς (*soporem conciliantibus,*) tum διεγερτικοῖς

Gen. 24. 16. & 43. Exod. 2, 8.

2. Mach. 3. 19.

3. Mach. 1. 18.

Achill. Tat. de amor. Clit. & Leuc. l. 1.

Cant. 1, 3. & 6, 7.

Digitized by Google

διαγερτικοῖς, (*ad excitandum compositis*) prosequebantur. Testis Theocritus in Helenæ Epithalamio, ubi Virgines ante Menelai & Helenæ thalamum tripudiis & cantionibus indulgent. Testis Aristænetus in narratione amorum Acontii & Cydippes. Testis & Catullus in Epithalamio Juliæ & Manlii:

Aristæn. Epist. 10.

Vos item simul integræ
Virgines, quibus advenit
Par dies, agite, in modum
Dicite.

Et in Carmine nuptiali:

Cernitis, innuptæ, juvenes?

Et deinde:

Aspicite, innuptæ secum ut meditata requirant.

Ex Cantico autem Salomonis Ethnicos Epithalamiorum modum formamque sumsisse, docet nos Origenes. Quapropter illas עלמות, virgines fuisse credendum est. Thori quoque expertes illas fuisse ajo, de quibus sic in eodem Cantico Salomon: *Sexaginta sunt Reginæ, & octoginta concubinæ, & adolescentularum* (עלמות) *non est numerus.* Nam quis non videt virgines intelligi, quæ si imminutæ fuissent, vel in reginarum, vel in concubinarum numerum referrentur?

Orig. Hom. 1. in Cant.

Cant. 6. 7.

Explicatur testimonium e Prov. 30, 18. 19.

III. Magna quoque in explicanda hac clausula e Proverbiorum tricesimo capite controversia est: *Tria sunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro, viam aquilæ in cœlo, viam colubri super terram, viam navis in medio mari, & viam viri in adolescentia.* Ebraica habent, בעלמה, *in virgine*, quibus Christum ortum e virgine præsignificasse Salomonem, Christianorum plerique conjectant; integris quippe virginitatis septis ex utero virgineo Christum Jesum prodiisse. Ita intellexerunt Raymundus Martini, & Nicolaus de Lyra, aliique subinde, qui & tria superiora ad Christum referunt; viam aquilæ in cœlo, ad ejus ascensum in cœlum; viam colubri super terram, ad reditum ejus a morte ad vitam, cum saxum ostio monumenti appositum penetravit, nullumque exitus sui reliquit vestigium; viam denique navis in medio mari, ad mirabilem ejus inter homines & mundi tempestates vitam. Adeo ut ortus ejus, vita, reditus a morte ad vitam, & ascensus in cœlum, ordine præposteto hic prædicta sint. Cujus interpretationis auctorem fuisse vetustum quemdam Ebræum

Raymund. Mart. Pug. fid. Part. 3. Dist. 3. c. 7. Lyr. in Prov. 30, 19.

ferunt. Nos simpliciter locum hunc possumus explicare, difficile esse virginis a viro clam imminutæ vestigia deprehendere, si ea caute & studiose occulere studeat; quod non magno negotio fieri notum est, cum & impuras quasdam mulieres operam ad id suam venditare & præstare nimis verum sit. Viam viri in adolescentula, exponunt alii amatorias artes a viris ad virginum devinciendos animos adhiberi solitas. Quorum expositionum quamlibet sectaris, dictio עלמה propositum a nobis retinebit intellectum, & virginem significabit. Nam quod objicere pergunt Judæi, aliam loco huic explicationem postulare subjecta Salomonis verba: *Talis est via mulieris adulteræ, quæ comedit, & tergens os suum dicit, Non sum operata malum;* cum עלמה mulieri corruptæ comparetur, proindeque puellam vitiatam significet, nulla id ratione concludunt, cum עלמה, juxta ipsos, de nuptis æque dicatur & innuptis; atque ita idem secum compararet: aut quod proximum est, scortum concubitus sui celans indicia, cum muliere adultera idem agente; quæ quod eadem sint, vel certe quam proxima, inepta penitus & absurda esset comparatio. Dicendum potius, id sibi voluisse Salomonem, tanta arte virginem oblatum sibi vitium celare, ut vix majore mulier adultera usu perita uti possit. Parum vero auctoritatis est in Aquilæ, Theodotionis, & Symmachi interpretatione, qui עלמה vertunt νεάνιδα (*juvenculam*) Proselyti quippe fuerunt Aquila, Theodotion; Ebionita vero Symmachus; ac iis proinde adhæserunt sectis, quæ virginitatem Mariæ Jesu matri derogarent. Νεᾶνις (*juvencula*) præterea vox anceps est, puellam vel integram vel vitiatam notans: quo vero eam usurpaverint sensu, ambiguum est. His demum opponimus Senes Septuaginta, ac Interpretem Vulgatum, quorum longe potior nobis auctoritas est. Cadunt ergo omnia hæc Judaicæ expositionis fulcimenta.

IV. At aliud præterea Adversariis præcludendum effugium est, quo scilicet se propripiunt, postquam vocabuli עלמה legitima ab eis significatio extorta est. Quamvis enim virginem notari fateantur, uti fassus est auctor veteris Nitzachon, ajunt tamen non ex eo recte concludi virginem illam, de qua futurum prædixit Isaias ut concipiat filium

Virgo illa, cujus conceptum & partum prædicit Isaias 7, 14. non solum ad conceptum usque & partum, sed post utrumque etiam virgo fere prædicitur.

Digitized by Google

filium & pariat, in hoc conceptu & partu haudquaquam imminutum iri, ſed id tantum poſſe colligi, virginem fore ad hunc usque conceptum: ac proinde Iſaiam, cum dixit, *Ecce Virgo concipiet & pariet Filium*, id ſibi voluiſſe, tum concepturam & parituram Virginem, poſtquam virgo eſſe deſierit. Verum ab his quoque quæremus, quod jam ſupra quæſivimus ab aliis, qui עלמה ſignificare volunt puellam, ſive integram, ſive corruptam. Ecquod erit ſignum illud, quod pollicetur Deus, ſi virgo amiſſa virginitate concipiat & pariat, more matrum omnium? Reſpondet Bodinus in peſtifero & exitiali libro nondum edito, & nunquam edendo, quem de abditis rerum ſublimium arcanis inſcripſit, conceptum hunc & partum ſignum quidem fuiſſe, at non prodigium. Quaſi vero vocabulum, אות, quo utitur Propheta, non prodigium quoque ſignificet, atque eo ſenſu in Libris ſacris ſæpe adhibitum reperiatur; quaſi Jeremias rem eamdem prænuntians, חדשה, *Novum* non appellaverit, quod Iſaias אות, *Signum* dixerat. Neque ſane eſt, cur verum hunc Chriſti Jeſu ortum prædicantibus nobis, religionis noſtræ perduelles detrahant fidem, quam de Homeri, Platonis, aliorumque ſimili ortu falſa jactantibus Ethnicis habuerunt. Ex Apolline enim, & Perictione ab omni mortalium complexu integra, natum Platonem ferunt: Remum & Romulum ex Ilia virgine & Marte. Jove ſatos eſſe Alexandrum & Scipionem incredibile viſum non eſt; Aratum Æſculapio. Ariſtodamas ex matris congreſſu cum dracone procreatus, perinde ut Alexander, apud Syconios ferebantur. Cujusmodi concubitum & Nicoteleæ, Ariſtomenis matri, contigiſſe Meſſenii narrabant. Ponticæ cuidam mulierculæ ex Apollinis congreſſu gravidam ſe dicenti multos adhibuiſſe fidem narrat Plutarchus; tum Sileno puero ex ea nato fraudibus ſuis texendæ uti decreviſſe Lyſandrum, virosque inſignes produxiſſe, qui rei confirmabant famam, rumoremque ſpargebant Delphis petitum, Sacerdotes in arcanis habere ſacra quædam oracula, quæ nemini legere fas eſſet, niſi qui patrem haberet Apollinem. Adeo incredibilis non habebatur ortus hujusmodi. Scribit Hieronymus adverſus Jovinianum, creditum Buddam, Gymnoſophiſtarum principem e latere virginis prodiiſſe. Alterum Buddam, Therebinthum prius dictum, commemorat Socrates, qui ortum quoque ſuum ad virginem referebat: prioris Buddæ uſurpato nomine & ortu commentitio. Minerva natum ſe credi volebat Domitianus, ut eſt apud Philoſtratum. Tantam eſſe ſub Æquinoctiali ſoli fertilitatem & temperiem aeris, ut ſine patre & matre homines terra gigni poſſint, Avicenna exiſtimavit, Averroe teſte: atque ſic ortum eſſe Hajum ben Yokdan finxit Ebn Tophail Avicennæ doctrinam ſecutus, in Epiſtola quam edidit Pocokius. Celebrem illum Angelorum vatem Merlinum ſine virili congreſſu procreatum fabulantur. Sunt apud Turcas pueri, quos ἀπάτορας & virginibus tantum prognatos vulgus credit: Animæ filii, *Nephes-ogli* appellantur Turcico idiomate, & miranda facinora edere putantur. Quod parum cum iis conſentit, quæ produnt iidem in Dialogo Muhammedi cum Abdia, tria eſſe ſcilicet, quæ ſine patre nata ſint, Adamum, Abrahami arietem, & Jeſum Chriſtum. Scribit Pomponius Mela Apim Ægyptiorum Deum, qui *bos niger* erat, *certis maculis inſignis, & cauda, linguaque diſſimilis aliorum, raro naſci, nec coitu pecoris (ut ajunt) ſed divinitus & cœleſti igne conceptum.* Adamum ſine patre & matre de luto a Deo confictum, Evam ex Adami coſta procreatam Judæi fatentur. Qui mundum factum putant, quod Græcorum Philoſophorum plerisque placuit, primos homines ſine patre & matre editos fuiſſe, dicant neceſſe eſt: quod minus credibile eſt, quam ex matre tantum, ſine patre Chriſtum Jeſum prodiiſſe, ut optime adverſus Celſum diſputat Origenes. Ex ſexto Geneſeos capite arbitrati ſunt plerique, memoratos illic Gigantes haudquaquam a viris eſſe progenitos. Optime quoque Juſtinus Tryphoni objicit, ſteriles feminas & genitales annos prætergreſſas, Saram, Annam Samuelis matrem, & Elizabetham, Dei beneficio fecundas extitiſſe. Et Judæi ipſi in Midraſch Echa futurum tradunt, ut Redemtor a ſe expectatus ſine patre naſcatur. Idem habet R. Simeon ben Jochai in Geneſin, & R. Moſes Hadarſan in Bereſith Rabbah. Falſus eſt ergo Plutarchus, cum ſcripſit, feminam omnino nullam dictam eſſe ſine viri conſortio infantem peperiſſe.

Plutarch. in Lyſand.

Hier. adv. Jov. l. 1. c. 26.

Soct. l. 1. c. 21.

Phil. de vit. Apoll. l. 7. c. 12.

Averr. Phyſ. l. 8. & Metaph. l. 2.

Pompon. Mel. l. 1. c. 9.

Orig. l. 1. contr. Celſ.

Plutarch. in Præc. conj.

V. Nunc

Digitized by Google

Vaticinium illud Isaiæ 7, 14. in Maria matre, & Jesu filio completum est.

V. Nunc vero nobis incumbit probandum, prædictionem hanc Isaiæ, qua futurum prænuntiatur, ut Virgo concipiat & pariat Filium, integra etiam in conceptu & partu virginitate, in Maria matre & Jesu filio esse completam. Christi enim Jesu Adversarii, tam splendidum ei testimonium ut eriperent, ex adulterio natum prodiderunt. Impii maxime Judæi impuro suo & maledico ore Mariam matrem Jesu, ornatricem fuisse, sive κομμώτριαν, & ἐμπλέκτριαν, hoc est comendis mulierum crinibus operam suam locasse blaterant. Quod artificium quæ exercebant feminæ, quam parum pudicæ essent, ex Nape & Cypassi, quæ in libris Amorum Sulmonensis Poetæ memorantur, satis notum est. Proinde Mariam appellare solent מגדרא, hoc est *Adulteram*; Jesum vero, בן סגדרא, *adulteræ filium*: quod equidem sine indignatione referre non possum. Sic sæpe Thalmud utrumque. Sed & illic quoque, & in Midrasch Coheleth, eum בן פנדירא, *filium Pandiræ*, & ישו פנתריא, *Jesum Pantherinum* nuncupant. Atqui Pantheram illum Mariæ quidem maritum fuisse narrant Verpi in libro Thalmudico Sanhedrin; verum adulterum eam admisisse Pompeditanæ Scholæ Magistri illic asseverant. At in damnoso libro, cui titulus est תולדות ישו; *Generationes Jesu*, Maria Jochanani desponsa, ex Josepho Pandira adultero Jesum dicitur suscepisse. Sic propemodum & Celsus apud Origenem. Nempe familiare progenitorum Jesu cognomentum in ludibrium contumeliamque versum est: nam Jacobum Josephi patrem, Pantherem cognomine appellatum fuisse, tradit Epiphanius in hæresi Antidicomarianitarum. At Johannes Damascenus genealogiam Christi pertexens, Mariam narrat patrem habuisse Joacimum, Barpantheris filium, hujus patrem fuisse Pantherem. Unde fit verisimile, Pantheris cognomentum, a Mariæ, vel quod potius credimus, Josephi parentibus gestum, Josepho quoque ipsi inhæsisse. Nos quod dant accipimus, Jesum Josepho non esse prognatum; adulterii vero crimen sanctissimæ & integerrimæ Virgini impactum facile diluimus. Nam quod adulterum ejus appellant Pantheram, quem alii ipsius maritum fuisse volunt, id calumniam coarguit. Deinde quis credat, tanta patientia fuisse Josephum, ut manifestam criminis ejus, quod legibus Judæorum tam severa animadversione puniebatur, securam vivere promiserit? Quis credat infamem mulierem, inter consanguineos & affines, inter infensos Filio suo Legis peritos, Magistros, Sacerdotes, & Pharisæos tutam fuisse, ita ut de Maria Virgine Evangelistæ prodiderunt? Quis credat Jesum ipsum, tam spurco & damnato genitum concubitu, cujusmodi homines Mamzeri dicebantur, in Ecclesiam Domini fuisse admissum, contra Mosis interdictum? neque id ipsi ab invidis & inimicis, quos complures sua ei virtus pepererat, objectum publice & exprobratum? Nam quod habetur in Tholedoth Jesu, palam id ipsi fuisse objectum, & auctoritate caret, & auctore. Et quod adjicit clanculum irrepsisse in Templum, ex Evangeliis coarguitur. Quis credat Nazarenos municipes Jesu, quibus nemo melius noscere potuerat ipsius parentes, spurcum hunc & probrosum ortum ita esse oblitos, ut fabrum eum, Josephi fabri & Mariæ filium esse, fratresque ejus ac sorores apud se manere palam prædicarent? *Nonne*, inquiunt, *hic est Jesus filius Joseph, cujus nos novimus patrem & matrem?* Quamobrem Nathanaeli dicit Philippus: *Quem scripsit Moyses in Lege & Prophetæ, invenimus Jesum, filium Joseph a Nazareth.* Quid fuit causse duobus illis cæcis, quid Chananææ mulieri, quid populo Hierosolymitano, cur hominem furtivis & illegitimis procreatum amplexibus, Filium Davidis alta voce nuncuparent? Quis credat denique Evangelistas & Apostolos in manifesta re tam præfracte mentiri ausos, (absit dictis impietas) & adversus rei propalam editæ notitiam, superstitibus etiam pervulgati facinoris testibus, mirabilem quemdam Jesu ortum fuisse commentos, & ad Davidem retulisse? Sed & Stadam illam ornatricem, & Pandiram, & Jesum iis progenitum, totumque hoc drama, Christi temporibus longe recentiora esse deprehensum est.

Sanh. c. 7.

Orig. l. 1. contra Cels.

Joh. Dam. de orth. fid. l. 4. c. 15.

Joh. 6, 42.

Joh. 1, 45.

Tantum vero abest, ut adulterino satu conceptum Jesum tempora ipsius mentita sint, ut eum potius Virgine matre natum crediderint. Simon enim, Jesu simius, quique Jesus ipse Christus haberi voluit, ut ei perquam similem se præstaret, non aliam ob caussam virgine natum se ferebat, quam

Digitized by Google

quod id ipsum de Christo Jesu accepisset. De
Matth. 1, 18 Jesu hæc scribit Matthæus : *Cum esset desponsata mater ejus Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto.* De se hæc jactabat Simon, ut
Cl. Recog. l. 2. c. 7. & 14. perhibent Recognitiones Clementis : *Antequam mater mea Rachel conveniret cum eo* (Antonio) *adhuc virgo concepit me.* Domitianum quoque, nisi mea me fallit conjectura, Christi de Virgine nati fama adduxit, ut matrem sibi Minervam virginem asciscceret. Jam enim Romæ pervulgatæ erant res Christianorum, nec ignorare poterat Domitianus, quid de Christi ortu ferretur. Meminerat idem præterea Josephum Mathathiæ filium Vespasiano patri suo accommodasse vaticinium a Jacobo Patriarcha Judæ filio editum : *Non auferetur sceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium* : quod, ut erat rerum Judaicarum parum consultus, hæreditario forsitan jure ad se quoque pertinere posse arbitrabatur, subdole præsertim id ipsi fortasse suadente Josepho. Cum ergo ab Isaia prædictum accepisset, futurum ut de Virgine Messias nasceretur, atque id de Jesu Christiani vulgo dicerent, id sibi decus arrogare conatus est, Minerva se natum fingens. Messiæ quippe dignitatem ipsum affectasse vel id persuadet, quod cum inaudivisset esse in oraculis Davide genus ducturum esse Messiam, potentissimum videlicet regem quemdam, Davidis extinguere reliquias ac de medio tollere tentavit : quod Vespasianum eamdem ob causam hoc ipsum jam ante aggressum esse sciret, seque in id genus inserere non posse intelligeret. Nam quod adducti ad eum nepotes quidam Davidis, Christi Jesu consanguinei, intacti abierunt, id fortunæ suæ tenuitate meriti
Euf. Hist. l. 3. c. 12. 19. 20. sunt : ut apud Eusebium narrat Hegesippus. Nec enim humiles adeo ac viles homines ad regni Christo destinati opes assurgere posse existimavit, quas jam possidere se credebat. Muhammedus ipse, qui pleraque Jesu ornamenta ac dotes detraxit, Mariæ virginiAlc. Sur. 3. & 20. tati pepercit, eamque laudavit in Alcorano, & Jesum Adamo comparavit, qui sine virili congressu in lucem editus est. Non abs re erit priscam huc afferre historiam, quam ex traditione ad sua tempora propaOr. Tract. 20. in Matt. gatam narrant Origenes & Basilius. Fuisse tradunt in Templo locum, quo solis virgi- Basil. de hum. Chr. gener. nibus pateret aditus, exclusis reliquis, quæ thorum virilem fuissent expertæ ; illuc ingressa Maria Virgo jam Jesum enixa cum arceretur, atque ad mulieres ablegaretur, intercessisse Zachariam, quo minus illa loci dignitatem amitteret ; qua re offensos Judæos Zachariam interfeciſſe, vel quod in Templo inter virgines mulierem contra jus fasque consistere pateretur, vel quod feminam jam filio auctam, virginem haberi vellet. Traditioni huic tantum tribuet fidei unusquisque, quantum volet ; eam certe a gravissimis Auctoribus memoriæ proditam prætermittere piguit. Longe etiam minor est apud me traditionis alterius auctoritas, quam refert Suidas, e vetustis, ut ipse ait, Judæo- Suidas in ἰησοῦς. rum commentariis Tiberiade servatis exceptam; Jesum nempe Dominum in Sacerdotum numerum fuisse cooptatum aliquando; cumque ipsius, patris item ac matris nomina in codicem de more essent referenda, matrem ad ea ex ore ipsius cognoscenda accitam, suum quidem ac filii dedisse nomen, patrem vero Deum ipsum indicasse, quippe quæ Filium illibata virginitate, Spiritus sancti afflatu peperisset ; & integritate demum ipsius testibus idoneis, accurataque inquisitione comprobata, non alium patrem, quam Deum vivum codici fuisse adscriptum. Hæc temere admitti nolumus, narrante præsertim Suida, levissimo scriptore : nam Jesus Juda prognatus inter Sacerdotes, qui Levitici generis erant, admitti haudquaquam potuit. Respondet quidam apud Suidam, mistum fuisse genus Josephi patris Jesu : sed frustra ; ait quippe Paulus ea tribu oriundum esse Christum Jesum, *de qua nullus al-* Ebr. 7, 13. 14. *tari præsto fuit : manifestum esse enim, quod ex Juda ortus sit Dominus noster ; in qua tribu nihil de Sacerdotibus Moyses locutus est.* Adde per Leviticas matres in tribum Juda insertas, non eam fieri mistionem generis, ut quis inde procreatus posset Levita censeri. Scitum est enim Ebraici juris, in Pandectis Thalmudicis sæpe traditum, familiam maternam, neque appellari familiam, neque esse, & deficiente mascula prole, superstitibus licet filiabus, genus interire.

VI. At futile est quod objicitur, ex his *Refelluntur argumenta Adversariorum.* verbis Epistolæ ad Galatas : *Misit Deus Filium suum factum ex muliere* γενόμενον ἐκ γυναικός

Primum argumentum. γυναικὸς· Quasi Paulus postremam hanc dictionem eo sensu adhibuerit, quo Virgini opponitur: quemadmodum & in priore ad Corinthios palam adhibuit dicens: μεμίανται ἡ γυνὴ καὶ ἡ παρθένος. At res aliter se habet; nam sexum tantum & naturam denotat ea vox priore loco, ut & alias sæpe, & ad integras vitiatasque feminas ex æquo congruit. *Naturale vocabulum est femina*, inquit Tertullianus, *naturalis vocabuli generale mulier: generalis etiam speciale virgo, vel nupta, vel vidua, vel quot etiam ætatis nomina accedunt.* Quorum hæc sententia est, dictionem *Femina*, hominum & brutorum esse communem; dictionem *Mulier*, generalem esse, & ad virgines, nuptas, & viduas pertinere. Quod probat subinde ex his secundi capitis Geneseos: *Et ædificavit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem, & adduxit eam ad Adam.* Illic enim Eva *mulier* appellatur, Ebraice אשה Græce γυνὴ, priusquam Adamo traderetur. Probat & ex Gabrielis salutatione; nam cum conceptum Mariæ & partum salva virginitate sponderet, ait nihilominus, *Benedicta tu in mulieribus.* Observatum est etiam Grammaticorum filiis, Græcam vocem γυνὴ, ut & Latinam *mulier*, naturam simpliciter nonnunquam significare. Utrumque vocabuli intellectum optime distinxit, ut reliquos taceam, Eustathius; cum alibi, tum præcipue in hunc versum Odysseæ, e Rhapsodia χ.

Tertull. de virg. vel. c. 4.

Gen. 2, 22.

Luc. 1, 28.

δμωῇσι δὲ γυναιξὶ παρευνάζεσθαι βιαίας,
ἣν τε ζώοντος ὑπεμνάασθε γυναῖκα.
Cum mulieribus autem ancillis vi concumbebatis,
Meique viventis ambiebatis mulierem.

γυναῖκας, inquit, ἐνταῦθα δμωὰς, κατὰ τὸ φύσει σημαινόμενον τῆς γυναικὸς, ἤγουν θήλειαν ἄνθρωπον· ἀφῃρῆς δὲ ἐν τῷ, ὑπεμνάασθε γυναῖκα, τὴν ὑπὸ ἀνδρὶ λέγω. *Mulieres ancillas dicit, juxta id quod natura significat Mulier; nempe, homines feminas. Continuo autem subjungens, Ambiebatis mulierem, eam notat, quæ est sub viri potestate.* *Mulierem* vero Plautus vocat in Curculione, quam proxime *virginem* dixerat. Et in Pœnulo sic filias suas virgines Hanno compellat: *Advertite animum, mulieres.* Similia habes in Rudente pluribus locis. Cicero in oratione de prætura urbana Philodami Lampsaceni filiam, quæ cum patre habitabat, propterea, quod virum non haberet, mulierem sæpius appellat. Ulpianus quoque Jurisconsultus libro quadragesimo quarto ad Sabinum ait *Mulieres omnes dici, quæcumque sexus feminini sunt:* & libro primo ad edictum Ædilium Curulium, eam quæ propter corporis vitium mulier fieri non possit, *Mulierem* tamen appellat.

Gal. 4, 4. 1. Cor. 7, 34.

Plaut. Curcul. Act. 2. Sc. 3. v. 64. 69. Plaut. Pœn. Act. 5. Sc. 4. v. 81.

L. Argum. D. de ædilitio edicto.

VII. Nec incastigatam dimittemus Johannis Bodini calumniam, qui in quinto libro de abditis rerum sublimium arcanis, ex Judæi persona, duo priora Lucæ capita, in quibus splendidissimum extat virginitatis Mariæ testimonium, germana ac legitima esse negat; hoc argumento, quod tertii capitis initium operis totius exordium esse videatur; præfixa nimirum notatione temporis, unde ordo sequentis historiæ proficiscitur, quemadmodum ab Auctoribus sacris plerisque scripta sua ordientibus factum est. Fuit ea quidem Marcionis teterrimi Hæretici sententia, multas inesse corruptelas & vitia Evangelio Lucæ, quod unum tamen repudiatis cæteris admittebat. Depravatum id quoque Helvidius credidit. Cum pleraque autem falsitatis suspecta habebat Marcion: tum præcipue priora duo capita, sic tanquam insinceras partes recidebat. Cujus opinionis cum rationes nullas, vel valde infirmas proferret, ut ex ψευδωνύμῳ *(falsum nomen præ se ferente)* Origenis Dialogo contra Marcionistas intelligitur, sola sua temeritate fretum id attentasse apparet. Quam vero dat Bodinus, petitam ex notatione temporis, quæ capiti tertio præfixa est, ficulneam prorsus esse, vel hoc ipsum, quo utitur Auctorum sacrorum exemplum manifeste arguit. Solent enim illi mediis quoque suis scriptionibus temporum notationes inserere. Unde si quis colligat antecedentia esse suppositia, risum movebit. Nec aliter sane constare possunt rerum præteritarum historiæ, nisi descriptæ res temporibus commode dividantur. Quid quod Regum & Paralipomenon libri, nullis præmissis temporum notis, subinde tamen procedente narratione certis distinguuntur temporum cardinibus. Adde tertium caput Lucæ ab his inchoari verbis: ἐν ἔτει δὲ πεντεκαιδεκάτῳ, *(in anno autem decimo quinto)* in quibus particula δὲ, *(autem)* connexum esse indicat cum superioribus. Nam quod regerit Bodinus,

Secundum argumentum. Defenditur γνησιότης duorum primorum capitum Lucæ adversus Marcionem & Johannem Bodinum.

facile ei fuisse, qui duo priora supposuerat capita, & hanc particulam in tertium intrudere, inane est; quippe quam repræsentent vetustissimi codices, & interpretationes antiquæ, si unam Æthiopicam excipias, quæ cum ad Græcum & Syrum exemplar sit expressa, in quibus ea comparet particula, interpretationis id esse vitium fatendum est. Eodem præterea tertio capite virgine matre natum esse Jesum satis ostendit Lucas, cum
Luc. 3, 22. 23. ait: *Descendit Spiritus sanctus corporali specie, sicut columba, in ipsum, & vox de cœlo facta est: Tu es Filius meus dilectus, in te complacui mihi. Et ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur filius Joseph:* quæ declarant Josepho natum eum non esse, nec alium ipsi patrem tribuunt, quam qui clara voce de cœlo missa prolem suam ipsum esse fassus est. Ac mihi quidem cogitanti, quasnam maxime ob causas priora hæc duo capita resecanda esse Hæretici illi censuerint, quos dixi, hæc mihi præter alias veri quoque similis visa est, quemadmodum a Johannis missione & baptismo initium capit Marci Evangelium, nec aliunde inchoandum illud Lucæ absurde eos collegisse. Verum si quis librorum amborum inter se confligat exordia, non leve discri-
Marc. 1, 1. men deprehendet. Marcus quippe τηλαυγὲς πρόσωπον *(splendidam faciem)* operi suo præfixit: *Initium Evangelii Jesu Christi, Filii Dei;* quo totius libri series præmonstratur & præmittitur. Tum postquam de Johannis baptismo paucis disseruit, deque ipsius concionibus, quibus de instante Christi adventu & οἰκονομίᾳ populum commonefaciebat, statim subjicit: *Et factum est in diebus illis, venit* Marc. 1, 9. *Jesus a Nazareth Galilæa, & baptizatus est a Johanne in Jordane.* Quæ recte sane & ordine procedunt. At de Lucæ Evangelio si duo priora capita detraxeris, nihil de Jesu, ad quem tamen unum totum hoc Evangelium pertinet, præfatum Lucam reperies, sed ejus mentionem velut obiter & aliud agentem injecisse. *Factum est autem,* inquit, Luc. 3, 21. *cum baptizaretur omnis populus, & Jesu baptizato & orante apertum est cœlum.* Quæ cum de viro historicæ artis haudquaquam imperito, ut Evangelium hoc & Acta Apostolorum indicant, existimare non liceat, omnino dicendum est, jam ante ipsum Christi Jesu, in primis nempe duobus capitibus, meminisse. Denique vel ex Actorum Apostolorum exordio, quo Theophilum compellat Lucas, judicare possumus, eamdem in Evangelio præmittendi quoque exordii rationem tenuisse. Quod si exordio Evangelii γνησιότης sua constet, constabit utique & sequentibus duobus capitibus.

CAPUT X.

Jesus natus Bethlehemi.

MIch. 4, 8. 9. *Et tu, turris gregis, nebulosa filia Sion usque ad te veniet: & veniet potestas prima, regnum filiæ Jerusalem. Nunc quare mœrore contraberis? numquid rex non est tibi, aut consiliarius tuus periit, quia comprehendit te dolor sicut parturientem?*

Mich. 5, 2. *Et tu Bethlehem Ephrata, parvulus es in millibus Juda: ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel, & egressus ejus ab initio, a diebus æternitatis.*

MAtth. 2, 1. *Cum ergo natus esset Jesus in Bethlehem Juda..... congregans* (Herodes) *omnes Principes Sacerdotum, & scribas populi sciscitabatur ab eis, ubi Christus nasceretur, At illi dixerunt ei, in Bethlehem Juda; sic enim scriptum est per Prophetam: Et tu, Bethlehem terra Juda, nequaquam minima es in principibus Juda: ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel.*

Luc. 2, 4. & seq. *Ascendit autem & Joseph a Galilæa, de civitate Nazareth in Judæam, in civitatem David, quæ vocatur Bethlehem; eo quod esset de domo & familia David, ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore prægnante. Factum est autem, cum esset ibi, impleti sunt dies ut pareret. Et peperit filium suum primogenitum.*

Joh. 7, 40, & seq. *Ex illa ergo turba, cum audissent hos sermones ejus, dicebant, Hic est vere Propheta: alii dicebant, Hic est Christus: quidam autem dicebant, Numquid a Galilæa venit Christus? nonne Scriptum dicit, quia ex semine David, & de Bethlehem castello, ubi erat David, venit Christus?*

I. *Refellantur*

Digitized by Google

I. *Refelluntur argumenta Bodini. Primum argumentum.* II. *Secundum argumentum. Disputatur de censu Quirinii. Proponitur Bezæ opinio.* III. *Proponitur deinde nostra.* IV. *Tertium argumentum.* V. *Quartum argumentum.* VI. *Quintum argumentum.*

Refelluntur argumenta Bodini.

I. QUæ duo Michææ prædicta de Jesu Bethlehemi orituro a nobis allata sunt, ea signare Messiam luculenter in Propositione septima probavimus. Nunc superest ut ostendamus, ipsa hæc in Domino Jesu habuisse exitum, ut Messiam hunc esse efficiamus. Quamvis enim Bethlehemi natum eum esse Evangelistæ prodiderint, testes idonei, ac hujus ætatis scriptores, eorumque hac in parte valere debeat auctoritas ex secundo nostro Axiomate; & *tam distincta fuerit a primordio Judæa gens per tribus, & populos, & familias, & domos*, inquit Tertullianus, *ut nemo facile ignorari de genere potuisset, vel de recentibus Augustianis censibus, adhuc tunc fortasse pendentibus*, ac per ea etiam me silente obteratur Bodini impietas, qui adversus Bethlehemiticum Christi ortum argumenta aliquot attulit, hæc nos tamen sigillatim retundemus.

Tertull. adv. Marc. l. 4. c. 36.

Bodin. de abd. rer. fubl. arc. l. 5.

Primum argumentum.

Primum hoc est, Jesum Nazarethi esse natum; patriamque, hanc, ut pote ignobilem, opprobrio ipsi fuisse; atque hinc Nathanaelem Philippo, Jesum Nazarenum eum esse, quem Moses & Prophetæ prædixerant sibi nuntianti, respondisse: *A Nazareth potest aliquid boni esse?* Jesum quoque ipsum, cum Paulum de cœlo compellaret, seipsum Nazarenum, non Bethlehemitam dixisse. Quibus testimoniis consimilia afferri plura possunt, in quibus non populus solum Judaicus, sed Jesu etiam Discipuli & sequaces, Nazarethum patriam hunc habuisse, atque hinc prodiisse fatentur, ac Nazarenum, & Nazaræum, & Galilæum dicunt; quo postremo nomine Julianus Apostata ipsum contumeliæ causa appellabat. Adde & ad Herodem Galilææ Tetrarcham a Pilato esse remissum, ut hominem Galilææ ditionis. At bene est, quod qui Nazarenum vel appellant ipsi, vel appellatum narrant Scriptores sacri, Bethlehemi natum esse iidem asseverant; unde manifestum est, de Nazarethi nomine ipsi fecisse vocabulum, ad significandum locum, non in quo natus erat, sed quem ejus parentes incolebant, & in quo ipse fuerat eductus. Sic Virgilius Trojanum Cæsarem dixit, quod Troja majores ipsius venissent. Augusto cognomen Thurino fuisse narrat Suetonius, *in memoriam majorum originis*. Idem inter illustres Grammaticos Quintum Cæcilium Epirotam, Tusculi natum refert; cognomine, non a loco ortus, sed a loco originis indito. Florentissimus etiam Homeri Interpres Eustathius, patriam eam esse ait, non in qua quis natus sit, sed in qua educatus. Ejus verba, quoniam ad hanc quæstionem per mihi videntur esse opportuna, referre dignum est: ὁ δὲ πατρίδος ἐστὶν ὁρισμός. πατρὶς γὰρ πόλις τις περὶ ἣν ἐτράφη τις γεννηθάς· ὡς ὅγε μὴ τοιοῦτος, ἀλλ' ἅμα τῷ γεννηθῆναι τῆς πατρίδος ἀποστερηθάς, ἐκδοτός τις ἐγένετο τῆς τοιαύτης πόλεως· γῆ δ' οὐχ ὅπως ἐλάνην ἐυτυχῆ πατρίδα, ὡς τὴν μετὰ ταῦτα θρεψαμένην. *Hæc patriæ definitio: patria enim urbs est quædam, in quæ quis post ortum eductus est. Adeo ut qui talis non sit, sed post ortum patria sit privatus, is urbe hujusmodi exciderit, neque tam eam habeat patriam, ac illam quæ ipsum deinceps aluit.* Præterea Romana lex est, l. 1. D. Ad municipal. & de incol. *Qui ex duobus Campanis parentibus natus est, Campanus est.* Qua ratione & Jesus Nazarenis natus parentibus, Nazarenus dici debuit. Vere igitur Vajicra Rabba, & Bemidbar Rabba Messiæ patriam Aquiloni assignant; rerum vero ab eo gerendarum locum, Austro.

Virg. l. 1. Æneid. Suet. Aug. c. 7. & de ill. Gram. c. 16.

Eustath. in Hom. Od. a.

Joh. 1, 45. 46. Act. 22, 8.

Secundum argumentum. Disputatur de censu Quirinii. Proponitur Bezæ opinio.

II. Alterum hoc objicit Bodinus, censum ab Augusto indictum, & a Cyrenio actum, cum historia Jesu haudquaquam congruere; quippe auctorem esse Dionem, eveniisse id anno, qui mortem Augusti proxime præcessit; atque eo anno Jesum jam annum decimum quartum attigisse. Ad id autem quod opponi potest, duplicem ab Augusto factam descriptionem; postremam eam, quam commemorat Dio; priorem vero per Cyrenium a Luca memoriæ proditam, quæ cum ageretur natus est Christus: ad id, inquam, subjicit Bodinus, rem aliter se habere, quippe hoc tempore Quintilium Varum Syriæ Præsidem fuisse, non Cyrenium, qui multo post Herodis obitum Judææ censum egit; quorum omnium testem citat Josephum. A Bodino hic exagitari Bezam manifestum est, cujus hæc est opinio; Augustum, ut breviarium illud Imperii conficeret, cujus Suetonius & Dio meminerunt, necesse habuisse

Suet. Aug. c. ult. Dio l. 56.

orbis

orbis totius, qua Romanum patebat imperium, descriptionem instituere, citra ullam tributorum exactionem; id autem in Syria factum per Cyrinum, sive Quirinum, illuc ea tantum de caussa cum potestate missum; cum Præses esset, sive Saturninus, sive Varus: post Archelai vero exilium, rursus eodem missum Quirinium ut Archelai confiscaret pecunias, Syrorumque omnium, ac jam Syriæ contributorum Judæorum facultates censeret: posteriorem hunc censum literis a Josepho proditum, priorem a Luca. At ea si admittimus, inane est, quod adversus ea objicit Bodinus, Quintilium Varum Præsidem fuisse, cum prior census actus est, non Quirinum; cum præmonuerit eum Beza, Varo muneris participem ac socium adjunctum fuisse Quirinium, quemadmodum Saturnino collegam datum Volumnium scribit idem Josephus. Quæ verane sint, jam non inquiro: sine examine certe, & confutatione a Bodino haudquaquam debuerunt prætermitti. Verum sic agitur: quod boni est, excerpit; dicit quod mali est, vel quod mali esse putat; cum nihil sit, quin male narrando depravari possit. Profecto in Bezæ sententiam concesserunt viri eruditionis fama nobilissimi, Scaliger, Casaubonus, Drusius, Petavius, Grotius; plurimumque juvari videtur caussa hæc ipsis Lucæ verbis: *Hæc descriptio prima facta est a Præside Syriæ Cyrino:* quasi innuens post primam illam descriptionem a Cyrenio factam, aliam deinde fuisse institutam ab eodem, nempe postquam Archelai pecuniæ in fiscum sunt redactæ, quæ & ab eodem Luca in Actis commemoratur. Nos quoque tantorum virorum sententiæ poteramus adhærere, & Bodini cavillationum securi ad alia pergere: verum quoniam dignus vindice nodus hic est, in eo industriam quoque nostram experiemur.

Joſ. Antiq. l. 18. c. 1.

Joſ. Antiq. l. 16. c. 14.

Act. 5. 37.

Proponitur deinde noſtra.

III. Aliorum igitur acute excogitatis super illo Quirinii censu a Luca memorato interpretationibus compendii caussa prætermissis, nostram præferemus. Censum Romani Imperii ab Augusto ter actum fuisse, testificatur Suetonius. Docent idem nos Ancyranæ tabulæ, quas in Pandectis suis Turcicis Leunclavius, & in Inscriptionibus suis Gruterus repræsentant; atque id insuper; primum censum habitum fuisse Augusto IV. Agrippa II. Coss. qui annus congruit cum Juliano XVIII: secundum, Marcio Censorino & Asinio Gallo Coss. anno nimirum Juliano XXXVIII: tertium, Sexto Pompejo, & Sexto Apulejo Coss. Juliano anno LIX. Ajo secundum hunc censum eum esse, qui cum ageretur, natum Christum Lucas refert. Sciendum enim est, rem fuisse censum diuturnioris operæ, quæque in plurium annorum spatium excurreret. Cum Davidis jussu Ebræos percensuit Joab, decem prope menses in eam rem insumsit; quamvis in censum non venerint Levitæ & Benjamitæ, ut habet Josephus. Hinc existimari potest, quantæ fuerit molis ac temporis Romanum totum Imperium lustrare & censere. Facile ergo crediderim, ab anno XXXVIII. Juliano cœptum hunc censum, ad Christi usque ortum perseverasse. Atqui Q. Sentius Saturninus, vir consularis, Præses in Syriam missus est circa hunc ipsum annum Julianum XXXVIII. Syriamque per quinquennium circiter rexit. Extremis itaque præfecturæ suæ temporibus, eum puto mandatum accepisse de censu habendo per Syriam. Nam prius per Italiam, finitimasque provincias institui censum oportuit, quam in extremis Imperii finibus. Etsi enim res eodem tempore per universas Provincias administrari potuit, quoniam tamen Tabulæ censuales ad Augustum, postquam perfectæ erant, mittebantur, ut Imperii facultates haberet perspectas, vix credibile est, tot rebus simul cognoscendis, & ad examen revocandis animum adhibere potuisse: quod perfacile erat, si res ordine gesta esset. Ex his autem censualibus Tabulis videtur breviarium Imperii Suetonio & Dione memoratum Augustus confecisse. Igitur si meditullio Imperii percensendo tribuamus quadriennium, censum agi cœptum in Syria dicemus eo anno, qui postremus fuit Saturnini. Cum autem res abiret in diem, videtur excessisse magistratu ante absolutum censum, ejusque peragendi curam successori suo P. Quintilio Varo reliquisse. Qui cum instaret operi, tum natus est Jesus Dominus. Præside Quintilio Varo natum esse Jesum, colligi potest ex Josephi Antiquitatum libro decimo septimo, capite septimo; ubi legimus ab aliquo jam tempore Varum præfuisse Syriæ, cum ad patrem Herodem Antipater rediit.

Suet. Aug. c. 27.

Joſ. Antiq. l. 17. c. 10.

Digitized by Google

rediit. Aliquantum etiam interceſſit temporis inter Antipatri reditum, & Herodis obitum. Atqui anno ipſo, quo natus eſt Chriſtus Jeſus, vel proximo certe obiiſſe Herodem, optimorum Chronologorum ſententia eſt. Ergo mihi veri videtur quam proximum, Syriam regente Quintilio Varo Jeſum Chriſtum natum eſſe, atque in cenſum veniſſe a Saturnino inchoatum, cum eum Quintilius Varus abſolveret. Omnes igitur omnino extricaverimus difficultates, ſi apud Lucam pro κυρηνίου legamus κυϊντιλίου, quod facile patitur ſimilitudo nominum & characterum affinitas. Ut ſic recudatur totus ille verſiculus Lucæ: αὕτη ἡ ἀπογραφὴ πρώτη ἐγένετο ἡγεμονεύοντος τῆς συρίας κυϊντιλίου. Prima dicitur illa deſcriptio, quod non antea vocata fuiſſet ad cenſum Judæa. Patet ex Juſtino adverſus Tryphonem: ἀπογραφὴς ἄσης ἐν Ἰουδαίᾳ τότε πρώτης ἐπὶ κυρηνίου, ἀνελήλυθε ἀπὸ ναζαρὲτ. ἔνθα ἦκε, ἐς βηθλεὲμ, ὅθεν ἦν ἀπογράψασθαι. *Cum primus ille cenſus ſub Cyrenio tunc ageretur,* (Joſeph) *Nazaretho, ubi domicilium habebat, Bethlehemum, unde erat oriundus, ut in cenſum referretur.* Jam vero promtus eſt & liquidus Tertulliani intellectus, qui libro quarto adverſus Marcionum ſic diſſerit: *Sed & cenſus conſtat actos ſub Auguſto nunc in Judæam per Sentium Saturninum, apud quos genus ejus inquirere potuiſſent.* Cenſus ait actos per Saturninum, qui eos inchoavit & provexit, ſed magiſtratu abire juſſus opus abſolvendum Quintilio reliquit. Si quis noſtram hanc opinionem cum aliis omnibus hactenus propoſitis contendat, longe ſimpliciorem eſſe, anguſtiisque longe ſeſe expedire facilius, & minus ſibi permittere reperiet. Nam Beza, cujus expoſitionem Scaliger, aliique quos dixi, tanto conſenſu, illaudato ipſius auctore, exceperunt, fingit duos a Quirinio cenſus actos, quod nullius defendi poteſt Auctoris ſuffragio, & a Joſepho fuiſſe prætermiſſum vix credibile eſt. Multo minus etiam probabile eſt, συρίας ἡγεμόνα, *Syriæ Præſidem* appellari, qui cenſitor & τιμητὴς tantum fuit. Atenim temeritatis fortaſſe aliquis nos arceſſet & audaciæ, qui receptam in Evangelio Lucæ lectionem ſollicitemus; quaſi ſacros illos apices refingamus ad libitum, & divina oracula ad arbitrium noſtrum revocemus. A quo tantum certe abſumus, ut ſummam aliis reverentiam a nobis & ab aliis exhiberi velimus. Neque vero quicquam hac in parte putamus eſſe peccatum, cum viros orthodoxos habeamus itidem & heterodoxos, quorum exemplum ſequamur. Præterea in Lucæ Evangelium maximas Marcioniſtarum, priſcorumque Hæreticorum corruptelas incubuiſſe memoriæ ab Epiphanio proditum eſt. Legi velim, quæ in eam rem ſcripta ſunt a Sixto Senenſi & a Mariana. Neque hunc duntaxat, ſed reliquos etiam Teſtamenti utriusque libros mendis fuiſſe obnoxios, cum variantes lectiones, quæ a multis ſunt collectæ, & veterum interpretationes quas obſervare licet, tum & crebræ ſanctorum Patrum, Origenis præſertim, Chryſoſtomi, & Hieronymi teſtificationes nos edocent. Objici id etiam poteſt, probabile non eſſe, cenſum illum ſecundum ab Auguſto inſtitutum, a magiſtratu Romano habitum fuiſſe in Judæa, cujus rex erat Herodes ſummo & optimo jure, & ad cujus pertinebat officium tributa exigere a ſubditis. Reſpondeo beneficiario jure regnum hoc Herodem tenuiſſe, proptereaque certa tributa Romanis pependiſſe, quemadmodum tradit, Appianus. Cenſus autem agebantur, non ad exigenda ſolum tributa, ſed ad cognoſcendas etiam ſingulorum facultates, ætates, familias, artes & officia. Intererat autem Romanorum, perſpectas habere vires Judææ terræ, cujus ſupremum dominium ad ſe pertinebat; & ex qua ſtipendia Pompejus, aliique Romanorum Magiſtratus jam ante perceperant. Venerunt ergo in cenſum Judæi, ſed pro ſua conditione: alius enim fuit eorum cenſus, qui jure Quiritium, alius eorum, qui jure Latii, vel qui jure Italico, vel qui jure Provinciarum, vel qui jure beneficiario cenſebantur. Nec regnorum ſolum & Provinciarum, ſed & urbium etiam diverſa erant jura. Patet id ex Digeſtorum titulo de cenſibus. Suo ergo jure ad cenſum venit Judæa, cum ab Auguſto cenſus eſt inſtitutus; nempe citra indictionem tributi.

Luc. 2, 1.

Epiphan. Hær. 42. c. 11. Sixt. Sen. Bibl. l. 7. Hær. 4. Marian. de edit. vulg. c. 16, 17.

Tert. adv. Marc. l. 4. c. 19.

Appian. Bell. civil. l. 5.

IV. Tertio hoc argumento Evangelii Lucæ veritatem oppugnat Bodinus, quod ad hunc cenſum neutiquam vocati ſint peregrini, aut ſocii, aut vectigales, ſed cives tantum Romani; teſtemque citat Euſebium, qui & civium hoc cenſu deſcriptorum numerum deſignat: Jeſus autem cum non fuerit, Romanus

Tertium argumentum.

Euſeb. Chr. l. 2.

Digitized by Google

Romanus civis, censeri non debuerit. Verum etsi Romanorum civium numerum expressit Eusebius, non inde recte colligitur cives tantum professionem edidisse: nec civium omnium, sed eorum tantummodo, qui arma ferre possent, nomina in publicum edi solebant. Livius de primo censu, quem fecit Servius Tullius: *Millia octoginta civium censa dicuntur. Adjicit scriptor antiquissimus Fabius, eorum qui ferre arma possent, eum fuisse numerum.* Nihilominus tamen in Tabulas censuales reliquorum quoque omnium relata fuere nomina. Unde Justinus, Tertullianus, & Chrysostomus ἀπογραφὰς (*census*) consuli jubent, in quibus Jesu nomen a Quirinio descriptum erat. Porro Provinciarum, itidem ut civium, habebantur census lustrales aliquando, hoc est quibus completis lustrum conderetur, aliquando sine lustro. Extra lustrum missus est ab Augusto in Syriam Quirinius, δικαιοδότης τῷ ἔθνει, καὶ τιμητὴς τῶν ἐθνῶν γενησόμενος· *Qui jus genti redderet, & facultates censeret.* Verba sunt Josephi. Extra lustrum quoque censum a tribus Galliis egit Augustus, cum Narbone conventum ageret; & deinde Germanicus, & Claudius; & Volusius, Africanus, ac Trebellius sub Nerone; & Hadrianus, & Julianus. At census ille in Syria per Saturninum & Varum actus, cum secundi census Augusti pars fuerit, ut dixi, per lustrum actus fuit: tres enim Augusti census, de quibus supra diximus, lustrales fuisse, docet nos Monumentum Ancyranum. Præterea per ordinarios magistratus aliquando census habebantur; velut iste nascente Christo actus fuit per Saturninum & Varum, Syriæ Præsides: item alter ille post Archelai exilium in Syria per Quirinium Præsidem actus. Aliquando vero agebantur per extraordinarios magistratus, census tantum habendi caussa missos. Velut ille, quem commemorat Dio, ab Augusto institutus penultimo vitæ anno, aliis alio ob hanc caussam missis. Viginti viros spectatæ probitatis ad id ab Augusto delectos fuisse scribit Suidas. Hanc curam qui susciepiebant, Censitores, & Peræquatores, & Inspectatores appellantur in Codice. Græci ἐξετασταὶ dicunt: cujusmodi fuerunt Hellenius & Julianus in Cappadociam ad id munus missi, quos scriptis suis celebravit Gregorius Nazianzenus.

Liv. l. 1. c. 44.

Joſ. Antiq. l. 18. c. 1.

Dio. l. 56. Suidas in Ἀπογρ. Tit. 57. de cenſ. & cenſit. & Peræq. & Inſp. God. l. 11. Greg. Naz. Orat. 9. ad Jul. ἐξετασ.

Igitur manifesta est Bodini Semijudæi insciti, qui Christum Jesum censum fuisse negat hoc argumento, quod vectigales, socii, & peregrini minime censi fuerint.

Quartum argumentum.

V. Summæ etiam imperitiæ ac supinitatis illud est, quod objicere pergit Bodinus; nullum unquam fuisse tam acerbum censorem, qui homines censendi caussa loca mutare coegerit; molestiæ futurum id fuisse intolerabilis, & sumtus infiniti; sed illic censum fuisse unumquemque, moribus Romanorum, ubi domicilium habuit: Cæsarem ipsum Dictatorem, cum censum populi haberet, ad singulas domos civium Romæ tunc habitantium adiisse. Respondeo primo censum hunc Julii Cæsaris fuisse extraordinarium, nec more, nec loco solito habitum, ut observat Tranquillus, nec eum censum fuisse lustralem, nec a Cæsare tanquam Censore, sed tanquam Præfecto morum actum; cujusmodi censum & ab Augusto fuisse deinde initum, præter tres eos census supra memoratos; itaque non *censum* a Suetonio, sed *recensum* appellari, quemadmodum & in Epitome Livii. Ajo præterea falsum esse, neminem coactum fuisse censendi caussa loca mutare. Notat Livius, Coss. Valerio Messala, & Livio Salinatore, Campanos ex Senatusconsulto Romæ censeri fuisse coactos, cum incertum fuisset antea ubi censerentur. Notat idem, C. Popilio Lænate, & P. Ælio Ligure Coss. cum lustrum conderent Censores Q. Fulvius Flaccus, A. Postumius Albinus, minorem aliquanto fuisse numerum, *Quia Postumius Consul pro concione edixerat, qui socium Latini nominis, ex edicto C. Claudii Consulis redire in civitates suas debuissent, ne quis eorum Romæ, sed omnes in suis civitatibus censerentur.* Ulpiani libro tertio de censibus verba hæc sunt: *Is vero qui agrum in alia civitate habet, in ea civitate profiteri debet, in qua ager est; agri enim tributum eam civitatem debet levare, in cujus territorio possidetur.* Extat id l. Forma, §. 2. D. De censibus. Habetur quoque lex Impp. Theodosii & Valentiniani, Cod. de naturalibus liberis, quam hic referre operæ pretium est: *Si quis, seu liber ipse, seu curiæ sit nexibus obligatus, & tradendi filios naturales, vel omnes, vel quos, quemve malueris: ejus civitatis curiæ, unde ipse oritur, & in solidum hæredes scribendi ei concedimus facultatem. Quod si cui, non*

Tranq. c. 42. in Jul.

Epit. Liv. l. 15. Liv. l. 36. 37. & l. 42. c. 9.

Digitized by Google

non ex urbe, sed ex vico, vel possessione qualibet oriundo naturales liberi contigerint, eosque velit sub definitione prædicta curiæ splendore honestare, & hæreditatis opibus adjuvare, civitatis adscribendi sunt ordini, sub qua vicus ille ac possessio censetur. His adsonat novella 89. cap. 2. §. 2. *Si quis igitur ex qualibet oriatur civitate, sive curialis, sive etiam liber, hujusmodi sit fortuna, licebit ei suum naturalem offerre filium curiæ illius, unde oritur, civitatis. Si vero nec civis ipse consistat, sed ex villa quadam aut vico sit oriundus, ille a patre offeratur civitati, aut semetipsum offerat, sub qua civitate villa aut vicus tributa persolvit.* Ex his sequitur professionem, legibus Romanis, sequi debuisse locum, unde origo ducebatur. Peculiare etiam id Judæis fuit, qui in tribus, familias, & domos distributi erant. Cum censeri populum jussit David, censum tribus Juda seorsum adnotavit sacer Historicus; quod non fecisset utique, nisi seorsum censa fuissent. Moribus ergo Romanorum & Judæorum conferre se Josephus debuit in tribum suam, quæ Judæ fuit, & in patriam Davidis, patrumque ipsius, unde genus ducebat, quæ Bethlehem fuit.

Quintum argumentum.

VI. Nec minoris tarditatis plenum est ac stuporis postremum Bodini argumentum, quo feminas in censum venisse negat; nedum gravidas, & partui proximas, (cujusmodi fuit Maria Christi Jesu mater, cum censendi causa Bethlehemum venit,) ad tantum iter suscipiendum fuisse coactas. Cui probando Livium citat, quem ait, quotiescunque civium numerum ex censibus describit, hæc fere verba subjicere, *Præter mulieres:* neque vero Mosem aut Davidem, habitis a se censibus, feminas aut pueros annis viginti minores censuisse. Ego vero existimo verba, quæ post descriptionem censuum aliquibus locis adjecit Livius, *Præter orbos, orbasque,* vel *Præter pupillos & viduas,* longe aliter explicanda esse, ac a Bodino explicantur; non enim censu excluſos significant *orbos & orbas,* sed potius in censum eos quoque venisse; etsi numerum non exprimit Livius. Locupletem damus fidejussorem Dionysium Halicarnasseum. Is de census institutione differens, cujus auctor fuit Servius Tullius, singulorum ait relata fuisse in censum nomina, parentum item, liberorum & conjugum. Idem alibi censum a Servio Tullio rege institutum, docet a T. Largio primo Dictatore fuisse instauratum, descriptis singulorum nominibus, uxorumque & liberorum. Liquet id etiam ex Ciceronis libro tertio de legibus: *Censores populi, avitos, soboles, familias, pecuniasque censeto.* Factum id docet Bodinus Romæ, non in Provinciis, proindeque nec in Syria. At os illi occludet Ulpianus, homo Syrus, Tyro oriundus, cujus verba hæc sunt e libro secundo de censibus: *In Syriis a quatuordecim anni masculi, usque ad sexagesimum annum, tributo capitis obligantur.* Id legas l. 3. D. de censibus. De nihilo est, quod subjicit Bodinus, censibus a Mose & Davide actis excluſos fuisse pueros & feminas: nam etiamsi eorum expressa sint duntaxat nomina, qui arma ferre possent, non ex eo colligitur, reliquam multitudinem senum, feminarum, & puerorum in censum non venisse: sæpe enim & Livius, ut monui, eorum tantum describit numerum, qui armis erant idonei, quamvis & alii quoque, cujuscunque tandem ætatis essent vel sexus, censerentur. Præterea Mariam matrem Christi fuisse ἐπίκληρον (*cohæredibus carentem, & hæredem ex asse*) proptereaque Josepho proximo agnato ex lege Mosis nupsisse, a viris eruditis demonstratum est. Quo posito, eam certe ad censum venisse oportuit, alioqui sublatum fuisset nomen patris illius de familia sua, quia non habuit filium; atque ita violata esset lex a Deo sancita, cum Salphaadi filiabus ἐπικλήροις (*hæredibus ex asse, & cohæredibus carentes*) paterna hæreditas adjudicata est. Recte ergo Tertullianus: *Apud Romanos in censu descripta est Maria, ex qua nascitur Christus.*

Dion. Hal. l. 4. & 5. & 9.

CAPUT XI.

De nomine Jesu, quod Servatorem sonat.

ISa. 12, 3. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.*

MAtth. 1, 20. & seq. *Angelus Domini apparuit in somnis ei* (Josepho) *dicens:*

Digitized by Google

Isa. 51, 5. *Prope est Justus meus; egressus est Salvator meus.*

Isa. 62, 1. 11. *Propter Sion non tacebo, & propter Jerusalem non quiescam, donec egrediatur ut splendor Justus ejus, & Salvator ejus ut lampas accendatur..... Ecce Dominus auditum fecit in extremis terræ, Dicite filiæ Sion, Ecce Salvator tuus venit, ecce merces ejus cum eo, & opus ejus coram illo.*

Isa. 63, 8. 9. *Et dixit,* (Dominus) *Verumtamen populus meus est, filii non negantes; & factus est eis Salvator. In omni tribulatione eorum non est tribulatus, & Angelus faciei ejus salvavit eos.*

Habac. 3, 13. juxta Sextam Editionem : ἐξῆλθες τῦ σῶσαι τὸν λαόν σου διὰ Ιησῦν. Χριςόν σου. *Existi ad servandum populum tuum per Jesum Christum tuum.*

Habac. 3, 18. *Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Jesu meo.*

Zach. 9, 9. *Exulta satis, filia Sion; jubila, filia Jerusalem: Ecce rex tuus veniet tibi justus & Salvator.*

Joseph, fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam; quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. Pariet autem Filium, & vocabis nomen ejus Jesum; ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.....Et non cognoscebat eam (Joseph) *donec peperit Filium suum primogenitum, & vocavit nomen ejus Jesum.*

Luc. 1, 30. 31. *Et ait Angelus ei, Ne timeas Maria, invenisti enim gratiam apud Deum. Ecce concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen ejus Jesum.*

Luc. 2, 21. *Et postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer, vocatum est nomen ejus Jesus, quod vocatum est ab Angelo, priusquam in utero conciperetur.*

Jesu nomen in Veteri Testamento præsignificatum esse, & vi mirifica pollere Judæi fatentur. Elias Lev. Thisb. in ישו.

EBraicum Christi nomen est ישוע, unde prisci Judæi & recentiores postremam literam detriverunt, ut superesset ישו, sive quod literam illam pronuntiare difficile sit, sive quod salutare hoc nomen Christo Jesu tribuere verpi illi recusarent. Rem enim dubiam relinquit Elias in Thisbi. Utut est, vulgatum inter illos Christi Jesu nomen est ישו, quod in aliquibus Veteris Testamenti locis ad Christum pertinentibus reperitur; collectis ראשי תיבות, *capitibus dictionum*, per eam Cabalæ artem, quam Rabbini appellant כתב מטריקון, hoc est, *scripturam quæ fit per notas.* Velut in quadragesimo nono capite Geneseos, commate decimo, quod Messiam prædicere satis constat ex iis, quæ superius disseruimus, hæc voces extant: יבא שילה ולו, quarum acrostichis est ישו. Item in Psalmo septuagesimo primo, qui venturi Messiæ vaticinium est, hæc legas commate decimo septimo: יהי שמו ויתברכו quarum dictionum si summa elementa conjunxeris, exurget dictio ישו. Messiam quoque prænuntiat Psalmus nonagesimus quintus, cujus duodecimus versiculus ab his vocibus capit initium : ישלח שורי וכל, quarum sigla dant vocabulum ישו. Quæ quanquam sunt Judaicæ vanitatis plenissima, suis tamen artibus impuri homines revincendi sunt, & suo sibi gladio jugulandi. Quin & serpentium morsus & hausus veneni, nomine Jesu sanatos fuisse Thalmudistæ referunt in libro de sabbatho, capite decimo quarto, & in Avoda Zara, secundo capite.

CAPUT XII.

De nomine Emmanuel, quod significat, Nobiscum Deus.

ISa. 7, 14. *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel.*

MAtth. 1, 20. & seq. *Angelus Domini apparuit in somnis ei* (Josepho) *dicens: Joseph, fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spirito sancto est: pariet autem Filium, & vocabis nomen ejus Jesum; ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum. Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est a Domino per Prophetam dicentem, Ecce Virgo in utero habebit, & pariet Filium, & vocabunt nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum, Nobiscum Deus.*

Joh. 1, 14. *Et verbum caro factum est, & habitavit in nobis.*

Etsi

Digitized by Google

Emmanuelem esse Jesum ex Masoretharum doctrina probatur. Seph. Aem. § 2.

ETsi Judaicarum artium summa inanitas est, quoniam tamen ad oppugnandam Christianorum causſam iis numquam non abutuntur Judæi, retorquenda in auctores ipsorum stoliditas est. Legitur in Sepher Aemana, juxta disciplinarum gentis hujus principia assevicasse Masorethas distinctionem hanc *Emmanuel* עמנואל, respondere huic, ישועה. Unde ab Isaia unum eumdemque esse Emmanuelem illum prænuntiatum, ac Jesum Dominum, si sibi constare & doctrinæ suæ præceptis consentanea loqui velint, fateri omnino necesse habent Masorethæ.

CAPUT XIII.

Magi Jesum adorant, eique munera offerunt.

PSalm. 71, 9. & seq. *Coram illo procident Æthiopes, & inimici ejus terram lingent. Reges Tharsis & insulæ munera offerent; Reges Arabum & Saba dona adducent..... Et vivet, & dabitur ei de auro Arabiæ.*

Isa. 8, 3. 4. *Et dicit Dominus ad me, Voca nomen ejus, Accelera spolia detrahere, Festina prædari; quia antequam sciat puer vocare patrem suum & matrem suam, auferetur fortitudo Damasci, & spolia Samariæ coram rege Assyriorum.*

Isa. 60, 6. *Omnes de Saba venient, aurum & thus deferentes, & laudem Domino annuntiantes.*

MAtth. 2, 1. & seq. *Cum ergo natus esset Jesus in Bethlehem Juda, in diebus Herodis regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Jerosolymam, dicentes, Ubi est, qui natus est Rex Judæorum? ..... Intrantes domum invenerunt puerum cum Maria matre ejus, & procidentes adoraverunt eum, & apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus & myrrham.*

CAPUT XIV.

Jesus fugit in Ægyptum, & post diuturnam moram redit in patriam.

OSe. 11, 1. *Ex Ægypto vocavi filium meum.*

MAtth. 2, 14. & seq. *Qui* (Joseph) *consurgens accepit puerum, & matrem ejus nocte, & secessit in Ægyptum, & erat ibi usque ad obitum Herodis: ut adimpleretur, quod dictum est a Domino per Prophetam dicentem, Ex Ægypto vocavi filium meum..... Defuncto autem Herode, ecce Angelus Domini apparuit in somnis Joseph in Ægypto, dicens, Surge, & accipe puerum & matrem ejus, & vade in terram Israel; defuncti sunt enim, qui quærebant animam pueri. Qui consurgens accepit puerum, matrem ejus, & venit in terram Israel.*

CAPUT XV.

Infantium cædes ab Herode perpetrata.

JErem. 31, 15. *Hæc dicit Dominus: Vox in excelso audita est lamentationis, luctus, & fletus Rachel plorantis filios suos, & nolentis consolari super eis, quia non sunt.*

MAtth. 2, 16. & seq. *Tunc Herodes videns quoniam illusus esset a Magis, iratus est valde, & mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus ejus, a bimatu & infra, secundum tempus, quod exquisierat a Magis. Tunc adimpletum est, quod dictum est per Ieremiam Prophetam dicentem, Vox in Rama audita est, ploratus & ululatus multus; Rachel plorans filios suos, & noluit consolari, quia non sunt.*

Expenditur locus Macrobii de dicto Augusti, cum Herodis filium inter Bethlehemitices infantes occisum audisset.

MEmorabile est, & ad fidem Evangelicæ Historiæ conciliandam peropportunum Augusti dictum de Herodis sævitia in Judæorum infantes, ipsumque adeo ejus filium, quod refertur a Macrobio. *Cum audisset*, inquit, *inter pueros, quos in Syria Herodes rex Iudæorum intra bimatum jussit interfici, filium quoque ejus occisum, ait, Melius esse Herodis porcum esse quam filium.* Filius ille Herodis inter pueros Judæos Bethlehemitas a patre

Macr. Sat. l. 2. c. 4.

Digitized by Google

patre interfectus, ecquis tandem fuerit, vario est ab eruditis disceptatum. Baronius aliique censent, fuisse eum infantem recens natum, jussu patris cum aliis interfectum, ne is foret, ad quem, ex Magorum vaticinio, regnum Judæorum esset perventurum; ejus mentionem fuisse prætermissam a Josepho, quem alias res complures memoria dignas silentio quoque pressisse constat; velut Jobi historiam & Piscinæ ad Probaticam portam, cujus præter Johannem Benjamin quoque meminit in Itinerario. Addere potuit & ipsam hanc infantium cædem a solo Matthæo fuisse relatam, a reliquis Evangelistis tacitam, etsi eam non ignorarent. Hanc opinionem merito refellit Casaubonus. Opinatur Grotius duas historias in unam confudisse Macrobium, alteram de Bethlehemitarum infantium cæde, quam ex libris Christianorum, Christianus fortasse & ipse acceperat; alteram de cæde Antipatri a patre Herode interfecti: cujus opinionis argumenta profert nonnulla. Equidem Antipatrum a Macrobio notari existimo; sic tamen ut non duas in unum confuderit historias, sed unicam historiam, eamque distinctam ac veram narraverit. Nam quod scribit occisum eum fuisse inter pueros Bethlehemitas, non sic intelligendum est, quasi unus fuerit ex his pueris; sed quo tempore trucidati illi sunt, eodem & hunc morte fuisse affectum. Inane ergo est, quod objicit Grotius, Antipatrum jam provectum ætate, quique Bethlehemi non erat, cum interficerentur Bethlehemitici infantes, non satis recte dici inter eos fuisse occisum. Cædes modo Antipatri & infantium eodem circiter tempore, ejusdemque hominis jussu patrata sit, etiamsi magnum inter hos, illumque fuerat discrimen ætatis, nec eodem loco cæsi sint; jure dicetur inter illos fuisse necatus: cum præsertim non intra Bethlehemi oppidi muros laniena hæc grassata sit, sed omnes ejus fines fuerit pervagata, ut habet Evangelista. Addit Grotius Antipatrum quinto ante Herodis mortem die fuisse occisum, παιδοκτονίαν *(cædem infantium)* autem aliquanto ante contigisse, idque intelligi ex eo, quod defuncto Herode in patriam ex Ægypto statim Joseph cum Jesu & Maria redierit. Si tempora recte distinxeris, plana omnia fient. Nam post discessum Magorum, de capessenda in Ægyptum fuga admonitus Joseph ab Angelo, illuc statim profectus est. Secuta est deinde aliquanto post παιδοκτονία *(cædes infantium.)* Hanc excepit Antipatri interitus. Extinctus est quinto post die Herodes ipse. Rumor postmodum confusus ut sit, & indistinctus de cæde infantium & Antipatri dissipatur, venitque ad Augustum; qui re nondum accurate explorata, neque discrimine locorum, aut facinoris modo, caussisve intellectis, memor jam duos ab Herode filios prius interfectos, Alexandrum & Aristobulum, Melius esse dixit Herodis porcum esse, quam filium. Instat Grotius, atque dictum ad Antipatri cædem, non ad παιδοκτονίαν *(cædem infantium)* pertinere, atque inde apparere, prius illud solum ad Augustum esse perlatum, Macrobium vero illuc παιδοκτονίας *(cædis infantium)* mentionem perperam attexuisse. Quid ita se habere non concedimus: nam ut atrocius Augusto visum est, Herodem in provectæ jam ætatis filium, regnique sui successorem testamento designatum, ac suæ jam dignitatis participem sæviisse, quam in ignobile puerorum vulgus, ita illud potius dicto falso, quam istud prosecutus est. Fortasse & de παιδοκτονία *(cæde infantium)* quid sentiret adjecit, sed a Macrobio, vel ab eo unde accepit Macrobius, prætermissum hoc est, cui jocos tantum Augusti referre fuerat propositum. Constet ergo hac in parte sua fides Macrobio, qui illustri testimonio Evangelicam hanc historiam asseruit.

Baron. ad A. 1. c. 50.

Casaub. adv. Baron. Exercit. 2. c. 16. Grot. in Matth. 2. 16.

Matth. 2. 16.

CAPUT XVI.

Jesus habitat Nazarethum, & Nazaræus appellatur.

JUdic. 13, 5. 7. *Concipies & paries filium, non tanget caput novacula; erit enim Nazaræus Dei ab infantia sua & ex matris utero; & ipse incipiet liberare Israel de manu Philistinorum..... Ecce concipies & paries filium, cave ne vinum bibat, nec siceram, nec*

MAtth. 2, 22. 23. *Admonitus* (Joseph) *in somnis, secessit in partes Galilææ, & veniens habitavit in civitate, quæ vocatur Nazareth, ut adimpleretur quod dictum est per Prophetas, Quoniam Nazaræus vocabitur.*

aliquo

Digitized by Google

aliquo vescaris immundo; erit enim puer Nazaraus Dei ab infantia sua, ex utero matris sua, usque ad diem mortis sua.

Isa. 11, 1. juxta Ebraicum exemplar: *Et egredietur virga de radice Jesse, & Nazaraus de radice ejus ascendet.*

Isa. 53, 2. *Et ascendit sicut virgultum, & sicut radix de terra sitienti.*

Luc. 2, 39. & seq. *Et ut perfecerunt* (Joseph & Maria) *omnia secundum legem Domini, reversi sunt in Galilaam, in civitatem suam Nazareth. Puer autem crescebat ..... Et descendit* (Jesus) *cum eis, & venit Nazareth, & erat subditus illis.*

CAPUT XVII.

Johannes Christi præcursor.

Isa. 40, 3. & seq. *Vox clamantis in deserto, Parate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri. Omnis vallis exaltabitur, & omnis mons & collis humiliabitur, & erunt prava in directa, & aspera in vias planas. Et revelabitur gloria Domini, & videbit omnis caro pariter, quod os Domini locutum est.*

Mal. 3, 1. *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam: & statim veniet ad Templum suum Dominator quem vos quæritis, & Angelus Testamenti quem vos vultis.*

Matth. 3, 1. & seq. *In diebus autem illis venit Johannes Baptista prædicans in deserto Judæa, & dicens, Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum. Hic est enim, qui dictus est per Isaiam Prophetam dicentem, Vox clamantis in deserto, Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus.*

Matth. 11, 7. 10. *Cœpit Jesus dicere ad turbas de Johanne ..... Hic est de quo scriptum est, Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.* Et Luc. 7, 27.

Marc. 1, 1. & seq. *Initium Evangelii Jesu Christi, filii Dei: Sicut scriptum est in Isaia Propheta, Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. Vox clamantis in deserto, Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus.*

Luc. 1, 76. *Et tu, puer, Propheta Altissimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini, parare vias ejus.*

CAPUT XVIII.

Spiritus sanctus descendit super Jesum recens baptizatum; cui & testimonium perhibetur a Deo Patre, tunc & cum transfiguratus est.

Isa. 11, 1. & seq. *Et egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet, & requiescet super eum Spiritus Domini.*

Isa. 42, 1. & seq. *Ecce servus meus, suscipiam eum; electus meus, complacuit sibi in illo anima mea: dedi spiritum meum super eum, judicium gentibus proferet. Non clamabit, neque accipiet personam, nec audietur vox ejus foris: calamum quassatum non conteret, & linum fumigans non extinguet: in veritate educet judicium. Non erit tristis, neque turbulentus, donec ponat in terra judicium, & legem ejus insulæ expectabunt.*

Isa. 61, 1. & seq. *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me: ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer con-*

Matth. 3, 16. 17. *Baptizatus autem Jesus confestim ascendit de aqua, & ecce aperti sunt ei cœli; & vidit spiritum Dei descendentem sicut columbam, & venientem super se. Et ecce vox de cœlis dicens, Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Et Marc. 1, 9. & seq. Et Luc. 3, 21. 22.

Matth. 12, 15. & seq. *Jesus autem sciens recessit inde, & secuti sunt eum multi, & curavit eos omnes: & præcepit eis ne manifestum eum facerent. Ut adimpleretur, quod dictum est per Isaiam Prophetam dicentem, Ecce puer meus quem elegi, dilectus meus, in quo bene complacuit anima mea. Ponam Spiritum meum super eum, judicium gentibus nuntiabit. Non contendet, neque clamabit, neque*

tristis

Digitized by Google

tritis corde, & prædicarem captivis indulgentiam, & clausis apertionem, ut prædicarem annum placabilem Domino, & diem ultionis Deo nostro.

audiet aliquis in plateis vocem ejus: arundinem quassatam non confringet, & linum fumigans non extinguet: donec ejiciat ad victoriam judicium: & in nomine ejus gentes sperabunt.

Matth. 17, 5. *Adhuc eo loquente, ecce nubes obumbravit eos. Et ecce vox de nube dicens, Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite.* Et Marc. 9, 6. & Luc. 9, 34. 35.

Joh. 1, 32. & seq. *Et testimonium perhibuit Johannes dicens, quia vidi Spiritum descendentem quasi columbam de cœlo, & mansit super eum. Et ego nesciebam eum: sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit, super quem videris Spiritum descendentem & manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu sancto. Et ego vidi, & testimonium perhibui, quia hic est Filius Dei.*

2. Pet. 1, 17. *Accipiens enim a Deo Patre honorem & gloriam, voce delapsa ad eum hujusmodi a magnifica gloria, Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui; ipsum audite.*

CAPUT XIX.

Jesus unctus a Deo.

Psalm. 2, 2. *Adstiterunt reges terra, & principes convenerunt in unum, adversus Dominum, & adversus Christum ejus.*

Psalm. 44, 8. *Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem: propterea unxit te, Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis.*

Isa. 61, 1. *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me.*

Thren. 4, 20. *Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris: cui diximus, In umbra tua vivemus in gentibus.*

Luc. 4, 17. & seq. *Et traditus est illi liber Isaiæ Prophetæ. Et ut revolvit librum, invenit locum, ubi scriptum erat, Spiritus Domini super me, propter quod unxit me ..... Cœpit autem dicere ad illos, Quia hodie impleta est hæc Scriptura in auribus vestris.*

Act. 2, 36. *Certissime sciat ergo omnis domus Israel, quia & Dominum eum & Christum fecit Deus hunc Jesum, quem vos crucifixistis.*

Act. 4, 26. 27. *Adstiterunt reges terræ, & Principes convenerunt in unum, adversus Dominum, & adversus Christum ejus: convenerunt enim vere in civitate ista adversus sanctum puerum tuum Jesum, quem unxisti, Herodes & Pontius Pilatus.*

Act. 10, 37. 38. *Vos scitis quod factum est verbum per universam Judæam: incipiens enim a Galilæa, post baptismum quod prædicavit Johannes, Jesum a Nazareth, quomodo unxit eum Deus Spiritu sancto & virtute.*

Ebr. 1, 8. 9. *Ad Filium autem, Thronus tuus Deus in seculum seculi, virga æquitatis, virga regni tui: dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem; propterea unxit te, Deus, Deus tuus, oleo exultationis præ participibus tuis.*

CAPUT XX.

Jesus jejunat & esurit.

Psalm. 34, 13. *Humiliabam in jejunio animam meam.*

Psalm. 68, 11. *Et operui in jejunio animam meam.*

Psalm. 108, 24. *Genua mea infirmata sunt a jejunio.*

Matth. 4, 2. *Et cum jejunasset* (Jesus) *quadraginta diebus & quadraginta noctibus, postea esuriit.* Et Luc. 4, 2.

Matth. 21, 18. *Mane autem revertens* (Jesus) *in civitatem esuriit.* Et Marc. 11, 12.

CAPUT XXI.

Jesus Verbum Dei.

Psalm. 106, 10. *Misit Verbum suum, & sanavit eos, & eripuit eos de interitionibus eorum.*

Joh. 1, 14. *Et Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.*

Isa. 55,

Digitized by Google

Is. 55, 10, 11. *Quomodo descendit imber & nix de cœlo, & illuc ultra non revertitur, sed inebriat terram, & infundit eam, & germinare eam facit, & dat semen serenti, & panem comedenti: sic erit Verbum meum, quod egredietur de ore meo, non revertetur ad me vacuum, sed faciet quæcunque volui, & prosperabitur in his, ad quæ misi illud.*

Apoc. 19, 11. 13. *Et vidi cœlum apertum: & ecce equus albus, & qui sedebat super eum vocabatur Fidelis & Verax ..... & vestitus erat veste aspersa sanguine, & vocatur nomen ejus, Verbum Dei.*

Jesum Muhammedani Verbum Dei nominant. Messiam fore Verbum Dei sciscunt Judæi.

CHristum Jesum esse Verbum Dei agnoscunt Muhammedani, adeo ut Verbum Dei, proprium ipsi nomen Alcoranus assignet, quod & a Rabbinis observatum est. Sed & R. Isaac Aramah librum Numerorum explanans hanc clausulam, quam hic e Psalmo centesimo sexto proponimus: *Misit Verbum suum & sanavit eos, & eripuit eos de interitionibus eorum*, non in Messia solum, sed & in Jesu eventum habere satis clare indicat: venisse enim ait ad sanandos omnes, sed non ab omnibus fuisse receptum, verum ab aliquibus tantum, iisque rudioribus & obtusi ingenii viris, piscaturam in mari exercentibus. Quod & probat sequenti Psalmi ejusdem commate: *Qui descendunt mare in navibus, facientes operationem in aquis multis, ipsi viderunt opera Domini, & mirabilia ejus in profundo.* Quæ Christi Jesu Apostolos haudquaquam obscure notant. Plurima afferuntur Thargumistarum loca, quibus יהוה redditur, מימר יהוה, *Verbum Dei.* Scio quid contra afferat Theodoricus Hakspanus, ut ostendat מימר idem significare ac αὐτὸς, quemadmodum & נפש, *Anima*; adeo ut *Verbum meum* & *Anima mea* nil aliud sonent quam, *Ego*: ut in Levitico: *Hæc sunt judicia, atque præcepta & leges, quas dedit Dominus inter se & inter filios Israel.* Pro, *inter se*, Onkelos habet: בין מימריה, *Inter Verbum suum.* Sexcenta hujusmodi proferuntur. Sed alia sunt, in quibus locum habere non potest hæc interpretatio; cujusmodi est istud e Psalmi centesimi noni primo commate: *Dixit Dominus Domino meo*, quod Christum haud dubie respicit, vel ipsis priscis Judæis testibus, ut supra ostendi. Id ita exponit Jonathan: *Dixit Dominus Verbo suo*, למימריה. Ex quo conjicere possumus, in aliis quoque Thargumistarum sententiis vocem מימר, licet ambiguæ sit significationis, & ad Deum simpliciter, vel ad Verbum Dei referri possit, non semper tamen priorem obtinere sensum, quod vult Hakspanus, sed & aliquando secundum.

Hackſp. de uſu libror. Rabbinic. c. 2.

Levit. 26. 46.

Pſalm. 109.

Alcor. Sur. 4. Pſal. 106, 20. 23. 24.

CAPUT XXII.

Jesus Filius Dei.

2. REg. 7, 13. 14. *Ipse ædificabit domum nomini meo, & stabiliam thronum regni ejus usque in sempiternum. Ego ero ei in Patrem, & ipse erit mihi in Filium.*

Psalm. 2, 7. *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te.*

Psalm. 88, 27. 28. *Ipse invocabit me, Pater meus es tu, Deus meus, & susceptor salutis meæ. Et ego primogenitum ponam illum, excelsum præ regibus terræ.*

Psalm. 109, 1. & seq. *Dixit Dominus Domino meo, Sede a dextris meis..... Ex utero ante luciferum genui te.*

Prov. 8, 22. & seq. *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio ..... Nondum erant abyssi, & ego jam concepta eram ..... ante colles ego parturiebar.*

MAtth. 3, 17. & 17, 5. *Et ecce vox de cœlis dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Et Marc. 1, 11. & Luc. 3, 22. & Joh. 1, 34.

Matth. 4, 3. 6. *Et accedens Tentator dixit ei: Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant ..... Si Filius Dei es, mitte te deorsum.* Et Luc. 4, 3. 9.

Matth. 8, 29. *Et ecce clamarunt dicentes: Quid nobis & tibi, Jesu, Fili Dei?* Et Marc. 5, 7. & Luc. 8, 28.

Matth. 10, 32. *Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est: qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & eum coram Patre meo, qui in cœlis est.* Et Luc. 9, 26. & Apoc. 3, 5.

Digitized by Google

Prov. 30, 4. *Quis ascendit in cœlum atque descendit? quis continuit spiritum in manibus suis? quis colligavit aquas quasi in vestimento? quis suscitavit omnes terminos terræ? quod nomen est ejus, & quod nomen filii ejus, si nosti?*

Sap. 2, 1. 12. & seq. *Dixerunt cogitantes apud se non recte ..... Circumveniamus Justum, quoniam inutilis est nobis ..... Promittit se scientiam Dei habere, & Filium Dei se nominat ..... gloriatur Patrem se habere Deum .... Si est verus Filius Dei, suscipiet eum.*

Isa. 45, 8. *Rorate cœli desuper, & nubes pluant Justum; aperiatur terra, & germinet Salvatorem, & justitia oriatur simul: ego Dominus creavi eum.*

Ose. 11, 1. *Ex Ægypto vocavi Filium meum.*

Mich. 5, 2. *Et tu Bethlehem Ephrata, parvulus es in millibus Juda: ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel: & egressus ejus ab initio, a diebus æternitatis.*

Matth. 11, 25. & seq. *In illo tempore respondens Jesus dixit: Confiteor tibi, Pater, Domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis. Ita, Pater, quoniam sic fuit placitum ante te. Omnia mihi tradita sunt a Patre meo: & nemo novit Filium, nisi Pater; neque Patrem quis novit, nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare.* Et Luc. 10, 21. & seq. & Joh. 3, 34. & 13, 3. & 17, 1. 2.

Matth. 12, 50. *Quicunque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse meus frater, & soror, & mater est.*

Matth. 14, 33. *Qui autem in navicula erant, venerunt, & adoraverunt eum dicentes, Vere Filius Dei es.*

Matth. 16, 13. & seq. *Dicit illis Jesus, Vos autem, quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus dixit, Tu es Christus, Filius Dei vivi. Respondens autem Jesus dixit ei, Beatus es, Simon Bar-Jona; quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est.* Et Joh. 6, 69.

Matth. 26, 63. 64. *Jesus autem tacebat, & Princeps Sacerdotum ait ei, Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis, si tu es Christus, Filius Dei, Dicit illi Jesus: Tu dixisti.*

Matth. 27, 39. & seq. *Prætereuntes autem blasphemabant eum .... dicentes .... Si Filius Dei es, descende de cruce ..... Dixit enim quia Filius Dei sum.*

Matth. 27, 54. *Centurio autem, & qui cum eo erant, custodientes Jesum, viso terræ motu, & his quæ fiebant, timuerunt valde, dicentes, Vere Filius Dei erat iste.*

Similia apud reliquos Novi Testamenti Scriptores per se quisque passim reperire potest, quæ brevitatis studio prætermittimus.

Refelluntur Judæi Messiam Filium Dei esse, aut in Veteri Testamento Filium Dei dictum fuisse negantes.

TErtullianus adversus Praxean sic disserit: *Nobis omnes Scripturæ, & veteres Christum Dei, & novæ Filium Dei præfiniunt.* Hæc Judæorum fermentum sapiunt, qui in Veteri Testamento prædictum quidem fatebantur esse Christum, Filium vero Dei futurum præsignificasse ullo modo Vetus Testamentum negabant. Ἰουδαῖος δὲ inquit Origenes, οὐκ ἂν ὁμολογήσειε, ὅτι προφήτης τις ἔρχεται υἱὸν. ὃ γὰρ λέγουσιν, ἐστὶν ὅτι ἥξει ὁ Χριστὸς τοῦ Θεοῦ, καὶ πολλάκις γε ζητοῦσι πρὸς ἡμᾶς ἀσεβέως περὶ υἱοῦ Θεοῦ, ὡς ἀδυνάτου ὄντος τούτου, ἀλλὰ προφητευθέντος. *Judæus vero haudquaquam sane fateatur Prophetam aliquem dixisse venturum Filium Dei. Quod enim dicunt, hoc est, venturum nempe Christum Dei. Et sæpe in disputationibus quærunt statim a nobis de Dei Filio, quasi nullus sit hujusmodi vel a Prophetis prædictus.* Aliter tamen Philoni visum est, qui non semel Verbum Dei, primogenitum ipsius Filium appellat. Atqui proxime ostendimus, Verbum Dei Ebræos Messiam interpretari. Unde sequitur, juxta Ebræos Messiam esse Filium Dei. Adde illustrem hunc locum e Psalmo secundo: *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te:* & alterum illum e Psalmo centesimo nono: *Dixit Dominus Domino meo, Sede a dextris meis:* quibus & Filium Dei esse Messiam, & divinæ naturæ consortem significatur. Sic Apollinem (si sacra licet profanis miscere) ad dextram Jovis sedere canit Callimachus, quod Jovis esset Filius. Itaque cum istis ad dignitatem suam asserendam uteretur Christus, *Nemo poterat ei respondere verbum: neque ausus fuit quisquam ex illa die eum amplius interrogare.* Subdit Psaltes: *Ex utero ante Luciferum genui te:* quod itidem ut superiora

Tertull. adversus Prax. c. 24. Orig. contr. Cels. l. 1.

Psal. 2, 7.

Psal. 109, 1.

Callim. Hymn. in Apoll.

Matth. 22, 46.

Digitized by Google

ſuperiorâ ad Meſſiam Ebræorum doctiſſimi retulerunt, ut in Propoſitione ſeptima declaravimus. Notabilis quoque eſt & ad rem noſtram accommodata priſcorum Judæorum obſervatio, qui ex his ſeptuageſimi primi Pſal. 71, 17. Pſalmi verbis: *Ante Solem permanet nomen ejus*: ubi Ebraica habent, לפני שמש ינון שמו, finxerunt ינון unum eſſe ex Meſſiæ nominibus. Sic Thalmud in libro Sanhedrin, capite ultimo: ſic Bereſith Rabbah R. Moſis Haddarſan: ſic Echa Rabbathi: ſic Midraſch Thehillim: ſic R. Selemoh in Michæam. Atqui ינון fit a radice נין, quæ dictio *filium* ſonat: ut ינון idem ſit ac υἱωθὲς, *in filium aſcitus*. Quamobrem ex ipſorum ſententia Meſſias ante orbem conditum vocabatur ינון, hoc eſt υἱωθὲς. Cujus autem filius eſſe vel dici potuit? non alterius certe quam Dei? Nam quod ſic dictum volunt, quia υἱώσει, (*filios ſuos faciet.*) mortuos, ſive ortum dabit mortuis, ut habet Bereſith Rabbah, fruſtra ſunt, cum ינון ſit in Niphal, & habeat ſignificationem paſſivam, quemadmodum optime docet R. David Kimchi in Michlol. Hæc obſervatio Rabbinica eſt, hoc eſt frigida & inſulſa, verum prætermitti non debuit, ut intelligat Lector; credidiſſe illos Meſſiam fore Filium Dei. Quid quod de Meſſia dictum hoc fatentur Ebræi, quod extat in Pſalmo octogeſimo octavo: *Ipſe invocabit me: Pater meus es tu, Deus meus, & ſuſceptor ſalutis meæ: & ego primogenitum ponam illum excelſum præ regibus terræ:* ut aperte docetur in Veelle Schemoth Rabbah. Cavillantur hic Judæi pro more ſuo, & Meſſiam Dei filium dici cenſent, quod eum ſic amaturus ſit Deus, ut pater filium ſuum amare ſolet; hoc eſt Deum Meſſiæ patrem fore amore, non natura; quemadmodum Iſrael filius Dei primogenitus appellatur; propterea quæ dixiſſe בני אתה, *Filius meus es tu*, non בן לי אתה, *Filius mihi es tu*; quod dixiſſet utique, ſi natura pater fuiſſet. Hæc legas in Midraſch Thehillim. Ergo affectu & amore, non natura, Jacobi filius erat Judas, quem ſic compellabat pater moriens: *Ad prædam, fili mi*, בני, *aſcendiſti*: non, בן לי: amore item filius Davidis Abſalom, quem mortuum deſiderii impatiens pater ſic affabatur: *Abſalom fili mi, fili mi Abſalom*: בני, non, בן לי. Pſal. 89, 27. 28. Gen. 49, 9. 2. Sam. 18, 33.

CAPUT XXIII.

Jeſu Diſcipuli, Filii Dei.

Sap. 5, 3. & ſeq. *Hi ſunt, quos habuimus aliquando in deriſum, & in ſimilitudinem improperii. Nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore: ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei, & inter ſanctos ſors illorum eſt.*

Eccl. 4, 10. & ſeq. *Es judicando eſto pupillis miſericors ut pater, & pro viro matri illorum: & eris tu velut filius Altiſſimi obediens, & miſerebitur tui magis quam mater.*

Iſa. 1, 2. 4. *Audite cœli; & auribus percipe, terra, quoniam Dominus locutus eſt: Filios enutrivi, & exaltavi, ipſi autem ſpreverunt me..... Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, ſemini nequam, filiis ſceleratis.*

Iſa. 63, 16. *Tu enim pater noſter, & Abraham neſcivit nos, & Iſrael ignoravit nos; tu Domine, pater noſter, redemtor noſter, a ſeculo nomen tuum.*

Iſa. 64, 8. *Et nunc, Domine, noſter es tu; nos vero lutum.*

Jer. 3, 19. *Ego autem dixi, Quomodo ponam te in filios, & tribuam tibi terram deſiderabilem,*

Matth. 5, 16. 44. & ſeq. *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum, qui in cœlis eſt.... Orate pro perſequentibus & calumniantibus vos, ut ſitis filii Patris veſtri, qui in cœlis eſt..... Eſtote ergo vos perfecti, ſicut & Pater veſter cœleſtis perfectus eſt.* Et Matth. 6, 1. 4. 6. 14. 15. 18. 26. 32. & 7, 11. & 10, 20. 29. Luc. 11. 13. & 12, 30. 32. Joh. 8, 38.

Matth. 6, 9. *Sic ergo vos orabitis, Pater noſter, qui es in cœlis, ſanctificetur nomen tuum.* Et Marc. 11, 25. 26. Luc. 11, 2. & ſeq.

Matth. 23, 9. *Et patrem nolite vocare vobis ſuper terram; unus eſt enim Pater veſter, qui in cœlis eſt.*

Joh. 1, 12. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus; qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt.*

Joh. 20, 17. *Dicit ei Jeſus... Aſcendo ad Patrem meum & Patrem veſtrum.*

Digitized by Google

bilem, hæreditatem præclaram exercituum gentium? Et dixi, Patrem vocabis me, & post me ingredi non cessabis.

Ose. 1, 10. *Et erit numerus filiorum Israel, quasi arena maris, quæ sine mensura est, & non numerabitur: & erit in loco ubi dicetur eis, Non populus meus vos, dicetur eis, Filii Dei viventis.*

Rom. 1, 7. *Gratia vobis & pax a Deo Patre nostro & Domino Jesu Christo.* Et 1. Cor. 1, 3. & 2. Cor. 1, 2. & Ephes. 1, 2. & Phil. 1, 2. & 4, 20. & Col. 1, 3. & 1. Thess. 1, 3. & 3, 11. 13. & 2. Thess. 1, 1. 2. & 2, 15. & Phil. 3.

Rom. 8, 14. & seq. *Quicunque enim spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei. Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, Pater. Ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei: si autem filii, & hæredes; hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi ..... Nam expectatio creaturæ, revelationem filiorum Dei expectat: vanitati enim creatura subjecta est non volens, sed propter eum, qui subjecit eum in spe: quia & ipsa creatura liberabitur a servitute in libertatem filiorum Dei .... ipsi intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei expectantes, redemtionem corporis nostri ..... Nam quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.*

Rom. 9, 6. 7. 8. 25. 26. *Non enim omnes, qui ex Israel sunt, ii sunt Israelitæ; neque qui semen sunt Abrahæ, omnes filii: sed in Isaac vocabitur tibi semen; id est, non qui filii carnis, hi filii Dei, sed qui sunt filii promissionis, æstimantur in semine ..... Sicut in Osee dicit, Vocabo non plebem meam, plebem meam; & non dilectam, dilectam; & non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam; & erit in loco, ubi dictum est eis, Non plebs mea vos, ibi vocabuntur filii Dei vivi.*

Gal. 3, 26. *Omnes enim filii Dei estis per fidem, quæ est in Christo Jesu.*

Gal. 4, 4. & seq. *At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub Lege, ut eos qui sub Lege erant redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus. Quoniam autem estis filii, misit Deus spiritum Filii sui in corda vestra, clamantem, Abba, Pater. Itaque jam non est servus, sed filius. Quod si filius, & hæres per Deum ..... Nos autem, fratres, secundum Isaac promissionis filii sumus.*

Ephes. 1, 5. *Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum.*

Phil. 2, 15. *Ut sitis sine querela, simplices filii Dei.*

1. Joh. 3, 1. & seq. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur & simus ..... Charissimi, nunc filii Dei sumus ..... omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit; quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est. In hoc manifesti sunt filii Dei, & filii Diaboli.*

1. Joh. 4, 4. 7. *Vos ex Deo estis, filioli ..... Et omnis qui diligit, ex Deo natus est, & cognoscit Deum.*

1. Joh. 5, 1. 4. 18. *Omnis qui credit quoniam Jesus est Christus, ex Deo natus est ..... Quoniam omne quod natum est ex Deo, vincit mundum .... Scimus quoniam omnis, qui natus est ex Deo, non peccat, sed generatio Dei conservat eum.*

CAPUT XXIV.

Jesus primogenitus.

Psalm. 88, 28. *Et ego primogenitum ponam illum, excelsum præ regibus terræ.*

Eccl. 24, 5. *Ego* (Sapientia) *ex ore altissimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam.*

Zach. 11, 10. *Et effundam super domum David, & super habitatores Jerusalem, spiritum gratiæ & precum: & aspicient ad me quem*

Rom. 8, 29. *Nam quos præscivit, & prædestinavit, conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.*

Col. 1, 15. & seq. *Qui* (Jesus) *est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ; quoniam in ipso condita sunt universa in cœlis, & in terra, visibilia & invisibilia, sive Throni, confixe-*

Digitized by Google

confixerunt; & plangent eum planctu, quasi super unigenitum; & dolebunt super eum, ut doleri solet in morte primogeniti.

sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates: omnia per ipsum & in ipso creata sunt; & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant.

Ebr. 1, 6. *Et cum iterum introducit* (Deus) *primogenitum in orbem terræ, dicit, Et adorent eum omnes Angeli ejus.*

Apoc. 1, 4. 5. *Gratia vobis & pax a Jesu Christo, qui est testis fidelis, primogenitus mortuorum.*

CAPUT XXV.

Jesus Deus.

GEn. 19, 24. *Igitur Dominus pluit super Sodomam & Gomorrham sulphur & ignem a Domino de cœlo.*

Psalm. 44, 7. 8. *Sedes tua, Deus, in seculum seculi: virga directionis, virga regni tui. Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem: propterea unxit te, Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.*

Psalm. 109, 1. & seq. *Dixit Dominus Domino meo, Sede a dextris meis . . . . . Ex utero ante luciferum genui te.*

Isa. 7, 14. *Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum: ecce Virgo concipiet, & pariet Filium; & vocabitur nomen ejus Emmanuel.*

Isa. 9, 6. *Parvulus natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum ejus, & vocabitur nomen ejus Admirabilis, consiliarius, Deus fortis, pater futuri seculi, princeps pacis.*

Isa. 25, 6. & seq. *Præcipitabit mortem in sempiternum, & auferet Dominus Deus lacrymam ab omni facie, & opprobrium populi sui auferet de universa terra, quia Dominus locutus est. Et dicet in die illa, Ecce Deus noster iste, expectavimus eum, & salvavit nos; iste Dominus, sustinuimus eum, exultabimus & lætabimur in salutari ejus.*

Isa. 35, 4. & seq. *Deus ipse veniet, & salvabit vos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt: tunc saliet sicut cervus claudus, & aperta erit lingua mutorum.*

Isa. 40, 3. & seq. *Vox clamantis in deserto, Parate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri. . . . . Dic civitatibus Juda, Ecce Deus vester, ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, & brachium ejus dominabitur; ecce merces ejus cum eo, & opus illius coram illo. Sicut pastor gregem suum pascet, in brachio suo congregabit agnos, & in sinu suo levabit, fœtas ipse portabit. Quis mensus est pugillo aquas, & cœlos palmo ponderavit? quis*

MAtth. 3, 3. *Hic est enim* (Johannes) *qui dictus est per Isaiam Prophetam dicentem, Vox clamantis in deserto, parate viam Domini, rectas facite semitas ejus.* Et Marc. 1, 1. & seq. & Luc. 1, 76.

Joh. 1, 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.*

Joh. 5, 18. *Propterea ergo magis quærebant eum Judæi interficere: quia non solum solvebat sabbathum, sed & Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo.*

Joh. 10, 30. & seq. *Ego & Pater unum sumus . . . . . Responderunt ei Judæi . . . . . Tu homo cum sis, facis teipsum Deum. Respondit eis Jesus . . . . . Quem Pater sanctificavit, & misit in mundum, vos dicitis, Quia blasphemas, quia dixi, Filius Dei sum.*

Joh. 14, 1. & seq. *Creditis in Deum, & in me credite . . . . . Si cognovissetis me, & Patrem meum utique cognovissetis, & a modo cognoscetis eum, & vidistis eum. Dicit ei Philippus, Domine, ostende nobis Patrem, & sufficit nobis. Dicit ei Jesus, Tanto tempore vobiscum sum, & non cognovistis me? Philippe, qui videt me, videt & Patrem.*

Joh. 16, 15. *Omnia quæcunque habet Pater, mea sunt.* Et Joh. 17, 10.

Joh. 20, 27. 28. *Dein dicit Thomæ, Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis. Respondit Thomas, & dixit ei, Dominus meus, & Deus meus.*

Act. 20, 28. *Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.*

Rom. 9, 5. *Ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula.*

Digitized by Google

appendit tribus digitis molem terræ, & libravit in pondere montes, & colles in statera? quis adjuvit spiritum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit, & ostendit illi?

Isa. 45, 14. 15. *Hæc dicit Dominus, Labor Ægypti, & negotiatio Æthiopiæ, & Sabaim viri sublimes ad te transibunt, & tui erunt: post te ambulabunt, vincti manibus pergent, & te adorabunt, teque deprecabuntur. Tantum in te est Deus, & non est absque te Deus. Vere tu es Deus absconditus, Deus Israel Salvator.*

Isa. 48, 12. & seq. *Audi me Jacob & Israel quem ego voco: ego ipse, ego primus, & ego novissimus. Manus mea mensa est cœlos, ego vocabo eos, & stabunt simul . . . . . Accedite ad me, & audite hoc: non a principio in abscondito locutus sum: ex tempore antequam fieret, ibi eram: & nunc Dominus Deus misit me, & Spiritus ejus.*

Isa. 51, 16. *Posui verba mea in ore tuo, & in umbra manus meæ protexi te, ut plantes cœlos, & fundes terram, & dicas ad Sion, Populus meus es tu.*

Jerem. 23, 5. 6. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & suscitabo David germen justum, & regnabit rex, & sapiens erit, & faciet judicium & justitiam in terra. In diebus illis salvabitur Juda, & Israel habitabit confitenter: & hoc est nomen quod vocabunt eum Dominus justus noster.* Et Jerem. 33, 1. 16.

Baruch. 3, 36. & seq. *Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius adversus eum. Hic adinvenit omnem viam disciplinæ, & tradidit illam Jacob puero suo, & Israel dilecto suo. Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conversatus.*

Habac. 3, 38. *Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Jesu meo.*

Zach. 2, 8. & seq. *Hæc dicit Dominus exercituum, Post gloriam misit me ad gentes, quæ spoliaverunt vos: qui enim tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei: quia ecce ego levo manum meam super eos, & erunt prædæ his, qui serviebant sibi; & cognoscetis quia Dominus exercituum misit me. Lauda & lætare filia Sion; quia ecce ego venio, & habitabo in medio tui, ait Dominus. Et applicabuntur gentes multæ ad Dominum in die illa, & erunt mihi in populum, & habitabo in medio tui: & scies quia Dominus exercituum misit me ad te.*

Zach. 12, 10. *Et effundam super domum David & super habitatores Jerusalem spiri-*

Rom. 14, 10. 11. *Omnes enim stabimus ante tribunal Christi, scriptum est enim, Vivo ego, dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu, & omnis lingua confitebitur Deo.*

1. Cor. 10, 9. *Neque tentemus Christum, sicut quidam eorum* (Patrum nostrorum, Num. 21, 5.) *tentaverunt, & a serpentibus perierunt.*

Gal. 1, 11. 12. *Paulus Apostolus; non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum, & Deum Patrem . . . . . Notum enim vobis facio, Fratres, Evangelium quod evangelizatum est a me, quia non est secundum hominem: neque enim ab homine accepi illud, neque didici, sed per revelationem Jesu Christi.*

Philipp. 2, 5. 6. *Hoc enim sentite in nobis, quod & in Christo Jesu, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est: esse se æqualem Deo.*

Col. 1, 15. & seq. *Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ: quoniam in ipso condita sunt universa in cœlis & in terra, visibilia & invisibilia, sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates; omnia per ipsum & in ipso creata sunt, & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant.*

Ebr. 1, 2. & seq. *Novissime diebus istis locutus est nobis in Filio, quem constituit hæredem universorum, per quem fecit & sæcula . . . . . Ad Filium autem, Thronus tuus, Deus, in sæculum sæculi, virga æquitatis, virga regni tui. Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem; propterea unxit te, Deus, Deus tuus oleo exultationis præ participibus tuis. Et tu in principio, Domine, terram fundasti: & opera manuum tuarum sunt cœli, ipsi peribunt, tu autem permanes, & omnes ut vestimentum veterascent, & velut amictum mutabis eos, & mutabuntur. Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.*

1. Joh. 5, 7. *Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus: & hi tres unum sunt.*

1. Joh. 5, 20. *Scimus quoniam Filius Dei venit, & dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum, & simus in vero Filio ejus. Hic est verus Deus, & vita æterna.*

Apoc. 1, 7. 8. *Ecce venit* (Jesus Christus) *cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt, & plangent se super eum omnes tribus terræ: etiam, amen. Ego sum Alpha*

tum gratiæ & precum : & aspicient ad me quem confixerunt, & plangent eum planctu quasi super unigenitum, & dolebunt super eum, ut doleri solet in morte primogeniti.

Malach. 3, 1. *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam : & statim veniet ad Templum suum Dominator quem vos quæritis, & Angelus testamenti quem vos vultis.*

Alpha & Omega ; principium & finis, dicit Dominus Deus, qui est, & qui erat, & qui venturus est, omnipotens.

Apoc. 4, 8. *Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus omnipotens, qui erat, & qui est, & qui venturus est.*

I. *Disputatur de significatione vocabuli* אל, *Isa. 7, 14. & 9, 6.* II. *Disputatur de significatione vocis* יקרא, *Isa. 9, 6.* III. *Disputatur de significatione vocis* יועץ, *Isa. 9, 6.* IV. *A Judæorum fraudibus vindicatur Zach. 12, 10.* V. *Judæi Messiæ θεότητα confessi sunt.*

Disputatur de significatione vocabuli אל, *Isa. 7, 14. & 9, 6.*

I. NOn hic referre instituo quæcumque adversus horum temporum Samosatenos a recentioribus Theologis feliciter disputata sunt. Nihilo magis ea mihi repetere consilium est, quæ Propositione septima disseruimus, cum ea fere vaticinia, quibus contextum est hoc caput, Christi prænuntia esse probaremus: nec ea repetere, quæ a Kimchio & Lipmanno sunt opposita, ut præcipuas quasdam ex allatis hoc capite prædictionibus Christo Jesu detraherent : cum solidis responsionibus jam ab aliis excepta sint. Proponam duntaxat paucula quædam, quæ ad hanc Paralleliſmi nostri partem illustrandam pertinent, in qua Christi Jesu divinitatem ex utriusque Testamenti consensu asseruimus. Ac primum adversus splendidum illud ex nono Isaiæ capite vaticinium, in quo futurum prænuntiatur, ut Parvulus ille, quem Messiam esse declaravimus in Propositione septima, appelletur *Deus*, אל ; & adversus alterum ex Prophetæ ejusdem septimo capite, in quo prædicitur futurum ut Filius ille ex Virgine proditurus, quem & Messiam esse evicimus, vocetur *Emmanuel*, hoc est, *Nobiscum Deus* ; opponunt Judæi, eorumque gregalis Bodinus, vocem אל, nihil aliud sonare, quam *fortem, robustum, & potentem*, propterea que principibus interdum & optimatibus aptari. Cujus exceptionis levitatem vel ipsa Isaiæ verba manifesto aperiunt : *Et vocabitur nomen ejus Admirabilis, consiliarius, Deus fortis,* אל גבור. Si אל, *fortem* hic significat, quid attinebat vocem גבור subjicere, cui idem inest intellectus ? Scio Aquilam & Symmachum vertisse ἰσχυρὸς, δυνατός, Theodotionem vero, ἰσχυρὸς, δυνάστης. Verum quid a Proselytis Judæis Aquila & Theodotione, quid ab Ebionita Symmacho fidei expectemus ? His opponimus Septuaginta Interpretes, qui sic reddiderunt verba ista, θεὸς, ἰσχυρὸς, ἐξουσιαστής· *Deus, robustus, potens.* Ita quidem habet Aldina editio, ita Complutensis ; ita vetustissimi Patres Irenæus & Ignatius, ita Eusebius, testimonium hoc conceptum referunt. Procopius quoque vocabulum θεὸς extare apud Senes Septuaginta diserte testificatur. Quamobrem Aquilam falsi merito accusat Theodoretus, quod Ebraica אל גבור, reddiderit ἰσχυρὸς, δυνατός, cum reddere debuisset θεὸς ἰσχυρός. Rem vero plane conficit, quod observat Procopius, ipsa hæc verba אל גבור, in sequenti capite ad Deum manifeste referri. Hic enim locus, quod controversus non esset, adulteras Interpretum manus non sensit. Certe dictio אל in sacris Codicibus sæpe Deo tribuitur, vel idolis, quæ pro Diis ab Ethnicis habentur. Nec alii præterea quam Deo adscribi, optime a Pagnino observatum est. Unicum excipit locum, qui est in tricesimo primo capite Ezechielis, ubi Chaldæorum rex, אל גוים appellatur. Quanquam & illic Munsterus & Vatablus legunt, איל גוים, hoc est, *Fortis gentium, in gentes potestatem habens.* At אל, quod ab איל arcessunt plerique, alii ab אֵלֵהּ per contractionem fieri volunt, ut יה a יהוה.

Iren. l. 4. c. 66. Ignat Ep. ad Antioch. Euſ. Dem. l. 7. & 9. Procop. in Isa. 9, 6. Theod. in Isa. 9, 6. Isa. 10, 21.

Pagnin. Thes. in אל Ez. 31, 11.

Bodin. de ab. rerum subl. arcan. l. 5.

II. Ad infringendum loci hujus robur, aliam quoque Judæi fallaciam excogitaverunt : nam ויקרא, quod vertendum est, *Et vocabitur*, ipsi reddiderunt, *Et vocabit*, totamque sententiam sic interpretati sunt, *Et Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, Pater futuri seculi, vocabit eum Principem pacis.* Ergo isti אל significare sentiunt *Deum*, & in congerrones suos proxime castigatos incurrunt. Verum est dictionem יקרא, pro diversitate punctorum, vel activam vel passivam

Disputatur de significatione vocis יקרא *Isa. 9, 6.*

sivam. Cur autem hic activam inesse velint, nullam probabilem causam afferre possunt. Nam quo nobis approbabunt argumento, hoc potius modo intelligendum esse, locum hunc: *Et admirabilis, consiliarius, Deus fortis, Pater futuri seculi, vocabit eum Principem pacis*, quam isto: *Et admirabilis, consiliarius, Deus fortis, vocabit eum Patrem futuri seculi, Principem pacis*; vel illo: *Et admirabilis, consiliarius, vocabit eum Deum fortem, Patrem futuri seculi, Principem pacis*; aut hoc denique: *Et admirabilis vocabit eum consiliarium, Deum fortem, Patrem futuri seculi, Principem pacis.* Quam igitur gratis nobis dant interpretationem, gratis possumus repudiare. Verumtamen sine fidejussoribus tantum nobis non arrogamus. Ergo Septuaginta Senes verterunt, καλᾶται *vocatur*; Aquila, ἐκλήθη, *vocatus est*, juxta Eusebium; nam juxta Procopium vertit, ἐκάλεσεν, *vocavit*; juxta alios, καλᾶται; Symmachus, κληθήσεται, *vocabitur*.

Euf. Dem. l. 7. Procop. in Iia. 9, 6.

Disputatur de significatione vocis יועץ *Iſa. 9, 6.*

III. Legitimum præterea prophetiæ hujus sensum obtundit Grotius, cum verba hæc: יועץ אל גבור, sic vertenda autumat, *Consultator Dei fortis*, ab Interpretum omnium auctoritate desciscens, qui reddunt, *Consiliarius, Deus fortis.* Septuaginta, σύμβουλος, θεὸς ἰσχυρὸς, ἐξουσιαστής, *Consiliarius, Deus fortis, potens.* Aquila, σύμβουλος, ἰσχυρὸς, δυνατός. *Consiliarius, fortis, potens.* Theodotion, βουλεύων, ἰσχυρὸς, δυνατός *Consilium dans, fortis, potens.* Symmachus, βουλευτικὸς, ἰσχυρὸς, δυνατός. *Consiliarius, fortis, potens.* Deinde vocem hanc יועץ usurpare consueverunt Scriptores sacri, in eum qui consilium dat, non qui petit: nec unum puto facile reperiri posse locum, in quo eum obtineat sensum, quem hic ipsi Grotius affingit. Promtius itaque nobis est interpretationem hanc respuere, quam Grotio nobis eam approbare.

A Judæorum fraudibus vindicatur Zach. 12, 10.

IV. Postremum Zachariæ testimonium e duodecimo capite fallaciis Judæorum adulteratum est: nam pro eo quod Ebraici Codices habent, והביטו אלי; *Et aspicient ad me*, legunt, אליו, *ad eum*: nimirum ne idem sit qui effundit spiritum gratiæ, & qui confixus est: sive ne Deus sit, qui in crucem actus est, Jesus nempe Dominus noster. Dei quippe solius est spiritum gratiæ largiri. Verum falsitatem evincunt Septuaginta Senes, qui vertunt, καὶ ἐπιβλέψονται πρός με, *Et aspicient me*; quos sequuntur Syrus & Arabs. Jonathan ben Uziel, ויבעון מן קדמי, ad verbum, *Et rogabunt de ante me.* Nec corruptum Uzieliden causari possunt, cum sic scripsisse eum fateatur R. Selomoh Jarchi. Eamdem sequuntur lectionem Thalmudistæ in libro Sucah; eamdem R. Moses Hadarsan in Beresith Rabba, & Aben-Ezra. Cum ergo fraudem hanc non aliam ob causam commentos esse Judæos liquidum sit, quam ne divinitatem ejus cogerentur agnoscere, qui fuerat confixus, quemque Messiam esse confitebantur, ut inferius suo loco probabitur, patefacta hac fraude & revicta, consequens est, vel Judæorum judicio, Deum esse Messiam qui confixus est, & magno planctu comploratus. Præterea etsi legendum concedamus אליו, eodem redibit sententia, cum prima persona, si relativum sequatur, per tertiam sæpe in his libris exprimatur, ut vere a Grotio observatum est. Sequentia id ostendunt: *Et plangent* אליו, *super eum*, hoc est, *super me.* Grot. in Zach. 12, 10.

Judæi Messiæ Deitatem confessi sunt.

V. Prisci porro Ebræi recentioribus candidiores, Messiæ divinitatem in Veteri Testamento clarissimis consignatam monumentis perspexerunt. Alii jam ante nos Rabbinorum collegerunt testimonia, quibus Messiam futurum Deum & hominem prædicarunt, atque ea etiam quibus tetragrammaton Dei nomen in sacris Voluminibus scriptum ad Messiam congruere docuerunt. Item in ea, quam mox excussimus, Isaiæ clausula e nono capite, filium illum proditurum, quem אל Propheta appellat, Deum & Messiam fore Jonathanis Paraphrasis aperte significat. Ajunt præterea Rabbini, verba hæc e centesimo septimo Psalmo sibi Jesum accommodasse: *Exaltare super cœlos, Deus.* Sæpe etiam Chaldæi Paraphrastæ nomen sanctum Dei, יהוה, vertunt, מימר יהוה; quod in Messiam, atque adeo in Jesum convenire demonstravimus. Idem & a Philone traditum reperias in libro de somniis. Nec illud præterire decet, quod habetur apud R. Abrahamum Seba, in צרור המור, videlicet vocem כוכב, quæ *stellam* sonat, & a Balaamo ad Messiam præsignificandum usurpata est cabalistice nomen יהוה exprimere, cum priores duæ literæ כוכב, eumdem numerum dent ac quatuor litteræ in יהוה, nempe XXVI: reliquæ duæ efficiant numerum XXII, Pſal. 107, 6.

Digitized by Google

XXII, qui numerus est litterarum quibus descripta est Lex Dei, quæ tum complebitur, cum Messias advenerit. Unde ex Magistri hujus sententia efficitur, Dei simul & Messiæ mysterium in una eademque voce contineri, proindeque Messiam Deum futurum. Est præterea apud Ludovicum Carretum in Libro visorum divinorum, priscos Judæos comma hoc Isaiæ, quod Messiæ προλεπτικὸν (*prænuntium*) est: *Ecce intelliget servus meus,* Isa. 52, 13. *exaltabitur, & elevabitur, & sublimis erit valde*, sic esse interpretatos: *Exaltabitur* supra Abrahamum, *elevabitur* plus quam Moses, & *sublimis erit* plus quam Angeli ministerii. Unde colligit Carretus, Deum ex horum sententia fore Messiam, cum Deum inter & Angelos medium nihil sit. Ergo Jesus Dominus, Messiam se, ut erat, apud Judæos ferens, Joh. 10, 30. & seq. θεότητα quoque suam prædicabat: *Ego & Pater unum sumus.* Quod indignantes Judæi respondebant: *Tu homo cum sis, facis teipsum Deum.* Validissimum hoc est adversus dogmatis nostri adversarios argumentum: nam vel Jesum fatebuntur fuisse Messiam, proindeque cum seipsum Deum fecerit, Deum fuisse fateri cogentur; nam si non fuisset, quis credat Messiam, virum quippe sanctum & pium, tam nefariæ & atrocis impietatis sese alligasse, ut non divinos solum honores ambiret, sed Dei quoque interverteret titulos, sibique ascisceret? vel Jesum Messiam fuisse negabunt, & necesse fatem habebunt agnoscere, cum se Messiam simul & Deum esse jactaret, haudquaquam id fuisse facturum, nisi Judæis persuasum fuisse sciisset, eum quem expectabant Messiam Deum fore. Ex his quoque Jesu, Judæorumque Lact. l. 4. Inst. c. 14. apud Johannem verbis, manifestus est Lactantii error, qui Jesum nunquam seipsum Deum dixisse ausus est asseverare. Juliani vero τῆ παραβάτα impudentia, qui dixit neque Paulum, neque Matthæum, neque Marcum, neque Lucam Christo Jesu θεότητα tribuisse, cum ex Parallelismo nostro, tum & ex Cyrilli disputationibus facile retunditur. Plerique sane e recentioribus Judæis dicere solent, & ab ipso Maimonide scriptum est, non aliam ob causam gentem suam diuturnis calamitatibus & miserabili exilio esse damnatam, quam quod unus ex ea, Jesus nempe, se Deum facere ausus sit. Desino in testimonio ex epistola Plinii ad Trajanum, in quo priscos Christianos solitos fuisse affirmat *carmen Christo, quasi Deo, dicere secum invicem.* Tertullianus Epistolæ hujus auctoritate in Christianorum defensionem utens, sic ista Plinii reddit: *Nihil aliud se de sacris eorum comperiisse, quam cœtus antelucanos, ad canendum Christo ut Deo.* Sic enim legendum esse indicant Plinii verba; non ut vulgo, *Christo & Deo.* Quod jam ante observavit Scaliger in Animadversionibus ad Eusebium, a quo sic exponitur Tertulliani locus, χριστὸν ὡς θεὸν ὑμνεῖσθαι: *Christum, ut Deum, hymnis concelebrant.* Hieronymus interpres ipsis utitur Tertulliani verbis: *Ad canendum Christo ut Deo.* Hoc ipsum aliis dictionibus, at non alio sensu transtulit Eusebius in quibusdam Chronici & Historiæ locis: τὸν χριστὸν θεῷ δίκην ὑμνεῖν. *Christum sic tanquam Deum, hymnis concelebrare.* Adeo constans erat vel primævis illis Christianæ religionis initiis opinio, Christum a Christianis Deum haberi. Alibi etiam Eusebius ex vetustis quibusdam commentariis docet Justinum, Miltiadem, Tatianum, Clementem, Irenæum, Melitonem, aliosque complures Christo divinitatem tribuisse; tum subjicit, jam inde a primis Ecclesiæ temporibus Christianos Christo ut Deo carmina cecinisse: ψαλμοὶ δὲ ὅσοι κατ' ἀδοὺς ἀδελφῶν, ἀπ' ἀρχῆς ὑπὸ πιστῶν γραφῆσαι, τὸν λόγον τῷ θεῷ τὸν χριστὸν ὑμνοῦσι θεολογοῦντες· *Quot autem psalmi & odæ fratrum ab initio a fidelibus scriptæ, Verbum Dei Christum ut Deum prædicant.* Cyr. contra Julian. l. 10. Plin. l. 10. Epist. 97. Tertullian. Apol. c. 2. Euseb. Chr. l. 2. & Hist. l. 3. c. 33. Euc. Hist. l. 5. c. 28.

CAPUT XXVI.

Jesus Homo.

GEn. 3, 15. *Inimicitias ponam inter te & mulierem, semen tuum & semen illius.*

2. Reg. 7, 4. 5. 12. *Ecce sermo Domini ad Nathan dicens, Vade, & loquere ad servum meum David ..... Cum completi fuerint*

MAtth. 1, 25. *Peperit Filium suum primogenitum, & vocavit nomen ejus Jesum.*

Matth. 4, 2. *Et cum jejunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esuriit.* Et Luc. 4, 2.

Digitized by Google

dies tui, & dormieris cum patribus tuis, ſuſcitabo ſemen tuum poſt te, quod egredietur de utero tuo, & firmabo regnum ejus.

Iſa. 7, 14. *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel.*

Iſa. 9, 6. *Parvulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis.*

Iſa. 45, 8. *Rorate cœli deſuper, & nubes pluant juſtum; aperiatur terra, & germinet Salvatorem.*

Iſa. 52, 14. & 53, 2. 3. *Sicut obſtupuerunt ſuper te multi, ſic inglorius erit inter viros aſpectus ejus, & forma ejus inter filios hominum. ..... Vidimus eum, & non erat aſpectus, & deſideravimus eum, deſpectum & noviſſimum virorum, virum dolorum & ſcientem infirmitatem.*

Jerem. 31, 22. *Creavit Dominus novum ſuper terram, Femina circumdabit virum.*

Dan. 7, 13. *Aſpiciebam ergo in viſione noctis, & ecce cum nubibus cœli quaſi Filius hominis veniebat, & usque ad Antiquum dierum pervenit.*

Dan. 9, 26. *Poſt hebdomades ſexaginta duas occidetur Chriſtus.*

Matth. 8, 20. *Filius hominis non habet, ubi reclinet caput.* Et Matth. 9, 6. Et ſic paſſim appellatur in Novo Teſtamento.

Matth. 12, 46. *Adhuc eo loquente ad turbas, ecce mater ejus, & fratres ſtabant foris, quærentes loqui ei. Dixit autem ei quidam, Ecce mater tua, & fratres tui foris ſtant quærentes te.* Et Marc. 3, 31. & ſeq. Et Luc. 8, 19. & ſeq.

Matth. 21, 18. *Mane autem revertens* (Jeſus) *in civitatem eſuriit.* Et Marc. 11, 12.

Matth. 26, 71. & ſeq. *Exeunte autem illo* (Petro) *januam, vidit eum alia ancilla, & ait his qui erant ibi, Et hic erat cum Jeſu Nazareno. Et iterum negavit cum juramento, Quia non novi hominem ..... Tunc cœpit deteſtari, & jurare quia non noviſſet hominem.*

Luc. 1, 31. *Ecce concipies in utero, & paries Filium, & vocabis nomen ejus Jeſum.*

Luc. 2, 52. *Et Jeſus proficiebat ſapientia, & ætate, & gratia apud Deum & homines.*

Luc. 23, 4. & ſeq. *Ait autem Pilatus ad Principes Sacerdotum & turbas, Nihil invenio cauſſæ in hoc homine ..... Pilatus autem audiens Galilæam, interrogavit ſi homo Galilæus eſſet, ... Pilatus ....., dixit ad illos, ... Nullam cauſſam invenio in homine iſto.*

Luc. 23, 46. 47. *Hæc dicens* (Jeſus) *expiravit. Videns autem Centurio quod factum fuerat, glorificavit Deum, dicens, Vere hic homo juſtus erat.*

Joh. 1, 14. *Et verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis.*

Joh. 7, 3. & ſeq. *Dixerunt autem ad eum fratres ejus, Tranſi hinc ..... Neque enim fratres ejus credebant in eum ..... Ut autem aſcenderunt fratres ejus, tunc & ipſe aſcendit ad diem feſtum.*

Joh. 18, 17. *Dixit ergo Petro ancilla oſtiaria, Numquid & tu ex diſcipulis es hominis iſtius?*

Joh. 19, 28. *Poſtea ſciens Jeſus, quia omnia conſummata ſunt, ut conſummaretur Scriptura, dixit, Sitio.*

Act. 2, 14. 22. *Stans autem Petrus cum Undecim levavit vocem ſuam, & locutus eſt eis .... Viri Iſraelitæ, audite verba hæc, Jeſum Nazarenum, virum approbatum a Deo in vobis..... interemiſtis.*

Act. 5, 27. 28. *Interrogavit eos Princeps Sacerdotum, dicens..... Vultis inducere ſuper nos ſanguinem hominis iſtius.*

Rom. 5, 15. *Gratia Dei, & donum in gratia unius hominis Jeſu Chriſti in plures abundavit.*

1. Cor. 15. 47. *Primus homo de terra, terrenus: ſecundus homo de cœlo, cœleſtis.*

Gal. 1, 19. *Alium autem Apoſtolorum vidi neminem, niſi Jacobum fratrem Domini.*

Phil. 2, 7. *Semetipſum exinanivit formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo.*

1. Tim. 2, 5. *Unus enim Deus, unus & mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Jeſus.*

Ebr. 2, 1. *Unde debuit per omnia fratribus ſimilari, ut miſericors fieret, & fidelis Pontifex ad Deum, ut repropitiaret delicta populi.*

Ebr.

Digitized by Google

Ebr. 4, 14. 16. & 5, 1. *Non enim habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris; tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato. Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Omnis namque Pontifex, ex hominibus assumtus, pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum.*

CAPUT XXVII.

Jesus frater hominum.

PSalm. 21, 23. *Narrabo nomen tuum fratribus meis: in medio Ecclesiæ laudabo te.*

Psalm. 68, 9. *Extraneus factus sum fratribus meis, & peregrinus filiis matris meæ.*

MAtth. 12, 48. & seq. *At ipse respondens dicenti sibi ait, Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei? Et extendens manum in discipulos suos dixit, Ecce mater mea, & fratres mei; quicunque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse meus frater, & soror, & mater est.* Et Marc. 3, 31. & seq. & Luc. 8, 19. & seq.

Matth. 25, 40. *Et respondens rex dicet illis, Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.*

Matth. 28. 10. *Tunc ait illis Jesus, Nolite timere; ite, nuntiate fratribus meis, ut eant in Galilæam: ibi me videbunt.*

Joh. 20, 17. *Dicit ei Jesus, Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum: vade ad fratres meos.*

Rom. 8, 16. 17. *Ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei; si autem filii, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.*

Ebr. 2, 11. & seq. *Qui enim sanctificat, & qui sanctificatur, ex uno omnes. Propter quam causam non confunditur fratres eos vocare dicens, Nuntiabo nomen tuum fratribus meis; in medio Ecclesiæ laudabo te ..... Unde debuit per omnia fratribus similari, ut misericors fieret, & fidelis Pontifex ad Deum, ut repropitiaret delicta populi.*

CAPUT XXVIII.

Jesus Sacerdos.

PSalm. 44, 8. *Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem, propterea unxit te, Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.*

Psalm. 109, 4. *Juravit Dominus, & non pœnitebit eum, tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.*

EBr. 2, 17. *Unde debuit per omnia fratribus similari, ut misericors fieret, & fidelis Pontifex ad Deum, ut re propitiaret delicta populi.*

Ebr. 3, 1. *Considerate Apostolum & Pontificem confessionis nostræ Jesum.*

Ebr. 4, 14. 15. *Habentes ergo Pontificem magnum, qui penetravit cœlos, Jesum Filium Dei, teneamus confessionem. Non enim habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris.*

Ebr. 5, 5. & seq. *Sic & Christus non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum, Filius meus es tu, ego hodie genui te: quemadmodum & in alio loco dicit, Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec ..... appellatus a Deo Pontifex juxta ordinem Melchisedec.*

Ebr. 6, 19. 20. *Usque ad interiora velaminis, ubi præcursor pro nobis introivit Jesus, secundum ordinem Melchisedec Pontifex factus in æternum.*

Ebr. 7, 3. 11. 20. & seq. *Assimilatus Filio Dei* (Melchisedec) *manet sacerdos in perpetuum ..... Si ergo consummatio per sacerdotium Leviticum erat ..... quid adhuc necessarium fuit secundum ordinem Melchisedec alium surgere sacerdotem, & non secundum ordinem Aaron dici? ..... Alii quidem sine jurejurando sacerdotes facti sunt; hic autem cum jurejurando per eum, qui dixit ad illum, Juravit Dominus, & non pœnitebit eum, tu es sacerdos in æternum ..... Et alii quidem plures facti sunt sacerdotes, idcirco quod morte perhibentur permanere; hic autem eo quod maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium ..... Talis enim decebat ut nobis esset Pontifex,*

Digitized by Google

sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, & excelsior cœlis factus, qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum sacerdotes, prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi: hoc enim fecit semel seipsum offerendo. Lex enim homines constituit sacerdotes infirmitatem habentes, sermo autem juris jurandi, qui post Legem est, Filium in æternum perfectum.

Ebr. 8, 1. 2. *Capitulum autem super ea quæ dicuntur, Talem habemus Pontificem, qui consedit in dextera sedis magnitudinis in cœlis, sanctorum minister, & tabernaculi veri, quod fixit Dominus, & non homo.*

Ebr. 9, 10. 11. *Christus autem assistens Pontifex futurorum bonorum, per amplius & perfectius Tabernaculum, non manufactum, id est, non hujus creationis; neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in Sancta, æterna redemtione inventa.*

Ebr. 10, 11. 12. *Omnis quidem sacerdos præsto est quotidie ministrans, & easdem sæpe offerens hostias, quæ nunquam possunt auferre peccata: hic autem unam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet in dextera Dei.*

Ex eo, quod Jesus sit sacerdos, sequitur esse Christum.

SPlendidum est, & ad reprimendam Judæorum contumaciam accommodatum prædictum illud, quod extat in Psalmo centesimo nono, ubi Christus futurus esse prædicitur sacerdos secundum ordinem Melchisedec. Ac Psalmum quidem hunc humano generi Christum promittere, satis probavimus in Propositione septima. Jesu vero imaginem in Melchisedeco positam fuisse ostendemus ad calcem Parallelismi, ubi varios Jesu typos colligemus e Veteri Testamento. Quo uno argumento Messiam sive Christum, hoc est Unctum, merito dici, ac revera esse Jesum Dominum facile vincimus. Triplex enim hominum genus inter Ebræos unctionis cerimoniis consecrabatur; Sacerdotes, Reges & Prophetæ (nam unctiones quasdam singulares & extraordinarias prætereo, cujusmodi fuit illa Judæ Machabæi, si Gorionidæ fides est, qua eum a Patre Mathatia unctum ad bellum & Messiam dictum fuisse narrat.) At utramque saltem dignitatem Sacerdotis ac Regis gessit Melchisedec, rex Salem, & Dei altissimi sacerdos: gessit utramque & Jesus, rex justitiæ & pacis æternus Pontifex, *semper vivens ad interpellandum pro nobis*; gessit & propheticam præterea, ut suo docebimus loco; proindeque vere Christus est sive Messias, Unctus videlicet, non oleo illo de arboribus expresso, sed oleo lætitiæ; cum nimirum gratia & virtute Spiritus sancti natura ejus humana perfunderetur; quod & ipse de se prædicat apud Isaiam: *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me.* Egregie hoc argumentum prosequitur Eusebius non uno loco. Cautum erat, inquit, Judæorum legibus, ne quis sine unctione sacerdotium gereret; quamobrem & sacerdotes dicebantur Christi. Quem ergo sacerdotem esse Psalmus declarat, Unctum fuisse necesse est. Tum subjicit, juxta doctrinam capite octavo Epistolæ ad Ebræos traditam, unctionem illam Aaronis a Mose administratam, secundum exemplar ipsi in monte monstratum, figuram fuisse unctionis Christi, ipsumque Aaronem σκιὰν καὶ ἐκτυπὸν (*adumbratum & figuratum*) sacerdotem fuisse, typum videlicet ac simulacrum veri sacerdotis Christi Filii Dei, qui in cœlo Patri assidet. Cum ait autem Philo in libro de somniis, & in libro de exulibus, Primogenitum Verbum Dei esse Pontificem, consentit popularium suorum doctrinæ, qui Filium Dei & Verbum Dei fore Messiam credunt, Messiam autem sacerdotem; atque id in Psalmo centesimo nono significatum esse arbitrantur. Cæterum notabile est, quod in Midrasch Thehillim legitur, sacerdotii dignitatem ab Israelitis propter peccata ablatam, ad gentes fuisse translatam. Qua re & gentem suam reprobatam, & vocatos esse a Deo Ethnicos, proindeque & Christum jam venisse fatentur. Messiam quippe vocationis gentium auctorem suis hic sæpe probatur locis.

Joſ. ben Gor. l. 3. c. 9.

Ebr. 7, 25.

Isa. 61, 1. Euſ. Dem. l. 4. & 5.

CAPUT XXIX.

Jesus Propheta.

DEut. 18, 15. & seq. *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis sicut me, suscitabit*

MAtth. 10, 16. & seq. *Ecce ego mitto vos, sicut oves in medio luporum. Estote ergo prudentes*

Digitized by Google

tibi Dominus Deus tuus: ipsum audies..... Et ait Dominus mihi, Bene omnia sunt locuti: Prophetam suscitabo eis de medio fratrum tuorum, similem tui: & ponam verba mea in ore ejus, loqueturque ad eos omnia, quæ præcepero illi: qui autem verba ejus, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor existam.

1. Mach. 14, 41. *Judæi & Sacerdotes eorum consenserunt eum esse ducem suum, & summum Sacerdotem in æternum, donec surgat Propheta fidelis.*

prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. Cavete autem ab hominibus: tradent enim vos in consiliis, & in Synagogis suis flagellabunt vos: & ad Præsides & ad Reges ducemini propter me, in testimonium illis & gentibus..... Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium; & insurgent filii in parentes, & morte eos afficient: & eritis odio omnibus propter nomen meum. Et Marc. 13, 9. Luc. 12, 11. & 21, 16.

Matth. 12, 39. 40. *Qui respondens ait illis, Generatio mala & adultera signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ prophetæ. Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus, sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus.*

Matth. 13, 57. *Et scandalizabantur in eo. Jesus autem dixit eis, Non est propheta sine honore, nisi in patria sua, & in domo sua.* Et Marc. 6. 4. Luc. 4, 24. Joh. 4, 44.

Matth. 16, 21. & seq. *Exinde cœpit Jesus ostendere Discipulis suis, quia oporteret eum ire Jerosolymam, & multa pati a Senioribus & Scribis & Principibus Sacerdotum, & occidi, & tertia die resurgere.* Et Matth. 17, 21. 22. & 20, 17. & seq. & 21, 33. & seq. Marc. 8, 31. & 9, 30. & 10, 32. & seq. & 12, 1. & seq. Luc. 9, 22. & 17, 25. & 18, 31. 32. & 20, 9. & seq. & 24, 7. Johan. 2, 19. & seq. & 3, 14. & 8, 28. & 12, 32. 33.

Matth. 21, 11. *Populi autem dicebant, Hic est Jesus propheta a Nazareth Galilææ.*

Matth. 21, 43. & seq. *Ideo dico vobis, quia auferetur a vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus..... Et quærentes eum tenere, timuerunt turbas, quoniam sicut prophetam eum habebant.*

Matth. 24, 1. & seqq. *Et egressus Jesus de Templo ibat. Et accesserunt Discipuli ejus, ut ostenderent ei ædificationes Templi. Ipse autem respondens dixit illis: Videtis hæc omnia? Amen dico vobis, non relinquetur hic lapis super lapidem, qui non destruatur. Sedente autem eo super montem Oliveti, accesserunt ad eum Discipuli secreto dicentes, Dic nobis quando hæc erunt, & quod signum adventus tui, & consummationis seculi. Et respondens Jesus dixit eis, Videte ne quis vos seducat: multi enim venient in nomine meo dicentes, Ego sum Christus, & multos seducent. Audituri enim estis prælia, & opiniones præliorum..... consurget enim gens in gentem, & regnum in regnum, & erunt pestilentiæ, & fames, & terræ motus per loca. Hæc autem omnia initia sunt dolorum. Tunc tradent vos in tribulationem, & occident vos, & eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum. Et tunc scandalizabuntur multi, & invicem tradent, & odio habebunt invicem, & multi Pseudoprophetæ surgent & seducent multos..... Et prædicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus, & tunc veniet consummatio..... Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque modo, neque fiet..... Surgent Pseudochristi, & Pseudoprophetæ, & dabunt signa magna & prodigia, ita ut in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi. Ecce prædixi vobis. Statim autem post tribulationem dierum illorum Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cœlo, & virtutes cœlorum commovebuntur. Et tunc parebit signum Filii hominis in cœlo, & tunc plangent omnes tribus terræ, & videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute multa & majestate. Et mittet Angelos suos cum tuba & voce magna: & congregabunt electos ejus a quatuor ventis, a summis cœlorum usque ad terminos eorum.* Et Marc. 13, 1. & seq. Luc. 17, 20. & seq. & 21, 5. & seq.

Matth. 26, 13. *Amen dico vobis, ubicunque prædicatum fuerit hoc Evangelium in toto mundo, dicetur & quod hæc fecit in memoriam ejus.* Et Matth. 24, 14. Marc. 13, 10.

Matth. 26, 31. & seq. *Tunc dicit illis Jesus, Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte... Postquam autem resurrexero, præcedam vos in Galilæam. Respondens autem Petrus ait illi, Etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor. Ait illi Jesus,*

Digitized by Google

Amen dico tibi, quia in hac nocte, antequam Gallus cantet, ter me negabis. Et Marc. 14, 27. & seq. Luc. 22, 34. Joh. 13, 38.

Marc. 16, 17. & seq. *Signa autem eos qui crediderint hæc sequentur: in nomine meo Dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent, & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit; super ægros manus imponent, & bene habebunt.* Et Joh. 14, 12. & 16, 23.

Luc. 7, 16. *Accepit autem omnes timor & magnificabant Deum dicentes, quia Propheta magnus surrexit in nobis.*

Luc. 7, 39. *Videns autem Pharisæus, qui vocaverat eum, ait intra se dicens, Hic si esset propheta, sciret utique quæ & qualis est mulier, quæ tangit eum.*

Luc. 13, 33. *Verumtamen oportet me hodie, & cras, & sequenti die ambulare, quia non capit prophetam perire extra Jerusalem.*

Luc. 19, 41. & seq. *Et ut appropinquavit, videns Civitatem flevit super illam dicens, Quia si cognovisses & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi: nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. Quia venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te, & coangustabunt te undique: & ad terram prosternent te, & filios tuos, qui in te sunt, & non relinquent in te lapidem super lapidem: eo quod non cognoveris tempus visitationis tuæ.* Et Luc. 21, 20. Matth. 24, 15. Marc. 13, 14.

Luc. 24, 19. *De Jesu Nazareno, qui fuit vir propheta.*

Joh. 4, 19. *Dicit ei mulier, Domine, video quia propheta es tu.*

Joh. 6, 14. *Illi ergo homines cum vidissent quod Jesus fecerat signum, dicebant, Quia hic est vere Propheta, qui venturus est in mundum.*

Joh. 6, 71. 72. *Respondit eis Jesus, Nonne ego vos Duodecim elegi, & ex vobis unus Diabolus est? Dicebat autem Judam Simonis Iscarioten: hic enim erat traditurus eum, cum esset unus ex Duodecim.*

Joh. 7, 40. *Ex illa ergo turba, cum audissent hos sermones ejus, dicebant, Hic est vere propheta.*

Joh. 9, 17. *Dicunt ergo cæco iterum, Tu quid dicis de illo, qui aperuit oculos tuos? Ille autem dixit, Quia propheta est.*

Joh. 10, 16. *Et alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, & illas oportet me adducere; & vocem meam audient, & fiet unum ovile, & unus pastor.*

Joh. 13, 19. *A modo dico vobis priusquam fiat, ut cum factum fuerit, credatis quia ego sum.*

Joh. 16, 16. *Modicum, & jam non videbitis me: & iterum modicum, & videbitis me, quia vado ad Patrem.*

Joh. 16, 20. & seq. *Amen, amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit; vos autem contristabimini: sed tristitia vestra vertetur in gaudium..... In mundo pressuram habebitis: sed confidite, ego vici mundum.*

Joh. 18, 32. *Ut sermo Jesu impleretur quem dixit, significans qua morte esset moriturus.*

Joh. 21, 17. 18. *Dixit ei, Pasce oves meas. Amen, amen dico tibi, cum esses junior, cingebas te, & ambulabas ubi volebas: cum autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quo tu non vis. Hoc autem dixit, significans qua morte clarificaturus esset Deum.*

Act. 1, 8. *Sed accipietis virtutem supervenientis Spiritus sancti in vos, & eritis mihi testes in Jerusalem, & in omni Judæa, & Samaria, & usque ad ultimum terræ.*

Act. 3, 21. & seq. *Quem oportet quidem cœlum suscipere usque in tempora restitutionis omnium, quæ locutus est Deus per os sanctorum suorum a sæculo Prophetarum. Moyses quidem dixit, quoniam Prophetam suscitabit vobis Dominus Deus vester de fratribus vestris; tanquam me ipsum audietis, juxta omnia, quæcunque locutus fuerit vobis; erit autem: omnis anima, quæ non audierit Prophetam illum, exterminabitur de plebe.* Et Act. 7, 37.

Judæi Messiæ, Ebnici Christo Jesu

propheticam facultatem adscribunt.

INter Messiæ virtutes propheticam facultatem non postremam recensent Thalmudistæ. Quin & futurum perhibent, ut Messias de odore virum nequam a probo secernere possit & internoscere. Atqui facultate hac prophetica floruisse Jesum & fatentur Mu-

hamme-

Digitized by Google

Hammedani, & nè Ethnici quidem inficiati sunt. Fassus est id quidem Phlegon Trallianus in Chronicis, teste Origene. Sed quid testimoniis pugnare attinet, cum nos plerasque Jesu prophetias, ab Evangelistis memoriæ proditas, & hoc capite a me expositas, in exoticis historiis, Evangelio recentioribus, eventu comprobatas fuisse legamus? Cum autem initio operis hujus propheticam facultatem a Deo solo esse, tanquam axioma vulgo receptum ac confessum sumserimus, sequitur Christum Jesum a Deo afflatum ac veracem fuisse. Atqui se ipse Messiam dixit: unde sequitur vere Messiam fuisse.

Orig. l. 2. contr. Celf.

CAPUT XXX.

Prophetiæ post Jesum desitæ.

DAn. 9, 24. *Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, & super urbem sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur justitia sempiterna, & impleatur visio, & prophetia, & ungatur Sanctus sanctorum.*

MAtth. 11, 13. *Omnes enim Prophetæ & Lex usque ad Johannem prophetaverunt.* Et Luc. 16, 16.

Quo sensu dicantur Prophetiæ post Christum desitæ.

DE Prophetis hic agimus, adventus Christi præniuntiis. Vaticiniis protulisse Agabum, & quatuor virgines Philippi filias, Apostolorum Acta referunt. Quid aliud esse dicas Apocalypsin Johannis, quam futurorum prædictiones? *Quando ergo dicitur,* inquit Hieronymus, *Omnes Prophetæ & Lex usque ad Johannem prophetaverunt, Christi tempus ostenditur, ut quem illi dixerunt esse venturum, Johannes venisse ostenderet.*

Hieron. in Matth. 11.

CAPUT XXXI.

Jesus pastor.

PSalm. 94, 7. *Ipse est Dominus Deus noster, & nos populus pascuæ ejus, & oves manus ejus.*

Isa. 40, 10. 11. *Ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, & brachium ejus dominabitur: ecce merces ejus cum eo, & opus illius coram illo. Sicut pastor gregem suum pascet: in brachio suo congregabit agnos, & in sinu suo levabit, fœtas ipse portabit.*

Isa. 53, 6. *Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit, & posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum.*

Jerem. 31, 10. *Qui dispersit Israel congregabit eum; & custodiet eum, sicut pastor gregem suum.*

Ezech. 34, 11. & seq. *Hæc dicit Dominus Deus, Ecce ego ipse requiram oves meas, & visitabo eas: sicut visitat pastor gregem suum, in die quando fuerit in medio ovium suarum dissipatarum, sic visitabo oves meas, & liberabo eas de omnibus locis, in quibus dispersæ fuerint in die nubis & caliginis, & educam eas de populis, & congregabo eas de terris, & inducam eas in terram suam, & pascam eas in montibus Israel, in rivis, & in cunctis sedibus terræ. In*

MAtth. 25, 32. 33. *Congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hœdis: & statuet oves quidem a dextris suis, hœdos autem a sinistris.*

Matth. 26, 31. *Tunc dicit illis Jesus, Omnes vos scandalum patiemini in me ista nocte. Scriptum est enim, Percutiam pastorem, & dispergentur oves gregis.* Et Marc. 14, 27.

Joh. 10, 11. & seq. *Ego sum pastor bonus. Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis: mercenarius autem & qui non est pastor, cujus non sunt oves propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit: & lupus rapit & dispergit oves: mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, & non pertinet ad eum de ovibus. Ego sum pastor bonus, & cognosco meas, & cognoscunt me meæ. Sicut novit me Pater, & ego agnosco Patrem, & animam meam pono pro ovibus meis. Et alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili: & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet unum ovile & unus pastor.*

Ebr. 13, 20. *Deus autem pacis, qui eduxit de mortuis pastorem magnum ovium in sanguipascuis*

Digitized by Google

pascuis uberrimis pascam eas, & in montibus excelsis Israel erunt pascua earum: ibi requiescent in herbis virentibus, & pascuis pinguibus pascentur super montes Israel. Ego pascam oves meas, & ego eas accubare faciam, dicit Dominus Deus. Salvabo gregem meum, & non erit ultra in rapinam, & judicabo inter pecus & pecus. Et suscitabo super eas pastorem unum, qui pascat eas servum meum David: ipse pascet eas, & ipse erit eis in pastorem.

Ezech. 37, 24. *Et servus meus David rex super eos, & pastor unus erit omnium eorum.*

Mich. 2, 12. *In unum conducam reliquias Israel, pariter ponam illum quasi gregem in ovili, quasi pecus in medio caularum tumultuabuntur a multitudine hominum.*

Zach. 13, 7. *Framea suscitare super pastorem meum, & super virum cohærentem mihi, dicit Dominus exercituum: percute pastorem, & dispergentur oves.*

CAPUT XXXII.

Angeli ministrant Jesu.

PSalm. 96, 8. *Adorate eum omnes Angeli ejus.*

Psalm. 103, 4. *Qui facis Angelos tuos spiritus, & ministros tuos ignem urentem.*

MAtth. 4, 11. *Et ecce Angeli accesserunt, & ministrabant ei.* Et Marc. 1, 13.

Luc. 2, 10. & seq. *Et dixit illis Angelus, Nolite timere, ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus in civitate David ..... Et subito facta est cum Angelo multitudo militiæ cœlestis, laudantium Deum, & dicentium, Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.*

Joh. 1, 51. *Et dicit ei, Amen, amen dico vobis, videbitis cœlum apertum, & Angelos Dei ascendentes & descendentes supra Filium hominis.*

Ebr. 1, 6. 7. *Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit, Et adorent eum omnes Angeli Dei: & ad Angelos quidem dicit, Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis.*

1. Petr. 3, 22. *Profectus in cœlum, subjectis sibi Angelis, & Potestatibus & Virtutibus.*

Apoc. 5, 11. 12. *Et vidi, & audivi vocem Angelorum multorum in circuitu Throni, & animalium, & Seniorum, & erat numerus eorum millia millium, dicentium voce magna, Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & divinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem.*

CAPUT XXXIII.

Jesus venit in Galilæam & Capharnaum.

ISa. 9, 1. 2. *Primo tempore alleviata est terra Zabulon, & terra Nephthali: & novissimo aggravata est via maris trans Jordanem Galilæa gentium: populus, qui habitabat in tenebris vidit lucem magnam, habitantibus in regione umbræ mortis lux orta est eis.*

MAtth. 4, 12. & seq. *Cum autem audisset Jesus, quod Johannes traditus esset, secessit in Galilæam; & relicta civitate Nazareth, venit & habitavit in Capharnaum maritima, in finibus Zabulon & Nephthalim: ut adimpleretur, quod dictum est per Isaiam Prophetam, Terra Zabulon, & terra Nephthalim, via maris Jordanem, Galilæa gentium, populus, qui sedebat in tenebris, vidit trans lucem magnam, & sedentibus in regione umbræ mortis lux orta est eis.*

CAPUT

CAPUT XXXIV.

Jesus inter homines frequenter versatur.

PRov. 8, 31. *Delicia mea esse cum filiis hominum.*

Isa. 7, 24. *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel.*

Isa. 12, 6. *Exulta & lauda, habitatio Sion, quia magnus in medio tui sanctus Israel.*

Bar. 3, 38. *Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conversatus est.*

Soph. 3, 15. *Rex Israel Dominus in medio tui, non timebis malum ultra.*

Agg. 2, 5. 6. *Ego vobiscum sum, dicit Dominus exercituum; verbum quod pepigi vobiscum, cum egrederemini de terra Ægypti: & spiritus meus erit in medio vestrum; nolite timere.*

MAtth. 1, 22. 23. *Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est a Domino per Prophetam dicentem, Ecce Virgo in utero habebit, & pariet Filium, & vocabunt nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum, Nobiscum Deus.*

Matth. 28, 20. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi.*

Joh. 1, 14. *Et Verbum caro factum est, & habitavit in nobis; & vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratiæ & veritatis.*

CAPUT XXXV.

Jesus concionator, doctor, & magister.

PSalm. 2, 6. *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, prædicans præceptum ejus.*

Psalm. 21, 23. *Narrabo nomen tuum fratribus meis: in medio Ecclesiæ laudabo te.*

Psalm. 39, 10. & seq. *Annuntiavi justitiam tuam in ecclesia magna; ecce labia mea non prohibebo; Domine, tu scisti: justitiam tuam non abscondi in corde meo, veritatem tuam & salutare tuum dixi, non abscondi misericordiam tuam & veritatem tuam a concilio multo.*

Isa. 2, 3. *Ibunt populi multi, & dicent, Venite & ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Jacob, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis ejus: quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Jerusalem.*

Isa. 30, 19. 20. *Miserans miserebitur tui ad vocem clamoris tui, statim ut audierit respondebit tibi: & dabit vobis Dominus panem arctum, & aquam brevem, & non faciet avolare a te ultra doctorem tuum, & erunt oculi tui videntes præceptorem tuum.*

Isa. 50, 4. 10. *Dominus dedit mihi linguam eruditam, ut sciam sustentare eum, qui lassus est, verbo ..... Quis ex vobis timens Dominum, & audiens vocem servi sui?*

Isa. 52, 6. 7. *Propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa: quia ego ipse qui loquebar, ecce adsum. Quam pulchri super montes pedes annuntiantis & prædicantis pacem; annuntiantis bonum, prædicantis salutem, dicentis in Sion, Regnabit Deus tuus.*

MAtth. 4, 17. 23. *Exinde cœpit Jesus prædicare & dicere, Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum ..... Et circuibat Jesus totam Galilæam docens in Synagogis eorum, & prædicans Evangelium regni.* Et 5, 1. & seq. & 7, 29. & 9, 35. & 11, 1. & 13, 54. Marc. 1, 14. & seq. & 1, 21. 22. & 1, 38. 39. 45. & 2, 13. & 4, 1. & 5, 20. & 6, 2. 34. & alibi sæpe. Et Luc. 4, 15. & 5, 3. 17. & 6, 6. & alibi sæpe. Et Joh. 6, 60. & 7, 14. 28. & 8, 2. 20.

Matth. 8, 19. *Et accedens unus Scriba ait illi, Magister, sequar te quocumque ieris.* Et 12, 38. & 19, 16. & alibi sæpe. Et Marc. 9, 16, 37. & alibi sæpe. Et Luc. 3, 11. & 7, 40. & alibi sæpe. Et Joh. 11, 28.

Matth. 23, 10. *Magister vester unus est Christus.*

Matth. 26, 55. *Quotidie apud vos sedebam docens in Templo.* Et Marc. 14, 49. Luc. 19, 47. & 21, 37. Joh. 18, 20.

Luc. 2, 46. 47. *Et factum est post triduum invenerunt illum in Templo, sedentem in medio Doctorum, & audientem illos, & interrogantem eos. Stupebant autem omnes, qui eum audiebant super prudentia & responsis ejus.*

Luc. 4, 16. & seq. *Et venit Nazareth, ubi erat nutritus, & intravit secundum consuetudinem suam die Sabbathi in Synagogam, & surrexit legere. Et traditus est illi liber Isaiæ prophetæ. Et ut revolvit librum, invenit locum ubi scriptum erat, Spiritus Domini super me,*

Digitized by Google

Isa. 55, 4. *Ecce testem populis dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus.*

Isa. 61, 1. & seq. *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me: ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, & prædicarem captivis indulgentiam, & clausis apertionem: ut prædicarem annum placabilem Domino, & diem ultionis Deo nostro, ut consolarer omnes lugentes.*

Joel. 2, 23. *Filii Sion exultate, & lætamini in Domino Deo vestro: quia dedit vobis doctorem justitiæ.*

Mich. 4, 2. *Et properabunt gentes multæ, & dicent, Venite ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Jacob, & docebit nos de viis suis, & ibimus in semitis ejus: quia de Sion egredietur lex, & verbum Domini Jerusalem.*

Nahum. 1, 15. *Ecce super montes pedes evangelizantis & annuntiantis pacem: celebra, Juda, festivitates tuas, & redde vota tua; quia non adjiciet ultra, ut pertranseat in te Belial: universus interiit.*

propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, prædicare captivis remissionem, & cæcis visum, dimittere confractos in remissionem, prædicare annum Domini acceptum, & diem retributionis. Et cum plicuisset librum, reddidit ministro, & sedit. Et omnium in synagoga oculi erant intendentes in eum. Cœpit autem dicere ad illos, Quia hodie impleta est hæc Scriptura in auribus vestris. Et omnes testimonium illi dabant, & mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipsius.

Luc. 5, 5. *Et respondens Simon dixit illi, Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus.* Et Luc. 8, 24. 45. & 9, 33. 49. & 17, 13. & 21, 7.

Luc. 23, 5. *At illi invalescebant dicentes, Commovet populum, docens per universam Judæam, a Galilæa usque huc.*

Joh. 1, 38. *Qui dixerunt ei, Rabbi, quod dicitur interpretatum, Magister, ubi habitas?* Et 20. 16.

Joh. 3, 1. 2. *Erat autem homo ex Pharisæis, Nicodemus nomine, princeps Judæorum. Hic venit ad Jesum nocte, & dixit ei, Rabbi, quia a Deo venisti; nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.*

Joh. 13, 13. 14. *Vos vocatis me, Magister, & Domine: & bene dicitis, sum etenim. Si ergo lavi pedes vestros dominus & magister, & vos debitis alter alteri lavare pedes.*

Act. 10, 36. *Verbum misit Deus filiis Israel, annuntians pacem per Jesum Christum, hic est omnium Dominus.*

Ebr. 2, 11. 12. *Propter quam caussam non confunditur fratres eos vocare, dicens, Nuntiabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ laudabo te.*

CAPUT XXXVI.

Jesus in Galilæa de Deo prædicat.

ISa. 9, 1. 2. *Primo tempore alleviata est terra Zabulon, & terra Nephthali; & novissimo aggravata est via maris trans Jordanem Galilææ gentium. Populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam: habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis.*

MAtth. 4, 12. & seq. *Cum autem audisset Jesus, quod Johannes traditus esset secessit in Galilæam, & relicta civitate Nazareth, venit & habitavit in Capharnaum maritima, in finibus Zabulon & Nephthalim: ut adimpleretur, quod dictum est per Isaiam prophetam, Terra Zabulon, & terra Nephthalim, via maris trans Jordanem, Galilæa gentium, populus qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam, & sedentibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis. Exinde cœpit Jesus prædicare, & dicere, Pœnitentiam agite: appropinquavit enim regnum cœlorum.*

Marc. 1, 14. *Postquam autem traditus est Johannes, venit Jesus in Galilæam: prædicans Evangelium Dei.*

Luc. 4, 14. 15. 31. *Et regressus est Jesus in virtute spiritus in Galilæam, & fama exiit per universam regionem de illo: & ipse docebat in synagogis eorum, & magnificabatur ab omnibus..... Et descendit in Capharnaum civitatem Galilææ, ibique docebat illos Sabbathis.*

Joh. 4, 43. *Post duos autem dies exiit inde, & abiit in Galilæam. Ipse enim Jesus testimonium*

Digitized by Google

monium perhibuit, quia Propheta in ſua patria honorem non habet. Cum ergo veniſſet in Galilæam, exceperunt eum Galilæi, cum omnia vidiſſent, quæ fecerat Hieroſolymis in die feſto; & ipſi enim venerant ad diem feſtum. Venit ergo iterum in Cana Galilææ, ubi fecit aquam vinum. Et alibi paſſim.

CAPUT XXXVII.

Jeſus parabolis inter concionandum & docendum ſæpiſſime utitur.

PSalm. 77, 2. *Aperiam in parabolis os meum, loquar propoſitiones ab initio.*

MAtth. 13, 3. & ſeq. *Locutus eſt eis multa in parabolis..... Et accedentes Diſcipuli dixerunt ei, Quare in parabolis loqueris eis? Qui reſpondens ait illis..... Ideo in parabolis loquor eis, quia videntes non vident, & audientes non audiunt, neque intelligunt ..... Hæc omnia locutus eſt Jeſus in parabolis ad turbas, & ſine parabolis non loquebatur eis, ut impleretur, quod dictum erat per Prophetam dicentem, Aperiam in parabolis os meum, eructabo abſcondita a conſtitutione mundi.* Et Marc. 4, 2. & ſeq. & 12, 1. Luc. 8, 9. 10. & alias ſæpe.

Joh. 16, 25. 29. *Hæc in proverbiis locutus ſum vobis: venit hora, cum jam non in proverbiis loquar vobis, ſed palam de Patre annuntiabo vobis..... Dicunt ei Diſcipuli ejus, Ecce nunc palam loqueris, & proverbium nullum dicis.*

Septuageſimus ſeptimus Pſalmus ad Meſſiam jure refertur, ex doctrina Ebræorum.

SEptuageſimum ſeptimum Pſalmum ab antecedente haudquaquam disjungendum eſſe, Judæi quidam tradiderunt. Atqui præcedens ille Pſalmus, juxta Midraſch Pſalmorum, querimonia eſt Iſraeliticæ gentis Sponſæ ad Deum Sponſum; quorum uterque in Cantico Cantorum exhibetur. Sponſum vero hunc Meſſiam eſſe, fatentur iidem Ebræi; proindeque conſequens eſt, eam clauſulam, quam ex ſeptuageſimo ſeptimo Pſalmo hic affert Matthæus, totumque adeo Pſalmum, juxta Ebræorum doctrinam ad Meſſiam referri.

CAPUT XXXVIII.

Sermonum Jeſu vis & efficacia.

ISa. 11, 4. *Percutiet terram virga oris ſui, & ſpiritu labiorum ſuorum interficiet impium.*

Iſa. 49, 2. *Poſuit os meum quaſi gladium acutum.*

APoc. 1, 16. *De ore ejus gladius utraque parte acutus exibat.* Et 2, 12. 16.

Apoc. 19, 15. 21. *Et de ore ejus procedit gladius ex utraque parte acutus, ut ipſe percutiat gentes: & ipſe reget eas in virga ferrea: ..... Et cæteri occiſi ſunt in gladio ſedentis ſuper equum, qui procedit de ore ipſius.*

CAPUT XXXIX.

Jeſus miranda facinora edit, & omnis generis languores ſanat.

PSalm. 4, 4. *Et ſcitote quoniam mirificavit Dominus Sanctum ſuum.*

Pſalm. 102, 3. *Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis; qui ſanat omnes infirmitates tuas.*

Iſa. 42, 6. 7. *Ego Dominus dedi te in fœdus populi, in lucem gentium, ut aperires oculos cœcorum, & educeres de concluſione vinctum, de domo carceris ſedentes in tenebris.*

Iſa. 53, 4. *Vere languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit.*

Iſa. 61, 1. & ſeq. *Spiritus Domini ſuper me,*

MAtth. 4, 23. 24. *Et circuibat Jeſus totam Galilæam, docens in Synagogis eorum, & prædicans Evangelium regni, & ſanans omnem languorem, & omnem infirmitatem in populo. Et abiit opinio ejus in totam Syriam, & obtulerunt ei omnes male habentes variis languoribus & tormentis comprehenſos, & qui Dæmonia habebant, & lunaticos, & paralyticos, & curavit eos.* Et Matth. 9, 20. & ſeq. & 9, 35. & 11, 20. & 15, 22. & ſeq. & 21, 15. Marc. 1, 32. & ſeq. & 5, 2. & ſeq. & 6, 5. & 7, 25. & ſeq. & 7, 32. & ſeq. Luc.

Digitized by Google

eo quod unxerit Dominus me: ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, & prædicarem captivis indulgentiam, & clausis apertionem; ut prædicarem annum placabilem Domino, & diem ultionis Deo nostro: ut consolarer omnes lugentes: ut ponerem lugentibus Sion, & darem eis coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris.

Ezech. 14, 15. 16. *Ego pascam oves meas, & ego eas accubare faciam, dicit Dominus Deus. Quod perierat, requiram; & quod abjectum erat, reducam; & quod confractum fuerat, alligabo; & quod infirmum fuerat, consolidabo; & quod pingue & forte, custodiam.*

4, 33. & seq. & 4, 40. 41. & 5, 18. & seq. & 8, 2. 27. & seq. & 9, 38. & seq. & 11, 14. & seq. & 13, 11. & seq. & 14, 2. & seq. Joh. 2, 1. & seq. & 4, 46. & seq. & 5, 5. & seq. & 6, 2. & sæpissime in Evangeliis.

Matth. 8, 16. 17. *Vespere autem facto obtulerunt ei multos Dæmonia habentes, & ejiciebat spiritus verbo, & omnes malehabentes curavit: ut adimpleretur, quod dictum est per Isaiam prophetam dicentem, Ipse infirmitates nostras accepit, & ægrotationes nostras portavit.*

Luc. 4, 17. & seq. *Et traditus est illi liber Isaiæ prophetæ. Et ubi revolvit librum, invenit locum, ubi scriptum erat, Spiritus Domini super me: propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, prædicare captivis remissionem, & cæcis visum, dimittere confractos in remissionem, prædicare annum Domini acceptum, & diem retributionis. Et cum plicuisset librum, reddidit ministro, & sedit. Et omnium in Synagoga oculi erant intendentes in eum. Cœpit autem dicere ad illos, Quia hodie impleta est hæc Scriptura in auribus vestris.*

Luc. 6, 18. 19. *Qui vexabantur a Spiritibus immundis, curabantur. Et omnis turba quærebat eum tangere, quia virtus de illo exibat, & sanabat omnes.* Et Luc. 7, 21. & 8, 43. & seq. & 19, 37.

Joh. 2, 11. *Hoc fecit initium signorum Jesus in Cana Galilææ.*

Joh. 2, 23. *Cum autem esset Jerosolymis in Pascha in die festo, crediderunt in nomine ejus, videntes signa ejus quæ faciebat.*

Joh. 3, 1. 2. *Erat autem homo ex Pharisæis, Nicodemus nomine, princeps Judæorum. Hic venit ad Jesum nocte, & dixit ei, Rabbi, scimus quia a Deo venisti magister, nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.*

Joh. 6, 2. *Sequebatur eum multitudo magna, quia videbant signa quæ faciebat super his, qui infirmabantur.*

Joh. 7, 31. *De turba autem multi crediderunt in eum, & dicebant, Christus cum venerit, numquid plura signa faciet, quam quæ hic facit?*

Joh. 11, 47. *Collegerunt ergo Pontifices & Pharisæi concilium, & dicebant, Quid faciemus, quia hic homo multa signa facit?*

Joh. 12, 37. 38. *Cum autem tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum, ut sermo Isaiæ Prophetæ impleretur, quem dixit, Domine, quis credidit auditui nostro? & brachium Domini, cui revelatum est?*

Joh. 20, 30. *Multa quidem & alia signa fecit Jesus in conspectu Discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc.*

Act. 2, 22. 23. *Viri Israelitæ, audite verba hæc, Jesum Nazarenum, virum approbatum a Deo in vobis virtutibus, & prodigiis, & signis, quæ fecit Deus per illum in medio vestri, sicut & vos scitis..... interemistis.*

I. *Miracula a Jesu perpetrata fuisse fatentur Judæi;* II. *& Ethnici, ac Muhammedani.* III. *Refelluntur argumenta Adversariorum. Primum argumentum, quo Jesum volunt ad edenda miracula magicis artibus usum fuisse;* IV. *& de Magia librum scripsisse.* V. *Secundum argumentum, quo Jesum volunt pronuntiatione Nominis divini miracula edidisse.* VI. *Tertium argumentum Miracula Vespasiano & Hadriano afficta expenduntur.*

Miracula

Digitized by Google

Miracula a Jesu perpetrata fuisse fatentur Judæi;

I. MIracula Jesum edidisse, inter Judæos confessa res est. Ac ne iis quidem temporibus, quibus inter eos versabatur Jesus, & prodigia edebat, rem infitiabantur: sed vel magicis artibus fieri hæc caussabantur, cum dicerent, *Hic non ejicit Dæmones, nisi in Beelzebub principe Dæmoniorum,* ut est apud Matthæum: vel id querebantur fieri die Sabbathi, ut refert Johannes. *Hæc operatum Christum nec vos diffitemini,* ait Judæis Tertullianus de miraculis Jesu, *ut pote qui dicebatis, quod propter opera eum non lapidaretis, sed quoniam ista sabbathis faciebat.* Mirabilium operum editorem fuisse Jesum, disertis verbis scripsit quoque Josephus. In libro Thalmudico Avoda Zara, & in Midrasch Coheleth, aliisque veterum Ebræorum libris, vim veneni per nomen Jesu repressam fuisse traditur, quod & futurum Jesus prædixerat. Nominis ejusdem invocatione Dæmones expellere tentabant circumforanei quidam Judæi Exorcistæ, Paulum salutari hac arte morbos sanantem, & impuros Spiritus abigentem imitari conantes. Quod filiis Scevæ Principis Sacerdotum infeliciter cessit, cum male multaret eos Dæmon, atque his verbis incesseret: *Jesum novi, & Paulum scio; vos autem qui estis?* quod in Actis memorat Lucas. Narrant Evangelistæ, Discipulis Johannis Jesum interrogantibus, essetne ipse Messias a Judæis expectatus, respondisse illum: *Euntes renuntiate Johanni, quæ audistis & vidistis: cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt.* Quod tantumdem erat, ac si Messiam se esse dixisset; cum ex factis a se miraculis quivis eum posset agnoscere. Quamobrem contumaciam eorum alibi damnat, qui tot perspectis prodigiis, nihil de pertinacia sua remittebant: *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Atqui maxima patrandorum prodigiorum facultate præditum fore Messiam, ac Mose longe superiorem, ab iisdem Thalmudistis & Midrasch Coheleth traditum est. Revocaturum quoque eumdem mortuos ad vitam scripsit R. Levi ben-Gerson. Quæ cum a Domino Jesu præstita iidem sentiant, hoc certe signo, quod illustrissimum est, Messiam hunc esse vel palam fateri, vel suspicari saltem debuerunt.

Matth. 12, 24. & 9, 34.

Joh. 5, 10. 16

Tertull. Jud. c. 9.

Joss. Antiq. l. 18. c. 4.

Act. 19, 15.

Matth. 11, 1. & seq. Luc. 7, 18. & seq.

Joh. 15, 24.

& Ethnici ac Muhammedani.

II. Ad Ethnicos etiam mirandorum Jesu facinorum fama pervasit. Relata ea fuisse in publicos Pilati Commentarios, testicatur Justinus in Apologia secunda, ad eosque illic & alibi provocat: quod non feciſſet utique, Christianorum causſam apud Imperatores agens, nisi re explorata. Julianus Apostata nihil præclarum gessisse Jesum ait, ἀ μὴ τις ὅιστου, τὰς κωλὰς ϰαὶ τυφλὰς ἰᾶσασθαι, ϰαὶ δαιμονῶντας φορικῶς ἐν βηθζαϊδᾷ, ϰαὶ ἐν βηθανίᾳ τοῖς κώμοις, τῶν μεγίστων ἔργων ἦναι. *Nisi quis existimat, sanasse claudos & cæcos aliquos, & Dæmone correptos adhibitis obtestationibus liberasse in viculis Bethsaida & Bethania, maxima opera esse.* Quod mihi stolidissime dictum videtur: quasi nihil magnum aut memorabile sit, quam quod magnis sumtibus, & in magna hominum frequentia administratur; plusque admirabilitatis insit acutis ingeniosorum hominum repertis, aut magnificis Regum molitionibus, vel exercitibus comparandis, urbibus vel extruendis vel expugnandis, gentibus vel regendis vel domandis, quæ omnia sunt intra naturæ artisque fines, & ab hominum industria & ingenio proficiscuntur, quam iis, quæ naturæ superant vires, quæ supra humanum captum posita sunt, & peculiari Dei nutu, certoque consilio geruntur: quæ vere maxima & miranda opera sunt. Longe itaque majoris potentiæ est mortuo vitam restituisse, quam vel Ægyptiacas ædificasse Pyramides, vel totum orbem subegisse armis, & in suas leges coegisse. Hæc ab hominibus fieri possunt, istud a Deo solo. Muhammedani vero non solum prodigiis a Christo Jesu perpetratis adjungunt fidem; sed pleraque etiam ipsi affingunt in Alcorano, quæ vel ex incertis auditionibus, vel quod potius reor ex Apocryphis libris a fœneo ipsorum Propheta hausta sunt.

Julian. ap. Cyrill. l. 6. adv. Jul.

III. Atenim quam Jesu concesserunt virtutem θαυματεργικὴν (*miraculis edendis idoneam*) Judæi, in dedecus & ignominiam trahere conantur, Patrum suorum secuti vestigia, qui Jesu ipsi in os objiciebant, ut dixi, in Beelzebub Dæmonum Principe Dæmones ipsum expellere. Magum ergo fuisse causſantur, *Clandestinis artibus omnia illa perfeciſſe, Ægyptiorum ex adytis Angelorum potentium nomina & remotas furatum esse disciplinas.* Verba sunt Arnobii idem hoc argumentum tractantis. Quâquam nec ab omnibus Judæorum Magistris damnatur ea ars, quam Cabalæ genus esse volunt.

Refelluntur argumenta adversariorum.

Primum argumentum, quo Jesum volunt ad edenda miracula magicis artibus usum fuisse;

Arnob. l. 1.

volunt. Cabalam practicam appellant, qua nec se usum diffitetur B. Moses ben Nachman. In eliciendis autem dictionum ac elementorum sacræ scripturæ occultis quibusdam virtutibus consistit omne hoc, qualecumque est, artificium. Quin & ex his Jesu apud Matthæum verbis: *Tum si quis vobis dixerit, Ecce hic est Christus, aut illic; nolite credere. Surgent enim Pseudochristi & Pseudoprophetæ, & dabunt signa magna & prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri possit, etiam electi: ecce prædixi vobis;* Judæus quidam apud Celsum colligebat, utro confessum esse Christum Jesum se præstigiatorem esse, Pseudochristum, & Pseudoprophetam: quippe qui iisdem uteretur artibus, quibus qui utuntur, jure existimantur præstigiatores, Pseudochristi, & Pseudoprophetæ. Egregie vero calumniam hanc depellit Origenes; ostenditque hoc monitu Discipulos suos præmuniisse Christum, adversus eorum fraudes, qui incantationibus & præstigiis sibi Christi nomen arrogare vellent. Tantum vero abest, ut prodigiorum editores damnaverit Christus, ut potius miraculorum perpetrandorum facultatem Discipulis suis polliceatur. *Signa autem, inquit, eos, qui crediderint, hæc sequentur: in nomine meo Dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent, & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit, super ægros manus imponent, & bene habebunt.* Non ergo portentificam vim aversatur Christus, qua pollebat ipse, & fore spondebat, ut Discipuli quoque sui pollerent; at eam qua futurum sciebat, ut ad munus suum ac titulos usurpandos impii olim homines abuterentur. Eam, inquam, probabat, quam ad conciliandos sibi hominum animos suis quandoque largitur Deus, quæque reformandis in melius hominum moribus adhibetur; eam repudiabat, quæ in hominum perniciem, & divini cultus corruptelam, Dæmonem auctorem habet. Eam denique jubebat admitti, quæ Mosaicæ similis esset; eam respui, quæ Ægyptiarum incantationum.

Matth. 24. 23. 24.

Celf. apud Orig. contr. Celf. l. 2.

Marc. 16, 17. 18.

IV. Impietatem suam alio mendacio cumularunt Christiani nominis hostes, supposito sub Jesu nomine libro magicas artes complexo, quibus eum miracula fecisse volunt. Verum inscite in fallaciam ingressi sunt, cum Petro & Paulo inscriptum a Jesu opus finxerunt. Nam hos, præ reliquis, Christi Discipulos magiæ insimulant? utifactum ab Hierocle, in libro cui titulus, φιλαλήθης, quem refellit Eusebius. Quasi Jesu familiaris fuerit Paulus, qui aliquanto post Jesu mortem in Christianorum castra transiit. Adversus conditores figmenti hujus vehementer excandescit Augustinus, libro primo de consensu Evangelistarum; quæritque cur qui librum hunc legere possunt, in quo portentifica Jesu ars tradita est, eadem quæ ipse patrare miracula non possunt. Quærit præterea, an qui tantum γοητείαις (*præstigiis*) suis & τερατεργήμασι (*prodigialibus facinoribus*) vivus mortuusque valuit, iisdem antequam natus esset efficere potuit, ut sancti Prophetæ divino spiritu afflati de se ea prædicerent, quæ opere deinde completa sunt. Quod argumentum alibi quoque urget non segniter. Adde nemini sano persuaderi posse, huic doctrinæ favere Dæmonem, quæ Dæmonis cultum evertit, & idola pessumdat. Qua ratiocinatione adversus Judæos Christus Jesus utebatur: *Omne, inquit, regnum divisum contra se, desolabitur; & omnis civitas, vel domus divisa contra se, non stabit. Et si Satanas Satanam ejicit, adversus se divisus est; quomodo ergo stabit regnum ejus?* Homines præterea ab omni, non actorum solum & verborum, sed cogitationum etiam pravitate revocabat Jesus; ad quam eosdem impellit Dæmon. Docet nos etiam Lucas in Actis, Ephesi Pauli Discipulos, *qui fuerant curiosa sectati, contulisse libros, & combussisse coram omnibus.* Curiosa hæc, fuerunt magicæ artes, quarum studio infames fuisse Ephesios antiqui scriptores produnt. Memorabile est Porphyrii Christianorum adversarii testimonium, ab Eusebio recitatum libro quinto Præparationis Evangelicæ, quo nullam hominibus opem præstari ait a Diis Ethnicorum, ex quo Jesus coli cœptus est, morbosque vulgo grassari, ejecto jam & profligato Æsculapio, aliisque Diis. Quamobrem Dionysius Alexandrinus in Epistola ad Hermammonem, Christianos esse dicit ἀντιτάλους καὶ κωλυτὰς τῶν παμμιάρων καὶ βδελυκτῶν ἐπαοιδῶν. *Sceleratis & execrandis incantationibus adversari & impedimento esse.* Tum subjicit: καὶ γὰρ ἦσι καὶ ἦσαν ἱκανοὶ παρόντες καὶ ὁρώμενοι, καὶ μόνον ἐμπνέοντες καὶ φθεγγόμενοι, διασκεδάσαι

Matth. 12. 25. 26.

Act. 19, 19.

Aug. l. 1. de conf. Evangel. c. 9. & seq.

Dion. apud Euf. Hist. l. 7. c. 10.

& de Magia librum scripsisse.

Digitized by Google

δαιμονίων τὰς τῶν ἀλιτηρίων δαιμόνων ἐπιβουλάς. *Poterant enim ac etiamnum possunt, si adsint & cernantur, statu solummodo, vel verbo omnes impiorum Dæmonum technas discutere.* Narrat quoque Constantinus Imperator in Edicto ad Provinciales de eorum errore, qui plures Deos colunt, Apollinem ex oraculo esse profatum, impedimento sibi viros quosdam justos, Christianos videlicet, quominus vera ex tripode prædiceret. Huc adjungendus Oraculorum defectus, cujus causam curiose scrutati sunt, cum alii scriptores, tum potissimum Plutarchus; ex quo discas, paulatim ea conticescere cœpisse, ad Christi usque tempus, quo obmutuerunt; quasi fracta tum penitus Dæmonum vi, silentioque ipsis impositio. Nam quæ post Christum edita referuntur, postremi fuerunt abolitæ facultatis conatus, ac velut fumus extinctæ facis, aut vanæ lumbrici secti vertigines. Neque hæc ita stricte sumenda sunt, quasi post Christi obitum nullum omnino editum sit oraculum. Velut cum dicimus per Christi mortem abrogatam fuisse Judaicam Legem, abolita sacrificia, extinctos idolorum cultus, gentes ad Christi obsequium conversas, non ea volumus, contigisse hoc ipso puncto temporis, quo Christus obiit: sed jacta tum esse fundamenta, satasque radices, unde postea rerum illarum eventus sit consecutus. Respondebat Julianus ὁ παραβάτης, Prophetas apud Christianos, perinde ut oracula apud Ethnicos defeciſſe. At falsitatem convincit liber Actorum, in quo & Agabus propheta, & quatuor Philippi Evangelistæ filiæ prophetides commemorantur, juxta id Joelis, quod in iisdem Actis descriptum est: *Et erit in novissimis diebus, dicit Dominus, effundam de spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt filii vestri, & filiæ vestræ, & juvenes vestri visiones videbunt, & juvenes vestri somnia somniabunt, & quidem super servos meos & super ancillas meas in diebus illis effundam de spiritu meo, & prophetabunt.* Scribit præterea Justinus adversus Tryphonem, ad suam usque ætatem prophetiæ donum in Ecclesia viguisse. Idem tradit Irenæus. Quodque majus est, Scriptor quidam vetus apud Eusebium libro quinto Historiæ, affirmat, auctore Apostolo, prophetiæ donum ad postremum usque Christi adventum in Ecclesia minime desiturum. Cum ait autem Matthæus, *Prophetas usque ad Johannem prophetasse*, Prophetas intellige Christi prænuntios, ut supra a me notatum est.

Conſt. apud Euſ. de vit. Conſt. l. 2. c. 50.

Act. 11. 28. & 21, 9. 10. & 2, 17. 18. Joel. 2, 28. 29.

Iren. l. 2. c. 57.

Matth. 11, 13.

V. Pervulgata est, & ab aliis jam obtrita Rabbinorum quorumdam de Christo Jesu fabula, quæ nec a nobis fieri debet. Narrant Helenæ reginæ temporibus in Hierosolymitano Templo extitisse lapidem, cui olim Arca imponi solita fuerat, in eoque descriptum fuisse יהוה שם, hoc est, nomen Dei propriis elementis expressum; cujus ea vis erat, ut quicunque illud didicisset: omnium prodigiorum potens esset: veritos ergo Sapientes, ne quis ea facultate abuteretur, canes æreos portæ custodes apposuisse: qui hac arte fuerant fabricati, ut si quis memoriæ mandato nomine pararet exire, magnis eorum territus latratibus sacri nominis oblivisceretur: horum igitur gnarum Jesum descripsisse nomen in membrana, eamque vulnere deinde facto cruri insuisse: sicque egressum Templo, membrana extracta oblitum nomen iterum didicisse, & ejus ope tot deinde prodigialis virtutis opera edidisse. Placet enim vero hæc Judæorum confessio, non præstigiis, aut incantationibus, non Dæmonum ope, sed divini nominis virtute miracula Jesum patrasse. Verum ecquem nobis narrationis hujus testem dabunt? quis lapidis hujus, & descripti in eo divini nominis? quis canum æreorum latrantium? an Libros sacros? an Josephum, qui Templum, & quidquid Templo memoratu dignum inerat, accurate recensuit? minime sane. Quis sacri nominis saxo insculpendi auctor fuit? an Salomon? quæso cur Salomon, aut quicunque rei artifex fuit, arte ipsa sua usus non est, & nullis miraculis inclaruit? cur non Sapientes ipsi canum æreorum fabricatores, θαυματουργικῇ (edendis miraculis idonea) virtute, in gentis suæ salutem, Urbisque ac Templi tutelam usi sunt? Helenam illam, qua regnante id contigisse ferunt, Adiabenorum reginam fuisse sciendum est, Monobazi uxorem, Izatæ matrem, quæ susceptæ Judæorum religione venit Hierosolymam, maximisque beneficiis affecta gente & clarissimis in regione excitatis monimentis, perpetuam apud eos nominis sui memoriam reliquit. Cum autem post Agrippæ regis obitum, vel iisdem circiter temporibus sacros Judæorum ritus instituerit, ac deinde etiam Hierosolymam sit pro-

Secundum argumentum, quo Jesum volunt pronunciatione nominis divini miracula edidisse.

fecta

facta, facile intelligitur, Claudio imperante hæc evenisse, quod optime vidit R. Azarias in Meor enajim, proindeque insignem esse Rabbinorum ἀνεσοφελιαν (*historiæ ignorationem*) qui horum temporum æqualem Jesum faciunt. Quocirca R. Abrahamus proselytus in veteri Nitzachon docebat Jesum non vi nominis hujus patrasse miracula, sed magica facultate, quam in Ægypto didicerat. Quibus etiam commenti hujus vanitas deprehenditur.

Tertium argumentum. Miracula Vespasiano & Hadriano adscripta expenduntur.

VI. Postremo ad extenuanda Christi Jesu prodigia, alia afferuntur ab Ethnicis, aut impiis edita: de quibus universe dici potest, vel conficta esse & commentitia, vel magica arte ac præstigiis facta. Mirifica illa quidem Vespasiani opera, quibus cœco cuidam visum restituisse, & alium manu ægrum sanasse fertur, a subdolis Ægyptiorum artibus videntur profecta, inter quos acta res est. Fama acceperant illi fortasse a Judæis, quorum multitudo ingens erat Alexandriæ, Josephum sacra quædam oracula Vespasiano accommodasse quemadmodum alibi diximus, quæ in Judæorum Messiam conveniebant. His ne quid in adulatoria arte concederent Ægyptii, Deum facere, divinæ virtutis opera ipsi fingendo, voluerunt, quem Judæi Messiam fecerant. Cum ergo inaudissent Jesum, qui Messias habebatur a plerisque, cœcum illito oculis sputo sanasse, & claudos ac debiles morbo liberasse, duos in eum cultum subornant, quasi ille manu, hic oculis captus esset. Tabe oculorum notum hunc fuisse scribit Tacitus: quibus notum? an Vespasiani comitibus recens illuc appulsis? haudquaquam certe; sed Ægyptiis commenti artificibus, qui falso id testificabantur. *Vespasianus primo irridere, aspernari:* verba sunt Taciti; quippe fraudem & palpum sentiens: tandem *vocibus adulantium in spem induci;* medicis præsertim rem fieri posse suadentibus, quippe doli fortasse conscii; cum dicerent, *Huic non esse exesam vim luminis, & redituram, si pellerentur obstantia: illi elapsos in pravum artus, si salubris vis adhibeatur, posse integrari.* Agnoscis, Lector, simulatos morbos; quales illi sunt mendicorum æruscatorum, qui ad movendam misericordiam ægrorum habitu sese componunt. Re intellecta Vespasianus falsis morbis falsam medicinam adhibuit alterius calcata manu, insputatis alterius oculis. Ergo mirabile non est, quod addit Tacitus: *Utrumque qui interfuere nunc quoque memorant, postquam nullum mendacio pretium.* Rem geri visam fuisse non negamus, gestam fuisse negamus. Alium præterea dolum Imperatori instruxerunt: Serapeum adeunti visus pone tergum adesse Basilides, unus e primoribus Ægyptiorum, qui tunc morbo implicitus octoginta millium itinere aberat. Nempe hominem aliquem corporis filo Basilidis consimilem in fanum clam inductum Imperatori admovent, ut ex Basilidis nomine regium omen caperet, visumque statim subduci. At de Christo Jesu similes strophas, fucosque suspicari non possumus: nam quis viro tenui & obscuro ad fraudem, mimumque subservire in animum induxisset? quis fallaciæ fructus? quam facile a magistratibus suspicionis, ac invidis, & Jesum exosis fraus omnis retecta fuisset? an in hominibus valetudinis incertæ ac dubiæ: an in cœcis, quibus non exesa esset vis luminis? imo, in eo quem captum esse oculis ab ipso ortu parentes, vicini, populus universus sciebat, in mortuo jam fœtente. Igitur non Judæi, non Ethnici miraculis Jesu fidem derogare audent.

Tac. Hist. l. 4. c. 82.

Simili arte febri laborantem Hadrianum, & vitæ pertæsum, ac manus sibi inferre volentem aggressus est Antoninus: mulierem induxit, quæ in somnis monitam se diceret brevi convaliturum Hadrianum, atque id Imperatori renuntiare jussam; quod cum non fecisset, esse cœcatam; iterum deinde jussam esse eadem facere, & genua ipsius osculari; quod si fecisset, visum esse recepturam; paruit demum illa, & oculos aqua, quæ in fano erat, ablutos recepisse se finxit. Subornavit Antoninus & Pannonium quemdam, cœcum natum, qui febrientem Hadrianum tangeret; quo facto sanatum utrumque. His commemoratis subjicit Spartianus: *Quamvis Marius Maximus hæc per simulationem facta commemoret.* Quibus opportune monemur, quid de suppositiis his Hadriani miraculis æstimare debeamus. Quid quod & hominum quorumdam ea est ἐυκρασία, (*bona corporis habitudo*) seu potius ἰδιοκρασία (*certa quædam corporis habitudo*) ut certos aliquos morbos contactu sanare possint: quale est quod de Hiberno quodam

Spart. Hadr. c. 25.

& literis

& literis & sermone multorum nuper ad nos ex Anglia perlatum est: & quod de Pyrrho narrat Plutarchus σπλῆνιῶντας (*lienis morbo laborantes*) sanasse, pede dextro viscеribus supinorum leviter impresso. At non certos aliquos, verum omnis generis languores Jesus Dominus sanavit.

Plutarch. Pyrrho.

CAPUT XL.

Jesus cœcis visum restituit.

PSalm. 145, 8. *Dominus illuminat cœcos.*

Isa. 29, 18. *Et audient in die illa surdi verba libri, & de tenebris & caligine oculi cœcorum videbunt.*

Isa. 35, 4. 5. *Deus ipse veniet & salvabit vos: tunc aperientur oculi cœcorum.*

Isa. 42, 6. 7. *Et dedi te in fœdus populi, in lucem gentium, ut aperires oculos cœcorum.*

Isa. 42, 16. & seq. *Et ducam cœcos in viam quam nesciunt, & in semitis quas ignoraverunt ambulare eos faciam: ponam tenebras coram eis in lucem, & prava in recta..... Surdi audite, & cœci intuemini ad videndum.*

MAtth. 9, 7. & seqq. *Et transeunte inde Jesu, secuti sunt eum duo cœci, clamantes & dicentes, Miserere nostri, fili David. Cum autem venisset domum, accesserunt ad eum cœci: & dicit eis Jesus, Creditis quia hoc possum facere vobis? Dicunt ei, Utique, Domine. Tunc tetigit oculos eorum, dicens, Secundum fidem vestram fiat vobis. Et aperti sunt oculi eorum.* Et Matth. 20, 30. Marc. 10, 46. & seq. Luc. 18, 35. & seq.

Matth 11, 4. 5. *Et respondens Jesus ait illis, Euntes renuntiate Johanni, quæ audistis & vidistis: cœci vident.* Et Luc. 7, 18. & seq.

Matth. 12, 22. *Tunc oblatus est ei Dæmonium habens, cœcus & mutus, & curavit eum, ita ut loqueretur & videret.* Et Luc. 11, 4.

Matth. 15, 30. 31. *Et accesserunt ad eum turbæ multæ, habentes secum mutos, cœcos, claudos, debiles, & alios multos; & projecerunt eos ad pedes ejus, & curavit eos; ita ut turba miraretur videntes mutos loquentes, claudos ambulantes, cæcos videntes.*

Matth. 21, 14. *Et accesserunt ad eum cœci & claudi in Templo, & sanavit eos.*

Marc. 8, 22. & seq. *Et veniunt Bethsaidam, & adducunt ei cœcum, & rogabant eum, ut illum tangeret; & apprehensa manu cœci eduxit eum extra vicum; & expuens in oculos ejus, impositis manibus suis, interrogavit eum si quid videret: & aspiciens ait, Video homines velut arbores ambulantes. Deinde iterum imposuit manus super oculos ejus, & cœpit videre: & restitutus est, ita ut clare videret omnia.*

Luc. 4, 17. & seq. *Et traditus est illi liber Isaiæ Prophetæ: & ut revolvit librum, invenit locum ubi scriptum erat, Spiritus Domini super me, propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, prædicare captivis remissionem, & cœcis visum ..... Cœpit autem dicere ad illos, Quia hodie impleta est hæc scriptura in auribus vestris.*

Luc. 7, 21. *In ipsa autem hora multos curavit a languoribus, & plagis, & spiritibus malis, & cœcis multis donavit visum.*

Joh. 9, 6. 7. *Hæc cum dixisset, expuit in terram, & fecit lutum ex sputo, & linivit lutum super oculos ejus, & dixit ei, Vade & lava in natatoria Siloe (quod interpretatur Missus) Abiit ergo, & lavit, & venit videns.*

Joh. 10, 21. *Alii dicebant, Hæc verba non sunt Dæmonium habentis. Numquid Dæmonium potest cœcorum oculos aperire?*

Joh. 11, 37. *Quidam autem ex ipsis dixerunt, non poterat hic, qui aperuit oculos cœci nati, facere ut hic non moreretur?*

CAPUT XLI.

Jesus surdorum aures aperit.

ISa. 29, 18. *Et audient in die illa surdi verba libri, & de tenebris & caligine oculi cœcorum videbunt.*

MAtth. 11, 4. 5. *Et respondens Jesus ait illis, Euntes renuntiate Johanni quæ audistis & vidistis: cœci vident, claudi ambulant,*

Digitized by Google

Isa 35, 4. 5. *Deus ipse veniet, & salvabit vos: tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt.*

Isa. 42. 18. *Surdi audite, & cæci intuemini ad videndum.*

ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt. Et Luc. 7, 22.

Marc. 7, 32. & seq. *Et adducunt ei surdum mutum, & deprecabantur eum, ut imponat illi manum. Et apprehendens eum de turba seorsum, misit digitos suos in auriculas ejus: & exspuens tetigit linguam ejus; & suspiciens in cœlum ingemuit, & ait ille, Ephpheta, quod est adaperire; & statim apertæ sunt aures ejus, & solutum est vinculum linguæ ejus, & loquebatur recte.*

Marc. 9, 24. *Et cum videret Jesus concurrentem turbam, comminatus est spiritui immundo, dicens illi, Surde & mute spiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo, & amplius ne introeas in eum: & exclamans, & multum discerpens eum, exiit ab eo.*

CAPUT XLII.

Jesus mutorum linguam solvit.

SAp. 10, 21. *Sapientia aperuit os mutorum, & linguas infantium fecit disertas.*

Isa. 35, 4. 6. *Deus ipse veniet, & salvabit vos ..... Tunc saliet sicut cervus claudus, & aperta erit lingua mutorum.*

MAtth. 9, 32. 33. *Egressis autem illis, ecce obtulerunt ei hominem mutum, dæmonium habentem, & ejecto dæmonio locutus est mutus.* Et Luc. 11, 14.

Matth. 12, 22. *Tunc oblatus est ei dæmonium habens, cæcus, & mutus; & curavit eum, ita ut loqueretur & videret.*

Matth. 15, 30. 31. *Et accesserunt ad eum turba multa habentes secum mutos, cæcos, claudos, debiles, & alios multos, & projecerunt eos ad pedes ejus, & curavit eos; ita ut turba mirarentur videntes mutos loquentes, claudos ambulantes, cæcos videntes.*

Marc. 7, 32. & seq. *Et adducunt ei surdum & mutum, & deprecabantur eum, ut imponat ei manum. Et apprehendens eum de turba seorsum, misit digitos suos in auriculas ejus, & expuens tetigit linguam ejus, & suspiciens in cœlum ingemuit, & ait ille, Ephpheta, quod est Adaperire: & statim apertæ sunt aures ejus, & solutum est vinculum linguæ ejus, & loquebatur recte.*

Marc. 9, 24. 25. & seq. *Et cum videret Jesus concurrentem turbam, comminatus est Spiritui immundo, dicens illi, Surde & mute Spiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo, & amplius ne introeas in eum. Et exclamans, & multum discerpens eum, exiit ab eo.*

CAPUT XLIII.

Jesus claudos sanat.

ISa. 35, 4. 6. *Deus ipse veniet, & salvabit vos ..... Tunc saliet sicut cervus claudus.*

MAtth. 11, 4. 5. *Et respondens Jesus ait illis, Euntes renuntiate Johanni, quæ audistis & vidistis; cæci vident, claudi ambulant.* Et Luc. 7, 22.

Matth. 15, 30. 31. *Et accesserunt ad eum turba multa, habentes secum mutos, cæcos, claudos, debiles, & alios multos, & projecerunt eos ad pedes ejus, & curavit eos, ita ut turba mirarentur videntes mutos loquentes, claudos ambulantes, cæcos videntes.*

Matth. 21, 14. *Et accesserunt ad eum cæci & claudi in templo, & sanavit eos.*

CAPUT XLIV.

Jesus debiles sanat.

ISa. 35, 34. *Confortate manus dissolutas, & genua debilia roborate ..... Deus ipse veniet, & salvabit vos.*

MAtth. 4, 24. *Obtulerunt ei omnes male habentes variis languoribus, & tormentis comprehensos, qui Dæmonia habebant, & lunaticos, & paralyticos, & curavit eos.*

Matth. 8, 5. & seq. *Cum autem introiisset Capharnaum, accessit ad eum Centurio, rogans & dicens, Domine, puer meus jacet in domo paralyticus, & male torquetur. Et ait illi Jesus,*

Digitized by Google

Jesus, Ego veniam, & curabo eum ..... Et dixit Jesus Centurioni, Vade, & sicut credidisti fiat tibi: & sanatus est puer in illa hora.

Matth. 9, 2. & seq. *Et ecce offerebant ei paralyticum jacentem in lecto ..... tunc ait paralytico, Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. Et surrexit & abiit in domum suam.* Et Marc. 2. 3. & seq. Luc. 5, 18. & seq.

Joh. 5, 5. & seq. *Erat autem quidam homo ibi, triginta & octo annos habens in infirmitate sua. .... Dicit ei Jesus, Surge, tolle grabatum tuum, & ambula: & statim sanus factus est homo ille, & sustulit grabatum suum, & ambulabat.*

CAPUT XLV.

Jesus mortuus revocat ad vitam.

PSalm. 102, 2. & seq. *Benedic anima mea Domino, & noli obliviscì omnes retributiones ejus; qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas, qui redimit de interitu vitam tuam.*

Isa. 26, 19. *Vivent mortui tui, interfecti mei resurgent: expergiscimini, & laudate qui habitatis in pulvere.*

MAtth. 9, 18. & seq. *Ecce Princeps unus accessit, & adorabat eum dicens, Domine, filia mea modo defuncta est; sed veni, impone manum tuam super eam, & vivet ..... Et cum ejecta esset turba, intravit, & tenuit manum ejus, & surrexit puella.* Et Marc. 5, 22. & seq. Luc. 8, 41. & seq.

Matth. 11, 4. 5. *Et respondens Jesus ait illis, Euntes renuntiate Johanni quæ audistis & vidistis; cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt.* Et Luc. 7, 18. & seq.

Luc. 7, 12. & seq. *Cum autem appropinquaret portæ civitatis, ecce defunctus efferebatur filius unicus matris suæ ..... & accessit, & tetigit loculum ..... & ait, Adolescens, tibi dico, surge. Et resedit qui erat mortuus, & cœpit loqui, & dedit illum matri suæ.*

Joh. 11, 43. 44. *Hæc cum dixisset, voce magna clamavit, Lazare, veni foras. Et statim prodiit qui fuerat mortuus.*

CAPUT XLVI.

Jesus esurientes cibo reficit.

1. REg. 2, 5. *Famelici saturati sunt, donec sterilis peperit plurimos, & quæ multos habebat filios infirmata est.*

Psalm. 21, 27. *Edent pauperes, & saturabuntur.*

Psalm. 32. 18. 19. *Ecce oculi Domini super metuentes eum, & in eis qui sperant super misericordia ejus: ut eruat a morte animas eorum, & alat eos in fame.*

Psalm. 36, 18. 19. *Novit Dominus dies immaculatorum, & hæreditas eorum in æternum erit: non confundentur in tempore malo, & in diebus famis saturabuntur.*

Psalm. 106, 4. & seq. *Erraverunt in solitudine in inaquoso, viam civitatis habitaculi non invenerunt; esurientes & sitientes, anima eorum in ipsis defecit. Et clamaverunt ad Dominum cum tribularentur, & de necessitatibus eorum eripuit eos.*

Psalm. 131, 15. *Pauperes ejus saturabo panibus.*

Psalm. 145, 7. *Qui custodit veritatem in se-*

MAtth. 14, 15. & seq. *Vespere autem facto accesserunt ad eum Discipuli ejus dicentes, Desertus est locus, & hora jam præterìit: dimitte turbas, ut euntes in castella emant sibi escas. Jesus autem dixit eis, Non habent necesse ire, date illis vos manducare. Responderunt ei, Non habemus hic nisi quinque panes, & duos pisces. Qui ait eis, Afferte mihi illos huc. Et cum jussisset turbam discumbere super fœnum, acceptis quinque panibus, & duobus piscibus, aspiciens in cœlum benedixit, & fregit, & dedit discipulis panes, Discipuli autem turbis. Et manducaverunt omnes, & saturati sunt. Et tulerunt reliquias, duodecim cophinos fragmentorum plenos. Manducantium autem fuit numerus, quinque millia virorum, exceptis mulieribus & parvulis.* Et Marc. 6, 35. & seq. Luc. 9, 12. & seq. Joh. 6, 5. & seq. & 6, 26. seq.

Matth. 15, 32. & seq. *Jesus autem convocatis Discipulis suis dixit, Misereor turbæ, quia triduo jam perseverant mecum, & non*

Digitized by Google

culum, facit judicium injuriam patientibus, dat escam esurientibus.

Prov. 10, 3. *Non affliget Dominus fame animam justi.*

Isa. 23, 18. *His qui habitaverint coram Domino, erit negotiatio ejus, ut manducent in saturitatem.*

Isa. 49, 8. & seq: *Hæc dicit Dominus .... Dedi te in fœdus populi, ut suscitares terram, & possideres hæreditates dissipatas, ut diceres his qui vincti sunt, Exite; & his qui in tenebris, Revelamini: super vias pascentur, & in omnibus planis pascua eorum: non esurient, neque sitient.*

Isa. 65, 13. *Propter hoc hæc dicit Dominus Deus, Ecce servi mei comedent, & vos esurietis.*

Jerem. 21, 25. *Omnem animam esurientem saturavi.*

Joel. 2, 23. 26. *Et filii Sion exultate, & lætamini in Domino Deo vestro, quia dedit vobis doctorem justitiæ..... Et comedetis vescentes, & saturabimini, & laudabitis nomen Domini Dei vestri, qui fecit mirabilia vobiscum.*

habent quod manducent, & dimittere eos jejunos nolo, ne deficiant in via. Et dicunt ei Discipuli, Unde ergo nobis in deserto panes tantos, ut saturemus turbam tantam? Et ait illis Jesus, Quot habetis panes? At illi dixerunt, Septem & paucos piscículos. Et præcepit turbæ, ut discumberent super terram. Et accipiens septem panes, & pisces, & gratias agens fregit, & dedit Discipulis suis, & Discipuli dederunt populo. Et comederunt omnes, & saturati sunt. Et quod superfuit de fragmentis, tulerunt septem sportas plenas. Erant autem qui manducaverunt, quatuor millia hominum, extra parvulos & mulieres. Et Marc. 8. 1. & seq.

Luc. 1, 53. *Esurientes implevit bonis.*

Joh. 6, 32. & seq. *Dixit ergo eis Jesus, Amen, amen dico vobis, non Moyses dedit vobis panem de cœlo, sed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum. Panis enim Dei, est qui de cœlo descendit, & dat vitam mundo. Dixerunt ergo ad eum, Domine, semper da nobis panem hunc. Dixit autem eis Jesus, Ego sum panis vitæ, qui venit ad me, non esuriet; & qui credit in me, non sitiet unquam..... Ego sum panis vitæ. Patres vestri manducaverunt manna in deserto & mortui sunt: hic est panis de cœlo descendens, ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur. Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi: si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum; & panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Vide & reliquum caput.

Apoc. 7, 15. 16, *Ideo sunt ante thronum Dei, & serviunt ei die ac nocte in Templo ejus: & qui sedet in throno, habitabit super illos; non esurient, neque sitient amplius.*

CAPUT XLVII.

Apostolos, Discipulos, & sectatores de gente Judaica Jesus deligit, & ad se vocat; a quibus deinde propagata est Christiana religio. Delectus & vocatio, quæ fit per Jesum, initium est salutis.

PSalm. 67, 27. 28. *In Ecclesiis benedicite Deo Domino de fontibus Israel. Ibi Benjamin adolescentulus in mentis excessu. Principes Juda duces eorum: principes Zabulon, principes Nephthali.*

Isa. I, 9. *Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, & quasi Gomorrha similes essemus.*

Isa. 4, 2. 3. *In die illa erit germen Domini in magnificentia, & gloria, & fructus terræ sublimis, & exultatio his qui salvati fuerint de Israel. Et erit, omnis qui relictus fuerit in Sion, & residuus in Jerusalem, sanctus vocabitur, omnis qui scriptus est in vita in Jerusalem.*

Isa. 9, 1. *Primo tempore alleviata est terra Zabulon, & terra Nephthali, & novissimo aggravata est via maris trans Jordanem Galilæa*

MAtth. 4, 18. & seq. *Ambulans autem Jesus juxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem qui vocatur Petrus, & Andream fratrem ejus, mittentes rete in mare (erant enim piscatores) & ait illis, Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum. At illi continuo relictis retibus secuti sunt eum. Et procedens inde vidit alios duos fratres, Jacobum Zebedæi, & Johannem fratrem ejus, in navi cum Zebedæo patre eorum, reficientes retia sua, & vocavit eos. Illi autem statim relictis retibus & patre, secuti sunt eum.* Et Matth. 9, 9. Marc. 1, 16. & seq. & 2, 14. Luc. 5, 2. & seq. Joh. 1, 37. & seq.

Matth. 10, 1. & seq. *Et convocatis duodecim Discipulis suis, dedit illis potestatem spirituum immundorum, ut ejicerent eos, & curarent,*

Digitized by Google

gentium. Populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam: habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis.

Isa. 10, 20. & seq. *Et erit in die illa, non adjiciet residuum Israel, & hi qui fugerint de domo Jacob, niti super eo qui percutit eos; sed innitetur super Dominum sanctum Israel in veritate. Reliquiæ convertentur: reliquiæ, inquam, Jacob ad Deum fortem. Si enim fuerit populus tuus Israel, quasi arena maris, reliquiæ convertentur ex eo: consummatio abbreviata inundavit justitiam. Consummationem enim & abbreviationem Dominus Deus exercituum faciet in medio omnis terræ.*

Isa. 17, 4. & seq. *Et erit in die illa, attenuabitur gloria Jacob, & pinguedo carnis ejus marcescet. Et erit sicut congregans in messe quod restiterit, & brachium ejus spicas leget, & erit sicut quærens spicas in valle Raphaim. Et relinquetur in eo sicut racemus, & sicut excussio oleæ duarum vel trium olivarum in summitate rami, sive quatuor aut quinque in eacuminibus ejus fructus ejus, dicit Dominus Deus Israel. In die illa inclinabitur homo ad factorem suum, & oculi ejus ad sanctum Israel respicient, & non inclinabitur ad altaria, quæ fecerunt manus ejus,*

Isa. 28, 5. *In die illa erit Dominus exercituum corona gloriæ, & sertum exultationis residuo populi sui.*

Isa. 37, 31. 32. *Et mittet id quod salvatum fuerit de domo Juda, & quod reliquum est, radicem deorsum, & faciet fructum sursum: quia de Jerusalem exibunt reliquiæ, & salvatio de monte Sion. Zelus Domini exercituum faciet illud.*

Isa. 65, 8. 9. *Hæc dicit Dominus, Quomodo si inveniatur granum in botro, & dicatur, Ne dissipes illud, quoniam benedictio est: sic faciam propter servos meos, ut non disperdam totum. Et educam de Jacob semen, & de Juda possidentem montes meos: & hæreditabunt eam electi mei, & servi mei habitabunt ibi.*

Jerem. 3, 14. 15. *Convertimini, filii revertentes, dicit Dominus, quia ego vir vester: & assumam vos, unum de civitate, & duos de cognatione, & introducam vos in Sion. Et dabo vobis pastores secundum cor meum, & pascent vos scientia & doctrina: cumque multiplicati fueritis & creveritis in diebus illis, ait Dominus, non dicent ultra, Arca Testamenti Domini, neque ascendet super cor, neque recordabuntur illius, nec visitabitur, nec fiet ultra.*

curarent omnem languorem, & omnem infirmitatem ..... Hos duodecim misit Jesus, præcipiens eis dicens, In viam gentium ne abieritis, & in civitates Samaritanorum ne intraveritis, sed potius ite ad oves, quæ perierunt domus Israel. Euntes autem prædicate dicentes, Quia appropinquavit regnum cælorum.

Marc. 3, 13. & seq. *Et ascendens in montem vocavit ad se quos voluit ipse, & venerunt ad eum. Et fecit ut essent duodecim cum illo, & ut mitteret eos prædicare. Et dedit illis potestatem curandi infirmitates, & ejiciendi Dæmonia.* Et Marc. 6, 7. Luc. 6, 13. & 9, 1. & seq.

Rom. 9, 27. *Isaias clamat pro Israel, Si fuerit numerus filiorum Israel tanquam arena maris, reliquiæ salvæ fient: verbum enim consummans & abbrevians in æquitate, quia verbum breviatum faciet Dominus super terram; & sicut prædixit Isaias, Nisi Dominus reliquisset nobis semen, sicut Sodoma facti essemus, & sicut Gomorrha similes fuissemus.*

Rom. 11, 1. & seq. *Dico ergo, Numquid Deus repulit populum suum? absit: nam & ego Israelita sum ex semine Abraham, de tribu Benjamin. Non repulit Deus plebem suam, quam præscivit. An nescitis in Elia quid dicit Scriptura, quemadmodum interpellat Deum adversum Israel? Domine, Prophetas tuos occiderunt, altaria tua suffoderunt, & ego relictus sum solus, & quærunt animam meam. Sed quid dicit illi divinum responsum? Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curvaverunt genua ante Baal. Sic ergo & in hoc tempore reliquiæ secundum electionem gratiæ salvæ factæ sunt.*

1. Cor. 1, 26. & seq. *Videte enim vocationem, fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes; & infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia; & ignobilia mundi, & contemtibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret, ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus.*

Jac. 2, 5. *Audite, fratres mei dilectissimi, nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, & hæredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se.*

Digitized by Google

Jerem. 16, 16. *Ecce ego mittam piscatores multos, dicit Dominus, & piscabuntur eos* (Israelitas:) *& post hæc mittam eis multos venatores, & venabuntur eos de omni monte, & de omni colle, & de cavernis petrarum.*

Mich. 2, 12. *Congregatione congregabo Jacob totum te; in unum conducam reliquias Israel, pariter ponam illum quasi gregem in ovili, quasi pecus in medio caularum: tumultuabuntur a multitudine hominum.*

Mich. 5, 2. & seq. *Et tu, Bethlehem Ephrata, parvulus es in millibus Juda: ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel, & egressus ejus ab initio, a diebus, æternitatis. Propter hoc dabit eos usque ad tempus in quo parturiens parturiet, & reliquiæ fratrum ejus convertentur ad filios Israel. Et stabit, & pascet in fortitudine Domini, in sublimitate nominis Domini Dei sui, & convertentur, quia nunc magnificabitur usque ad terminos terræ. Et erit iste pax, cum venerit Assyrius in terram nostram, & quando calcaverit in domibus nostris: & suscitabimus super eum septem pastores, & octo primates homines..... Et erunt reliquiæ Jacob in medio populorum multorum, quasi ros a Domino, & quasi stillæ super herbam quæ non expectat virum, & non præstolatur filios hominum. Et erunt reliquiæ Jacob in gentibus, in medio populorum multorum, quasi leo in jumentis silvarum, & quasi catulus leonis in gregibus pecorum; qui cum transierit, & conculcaverit, & ceperit, non est qui eruat.*

Sophron. 3, 12. & seq. *Et derelinquam in medio tui populum pauperem & egenum, & sperabunt in nomine Domini. Reliquiæ Israel non facient iniquitatem, nec loquentur mendacium, & non invenietur in ore eorum lingua dolosa... Lauda filia Sion... rex Israel Dominus in medio tui, non timebis malum ultra. In die illa dicetur Jerusalem, Noli timere, Sion, non dissolvantur manus tuæ. Dominus Deus tuus in medio tui fortis, ipse salvabit..... congregabo, qui a lege recesserant, congregabo, quia ex te erant, ut non ultra habeas super eis opprobrium. Ecce ego interficiam omnes, qui afflixerunt te in tempore illo, & salvabo claudicantem, & eam quæ ejecta fuerat, congregabo, & ponam eos in laudem, & in nomen, in omni terra confessionis eorum.*

Zach. 13, 7. & seq. *Framea suscitare super virum cohærentem mihi, dicit Dominus exercituum: percute pastorem, & dispergentur oves, convertam manum meam ad parvulos. Et erunt in omni terra, dicit Dominus: partes duæ in ea dispergentur, & deficient, & tertia pars relinquetur in ea. Et ducam tertiam partem per ignem, & uram eos sicut uritur argentum, & probabo eos sicut probatur aurum. Ipse vocabit nomen meum, & ego exaudiam eum. Dicam, Populus meus es tu: & ipse dicet, Dominus Deus meus.*

I. *Exponitur Psalm. 67, 27. 28.* II. *Confutius Sinensis Philosophus septuaginta duos Discipulos, & duodecim in his præcipuos deligit.*

Exponitur Ps. 67, 27. 28.

I. OPeræ pretium erit testimonii e Psalmo sexagesimo septimo hic allati propheticam sententiam exponere. *In Ecclesiis benedicite Deo Domino de fontibus Israel.* Ad laudes Deo concinendas hortatur Propheta Ecclesias Christianorum, qui Israelitarum sunt propago. Nam ex stirpe Jacobi prodiit Christus Jesus, prodierunt & Apostoli ac Discipuli Christi complures. Ab Israeliticis Prophetis prædicta est Christi οἰκονομία, ita ut Lex & Testamentum vetus Israeliticum, umbra sit & antecessio, fons etiam & origo Novi Jesu Christi Testamenti. *Ibi Benjamin adolescentulus in mentis excessu.* Paulum Apostolum hic præsignari manifestum est, qui fuit de tribu Benjamin, & per mentis alienationem a Deo *vocatus Apostolus, segregatus in Evangelium Dei.* Dicitur a Propheta *Adolescentulus*, quemadmodum *Adolescens* a Luca in Actis: *Et testes deposuerunt vestimenta sua secus pedes adolescentis, qui vocabatur Saulus.* An potius, quod postremus Apostolorum vocatus sit? Sic enim ille de se ad Corinthios: *Novissime omnium tanquam abortivo visus est & mihi: ego enim sum minimus Apostolorum.* Et alibi: *Puto enim quod Deus nos Apostolos novissimos ostendit.* Subjungit Propheta: *Principes Juda duces eorum, principes Zabulon, principes Nephthali.* Principes Juda ii sunt, qui fratres Christi appellantur in Evangelio, tribu Juda oriundi. Principes vero Zabulon & Nephthali, reliqui fere Apostoli, qui Galilæa sunt orti, in qua Zabulonitis

Act. 7, 57. 1. Cor. 15, 8. 9. 1. Cor. 4, 9.

Digitized by Google

bulonitis tribus & Nephthalitis. In eamdem
Isa. 9, 1. 2. sententiam conspirat Isaias hoc prædicto, quod subjunximus in Parallelismo: *Primo tempore alleviata est terra Zabulon, & terra Nephthali, & novissimo aggravata est via maris trans Jordanem Galilæa gentium. Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam; habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis.* Sibi itaque lucem commodant Psaltes & Isaias, sibique consentiunt. Qui plura volet, consulat Eusebium libro nono Demonstrationis; item Theodoretum, Hilarium, Augustinum, & Auctorem Expositionis Psalmorum, quæ Hieronymi operibus subnecti solet.

Confutius Sinensis

II. Interim hoc etiam obiter adnotare libet, quod in Martini Martinii Historia Sinica memini me legere, insignem illum Philosophum Sinensem Confutium septuaginta duos sibi delegisse Discipulos, quorum e numero duodecim præ cæteris potiori cura instituendos suscepit; sive Ebraicæ Reipublicæ formam secutus, quam Moses per duodecim tribuum Principes, & septuaginta Senes administrabat; sive jam tum Deo scintillis aliquibus & radiis veritatis animum ejus collustrante, futurum prospiciens, ut Messias, cujus notitiam aliquam ex Librorum sacrorum lectione perceperat, quemadmodum supra monui, ad Mosis exemplum totidem duces ac magistros Ecclesiæ suæ præficeret.

Philosophus septuaginta duos Discipulos & duodecim in his præcipuos deligit. Martin. Hist. Sinic. l. 4.

CAPUT XLVIII.

Apostoli Jesu Piscatores.

PSalm. 106, 20. 23. 24. *Misit Verbum suum & sanavit eos, & eripuit eos de interitionibus eorum. Qui descendunt mare in navibus, facientes operationem in aquis multis, ipsi viderunt opera Domini, & mirabilia ejus in profundo.*

Jerem. 16, 16. *Ecce ego mittam piscatores multos, dicit Dominus, & piscabuntur eos.*

Ezech. 47, 8. & seq. *Aqua ista quæ egrediuntur ad tumulos sabuli orientalis, & descendunt ad plana deserti, intrabunt mare, & exibunt, & sanabuntur aquæ. Et omnis anima vivens, quæ serpit, quocunque venerit torrens, vivet; & erunt pisces multi satis, postquam venerint illuc aquæ istæ, & sanabuntur, & vivent omnia, ad quæ venerit torrens. Et stabunt super illas piscatores, ab Engaddi usque ad Engallim siccatio sagenarum erit: plurima species erunt piscium ejus, sicut pisces maris magni multitudinis nimiæ.*

MAtth. 4, 18. *Ambulans autem Jesus juxta mare Galilææ; vidit duos fratres, Simonem qui vocatur Petrus, & Andream fratrem ejus, mittens rete in mare; erant enim piscatores; & ait illis, Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum.* Et Marc. 1, 16. & seq. Luc. 5, 2. & seq.

Matth. 13, 47. 48. *Iterum simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti: quam cum impleta esset educentes, & secus littus sedentes, elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt.*

Exponitur Ps. 106, 20. & seq.

COmma istud e Psalmo centesimo sexto non in Messiam solum, sed & in Jesum quoque satis aperte confert R. Isaac Aramæus in Expositionibus libri Numerorum. Nam Verbum Dei ad omnes sanandos missum fuisse dicit, verum ab omnibus non fuisse receptum, sed ab aliquibus tantum tardioris ingenii viris, iisque piscatoribus: qui cum rudes essent & hebetes, veritatem tamen prophetiæ receperunt, & Verbo Dei fidem habuerunt. Quibus Christi Jesu Apostoli manifeste designantur.

CAPUT XLIX.

Paucos numero Jesus deligit.

ISa. 17, 4. & seq. *Et erit in die illa, attenuabitur gloria Jacob; & pinguedo carnis ejus marcescet. Et erit sicut congregans in messe quod restiterit, & brachium ejus spicas leget, & erit sicut quærens spicas in valle Raphaim. Et re-*

MAtth. 9, 37. 38. *Tunc dicit Discipulis suis Messis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam.* Et Luc. 10, 2.

Matth. 10, 1. 5. *Et convocatis duodecim*

linquetur

Digitized by Google

linquetur in eo sicut racemus, & sicut excussio oleæ duarum vel trium olivarum in summitate rami, sive quatuor aut quinque in cacuminibus ejus fructus ejus, dicit Dominus Deus Israel.

Isa. 24, 13. & seq. *Hæc erunt in medio terræ, in medio populorum: quomodo si paucæ olivæ, quæ remanserunt, excutiantur ex olea; & racemi, cum fuerit finita vindemia. Hi levabunt vocem suam, atque laudabunt: cum glorificatus fuerit Dominus, hinnient de mari. Propter hoc in doctrinis glorificate Dominum; in insulis maris nomen Domini Dei Israel. A finibus terræ laudes audivimus, gloriam justi.*

Isa. 65, 8. 9. *Hæc dicit Dominus, Quomodo si inveniatur granum in botro, & dicatur, Ne dissipes illud, quoniam benedictio est: sic faciam propter servos meos, ut non disperdam totum. Et educam de Jacob semen, & de Juda possidentem montes meos, & hæreditabunt eum electi, mei, & servi mei habitabunt ibi.*

Jerem. 3, 14. *Convertimini, filii revertentes, dicit Dominus, quia ego vir vester, & assumam vos unum de civitate, & duos de cognatione, & introducam vos in Sion.*

Ezech. 12, 15. 16. *Et scient quia ego Dominus, quando dispersero illos in gentibus, & disseminavero eos in terris, & relinquam ex eis viros paucos, a gladio, & fame & pestilentia; ut enarrent omnia scelera eorum in gentibus, & quas ingredientur, & scient quia ego Dominus.*

CAPUT L.

Apostoli præcones Jesu & nuntii.

Psalm. 18, 5. *In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.*

Psalm. 147, 4. *Qui emittit eloquium suum terræ, velociter currit sermo ejus.*

Isa. 24, 14. *Hi levabunt vocem suam atque laudabunt: cum glorificatus fuerit Dominus, hinnient de mari. Propter hoc in doctrinis glorificate Dominum; in insulis maris nomen Domini Dei Israel. A finibus terræ laudes audivimus, gloriam justi.*

Isa. 28, 9. & seq. *Quem docebit scientiam* (Dominus?) *& quem intelligere faciet auditum? ablactatos a matre, avulsos ab uberibus. Quia manda, & remanda; expecta, reexpecta; modicum ibi, modicum ibi. In loquela enim labii, & lingua altera loquetur ad populum istum. Cui dixit, Hæc est requies mea, reficite lassum, & hoc est meum refrigerium.*

Isa. 29, 22. & seq. *Propter hoc hæc dicit Dominus ad domum Jacob, qui redemit Abraham, non modo confundetur Jacob, nec modo vultus ejus erubescet: sed cum viderit filios suos, opera manuum mearum, in medio sui sanctificantes nomen meum, & sanctificabunt sanctum Jacob, & Deum Israel prædicabunt, & scient errantes spiritu intellectum, & murmuratores discent legem.*

Matth. 10, 5. & seq. *Hos duodecim misit Jesus præcipiens eis, dicens..... Euntes prædicate dicentes, Quia appropinquavit regnum cœlorum.... Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, & quod in aure auditis, prædicate super tecta.* Et Marc. 3, 14. Luc. 9. 1. 2. & 12, 3.

Matth. 24, 14. *Prædicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus.* Et Marc. 13, 10.

Matth. 28, 19. *Euntes ergo docete omnes gentes.*

Marc. 6, 12. *Et exeuntes prædicabant, ut pœnitentiam agerent.*

Marc. 16, 15. 20. *Et dixit eis, Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ..... Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.*

Luc. 24, 46. 47. *Sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere a mortuis tertia die, & prædicari in nomine ejus pœnitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Jerosolyma.*

Act. 2, 4. *Repleti sunt omnes* (Discipuli Jesu) *Spiritu sancto, & cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis.*

Isa. 52,

Digitized by Google

Isa. 52, 6. & seq. *Propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa, quia ego ipse qui loquebar, ecce adsum. Quam pulchri super montes pedes annuntiantis & prædicantis pacem; annuntiantis bonum, prædicantis salutem, dicentis Sion, Regnabit Deus tuus! Vox speculatorum tuorum, levaverunt vocem, simul laudabunt; quia oculo ad oculum videbunt, cum converterit Dominus Sion.*

Isa. 66, 19. 20. *Mittam ex eis qui salvati fuerint ad gentes in mare in Africam & Lydiam tendentes sagittam in Italiam & Græciam, ad Insulas longe ad eos qui non audierunt de me, & non viderunt gloriam meam. Et annuntiabunt gloriam meam gentibus, & adducent omnes fratres de cunctis gentibus donum Domino.*

Nahum. 1, 15. *Ecce super montes pedes evangelizantis & annunciantis pacem: celebra Juda festivitates tuas, & redde vota tua: quia non adjiciet ultra ut pertranseat in te Belial: universus interiit.*

Act. 5, 42. *Omni autem die non cessabant* (Apostoli) *in Templo & circa domos, docentes & evangelizantes Christum Jesum.*

Act. 8, 5. *Philippus autem descendens in civitatem Samariæ, prædicabat illis Christum.*

Act. 9, 20. *Et continuo in Synagogis prædicabat* (Paulus) *Jesum, quoniam hic est Filius Dei.*

Act. 10, 42. *Et præcepit* (Jesus) *nobis* (Apostolis) *prædicare populo, & testificari quia ipse est qui constitutus est a Deo judex vivorum & mortuorum.* Et Act. 11, 26. & 13. 2. & seq. & 21, 31. & alibi sæpe in Actis.

Rom. 1, 8. *Primum quidem gratias ago Deo meo per Jesum Christum pro omnibus vobis, quia fides vestra annuntiatur in universo mundo.*

Rom. 10, 14. & seq. *Quomodo credent ei quem non audierunt? quomodo autem audient sine prædicante? quomodo vero prædicabunt nisi mittantur? sicut scriptum est, Quam speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona! Sed non omnes obediunt Evangelio; Isaias enim dicit, Domine, quis credidit auditui nostro? Ergo fides ex auditu, auditus autem per Verbum Christi. Sed dico, numquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.*

Rom. 15, 19. & seq. *Ita ut ab Jerusalem per circuitum, usque ad Illyricum, repleverim Evangelium Christi. Sic autem prædicavi Evangelium hoc, non ubi nominatus est Christus, ne super alienum fundamentum ædificarem, sed sicut scriptum est, Quibus non est annuntiatum, de eo videbunt; & qui non audierunt, intelligent.* Et 1. Cor. 1, 23. & 2, 1. & 9, 14. & 15, 1. 2. & 2. Cor. 1, 19. & 4, 5. & Gal. 2, 2. & 1. Thess. 2, 9. & alibi sæpe in Epistolis.

Col. 1, 23. *Immobiles a spe Evangelii, quod audistis, quod prædicatum est in universa creatura, quæ sub cœlo est; cujus factus sum ego Paulus minister.*

1. Joh. 1, 23. *Annuntiamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem & apparuit nobis; quod vidimus & audivimus, annuntiamus vobis.*

Disputatur de Psalm. 18. 5.

HOc e decimo octavo Psalmo testimonium, ut Davidis φθεγμα *(dictum)* a Paulo in Epistola ad Romanos allegorice expositam, non ut προφητευθεν *(prædictum)* in argumentum propositam afferimus. Quod contestato denuntiatum volumus, ne nobis negotium facessant Adversarii, quasi Scripturæ sacræ vim inferamus.

CAPUT LI.

Apostoli & Discipuli Jesu, rudes & indocti.

PSalm. 93, 8. *Intelligite insipientes in populo, & stulti aliquando sapite.*

Isa. 29, 14. *Ideo ecce ego addam, ut admirationem faciam populo huic miraculo grandi & stupendo: peribit enim sapientia a sapientibus ejus, & intellectus prudentium ejus abscondetur.*

Isa. 32, 4. *Et cor stultorum intelliget scientiam, & lingua balborum velociter loquetur & plane.*

MAtth. 5, 3. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.*

Matth. 11, 25. *In illo tempore respondens Jesus dixit; Confiteor tibi, Pater, Domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus, & prudentibus, & revelasti ea parvulis.* Et Luc. 10, 21.

Joh. 7, 47. & seq. *Responderunt ergo eis Pharisæi, Numquid & vos seducti estis? numquid ex Principibus aliquis credidit in eum?*

Digitized by Google

Isa. 33, 18. *Cor tuum meditabitur timorem. Ubi est literatus? ubi legis verba ponderans? ubi doctor parvulorum?*

1. Cor. 1, 17. & seq. *Non enim misit me Christus baptizare, sed evangelizare, non in sapientia verbi, ut non evacuetur crux Christi. Verbum enim crucis pereuntibus quidem stultitia est; iis autem qui salvi fiunt, id est nobis, Dei virtus est. Scriptum est enim, Perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo. Ubi sapiens? ubi scriba? ubi conquisitor hujus seculi? nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi? Nam quia in Dei sapientia non cognovit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam salvos facere credentes. Quoniam & Judæi signa petunt, & Græci sapientiam quærunt; nos autem prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam, ipsis autem vocatis Judæis atque Græcis Christum Dei virtutem & Dei sapientiam: quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus; & quod infirmum est Dei, fortius est hominibus. Videte enim vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles: sed quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, ut confundat sapientes.*

1. Cor. 3, 18. 19. *Nemo se seducat: si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc seculo, stultus fiat ut sit sapiens: sapientia enim hujus mundi, stultitia est apud Deum. Scriptum est enim, Comprehendam sapientes in astutia eorum. Et iterum, Dominus novit cogitationes sapientium, quoniam vanæ sunt.*

1. Cor. 4, 10. *Nos stulti propter Christum, vos autem prudentes in Christo: nos infirmi, vos autem fortes: vos nobiles, nos autem ignobiles.*

CAPUT LII.

Apostoli & Discipuli Jesu miranda facinora edunt, & omnis generis languores sanant.

PSalm. 67, 36. *Mirabilis Deus in sanctis suis: Deus Israel ipse dabit virtutem & fortitudinem plebi suæ: benedictus Deus.*

Isa. 8, 18. 19. *Ecce ego & pueri mei quos dedit mihi Dominus in signum & in portentum Israel, a Domino exercituum, qui habitat in monte Sion. Et cum dixerint ad vos, Quærite a Pythonibus & a divinis, qui stridunt in incantationibus suis, nunquid non populus a Deo suo requiret pro vivis ac mortuis?*

MAtth. 10, 1. 5. 8. *Et convocatis duodecim Discipulis suis, dedit illis potestatem spirituum immundorum, ut ejicerent eos, & curarent omnem languorem & omnem infirmitatem ..... Hos duodecim misit Jesus præcipiens eis, dicens .... Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, Dæmones ejicite.* Et Marc. 3, 14. 15. & 6, 7. 13. Luc. 9, 1. & seq.

Marc. 16, 15. 17. *Dixit eis ..... Signa eos qui crediderint, hæc sequentur; in nomine meo Dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent, & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit: super ægros manus imponent, & bene habebunt ..... Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.*

Luc. 10, 17. & seq. *Reversi sunt autem septuaginta duo cum gaudio dicentes, Domine, etiam Dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo. Et ait illis .... Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes, & scorpiones, & super omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit.*

Joh. 14, 11. 12. *Non creditis quia ego in Patre, & Pater in me est? alioquin propter opera ipsa credite. Amen, amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio & ipse faciet, & majora horum faciet.*

Act. 2, 43. *Multa quoque prodigia & signa per Apostolos in Jerusalem fiebant.*

Act. 5, 12. & seq. *Per manus autem Apostolorum fiebant signa & prodigia multa in plebe, ... ita ut in plateas ejicerent infirmos, & ponerent in lectulis ac grabatis, ut veniente Petro saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus suis.*

Act. 6, 8. *Stephanus autem plenus gratia & fortitudine, faciebat prodigia & signa magna in populo.*

Act. 8, 6. & seq. *Intendebant autem turbæ his, quæ a Philippo dicebantur, unanimiter audientes*

Digitized by Google

audientes & videntes signa quæ faciebat. Multi enim qui habebant spiritus immundos, clamantes voce magna exibant. Multi autem paralytici & claudi curati sunt ..... Tunc Simon & ipse credidit: & cum baptizatus esset, adhærebat Philippo. Videns etiam signa & virtutes maximas fieri, stupens admirabatur.

Act. 14, 3. *Multo igitur tempore demorati sunt fiducialiter agentes in Domino, testimonium perhibente verbo gratiæ suæ, dante signa & prodigia fieri per manus eorum.* Et 15, 12. & 19, 11. & seq. Vide etiam Act. 2, 4. & 3, 2. & seq. & 5, 3. & seq. & 9, 32. 36. & 10, 46. & 13, 11. & 16, 18. 26. & 19, 6. & 20, 10. & 28, 6. 8.

Rom. 15, 18. 19. *Non enim audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non efficit Christus in obedientiam gentium, verbo & factis, in virtute signorum & prodigiorum, in virtute Spiritus sancti.*

2. Cor. 12, 12. *Signa tamen Apostolatus mei facta sunt super vos, in omni patientia, in signis, & prodigiis, & virtutibus.*

Ebr. 2, 3. & seq. *In nos confirmata est* (salus) *contestante Deo signis, & portentis, & variis virtutibus, & Spiritus sancti distributionibus, secundum suam voluntatem ..... Ecce ego, & pueri quos dedit mihi Deus.*

CAPUT LIII.

Jesus super mare incedit.

JOb. 9, 8. *Qui extendit cœlos solus, & graditur super fluctus maris.*

MAtth. 14, 25. 26. *Quarta autem vigilia noctis, venit ad eos super mare. Et videntes eum super mare ambulantem, turbati sunt.* Et Marc. 6, 48. 49. Joh. 6, 19.

Disputatur de Iob. 9, 8.

NE huic quidem Jobi ῥήσει (*dicto*) e nono capite προῤῥήσιν (*prædictum*) inesse volumus; sed ex ea manifestum peti posse argumentum τῆς θεότητος Christi Jesu. Nam quæ divinæ virtutis opera hic recenset Jobus, ad Deum unum pertinere vult; neque alii præterea cuiquam posse adscribi manifestum est. Unde efficitur eum esse Deum, qui eadem prodigia ediderit. Atqui unum ex illis est, incedere super mare, quod Christus Jesus fecit, & propria quidem virtute, atque idem ut faceret Petrus, effecit; unde sequitur Christum Jesum esse Deum. Adiri velim librum nonum Eusebianæ ἀποδείξεως, in quo exponuntur verba hæc Jobi, & Christo Domino accommodantur.

CAPUT LIV.

Jesus lux.

PSalm. 35, 10. *Quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.*

Psalm. 118, 105. *Lucerna pedibus meis Verbum tuum, & lumen semitis meis.*

Psal. 131, 17. *Illuc producam cornu David, paravi lucernam Christo meo.*

Sap. 7, 25. 26. *Vapor est enim* (Sapientia) *virtutis Dei, & emanatio quædam est claritatis omnipotentis Dei sincera, & ideo nihil inquinatum in eam incurrit; candor est enim lucis æternæ.*

Isa. 9, 2. *Populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam: habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis.*

Isa. 42, 6. *Et dedi te in fœdus populi, in lucem gentium.*

Isa. 49, 6. *Parum est, ut sis mihi servus ad*

MAtth. 4, 13. & seq. *Relicta civitate Nazareth venit, & habitavit in Capharnaum maritima, in finibus Zabulon & Nephthalim, ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam prophetam, terra Zabulon, & terra Nephthalim, via maris trans Jordanem, Galilæa gentium, populus qui sedebat in tenebris vidit lucem magnam, & sedentibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis.*

Matth. 17, 2. *Et resplenduit facies ejus sicut Sol; vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix.* Et Marc. 9, 2. Luc. 7, 29.

Matth. 24, 27. *Sicut enim fulgur exit ab oriente, & paret usque in occidentem, ita erit & adventus filii hominis.* Et Luc. 17, 24.

Luc. 1, 78. 79. *Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto:*

Digitized by Google

ſuſcitandas tribus Jacob, & faces Iſrael convertendas: ecce dedi te in lucem gentium.

Iſa. 60, 1. & ſeq. *Surge, illuminare Jeruſalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini ſuper te orta eſt, Quia ecce tenebræ operient terram, & caligo populos: ſuper te autem orietur Dominus, & gloria ejus in te videbitur. Et ambulabunt gentes in lumine tuo, & reges in ſplendore ortus tui.*

Iſa. 60, 19. 20. *Non erit tibi amplius Sol ad lucendum per diem, nec ſplendor Lunæ illuminabit te; ſed erit tibi Dominus in lucem ſempiternam, & Deus tuus in gloriam tuam. Non occidet ultra Sol tuus, & Luna tua non minuetur: quia erit tibi Dominus in lucem ſempiternam.*

Iſa. 62, 1. *Propter Sion non tacebo, & propter Jeruſalem non quieſcam, donec egrediatur ut ſplendor Juſtus ejus, & Salvator ejus ut lampas accendatur.*

Dan. 2, 22. *Ipſe revelat profunda & abſcondita, & novit in tenebris conſtituta; & lux cum eo eſt.*

Mich. 7, 8. *Conſurgam cum ſedero in tenebris: Dominus lux mea eſt.*

illuminare his qui in tenebris, & in umbra mortis ſedent.

Luc. 2, 32. *Lumen ad revelationem gentium.*

Joh. 1, 4. & ſeq. *In ipſo vita erat, & vita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Fuit homo miſſus a Deo, cui nomen erat Johannes: hic venit in teſtimonium, ut teſtimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.*

Joh. 3, 19. *Lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quam lucem.*

Joh. 8, 12. *Iterum ergo locutus eſt eis Jeſus, dicens, Ego ſum lux mundi, qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ.* Et Joh. 9, 5. & 12, 46.

Joh. 12, 35. 36. *Dixit ergo eis Jeſus, Adhuc modicum lumen in vobis eſt; ambulate dum lucem habetis, ut non vos tenebræ comprehendant: & qui ambulat in tenebris neſcit quo vadat. Dum lucem habetis, credite in lucem, ut filii lucis ſitis.*

Act. 13, 47. *Sic enim præcipit nobis Dominus, Poſui te in lucem gentium, ut ſis ſalus usque ad extremum terræ.*

2. Cor. 4, 4. 6. *Deus hujus ſeculi excæcavit mentes infidelium, ut non fulgeat illis illuminatio Evangelii gloriæ Chriſti, qui eſt imago Dei ..... quoniam Deus qui dixit de tenebris lucem ſplendeſcere, ipſe illuxit in cordibus noſtris, ad illuminationem ſcientiæ claritatis Dei, in facie Chriſti Jeſu.*

Eph. 5, 14. *Propter quod dicit, Surge qui dormis, & exſurge a mortuis, & illuminabit te Chriſtus.*

2. Tim. 1, 10. *Manifeſta eſt autem nunc per illuminationem Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, qui deſtruxit quidem mortem, illuminavit autem vitam, & incorruptionem per Evangelium.*

Ebr. 1, 3. *Qui cum ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ ejus.*

Apoc. 21, 23. *Civitas non eget Sole neque Luna, ut luceant in ea; nam claritas Dei illuminavit eam, & lucerna ejus eſt Agnus.*

Depromta hoc capite teſtimonia e Veteri Teſtamento ad Chriſtum a Judæis fere referuntur.

QUæcunque teſtimonia hoc capite depromſimus e Veteri Teſtamento, ea fere a Judæis ad Meſſiam referuntur. Velut prius e Pſalmo triceſimo quinto, juxta Bereſith Rabba & Midraſch Thehillim, in Chriſtum congruit. Aliud quoque e Pſalmo centeſimo primo, Chriſto addicitur in Midraſch Thehillim. Supra etiam oſtendimus in Propoſitione ſeptima Chriſtum, ex Judæorum ſententia, iſta ſibi vendicare teſtimonia propemodum omnia, quæ ex Iſaia attulimus. Denique & eam quam ex Daniele petivimus prophetiam, Chriſto adjudicant Bereſith Rabba & Echa Rabbathi.

CAPUT LV.

Jeſu Diſcipuli lux.

PSalm. 97, 11. *Lux orta eſt eis, & rectis corde lætitia.*

Pſalm. 109, 3. *Tecum principium in die virtutis tuæ, in ſplendoribus ſanctorum.*

MAtth. 5, 14. & ſeq. *Vos eſtis lux mundi ..... luceat lux veſtra coram hominibus.*

Matth. 13, 43. *Tunc juſti fulgebunt ſicut Sol in regno Patris eorum.*

Prov.

Digitized by Google

Prov. 9, 18. *Justorum autem semita, quasi lux splendens.*

Prov. 13, 19. *Lux justorum lætificat.*

Sap. 3, 7. *Fulgebunt justi, & tanquam scintillæ in arundineto discurrent.*

Isa. 58, 7. & seq. *Cum videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne despexeris. Tunc erumpet quasi mane lumen tuum. . . . . Cum effuderis esurienti animam tuam, & animam afflictam repleveris, orietur in tenebris lux tua, & tenebræ tuæ erunt sicut meridies.*

Dan. 12, 3. *Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti; & qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.*

Luc. 12, 35. *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris.*

Luc. 16, 18. *Filii hujus seculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt.*

Joh. 5, 35. *Ille* (Johannes) *erat lucerna ardens & lucens; vos autem voluistis ad horam exultare in luce ejus.*

Joh. 12, 36. *Dum lucem habetis, credite in lucem, ut filii lucis sitis.*

Eph. 5, 8. 9. *Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Ut filii lucis ambulate: fructus enim lucis est in omni bonitate, & justitia, & veritate,*

Philip. 2, 15. *Ut sitis sine querela & simplices filii Dei, sine reprehensione in medio nationis pravæ & perversæ, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo.*

1. Thess. 5, 5. *Omnes enim vos filii lucis estis, & filii diei; non sumus noctis, neque tenebrarum.*

CAPUT LVI.

Jesus ignis.

Exod. 3, 2. *Apparuitque ei Dominus in flamma ignis de medio rubi: & videbat quod rubus arderet, & non combureretur.*

Exod. 13, 21. *Dominus autem præcedebat eos ad ostendendam viam, per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis.*

Exod. 19, 18. *Totus autem mons Sinai fumabat; eo quod descendisset Dominus super eum in igne, & ascenderet fumus ex eo quasi de fornace.*

Exod. 24, 17. *Erat autem species gloriæ Domini, quasi ignis ardens super verticem montis.*

Deut. 4, 24. *Dominus Deus tuus ignis consumens est.*

Deut. 9, 3. *Scies ergo hodie quod Dominus Deus tuus ipse transibit ante te, ignis devorans atque consumens.*

2. Reg. 22, 9. 13. *Ascendit fumus de naribus ejus, & ignis de ore ejus vorabit: carbones succensi sunt ab eo. . . . . Præ fulgore in conspectu ejus succensi sunt carbones ignis.* Et Psalm. 17, 9. 13. 14.

1. Par. 21, 26. *Et ædificabit ibi altare Domino; obtulitque holocausta & pacifica, & invocavit Dominum, & exaudivit eum in igne de cœlo super altare holocausti.*

Psalm. 49, 3. *Deus manifeste veniet; Deus noster, & non silebit. Ignis in conspectu ejus exardescet, & in circuitu ejus tempestas valida.*

Psalm. 96, 3. 4. *Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos ejus. Illuxerunt fulgura ejus orbi terræ.*

Isa. 10, 16. 17. *Propter hoc mittet dominator Dominus exercituum in pinguibus ejus tenuitatem; & subtus gloriam ejus succensa ardebit & quasi combustio ignis. Et erit lumen Israel in igne, & sanctis ejus in flamma, & succendetur, & devorabitur spina ejus, & vepres in die una.*

Matth. 3, 11. *Ego quidem baptizo vos in aqua in pœnitentiam; qui autem post me venturus est, fortior me est . . . . . ipse vos baptizabit in Spiritu sancto & igni.* Et Luc. 3, 16.

Luc. 12, 49. *Ignem veni mittere in terram; & quid volo, nisi ut accendatur?*

Ebr. 12, 29. *Etenim Deus noster ignis consumens est.*

Apoc. 1, 14. *Et oculi ejus* (Filii hominis) *tanquam flamma ignis.*

Apoc. 2, 18. *Hæc dicit Filius hominis, qui habet oculos tanquam flammam ignis.*

Apoc. 19, 11. & seq. *Et vidi cœlum apertum, & ecce equus albus, & qui sedebat super eum, vocabatur Fidelis & verax, & cum justitia judicat & pugnat: oculi autem ejus sicut flamma ignis. . . . . & vestitus erat veste aspersa sanguine, & vocatur nomen ejus Verbum Dei.*

Digitized by Google

Isa. 31, 9. *Dixit Dominus, cujus ignis est in Sion, & caminus ejus in Jerusalem.*

Isa. 66, 15. 16. *Ecce Dominus in igne veniet, & quasi turba quadrigæ ejus, reddere in indignatione furorem suum, & increpationem suam in flammis ignis: quia in igne Dominus dijudicabit.*

Ezech. 1, 26. 27. *Super similitudinem throni, similitudo quasi aspectus hominis desuper. Et vidi quasi speciem electri, velut aspectum ignis intrinsecus ejus per circuitum; a lumbis ejus & desuper, & a lumbis ejus usque deorsum vidi quasi speciem ignis splendentis in circuitu.*

Ezech. 8, 2. *Et vidi, & ecce similitudo quasi aspectus ignis; ab aspectu lumborum ejus & deorsum ignis: & a lumbis ejus & sursum quasi aspectus splendoris, ut visio electri.*

Joel. 2, 3. *Ante faciem ejus ignis vorans, & post eum exurens flamma.*

CAPUT LVII.

Jesus Sol.

ISa. 60, 19. 20. *Non erit tibi amplius Sol ad lucendum per diem, nec splendor Lunæ illuminabit te: sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam, & Deus tuus in gloriam tuam. Non occidet ultra Sol tuus, & Luna tua non minuetur: quia erit tibi Dominus in lucem sempiternam.*

Mal. 4, 2. *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol justitiæ.*

Matth. 17, 2. *Et transfiguratus est ante eos, & resplenduit facies ejus sicut Sol.*

Apoc. 1, 16. *Et facies ejus sicut Sol lucet in virtute sua.*

CAPUT LVIII.

Jesus stella.

NUmer. 24, 17. *Orietur stella ex Jacob.*

Apoc. 1, 16. *Et habebat in dextera sua stellas septem.*

Apoc. 22, 16. *Ego Jesus misi Angelum meum, testificari vobis hæc in Ecclesiis, Ego sum radix & genus David, stella splendida & matutina.*

CAPUT LIX.

Jesus germen sive oriens, radix, flos, virga.

NUm. 24, 17. *Orietur stella ex Jacob, & consurget virga de Israel.*

Cant. 2, 1. *Ego flos campi & lilium convallium.*

Isa. 4, 2. *In die illa erit germen Domini in magnificentia & gloria, & fructus terræ sublimis, & exultatio his, qui salvati fuerint de Israel.*

Isa. 11, 1. *Et egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet.*

Isa. 45, 8. *Rorate cœli desuper, & nubes pluant Justum; aperiatur terra, & germinet Salvatorem.*

Isa. 53, 1. 2. *Quis credidit auditui nostro? & brachium Domini cui revelatum est? & ascendet sicut virgultum coram eo, & sicut radix de terra sitienti.*

Luc. 1, 78. *Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos Oriens ex alto.*

Joh. 15, 1. *Ego sum vitis vera, & Pater meus Agricola est.*

Rom. 6, 5. *Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul & resurrectionis erimus.*

Rom. 11, 16. *Si radix sancta, & rami.*

Apoc. 5, 5. *Et unus de Senioribus dixit mihi, Ne fleveris: ecce vicit leo de tribu Juda, radix David, aperire Librum.*

Apoc. 22, 16. *Ego Jesus misi Angelum meum testificari vobis hæc in Ecclesiis, Ego sum radix & genus David.*

Jer. 23, 5. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & suscitabo David germen justum.*

Jer. 33, 15. *In diebus illis, & in tempore illo germinare faciam David germen justitiæ.*

Ezech. 34, 29. *Et suscitabo eis germen nominatum.*

Zach. 3, 8. *Ecce enim ego adducam servum meum Orientem.*

Zach. 6, 12. *Hæc ait Dominus exercituum, dicens, Ecce vir, Oriens nomen ejus.*

I. *Affertur*

Digitized by Google

I. *Affertur ex Philone Zachariani hujus loci expositio.* II. *Quo sensu Christus dicatur Germen, & Radix, & Virga, & Flos.*

Affertur ex Philone Zachariani hujus loci expositio. Euſ. Præp. L. 11. c. 15.

I. PRæclaram affert ex Philone Zachariani hujus loci expoſitionem Euſebius. Inuſitatum eſt, inquit, vocabulum hoc, Oriens, ſi eum intelligas, qui corpore & animo conſtet. Quod ſi incorporum illum divinam imaginem gerentem accipias, aptiſſime in eum convenire fateberis dictionem iſtam: hunc quippe antiquiſſimum Filium oriri fecit rerum omnium parens Deus, quem alibi Primogenitum appellat, qui Patris vias ſecutus, & ad primigenia illius exemplaria reſpiciens, formas effinxit. Sed & recitata hic teſtimonia aliquot Chriſto quoque addicunt vetuſtiores Judæi; velut Iſaianum illud primum, & poſtremum hoc Jeremianum Thargumiſta, qui & Chriſtum Germen appellat, uti appellatur & in Bereſith rabba, & in Echa rabbathi, & in Tanchuma. Quæ ex Iſaiæ quinquageſimo tertio, & Zachariæ ſexto attulimus, Meſſiæ tribuit R. Moſes Haddarſan in Bereſith rabba. Idem Meſſiam vocat Vitem, uti ſe ipſe Chriſtus. Sic & R. Aben Ezra, & R. Juda; quo nomine afficitur & in Thalmudico libro Beracoth. Quo etiam referunt illud e Pſalmo ſeptuageſimo nono; *Vineam de Ægypto tranſtuliſti.*

Iſa. 4, 2. Jer. 33, 15.

Iſa. 5, 3. 1. Zach. 6, 12.

Pſal. 79, 9.

Quo ſenſu Chriſtus dicatur Germen, & Radix, & Virga, & Flos.

II. Porro quemadmodum Germen, & Radix, & Virga, & Flos dicitur Chriſtus, ita Heroas ſuos Antiqui Deorum germina appellabant. Scatent exemplis libri Poetarum. Hic ἔρνος ἄρηος, *germen Martis*, ille διὸς ἔρνος, *Jovis germen*, & ξηνὸς θάλος, *Jovis ramus*. At Chriſtus Germen eſt, & Radix Davidis, Virga Iſraelis, Virga Jeſſe, Vitis vera, Radix ſancta.

CAPUT LX.

Diſcipuli Jeſu, germina, plantæ, palmites, rami.

PSalm. 79, 15. & ſeq. *Deus virtutum convertere: reſpice de cœlo, & vide, & viſita vineam iſtam: & perfice eam quam plantavit dextera tua, & ſuper Filium hominis, quem confirmaſti tibi ..... Fiat manus tua ſuper virum dexteræ tuæ, & ſuper Filium hominis, quem confirmaſti tibi.*

Iſa. 35, 1. & ſeq. *Lætabitur deſerta & invia, & exultabit ſolitudo, & florebit quaſi lilium. Germinans germinabit, & exultabit lætabunda & laudans: gloria Libani data eſt ei: decor Carmeli & Saron, ipſi videbunt gloriam Domini, & decorem Dei noſtri.*

Iſa. 60, 21. *Populus autem tuus omnes juſti, in perpetuum hæreditabunt terram, germen plantationis meæ.*

Iſa. 61, 1. & ſeq. *Spiritus Domini ſuper me, eo quod unxerit Dominus me ..... ut ponerem lugentibus Sion, & darem eis coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro ſpiritu mœroris, & vocabuntur in ea fortes juſtitiæ, plantatio Domini ad glorificandum.*

MAtth. 15, 13. *At ille reſpondens ait, Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus cœleſtis, eradicabitur.*

Joh. 15, 5. *Ego ſum vitis, vos palmites: qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum.*

Rom. 6, 5. *Si enim complantati facti ſumus ſimilitudini mortis ejus, ſimul & reſurrectionis erimus.*

Rom. 11, 16. & ſeq. *Si radix ſancta, & rami. Quod ſi aliqui ex ramis fracti ſunt, tu autem cum oleaſter eſſes, inſertus es in illis, & ſocius radicis, & pinguedinis olivæ factus es, noli gloriari adverſum ramos. Quod ſi gloriaris, non tu radicem portas, ſed radix te.*

1. Cor. 3, 6. & ſeq. *Ego plantavi, Apollo rigavit, ſed Deus incrementum dedit. Itaque neque qui plantat, eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus. Qui autem plantat, & qui rigat, unum ſunt. Unusquisque autem propriam mercedem accipiet ſecundum ſuum laborem. Dei enim ſumus adjutores; Dei agricultura eſtis.*

Jerem. 32, 41. *Et lætabor ſuper eis, cum bene eis fecero, & plantabo eos in terra iſta in veritate.*

CAPUT LXI.

Jeſus fons.

PSalm. 35, 10. *Quoniam apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.*

JOh. 4, 13. & ſeq. *Reſpondit Jeſus, & dixit ei, Omnis qui bibit ex aqua hac, ſitiet iterum;*

Digitized by Google

Eccl. 1, 5. *Fons sapientiæ Verbum Dei in excelsis.*

Eccl. 24, 40. & seq. *Ego Sapientia effudi flumina: ego quasi trames aquæ immensæ de fluvio: ego quasi fluvii dioryx, & sicut aqua ductus exivi de Paradiso. Dixi, rigabo hortum meum plantationum, & inebriabo prati mei fructum: & ecce factus est mihi trames abundans, & fluvius meus appropinquavit ad mare.*

Isa. 11, 9. *Repleta est terra scientia Domini, sicut aqua maris operientes.* Et Hab. 2, 14.

Isa. 12, 3. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.*

Isa. 35, 6. 7. *Tunc saliet sicut cervus claudus, & aperta erit lingua mutorum: quia scissæ sunt in deserto aquæ, & torrentes in solitudine: & quæ erat arida, erit in stagnum, & sitiens in fontes aquarum.*

Isa. 44, 2. 3. *Hæc dicit Dominus ..... Effundam aquas super sitientem, & fluenta super aridam.*

Isa. 49, 10. *Non esurient, neque sitient, & non percutiet eos æstus & Sol, quia miserator eorum reget eos, & ad fontes aquarum potabit eos.*

Isa. 55, 1. *Omnes sitientes venite ad aquas.*

Isa. 59, 19. *Et timebunt qui ab occidente nomen Domini, & qui ab ortu Solis gloriam ejus, cum venerit quasi fluvius violentus, quem spiritus Domini cogit, & venerit Sion redemptor.*

Isa. 65, 13. *Propter hoc hæc dicit Dominus Deus, Ecce servi mei comedent, & vos esurietis; ecce servi mei bibent, & vos sitietis.*

Jerem. 2, 13. *Duo enim mala fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.*

Jerem. 17, 13. *Expectatio Israel, Domine: omnes qui te derelinquunt, confundentur: recedentes a te, in terra scribentur; quoniam dereliquerunt venam aquarum viventium Dominum.*

Ezech. 35, 26. *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, & ab universis idolis vestris mundabo vos.*

Ezech. 47, 8. & seq. *Et ait ad me, Aquæ istæ quæ egrediuntur ad tumulos sabuli orientalis, & descendunt ad plana deserti, intrabunt mare, & exibunt, & sanabuntur aquæ. Et omnis anima vivens quæ serpit, quocunque venerit torrens, vivet; & erunt pisces multi satis, postquam venerint illuc aquæ istæ, & sanabuntur, & vivent omnia ad quæ venerit torrens; & stabunt super illas piscatores. Ab Engaddi, usque ad Engallim siccatio sagenarum erit: plurimæ species erunt piscium ejus, sicut pisces maris magni, multitudinis nimiæ.*

Joel. 3, 18. *Et erit in die illa, stillabunt montes dulcedinem, & colles fluent lacte; & per omnes rivos Juda ibunt aquæ; & fons de domo Domini egredietur, & irrigabit torrentem spinarum.*

Zach. 13, 1. *In die illa erit fons patens domui David, & habitantibus Jerusalem, in ablutionem peccatoris & menstruatæ.*

Zach. 14, 8. *Et erit in die illa, exibunt aquæ vivæ de Jerusalem: medium earum ad mare orientale, & medium earum ad mare novissimum, in æstate & in hyeme erunt.*

rum; qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum: sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.

Joh. 6, 35. *Dixit autem eis Jesus, Ego sum panis vitæ: qui venit ad me, non esuriet; & qui credit in me, non sitiet unquam.*

Joh. 7, 37. 38. *In novissimo autem die magno festivitatis, stabat Jesus, & clamabat dicens, Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.*

Apoc. 21, 6. *Ego sum Alpha & Omega, initium & finis: ego sitienti dabo de fonte aquæ vivæ gratis.*

Apoc. 22, 1. *Et ostendit mihi fluvium aquæ vivæ, splendidum tanquam crystallum, procedentem de sede Dei & Agni.*

Apoc. 22, 17. *Et qui sitit, veniat: & qui vult, accipiat aquam vitæ gratis.*

CAPUT

CAPUT LXII.

Jesus Novi & æterni Fœderis, a Deo cum hominibus pacti, sequester, & finis.

PSalm. 88, 4. 29. & seq. *Disposui testamentum electis meis, juravi David servo meo, usque in æternum præparabo semen tuum . . . . . In æternum servabo illi misericordiam meam, & testamentum meum fidele ipsi: & ponam in seculum seculi semen ejus, & thronum ejus sicut dies cœli . . . . . Neque profanabo testamentum meum, & quæ procedunt de labiis meis, non faciam irrita. Semel juravi in sancto meo, si David mentiar: semen ejus in æternum manebit. Et thronus ejus sicut Sol in conspectu meo, & sicut Luna perfecta in æternum, & testis in cœlo fidelis.*

Eccl. 17, 10. *Testamentum æternum constituit cum illis.*

Eccl. 45, 31. *Et Testamentum David regi filio Jessæ, de tribu Juda hæreditas ipsi & semini ejus, ut daret sapientiam in cor nostrum, judicare gentem suam in justitia, ne abolerentur bona ipsorum, & gloriam ipsorum in gentem æternam fecit.*

Eccl. 47, 13. *Dominus purgavit peccata ipsius* (David) *& exaltavit in æternum cornu ejus: & dedit illi testamentum regni, & sedem gloriæ Israel.*

Isa. 42, 6. 7. *Ego Dominus vocavi te in justitia, & apprehendi manum tuam, & servavi te: & dedi te in fœdus populi, in lucem gentium, ut aperires oculos cæcorum, & educeres de conclusione vinctum, de domo carceris sedentes in tenebris.*

Isa. 49, 8. 9. *Hæc dicit Dominus, in tempore placito exaudivi te, & in die salutis auxiliatus sum tui, & servavi te, & dedi te in fœdus populi, ut suscitares terram, & possideres hæreditates dissipatas: ut diceres his, qui vincti sunt, Exite; & his qui in tenebris, Revelamini.*

Isa. 55, 3. 4. *Inclinate aurem vestram, & venite ad me; audite, & vivet anima vestra: & feriam vobiscum pactum sempiternum, misericordias David fideles. Ecce testem populi dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus.*

Isa. 61, 8. 9. *Dabo opus eorum in veritate, & fœdus perpetuum feriam eis: & scient in gentibus semen eorum in medio populorum: omnes qui viderint eos, cognoscent illos, quia isti sunt semen, cui benedixit Dominus.*

Jerem. 31, 31. & seq. *Ecce dies venient,*

MAtth. 26, 27. 28. *Bibite ex hoc omnes: hic est enim sanguis meus Novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Et Marc. 14, 24. Luc. 22, 20. & 1. Cor. 11, 25.

Luc. 1, 72. 73. *Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris, & memorari Testamenti sui sancti. Jusjurandum quod juravit ad Abraham patrem nostrum, daturum se nobis.*

Act. 3, 25. *Vos estis filii Prophetarum, & Testamenti, quod disposuit Deus ad Patres nostros, dicens ad Abraham, Et in semine tuo benedicentur omnes familiæ terræ.*

Rom. 11. 25. & seq. *Cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret; & sic omnis Israel salvus fieret, sicut scriptum est, Veniet ex Sion, qui eripiat, & avertat impietatem a Jacob: & hoc illis a me Testamentum, cum abstulero peccata eorum.*

2. Cor. 3, 5. 6. *Sufficientia nostra ex Deo est, qui & idoneos nos fecit ministros Novi Testamenti, non litera, sed spiritu.*

Gal. 3, 15. & seq. *Fratres (secundum hominem dico) tamen hominis confirmatum Testamentum nemo spernit, aut subordinat. Abrahæ dictæ sunt promissiones, & semini ejus. Non dicit, Et seminibus, quasi in multis, sed quasi in uno, Et semini tuo, qui est Christus. Hoc autem dico Testamentum confirmatum a Deo: quæ post quadringentos & triginta annos facta est Lex, non irritum facit ad evacuandam promissionem . . . . . Quid igitur Lex? propter transgressiones posita est, donec veniret semen cui promiserat, ordinata per Angelos in manu Mediatoris. Mediator autem unius non est.*

Gal. 4, 24. & seq. *Hæc enim sunt duo Testamenta: unum quidem in monte Sina, in servitutem generans, quæ est Agar: Sina enim mons est in Arabia, qui conjunctus est ei, quæ nunc est Jerusalem, & servit cum filiis suis; illa autem quæ sursum est Jerusalem, libera est, quæ est mater nostra.*

Ephes. 2, 12. 13. & seq. *Eratis illo in tempore sine Christo, alienati a conversatione Israel, & hospites Testamentorum, promissionis spem non habentes, & sine Deo in hoc mundo. Nunc autem in Christo Jesu, vos qui aliquando eratis longe,*

dicit Dominus, & feriam domui Israel & domui Juda fœdus novum; non secundum pactum, quod pepigi cum patribus eorum, in die qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Ægypti; pactum quod irritum fecerunt & ego dominatus sum eorum, dicit Dominus. Sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israel post dies illos, dicit Dominus, dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam: & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum. Et non docebit ultra vir proximum suum, & vir fratrem suum dicens, Cognosce Dominum: omnes enim cognoscent me a minimo eorum usque ad maximum, ait Dominus: quia propitiabor iniquitati eorum, & peccati eorum non memorabor amplius.

Jerem. 32, 40. *Et feriam eis pactum sempiternum, non definam eis benefacere: & timorem meum dabo in corde eorum, ut non recedant a me.*

Jerem. 50, 5. *Venient, & opponentur ad Dominum fœdere sempiterno, quod nulla oblivione delebitur.*

Bar. 2, 25. *Et statuam illis Testamentum alterum sempiternum, ut sim illis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum.*

Ezech. 16, 60. 62. *Recordabar ego pacti mei tecum in diebus adolescentiæ tuæ, & suscitabo ego pactum sempiternum ..... Et suscitabo tibi pactum meum tecum, & scies quia ego Dominus.*

Ose. 2, 18. & seq. *Et percutiam cum eis fœdus in die illa ..... & sponsabo te mihi in sempiternum, & sponsabo te mihi in justitia & judicio, & in misericordia, & in miserationibus; & sponsabo mihi in fide, & scies quia ego Dominus.*

Zach. 9, 11. *Tu quoque in sanguine Testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua.*

Mal. 3, 1. *Ecce ego mitto Angelum Meum, & præparabit viam ante faciem meam: & statim veniet ad Templum suum Dominator quem vos quæritis, & Angelus Testamenti quem vos vultis.*

longe, facti estis prope in sanguine Christi. Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum, & medium parietem maceriæ solvens, inimicitias in carne sua; legem mandatorum decretis evacuans, ut duos condat in semetipso in unum novum hominem, faciens pacem; & reconciliet ambos in uno corpore Deo per crucem, interficiens inimicitias in semetipso. Et veniens evangelizavit pacem vobis, qui longe fuistis, & pacem iis qui prope: quoniam per ipsum habemus accessum ambo in uno Spiritu ad Patrem.

1. Tim. 2, 5. *Unus enim Deus, unus & Mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus.*

Ebr. 7, 20. & seq. *Et quantum est non sine jurejurando (alii quidem sine jurejurando sacerdotes facti sunt; hic autem cum jurejurando, per eum qui dixit ad illum, Juravit Dominus, & non pœnitebit eum; tu es sacerdos in æternum) in tantum melioris Testamenti sponsor factus est Jesus.*

Ebr. 8, 6. & seq. *Nunc autem melius sortitus est ministerium, quanto & melioris Testamenti mediator est, quod in melioribus repromissionibus sancitum est. Nam si illud prius culpa vacasset, non utique secundi locus inquireretur. Vituperans enim eos dicit, Ecce dies venient, dicit Dominus, & consummabo super domum Israel, & super domum Juda, Testamentum Novum; non secundum Testamentum, quod feci Patribus eorum, in die qua apprehendi manum eorum, ut educerem illos de terra Ægypti: quoniam ipsi non permanserunt in Testamento meo, & ego neglexi eos, dicit Dominus. Quia hoc est Testamentum, quod disponam domui Israel post dies illos, dicit Dominus, dando leges meas in mentem eorum; & in corde eorum superscribam eas, & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum; & non docebit unusquisque proximum suum, & unusquisque fratrem suum, dicens, Cognosce Dominum, quoniam omnes scient me a minore usque ad majorem eorum; quia propitius ero iniquitatibus eorum, & peccatorum eorum jam non memorabor. Dicendo autem Novum, veteravit Prius. Quod autem antiquatur, & senescit, prope interitum est.* Et 10, 15. & seq.

Ebr. 9, 15. & seq. *Et ideo Novi Testamenti mediator est, ut morte intercedente, in redemptionem earum prævaricationum, quæ erant sub priori Testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt æterna hæreditatis. Ubi enim Testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris. Testamentum enim in mortuis confirmatum est: alioquin nondum valet, dum vivit qui testatus est. Unde nec primum quidem sine sanguine dedicatum est.*

Ebr. 10, 28. 29. *Irritam quis faciens legem Moysi, sine ulla miseratione duobus vel tribus*

testibus

Digitized by Google

testibus moriétur: quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcaverit, & sanguinem Testamenti pollutum dixerit, in quo sanctificatus est?

Ebr. 12, 22. & seq. *Sed accessistis ad Sion montem, & civitatem Dei viventis, Jerusalem cœlestem, & multorum millium Angelorum frequentiam, & Ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in cœlis, & judicem omnium Deum, spiritus justorum perfectorum, & Testamenti Novi mediatorem Jesum, & sanguinis aspersionem melius loquentem quam Abel.*

Ebr. 13, 20. *Deus autem pacis, qui eduxit de mortuis pastorem magnum ovium in sanguine Testamenti æterni, Dominum nostrum Jesum Christum, aptet vos in omni bono.*

CAPUT LXIII.

Jesus pacificus.

PSalm. 45, 9. 10. *Venite, & videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram; auferens bella usque ad finem terræ. Arcum conteret, & confringet arma, & scuta comburet igni.*

Psalm. 71, 3. 7. *Suscipiant montes pacem populo, & colles justitiam ..... Orietur in diebus ejus justitia, & abundantia pacis, donec auferatur Luna.*

Psalm 75, 1. & seq. *Notus in Judæa Deus, in Israel magnum nomen ejus: & factus est in pace locus ejus, & habitatio ejus in Sion. Ibi confregit potentias arcuum, scutum, gladium & bellum.*

Psalm. 84, 9. 11. *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquetur pacem in plebem suam..... Misericordia & veritas obviaverunt sibi, justitia & pax osculatæ sunt.*

Psalm. 119, 7. *Cum his qui oderunt pacem eram pacificus: cum loquebar illis impugnabant me gratis.*

Isa. 2, 4. *Conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces; non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad prælium.*

Isa. 9, 6. 7. *Parvulus natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum ejus, & vocabitur nomen ejus, Admirabilis, consiliarius, Deus fortis, pater futuri seculi, princeps pacis. Multiplicabitur ejus imperium, & pacis non erit finis.*

Isa. 11, 1. & seq. *Et egredietur virga de radice Jesse..... Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hœdo accubabit; vitulus, & leo, & ovis simul morabuntur, & puer parvulus minabit eos. Vitulus & ursus pascentur simul, requiescent catuli eorum, & leo quasi bos comedet paleas. Et delectabitur infans ab ubere super foramine aspidis; & in caverna reguli, qui ablactatus fuerit, manum suam mittet. Non*

MAtth. 5, 38. & seq. *Audistis quia dictum est, Oculum pro oculo, & dentem pro dente. Ego autem dico vobis non resistere malo: sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram: & ei qui vult tecum judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium: & quicunque te angariaverit mille passus, vade cum illo & alia duo.*

Matth. 11, 29. 30. *Tollite jugum meum super vos, & discite a me, quia mitis sum & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris. Jugum meum suave est, & onus meum leve.*

Luc. 1, 79. *Illuminare his qui in tenebris & in umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.*

Luc. 2, 14. *Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.*

Luc. 24, 36. *Dum autem hæc loquuntur, stetit Jesus in medio eorum, & dicit eis, Pax vobis; ego sum, nolite timere.*

Joh. 14, 23. 27. *Respondit Jesus, & dixit ei, ... Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis: non quomodo mundus dat, ego do vobis.*

Joh. 16, 32. 33. *Respondit ei Jesus..... Hæc locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis.*

Joh. 20, 21. 26. *Dixit ergo eis iterum, Pax vobis..... Venit Jesus januis clausis, & stetit in medio, & dixit, Pax vobis.*

Act. 10, 36. *Verbum misit Deus filiis Israel, annuntians pacem per Jesum Christum.*

Rom. 5, 1. *Justificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Jesum Christum.*

Rom. 10, 15. *Quomodo vero prædicabunt, nisi mittantur? sicut scriptum est. Quam speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona!*

Digitized by Google

nocebunt, & non occident in universo monte sancto meo.

Isa. 40, 3. & seq. *Vox clamantis in deserto, Parate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri: omnis vallis exaltabitur; & omnis mons & collis humiliabitur; & erunt prava in directa, & aspera in vias planas: & revelabitur gloria Domini, & videbit omnis caro pariter, quod os Domini locutum est.*

Isa. 52, 7. *Quam pulchri super montes pedes annuntiantis & prædicantis pacem!*

Isa. 53, 5. *Disciplina pacis nostræ super eum.*

Isa. 54, 10. *Misericordia autem mea non recedet a te, & fœdus pacis meæ non movebitur, dixit miserator tuus Dominus.*

Isa. 55, 11. 12. *Sic erit verbum meum quod egredietur de ore meo; non revertetur ad me vacuum, sed faciet quæcunque volui, & prosperabitur in his, ad quæ misi illud: quia in lætitia egrediemini, & in pace deducemini.*

Rom. 14, 17. *Non est enim regnum Dei esca & potus, sed justitia, & pax, & gaudium in Spiritu sancto.*

Eph. 2, 13. 14. *Nunc autem in Christo Jesu, vos qui aliquando eratis longe, facti estis prope in sanguine Christi: ipse enim est pax nostra.*

Eph. 6, 14. *State ergo succincti lumbos vestros in veritate, & induti loricam justitiæ, & calceati pedes in præparatione Evangelii pacis.*

Philipp. 4, 7. *Et pax Dei, quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, & intelligentias vestras in Christo Jesu.*

Col. 3, 15. *Et pax Christi exultet in cordibus vestris, in qua & vocati estis in uno corpore.*

Ebr. 7, 2. 3. *Deinde autem & rex Salem, quod est, Rex pacis, sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habens, assimilatus autem Filio Dei, manet sacerdos in perpetuum.*

Isa. 65, 25. *Lupus & agnus pascentur simul; leo & agnus comedent paleas, & serpenti pulvis panis ejus; non nocebunt, neque occident in omni monte sancto meo, dicit Dominus.*

Jer. 33, 6. 9. *Ecce ego obducam eis cicatricem, & sanitatem, & curabo eos: & revelabo illis deprecationem pacis & veritatis.*

Ezech. 34, 25. 29. *Et faciam cum iis pactum pacis, & cessare faciam bestias pessimas de terra; & qui habitant in deserto, securi dormient in saltibus ..... Et non erunt ultra in rapinam in gentibus, neque bestia terræ devorabunt eos, sed habitabunt confidenter, absque ullo terrore.*

Ose. 2. 18. & seq. *Et percutiam cum eis fœdus in die illa, cum bestia agri, & cum volucre cæli, & cum reptili terræ: & arcum, & gladium, & bellum conteram de terra, & dormire eos faciam fiducialiter.*

Mich. 4, 2. & seq. *Et properabunt gentes multæ, & dicent, Venite ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Jacob: & docebit nos de viis suis, & ibimus in semitis ejus, quia de Sion egredietur Lex, & verbum Domini de Jerusalem; & judicabit inter populos multos, & corripiet gentes fortes usque in longinquum: & concident gladios suos in vomeres, & hastas suas in ligones: non sumet gens adversus gentem gladium, & non discent ultra belligerare. Et sedebit vir subtus vitem suam, & subtus ficum suam, & non erit qui deterreat, quia os Domini exercituum locutum est.*

Mich. 5, 2. 5. *Et tu Bethlehem Ephrata, parvulus es in millibus Juda, ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel ..... & erit iste pax.*

Nahum. 1, 15. *Ecce super montes pedes evangelizantis & annuntiantis pacem.*

Agg. 2, 8. 10. *Et veniet Desideratus cunctis gentibus, & implebo domum istam gloria, dicit Dominus exercituum. ..... & in loco isto dabo pacem, dicit Dominus exercituum.*

Zach. 3, 8. 10. *Ecce enim ego adducam servum meum Orientem ..... In die illa, dicit Dominus exercituum, vocabit vir amicum suum subter vitem, & subter ficum.*

Zach. 9, 9. 10. *Exulta satis, Filia Sion; jubila, filia Jerusalem, ecce rex tuus veniet tibi justus & Salvator, & ascendens super asinam, & super pullum filium asinæ. ..... & loquetur pacem gentibus.*

De pace per Christum Jesum parta, & de concordia animalium Messiæ temporibus ob

DEmonstravimus supra in Propositione septima Judæos retulisse ad tempora Messiæ hæc Isaiæ effata, quibus non hominum solum, sed animalium quoque futuram inter se concordiam prænuntiavit. Hac ipsa vero Propositione nona, quam prosequimur,

Isaia promissa; quæ, ut & alia multa, ad Messiam pertinentia, allegorice intelligenda sunt.

mur, ad octavum caput in quo egimus de tempore adventus Jesu; atque item in septima, ostendimus Judæos ac Judaissantes quosdam Christianos, jam inde ab Hieronymi temporibus, hæc κατὰ λέξιν (*juxta verba*) sumi voluisse: unde validissimum adversus religionem Christianam telum cudere se posse rentur Judæi, cum ajunt temporibus Jesus, quem Messiam esse volumus, neque habitasse lupum cum agno, neque pardum accubuisse cum hœdo, neque ulla aureæ hujus ætatis ad hanc diem apparuisse vestigia, proindeque nec Messiam fuisse Jesum. Nos vero hæc allegorice sumenda esse Rabbinorum ipsorum suffragio probavimus. Has gregalium suorum ineptias, alias rerum vices nato Christo expectantium, deridet R. Moses ben Maimon in Jad Chazacah, parte quarta, libro quarto; & docet lupum, pardum, leonem, feraque hæc animalia, impiarum gentium esse simulacra; agnum vero, hœdum, & vitulum, & mansuetas pecudes, Israelitas significare, quorum summa erit inter gentes pax & tranquillitas. Demum sic rationem concludit doctus ille Magister: *Hæc, & reliqua ejusmodi, quæ de Messiæ temporibus scripta extant, sunt* משלים, *Parabolæ.* Ea quoque trahit non semel in allegoricum sensum R. David Kimchi. Frequens itaque est in ore Judæorum R. Samuelis dictum, nullum discrimen futurum inter tempora nostra, & tempora Messiæ, *præter regnorum servitutem*; hoc est præterquam quod regna omnia, excusso regum suorum jugo, sub unius Messiæ imperium cogentur. Consulitor liber Sanhedrin, capite ultimo. Prædicit Isaias futurum Messiæ temporibus, ut *Omnis vallis exaltetur, & omnis mons & collis humilietur, & sint prava in directa, & aspera in vias planas.* Nemo sanus sibi persuadeat, tunc ita complanatum iri terræ sola, ut nulli penitus montes existant, cum hic ipse Isaias ac Michæas de eodem Messiæ ævo talia præcinant: *Et erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & elevabitur super colles.* Isaias quoque alibi: *Et erunt super omnem montem excelsum, & super omnem collem elevatum, rivi currentium aquarum.* Optime Tertullianus: *Alia species erit*, inquit, *qua pleraque figurate portenduntur per ænigmata, & allegorias, & parabolas, aliter intelligenda quam scripta sunt. Nam & montes legimus destillaturos dulcorem; non tamen ut sapam de petris, aut defrutum de rupibus speres: & terram audimus lacte & melle manantem, non tamen ut de glebis credas te unquam placentas & samias coacturum; quia non statim aquilicem & agricolam se Deus repromisit dicens, Ponam flumina in regione sitienti, & in solitudine cedrum & buxum. Sicut & prædicans de nationum conversione, Benedicent me bestiæ agri, sirenes, & filia passerum, non utique ab hirundinum pullis, & vulpeculis, & illis monstruosis fabulosisque cantricibus fausta omnia relaturus est.* Tum verissimam hanc doctrinam tuetur Apostoli auctoritate, qui legem bobus messes terrentibus os alligari vetantem, spectare ad nos docet; & petram potum in deserto subministrantem Christum signasse; & Abraham filios duos Testamenti utriusque simbola fuisse; & institutam a Deo, in rerum primordiis, societatem individuam viri & fœminæ, Christi & Ecclesiæ conjunctionem notare. Messiæ certe spirituale regnum est, ut & evincemus in Paralleliſmo, & quæcunque eo pertinent, spiritualia fere sunt; & pax illa per Christum promissa & parta, animorum & conscientiæ pax est; pax etiam Deum inter & homines per Christum conciliata. Quocirca res ad Messiam spectantes, futuras esse spiritales ac cœlestes, merito asseverat R. Juda in libro, quem Æternitatem Israelis inscripsit. At proprium præterea & simplicem huic Isaiæ prædictioni inesse sensum, supra a nobis ad octavum caput nonæ hujus Propositionis declaratum est: nam circa ortus Christi Jesu tempora pacem colebat orbis universus, & clausum fuerat ab Augusto Jani Templum. Præclara est, & omnem exceptionem respuit Hieronymi in hanc Isaiæ prophetiam dissertatio; quærit enim a Judæis: ecquid virga, radix, flos, κατὰ σχῆμα (*secundum figuram*) hoc ipso loco sumenda sint; an procedens ex ore Messiæ virga terram percutiet; an oris sui spiritu noxios is sit interfecturus; an justitia aut fide cingulum texet, quo lumbos suos præcingat. Quæ cum allegorice dicta esse fatendum sit, de sequentium sensu non præjudicium, sed plane judicium factum esse putandum est. Id patet vel maxime ex prædicto Aggæi: *Et veniet Desideratus cunctis gentibus,*

Thalm. Cod. de sabbatho.

Isa. 2, 2. Mich. 4, 1.

Isa. 30, 25.

Tertull. l. 3. contr. Marc. c. 5.

Agg. 2, 8. 10.

gentibus, & implebo domum istam gloria, dicit Dominus exercituum ..... & in loco isto dabo pacem. Quæram a Judæis, an pax Templo secundo contigerit quod creberrimis bellis appetitum, & postquam ab Herode fuit instauratum, funditus demum a Romanis excisum est. Falletur profecto quisquis hæc intellexerit [illegible] (*secundum verba*) sed allegoriam igitur recurrendum est, & dicendum pacem hanc significari, quam Jesus hominibus sanguine suo quæsivit placato Deo, & hominibus conciliato, solamque tollit entiæ terroribus ac stimulis, quos sacrorum hominibus teterrimum bellum indicunt.

CAPUT LXIV.

Pax & securitas Discipulorum Jesu.

PSalm. 72, 3. 7. *Suscipiant montes pacem populo, & colles justitiam .... Orietur in diebus ejus justitia, & abundantia pacis, donec auferatur Luna.*

Psalm. 84, 9. *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquetur pacem in plebem suam, & super sanctos suos, & in eos qui convertuntur ad cor.*

Psalm. 90, 1. & seq. *Qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur: dicet Domino, Susceptor meus es tu, & refugium meum: Deus meus, sperabo in eum. Quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium, & a verbo aspero. Scapulis suis obumbrabit tibi, & sub pennis ejus sperabis. Scuto circumdabit te veritas ejus; non timebis a timore nocturno..... Non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo: quoniam Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis: in manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.*

Psalm. 111, 5. & seq. *Jucundus homo qui miseretur & commodat, disponit sermones suos in judicio, quia in æternum non commovebitur..... confirmatum est cor ejus: non commovebitur, donec despiciat inimicos suos.*

Psalm. 119, 165. *Pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum.*

Psalm. 120, 3. & seq. *Non det in commotionem pedem tuum, neque dormitet qui custodit te.....Dominus protectio tua, super manum dexteram tuam. Per diem Sol non uret te, neque Luna per noctem. Dominus custodit te ab omni malo.*

Psalm. 124, 1. & seq. *Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion, non commovebitur in æternum, qui habitat in Jerusalem..... pax super Israel.* Et Psalm. 127, 6.

Prov. 1, 33. *Qui autem me* (Sapientiam) *audierit, absque terrore requiescet, & abundantia perfruetur, timore malorum subtracto.*

MAtth. 5, 9. *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.*

Matth. 10, 12. 13. *Intrantes autem in domum, salutate eam, dicentes, Pax huic domui: & si quidem fuerit domus illa digna, veniet pax vestra super eam; si autem non fuerit digna, pax vestra revertetur ad vos.* Et Luc. 10, 5. & seq.

Matth. 11, 29. *Tollite jugum meum super vos, discite a me quia mitis sum & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris.*

Marc. 9, 49. *Habete in vobis sal, & pacem habete inter vos.*

Luc. 1, 79. *Illuminare his qui in tenebris & in umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.*

Luc. 2, 13. 14. *Et subito facta est cum Angelo multitudo militiæ cœlestis, laudantium Deum, & dicentium, Gloria in altissimis Deo, & in terra pax, hominibus bonæ voluntatis.*

Luc. 24, 36. *Dum autem hæc loquuntur, stetit Jesus in medio eorum, & dixit eis, Pax vobis.* Et Joh. 20, 19. 21. 26.

Joh. 14, 27. *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis; non quomodo mundus dat, ego do vobis.*

Joh. 16, 33. *Hæc locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis.*

Act. 10, 36. *Verbum misit Deus filiis Israel, annuntians pacem per Jesum Christum.*

Rom. 1, 7. *Gratia vobis & pax a Deo patre nostro, & Domino Jesu Christo.* Et Rom. 2, 10. & 1. Cor. 1, 3. & 2. Cor. 1, 2. & Gal. 1, 3. & Eph. 1, 2. & 6, 23. & Philipp. 1, 2. & Col. 1, 3. & 1. Thess. 1, 2. & 2. Thess. 1, 2. & 1. Tim. 1, 2. & 2. Tim. 1, 2. & Tit. 1, 4. & Philem. 3. & 1. Petr. 1, 2. & 2. Petr. 1, 2. & 2. Johan. 3. & 3. Johan. 14. & Jud. 2. & Apoc. 1, 4.

Rom. 5, 1. *Justificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Jesum Christum.*

Rom.

Digitized by Google

Prov. 3, 1. 2. *Fili mi, ne obliviscaris legis meæ, & præcepta mea cor tuum custodiat; longitudinem enim dierum, & annos vitæ, & pacem apponent tibi.*

Eccl. 6, 29. *In novissimis enim invenies requiem in ea,* (Sapientia) *& convertetur tibi in delectationem.*

Isa. 32, 17. *Et erit opus justitiæ pax, & cultus justitiæ silentium, & securitas usque in sempiternum.*

Isa. 53, 5. *Disciplina pacis nostræ super eum, & livore ejus sanati sumus.*

Isa. 54, 10. *Montes enim commovebuntur, & colles contremiscent; misericordia autem mea non recedet a te, & fœdus pacis meæ non commovebitur; dixit miserator tuus Dominus.*

Isa. 55, 11. 12. *Sic erit Verbum meum, quod egredietur de ore meo: non revertetur ad me vacuum; sed faciet quæcunque volui, & prosperabitur in his, ad quæ misi illud.*

Isa. 58, 10. 11. *Cum effuderis esurienti animam tuam, & animam afflictam repleveris, orietur in tenebris lux tua, & tenebræ tuæ erunt sicut meridies: & requiem tibi dabit Dominus semper, & implebit splendoribus animam tuam.*

Ezech. 34, 14. 15. 25. *In pascuis uberrimis pascam eas* (oves meas) *& in montibus excelsis Israel erunt pascua earum: ibi requiescent in herbis virentibus, & in pascuis pinguibus pascentur super montes Israel: ego pascam oves meas, & ego eas accubare faciam, dicit Dominus Deus ..... & faciam cum eis pactum pacis, & cessare faciam bestias pessimas de terra; & qui habitant in deserto, securi dormient in saltibus.*

Ezech. 37, 14. 26. *Et requiescere vos faciam super humum vestram, & scietis quia ego Dominus locutus sum & feci, ait Dominus Deus ..... & percutiam illis fœdus pacis, pactum sempiternum erit eis.*

Agg. 2, 8. & seq. *Et veniet Desideratus cunctis gentibus, & implebo domum istam gloria ..... & in loco isto dabo pacem, dicit Dominus exercituum.*

Zach. 9, 9. *Exulta satis, filia Sion; jubila, filia Jerusalem, ecce rex tuus veniet tibi justus & Salvator ..... & loquetur pacem gentibus.*

Rom. 10, 15. *Quomodo vero prædicabunt, nisi mittantur? sicut scriptum est, Quam speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona?*

Rom. 12, 14. & seq. *Benedicite & nolite maledicere ..... nulli malum pro malo reddentes ..... si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes.*

Rom. 14, 17. 19. *Non est enim regnum Dei esca & potus, sed justitia, & pax, & gaudium in Spiritu sancto ..... Itaque quæ pacis sunt sectemur.*

Rom. 15, 13. *Deus autem spei repleat vos omni gaudio, & pace in credendo.*

1. Cor. 7, 15. *In pace autem vocavit nos Deus.*

2. Cor. 13, 11. *De cætero, fratres, gaudete, perfecti estote, exhortamini, idem sapite, pacem habete, & Deus pacis & dilectionis erit vobiscum.*

Gal. 6, 15. 16. *In Christo enim Jesu, neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed nova creatura. Et quicunque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos, & misericordia, & super Israel Dei.*

Eph. 2, 17. *Et veniens evangelizavit pacem vobis, qui longe fuistis, & pacem iis qui prope.*

Eph. 4, 1. & seq. *Obsecro itaque vos, ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis vocatione qua vocati estis ..... solliciti servari unitatem spiritus in vinculo pacis.*

Ephes. 6, 14. 15. *State ergo succincti lumbos vestros, & induti loricam justitiæ, & calceati pedes in præparatione Evangelii pacis.*

Col. 3, 15. *Et pax Christi exultet in cordibus vestris, in qua & vocati estis in uno corpore.*

2. Thess. 1, 6. 7. *Si tamen justum est apud Deum retribuere tribulationem iis, qui vos tribulant; & vobis qui tribulamini, requiem nobiscum in revelatione Domini Jesu.*

2. Thess. 3, 16. *Ipse autem Dominus pacis det vobis pacem sempiternam in omni loco.*

2. Tim. 2, 22. *Sectare vero justitiam, fidem, charitatem, & pacem cum iis, qui invocant Dominum de corde puro.*

Ebr. 3, 18. *Quibus autem juravit non introire in requiem ipsius, nisi illis qui increduli fuerunt?*

Ebr. 4, 3. & seq. *Ingrediemur enim in requiem qui credidimus, quemadmodum dixit, sicut juravi in ira mea, si introibunt in requiem meam ..... Festinemus ergo ingredi in illam requiem.*

Ebr. 12, 14. *Pacem sequimini cum omnibus & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum.*

1. Petr.

Digitized by Google

1. Petr. 3, 10. 11. *Qui enim vult vitam diligere, & dies videre bonos, ... inquirat pacem, & sequatur eam.*

CAPUT LXV.

Jesus bellator & victor.

NUm. 24, 14. *Orietur Stella ex Jacob, & surget virga de Israel; & percutiet duces Moab, vastabitque omnes filios Seth.*

Psalm. 44, 3. & seq. *Speciosus forma præ filiis hominum: diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in æternum. Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime ..... Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent, in corda inimicorum regis.*

Psal. 109, 5. & seq. *Dominus a dextris tuis confregit in die iræ suæ Reges: judicabit in nationibus, implebit ruinas, conquassabit capita in terra multorum; de torrente in via bibet, propterea exaltabit caput.*

Isa. 8, 1. & seq. *Et dixit Dominus ad me, Sume tibi librum grandem, & scribe in eo stylo hominis, Velociter spolia detrahe, cito prædare. Et adhibui mihi testes fideles, Uriam sacerdotem, & Zachariam filium Barachiæ, & accessi ad Prophetissam, & concepit, & peperit filium, & dixit Dominus ad me, Voca nomen ejus, Accelera spolia detrahere, festina prædari: quia antequam sciat puer vocare patrem suum, auferetur fortitudo Damasci, & spolia Samariæ coram rege Assyriorum.*

Isa. 11, 4. 5. *Percutiet terram virga oris sui, & spiritu labiorum suorum interficiet impium: & erit justitia cingulum lumborum ejus, & fides cinctorium renum ejus.*

Isa. 41, 2. *Quis suscitavit ab Oriente Justum, vocavit eum ut sequeretur se? dabit in conspectu ejus gentes, & reges obtinebit? dabit quasi pulverem gladio ejus, sicut stipulam vento raptam arcui ejus?*

Isa. 42, 13. *Dominus sicut fortis egredietur, sicut vir prœliator suscitabit zelum; vociferabitur & clamabit; super inimicos suos confortabitur.*

Isa. 49, 1. 2. *Dominus ab utero vocavit me, de ventre matris meæ recordatus est nominis mei: & posuit os meum quasi gladium acutum. In umbra manus suæ protexit me, & posuit me sicut sagittam electam, in pharetra sua abscondit me.*

Isa. 66, 15. 16. *Ecce Dominus in igne veniet, & quasi turbo quadrigæ ejus, reddere in indignatione*

MAtth. 10, 34. *Nolite arbitrari, quia pacem venerim mittere, in terram; non veni pacem mittere sed gladium. Veni enim separare hominem adversus patrem suum, & filiam adversus matrem suam, & nurum adversus socrum suam: & inimici hominis, domestici ejus.* Et Luc. 12, 49. 51.

Matth. 26, 52. 53. *Tunc ait illi Jesus, ... An putas quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modo plus quam duodecim legiones Angelorum?*

Luc. 22, 36. *Dixit ergo eis, sed nunc qui habet sacculum, tollat; similiter & peram: & qui non habet, vendat tunicam suam, & emat gladium.*

Joh. 16, 33. *In mundo pressuram habebitis: sed confidite, ego vici mundum.*

Rom. 6, 13. *Sed neque exhibeatis membra vestra, arma iniquitatis peccato; sed exhibete vos Deo, tanquam ex mortuis vivences, & membra vestra arma justitiæ Deo.*

Rom. 13, 12. *Nox præcessit, dies autem appropinquavit. Abjiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis.*

2. Cor. 6, 4. & seq. *Sed in omnibus exhibeamus nosmet ipsos, sicut Dei ministros, in multa patientia ..... in verbo veritatis, in virtute Dei, per arma justitiæ, a dextris & a sinistris.*

2. Cor. 10, 3. & seq. *In carne enim ambulantes, non secundum carnem militamus. Nam arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, & in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi, & in promtu habentes ulcisci omnem inobedientiam, cum impleta fuerit vestra obedientia.*

Eph. 6, 11. & seq. *Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias Diaboli; quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem; sed adversus Principes & Potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus. Propterea accipite armaturam Dei,*

Digitized by Google

dignatione furorem ſuum, & increpationem ſuam in flamma ignis: quia in igne Dominus dijudicabit, & in gladio ſuo ad omnem carnem, & multiplicabuntur interfecti a Domino.

Jerem. 12, 12. *Gladius Domini devorabit ab extremo terræ usque ad extremum ejus: non eſt pax univerſæ carni.*

Joel. 2, 11. *Et Dominus dedit vocem ſuam ante faciem exercitus ſui; quia multa ſunt nimis caſtra ejus, quia fortia & facientia verbum ejus: magnus enim dies Domini, & terribilis valde, & quis ſuſtinebit eum?*

Hab. 3, 8. & ſeq. *Qui aſcendes ſuper equos tuos, & quadrigæ tuæ ſalvatio fiſcitans ſuſcitabis arcum tuum ..... Sol & Luna ſteterunt in habitaculo ſuo, in luce ſagittarum tuarum; ibunt in ſplendore fulgurantis haſtæ tuæ. In fremitu conculcabis terram, in furore obſtupefacies gentes: egreſſus es in ſalutem populi tui, in ſalutem cum Chriſto tuo.*

Zach. 9, 11. & ſeq. *Tu quoque in ſanguine Teſtamenti tui emiſiſti vinctos tuos de lacu, in quo non eſt aqua. Convertimini ad munitionem vincti ſpei, hodie quoque annuntians duplicia reddam tibi. Quoniam extendi mihi Judam quaſi arcum, implevi Ephraim, & ſuſcitabo filios tuos Sion; ſuper filios tuos, Græcia, & ponam te quaſi gladium fortium. Et Dominus Deus ſuper eos videbitur; & exibit ut fulgur jaculum ejus; & Dominus Deus in tuba canet, & vadet in turbine Auſtri. Dominus exercituum proteget eos: & devorabunt, & ſubjicient lapidibus funda, & bibentes inebriabuntur quaſi a vino, & replebuntur ut phiala, & quaſi cornua altaris. Et ſalvabit eos Dominus Deus eorum in die illa, ut gregem populi ſui.*

ut poſſitis reſiſtere in die malo, & in omnibus perfecti ſtare. State ergo ſuccincti lumbos veſtros in veritate, & induti loricam juſtitiæ, & calceati pedes in præparatione Evangelii pacis; in omnibus ſumentes ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere: & galeam ſalutis aſſumite, & gladium ſpiritus, quod eſt Verbum Dei.

1. Tim. 1, 18. *Hoc præceptum commendo tibi, fili Timothee, ſecundum precedentes in te prophetias, ut milites in illis bonam militiam.*

2. Tim. 2, 4. 5. *Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſecularibus, ut ei placeat, cui ſe probavit: nam & qui certat in agone, non coronatur niſi legitime certaverit.*

Apoc. 1, 16. *Et de ore ejus gladius utraque parte acutus exibat.*

Apoc. 2, 12. & ſeq. *Et Angelo Pergami Eccleſiæ ſcribe, Hæc dicit qui habet rhomphæam utraque parte acutam ..... habes & tu tenentes doctrinam Nicolaitarum: ſimiliter pœnitentiam age, ſi quominus veniam tibi cito, & pugnabo cum illis in gladio oris mei.*

Apoc. 19, 11. & ſeq. *Et vidi cœlum apertum, & ecce equus albus, & qui ſedebat ſuper eum, vocabatur Fidelis & Verax, & cum juſtitia judicat & pugnat ..... & veſtitus erat veſte aſperſa ſanguine, & vocatur nomen ejus Verbum Dei. Et exercitus qui ſunt in cœlo, ſequebantur eum in equis albis, veſtiti byſſino albo & mundo: & de ore ejus procedit gladius ex utraque parte acutus, ut in ipſo percutiat gentes: & ipſe reget eas in virga ferrea, & ipſe calcat torcular vini furoris iræ Dei omnipotentis ..... & cæteri occiſi ſunt in gladio ſedentis ſuper equum, qui procedit de ore ipſius, & omnes aves ſaturatæ ſunt carnibus eorum.*

De bello, quod per Jeſum Chriſtum geritur.

JEſum pacificum eſſe ſupra oſtendimus; hic eum exhibemus bellatorem, nec nobiſcum tamen ipſi pugnamus, allegorica modo adhibeatur, interpretatio. Quod quo jure fiat, ſanequam egregie demonſtrat Iſaias, cum ait de puero, qui Meſſiæ typus eſt: *Et dixit Dominus ad me, Voca nomen ejus, Accelera ſpolia detrahere, feſtina prædari; quia antequam ſciat puer vocare patrem ſuum, & matrem ſuam, auferetur fortitudo Damaſci, & ſpolia Samariæ coram rege Aſſyriorum.* Quæ ſic pulchre interpretatur Tertullianus: *Ante eſt inſpicias ætatis demonſtrationem, an hominem jam Chriſtum exhibere poſſit, nedum Imperatorem. Scilicet vagitu ad arma eſſet convocaturus infans, & ſigna belli, non tuba, ſed crepitaculo daturus: nec ex equo, vel de curru, vel de muro, ſed de nutricis aut gerulæ ſuæ collo, ſive dorſo hoſtem deſtinaturus; atque ita Damaſcum & Samariam pro mamillis ſubacturus.* Demum ſententiam his verbis concludit: *Enimvero ſi nusquam hoc naturæ concedit, ante militare, quam vivere, ante virtutem Damaſci ſumere, quam patris & matris vocabulum noſſe, ſequitur ut figurata pronuntiatio videatur.* Subjicit alia deinde multa; pariaque his apud eum alibi reperias, quibus quod addam, nihil habeo. Allegoriam

Iſa. 8, 3. 4.

Tertull. l. 3. adv. Marc. c. 13.

Digitized by Google

Tertull. contr. Jud. c. 9. Isa. 11, 4. 5. præterea demonstrant & hæc Isaiæ: *Percutiet terram virga oris sui, & spiritu labiorum suorum interficiet impium: & erit justitia cingulum lumborum ejus, & fides cinctorium renum ejus.* En arma quibus bellum gerit Christus, verba, spiritus, justitia, & fides. Hinc Paulus 2. Cor. 10, 3. & seq. Eph. 6, 11. & seq. ad Corinthios: *In carne ambulantes, non secundum carnem militamus: nam arma militiæ nostræ carnalia sunt:* & ad Ephesios: *Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias Diaboli; quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem, sed adversus Principes & Potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus.* Tum arma recensetur, quibus geri vult hujusmodi bellum; nempe loricam justitiæ, scutum fidei, galeam salutis, & gladium spiritus.

CAPUT LXIV.

Jesus lapis, fundamentum, mons.

PSalm. 117, 22. *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.*

Isa. 8, 13. 14. *Dominum exercituum ipsum sanctificate; ipse pavor vester, ipse terror vester. Et erit vobis in sanctificationem: in lapidem autem offensionis, & in petram scandali duabus domibus Israel; in laqueum, & in ruinam habitantibus Jerusalem. Et offendent ex eis plurimi & cadent, & conterentur, & irretientur, & capientur.*

Isa. 26, 16. 18. *Idcirco hæc dicit Dominus Deus, Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretiosum, in fundamento fundatum, qui crediderit non festinet ..... Et delebitur fœdus vestrum cum morte, & pactum vestrum cum inferno non stabit.*

Dan. 2, 34. & seq. *Videbas ita, donec abscissus est lapis de monte sine manibus, & percussit statuam in pedibus ejus ferreis, & fictilibus, & comminuit eos. Tunc contrita sunt pariter, ferrum, testa, æs, argentum, & aurum, & redacta quasi in favillam, æstivæ areæ, quæ rapta sunt vento; nullusque locus inventus est eis: lapis autem qui percusserat statuam, factus est mons magnus, & implevit universam terram ..... In diebus autem regnorum illorum suscitabit Deus cœli regnum, quod in æternum non dissipabitur, & regnum ejus alteri populo non tradetur: comminuet autem & consumet universa regna hæc; & ipsum stabit in æternum. Secundum quod vidisti, quod de monte abscissus est lapis sine manibus, & comminuit testam, & ferrum, & æs, & argentum, & aurum, Deus magnus ostendit regi, quæ ventura sunt postea.*

Zach. 3, 8. & seq. *Ecce enim ego adducam servum meum Orientem: quia ecce lapis, quem dedi coram Jesu, super lapidem unum septem oculi sunt, ecce ego calabo sculpturam ejus, ait Dominus exercituum: & auferam iniquitatem terræ illius in die una.*

MAtth. 21, 42. & seq. *Dicit illis Jesus, Nunquam legistis in Scripturis, Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli; a Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris? Ideo dico vobis, quia auferetur a vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus: & qui ceciderit super lapidem istum, confringetur; super quem vero ceciderit, conteret eum.* Et Marc. 12, 10. & seq. Luc. 20, 17. 18.

Act. 4, 11. *Hic est lapis, qui reprobatus est a vobis ædificantibus, qui factus est in caput anguli, & non est in alio aliquo salus.*

Rom. 9, 32. 33. *Offenderunt in lapidem offensionis; sicut scriptum est, Ecce pono in Sion lapidem offensionis, & petram scandali: & omnis qui credit in eum, non confundetur.*

1. Cor. 3, 11. *Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus.*

1. Cor. 10, 4. *Bibebant autem de spirituali consequente eos petra: petra autem erat Christus.*

Eph. 2, 19. & seq. *Ergo jam non estis hospites & advenæ, sed estis cives Sanctorum, & domestici Dei, superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu, in quo omnis ædificatio constructa crescit in Templum sanctum in Domino, in quo & vos coædificavi in habitaculum in spiritu.*

1. Petr. 2, 4. *Ad quem accedentes lapidem vivum, ab hominibus quidem reprobatum, a Deo autem electum & honorificatum; & ipsi tanquam lapidem vivi superædificamini.*

Digitized by Google

Zach. 4, 7. 10. *Quis tu, mons magne, coram Zorobabel? in planum: & educet lapidem primarium, & exæquabit gratiam gratiæ ejus..... & lætabuntur, & videbunt lapidem stanneum in manu Zorobabel.*

CAPUT LXVII.

Jesu Discipuli lapides.

ZAch. 9, 16. *Et salvabit eos Dominus eorum in die illa, ut gregem populi sui: quia lapides sancti elevabuntur super terram ejus.*

EPhes. 2, 19. & seq. *Ergo jam non estis hospites & advenæ: sed estis cives sanctorum, & domestici Dei, superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum; ipso summo angulari lapide Christo Jesu, in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino; in quo & vos coædificamini in habitaculum Dei in spiritu.*

1. Petr. 2, 4. 5. *Ad quem accedentes lapidem vivum, ab hominibus quidem reprobatum, a Deo autem electum & honorificatum; ipsi tanquam lapides vivi superædificamini domus spiritualis, sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias, acceptabiles Deo per Jesum Christum.*

CAPUT LXVIII.

Jesus scandalum & ruina.

PSalm. 109, 6. *Judicabit in nationibus, implebit ruinas.*

Isa. 8, 13. 14. *Dominum exercituum ipsum sanctificate: ipse pavor vester, & ipse terror vester, & erit vobis in sanctificationem: in lapidem autem offensionis, & in petram scandali duabus domibus Israel, in laqueum & in ruinam habitantibus Jerusalem. Et offendent ex eis plurimi, & cadent, & conterentur, & irretientur, & capientur.*

MAtth. 11, 6. *Beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me.* Et Luc. 7, 23.

Matth. 13, 57. *Et scandalizabantur in eo.* Et Marc. 6, 3.

Matth. 15, 12. *Tunc accedentes Discipuli ejus dixerunt ei, Scis quia Pharisæi audito verbo hoc scandalizati sunt?*

Matth. 26, 31. & seq. *Tunc dicit illis Jesus, Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte. Scriptum est enim, Percutiam pastorem, & dispergentur oves gregis..... Respondens autem Petrus ait illi, Etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor.* Et Marc. 14, 27. & seq.

Luc. 2, 34. *Et benedixit illis Simeon, & dixit ad Mariam matrem ejus, Ecce positus est hic in ruinam, & resurrectionem multorum in Israel.*

Rom. 9, 32. 33. *Offenderunt enim in lapidem offensionis, sicut scriptum est, Ecce pono in Sion lapidem offensionis, & petram scandali; & omnis, qui credit in eum, non confundetur.*

1. Cor. 1, 23. *Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam.*

Gal. 5, 11. *Ego autem, fratres, si circumcisionem adhuc prædico, quid adhuc persecutionem patior? ergo evacuatum est scandalum crucis.*

1. Petr. 2, 7. 8. *Vobis igitur honor credentibus; non credentibus autem lapis, quem reprobaverunt ædificantes: hic factus est in caput anguli, & lapis offensionis, & petra scandali, his qui offendunt verbo, nec credunt in quo & positi sunt.*

CAPUT LXIX.

Jesus dux.

ISa. 55, 4. *Ecce testem populis dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus.*

Jerem. 30, 21. *Et erit dux ejus ex eo, & princeps de medio ejus producetur, & applicabo eum, & accedat ad me.*

MAtth. 2, 6. *Sic enim scriptum est per Prophetam, Et tu, Bethlehem terra Juda, nequaquam minima es in principibus Juda: ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel.*

Dan. 9, 25. *Scito ergo & animadverte, Ab exitu sermonis ut iterum ædificetur Jerusalem, usque ad Christum ducem, hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duæ erunt.*

Digitized by Google

CAPUT LXX.

Jesus ostium.

PSalm. 117, 20. *Haec porta Domini: justi intrabunt in eam.*

JOh. 10, 7. & seq. *Dixit ergo eis iterum Jesus, Amen, amen dico vobis, quia ego sum ostium ovium: omnes quotquot venerunt, fures sunt & latrones; & non audierunt eos oves. Ego sum ostium: per me si quis introierit, salvabitur, & ingredietur, & egredietur, & pascua inveniet.*

CAPUT LXXI.

Jesus via.

ISa. 30, 21. *Et aures tuae audient verbum post tergum monentis, Haec est via, ambulate in ea, & non declinetis neque ad dexteram, neque ad sinistram.*

JOh. 14, 6. *Dicit ei Jesus, Ego sum via, & veritas, & vita: nemo venit ad Patrem nisi per me.*

Isa. 35, 8. & seq. *Et erit ibi semita, & via sancta vocabitur: non transibit per eam pollutus, & haec erit vobis directa via, ita ut stulti non errent per eam. Non erit ibi leo, & mala bestia non ascendet per eam, nec invenietur ibi, & ambulabunt, qui liberati fuerint, & redemti a Domino convertentur.*

Jer. 6, 16. *Haec dicit Dominus, State super vias, & videte, & interrogate de semitis antiquis, qua sit via bona, & ambulate in ea, & invenietis refrigerium animabus vestris.*

CAPUT LXXII.

Jesus veritas.

PSalm. 42, 3. *Emitte lucem tuam, & veritatem tuam; ipsa me deduxerunt & adduxerunt in montem sanctum tuum & in tabernacula tua.*

Psalm. 84, 12. *Veritas de terra orta est, & justitia de cœlo prospexit.*

Eccl. 24, 25. *In me gratia omnis viae & veritatis; in me omnis spes vitae & virtutis.*

JOh. 8, 31. 32. *Dicebat ergo Jesus ad eos, qui crediderunt ei Judaeos, Si vos manseritis in sermone meo, vere Discipuli mei eritis, & cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos.*

Joh. 14, 6. *Dicit ei Jesus, Ego sum via, veritas & vita.*

2. Cor. 1, 20. *Quotquot enim promissiones Dei sunt, in illo Est, & per ipsum Amen Deo ad gloriam nostram.*

1. Joh. 5, 6. *Et spiritus est, qui testificatur, quoniam Christus est veritas.*

CAPUT LXXIII.

Jesus vita.

DEut. 30, 20. *Elige ergo vitam, ut & tu vivas, & semen tuum, & diligas Dominum Deum tuum, atque obedias voci ejus, & illi adhaereas: ipse est enim vita tua, & longitudo dierum tuorum.*

Psalm. 35, 10. *Quoniam apud te est fons vitae, & in lumine tuo videbimus lumen.*

Prov. 8, 35. *Qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet salutem a Domino.*

Eccl. 4, 12. & seq. *Sapientia filiis suis vitam inspirat, & suscipit inquirentes se, & praebit in via justitiae: & qui illam diligit, diligit vitam: & qui vigilaverint ad illam, complectentur placorem ejus. Qui tenuerint illam, vitam hereditabunt.*

JOh. 1, 4. *In ipso vita erat, & vita erat lux hominum.*

Joh. 6, 35. 48. 49. *Dixit autem eis Jesus, Ego sum panis vitae .... Patres vestri manducaverunt manna in deserto, & mortui sunt: hic est panis de cœlo descendens, ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur.*

Joh. 11, 25. 26. *Dixit ei Jesus, Ego sum resurrectio & vita: qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet; & omnis qui vivit, & credit in me, non morietur in aeternum.*

Joh. 14, 6. *Dicit ei Jesus, Ego sum via, veritas & vita.*

Act. 3, 15. *Auctorem vero vitae interfecistis, quem*

Digitized by Google

Eccl. 21, 16. *Scientia ſapientis tanquam inundatio abundabit, & conſilium illius ſicut fons vitæ permanet.*

Iſa. 25, 7. & ſeq. *Et præcipitabit in monte iſto faciem vinculi colligati ſuper omnes populos, & telam quam orditus eſt ſuper omnes nationes. Præcipitabit mortem in ſempiternum, & auferet Dominus Deus lacrymam ab omni facie, & opprobrium populi ſui auferet de univerſa terra, quia Dominus locutus eſt. Et dicet in die illa, Ecce Deus noſter iſte; expectavimus eum, & ſalvavit nos, iſte Dominus, ſuſtinuimus eum, exultabimus & lætabimur in ſalutari ejus: quia requieſcet manus Domini in monte iſto.*

quem Deus ſuſcitavit a mortuis, cujus nos teſtes ſumus.

Rom. 6, 11. *Ita & vos exiſtimate, vos mortuos quidem eſſe peccato, viventes autem Deo in Chriſto Domino noſtro.*

1. Cor. 15, 22. *Et ſicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes vivificabuntur.*

Gal. 2, 20. *Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Chriſtus. Quod autem non vivo in carne, in fide vivo filii Dei.*

Phil. 1, 10. *Mihi enim vivere Chriſtus eſt, & mori lucrum.*

Col. 3, 3. 4. *Mortui enim eſtis, & vita veſtra eſt abſcondita cum Chriſto in Deo. Cum Chriſtus apparuerit vita veſtra, tunc & vos apparebitis cum ipſo in gloria.*

Ebr. 2, 14. *Quia ergo pueri communicaverunt carni & ſanguini, & ipſe ſimiliter participavit eisdem, ut per mortem deſtrueret eum, qui habebat mortis imperium, id eſt Diabolum.*

1. Joh. 1, 2. *Vita manifeſtata eſt, & vidimus, & teſtamur, & annuntiamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis.*

1. Joh. 5, 11. & ſeq. *Et hoc eſt teſtimonium, quoniam vitam æternam dedit nobis Deus: & hæc vita in Filio ejus eſt. Qui habet Filium, habet vitam: qui non habet Filium, vitam non habet. Hæc ſcribo vobis, ut ſciatis quoniam vitam habetis æternam, qui creditis in nomine Filii Dei.*

CAPUT LXXIV.

Jeſus Sapientia.

PRov. 8, 12. & ſeq. *Ego Sapientia habito in conſilio, & eruditis interſum cogitationibus.... Meum eſt conſilium & æquitas; mea eſt fortitudo. Per me reges regnant, & legum conditores juſta decernunt.... Ego diligentes me diligo; & qui mane vigilant ad me, inveniunt me: mecum ſunt divitiæ & gloria, opes ſuperbæ & juſtitia, melior eſt enim fructus meus auro & lapide pretioſo, & genimina mea argento electo.... Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum, antequam quidquam faceret a principio: ab æterno ordinata ſum, & ex antiquis, antequam terra fieret. Nondum erant abyſſi, & ego jam concepta eram: necdum fontes aquarum eruperant; necdum montes gravi mole conſtiterant; ante colles ego parturiebar: adhuc terram non fecerat, & flumina, & cardines orbis terræ. Quando præparabat cœlos aderam..... cum eo eram cuncta componens, & delectabar per ſingulos dies, ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum, & deliciæ meæ eſſe cum filiis hominum. Nunc ergo, filii, audite me, Beati qui cuſtodiunt vias meas.... Beatus homo qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidie, & obſervat ad poſtes oſtii mei. Qui me invenerit, inveniet vitam & hauriet ſalutem a Domino: qui autem in me peccaverit, lædet animam ſuam. Omnes qui me oderunt, diligunt mortem.*

MAtth. 11, 19. *Venit Filius hominis manducans & bibens, & dicunt, Ecce homo vorax & potator vini, publicanorum & peccatorum amicus. Et juſtificata eſt Sapientia a filiis ſuis.* Et Luc. 7, 34. 35.

Luc. 11, 49. *Propterea & Sapientia Dei dixit, Mittam ad illos Prophetas & Apoſtolos, & ex illis occident & perſequentur.*

1. Cor. 1, 23. 24. *Nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum, Judæis quidem ſcandalum gentibus autem ſtultitiam; ipſis autem vocatis Judæis atque Græcis, Chriſtum Dei virtutem, & Dei Sapientiam.*

1. Cor. 1, 30. *Ex ipſo autem vos eſtis in Chriſto Jeſu, qui factus eſt nobis Sapientia a Deo.*

Col. 2, 4. *In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi.*

Digitized by Google

Sap. 7, 21. & seq. *Omnium artifex docuit me Sapientia: est enim in illa spiritus intelligentia sanctus, unicus . . . . . omnem habens virtutem, omnia prospiciens, & qui capiat omnes spiritus, intelligibilis, mundus, subtilis. Omnibus enim mobilibus mobilior est Sapientia. Attingit autem ubique propter suam munditiam: vapor est enim virtutis Dei, & emanatio quedam est claritatis omnipotentis Dei sincera, & ideo nihil inquinatum in eam incurrit: candor est enim lucis aeterna, & speculum sine macula Dei majestatis, & imago bonitatis illius: & cum sit una, omnia potest, & in se permanens omnia innovat, & per nationes in animas sanctas se transfert, amicos Dei & Prophetas constituit.*

Sap. 9, 4. *Da mihi sedium tuarum assistricem Sapientiam.*

Sap. 9, 9. *Tecum Sapientia tua, quæ novit opera tua, quæ & affuit tunc, cum orbem terrarum faceres: & sciebat quid esset placitum oculis tuis, & quid directum in præceptis tuis.*

Eccl. 1, 5. & seq. *Fons Sapientiæ, Verbum Dei in excelsis & ingressus illius mandata æterna. Radix Sapientiæ cui revelata est, & astutias illius quis agnovit? Disciplina Sapientiæ cui revelata est & manifestata? & multiplicationem ingressus illius quis intellexit? Unus est altissimus creator omnipotens, & rex potens & metuendus nimis, sedens super thronum illius, & dominans Deus. Ipse creavit illam in Spiritu sancto, & vidit, & dinumeravit, & mensus est: & effudit illam super omnia opera sua, & super omnem carnem secundum datum suum, & præbuit illam diligentibus se.*

Eccl. 24, 1. & seq. *Sapientia laudabit animam suam, & in Deo honorabitur, & in medio populi sui gloriabitur, & in Ecclesiis Altissimi aperiet os suum, & in conspectu virtutis illius gloriabitur, & in medio populi sui exaltabitur, & in plenitudine sancta admirabitur, & in multitudine electorum habebit laudem, & inter benedictos benedicetur, dicens, Ego ex ore Altissimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam. Ego feci in cœlis, ut oriretur lumen indeficiens, & sicut nebula texi omnem terram. Ego in altissimis habitavi, & thronus meus in columna nubis. Gyrum cœli circuivi sola, & profundum abyssi penetravi, in fluctibus maris ambulavi, & in omni terra steti, & in omni gente primatum habui: & omnium excellentium & humilium corda virtute calcavi, & in his omnibus requiem quæsivi, & in hæreditate Domini morabor. Tunc præcepit, & dixit mihi creator omnium, & qui creavit me, requievit in tabernaculo meo, & dixit mihi, In Jacob inhabita, & in Israel hæreditare, & in electis meis mitte radices. Ab initio, & ante secula creata sum, & usque ad futurum seculum non desinam, & in habitatione sancta coram ipso ministravi.*

CAPUT LXXV.

Jesus principium & finis, primus & novissimus, alpha & omega.

GEn. 1, 1. *In principio creavit Deus cœlum & terram.*

Psalm. 101, 26. & seq. *Initio tu, Domine, terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli: ipsi peribunt, tu autem permanes, & omnes sicut vestimentum veterascent, & sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur: tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.*

Psalm. 109, 3. *Tecum principium in die virtutis tuæ, in splendoribus sanctorum: ex utero ante luciferum genui te.*

Prov. 8, 22. *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quicquam faceret a principio: ab æterno ordinata sum & ex antiquis, antequam terra fieret.*

Eccl. 24, 14. *Ab initio, & ante secula creata sum, & usque ad futurum seculum non desinam.*

JOh. 1, 1. 2. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum.*

Joh. 8, 25. *Dicebant ergo ei, Tu quis es? Dixit eis Jesus, Principium, qui & loquor vobis.*

Rom. 10, 4. *Finis enim Legis Christus, ad justitiam omni credenti.*

Col. 1, 18. *Et ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis, ut sit in omnibus ipse primatum tenens.*

Ebr. 1, 8. & seq. *Ad Filium autem* (dicit Deus) *Tu in principio, Domine, terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli: ipsi peribunt, tu autem permanebis, & omnes ut vestimentum veterascent, & velut amictum mutabis eos, & mutabuntur: tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.*

Apoc. 1, 8. *Ego sum Alpha & Omega, principium*

Digitized by Google

Isa. 41, 4. *Ego Dominus : primus & novissimus ego sum.*

Isa. 43. 10. *Ante me non est formatus Deus, & post me non erit.*

Isa. 44. 6. *Hæc dicit Dominus rex Israel, & redemtor ejus Dominus exercituum, Ego primus & novissimus, & absque me non est Deus.*

Isa. 48, 12. *Audi me, Jacob, & Israel quem ego voco : ego ipse, ego primus, & ego novissimus.*

Isa. 53, 2. 3. *Vidimus eum, & non erat aspectus ; & desideravimus eum, despectum, & novissimum virorum.*

cipium & finis, dicit Dominus Deus, qui est, & qui erat, & qui venturus est omnipotens. Et Apoc 1, 11. juxta Græcum exemplar.

Apoc. 1, 17. *Et posuit dexteram suam super me dicens, Noli timere, ego sum primus & novissimus.*

Apoc. 3, 14. *Et Angelo Laodicæ Ecclesiæ scribe, Hæc dicit, Amen, testis fidelis & verus, qui est principium creaturæ Dei.*

Apoc. 21, 6. *Ego sum alpha & omega, initium & finis.*

Apoc. 22, 13. *Ego sum alpha & omega, primus & novissimus, & principium & finis.*

CAPUT LXXVI.

Jesus caput.

PSalm. 17, 44. *Eripies me de contradictionibus populi, constitues me in caput gentium.*

Psalm. 117, 22. *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.*

MAtth. 21, 46. *Dixit illis Jesus, Nunquam legistis in scripturis, Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli ?* Et Marc. 12, 10. Luc. 20, 17. Act. 4, 11. & 1. Petr. 2, 7.

1. Cor. 11, 3. *Volo autem vos scire quod omnis viri caput Christus est.*

Eph. 1, 22. 23. *Et omnia subjecit sub pedibus ejus, & ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius, & plenitudo ejus qui omnia in omnibus adimpletur.*

Eph. 4, 15. 16. *Veritatem autem facientes in charitate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus : ex quo totum corpus compactum & connexum per omnem junctturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscujusque membri, augmentum corporis facit in ædificationem sui in Charitate.*

Eph. 5, 23. *Quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ, ipse Salvator corporis ejus.*

Col. 1, 18. *Et ipse* (Jesus) *est caput corporis Ecclesiæ.*

Col. 2, 10. *Et estis in illo* (Jesu) *repleti, qui est caput omnis principatus & potestatis.*

Col. 2, 18. 19. *Nemo vos seducat..... non tenens caput, ex quo totum corpus per nexus & conjunctiones subministratum & constructum, crescit in augmentum Dei.*

CAPUT LXXVII.

In Jesu omnia a Deo condita.

PSalm. 32, 6. *Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris ejus omnis virtus eorum.*

Psalm. 103, 24. *Quam magnificata sunt opera tua, Domine : omnia in Sapientia fecisti.*

Prov. 3, 19. 20. *Dominus Sapientia fundavit terram, stabilivit cœlos prudentia : Sapientia illius eruperunt abyssi.*

Prov. 8, 27. & seq. *Quando præparabat cœlos aderam : quando certa lege & gyro vallabat abyssos, quando æthera firmabat sursum, & liberabat fontes aquarum ; quando circumdabat mari terminum suum, & legem ponebat aquis, ne transirent fines suos ; quando appen-*

JOh. 1, 3. *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est.*

Eph. 2, 10. *Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Jesu, in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus.*

Eph. 3, 11. *Secundum præfinitionem seculorum, quam fecit in Christo Jesu Domino nostro.*

Col. 1, 15. & seq. *Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ, quoniam in ipso condita sunt universa in cœlis & in terra, visibilia & invisibilia, sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates ; omnia per ipsum, & in ipso creata sunt, & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant.*

Ebr. 1,

Digitized by Google

debat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta componens.

Sap. 9, 9. *Et tecum Sapientia tua, quæ & affuit tunc cum orbem terrarum faceres, & sciebat quid esset placitum oculi tuis, & quid directum in præceptis tuis.*

Jerem. 10, 12. *Præparat orbem in Sapientia sua.*

Ebr. 1, 2. *Novissime diebus istis locutus est nobis in Filio, quem constituit hæredem universorum, per quem fecit & sæcula.*

CAPUT LXXVIII.

Jesus electus.

PSalm. 88, 20. *Tunc locutus es in visione sanctis tuis, & dixisti, Posui adjutorium in potente, & exaltavi electum de plebe mea.*

Isa. 42, 1. *Ecce servus meus, suscipiam eum: electus meus, complacuit sibi in illo anima mea.*

Isa. 43, 10. *Vos testes mei, dicit Dominus, & servus meus quem elegi, ut sciatis & credatis mihi, & intelligatis quia ego ipse sum.*

Isa. 49, 2. *Posuit me sicut sagittam electam, in pharetra sua abscondit me.*

MAtth. 12, 17. & seq. *Ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam Prophetam dicentem, Ecce puer meus quem elegi; dilectus meus, in quo bene complacuit anima mea.*

Luc. 23, 35. *Et stabat populus spectans, & deridebant eum Principes cum eis dicentes, Alios salvos fecit, se salvum faciat, si hic est Christus Dei electus.*

1. Petr. 2, 4. & seq. *Ad quem accedentes lapidem vivum, ab hominibus quidem reprobatum, a Deo autem electum, & honorificatum, & ipsi tanquam lapides vivi superædificamini domus spiritualis, sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias, acceptabiles Deo per Jesum Christum. Propter quod continet Scriptura, Ecce pono in Sion lapidem summum angularem, electum, pretiosum: & qui crediderit in eum, non confundetur.*

CAPUT LXXIX.

Jesus Justitia.

PSalm. 71, 7. *Orietur in diebus ejus justitia, & abundantia pacis, donec auferatur Luna.*

Psalm. 84, 12. *Veritas de terra orta est, & justitia de cœlo prospexit.*

Isa. 11, 4. *Judicabit in justitia pauperes, & arguet in æquitate pro mansuetis terræ.*

1. COr. 1, 30. *Ex ipso autem vos estis in Christo Jesu, qui factus est nobis Sapientia a Deo, & justitia, & sanctificatio & redemtio.*

2. Cor. 5, 21. *Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso.*

Isa. 45, 8. *Rorate cœli desuper, & nubes pluant Justum; aperiatur terra, & germinet Salvatorem, & justitia oriatur simul.*

Isa. 61, 11. *Sicut enim terra profert germen suum, & sicut hortus germen suum germinat, sic Dominus Deus germinabit justitiam.*

Isa. 63, 1. *Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra, iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suæ? Ego qui loquor justitiam, & propugnator sum ad salvandum.*

Jerem. 33, 15. *In diebus illis, & in tempore illo, germinare faciam David germen justitiæ.*

Dan. 9, 24. *Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, & super urbem sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur justitia sempiterna.*

Mal. 4, 2. *Et orietur vobis timentibus nomen meum Sol justitiæ.*

CAPUT LXXX.

Jesus Justus dictus κατ' ἐξοχήν.

SAp. 2, 12. *Circumveniamus ergo Justum, quoniam inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris, & improperat nobis peccata*

MAtth. 27, 3. 4. *Tunc videns Judas qui eum tradidit, quod damnatus esset, pœnitentia ductus, retulit triginta argenteos Principibus*

Digitized by Google

Legis, & diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ: promittit se scientiam Dei habere, & Filium Dei se nominat.

Isa. 45, 8. *Rorate cœli desuper, & nubes pluant Justum; aperiatur terra, & germinet Salvatorem.*

Isa. 51, 4. 5. *Attendite ad me, populi mei, & tribus mea me audite, quia Lex a me exiet, & judicium meum in lucem populorum requiescet. Prope est Justus meus, egressus est Salvator meus.*

Isa. 53, 11. *In scientia sua justificabit ipse Justus servus meus multos, & iniquitates eorum ipse portabit.*

Isa. 62, 1. 2. *Propter Sion non tacebo, & propter Jerusalem non quiescam, donec egrediatur ut splendor Justus ejus, & Salvator ejus ut Lampas accendatur. Et videbunt gentes Justum tuum, & cuncti reges inclytum tuum, & vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominabit.*

Jerem. 23, 5. 6. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & suscitabo David germen justum, & regnabit rex, & sapiens erit, & faciet judicium & justitiam in terra. In diebus illis salvabitur Juda, & Israel habitabit confidenter: & hoc est nomen, quod vocabunt eum, Dominus Justus noster.* Et Jetem. 33, 16.

Zach. 9, 9. *Exulta satis, filia Sion; jubila, filia Jerusalem: ecce rex tuus veniet tibi Justus & Salvator.*

1. Joh. 2, 29. *Si scitis quoniam Justus est, scitote quoniam & omnis qui facit justitiam, ex ipso natus est.*

cipibus Sacerdotum & Senioribus, dicens, *Peccavi, tradens sanguinem justum.*

Matth. 27, 19. *Sedente autem illo pro tribunali, misit ad eum uxor ejus dicens, Nihil tibi & Justo illi.*

Luc. 23, 47. *Videns autem Centurio quod factum fuerat, glorificavit Deum dicens, Vere hic homo justus erat.*

Act. 3, 14. *Vos autem Sanctum & Justum negastis, & petistis virum homicidam dari vobis.*

Act. 7, 52. *Quem Prophetarum non sunt persecuti patres vestri? & occiderunt eos, qui prænuntiabant de adventu Justi, cujus vos nunc proditores & homicidæ fuistis.*

Act. 22, 14. *At ille dixit, Deus patrum nostrorum præordinavit te, ut cognosceres voluntatem ejus, & videres Justum, & audires vocem ex ore ejus.*

Rom. 3, 26. *Ut sit ipse Justus, & justificans eum qui est ex fide Jesu Christi.*

Jac. 5, 6. *Addixistis, & occidistis Justum, & non restitit vobis.*

1. Petr. 3, 18. *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, Justus pro injustis.*

1. Joh. 1, 9. *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & justus, ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate.*

1. Joh. 2, 1. *Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum Justum.*

CAPUT LXXXI.

Jesus Sanctus dictus κατ' ἐξοχήν.

PSalm. 4, 4. *Et scitote quoniam mirificavit Dominus Sanctum suum.*

Psalm. 15, 10. *Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem.*

Isa. 12, 6. *Exulta, & lauda, habitatio Sion, quia magnus in medio tui Sanctus Israel.*

Dan. 9, 24. *Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, & super Urbem sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur justitia sempiterna, & impleatur visio & prophetia, & ungatur Sanctus sanctorum.*

MArc. 1, 23. 24. *Et erat in Synagoga eorum homo in spiritu immundo, & exclamavit dicens, Quid nobis & tibi, Jesu Nazarene? venisti perdere nos? scio qui sis, Sanctus Dei.* Et Luc. 4, 33. 34.

Luc. 1, 35. *Et respondens Angelus dixit ei, Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbravit tibi, ideoque & quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.*

Luc. 2, 22. 23. *Et postquam impleti sunt dies purgationis ejus secundum legem Moysi, tulerunt illum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino, sicut scriptum est in Lege Domini, Quia omne masculinum adaperiens vulvam, Sanctum Domino vocabitur.*

Act. 2, 27. *Quoniam non derelinquet animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem.*

Digitized by Google

Act. 3, 14. *Vos autem Sanctum & Justum negastis, & petistis virum homicidam donari vobis.*

Act. 4, 27. & seq. *Convenerunt enim vere in civitate ista adversus Sanctum puerum tuum Jesum ..... Et nunc, Domine, respice in minas eorum, & da servis tuis cum omni fiducia loqui verbum tuum; in eo quod manum tuam extendas ad sanitates, & signa, & prodigia fieri per nomen Sancti filii tui Jesu.*

1. Cor. 1, 30. *Ex ipso autem vos estis in Christo Jesu, qui factus est nobis sapientia a Deo, & justitia, & sanctificatio, & redemtio.*

Ebr. 7, 26. *Talis enim decebat, ut nobis esset Pontifex, Sanctus, innocens, impollutus.*

1. Petr. 1, 14. & seq. *Quasi filii obedientiæ, non configurati prioribus ignorantiæ vestræ desideriis, sed secundum eum, qui vocavit vos Sanctum, & ipsi in omni conversatione sancti sitis: quoniam scriptum est, Sancti eritis, quoniam ego Sanctus sum.*

1. Joh. 2, 20. *Sed vos unctionem habetis a Sancto, & nostis omnia.*

Apoc. 3, 7. *Et Angelo Philadelphiæ Ecclesiæ scribe, Hæc dicit Sanctus & Verus, qui habet clavem David.*

Apoc. 6, 10. *Et clamabunt voce magna dicentes, Usquequo, Domine (Sanctus & Verus) non judicas & non vindicas sanguinem nostrum de iis, qui habitant in terra?*

Sanctum fore Messiam Judæi fentiunt.

COnsentanea est his Veteris Testamenti effatis Judæorum sententia: nam R. Abraham Schalom in libro Neve Schalom, popularium suorum, ut videtur, vestigiis inhærens, sanctissimum omnium Messiam fore docet.

CAPUT LXXXII.

Jesus testis Dei.

ISa. 43, 10. *Vos testes mei, dicit Dominus, & servus meus quem elegi.*

Isa. 55, 4. *Ecce testem populis dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus.*

JOh. 3, 10. 11. *Respondit Jesus, & dixit ei, tu es Magister in Israel, & hæc ignoras? Amen, amen dico tibi, quia quod scimus loquimur, & quod vidimus testamur, & testimonium nostrum non accipitis.*

Joh. 3, 31. 32. *Et quod vidit & audivit, hoc testatur, & testimonium ejus nemo accipit. Qui accepit ejus testimonium, signavit quia Deus verax est.*

Joh. 8, 14. 18. *Respondit Jesus, & dixit eis, Et si ego testimonium perhibeo de me ipso, verum est testimonium meum ..... Ego sum qui testimonium perhibeo de me ipso.*

Joh. 18, 37. *Respondit Jesus, Tu dicis quia rex sum ego; ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati.*

1. Tim. 2, 5. 6. *Unus enim Deus, unus & mediator Dei & hominum homo Christus Jesus, qui dedit redemtionem semet ipsum pro omnibus, testimonium temporibus suis.*

1. Tim. 6, 13. *Præcipio tibi coram Deo, qui vivificat omnia in Christo Jesu, qui testimonium reddidit sub Pontio Pilato, bonam confessionem.*

1. Joh. 5, 7. *Quoniam tres sunt, qui testimonium dant in cœlo, Pater, & Verbum, & Spiritus sanctus: & hi tres unum sunt.*

Apoc. 1, 4. 5. *Gratia vobis & pax ..... a Jesu Christo, qui est testis fidelis, primogenitus mortuorum, & princeps regum terræ.*

Apoc. 3, 14. *Et Angelo Laodiceæ Ecclesiæ scribe, Hæc dicit Amen, testis fidelis & verus, qui est principium creaturæ Dei.*

CAPUT LXXXIII.

Jesus humilis.

PSalm. 21, 7. *Ego autem sum vermis, & non homo; opprobrium hominum, & abjectio plebis.*

MAtth. 11, 29. *Discite a me, quia mitis sum & humilis corde.*

Act. 8, 23. & seq. *Locus autem Scripturæ quem*

Digitized by Google

Psalm. 34, 14. *Quasi lugens & contristatus, sic humiliabar.*

Psalm. 87, 16. *Pauper sum ego, & in laboribus a juventute mea; exaltatus autem, & humiliatus sum, & conturbatus.*

Psalm. 88, 39. & seq. *Tu vero repulisti & despexisti, distulisti Christum tuum: evertisti testamentum servi tui, profanasti in terra Sanctuarium ejus; destruxisti omnes sepes ejus, posuisti firmamentum ejus formidinem: diripuerunt eum omnes transeuntes viam, factus est opprobrium vicinis: exaltasti dexteram deprimentium eum, latificasti omnes inimicos ejus: avertisti adjutorium gladii ejus, & non es auxiliatus ei in bello; destruxisti eum ab emundatione, & sedem ejus in terram collisisti: minorasti dies temporis ejus, perfudisti eum confusione.*

Isa. 52, 14. *Sicut obstupuerunt super te multi, sic inglorius est inter viros aspectus ejus, & forma ejus inter filios hominum.*

Isa. 53, 2. & seq. *Non est species ei, neque decor; & vidimus eum, & non erat aspectus, & desideravimus eum, despectum & novissimum virorum, virum dolorum, & scientem infirmitatem; & quasi absconditus vultus ejus & despectus, unde nec reputavimus eum ..... & nos putavimus eum quasi leprosum, & percussum a Deo & humiliatum ..... & Dominus voluit conterere eum in infirmitate ..... & cum sceleratis reputatus est.*

Jerem. 22, 30. *Hæc dicit Dominus, Scribe virum istum sterilem, virum qui in diebus suis non prosperabitur: nec enim erit de semine ejus vir, qui sedeat super solium David, & potestatem habeat ultra in Juda.*

Thren. 3, 45. *Eradicationem & abjectionem posuisti me in medio populorum.*

Dan. 2, 34. & seq. *Videbas ita, donec abscissus est lapis de monte sine manibus, & percussit statuam in pedibus ejus ferreis & fictilibus, & comminuit eos ..... lapis autem qui percusserat statuam, factus est mons magnus, & implevit universam terram ..... Secundum quod vidisti quod de monte abscissus est lapis sine manibus, & comminuit testam, & ferrum, & as, & argentum, & aurum, Deus magnus ostendit regi, quæ ventura sunt postea.*

CAPUT LXXXIV.

Jesus contemtus, & odio habitus.

Psalm. 17, 18. 41. 44. *Eripuit me de inimicis meis fortissimis, & ab his qui oderunt me, quoniam confortati sunt super me ..... Et inimicos meos dedisti mihi dorsum, & odientes me disperdidisti .... Eripies me de contradictionibus populi; constitues me in caput gentium.*

Psalm. 21, 8. *Omnes videntes me deriserunt me, locuti sunt labiis, & moverunt caput.*

Psalm. 34, 16, 19. *Tentaverunt me, subsannaverunt me subsannatione, frenduerunt super me dentibus suis .... Non supergaudeant quem legebat, erat hic ..... In humilitate judicium ejus sublatum est ..... Respondens autem Eunuchus Philippo dixit, Obsecro te, de quo Propheta dicit hoc? de se, an de alio aliquo? Aperiens autem Philippus os suum, & incipiens a Scriptura ista, evangelizavit illi Jesum.*

2. Cor. 13, 4. *Nam etsi crucifixus est Jesus ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei.*

Phil. 2, 8. *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem.*

Ebr. 4, 15. *Non enim habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris; tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato.*

Ebr. 5, 7. & seq. *Qui in diebus carnis suæ preces, supplicationesque, ad eum, qui posset illum salvum facere a morte, cum clamore valido ac lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia: & quidem cum esset Filius Dei, didicit exiis, quæ passus est, obedientiam.*

Matth. 8, 34. *Et ecce tota civitas exiit obviam Jesu & viso eo rogabant, ut transiret a finibus eorum.*

Matth. 9, 34. *Pharisæi autem dicebant, In principe Dæmoniorum ejicit Dæmones.* Et Matth. 12, 24. Luc. 11, 15. Joh. 7, 20. & 8, 48. 52. & 10, 20.

Matth. 13, 57. *Et scandalizabuntur in eo. Jesus autem dixit eis, Non est Propheta sine honore, nisi in patria sua, & in domo sua.* Et Marc. 6, 3. 4. Luc. 4, 24. Joh. 4, 44.

Matth. 21, 42. *Dicit illis Jesus, Numquam*

Digitized by Google

mihi qui adversantur mihi inique; qui oderunt me gratis, & annuunt oculis.

Psalm. 68, 6. & seq. *Multiplicati sunt super capillos capitis mei, qui oderunt me gratis: confortati sunt qui persecuti sunt me inimici mei injuste: quæ non rapui tunc exolvebam.... Quoniam propter te sustinui opprobrium, operuit confusio faciem meam. Extraneus factus sum fratribus meis, & peregrinus filiis matris meæ: quoniam zelus domus tuæ comedit me, & opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me, & operui in jejunio animam meam, & factum est in opprobrium mihi, & posui vestimentum meum cilicium, & factus sum illis in parabolam; adversum me loquebantur, qui sedebant in porta, & in me psallebant qui bibebant vinum..... Tu scis improperium meum, & confusionem meam, & reverentiam meam. In conspectu tuo sunt omnes, qui tribulant me, improperium expectavit cor meum & miseriam: & sustinui qui simul contristaretur, & non fuit; & qui consolaretur, & non inveni.*

Psalm. 88, 42. & seq. *Diripuerunt eum omnes transeuntes viam, factus est opprobrium vicinis suis; exaltasti dexteram deprimentium eum: lætificasti omnes inimicos ejus..... minorasti dies temporis ejus, perfudisti eum confusione.*

Psalm. 108, 1. & seq. *Deus laudem meam ne tacueris, quia os peccatoris & os dolosi super me apertum est: locuti sunt adversum me lingua dolosa, & sermonibus odii circumdederunt me; & expugnaverunt me gratis. Pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi, ego autem orabam; & posuerunt adversum me mala pro bonis, & odium pro dilectione mea.*

Psalm. 117, 22. *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.*

Psalm. 119, 7. *Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus; cum loquebar illis, impugnabant me gratis.*

Sap. 2, 19. *Contumelia & tormento interrogemus eum, ut sciamus reverentiam ejus, & probemus patientiam illius.*

Isa. 1, 2. *Audite cœli, & auribus percipe terra, quoniam Dominus locutus est, Filios enutrivi, & exaltavi, ipsi autem spreverunt me.*

Isa. 8, 13. *Dominum exercituum ipsum sanctificate; ipse pavor vester, & ipse terror vester. Et erit vobis in sanctificationem: in lapidem autem offensionis & in petram scandali legistis in Scripturis, Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli?* Et Marc. 12, 10. Luc. 20, 17.

Marc. 3, 21. & seq. *Et cum audissent sui, exierunt tenere eum: dicebant enim, quoniam in furorem versus est. Et Scribæ qui ab Hierosolymis descenderant, dicebant quoniam Beelbuth habet, & quia in principe Dæmoniorum ejicit Dæmonia.*

Marc. 5, 39. 40. *Et ingressus ait illis, Quid turbamini, & ploratis? puella non est mortua, sed dormit: & irridebant eum.*

Marc. 9, 11. *Qui respondens ait illis, Elias cum venerit primo, restituet omnia; & quomodo scriptum est in Filium hominis, ut multa patiatur & contemnatur?*

Luc. 16, 14. *Audiebant omnia hæc Pharisæi, qui erant avari, & deridebant illum.*

Joh. 1, 10. 11. *In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognovit: in propria venit, & sui eum non receperunt.*

Joh. 7, 5. *Neque enim fratres ejus credebant in eum. Dixit ergo eis Jesus, tempus meum nondum advenit; tempus autem vestrum semper est paratum. Non potest mundus odisse vos, me autem odit.*

Joh. 7, 47. & seq. *Responderunt ergo & Pharisæi, Numquid & vos seducti estis? numquid ex Principibus aliquis credidit in eum, aut ex Pharisæis?*

Joh. 8, 49. *Respondit Jesus, Ego Dæmonium non habeo, sed honorifico Patrem meum, & vos inhonorastis me.*

Joh. 9, 29. *Nos scimus quia Moysi locutus est Deus; hunc autem nescimus unde sit.*

Joh. 12, 37. & seq. *Cum autem tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum, ut sermo Isaiæ Prophetæ impleretur, quem dixit, Domine, quis credidit auditui nostro? & brachium Domini cui revelatum est? Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias, Excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum, ut non videant oculis, & non intelligant corde, & convertantur, & sanem eos.*

Joh. 15, 18. & seq. *Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit..... Nunc autem & viderunt, & oderunt, & me, & Patrem meum: sed ut adimpleatur sermo, qui in Lege eorum scriptus est. Quia odio habuerunt me gratis.*

Act. 4, 11. *Hic est lapis, qui reprobatus est*

Digitized by Google

dali duabus domibus Iſrael, in laqueum & in ruinam habitantibus Jeruſalem, & offendent ex eis plurimi, & cadent, & conterentur, & irretientur, & capientur.

Iſa. 49, 7. *Hæc dicit Dominus redemtor Iſrael, ſanctus ejus, ad contemtibilem animam, ad abominatam gentem, & ad ſervum Dominorum.*

Iſa. 52, 14. *Sicut obſtupuerunt ſuper te multi, ſic inglorius erit inter viros aſpectus ejus, & forma ejus inter filios hominum.*

Iſa. 53, 3. *Deſpectum & noviſſimum virorum, virum dolorum & ſcientem infirmitatem, & quaſi abſconditus vultus ejus & deſpectus, unde nec reputavimus eum.*

Iſa. 65, 2. *Expandi manus tota die ad populum incredulum, qui graditur in via non bona poſt cogitationes ſuas.*

eſt a vobis ædificantibus, qui factus eſt in caput anguli.

Rom. 9, 32. 33. *Offenderunt enim in lapidem offenſionis, ſicut ſcriptum eſt, Ecce pono in Sion lapidem offenſionis & petram ſcandali.*

Ebr. 12, 2. *Aſpicientes in auctorem fidei, & conſummatorem Jeſum, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem, confuſione contemta.*

1. Petr. 1, 11. *De qua ſalute exquiſierunt atque ſcrutati ſunt Prophetæ, qui de futura in vobis gratia prophetaverunt; ſcrutantes in quod vel quale tempus ſignificaret in eis Spiritus Chriſti, prænuntians eas quæ in Chriſto ſunt paſſiones, & poſteriores glorias.*

1. Petr. 2, 4. *Ad quem accedentes lapidem vivum, ab hominibus quidem reprobatum, a Deo autem electum & honorificatum, & ipſi tanquam lapides vivi ſuperædificamini.*

Jerem. 3, 20. *Sed quomodo ſi contemnat mulier amatorem ſuum, ſic contemſit me domus Iſrael, dicit Dominus.*

Jerem. 14, 8. 9. *Expectatio Iſrael, Salvator ejus in tempore tribulationis, quare quaſi colonus futurus es in terra, & quaſi viator declinans ad manendum? Quare futurus es velut vir vagus, ut fortis qui non poteſt ſalvare?*

Jerem. 32, 33. *Et verterunt ad me terga, & non facies, cum docerem eos diluculo, & erudirem, & nollent audire, ut acciperent diſciplinam.*

Jerem. 33, 8. *Propitius ero cunctis iniquitatibus eorum, in quibus deliquerunt mihi, & ſpreverunt me.*

Thren. 3, 30. 45. *Dabit percuti entiſe maxillam, ſaturabitur opprobriis ..... eradicationem & abjectionem poſuiſti me in medio populorum.*

Dan. 9, 26. *Et poſt hebdomades ſeptuaginta duas occidetur Chriſtus: & non erit ejus populus, qui eum negaturus eſt.*

Refelluntur Judæi, ex duplici adventu Meſſiæ in Libris ſacris prædicto, duplicem Meſſiam confingentes

EX prædictis, quæ hoc capite collegimus, aliisque quæ ſubinde proferentur a nobis, optime intellexerunt Judæi futuros Chriſti labores, anguſtias, ignominias, violentam denique mortem, fœdumque ſupplicium. Verum cum & ſupremos ipſi paratos honores, maximam potentiam, regnumque adeo, ex Prophetarum vaticiniis perſpectum haberent, huic diſcrepantiæ oraculorum, quibus duo portenduntur Chriſti adventus, humilis alter & inglorius, ſplendidus alter & magnificus, optime occurrere ſe poſſe ſperarunt, ſi duos Meſſias futuros comminiſcerentur; alterum Joſepho illo priſco, Jacobi & Rachelis filio oriturum, qui Nehemias Uzielis filius dicendus eſſet; infelicem hunc & ærumnis devotum ac cruentæ morti in prælio obeundæ adverſus impium & monſtroſum Armillum; alterum ex Davidis proſapia proditurum, Iſraelitici regni vindicem, ſummam geſturum gloriam, diſperſos Iſraelitas congregaturum, per quem Meſſias Joſephi filius ad vitam ſit revocandus, poſtquam Armillum Deus & univerſum Armilli exercitum igne & ſulphure de cœlo emiſſis deleverit. Traditur doctrina hæc in libro ſexto partis ſecundæ Thalmudis, qui eſt de feſto Tabernaculorum, capite quinto; traditur & in Bereſith Rabba, & apud R. Davidem Kimchi, Aben Ezram, R. Makirum in Pulvere aromatico, aliosque Rabbinos complures e recentioribus. In quo mirabile eſt, quantus ipſis error illuſerit. Prædicitur unicus Meſſias, duplex adventus; duplicem illi Meſſiam, unicum adventum expectant. Cujus commenti ſi quis rationem ab iis poſtulet, vel nullam dabunt, vel ineptam. Proferunt verba hæc Iſaiæ: *Beati qui ſeminatis ſuper omnes aquas, immittentes pedem bovis & aſini.* Sationem illam interIſa. 32, 20.

Digitized by Google

pretantur ſtipem in egenos collatam, quam qui erogaverit, dignum illum fore ajunt Elia, & utroque Meſſia: ac Eliam quidem notari dictione, *immittentes*, idcirco quod
Mal. 4, 5. apud Malachiam ſcriptum eſt: *Ecce ego mitto Eliam prophetam.* Pedem bovis exponunt Meſſiam Joſepho oriturum, quod de Joſepho
Deut. 33, 17. dixerit Moſes morti proximus: *Quaſi primogeniti tauri pulchritudo ejus.* Aſinum vero interpretantur Meſſiam Davidis filium,
Zach. 9, 9. quem prædixit Zacharias futurum pauperem, & aſina vectum iri. Piget has nugas referre, quæ extant tamen in Bereſith Rabba; ſed utile eſt ſectæ hujus perſpectam habere vecordiam. Puduiſſet vero recentiores reſipiſcere. Itaque patrum ſuorum auctoritatem ſequuntur. At eorum errorem vel hoc ipſum ex Bereſith Rabba teſtimonium coarguit, ubi Meſſiam Davidis filium, pauperem futurum ex Zachariæ vaticinio agnoſcunt. Igitur neſcire ſe fatetur Aben Ezra, utrum Meſſiam illic indicet Zacharias: cum Saadias Gaon
Dan. 7, 14. eumdem indicari velit, cui Daniel ſeptimo capite potentiam, opes, & regnum æternum ſpondet. Altera vero Moſis clauſula, qua Joſephus tauro primo comparatur, quamque in Meſſiam Joſephi filium conferunt, adſcribitur Meſſiæ Davidis filio in Midraſch Thehillim. Ajunt Judæi hæc de Meſſia Davidis
Gen. 49, 10. filio prædixiſſe Jacobum: *Donec veniat qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio gentium,* & iſta Pſalten: *Et benedicentur in ipſo omnes* Pſal. 71, 17. *tribus terræ; omnes gentes magnificabunt eum.* At in libro Thalmudico Sanhedrin eadem teſtimonia referuntur, ad eum Meſſiam, de quo dixit Iſaias: *Vere languores* Iſa. 53, 4. *noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit.* R. Selomoh Jarchi in expoſitionibus ſuis ad Gemaram Sanhedrin, & R. Moſes Alſchech, ad Davidicum Meſſiam pertinere ajunt quinquageſimum tertium Iſaiæ caput, quo Meſſiæ narrantur dolores, ignominiæ, & interitus. Quem opinionem aliquot locis refert R. Iſaac Abrabaniel. Meſſiam hic quidem Davidicum iis ſignificari docet, quæ habentur apud Iſaiam, capite undecimo: *Non ſecundum viſionem oculorum judicabit,* Iſa. 11, 3. 4. *neque ſecundum auditum aurium arguet, ſed judicabit in juſtitia pauperes.* At liber idem Sanhedrin pœnis a Deo affectum iri docet Meſſiam ab Iſaia illic prædictum. Meſſias Ruthe prognatus, is ipſe eſt, qui Davidis nepos fuit; tamen in Ruth Rabbathi legitur, regnum Meſſiæ huic & calamitates portendi his verbis, quæ ſunt in capite libri Ruth: *Veni huc, & comede panem, & intinge buc-* Ruth. 2, 14. *cellam tuam in aceto.* Itaque Rabbini quidam, nec infimi nominis, Meſſiam unicum, ſed bis venturum eſſe conſentiunt.

CAPUT LXXXV.

Jeſu Diſcipuli contemti, vexati, & contumeliis affecti.

PSalm. 43, 8. & ſeq. *Salvaſti enim nos de affligentibus nos, & odientes nos confudiſti ..... Nunc autem repuliſti & confudiſti nos ..... avertiſti nos retrorſum poſt inimicos noſtros; & qui oderunt nos, diripiebant ſibi. Dediſti nos tanquam oves eſcarum, & in gentibus diſperſiſti nos. Vendidiſti populum tuum ſine pretio ..... Poſuiſti nos opprobrium vicinis noſtris, ſubſannationem & deriſum, his qui ſunt in circuitu noſtro. Poſuiſti nos in ſimilitudinem gentibus, commotionem capitis in populis. Tota die verecundia mea contra me eſt, & confuſio faciei meæ cooperuit me, a voce exprobrantis & obloquentis, a facie inimici & perſequentis. Hæc omnia venerunt ſuper nos, nec obliti ſumus te, & inique non egimus in teſtamento tuo: & non receſſit retro cor noſtrum: & declinaſti ſemitas noſtras a via*

MAtth. 5, 10. & ſeq. *Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. Beati eſtis cum maledixerint vobis, & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adverſum vos mentientes, propter me: gaudete & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis; ſic enim perſecuti ſunt Prophetas, qui fuerunt ante vos ..... Ego autem dico vobis, Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro perſequentibus & calumniantibus vos, ut ſitis filii Patris veſtri, qui in cœlis eſt.* Et Luc. 6, 22.

Matth. 10, 21. & ſeq. *Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium: & inſurgent filii in parentes, & morte eos afficient, & eritis odio omnibus propter nomen meum.* Et Marc. 13, 12. 13. Luc. 21, 11. 16. 17.

Matth.

Digitized by Google

tua. Quoniam humiliasti nos in loco afflictionis, & cooperuit nos umbra mortis ..... Quoniam propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oves occisionis ..... Quoniam humiliata est in pulvere anima nostra, conglutinatus est in terra venter noster.

Psal. 65, 10. & seq. *Quoniam probasti nos, Deus, igne nos examinasti, sicut examinatur argentum: induxisti nos in laqueum: posuisti tribulationes in dorso nostro: imposuisti homines super capita nostra: transivimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium.*

Psalm. 78, 4. *Facti sumus opprobrium vicinis nostris; subsannatio & illusio his, qui in circuitu nostro sunt.*

Psalm. 122, 3. *Miserere nostri, Domine, miserere nostri, quia multum repleti sumus despectione: quia multum repleta est anima nostra, opprobrium abundantibus & despectio superbis.*

Sap. 5, 3. & seq. *Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum, & in similitudinem improperii. Nos insensati vitam illorum æstimabimus insaniam, & finem illorum, sine honore; ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorum est.*

Isa. 60, 14. & seq. *Et venient ad te curvi filii eorum qui humiliaverunt te; & adorabunt vestigia pedum tuorum omnes, qui detrahebant tibi & vocabunt te civitatem Domini, Sion sancti Israel. Pro eo quod fuisti derelicta, & odio habita, & non erat qui per te transiret, ponam te in superbiam seculorum.*

Thren. 4, 19. 20. *Velociores fuerunt persecutores nostri aquilis cœli: super montes persecuti sunt nos, in deserto insidiati sunt nobis. Spiritus oris nostri Christus captus est in peccatis nostris.*

Matth. 23, 34. *Ideo ecce ego mitto ad vos Prophetas, & Sapientes, & Scribas, & ex illis occidetis, & crucifigetis, & ex eis flagellabitis in Synagogis vestris, & persequemini de civitate in civitatem.* Et Matth. 10, 16. Luc. 10, 3. & 11, 49.

Matth. 24, 9. *Tunc tradent vos in tribulationem, & occident vos: & eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum.*

Joh. 15, 17. & seq. *Hæc mando vobis, ut diligatis invicem. Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit. Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret: quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. Mementote sermonis mei, quem ego dixi vobis, Non est servus major domino suo; si me persecuti sunt, & vos persequentur.*

Joh. 16, 2. *Absque Synagogis facient vos; sed venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo.*

Joh. 17, 14. *Ego dixi eis sermonem tuum, & mundus eos odio habuit, quia non sunt de mundo, sicut & ego non sum de mundo.*

Act. 14. 21. *Et quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.*

Rom. 5, 3. *Gloriamur in tribulationibus, scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem.*

1. Cor. 1, 28. *Ignobilia mundi & contemtibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret.*

1. Cor. 4, 12. 13. *Maledicimur, & benedicimus; persecutionem patimur, & sustinemus; blasphemamur, & obsecramus; tanquam purgamenta hujus mundi facti sumus, omnium peripsema usque adhuc.*

2. Cor. 1, 5. & seq. *Quoniam sicut abundant passiones Christi in nobis, ita & per Christum abundat consolatio nostra. Sive autem tribulamur, pro vestra exhortatione & salute; sive consolamur, pro vestra consolatione; sive exhortamur, pro vestra exhortatione & salute, quæ operatur tolerantiam earumdem passionum quas patimur, ut spes nostra firma sit pro vobis, scientes quod sicut socii passionum estis, sic eritis & consolationis. Non enim volumus ignorare vos, fratres, de tribulatione nostra; quæ facta est in Asia, quoniam supra modum gravati sumus supra virtutem, ita ut taderet nos etiam vivere.*

2. Cor. 2, 4. *Nam ex multa tribulatione & angustia cordis scripsi vobis per multas lacrymas.*

2. Cor. 4, 8. & seq. *In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur; aporiamur, sed non destituimur; persecutionem patimur, sed non derelinquimur; dejicimur, sed non perimus; semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes, ut & vita Jesu manifestetur in corporibus nostris. Semper enim nos, qui vivimus, in mortem tradimur propter Jesum, ut & vita Jesu manifestetur in carne nostra mortali.*

2. Cor.

Digitized by Google

2. Cor. 6, 4. & seq. *Sed in omnibus exhibeamus nosmetipsos, sicut Dei ministros, in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis.*

2. Cor. 7, 4. 5. *Superabundo gaudio in omni tribulatione nostra; nam & cum venissemus in Macedoniam, nullam requiem habuit caro nostra, sed omnem tribulationem passi sumus; foris pugnæ, intus timores.*

2. Cor. 12, 10. *Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo.*

1. Thess. 2, 2. & seq. *Sed ante passi, & contumeliis affecti (sicuti scietis) in Philippis fiduciam habuimus in Deo nostro, loqui ad vos Evangelium Dei in multa sollicitudine .... Vos enim imitatores facti estis, fratres, Ecclesiarum Dei, quæ sunt in Judæa, in Christo Jesu: quia passi estis & vos a contribulibus vestris, sicut & ipsi a Judæis, qui & Dominum occiderunt Jesum, & Prophetas, & nos persecuti sunt.*

1. Thess. 3, 4. 7. *Nam & cum apud vos essemus, prædicebamus vobis passuros nos tribulationes; sicut & factum est, & scitis .... ideo consolati sumus, fratres, in vobis, in omni necessitate, & tribulatione nostra.*

2. Thess. 1, 4. & seq. *Ita ut & nos ipsi in vobis gloriemur in Ecclesiis Dei, pro patientia vestra, & fide, & in omnibus persecutionibus vestris, & tribulationibus quas sustinetis, in exemplum justi judicii Dei, pro quo & patimini: si tamen justum est apud Deum, retribuere tribulationem iis, qui vos tribulant; & vobis qui tribulamini, requiem nobiscum in revelatione Domini Jesu.*

2. Tim. 3, 10. & seq. *Tu autem assecutus es meam doctrinam, institutionem, propositum, fidem, longanimitatem, dilectionem, patientiam, persecutiones, qualia mihi facta sunt Antiochiæ, Iconii, & Lystris, quales persecutiones sustinui, & ex omnibus eripuit me Dominus. Et omnes, qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur.*

Ebr. 10, 32. & seq. *Rememoramini autem pristinos dies, in quibus illuminati, magnum certamen sustinuistis passionum; in altero quidem, opprobriis & tribulationibus, spectaculum facti: in altero autem, socii taliter conversantium effecti. Nam & vinctis compassi estis, & rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis.*

1. Joh. 3, 13. *Nolite mirari, si odit vos mundus.*

Apoc. 7, 14. & seq. *Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna, & lavérunt stolas suas, & dealbaverunt eas in sanguine Agni: .... non esurient, neque sitient amplius, nec cadet super illos Sol, neque ullus æstus: quoniam Agnus, qui in medio throni est, reget illos, & deducet eos ad vitæ fontes aquarum, & absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum.*

CAPUT LXXXVI.

Jesus ignotus.

PSalm. 141, 5. *Considerabam ad dexteram, & videbam; & non erat qui cognosceret me.*

Isa. 1, 3. *Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui; Israel autem me non cognovit, & populus meus non intellexit.*

Isa. 45, 4. 5. *Vocavi te nomine tuo, assimilavi te, & non cognovisti me. Ego Dominus, & non est amplius, extra me non est Deus; accinxi te, & non cognovisti me.*

Isa. 45, 15. *Vere tu es Deus absconditus, Deus Israel Salvator.*

Isa. 53, 3. *Quasi absconditus vultus ejus & despectus, unde nec reputavimus eum.*

Jerem. 4, 22. *Quia stultus populus meus me non cognovit.*

MAtth. 11, 25. *In illo tempore respondens Jesus dixit, Confiteor tibi, Pater, Domine cæli ac terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus, & prudentibus, & revelasti ea parvulis.*

Matth. 17, 12. *Dico autem vobis, quia Elias jam venit, & non cognoverunt eum, sed fecerunt in eo quæcunque voluerunt: sic & Filius hominis passurus est ab eis.*

Matth. 26, 69. & seq. *Petrus vero sedebat foris in atrio, & accessit ad eum una ancilla dicens, Et tu cum Jesu Galilæo eras. At ille negavit coram omnibus dicens, Nescio quid dicis. Exeunte autem illo januam, vidit eum alia ancilla, & ait his qui erant ibi, Et hic erat*

cum

Digitized by Google

Jerem. 9, 3. *De malo ad malum egressi sunt, & me non cognoverunt, dicit Dominus.*

Jerem. 10, 25. *Effunde indignationem tuam super gentes, quæ non cognoverunt te.*

Ose. 5, 4. *Non dabunt cogitationes suas, ut revertantur ad Deum suum, quia spiritus fornicationum in medio eorum, & Dominum non cognoverunt.*

Luc. 23, 34. *Jesus autem dicebat, Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.*

Joh. 1, 10, 11. *In mundo erat, & mundus eum non cognovit: in propria venit, & sui eum non receperunt.*

Joh. 9, 29. *Nos scimus quia Moysi locutus est Deus: hunc autem nescimus unde sit.*

Joh. 16, 2. 3. *Venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo; & hæc facient vobis, qui non noverunt Patrem, neque me.*

Act. 3, 17. *Et nunc, fratres, scio quia per ignorantiam feciſtis, ſicut & principes veſtri.*

Act. 23, 27. *Qui enim habitabant Jeruſalem, & principes ejus hunc ignorantes, & voces Prophetarum, quæ per omne ſabbathum leguntur, judicantes impleverunt, & nullam cauſſam mortis invenientes in eo, petierunt a Pilato ut interficerent eum.*

Act. 17, 22. & ſeq. *Stans autem Paulus in medio Areopagi, ait, Viri Athenienſes, per omnia quaſi ſuperſtitioſiores vos video: prætereins enim & videns ſimulacra veſtra, inveni & aram, in qua ſcriptum erat, Ignoto Deo. Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis.*

1. Cor. 1, 21. *Nam quia in Dei ſapientia non cognovit mundus per ſapientiam Deum, placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſalvos facere credentes.*

1. Cor. 2, 7. 8. *Loquimur Dei Sapientiam in myſterio, quæ abſcondita eſt, quam prædeſtinavit Deus ante ſecula in gloriam noſtram, quam nemo principum hujus ſeculi cognovit: ſi enim cognoviſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent.*

2. Cor. 3, 13. & ſeq. *Non ſicut Moyſes ponebat velamen ſuper faciem ſuam, ut non intenderent filii Iſrael in faciem ejus quod evacuatur, ſed obtuſi ſunt ſenſus eorum: usque in hodiernum enim diem idipſum velamen in lectione Veteris Teſtamenti manet non revelatum, (quoniam in Chriſto evacuatur) ſed usque in hodiernum diem, cum legitur Moyſes, velamen poſitum eſt ſuper cor eorum: cum autem converſus fuerit ad Dominum, auferetur velamen.*

CAPUT LXXXVII.

Jeſus pauper.

PSalm. 39, 18. *Ego autem mendicus ſum & pauper.* Et Pſ. 69, 5.

Pſalm. 68, 30. *Ego ſum pauper & dolens.*

Pſalm. 87, 16. *Pauper ſum ego, & in laboribus a juventute mea.*

Pſalm. 108, 22. *Libera me, quia egenus & pauper ego ſum.*

Jerem. 14, 8. 9. *Expectatio Iſrael, ſalvator ejus in tempore tribulationis: quare quaſi colonus futurus es in terra, & quaſi viator declinans ad manendum? Quare futurus es velut vir vagus; ut fortis qui non poteſt ſalvare?*

MAtth. 8, 20. *Et dicit ei Jeſus, Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos; Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.* Et Luc. 9, 57. 58.

Marc. 6, 2. 3. *Et multi audientes admirabantur in doctrina ejus dicentes, Nonne hic eſt faber, filius Mariæ?*

2. Cor. 8, 9. *Scitis enim gratiam Domini noſtri Jeſu Chriſti, quoniam propter vos egenus factus eſt, cum eſſet dives, ut illius inopia vos divites eſſetis.*

Zach. 9, 9. *Exulta ſatis, filia Sion; jubila, filia Jeruſalem: ecce rex tuus veniet tibi juſtus & Salvator: ipſe pauper & aſcendens ſuper aſinam, & ſuper pullum filium aſinæ.*

Digitized by Google

CAPUT LXXXVIII.

Jesu Discipuli pauperes & humiles.

1. Reg. 2, 8. *Suscitat de pulvere egenum, & de stercore elevat pauperem, ut sedeat cum principibus, & solium gloriæ teneat.* Et Job. 5, 11. & 12, 18. & seq.

Psalm. 11, 6. *Propter miseriam inopum & gemitum pauperum nunc exurgam, dicit Dominus: ponam in salutari, fiducialiter agam in eo.*

Psalm. 17, 28. *Quoniam tu populum humilem salvum facies, & oculos superborum humiliabis.*

Psalm. 33, 19. *Juxta est Dominus iis, qui tribulato sunt corde; & humiles spiritu salvabit.*

Psalm. 43, 24. *Quare faciem tuam avertis, obliviseris inopiæ nostræ, & tribulationis nostræ?*

Psalm. 67, 11. & seq. *Parasti in dulcedine tua pauperi, Deus. Dominus dabit verbum evangelizantibus virtute multa. Rex virtutum dilecti dilecti, & speciei domus dividere spolia.*

Psalm. 68, 33. 34. *Videant pauperes, & lætentur: quærite Deum, & vivet anima vestra: quoniam exaudivit pauperes Dominus, & vinctos suos non despexit.*

Psalm. 71, 4. 12. 13. *Judicabit pauperes populi, & salvos faciet filios pauperum .... quia liberabit pauperem a potente, & pauperem cui non erat adjutor; parcet pauperi, & inopi, & animas pauperum salvas faciet.*

Psalm. 101, 17. 18. *Quia ædificavit Dominus Sion, & videbitur in gloria sua; respexit in orationem humilium, & non sprevit precem eorum.*

Psalm. 106, 40. 41. *Effusa est contemtio super principes, & errare fecit eos in invio, & non in via: & adjuvit pauperem de inopia, & posuit sicut oves familias.*

Psalm. 112, 5. & seq. *Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, & humilia respicit in cælo & in terra? suscitans a terra inopem, & de stercore erigens pauperem, ut collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui.*

Eccli. 10, 18. 21. *Radices gentium superbarum arefecit Deus, & plantavit humiles ex ipsis gentibus ... Memoriam superborum perdidit Deus, & reliquit memoriam humilium sensu.* Et Eccli. 20, 11.

Matth. 6, 19. *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra.*

Matth. 10, 19. *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris, non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta neque virgam: dignus est enim operarius cibo suo.* Et Marc. 6, 8. Luc. 9, 3. & 10, 4. & 22, 35.

Matth. 11, 5. *Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur.*

Matth. 18, 3. 4. *Et dixit, Amen dico vobis, nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum. Quicunque ergo humiliaverit se sicut parvulus iste, hic est major in regno cælorum.*

Matth. 19, 21. *Ait illi Jesus, Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo: & veni, sequere me.* Et Marc. 10, 21. Luc. 12, 33. & 18, 22.

Matth. 20, 26. & seq. *Quicunque voluerit inter vos major fieri, sic vester minister: & qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus; sicut Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare.* Et Matth. 23, 10. & seq. Luc. 14, 11. & 18, 14. Jac. 4, 6. & 1. Petr. 5, 5.

Luc. 1, 48. & seq. *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ; ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes .... Deposuit potentes de sede & exaltavit humiles: esurientes implevit bonis, & divites dimisit inanes.*

Luc. 4, 17. & seq. *Et traditus est illi liber Isaiæ Prophetæ. Et ut revolvit librum, invenit locum, ubi scriptum erat, Spiritus Domini super me, propter quod unxit me, evangelizare, pauperibus misit me ...., Cæpit autem dicere ad illos, Quia hodie impleta est hæc Scriptura in auribus vestris.*

Luc. 6, 20. & seq. *Et ipse elevatis oculis in Discipulos suos dicebat, Beati pauperes, quia vestrum est regnum Dei.*

Joh. 7, 47. & seq. *Responderunt ergo eis Pharisæi, Numquid & vos seducti estis? numquid ex Principibus aliquis credidit in eum, aut ex Pharisæis? sed turba hæc, quia non novit Legem, maledicti sunt.*

2. Cor. 1, 26. & seq. *Videte enim vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non*

multi

Digitized by Google

Isa. 28, 18. 19. *Et audient in die illa surdi verba libri, & de tenebris & caligine oculi cæcorum videbunt: & addent mites in Domino lætitiam, & pauperes homines in sancto Israel exultabunt.*

Isa. 41, 17. 18. *Egeni & pauperes quærunt aquas, & non sunt; lingua eorum siti aruit: ego Dominus exaudiam; Deus Israel non derelinquam eos.*

Isa. 49, 13. *Laudate, cœli; & exulta, terra; jubilate montes laudem: quia consolatus est Dominus populum suum, & pauperum suorum miserebitur.*

Isa. 61, 10. *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me; ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, & prædicarem captivis indulgentiam, & clausis apertionem.*

Soph. 3, 12. *Et derelinquam in medio tui populum pauperem & egenum, & sperabunt in nomine Domini.*

Soph. 3, 19. *Salvabo claudicantem, & eam quæ ejecta fuerat congregabo, & ponam eos in laudem, & in nomen, in omni terra confessionis eorum.*

multi nobiles; sed quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, ut confundat fortia; & ignobilia mundi & contemtibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret, ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus.

1. Cor. 4, 10. & seq. *Nos stulti propter Christum, vos autem prudentes in Christo: nos infirmi, vos autem fortes: vos nobiles, nos autem ignobiles. Usque in hanc horam & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur, & instabiles sumus, & laboramus operantes manibus nostris.*

2. Cor. 6, 4. & seq. *Sed in omnibus exhibeamus nosmetipsos, sicut Dei ministros, in multa patientia, in tribulationibus; per gloriam, & ignobilitatem; per infamiam, & bonam famam ... sicut egentes, multos autem locupletantes; tanquam nihil habentes, & omnia possidentes.*

Jac. 2, 5. *Audite, fratres mei dilectissimi, nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, & hæredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se?*

CAPUT LXXXIX.

Jesus servus.

ISa. 42, 1. *Ecce servus meus, suscipiam eum; electus meus, complacuit sibi in illo anima mea.*

Isa. 43, 10. *Vos testes mei, dicit Dominus, & servus meus quem elegi.*

Isa. 43, 24. *Verumtamen servire me fecisti in peccatis tuis, præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis.*

Isa. 49, 5. 6. *Et nunc dicit Dominus, formans me ex utero servum sibi, ut reducam Jacob ad eum, & Israel non congregabitur, & glorificatus sum in oculis Domini, & Deus meus factus est fortitudo mea. Et dixit, Parum est ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Jacob, & faces Israel convertendas. Ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ.*

Isa. 50, 10. *Quis ex vobis timens Dominum, audiens vocem servi sui?*

Isa. 52, 13. *Ecce intelliget servus meus, exaltabitur, & elevabitur, & sublimis erit valde.*

Isa. 53, 11. *In scientia sua justificabit ipse justus servus meus multos, & iniquitates eorum ipse portabit.*

MAtth. 20, 27. 28. *Qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus; sicut Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare.* Et Marc. 10, 45.

Luc. 22, 27. *Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat.*

Joh. 13, 12. & seq. *Postquam ergo lavit pedes eorum, & accepit vestimenta sua, cum recubuisset iterum, dixit eis, Scitis quid fecerim vobis? Vos vocatis me Magister; & bene dicitis, sum etenim. Si ergo lavi pedes vestros Dominus & Magister, & vos debetis alter alterius lavare pedes. Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.*

Phil. 2, 5. & seq. *Hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo Jesu, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens.*

Ezech. 34, 23. 24. *Et suscitabo super eas pastorem unum, qui pascat eas, servum meum*

Digitized by Google

David: ipse pascet eas, & ipse erit eis in pastorem. Ego autem Dominus ero eis in Deum, & servus meus David princeps in medio eorum, & ego Dominus locutus sum. Et Ezech. 37, 24. 25.

Zach. 3, 8. *Ecce enim ego adducam servum meum Orientem.*

CAPUT XC.

Jesu labores & angustiæ.

PSalm. 39, 3. *Expectans expectavi Dominum, & intendit mihi: & exaudivit preces meas, & eduxit me de lacu miseriæ, & de luto fæcis.*

Isa. 53, 8. 11. *De angustia, & de judicio sublatus est..... Pro eo quod laboravit anima ejus, videbit & saturabitur.*

LUc. 19, 41. *Et ut appropinquavit, videns civitatem flevit super illam.*

Joh. 4, 6. *Jesus ergo fatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem.*

Ebr. 5, 7. *Qui in diebus carnis suæ preces, supplicationesque ad eum, qui posset illum salvum facere a morte, cum clamore valido & lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia.*

CAPUT XCI.

Jesus mansuetus & misericors.

ISa. 42, 1. & seq. *Ecce servus meus, suscipiam eum; electus meus complacuit sibi in illo anima mea; dedi spiritum meum super eum, judicium gentibus proferet. Non clamabit, neque accipiet personam, nec audietur vox ejus foris: calamum quassatum non conteret, & linum fumigans non extinguet, in veritate educet judicium: non erit tristis, neque turbulentus, donec ponat in terra judicium.*

Isa. 50, 5. *Dominus Deus aperuit mihi aurem; ego autem non contradico, retrorsum non abii.*

Isa. 53, 7. & seq. *Oblatus est, quia ipse voluit, & non aperuit os suum: sicut ovis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum..... Et dabit impios pro sepultura, & divitem pro morte sua, eo quod iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore ejus ..... & ipse peccata multorum tulit, & pro transgressoribus rogavit.*

Jerem. 11, 9. *Et ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam.*

MAtth. 9, 13. *Euntes autem discite quid est, Misericordiam volo, & non sacrificium.* Et Matth. 12, 7.

Matth. 9, 36. *Videns autem turbas, misertus est eis.* Et Marc. 6, 34.

Matth. 11, 29. 30. *Tollite jugum meum super vos, & discite a me, quia mitis sum & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris: jugum enim meum suave est, & onus meum leve.*

Matth. 12, 15. & seq. *Jesus autem sciens recessit inde, & secuti sunt eum multi, & curavit eos omnes; & præcepit eis, ne manifestum eum facerent. Ut adimpleretur, quod dictum est per Isaiam prophetam dicentem, Ecce puer meus quem elegi; dilectus meus, in quo bene complacuit anima mea. Ponam spiritum meum super eum, & judicium gentibus nuntiabit. Non contendet, neque audiet aliquis in plateis vocem ejus: arundinem quassatam non confringet, & linum fumigans non extinguet, donec ejiciat ad victoriam judicium: & in nomine ejus gentes sperabunt.*

Matth. 14, 14. *Et exiens vidit turbam multam, & misertus est eis.*

Matth. 15, 32. *Jesus autem convocatis Discipulis suis, dixit, Misereor turbæ.* Et Marc. 8, 1. 2.

Matth. 20, 34. *Misertus autem eorum Jesus, tetigit oculos eorum.*

Matth. 26, 62. 63. *Et surgens princeps Sacerdotum ait illi, Nihil respondes ad ea, quæ isti adversum te testificantur? Jesus autem tacebat.* Et Matth. 27, 12. & seq.

Marc. 1, 41. *Jesus autem misertus ejus extendit manum suam.*

Luc. 7, 13. *Quam cum vidisset Dominus, misericordia motus super eam, dixit illi, Noli flere.*

2. Cor. 10, 1. *Ipse autem ego Paulus obsecro vos per mansuetudinem & modestiam Christi.*

Ebr. 2, 17. *Unde debuit per omnia fratribus similari, ut misericors fieret, & fidelis Pontifex ad Deum, ut reprapitiaret delicta populi.*

2. Petr. 2, 23. *Qui cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur: tradebat autem judicanti se injuste.*

CAPUT

CAPUT XCII.

Jesus obediens.

PSalm. 39, 9. *In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam: Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.*

Isa. 50, 5. *Dominus Deus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico.*

LUc. 2, 51. *Et descendit cum eis, & venit Nazareth, & erat subditus illis.*

Phil. 2, 8. *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.*

CAPUT XCIII.

Jesus agnus, pascha, ovis.

EXod. 12, 43. & seq. *Dixitque Dominus ad Moysen & Aaron, Hæc est religio Phasε..... In una domo comedetur, nec efferetis de carnibus ejus foras, nec os illius confringetis.* Et Num. 9, 9. & seq.

Isa. 16, 1. *Emitte agnum tuum dominatorem terræ, de petra deserti ad montem filiæ Sion.*

Isa. 53, 7. *Sicut ovis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum.*

Jerem. 11, 19. *Et ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam.*

JOh. 1, 29. & seq. *Altera die vidit Johannes Jesum venientem ad se, & ait, Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi..... Altera die iterum stabat Johannes, & ex Discipulis ejus duo, & respiciens Jesum ambulantem dicit, Ecce Agnus Dei.*

Joh. 19, 31. & seq. *Judæi ergo, (quoniam Parasceve erat) ut non remanerent in cruce corpora sabbatho, (erat enim magnus dies ille sabbatho) rogaverunt Pilatum, ut frangerentur eorum crura, & tollerentur. Venerunt ergo milites: & primi quidem fregerunt crura, & alterius qui crucifixus est cum eo. Ad Jesum autem cum venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura..... Facta sunt enim hæc, ut Scriptura impleretur, Os non comminuetis ex eo.*

Act. 8, 27. & seq. *Ecce vir Æthiops..... legens Isaiam Prophetam..... Locus autem Scripturæ, quem legebat, erat hic..... Tanquam ovis ad occisionem ductus, & sicut agnus coram tondente se, sine voce, sic non aperuit os suum..... Aperiens autem Philippus os suum, & incipiens a Scriptura ista, evangelizavit illi Jesum.*

1. Cor. 5, 7. *Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus.*

1. Petr. 1, 18. 19. *Scientes quod non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine quasi Agni immaculati Christi, & incontaminati.*

Apoc. 2, 6. & seq. *Et vidi, & ecce in medio throni, & quatuor animalium, & in medio Seniorum, Agnum stantem tanquam occisum..... Et cum aperuisset Librum, quatuor animalia, & viginti quatuor Seniores ceciderunt coram agno.* Et sæpissime in reliqua Apocalypsi.

Christus cum agno conferitur.

COmparationem infra instituemus, Jesum Christum inter, & Paschalem Agnum. Aliqua nunc afferenda sunt agni naturam generatim sumtam spectantia, quibus Christi Jesu similis est. Velut patientia & mansuetudo, quæ in Christo quantæ fuerint, docet hic Paralleliſmus. Agnina carne vescimur, alimur, & vitam toleramus: suam carnem
Joh. 6, 54. edere jubet nos Christus apud Johannem; qui secus faxit, vitam non habiturum pronuntiat; carnem quippe suam vere cibum esse. Agnina lana induimur: induimus & Christum, quicunque in Christo baptismum susceptimus, ut decernit Paulus in Epistola ad Galatas, qui & Romanos ad induendum Jesum Christum hortatur. Sacrificium juge, quo ex Mosis præscripto horni Agni duo quotidie mactabantur, alter matutinis horis, alter vespertinis, imago fuit, non cruenti solum sacrificii, quo postquam Christus *unam pro peccatis obtulit hostiam, in sempiternum sedet in dextera Dei*, qua cruenta *una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos*; sed jugis hujus etiam & incruenti sacrificii, quo ad placandum, propitiandumque Deum, Christum quotidie Sacerdotes ad altaria offerunt.

Gal. 3, 27. Rom. 13, 14. Ebr. 10, 12. 14.

Digitized by Google

CAPUT XCIV.

Jesus leo.

GEn. 49, 9. *Catulus leonis Juda; ad prædam, fili mi, ascendisti: requiescens accubuisti ut leo, & quasi leæna: quis suscitabit eum?*

APoc. 5, 5. *Et unus de Senioribus dixit mihi, Ne fleveris, ecce vicit leo de tribu Juda, radix David, aperire Librum, & solvere septem signacula ejus.*

CAPUT XCV.

Jesus princeps.

ISa. 9, 6. *Parvulus enim natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum ejus, & vocabitur nomen ejus Admirabilis, consiliarius, Deus fortis, pater futuri seculi, princeps pacis.*

Jerem. 30, 21. *Et erit dux ejus ex eo, & princeps de medio ejus producetur, & applicabo eum, & accedet ad me.*

Ezech. 34, 23. 24. *Et suscitabo super eas pastorem unum, qui pascat eas, servum meum David, ipse pascet eas, & ipse erit eis in pastorem. Ego autem Dominus ero eis in Deum, & servus meus David in medio eorum. Ego Dominus locutus sum.*

ACt. 5, 30. 31. *Deus patrum nostrorum suscitavit Jesum, quem vos interemistis, suspendentes in ligno. Hunc Principem & Salvatorem Deus exaltavit dextera sua.*

Col. 1, 17. & seq. *Et ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant. Et ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis, ut sit in omnibus ipse primatum tenens.*

Col. 2, 11. *Et estis in illo repleti, qui est caput omnis principatus & potestatis.*

Apoc. 1, 4. 5. *Gratia vobis & pax a Jesu Christo, qui est testis fidelis, primogenitus mortuorum, & princeps regum terræ.*

CAPUT XCVI.

Jesus dominus & rex æternus.

GEn. 49, 10. *Non auferetur sceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium.*

1. Reg. 2, 10. *Dominus judicabit fines terræ, & dabit imperium Regi suo, & sublimabit cornu Christi sui.*

2. Reg. 7, 12. 13. *Suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo, & firmabo regnum ejus. Ipse ædificabit domum nomini meo, & stabiliam thronum regni ejus usque in sempiternum.*

Psalm. 2, 6. & seq. *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, prædicans præceptum ejus. Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula a me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Reges eos in virga ferrea.*

Psalm. 21, 29. *Quoniam Domini est regnum, & ipse dominabitur gentium.*

Psalm. 23, 7. & seq. *Attollite portas principes vestras, & elevamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ. Quis est iste rex gloriæ? Dominus fortis & potens, Dominus potens in*

MAtth. 2, 1. & seq. *Cum ergo natus esset Jesus in Bethlehem Juda, in diebus Herodis regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Hierosolymam, dicentes, Ubi est qui natus est rex Judæorum? . . . . sic enim scriptum est per Prophetam, Et tu, Bethlehem terra Juda, nequaquam minima es in principibus Juda: ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel.*

Matth. 16, 17. & seq. *Respondens autem Jesus dixit ei, Beatus es, Simon Bar-Jona. . . . Et tibi dabo claves regni cœlorum . . . . Amen dico vobis, sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in regno suo.*

Matth. 21, 4. 5. *Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur, quod dictum est per Prophetam dicentem, Dicite filiæ Sion, Ecce rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam, & pullum filium subjugalis.* Et. Joh. 12, 15.

Matth. 25, 31. & seq. *Cum autem venerit Filius hominis in majestate sua, & omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ . . . . . Tunc dicet rex his, qui a dextris ejus erunt, Venite benedicti patris mei.*

Matth. 27,

Digitized by Google

prælio. Attollite portas principes vestras, & elevamini portæ æternales & introibit rex gloriæ? Dominus virtutum, ipse est rex gloriæ.

Psalm. 44, 5. 7. *Specie tua & pulchritudine tua intende, prospere procede, & regna..... Sedes tua, Deus, in seculum seculi: virga directionis, virga regni tui.*

Psalm. 46, 1. & seq. *Omnes gentes plaudite manibus, jubilate Deo in voce exultationis: quoniam Dominus excelsus, terribilis, rex magnus super omnem terram..... Psallite Deo nostro, psallite: psallite regi nostro, psallite: quoniam rex omnis terræ Deus, psallite sapienter: regnabit Deus super gentes.*

Psalm. 71, 1. & seq. *Deus judicium tuum regi da, & judicium tuum filio regis..... & dominabitur a mari usque ad mare, & a flumine usque ad terminos orbis terrarum. Coram illo procident Æthiopes, & inimici ejus terram lingent. Reges Tharsis & insulæ munera offerent; reges Arabum & Saba dona adducent; & adorabunt eum omnes reges terræ; omnes gentes servient ei.*

Psalm. 73, 12. *Deus autem rex noster ante sæcula; operatus est salutem in medio terræ.*

Psalm. 88, 28. & seq. *Et ego primogenitum ponam illum excelsum præ regibus terræ. In æternum servabo illi misericordiam meam, & testamentum meum fidele ipsi: & ponam in seculum seculi semen ejus, & thronum ejus sicut dies cœli..... Semel juravi in sancto meo, si David mentiar; semen ejus æternum manebit. Et thronus ejus sicut Sol in conspectu meo, & sicut Luna perfecta in æternum, & testis in cœlo fidelis.*

Psalm. 109, 1, & seq. *Dixit Dominus Domino meo, Sede a dextris meis: donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion; dominare in medio inimicorum tuorum.*

Isa. 9, 6. 7. *Parvulus enim natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum ejus, & vocabitur nomen ejus, Admirabilis, consiliarius, Deus fortis, pater futuri seculi, princeps pacis. Multiplicabitur ejus imperium, & pacis non erit finis: super solium David, & super regnum ejus sedebit, ut confirmet illud, & corroboret in judicio & justitia, a modo & usque in sempiternum.*

Isa. 11, 1. 4. 10. *Et egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet..... judicabit in justitia pauperes, & arguet in æqui-*

Matth. 27, 11. & seq. *Jesus autem stetit ante Præsidem, & interrogavit eum Præses dicens, Tu es rex Judæorum? Dicit illi Jesus, Tu dicis..... Et exuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei, & plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput ejus, & arundinem in dextera ejus. Et genu flexo ante eum illudebant ei dicentes, Ave rex Judæorum..... Et imposuerunt super caput ejus causam ipsius scriptam, Hic est Jesus rex Judæorum..... Similiter & Principes Sacerdotum illudentes cum Scribis, & Senioribus dicebant..... Si rex Israel est, descendat nunc de cruce, & credimus ei.* Et Marc. 15, 2. 9. 12. & seq. Luc. 23, 2. 3. 37. & seq. Joh. 18, 33. 39. & 19, 3. 12. 14. & seq.

Matth. 28, 18. *Et accedens Jesus locutus est eis dicens, Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.*

Luc. 1, 32. 33. *Hic erit magnus, & Filius Altissimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, & regnabit in domo Jacob in æternum: & regni ejus non erit finis.*

Luc. 19, 37. 38. *Cœperunt omnes turbæ Discipulorum gaudentes laudare Deum voce magna super omnibus, quas viderant, virtutibus, dicentes, Benedictus qui venit Rex in nomine Domini; pax in cœlo & gloria in excelsis.*

Luc. 22, 29. 30. *Et ego disponо vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo.*

Joh. 1, 49. *Respondit ei Nathanael, & ait, Rabbi, tu es Filius Dei, tu es rex Israel.*

Joh. 12, 13. *Acceperunt ramos palmarum, & processerunt obviam ei, & clamabant, Hosanna, benedictus qui venit in nomine Domini, rex Israel.*

Joh. 17, 1. 2. *Pater, venit hora, clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te: sicut dedisti ei potestatem omnis carnis.*

Joh. 18, 36. 37. *Respondit Jesus, Regnum meum non est de hoc mundo: si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent, ut non traderer Judæis: nunc autem regnum meum non est hinc. Dixit itaque ei Pilatus, ergo rex es tu? Respondit Jesus, Tu dicis, quia rex sum ego.*

Act. 2, 33. & seq. *Dextera igitur Dei exaltatus, & promissione Spiritus sancti accepta a patre, effudit hunc quem vos videtis & auditis: non enim David ascendit in cœlum; dixit autem ipse, Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris*

Digitized by Google

ite pro mansuetis terræ, & percutiet terram virga oris sui . . . . . In die illa radix Jesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur.

Isa. 16, 1. *Emitte Agnum, Domine, dominatorem terræ.*

Isa. 32, 1. *Ecce in justitia regnabit rex.*

Isa. 40, 10. *Ecce Deus vester; ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, & brachium ejus dominabitur.*

Isa. 49, 7. & seq. *Hæc dicit Dominus redemtor Israel, sanctus ejus ad contemtibilem animam, ad abominatam gentem, ad servum dominorum: reges videbunt, & consurgent principes, & adorabunt propter Dominum, quia fidelis est, & sanctum Israel, qui elegit te, . . . Hæc dicit Dominus Deus, Ecce levabo ad gentes manum meam, & ad populos exaltabo signum meum, & afferent filios tuos in ulnis, & filias tuas super humeros portabunt. Et erunt reges nutritii, & reginæ nutrices tuæ: vultu in terram demisso adorabunt te; & pulverem pedum tuorum lingent.*

Isa. 52, 7. *Quam pulchri super montes pedes annuntiantis & prædicantis pacem, annuntiantis bonum, prædicantis salutem, dicentis Sion, Regnabit Deus tuus!*

Jerem. 23, 5. & seq. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & suscitabo David germen justum, & regnabit Rex, & sapiens erit, & faciet judicium & justitiam in terra. In diebus illis salvabitur Juda, & Israel habitabit confidenter: & hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus justus noster.* Et Jerem. 33, 15. 16.

Jerem. 30, 8. 9. *Et erit in die illa, ait Dominus exercituum, conteram jugum ejus de collo tuo, & vincula ejus dirumpam, & non dominabuntur ei amplius alieni, sed servient Domino Deo suo, & David regi suo, quem suscitabo eis.*

Jerem. 30, 21. *Et erit dux ejus ex eo, & Princeps de medio ejus producetur, & applicabo eum, & accedet ad me.*

Jerem. 33, 17. & seq. *Quia hæc dicit Dominus, Non interibit de David vir, qui sedeat super thronum domus Israel . . . . . Hæc dicit Dominus, Si irritum potest fieri pactum meum cum die, & pactum meum cum nocte, ut non sit dies & nox in tempore suo; & pactum meum irritum esse poterit cum David servo meo, ut non sit ex eo Filius, qui regnet in Throno ejus.*

Ezech. 37, 22. & seq. *Et faciam eos in gentem a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Certissime sciat ergo omnis domus Israel, quia & Dominum eum & Christum fecit Deus hunc Jesum, quem vos crucifixistis.*

Act. 10, 36. *Verbum misit Deus filiis Israel, annuntians pacem per Jesum Christum: hic est omnium Dominus.*

Act. 17, 7. *Hi omnes contra decreta Cæsaris faciunt, regem alium dicentes esse Jesum.*

Rom. 14, 9. *In hoc enim Christus mortuus est, & resurrexit, ut & mortuorum & vivorum dominetur.*

Rom. 15, 8. & seq. *Dico enim Christum Jesum ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones Patrum: gentes autem misericordia honorare Deum, sicut scriptum est, ... Erit radix Jesse, & qui exurget regere gentes, in eum gentes sperabunt.*

1. Cor. 2, 8. *Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.*

1. Cor. 15, 24. 25. *Deinde, cum tradiderit regnum Deo & Patri, cum evacuaverit omnem principatum, & potestatem, & virtutem. Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus.*

Eph. 1, 19. & seq. *Secundum operationem potentiæ virtutis ejus, quam operatus est in Christo, suscitans illum a mortuis, & constituens ad dexteram suam in cœlestibus supra omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen, quod nominatur, non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro, & omnia subjecit sub pedibus ejus: & ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam.*

Eph. 5, 5. *Hoc enim scitote, intelligentes quod omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod est idolorum servitus, non habet hæreditatem in regno Christi & Dei.*

Col. 1, 12. 13. *Gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine; qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum Filii dilectionis suæ.*

2. Tim. 4, 1. *Testificor coram Deo & Jesu Christo, qui judicaturus est vivos & mortuos, per adventum ipsius & regnum ejus.*

Ebr. 1, 2. & seq. *Novissime diebus istis locutus est nobis in Filio, quem constituit hæredem universorum, per quem fecit & sæcula: qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus, portansque*

tem meam in terra in montibus Israel, & rex unus erit omnibus imperans ..... & servus meus David rex super eos, & pastor unus erit omnium eorum.

Dan. 2, 44. *In diebus autem regnorum illorum suscitabit Deus cœli regnum, quod in æternum non dissipabitur, & regnum ejus alteri populo non tradetur: comminuet autem & consumet universa regna hæc, & ipsum stabit in æternum.*

Dan. 9, 13. & seq. *Aspiciebam ergo in visione noctis, & ecce cum nubibus cœli quasi Filius hominis veniebat, & usque ad Antiquum dierum pervenit, & in conspectu ejus obtulerunt eum: & dedit ei potestatem, & honorem, & regnum; & omnes populi, tribus & linguæ ipsi servient; potestas ejus, potestas æterna quæ non auferetur, & regnum ejus quod non corrumpetur ..... Regnum autem, & potestas, & magnitudo regni, quæ est subter omne cœlum, detur populo sanctorum Altissimi; cujus regnum, regnum sempiternum est, & omnes reges servient ei, & obedient.*

Ose. 3, 5. *Et post hæc revertentur filii Israel, & quærent Dominum Deum suum, & David regem suum.*

Mich. 4, 2. & seq. *Quia de Sion egredietur lex, & verbum Domini de Jerusalem .... & regnabit Dominus super eos in monte Sion, ex hoc nunc & usque in æternum.*

Mich. 5, 2. *Et tu, Bethlehem Ephrata, parvulus es in millibus Juda: ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel, & egressus ejus ab initio, a diebus æternitatis.*

Zach. 6, 12. 13. *Hæc dicit Dominus exercituum dicens, Ecce vir, Oriens, nomen ejus, & subter eum orietur, & ædificabit templum Domino, & ipse portabit gloriam, & sedebit, dominabitur super solio suo.*

Zach. 9, 9. *Exulta satis, filia Sion; jubila, filia Jerusalem: ecce rex tuus veniet tibi justus & Salvator; ipse pauper & ascendens super asinam, & super pullum filium asinæ.*

Malach. 3, 1. *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam. Et statim veniet ad templum suum Dominator quem vos quæritis, & Angelus Testamenti quem vos vultis.*

Apoc. 12, 5. 10. *Et peperit filium masculum, qui recturus erat omnes gentes in virga ferrea, & raptus est Filius ejus ad Deum, & ad thronum ejus ..... Et audivi vocem magnam in cœlo dicentem, Nunc facta est salus, & virtus, & regnum Dei nostri, & potestas Christi ejus.*

portansque omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram majestatis in excelsis; tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditavit. Cui enim dixit aliquando Angelorum, Filius meus es tu, ego hodie genui te? & rursum, Ego ero illi in Patrem, & ipse erit mihi in Filium? Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit, Et adorent eum omnes Angeli ejus. Et ad Angelos quidem dicit, Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis: ad Filium autem, Thronus tuus, Deus, in seculum seculi; virga æquitatis, virga regni tui: dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem; propterea unxit te, Deus, Deus tuus oleo exultationis præ participibus tuis.

Ebr. 2, 9. *Eum autem, qui modico quam Angeli minoratus est, videmus Jesum, propter passionem mortis, gloria & honore coronatum.*

Ebr. 7, 1. & seq. *Hic enim Melchisedec, rex Salem, sacerdos Dei summi, qui obviavit Abrahæ regresso a cæde regum, & benedixit ei; cui & decimas omnium divisit Abraham; primum quidem qui interpretatur, Rex justitiæ; deinde autem & Rex Salem, quod est Rex pacis; sine patre, sine matre, sine genealogia; neque initium dierum, neque finem vitæ habens; assimilatus autem Filio Dei, manet Sacerdos in perpetuum.*

1. Petr. 4, 11. *Ut in omnibus honorificetur Deus per Jesum Christum, cui est gloria, & imperium in secula seculorum.* Et 1. Petr. 5, 11.

2. Petr. 1, 11. *Sic enim abundanter ministrabitur vobis introitus in æternum regnum Domini nostri & Salvatoris Jesu Christi.*

Jud. 4. *Subintroierunt enim quidam homines (qui olim præscripti sunt in hoc judicium) impii, Dei nostri gratiam transferentes in luxuriam, & solum dominatorem & Dominum nostrum Jesum Christum negantes.*

Apoc. 3, 21. *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut & ego vici, & sedi cum Patre meo in throno ejus.*

Apoc. 11, 15. *Et septimus Angelus tuba cecinit, & factæ sunt voces magnæ in cœlo dicentes, Factum est regnum hujus mundi Domini nostri, & Christi ejus, & regnabit in secula seculorum. Amen.*

Digitized by Google

Apoc. 17, 14. *Hi cum Agno pugnabunt, & Agnus vincet illos, quoniam dominus dominorum est, & rex regum.*

Apoc. 19, 11. 12. 15. *Et vidi cœlum apertum, & ecce equus albus, & qui sedebat super eum, vocabatur Fidelis & verax, & cum justitia judicat & pugnat: oculi autem ejus sicut flamma ignis, & in capite ejus diademata multa . : . . & de ore ejus procedit gladius ex utraque parte acutus, ut in ipso percutiat gentes: & ipse reget eas in virga ferrea.*

CAPUT XCVII.

Jesu Discipuli reges.

Psalm. 44, 7. *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii: constitues eos principes super omnem terram.*

Sap. 3, 7. 8. *Fulgebunt justi, & tanquam scintillæ in arundineto discurrent, judicabunt nationes, & dominabuntur populis.*

Sap. 5, 16. 17. *Justi autem in perpetuum vivent, & apud Dominum est merces eorum, & cogitatio illorum apud Altissimum. Ideo accipient regnum decoris, & diadema speciei de manu Domini.*

Sap. 6, 21. *Concupiscentia itaque Sapientiæ deducit ad regnum perpetuum.*

Dan. 7, 18. & seq. *Suscipient autem regnum Sancti Dei Altissimi, & obtinebunt regnum usque in seculum, & seculum seculorum . . . Aspiciebam, & ecce cornu illud faciebat bellum adversus Sanctos, & prævalebat eis, donec venit Antiquus dierum, & judicium dedit Sanctis Excelsi, & tempus advenit, & regnum obtinuerunt Sancti . . . . . Regnum autem, & potestas, & magnitudo regni, quæ est subter omne cœlum, detur populo Sanctorum Altissimi.*

Luc. 12, 32. *Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.*

Luc. 22, 29. 30. *Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo, & sedeatis super thronos judicantes duodecim tribus Israel.*

Rom. 5, 7. *Si enim unius delicto mors regnavit per unum, multo magis abundantiam gratiæ, & donationis, & justitiæ accipientes in vita regnabunt per unum Jesum Christum.*

1. Cor. 4, 8. *Jam saturati estis, jam divites facti estis, sine nobis regnatis, & utinam regnetis, ut & nos vobiscum regnemus.*

1. Cor. 9, 25. *Omnis autem, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet; & illi quidem, ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.*

Ebr. 12, 28. *Itaque regnum immobile suscipientes, habemus gratiam per quam serviamus, placentes Deo cum metu & reverentia.*

Jac. 2, 5. *Audite, Fratres mei dilectissimi, nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, & hæredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se?*

1. Petr. 2, 9. *Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta.*

Apoc. 1, 6. 9. *Fecit nos regnum & sacerdotes Deo & Patri suo.*

Apoc. 2, 26. 27. *Et qui vicerit, & custodierit usque in finem opera mea, dabo illi potestatem super gentes, & reget eas in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringentur, sicut & ego accepi a Patre meo.*

Apoc. 3, 21. *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut & ego vici, & sedi cum Patre meo in throno ejus.*

Apoc. 4, 4. *Et in circuitu sedis sedilia viginti quatuor, & super thronos viginti quatuor seniores sedentes, circumamicti vestimentis albis, & in capitibus eorum coronæ aureæ.*

Apoc. 5, 10. *Et fecisti nos Deo nostro regnum, & sacerdotes, & regnabimus super terram.*

Apoc. 20, 4, 6. *Et vidi sedes, & sederunt super eas, & judicium datum est illis: & animas decollatorum propter testimonium Jesu . . . . . & vixerunt, & regnaverunt cum Christo mille annis . . . . . Beatus sanctus qui habet partem in resurrectione prima: in his secunda mors non habet potestatem, sed erunt sacerdotes Dei & Christi, & regnabunt cum illo mille annis.*

Apoc. 22, 5. *Et nox ultra non erit, & non egebunt lumine lucernæ, neque lumine Solis; quoniam Dominus Deus illuminabit illos, & regnabunt in sæcula sæculorum.*

CAPUT

CAPUT XCVIII.
Jesu claritas & gloria.

PSalm. 8, 5. 6. *Quid est homo, quod memor es ejus? aut Filius hominis, quoniam visitas eum? Minuisti eum paulo minus ab Angelis, gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum.*

Psalm. 23, 7. & seq. *Attollite portas principes vestras, & elevamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ. Quis est iste rex gloriæ? Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio. Attollite portas principes vestras, & elevamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ. Quis est iste rex gloriæ? Dominus virtutum, ipse est rex gloriæ.*

Psalm. 109, 1. & seq. *Dixit Dominus Domino meo, Sede à dextris meis: donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum. Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion, dominare in medio inimicorum tuorum. Tecum principium in die virtutis tuæ, in splendoribus sanctorum ..... De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput.*

Eccl. 24, 1. & seq. *Sapientia laudabit animam suam, & in Deo honorabitur, & in medio populi sui gloriabitur, & in Ecclesiis Altissimi aperiet os suum, & in conspectu virtutis illius gloriabitur, & in medio populi sui exaltabitur, & in plenitudine sanctâ admirabitur, & in multitudine electorum habebit laudem, & inter benedictos benedicetur.*

Isa. 4, 2. *In die illa erit germen Domini in magnificentia, & gloria, & fructus terræ sublimis.*

Isa. 49, 5. *Et nunc dicit Dominus, formans me ex utero servum sibi, ut reducam Jacob ad eum, & Israel non congregabitur, & glorificatus sum in oculis Domini.*

Isa. 52, 13. *Ecce intelliget servus meus, & exaltabitur, & elevabitur, & sublimis erit valde.*

Dan. 7, 13. 14. *Aspiciebam ergo in visione noctis, & ecce cum nubibus cœli quasi Filius hominis veniebat, & usque ad Antiquum dierum pervenit, & in conspectu ejus obtulerunt eum. Et dedit ei potestatem, & honorem, & regnum; & omnes populi, tribus, & linguæ ipsi servient; potestas æterna, quæ non auferetur, & regnum ejus quod non corrumpetur.*

MAtth. 16, 27. *Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis; & tunc reddet unicuique secundum opera ejus.* Et Matth. 19, 28. & 24, 30. & 25, 31. & 26, 69. Marc. 8, 38. Luc. 9, 26. & 21, 27.

Matth. 17, 1. & seq. *Et post dies sex assumit Jesus Petrum, & Jacobum, & Johannem fratrem ejus, & ducit illos in montem excelsum seorsum, & transfiguratus est ante eos: & resplenduit facies ejus sicut Sol, vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix ..... Ecce nubes lucida obumbravit eos. Et ecce vox de nube dicens, Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite.* Et Marc. 9, 2. & seq. Luc. 9, 28. seq.

Luc. 24, 26. *Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?*

Joh. 1, 14. *Et Verbum caro factum est, & habitavit in nobis: & vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis.*

Joh. 2, 11. *Hoc fecit initium signorum Jesus in Cana Galilææ, & manifestavit gloriam suam, & crediderunt in eum Discipuli ejus.*

Joh. 7, 39. *Nondum enim erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus.* Et Joh. 12, 16.

Joh. 11, 4. *Audiens autem Jesus dixit eis, infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam.*

Joh. 12, 23. *Jesus autem respondit eis dicens, Venit hora, ut clarificetur Filius hominis.*

Joh. 13, 31. 32. *Cum ergo exisset, dixit Jesus, Nunc clarificatus est Filius hominis, & Deus clarificatus est in eo. Si Deus clarificatus est in eo, & Deus clarificabit eum in semetipso, & continuo clarificabit eum.*

Joh. 14, 13. *Et quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur Pater in Filio.*

Joh. 16, 14. *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.*

Joh. 17, 1. & seq. *Hæc locutus est Jesus, & sublevatis oculis in cœlum dixit, Pater, venit hora, clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te ..... Et nunc clarifica me tu, Pater, apud temetipsum claritate quam habui, priusquam*

Zach. 6, 12. 13. *Hæc ait Dominus exercituum, dicens, Ecce vir, Oriens nomen ejus, & subter eum orietur, & ædificabitur Templum Domino, & ipse portabit gloriam, & sedebit, & dominabitur super solio suo.*

Zach. 14, 6. *Et veniet Dominus Deus meus, omnesque sancti cum eo.*

quam mundus esset, apud te ..... Et mea omnia tua sunt, & tua mea sunt, & clarificatus sum in iis.

Act. 3, 13. *Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob, Deus Patrum nostrorum, glorificavit Filium suum Jesum.*

Act. 5, 31. *Hunc principem & Salvatorem Deus exaltavit dextera sua, ad dandam pœnitentiam Israeli, & remissionem peccatorum.*

1. Cor. 2, 8. *Si enim cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent.*

2. Cor. 4, 4. *In quibus Deus hujus sæculi excæcavit mentes infidelium, ut non fulgeat illis illuminatio Evangelii gloriæ Christi, qui est imago Dei.*

Eph. 1, 19. & seq. *Nos qui credimus secundum operationem potentiæ virtutis ejus, quam operatus est in Christo, suscitans illum a mortuis, & constituens ad dexteram suam in cœlestibus supra omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen quod nominatur, non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro. Et omnia subjecit sub pedibus ejus, & ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius, & plenitudo ejus, qui omnia in omnibus adimpletur.*

Phil. 2, 9. & seq. *Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris.*

Col. 2. 10. *Estis in illo repleti, qui est caput omnis principatus & potestatis.*

2. Thess. 1, 9. 10. *Qui pœnas dabunt in interitu æternas a facie Domini, & a gloria virtutis ejus, cum venerit glorificari in sanctis suis, & admirabilis fieri in omnibus, qui crediderunt.*

Ebr. 1. 3. & seq. *Qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus ..... sedet ad dexteram majestatis in excelsis; tanto melior Angelis effectus, quanto differentius pra illis nomen hæreditavit ..... Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit, Et adorent eum omnes Angeli Dei ..... Thronus tuus, Deus, in sæculum sæculi; virga æquitatis, virga regni tui. At quem autem Angelorum dixit aliquando, Sede a dextris meis, quoad usque ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum?*

Ebr. 2, 5. & seq. *Non enim Angelis subjecit Deus orbem terræ futurum, de quo loquimur. Testatus est autem in quodam loco quis dicens, Quid est homo, quod memores ejus? aut Filius hominis, quoniam visitas eum? Minuisti eum paulo minus ab Angelis, gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subjecisti sub pedibus ejus. In eo enim quod omnia ei subjecit, nihil dimisit non subjectum ei. Nunc autem necdum videmus omnia subjecta ei. Eum autem qui modico quam Angeli minoratus est, videmus Jesum propter passionem mortis, gloria & honore coronatum.*

Ebr. 3, 3. *Amplioris enim gloriæ iste pra Moyse dignus est habitus, quanto ampliorem honorem habet domus, qui fabricavit illam.*

1. Petr. 1, 11. *Spiritus Christi prænuntians eas quæ in Christo sunt passiones, & posteriores glorias.*

1. Petr. 4, 11. *Ut in omnibus honorificetur Deus per Jesum Christum, cui est gloria & imperium in sæcula sæculorum.*

2. Petr. 1, 16, 17. *Non enim doctas fabulas secuti, notam fecimus vobis Domini nostri Jesu Christi virtutem & præsentiam, sed speculatores facti illius magnitudinis. Accipiens enim a Patre honorem & gloriam, voce delapsa ad eum hujuscemodi a magnifica gloria, Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui; ipsum audite.*

Apoc. 5, 12. 13. *Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & divinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem. Et omnem creaturam, quæ in cælo est, & super terram, & sub terra, & quæ sunt in mari, & quæ in eo, omnes audivi dicentes, Sedenti in throno, & Agno benedictio, & honor, & gloria, & potestas in sæcula sæculorum.*

CAPUT.

Digitized by Google

CAPUT XCIX.

Discipulorum Jesu claritas & gloria.

1. REg. 2, 30. *Nunc autem dicit Dominus, Absit hoc a me; sed quicunque glorificavit me, glorificabo eum.*

Psalm. 36, 34. *Expecta Dominum, & custodi viam ejus, & exaltabit te.*

Psalm. 83, 10. & seq. *Elegi abjectus esse in domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum. Quia misericordiam & veritatem diligit Deus; gratiam & gloriam dabit Dominus. Non privabit bonis eos, qui ambulant in innocentia. Domine virtutum, beatus homo qui sperat in te.*

Psalm. 90, 15. *Clamabit ad me, & ego exaudiam eum, cum ipso sum in tribulatione; eripiam eum, & glorificabo eum.*

Psalm. 111, 1. & seq. *Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis ejus volet nimis: potens in terra erit semen ejus; generatio rectorum benedicetur; gloria & divitiæ in domo ejus..... Dispersit, dedit pauperibus; justitia ejus manet in seculum seculi, cornu ejus exaltabitur in gloria.*

Psalm. 149, 4. & seq. *Quia beneplacitum est Domino in populo suo, & exaltabit mansuetos in salutem: exaltabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis: exaltationes Dei in gutture eorum, & gladii ancipites in manibus eorum: ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis: ad alligandos reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis: ut faciant in eis judicium conscriptum; gloria hæc est omnibus sanctis ejus.*

Prov. 4, 7. 8. *Possidesapientiam, & in omni possessione tua acquire prudentiam; arripe illam, & exaltabit te; glorificaberis ab ea, cum eam fueris amplexatus.*

Prov. 28, 12. *In exultatione justorum multa gloria est.*

Prov. 29, 23. *Superbum sequitur humilitas, & humilem spiritu suscipiet gloria.*

Eccl. 1, 11. 24. *Timor Domini gloria & gloriatio..... scientiam & intellectum prudentiæ sapientia compartietur, & gloriam tenentium se exaltat.*

Eccl. 6, 30. & seq. *Et erunt tibi compedes ejus* (Sapientiæ) *in protectionem fortitudinis, & bases virtutis, & torques illius in stolam gloriæ; decor enim vitæ est in illa, & vincula*

MAtth. 19, 28. *Jesus autem dixit illis, Amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me, in regeneratione cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel.* Et Luc. 22, 29. 30.

Matth. 23, 12. *Qui autem se exaltaverit, humiliabitur; & qui se humiliaverit, exaltabitur.* Et Luc. 1, 52. & 14, 11. & 18, 14. Jac. 4, 6. & 1. Petr. 5, 5. Job. 22, 29.

Rom. 2, 6. 7. 10. *Qui reddet unicuique secundum opera ejus; iis quidem, qui secundum patientiam boni operis, gloriam, & honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam. Gloria autem, & honor, & pax omni operanti bonum.*

Rom. 5, 1. & seq. *Justificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Jesum Christum, per quem habemus accessum per fidem in gratiam istam, in qua stamus, & gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei.*

Rom. 8, 18. & seq. *Existimo enim quod non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis,..... quia & ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei..... Quos autem prædestinavit, hos & vocavit; & quos vocavit, hos & justificavit; quos autem justificavit, illos & glorificavit.*

Rom. 9, 3. 4. 23. *Optabam enim ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem, qui sunt Israelitæ, quorum adoptio est filiorum, & gloria, & testamentum, & legislatio, & obsequium, & promissa..... ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam.*

1. Cor. 2, 7. *Sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinavit Deus ante sæcula in gloriam nostram.*

2. Cor. 3, 18. *Nos vero omnes revelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur a claritate in claritatem, tanquam a Domini spiritu.*

2. Cor. 4, 17. *Id enim quod in præsenti est momentaneum, & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.*

Col. 1, 27. *Quibus voluit Deus notas facere*

Digitized by Google

illius alligatura salutaris: stolam gloriæ indues eam, & coronam gratulationis superpones tibi.

Eccl. 11, 1. *Sapientia humiliati exaltabit caput ejus, & in medio magnatorum considere illum faciet.*

Eccl. 14, 23. & seq. *Qui excogitat vias illius* (Sapientiæ) *in corde suo .... protegetur sub tegmine illius a fervore, & in gloria ejus requiescet.*

Eccl. 15, 1. & seq. *Qui timet Deum, faciet bona; & qui continens est justitiæ, apprehendet illam; & obviabit illi quasi mater honorificata, & quasi mulier a virginitate suscipiet illum. Cibabit illum pane vitæ & intellectus, & aqua sapientiæ salutaris potabit illum; & firmabitur in illo, & non flectetur; & continebit illum, & non confundetur, & exaltabit illum apud proximos suos, & in medio Ecclesiæ aperiet os ejus, & adimplebit illum spiritu sapientiæ & intellectus, & stola gloriæ vestiet illum; jucunditatem & exultationem thesaurizabit super illum, & nomine æterno hæreditabit illum.*

Eccl. 23, 38. *Gloria magna est sequi Dominum.*

Isa. 60, 14. & seq. *Et venient ad te curvi filii eorum, qui humiliaverunt te, & adorabunt vestigia pedum tuorum omnes, qui detrahebant tibi, & vocabunt te Civitatem Domini, Sion sancti Israel. Pro eo quod fuisti derelicta, & odio habita, & non erat qui per te transiret, ponam te in superbiam seculorum, gaudium in generationem & generationem: & suges lac gentium, & mamilla regum lactaberis: & scies quia ego Dominus salvans te, & redemtor tuus fortis Jacob.*

Isa. 62, 1. & seq. *Propter Sion non tacebo, & propter Jerusalem non quiescam, donec egrediatur ut splendor justus ejus, & Salvator ejus ut lampas accendatur..... Et eris corona gloriæ in manu Domini, & diadema regni in manu Dei tui.*

Jerem. 30, 18. 19. *Hæc dicit Dominus, Ecce ego convertam conversionem tabernaculorum Jacob, & tectis ejus miserebor, & ædificabitur civitas in excelso suo, & templum juxta ordinem suum fundabitur. Et egredietur de eis laus, voxque ludentium, & multiplicabo eos, & non minuentur; & glorificabo eos, & non attenuabuntur.*

Agg. 2, 8. & seq. *Et veniet Desideratus cunctis gentibus, & implebo domum istam gloria, dicit Dominus exercituum ..... Magna erit gloria domus istius novissima plusquam prima, dicit Dominus exercituum.*

CAPUT C.

Jesus fortitudo & potestas.

PSalm. 23, 7. 8. *Attollite portas principes vestras, & elevamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ. Quis est iste rex gloriæ? Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio.*

Psalm. 109, 1. & seq. *Dixit Dominus Domino meo, Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion, dominare in medio inimicorum tuorum ..... Dominus a dextris tuis, confregit in die iræ suæ reges; judicabit in nationibus, implebit ruinas, conquassabit capita in terra multorum; de torrente in via bibet, propterea exaltabit caput.*

MAtth. 3, 11. *Ego quidem baptizo vos in aqua in pœnitentiam: qui autem post me venturus est, fortior me est, cujus non sum dignus calceamenta portare; ipse vos baptizabit Spiritu sancto & igne.* Luc. 3, 16.

Matth. 7, 29. *Erat enim docens eos, sicut potestatem habens.* Et Marc. 1, 22. Luc. 4, 32.

Matth. 11, 27. *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo.* Et Joh. 3, 24. & 13, 3. & 17, 2.

Matth. 24, 30. *Et videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute multa & majestate.* Et Marc. 13, 26. Luc. 21, 27. & 2. Thess. 1, 7. & seq.

Matth. 28, 18. *Et accedens Jesus locutus est eis,*

Digitized by Google

Eccl. 24, 7. 11. *Ego* (Sapientia) *in altissimis, habitavi ... & omnium excellentium & humilium corda virtute calcavi.*

Isa. 8, 1. & seq. *Et dixit Dominus ad me, Sume tibi librum grandem, & scribe in eo stylo hominis, Velociter spolia detrahe, cito prædare .... Et accessi ad Prophetissam, & concepit, & peperit filium. Et dixit Dominus ad me, Voca nomen ejus, Accelera spolia detrahere, festina prædari.*

Isa. 9, 6. *Parvulus enim natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum ejus, & vocabitur nomen ejus, Admirabilis, consiliarius, Deus fortis.*

Isa. 11, 1. & seq. *Et egredietur virga de radice Jesse & flos de radice ejus ascendet: & requiescet super eum spiritus Domini; spiritus sapientiæ & intellectus; spiritus consilii & fortitudinis ... & percutiet terram virga oris sui, & spiritu labiorum suorum interficiet impium.*

Isa. 42, 2. *Quis suscitavit ab oriente justum, vocavit eum ut sequeretur se? dabit in conspectu ejus gentes, & reges obtinebit; dabit quasi pulverem gladio ejus, sicut stipulam vento raptam arcui ejus.*

Isa. 42, 13. *Dominus sicut fortis egredietur, sicut vir prœliator suscitabit zelum; vociferabitur & clamabit, super inimicos suos confortabitur.*

Isa. 49, 25. 26. *Quia hæc dicit Dominus, Equidem & captivitas a forti tolletur, & quod ablatum fuerit a robusto salvabitur; eos vero qui judicaverunt te, ego judicabo; & filios tuos ego salvabo: & cibabo hostes tuos carnibus suis, & quasi musto sanguine suo inebriabuntur: & sciet omnis caro quia ego Dominus salvans te, & redemtor tuus fortis Jacob.*

Dan. 7, 13. 14. *Aspiciebam ergo in visione noctis, & ecce cum nubibus cœli quasi Filius hominis veniebat, & usque ad Antiquum dierum pervenit, & in conspectu ejus obtulerunt eum, & dedit ei potestatem, & honorem, & regnum. Et omnes populi, tribus, & linguæ ipsi servient: potestas ejus, potestas æterna quæ non auferetur, & regnum ejus quod non corrumpetur.*

Zach. 9, 9. 10. *Exulta satis, filia Sion; jubila, filia Jerusalem; ecce rex tuus veniet tibi justus & Salvator; ipse pauper, & ascendens super asinam, & super pullum filium asinæ: & disperdam quadrigam ex Ephraim, & equum de Jerusalem, & dissipabitur arcus belli, & loquetur pacem gentibus, & potestas ejus est eis, dicens, Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.*

Marc. 1, 27. *Et mirati sunt omnes, ita ut conquirerent inter se dicentes, Quidnam est hoc? quænam doctrina hæc nova? quia in potestate etiam spiritibus immundis imperat, & obediunt ei.* Luc. 4, 36.

Luc. 24, 19. *De Jesu Nazareno, qui fuit vir Propheta, potens in opere & sermone, coram Deo & omni populo.*

Joh. 5, 26. 27. *Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio habere vitam in semetipso, & potestatem dedit ei judicium facere, quia Filius hominis est.*

1. Cor. 1, 23. & seq. *Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam; ipsis autem vocatis Judæis atque Græcis, Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam: quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus; & quod infirmum est Dei, fortius est hominibus.*

1. Cor. 5, 4. *Congregatis vobis & meo spiritu, cum virtute Domini nostri Jesu Christi.*

1. Cor. 15, 24. & seq. *Deinde finis, cum tradiderit regnum Deo & Patri, cum evacuaverit omnem principatum, & potestatem, & virtutem. Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus. Cum autem dicat, Omnia subjecta sunt ei, sine dubio præter eum qui subjecit ei omnia. Cum autem subjecta fuerint illi omnia, tunc & ipse Filius subjectus erit ei, qui subjecit sibi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus.*

2. Cor. 12, 9. *Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi.*

2. Cor. 13, 3. *An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Christus, qui in vobis non infirmatur, sed potens est in vobis?*

Eph. 1, 20. & seq. *Suscitans illum a mortuis, & constituens ad dexteram suam in cœlestibus supra omnem Principatum, & Potestatem, & Virtutem & Dominationem, & omne nomen quod nominatur non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro: & omnia subjecit sub pedibus ejus, & ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam.*

2. Thess. 2, 8. *Et tunc revelabitur ille iniquus, quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione adventus sui.*

Ebr. 1, 3. *Qui cum sit splendor gloriæ & figura substantiæ ejus, purgationem peccatorum*

Digitized by Google

a mari usque ad mare, & a fluminibus usque ad fines terræ.

torum faciens, sedet ad dexteram majestatis in excelsis.

Ebr. 2, 6. & seq. *Testatus est autem in quodam loco quis dicens, Quid est homo quod memor es ejus, aut Filius hominis quoniam visitas eum? minuisti eum paulo minus ab Angelis, gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subjecisti sub pedibus ejus. In eo enim quod omnia ei subjecit, nihil dimisit non subjectum ei. Nunc autem necdum videmus omnia subjecta ei. Eum autem qui modico quam Angeli minoratus est, videmus Jesum, propter passionem mortis, gloria & honore coronatum.*

2. Petr. 1, 2. & seq. *Gratia vobis & pax adimpleatur in cognitione Dei, & Jesu Christi Domini nostri, quomodo omnia nobis divinæ virtutis suæ, quæ ad vitam & pietatem, donata sunt, per cognitionem ejus, qui vocavit nos propria gloria & virtute.*

Apoc. 5, 12. 13. *Dignus est Agnus; qui occisus est, accipere virtutem, & divinitatem, sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem. Et omnem creaturam, quæ in cœlo est, & super terram, & sub terra, & quæ sunt in mari, & quæ in ea, omnes audivi dicentes, Sedenti in throno, & Agno, benedictio, & honor, & gloria, & potestas in sæcula sæculorum.*

Apoc. 12, 10. *Et audivi vocem magnam in cœlo dicentem, Nunc facta est salus, & virtus, & regnum Dei nostri, & potestas Christus ejus.*

CAPUT CI.

Discipulorum Jesu fortitudo & potestas.

PSalm. 67, 36. *Mirabilis Deus in sanctis suis, Deus Israel ipse dabit virtutem, & fortitudinem plebi suæ.*

Isa. 12, 2. *Ecce Deus Salvator meus, fiducialiter agam, & non timebo, quia fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem.*

Isa. 25, 3. *Super hoc laudabit te populus fortis, civitas gentium robustarum timebit te.*

Isa. 61, 1. & seq. *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me..... ut ponerem lugentibus Sion, & darem eis coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris; & vocabuntur in ea fortes justitiæ, plantatio Domini ad glorificandum.*

Dan. 7, 27. *Regnum autem, & potestas, & magnitudo regni, quæ est subter omne cœlum, detur populo Sanctorum Altissimi.*

MAtth. 10, 1. *Et convocatis duodecim Discipulis, dedit illis potestatem spirituum immundorum, ut ejicerent eos, & curarent omnem languorem, & omnem infirmitatem.* Et Marc. 3, 15. & 6, 7. Luc. 9, 1.

Luc. 10, 10. *Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes & scorpiones, & super omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit.*

Act. 6, 8. *Stephanus plenus gratia & fortitudine, faciebat prodigia & signa magna in populo.*

2. Cor. 12, 10. *Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo: cum enim infirmor, tunc potens sum.*

1. Joh. 2, 14. *Scribo vobis, Juvenes, quoniam fortes estis, & verbum Dei manet in vobis, & vicistis malignum.*

Apoc. 2, 26. *Et qui vicerit, & custodierit usque in finem opera mea, dabo illi potestatem super gentes, & reget eas in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringentur.*

CAPUT CII.

Jesus dives.

PSalm. 2, 8. *Postula a me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.*

Prov. 8, 17. 18. *Ego* (Sapientia) *diligentes me diligo, & qui mane vigilant ad me, invenient me. Mecum sunt divitiæ, & gloria, opes superba, & justitia.*

2. COr. 8, 9. *Scitis enim gratiam Domini nostri Jesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cum esset dives.*

Eph. 1, 7. *In quo habemus redemtionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum, secundum divitias gratiæ ejus, quæ superabundavit in nobis.*

Eph. 3,

Digitized by Google

Eph. 3, 8. *Mihi omnium Sanctorum minimo data est gratia hæc, in gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi.*

Col. 1, 26. 27. *Mysterium quod absconditum fuit a seculis, & generationibus, nunc autem manifestum est Sanctis ejus, quibus voluit Deus notas facere divitias gloriæ Sacramenti hujus in Gentibus, quod est Christus.*

CAPUT CIII.
Jesu Discipuli divites.

PSalm. 36, 3. *Spera in Domino, & fac bonitatem; & inhabita terram, & pasceris in divitiis ejus.*

Psalm. 111, 1. & seq. *Beatus vir, qui timet Dominum, in mandatis ejus volet nimis; potens in terra erit semen ejus, generatio rectorum benedicetur: gloria & divitiæ in domo ejus.*

Prov. 1, 33. *Qui autem me* (Sapientiam) *audierit, absque terrore requiescet, & abundantia perfruetur, timore malorum sublato.*

Isa. 1, 19. *Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis.*

Isa. 49, 8. *Hæc dicit Dominus, in tempore placito exaudivi te, & in die salutis auxiliatus sum tui, & servavi te, & dedi te in fœdus populi, ut suscitares terram, & possideres hæreditates dissipatas.*

MAtth. 5, 4. *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.*

Matth. 6, 20. *Thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo, ubi neque ærugo, neque tinea demolitur, & ubi fures non effodiunt, nec furantur.* Et Matth. 19, 21. Marc. 11, 21. Luc. 12, 33.

Matth. 13, 44. *Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro, quem qui invenit homo abscondit, & præ gaudio illius vadit, & vendit universa quæ habet, & emit agrum illum.*

1. Cor. 1, 4. 5. *Gratias ago Deo meo semper pro vobis in gratia Dei, quæ data est vobis in Christo Jesu, quod in omnibus divites facti estis in illo.*

1. Cor. 4, 8. *Jam saturati estis, jam divites facti estis, sine nobis regnatis, & utinam regnetis, ut & nos vobiscum regnemus.*

2. Cor. 4, 6. 7. *Quoniam Deus, qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus vestris, ad illuminationem scientiæ claritatis Dei in facie Christi Jesu. Habemus autem thesaurum istum in vasis fictilibus.*

2. Cor. 6, 4. & seq. *Sed in omnibus exhibeamus nosmetipsos..... sicut egentes, multos autem locupletantes; tanquam nihil habentes, & omnia possidentes.*

2. Cor. 8, 9. *Scitis enim gratiam Domini nostri Jesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia vos divites essetis.*

Phil. 4, 18. *Habeo autem omnia, & abundo: repletus sum acceptis ab Epaphrodito quæ misistis.*

Col. 2, 2. 3. *Ut consolentur corda ipsorum, instructi in charitate, & in omnes divitias plenitudinis intellectus in agnitionem mysterii Dei Patris, & Christi Jesu; in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ abscondit.*

1. Tim. 6, 17. & seq. *Divitibus hujus seculi præcipe non sublime sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo (qui præstat nobis omnia abunde ad fruendum) bene agere, divites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam.*

Ebr. 11, 24. & seq. *Fide Moses grandis factus negavit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem; majores divitias æstimans thesauro Ægyptiorum, improperium Christi; aspiciebat enim in remunerationem.*

Jac. 2, 5. *Audite, Fratres mei dilectissimi, nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, & hæredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se?*

Apoc. 2, 8. 9. *Et Angelo Smyrnæ Ecclesiæ scribe, Hæc dicit primus & novissimus; qui fuit mortuus, & vivit, Scio tribulationem tuam & paupertatem tuam, sed dives es.*

Digitized by Google

CAPUT CIV.

Jesus legumlator.

DEut. 18, 15. & seq. *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus: ipsum audies..... Et ait Dominus mihi, Bene omnia sunt locuti, Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui: & ponam verba mea in ore ejus, loqueturque ad eos omnia quæ præcepero illi. Qui autem verba ejus, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor existam.*

Psalm. 9, 20. 21. *Exurge, Domine, non confortetur homo; judicentur gentes in conspectu tuo. Constitue, Domine, legislatorem super eos, ut sciant gentes quoniam homines sunt.*

Isa. 2, 3. *Et ibunt populi multi, & dicent, Venite, & ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Jacob, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis ejus: quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Jerusalem.* Et Mich. 4, 2.

Isa. 33, 22. *Dominus enim judex noster, Dominus legifer noster, Dominus rex noster, ipse salvabit nos.*

Isa. 42, 4. *Non erit tristis, neque turbulentus, donec ponat in terra judicium, & legem ejus insulæ expectabunt.*

Isa. 51, 4. *Attendite ad me, populе meus, & tribus mea, me audite: quia lex a me exiet, & judicium meum in lucem populorum requiescet.*

Jerem. 31, 33. *Sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israel post dies illos, dicit Dominus; dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam.*

MAtth. 5, 21. & seq. *Audistis quia dictum est antiquis, Non occides; qui autem occiderit, reus erit judicio: ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio; qui autem dixerit fratri suo, Raca, reus erit concilio; qui autem dixerit, Fatue, reus erit gehennæ ignis..... Audistis quia dictum est antiquis, Non mœchaberis; ego autem dico vobis, quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo..... Dictum est autem, quicunque dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari; & qui dimissam duxerit, adulterat.* Et per totum caput reliquum, & sequentia duo: & cap. 10. & Luc. 16, 9. & seq. & 17, 1. & seq.

Joh. 13, 34. *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem.*

Joh. 14, 15. 21. *Si diligitis me, mandata mea servate.... Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est qui diligit me.* Et Joh. 15, 17. & passim apud reliquos Evangelistas.

Rom. 8, 2. *Lex enim spiritus vitæ in Christo Jesu liberavit me a lege peccati & mortis.*

1. Cor. 9, 20. 21. *Et factus sum Judæis tanquam Judæus, ut Judæos lucrarer..... iis, qui sine lege erant, tanquam sine lege essem (cum sine lege Dei non essem, sed in lege essem Christi) ut lucrifacerem eos, qui sine lege erant.*

Gal. 6, 2. *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.*

Ebr. 8, 10. *Quia hoc est Testamentum, quod disponam domui Israel post dies illos, dicit Dominus: dando leges meas in mentem eorum, & in corde eorum superscribam eas.* Et 10, 16.

Jac. 1, 25. *Quid autem perspexerit in legem perfectam libertatis, & permanserit in ea, non auditor obliviosus factus, sed factor operis; hic beatus in facto suo erit.*

Jac. 2, 12. *Sic loquimini, & sic facite, sicut per legem libertatis incipientes judicari.*

CAPUT CV.

Jesus clavem gerit domus David.

ISa. 22, 22. *Et dabo clavem domus David super humerum ejus: & aperiet, & non erit, qui claudat; & claudet, & non erit, qui aperiat.*

APoc. 3, 7. *Et Angelo Philadelphiæ Ecclesiæ scribe, Hæc dicit Sanctus & Verus, qui habet clavem David; qui aperit, & nemo claudit; claudit, & nemo aperit.*

Ad explicandum locum hunc Isa. 22, 22.

QVoniam alio loco demonstrabimus Christi typum gessisse Eliacimum Helciæ filium, cui hic promittit Dominus apud Isaiam, futurum ut *det clavem domus David super humerum ejus*, istis verbis ineſſe liquet prædictionem præcipui cujusdam Christi

disputatur de clavibus humero gestari solitis.

Digitized by Google

Christi officii, & potestatis ipsi a Patre traditæ. Cæterum non injucundum, certe non supervacuum erit disquirere, cur dicat Isaias traditum iri clavem super humerum Eliacimi; cum hic gestandarum clavium mos nobis plane ignotus sit. Nam etsi hæc videri possumus disputare præter institutum, utile tamen est, quidquid ad Scripturæ intelligentiam conferre potest. Varias Interpretum expositiones ambitiose colligere ac confutare non vacat, quæ postquam legitimam firmavero sententiam, sponte ipsæ corruent. Sciendum ergo est vetustissimum fuisse clavium genus, quæ curvatæ erant, non absimili forma curvarum falcium. Hæ januis intus clausis per foramen inserebantur ad excutiendos pessulos & repagula: nec ignoratur penitus hodieque earum usus; furibus præcipue, alienas domos hoc instrumento clam reserantibus & suppilantibus: sed & fabris ferrariis, occlusas fores, cum propriæ claves amissæ sunt, vicaria hac clave aperientibus: & monachis etiam quibusdam nostratibus simili clavium genere interiora domuum claustra patefacere solitis. Vulgatus olim fuit, & communis earum usus, præcipue inter eos, quorum munus erat pretiosam supellectilem, κειμήλια, pecuniam, & fruges asservare. Eburneis vel ligneis capulis præfigebantur, unde scias fuisse prælongas. Citabimus testes idoneos. Narrat Homerus, vicesimo primo Odysseæ, Penelopen Palladis suasu arcum, aliaque depromptum iviſſe ex ταμείῳ, *(penu)* seu ἀποθήκῃ, *(reconditorio)* quæ erat in thalamo: tum subjicit:

Εἵλετο δὲ κλῆῖδ' ἐυκαμπέα χερὶ παχείῃ,
Καλὴν, χαλκείην. κώπη δ' ἐλέφαντος ἔτυκτο.
Sumsit autem clavem bene curvatam manu crassa,
Pulcram, æneam; capulus autem eburneus additus erat.

Quo loco sic differit Eustathius: ἐκχαϊκὸν εἶδος κλῆῖδος φράζει, καὶ ἡ κατὰ τὰ ὕστερον τετυπώμενα εἰς πολλὰς ὀπάς. ἔτι δὲ καὶ τοιάυτην κλῆῖδαν μέχρι καὶ νῦν χρῆσις, δι' ὀπῆς θύρας ἐνιεμένων, καὶ μεταγυσῶν τὴν ἔνδον σειρὰν ἐπὶ ἀνθέλκει τῆς θύρας· *Antiquum dicit clavis genus, neque ut recentiora, multis foraminibus pertusum. Perseverat autem ad hoc tempus ejusmodi clavium usus, quæ per portæ foramen inseruntur, & seram intus excutiunt ad aperiendum ostium.* En tibi antiquissimam clavium formam, longe diversarum ab iis, quæ multifores sunt, & a Laconibus subinde inventæ: atque immittuntur illæ, ut dixi, per januæ foramen, ad dimovendum obicem & fores reserandas. Addit deinde: κώπην δὲ ἐλεφαντίνην τὴν λαβὴν λέγει, τοιαύτην ὄσαν διὰ τὸ τιμιώτερον. οὐ γὰρ λοιποὶ, ξύλινοι, ὡς εἰκός. *Capulum eburneum dicit, manubrium significans, quod tale fingit, ut sit pretiosus. Alia enim lignea sunt, ut verisimile est.* Ligneis ergo vel eburneis manubriis instruebantur. Subjungit denique: ὥκυν ἐπὶ ξίφος μόνῳ ἡ κώπη, ἀλλ' ἰδοὺ καὶ ἐπὶ τῆς δρεπανοειδοῦς ταύτης κλῆῖδος, τῆς καὶ διὰ τοῦτο ἐυκαμπέος ἐπῳδούσης. *Non ergo gladius solum capulo instruitur, sed ecce & falcata ista clavis, quæ & propterea bene curvata appellatur.* Inflexam igitur dixit Homerus, quod falcis figuram præferret. Facile intelligitur ejusmodi clavem fuisse, quam humero gestabat Eliacimus gazæ regiæ custos. (Hoc enim munus exprimitur dictione, הסכן, quam Isaias Sobnæ tribuit eodem vicesimo secundo capite. Sobnæ autem in eo munere successit Eliacimus.) Claves quippe hujusmodi graves & bene longas fuisse persuadet curvatura illa & eburneus capulus; tum & quod eam ait Homerus arripuisse Penelopen χερὶ παχείῃ. *crassa & valida manu.* Βαθυκαμπῆ κλεῖδα, *clavem ampla flexura curvatam* appellat Ariston in Anthologia. Atqui vix aliter gestari commode poterat clavis illa falcata, propter pondus & curvaturam, quam humero imposita: quemadmodum rusticos nostrates sæpe videmus humeris gestantes messorias falculas complures in unum fasciculum colligatas. Inde est quod κατωμάδιαι vocabantur hæ claves: hoc est, *humero gestari solitæ.* Scribit Callimachus Hymno in Cererem, floreas coronas & papaver manu quidem tulisse Cererem Nicippe sacerdoti suæ assimilatam; at gestasse κατωμάδιαν κλεῖδα. Clavis ista humero ferri solita, videri possit insigne fuisse sacerdotii hujus: Ceres quippe frugibus condendis & custodiendis præest. Sed aliarum tamen Dearum sacerdotibus tributum id reperimus. Sic Junonis Argivæ clavigera dicitur Io apud Æschylum, & Callithoe ab Auctore Pharaonidis, quem citat Clemens Alexandrinus. Nemo, opinor, inducet in animum claves Laconicas nostris breviores, cæterum haud absimiles, humero fuisse gestatas; quod cogitare absurdum est.

Isa. 22, 15.

Anthol. l. 3.

Æschyl. Supplic. v. 299.

Clem. Alex. Strom. 1.

Digitized by Google

CAPUT CVI.

Abrogatio Mosaicæ Legis.

ISa.1,11.& seq. *Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum? dicit Dominus: plenus sum: holocausta arietum, & adipem pinguium, & sanguinem vitulorum, & agnorum, & hircorum nolui. Cum veniretis ante conspectum meum, quis quæsivit hac de manibus vestris, ut ambularetis in atriis? ne offeratis ultra sacrificium frustra: incensum abominatio est mihi. Neomeniam, & sabbathum, & festivitates alias non feram; iniqui sunt cœtus vestri: calendas vestras & solemnitates vestras odivit anima mea, facta sunt mihi molesta, laboravi sustinens.* Et Jer.6,20. Amos 5,21.22. Mich.6,6.& seq.

Isa.43,18.& seq. *Ne memineris priorum, & antiqua ne intueamini. Ecce ego facio nova, & nunc orientur, utique cognoscetis ea: ponam in deserto viam; & in invio flumina. Glorificabit me bestia agri, dracones & struthiones: quia dedi in deserto aquas, flumina in invia ut darem potum populo meo, electo meo. Populum istum formavi mihi, laudem meam narrabit. Non me invocasti, Jacob, nec laborasti in me, Israel.*

Isa.65,18. *Ecce enim ego creo cœlos novos, & terram novam, & non erunt in memoria propria, & non ascendent super cor.*

Isa.66,22.23. *Quia sicut cœli novi & terra nova, quæ ego facio stare coram me, dicit Dominus, sic stabit semen vestrum, & nomen vestrum. Et erit mensis ex mense, & sabbathum ex sabbatho; veniet omnis caro, ut adoret coram facie mea, dicit Dominus.*

Jerem.3,16. *Cumque multiplicati fueritis, & creveritis in terra in diebus illis, ait Dominus, non dicent ultra, Arca testamenti Domini; neque ascendet super cor, neque recordabuntur illius, nec visitabitur, nec fiet ultra.*

Jerem.7,11.& seq. *Numquid ergo spelunca latronum facta est domus ista, in qua invocatum est nomen meum in oculis vestris? Ego, ego sum, ego vidi, dicit Dominus. Ite ad locum meum in Silo, ubi habitavit nomen meum a principio, & videte, quæ fecerim ei propter malitiam populi mei Israel: & nunc quia feciſtis omnia opera hæc, dicit Dominus, & locutus sum ad vos mane consurgens, & loquens, & non audistis, & vocavi vos, & non respondistis; faciam domui huic, in qua invocatum est nomen meum, & in qua vos habetis fiduciam, & loco quem dedi vobis & patribus vestris, sicut feci Silo, & projiciam vos a facie mea.*

MAtth. 11,12.13. *A diebus autem Joannis Baptistæ, usque nunc, regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Omnes enim Prophetæ & Lex usque ad Joannem prophetaverunt.* Luc. 16,16.

Joh.4,21. *Dicit ei Jesus, Mulier crede mihi, quia venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Jerosolymis adorabitis Patrem.*

Act. 10,28. *Dixitque ad illos, Vos scitis quomodo abominatum sit viro Judæo conjungi aut accedere ad alienigenam: sed mihi ostendit Deus, neminem communem aut immundum dicere hominem.*

Act.13,38.39. *Notum igitur sit vobis, viri fratres, per hunc vobis remissio peccatorum annunciatur, & ab omnibus, quibus non potuistis in lege Moysi justificari, in hoc omnis qui credit, justificatur.*

Act.15,5.& seq. *Surrexerunt autem quidam de hæresi Pharisæorum, qui crediderunt dicentes, quia oportet circumcidi eos, præcipere quoq; servare legem Moysi. Conveneruntque Apostoli & Seniores de verbo hoc. Cum autem magna conquisitio fieret, surgens Petrus dixit ad eos ..... Nunc ergo, quid tentatis Deum imponere jugum super cervices Discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus? Et postquam tacuerunt, respondit Jacobus dicens..... Propter quod ego judico non inquietari eos, qui ex Gentibus convertuntur ad Deum, sed scribere ad eos, ut abstineant se a contaminationibus simulacrorum, & fornicatione, & suffocatis, & sanguine..... Tunc placuit Apostolis & Senioribus cum omni Ecclesia, eligere viros ex eis, & mittere Antiochiam..... scribentes per manus eorum Apostoli & Seniores fratres his, qui sunt Antiochiæ..... Salutem..... visum est Spiritui sancto & nobis, nihil ultra vobis imponere oneris, quam hæc necessaria, ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione.*

Rom.3,21.28. *Per Legem enim cognitio peccati: nunc autem sine Lege justitia Dei manifestata est, testificata a Lege & Prophetis..... Arbitramur enim justificari hominem per fidem sine operibus Legis.*

Rom.6,14.15. *Peccatum enim vobis non dominabitur, non enim sub Lege estis, sed sub gratia. Quid ergo? peccabimus, quoniam non sumus sub Lege, sed gratia? absit.*

Rom.7,

Digitized by Google

Jerem. 31, 31. & seq. *Ecce dies venient, dicit Dominus, & feriam domui Israel, & domui Juda fœdus novum; non secundum pactum, quod pepigi cum patribus eorum, in die qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Ægypti, pactum quod irritum fecerunt, & ego dominatus sum eorum, dicit Dominus. Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam.*

Ezech. 7, 26. *Conturbatio super conturbationem veniet, & auditus super auditum, & quærent visionem de Propheta, & consilium a Senioribus.*

Ezech. 34, 10. *Hæc dicit Dominus meus, Ecce ego ipse super pastores requiram gregem meum de manu eorum, & cessare faciam eos, ut ultra non pascant gregem, nec pascant amplius pastores semetipsos, & liberabo gregem meum de ore eorum, & non erit ultra eis in escam.*

Dan. 9, 24. & seq. *Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, & super Urbem sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur justitia sempiterna, & impleatur visio, & prophetia, & ungatur Sanctus sanctorum ..... Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus, & non erit ejus populus, qui eum negaturus est. Et civitatem, & sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, & finis ejus vastitas, & post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una, & in dimidio hebdomadis deficiet hostia, & sacrificium, & erit in Templo abominatio desolationis; & usque ad consummationem & finem perseverabit desolatio.*

Dan. 12, 11. *Et a tempore cum ablatum fuerit juge sacrificium, & posita fuerit abominatio in desolationem, dies mille ducenti nonaginta.*

Ose. 3, 4. 5. *Dies multos sedebunt filii Israel sine rege, & sine principe, & sine sacrificio, & sine altari, & sine Ephod, & sine Theraphim.*

Mal. 1, 10. 11. *Qui est in vobis, qui claudat ostia, & incendat altare meum gratuito? Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum; & munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim Solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda.*

Rom. 7, 4. & seq. *Itaque, fratres mei, & vos mortificati estis Legi per corpus Christi, ut sitis alterius, qui ex mortuis resurrexit, ut fructificemus Deo. Cum enim essemus in carne, passiones peccatorum, quæ per Legem erant, operabantur in membris nostris, ut fructificarent morti. Nunc autem soluti sumus a lege mortis, in qua detinebamur, ita ut serviamus in novitate spiritus, & non in vetustate literæ.*

Rom. 8, 2. & seq. *Lex enim spiritus vitæ in Christo Jesu liberavit me a lege peccati & mortis. Nam quod impossibile erat Legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, damnavit peccatum in carne, ut justificatio Legis impleretur in nobis.*

Rom. 10, 4. *Finis enim Legis Christus, ad justitiam omni credenti.*

2. Cor. 5, 17. *Si qua ergo in Christo nova creatura, vetera transierunt, ecce facta sunt omnia nova.*

Gal. 2, 16. 21. *Scientes autem, quod non justificatur homo ex operibus Legis, nisi per fidem Jesu Christi, & nos in Christo Jesu credimus, ut justificemur ex fide Christi, & non ex operibus Legis: propter quod ex operibus Legis non justificabitur omnis caro ..... Si enim per Legem justitia, ergo gratis Christus mortuus est.*

Gal. 3, 24. 25. *Itaque Lex pædagogus noster fuit in Christo, ut ex fide justificemur. At ubi venit fides, jam non sub pædagogo.*

Gal. 5, 18. *Quod si spiritu ducimini, non estis sub Lege.*

Gal. 6, 15. *In Christo enim Jesu, neque circumcisio aliquid valet, sed nova creatura.*

Eph. 2, 14. 15. *Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum, & medium parietem maceriæ solvens, inimicitias in carne sua; legem mandatorum decretis evacuans, ut duos condat in semetipso in unum novum hominem, faciens pacem.*

Eph. 4. 20. & seq. *Vos autem non ita didicistis Christum, si tamen illum audistis, & in ipso edocti estis, sicut & veritas in Jesu, deponere vos secundum pristinam conversationem veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris. Renovamini autem spiritu mentis vestræ, & induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia & sanctitate veritatis.*

Digitized by Google

Mal. 2, 11. 12. *Transgressus est Juda, & abominatio facta est in Israel & in Jerusalem; quia contaminavit Judas sanctificationem Domini, quam dilexit, & habuit filiam Dei alieni. Disperdet Dominus virum, qui fecerit hoc, magistrum & discipulum de tabernaculis Jacob, & offerentem munus Domino exercituum.*

Col. 3, 9. & seq. *Nolite mentiri invicem, exspoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes novum, eum qui renovatur in agnitionem, secundum imaginem ejus, qui creavit illum: ubi non est Gentilis & Judæus, circumcisio & præputium, Barbarus & Scytha, servus & liber; sed omnia & in omnibus Christus.*

Ebr. 7, 11. & seq. *Si ergo consummatio per sacerdotium Leviticum erat (populus enim sub ipso Legem accepit) quid adhuc necessarium fuit, secundum ordinem Melchisedec alium surgere sacerdotem, & non secundum ordinem Aaron? Translato enim sacerdotio, necesse est, ut & Legis translatio fiat. In quæ enim hæc dicuntur, de alia tribu est, de qua nullus altari præsto fuit: manifestum est enim, quod ex Juda ortus sit Dominus noster, in qua tribu nihil de sacerdotibus Moyses locutus est. Et amplius adhuc manifestum est, si secundum similitudinem Melchisedec exsurgat alius sacerdos, qui non secundum legem mandati carnalis factus est, sed secundum virtutem vitæ insolubilis: contestatur enim, Quoniam tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedec. Reprobatio quidem fit præcedentis mandati, propter infirmitatem ejus, & inutilitatem; nihil enim ad perfectum adduxit Lex, introductio vero melioris spei, per quam proximamus ad Deum. Et quantum est non sine jurejurando (alii quidem sine jurejurando sacerdotes facti sunt, hic autem cum jurejurando per eum, qui dixit ad illum, Juravit Dominus, & non pœnitebit eum: tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedec) in tantum melioris Testamenti sponsor factus est Jesus ..... Lex enim homines constituit sacerdotes infirmitatem habentes: sermo autem jurisjurandi, qui post Legem est, Filium in æternum perfectum.*

Ebr. 8, 6. & seq. *Nunc autem melius sortitus est ministerium, quanto & melioris Testamenti mediator est, quod in melioribus repromissionibus sancitum est: nam si illud prius culpa vacasset, non utique secundi locus inquireretur. Vituperans enim eos dicit, Ecce dies venient, dicit Dominus; & consummabo super domum Israel, & super domum Juda Testamentum novum; non secundum Testamentum, quod feci patribus eorum, in die qua apprehendi manum eorum, ut educerem illos de terra Ægypti, quoniam ipsi non permanserunt in Testamento meo, & ego neglexi eos, dicit Dominus. Quia hoc est Testamentum, quod disponam domui Israel post dies illos dicit Dominus, dando leges meas in mentem eorum, & in corde eorum superscribam eas ..... Dicendo autem novum, veteravit prius. Quod autem antiquatur & senescit, prope interitum est.*

Ebr. 9, 6. & seq. *In priori quidem tabernaculo semper introibant Sacerdotes, sacrificiorum officia consummantes: in secundo autem, semel in anno summus Pontifex, non sine sanguine, quem offert pro sua & populi ignorantia, hoc significante Spiritu sancto nondum propalatam esse Sanctorum viam, adhuc priore tabernaculo habente statum: quæ parabola est temporis instantis, juxta quam munera & hostiæ offeruntur, quæ non possunt juxta conscientiam perfectum facere servientem, solummodo in cibis & in potibus, & variis baptismatibus, & justitiis carnis, usque ad tempus correctionis impositis.*

Ebr. 10, 11. & seq. *Et omnis quidem sacerdos præsto est quotidie ministrans, & easdem sæpe offerens hostias, quæ numquam possunt auferre peccata: hic autem unam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet in dextera Dei; de cætero expectans, donec ponantur inimici ejus scabellum pedum ejus. Una enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos. Contestatur autem nos & Spiritus sanctus. Postquam enim dixit, Hoc autem Testamentum, quod testabor ad illos post dies illos, dicit Dominus, dando leges meas in cordibus eorum, & in mentibus eorum superscribam eas, & peccatorum & iniquitatum eorum jam non recordabor amplius. Ubi autem horum remissio, jam non est oblatio pro peccato ..... Voluntarie enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia.*

Apoc. 3, 12. *Qui vicerit, faciam illum columnam in Templo Dei mei, & foras non egredietur amplius, & scribam super eum nomen Dei mei, & nomen civitatis Dei mei novæ Jerusalem, quæ descendit de cœlo a Deo meo, & nomen meum novum.*

Apoc. 21, 5. *Et dixit, qui sedebat in throno, Ecce nova facio omnia. Et dixit mihi, Scribe, quia hæc verba fidelissima sunt & vera.*

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT CVII.
Sanctio novæ legis.

DEut. 18, 15. & seq. *Prophetam de gente tua & de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus: ipsum audies, ut petisti Domino Deo tuo in Horeb, quando concio congregata est, atque dixisti, Ultra non audiam vocem Domini Dei mei, & ignem hunc maximum amplius non videbo, ne moriar. Et ait Dominus mihi, Bene omnia sunt locuti: Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui: & ponam verba mea in ore ejus, loquetur que ad eos omnia, quæ præcepero illi. Qui autem verba ejus, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor existam.*

Isa. 2, 2. *Et erit novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & elevabitur super colles, & fluent ad eum omnes gentes. Et ibunt populi mei, & dicent, Venite, & ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Jacob, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis ejus; quia de Sion exibit Lex, & verbum Domini de Jerusalem.* Et Mich. 4, 1. & seq.

Isa. 42, 9. *Quæ prima fuerunt, ecce venerunt; nova quoque annuntio: antequam oriantur, audita vobis faciam.*

Isa. 43, 18. & seq. *Ne memineritis priorum, & antiqua ne intueamini. Ecce ego facio nova, & nunc orientur, utique cognoscetis ea; ponam in deserto viam, & in invio flumina. Glorificabit me bestia agri, dracones & struthiones; quia dedi in deserto aquas, flumina in invio, ut darem potum populo meo. Populum istum formavi mihi, laudem meam narrabit.*

Isa. 56, 4. 5. *Quia hæc dicit Dominus Eunuchis, qui custodierint sabbatha mea, & elegerint quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum: dabo eis in domo mea & in muris meis locum, & nomen melius a filiis & filiabus, nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit.*

Isa. 62, 2. 3. *Et videbunt gentes Justum tuum, & cuncti Reges inclytum tuum, & vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominabit. Et eris corona gloriæ in manu Domini, & diadema regni in manu Dei tui. Non vocaberis ultra, Derelicta; & terra tua non vocabitur amplius, Desolata; sed vocaberis, Voluntas mea in ea, & terra tua inhabitata, quia complacuit Domino in te, & terra tua inhabitabitur.*

MAtth. 26, 27. 28. *Et accipiens calicem gratias egit, & dedit illis, dicens, Bibite ex hoc omnes: hic est enim sanguis meus Novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Marc. 14, 24. Luc. 22, 20. & 1. Cor. 11, 25.

Marc. 1, 27. *Et mirati sunt omnes, ita ut conquirerent inter se, dicentes, Quidnam est hoc? quænam doctrina hæc nova?*

Joh. 4, 21. & seq. *Dicit ei Jesus, Mulier, crede, mihi, quia venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Hierosolymis adorabitis Patrem. Vos adoratis quod nescitis; nos adoramus quod scimus, quia salus ex Judæis est. Sed venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate.*

Joh. 13, 34. *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos, ut & vos diligatis invicem.* Et 15, 12.

Act. 17, 19. 20. *Et apprehensum eum ad Areopagum duxerunt, dicentes, Possumus scire quæ est hæc nova, quæ a te dicitur, doctrina? nova enim quædam infers auribus nostris.*

Rom. 3, 28. *Arbitramur enim justificari hominem per fidem, sine operibus Legis.*

Rom. 7, 6. *Nunc autem soluti sumus a lege mortis, in qua detinebamur, ita ut serviamus in novitate spiritus, & non in vetustate literæ.*

2. Cor. 3, 6. *Qui & idoneos nos fecit ministros Novi Testamenti; non literæ, sed spiritu: literæ enim occidit, spiritus autem vivificat.*

2. Cor. 5, 17. *Si qua ergo in Christo nova creatura, vetera transierunt; ecce facta sunt omnia nova.*

Gal. 6, 15. *In Christo enim Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed nova creatura.* Et Rom. 6, 4. & 12, 2. & 1. Cor. 5, 7. & Eph. 4, 20. & seq.

Eph. 2, 14. 15. *Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum, & medium parietem maceriæ solvens, inimicitias in carne sua, legem mandatorum decretis evacuans, ut duos condat in semetipso in unum novum hominem, faciens pacem.*

Col. 3, 9. & seq. *Nolite mentiri invicem, exspoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes novum, eum qui renovatur in agnitionem, secundum imaginem ejus, qui creavit illum, ubi non est Gentilis & Judæus, circum-*

Digitized by Google

Isa. 65. 15. & seq. *Et dimittetis nomen vestrum in juramentum electis meis, & interficiet te Dominus Deus, & servos suos vocabit nomine alio ..... Ecce enim ego creo cœlos novos, & terram novam, & non erunt in memoria priora, & non ascendent super cor: sed gaudebitis & exultabitis usque in sempiternum his quæ ego creo.*

Isa. 66, 22. *Quia sicut cœli novi, & terra nova, quæ ego facio stare coram me, dicit Dominus; sic stabit semen vestrum, & nomen vestrum.*

Jerem. 4, 3. 4. *Hæc enim dicit Dominus viro Juda & Jerusalem, Novate vobis novale, & nolite serere super spinas: circumcidimini Domino, & auferte præputia cordium vestrorum, viri Juda, & habitatores Jerusalem.*

Jerem. 11, 19. 20. *Et dabo eis cor unum, & spiritum novum tribuam in visceribus eorum; auferam cor lapideum de carne eorum, & dabo eis, ut in præceptis meis ambulent, & judicia mea custodiant, faciantque ea, & sint mihi in populum, & ego sim eis in Deum.*

Jerem. 18, 31. *Projicite a vobis omnes prævaricationes vestras, in quibus prævaricati estis, & facite vobis cor novum & spiritum novum.*

Jerem. 31, 31. & seq. *Ecce dies venient, dicit Dominus, & feriam domui Israel & domui Juda fœdus novum; non secundum pactum quod pepigi cum patribus eorum, in die qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Ægypti, pactum quod irritum fecerunt, & ego dominatus sum eorum, dicit Dominus. Sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israel post dies illos, dicit Dominus: dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam, & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum: & non docebit ultra vir proximum suum, & vir fratrem suum, dicens, Cognosce Dominum; omnes enim cognoscent me a minimo eorum usque ad maximum, ait Dominus: quia propitiabor iniquitati eorum, & peccati eorum non memorabor amplius.*

Jerem. 34, 10. 11. *Hæc dicit Dominus Deus, Ecce ego ipse super pastores requiram gregem meum de manu eorum, & cessare faciam eos, ut ultra non pascant gregem, nec pascant amplius pastores semetipsos, & liberabo gregem meum de ore eorum, & non erit ultra eis in escam. Quia hæc dicit Dominus Deus, Ecce ego ipse requiram oves meas, & visitabo eas.*

Ezech. 36, 25. & seq. *Et effundam super circumciso & præputium, Barbarus & Scytha, servus & liber, sed omnia & in omnibus Christus.*

Ebr. 7, 12. & seq. *Reprobatio quidem fit præcedentis mandati, propter infirmitatem ejus & inutilitatem, nihil enim ad perfectum adducit Lex; introductio vero melioris spei, per quam proximamus ad Deum. Et quantum est non sine jurejurando (alii quidem sine jurejurando sacerdotes facti sunt, hic autem cum jurejurando, per eum qui dixit ad illum, Juravit Dominus, & non pœnitebit eum; tu es sacerdos in æternum) in tantum melioris Testamenti sponsor factus est Jesus.*

Ebr. 8, 6. & seq. *Nunc autem melius sortitus est ministerium, quanto & melioris Testamenti mediator est, quod in melioribus repromissionibus sancitum est. Nam si illud prius culpa vacasset, non utique secundi locus inquireretur. Vituperans enim eos dicit, Ecce dies venient, dicit Dominus, & consummabo super domum Israel, & super domum Juda Testamentum novum; non secundum Testamentum quod feci patribus eorum, ut educerem illos de terra Ægypti, quoniam ipsi non permanserunt in Testamento meo, & ego neglexi eos, dicit Dominus. Quia hoc est Testamentum quod disponam domui Israel post dies illos, dicit Dominus, dando leges meas in mentem eorum, & in corde eorum superscribam eas, & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum ..... Dicendo autem novum, veteravit prius.*

Ebr. 9, 11. & seq. *Christum autem assistens Pontifex futurorum bonorum, per amplius & perfectius tabernaculum, non manu factum, id est, non hujus creationis, neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem, introivit semel in Sancta, æterna redemtione inventa. Si enim sanguis hircorum & taurorum, & cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi? Et ideo Novi Testamenti mediator est, ut morte intercedente, in redemtionem earum prævaricationum, quæ erant sub priori Testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt æterna hæreditatis.*

Ebr. 10, 11. & seq. *Et omnis quidem sacerdos præsto est quotidie ministrans, & easdem sæpe*

Digitized by Google

vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, & ab universis idolis vestris mundabo vos. Et dabo vobis cor novum, & spiritum novum ponam in medio vestri & auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum: & spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea custodiatis & operemini.

Dan. 9, 24. *Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, & super Urbem sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur justitia sempiterna & impleatur visio & prophetia, & ungatur Sanctus sanctorum.*

Mal. 4, 4. & seq. *Mementote legis Moysi servi mei, quam mandavi ei in Horeb ad omnem Israel, præcepta & judicia. Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus & horribilis: & convertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum; ne forte veniam & percutiam terram anathemate.*

Sæpe offerens hostias, quæ nunquam possunt auferre peccata: hic autem unam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet in dextera Dei, de cætero expectans, donec ponantur inimici ejus scabellum pedum ejus; una enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos. Contestatur autem nos & Spiritus Sanctus: postquam enim dixit, Hoc autem Testamentum quod testatur ad illos post dies illos, dicit Dominus, dando leges meas in cordibus eorum, & in mentibus eorum superscribam eas, & peccatorum & iniquitatum eorum jam non recordabor amplius. Ubi autem horum remissio, jam non est oblatio pro peccato. Habentes itaque, Fratres, fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi, quam initiavit nobis viam novam & viventem per velamen, id est carnem suam, & Sacerdotem magnum super domum Dei, accedamus cum vero corde in plenitudine fidei.

Ebr. 12, 23. seq. *Sed accessistis ad Sion montem, & civitatem Dei viventis Jerusalem cœlestem, & multorum millium Angelorum frequentiam, & Ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in cœlis, & judicem omnium Deum, & spiritus justorum perfectorum, & Testamenti Novi mediatorem Jesum, & sanguinis aspersionem melius loquentem quam Abel.*

2. Petr. 3, 13. *Novos vero cœlos, & novam terram secundum promissa ipsius expectamus, in quibus justitia habitat.*

1. Joh. 2, 7. 8. *Charissimi, non mandatum novum scribo vobis, sed mandatum vetus, quod habuistis ab initio. Mandatum vetus est verbum quod audistis. Iterum mandatum novum scribo vobis, quod verum est & in ipso, & in vobis; quia tenebræ transierunt, & verum lumen jam lucet.*

Apoc. 3, 12. *Qui vicerit, faciam illum columnam in Templo Dei mei, & foras non egredietur amplius, & scribam super eum nomen Dei mei, & nomen civitatis Dei mei novæ Jerusalem, quæ descendit de cœlo a Deo meo, & nomen meum novum.* Et Apoc. 2, 17.

Apoc. 21, 1. & seq. *Et vidi cœlum novum & terram novam. Primum enim cœlum & prima terra abiit, mare jam non est. Et ego Johannes vidi sanctam civitatem Jerusalem novam descendentem de cœlo a Deo, paratam sicut sponsam ornatam viro suo .... Et dixit qui sedebat in throno, Ecce nova facio omnia. Et dixit mihi, Scribe quia hæc verba fidelissima sunt & vera.*

I. *Defenduntur testimonia ex Isa. 43, 18. & seq. & ex Isa. 66, 22. 23.* II. *Defenduntur testimonia ex Jerem. 31, 31. & seq. & ex Mal. 4, 4. & seq.* III. *Defenditur testimonium ex Mal. 1, 10. 11.* IV. *Josue Mosi suffectus, & secunda Ebræorum per Josuam facta circumcisio, symbola sunt Christianæ Legis Mosaicam abrogantis.* V. *Refelluntur argumenta Adversariorum. Primum argumentum.* VI. *Secundum argumentum.*

HUETII DEMONSTR.

I. QUem e quadragesimo tertio Isaiæ capite locum depromimus, Messiæ temporibus non Paulus solum adscribit in altera ad Corinthios, cum ait: *Si qua ergo in Christo nova creatura, vetera transierunt; ecce facta sunt omnia nova;* sed & Thalmudicus liber Beracoth. Iisdem temporibus adscribunt quoque Rabbini sententiam alteram ex sexagesimo sexto capite Isaiæ, ubi non statis ac certis diebus, sed continenter, nulloque intermisso tempore, vel dierum habito

Defenduntur testimonia ex Isa. 43, 18. & sq. & ex Is. 66, 22. 23. 2. Cor. 5, 17.

Digitized by Google

habito discrimine, futurum vaticinatur, ut ad Dei cultum homines conveniant. Quibus consonant ista Pauli ad Colossenses: *Nemo ergo vos judicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi, aut neomeniæ, aut sabbathorum; quæ sunt umbra futurorum: corpus autem Christi.* Col. 2, 16.

Defenduntur testimonia ex Jer. 31, 31. & seq. & ex Mal. 4, 4. & seq.

II. Nobilissimum etiam Jeremiæ oraculum e tricesimo primo capite R. Moses ben Nachman refert ad Messiæ ætatem, ut dixi in Propositione septima. Inepta vero est, quam proponit R. David Kimchi, interpretatio: non novam enim præsignificari legem statuit, sed priscam illam Mosis in Judæorum animos insinuandam penitus & obsignandam. Tum Malachiæ suffragium ambit, cujus præceptum hoc est: *Mementote legis Moysi servi mei, quam mandavi ei in Horeb ad omnem Israel, præcepta & judicia.* Unde colligit Malachiam, postremum Prophetarum, hac præceptione, non vaticinia tantum sua, sed & aliorum Prophetarum claudentem, aperte docere, in unica Lege Mosaica esse acquiescendum, nec aliam porro expectari debere. Sed hominis commentum liquido refellunt ipsa verba Jeremiæ, quibus non solum promittit Deus futurum, ut novum fœdus paciscatur cum Israelitis, sed fœdus etiam illud novum veteri opponit; ipsumque adeo vetus excludit, utpote quod ab Israelitis violatum & solutum sit. *Feriam*, inquit, *domui Israel, & domui Juda fœdus novum, non secundum pactum, quod pepigi cum patribus eorum, in die qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Ægypti; pactum quod irritum fecerunt, & ego dominatus sum eorum, dicit Dominus.* Ad Malachiæ vero testimonium quod attinet, id sibi vult, observandam esse quidem Legem Mosis, sed tamdiu, quoad per novam Christi legem abrogetur; quod & indicant, quæ proxime subjicit; *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus & horribilis.* Ac si diceret fore ut ad Johannem usque Lex vigeat: quod clarius pronuntiavit Christus apud Matthæum: *Omnes Prophetæ & Lex usque ad Johannem prophetaverunt: & si vultis recipere, ipse est Elias qui venturus est:* quæ planissima est Malachiæ illius prædictionis interpretatio. Addit Malachias de Elia illo venturo: *Et convertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum; ne forte veniam, & percutiam terram anathemate.* Nempe hoc ipsum fœdus novum est, quod icturum se pollicetur Deus hoc loco Jeremiæ, quem scrutamur: *Sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israel post dies illos, dicit Dominus: dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam; & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum. Et non docebit ultra vir proximum suum, & vir fratrem suum, dicens, Cognosce Dominum; omnes enim cognoscent me a minimo eorum usque ad maximum, ait Dominus: quia propitiabor iniquitati eorum, & peccati eorum non memorabor amplius.* Accedit Malachiæ ipsius testificatio, quo meliorem ipsi interpretem dare non possumus: *Non est*, inquit, *mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non suspiciam de manu vestra: ab ortu enim Solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda; quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum.* Mal. 4, 4. Jer. 31, 33. & seq. Mal. 1, 10. u.

Defenditur testimonium ex Malach. 1, 10. 11.

III. Quæ Malachiæ sententia, ut illustris est in primis ac splendida, cum eam populariibus suis vitio ac dedecori verti intelligerent Rabbini, pro sua vafritie perversis etiam interpretationibus eludere tentarunt. Sunt qui dicant, Deum id sibi velle, Quantumlibet in idolis, vel stellis, minutisque Diis compluribus colendis effusa sit Ethnicorum impietas, unum tamen summum, ac supremum Deum venerantur, quod mihi longe est gratissimum. Hujus expositionis auctor est R. Selomoh Jarchi, assertores R. David Kimchi & R. Aben Ezra. Ea vero quam absona sit & falsa, liquet ex eo, quod inter gentes idolorum cultui addictas obscura sit supremi Dei ac fere nulla notitia, neque ulla ipsi sacrificia fiant. Id ergo quodcunque honoris est, impiis cerimoniis ac nefario cultu idolis exhibito, tot vero Dei sanctionibus vetito conjunctum, videant quo jure, quave ratione *oblationem mundam* appellare queant. Impia quidem hæc est & absurda interpretatio; commentitia vero & ad arbitrium conficta altera, quam proponit idem Jarchi, Deum nempe significare, Judæorum qui inter Gentes dispersi versantur comprecationes sibi etiam sine victimis fusas perplacere. Quæ cum Prophetæ verbis pugnant ex adverso: quippe honores a gentibus sibi habitos

Digitized by Google

habitos Deus opponit cultui a Judæis præstito, & apertis verbis affirmat sibi ab his sacrificari: id enim sonant verba hæc; *Munus non suscipiam de manu vestra.* Aliam præterea prædictionis hujus explicationem, haud minus futilem, proponunt David Kimchi & Aben Ezra, hanc videlicet; Si a Gentibus, itidem ut a vobis, munera mihi offerri vellem, munda ea & selecta offerrent; vos vero strigosas & male habitas hostias mihi offertis. Atque non lege aliqua seu conditione propositio hæc conjuncta est, sed simplex; nec id fore, aut fieri posse, sed esse reipsa ac fieri dixit Deus. Cum igitur in testimonio hoc retundendo vana sit Rabbinorum opera, germanus ei sensus restituendus est. Primum cum munera Judæorum respuere se pronuntiat Deus, abrogatio Mosaicæ legis futura notatur. Tum adjicit agnituras fore nomen suum gentes, & per totum orbem mundis offerumentis sese propitiatum iri. Ante Christi Jesu ortum haudquaquam id contigit; tum enim mundum pene universum profana religio insidebat. Statim vero post Jesum superstitiones suas dedidicerunt homines, & cunctas regiones Christi doctrina pervasit; adeo ut ad hanc diem puris sacrificiis Deus placetur. Purum autem sacrificium, & *oblationem mundam*, in animi omni noxarum labe purgati, & ad Dei obsequium parati, finceritate & candore positam esse perspicias ex consentaneis Jeremiæ & Malachiæ testimoniis, quæ proxime recitavimus. Tunc autem mundus ille ac sincerus cultus Deo præstitus est, cum veterem abrogavit Christus Jesus. Id quod declaravit ipse aperte, cum Samaritanæ
Joh. 4, 23. mulieri diceret: *Venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate.* Hæ nimirum offeruntur
1. Petr. 2, 5. *spirituales hostiæ, acceptabiles Deo per Jesum Christum.* Ad Malachiam profecto respexisse videtur Paulus, cum scriberet ista ad
1. Tim. 2, 8. Timotheum: *Volo ergo viros orare in omni loco, levantes puras manus sine ira & disceptatione.* Sed & aliud præterea sacrificium, proprie ac stricte sumtum, Malachiæ verbis adumbratur, incruentum nempe, quod Deo in Ecclesia Christi offertur quotis quibusque diebus. Geminum igitur hic notatur & prædicitur sacrificium, vel latius sumto vocabulo sacrificii, quod fit per preces ac vota puro pectore concepta; vel stricte sumto, ejus videlicet quod fit ad altaria per Sacerdotes Christi. Jure ergo vetusti Ecclesiæ Patres, Justinus, Irenæus, Cyprianus, aliique plures, testimonio hoc, sic tanquam validissimo telo, adversus Judæos dimicarunt. Just. Dial. cum Tryphon. Iren. l. 4. c. 32. Cypr. Test. libr. 1. c. 16.

IV. Attingendum hic quoque obiter, quod infra exponemus, Josuam in locum defuncti Mosis suffectum, symbolum esse legis Christi Jesu, per quam Mosis abrogata lex est. Deinde quemadmodum secundæ circumcisionis auctor Josue Ebræis fuit; ita per Jesum Christum circumciduntur corda nostra; & hæc quidem secunda circumcisio est, cum vetus Mosaica truncaret corpus, nova hæc animum purget. Denique quod prisca Lex abolita sit, recte concludit Tertullianus Christum venisse. *Imprimis*, inquit, *definiendum est, non potuisse cessare Legem antiquam & Prophetas, nisi venisset is, qui per eamdem Legem, & per eosdem Prophetas venturus annuntiabatur.* *Josue Moysi suffectus, & secunda Ebræorum per Josuam facta circumcisio, symbola sunt Christianæ legis Mosaicam abrogantis.*

V. Atenim æternitatem Mosaicæ Legis sibi promissam objiciunt Judæi. *Erit vobis hoc legitimum sempiternum*, inquit Dominus. Et alibi: *Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino: nec addas quicquam, nec minuas.* Ex quibus verbis colligit Maimonides, libro de fundamentis legis, Legem esse æternam, nec ulli mutationi obnoxiam. Nos vero alibi docuimus, voces illas, עולם, & לעולם & עד עולם non semper æternitatem temporis, sed sæpe diuturnitatem: non semper infinitum tempus, sed sæpe indefinitum, quandoque etiam finitum notare. Nihil autem facit ad rem testimonium e Deuteronomio petitum: nam ut optime pro nobis respondet R. Joseph Albo, libro tertio Fundamentorum, capite decimo sexto, monemur hoc præcepto, ne Legem vel addendo, vel detrahendo refingere audeamus. Sibi vero eam penitus abolendi jus Deus non detrahit. Sed opprimamus Judæos auctoritate Magistrorum suorum. Est in Thalmudis libro Avoda Zara, ab Elia traditum fuisse, sex annorum millibus definitam esse mundi diuturnitatem, quorum priore duo millia futura sint sine Lege; sequentibus duobus millibus vigeat Lex; quibus succedat, & per duo postrema millia servetur Messiæ doctrina. Unde liquet post duo annorum millia abrogandam esse Legem Mosis. Est in Midrasch Coheleth, *Legem quam homo discit in hoc seculo, vanitatem esse pra lege Messiæ.* Est denique apud R. Simeonem in Jalkut, Deum per Messiam novam legem esse daturum. *Refelluntur argumenta adversariorum.* *Primum argumentum.* Exod. 30, 21. Lev. 16, 29. Deut. 12, 32. Jalk. in Isa.

Digitized by Google

Secundum argumentum.

VI. Christianam quoque causſam plurimum labefactari putant Judæi his Jesu Christi verbis: *Nolite putare quoniam veni solvere Legem aut Prophetas; non veni solvere, sed adimplere. Amen quippe dico vobis, donec transeat cœlum & terra, jota unum, aut unus apex non præteribit a Lege, donec omnia fiant. Qui ergo solverit unum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum.* Tantum abest ergo, inquiunt, ut Jesus Mosaicam Legem antiquaverit, ut id ne fieret, diserte caverit. At falluntur Judæi, perperam sumto Legis vocabulo, quæ non hic præscriptos ceremoniarum ritus, vel judicialia & moralia præcepta signat; sed Legis ipsius summam ac finem, quo præcepta singula privatim spectabant. Finem vero hunc præscribit alibi Jesus ipse: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in toto anima tua, & in tota mente tua. Hoc est maximum & primum mandatum. Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum, sicut teipsum. In his duobus mandatis universa Lex pendet & Prophetæ.* Præclare Paulus ad Romanos: *Qui diligit proximum, Legem implevit: nam, Non adulterabis, Non occides, Non furaberis, Non falsum testimonium dices, Non concupisces, & si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur; Diliges proximum tuum, sicut teipsum. Dilectio proximi malum non operatur. Plenitudo ergo Legis est dilectio.* Itaque Judæorum insaniam castigat in priore ad Timotheum, qui Legem callere se putantes, quo ipsa pertineret haudquaquam intelligebant, summam ejus in rituum quorundam observatione ponentes: *Finis autem præcepti est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta: a quibus quidam aberrantes, conversi sunt in vaniloquium, volentes esse Legis doctores, non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant.* Sed & ipse Moses ad Legis finem digitum intendebat dicens: *Circumcidet Dominus Deus tuus, cor tuum, & cor seminis tui: ut diligas Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & in toto anima tua, ut possis vivere.* Cum autem in Lege ipsa satis præsidii non esset ad hunc finem assequendum, subsidio fuit Christus, ac opem laborantibus ferens, & ad optatum deducens finem, imbecillitatem atque defectum Legis resarsit. Prædicabat id Paulus apud Pisidas, ut refert Lucas in Actis: *Ab omnibus, quibus non potuistis in Lege Moysi justificari, in hoc* (Christo) *omnis qui credit justificatur.* Fuse hoc argumentum tractatum habes nono & decimo capite Epistolæ ad Ebræos, unde cognoscas inopiam Legis, cui quæcunque deerant, ea Christus Jesus abunde supplevit. Nam quamvis in decimo octavo Psalmo Lex dicatur perfecta, (id enim sonat vox Ebræa, תורה) non ideo summam ipsi perfectionem tribui consendum est, sed eam tantum, quam postulabant tempora illa, quibus condita est. Hac responsione utitur R. Joseph Albo, libro tertio Iccarim, capite tricesimo sexto; qui & familiari comparatione rem explanat: Lac cibus est puero accommodatus, quo perfecte nutritur: secus erit, si idem viro adhibeas. Præterea Messiam unum spectabant Testamenti Veteris oracula, adeo ut prisci hujus complementum sit Testamentum Novum. *Finis Legis Christus ad justitiam omni credenti,* inquit Paulus in Epistola ad Romanos. Idem ad Galatas: *Itaque Lex pædagogus noster fuit in Christo, ut ex fide justificemur: at ubi venit fides, jam non sumus sub pædagogo.* Et ad Colossenses: *Nemo ergo vos judicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi, aut neomeniæ, aut sabbathorum, quæ sunt umbra futurorum: corpus autem Christi.* Docet quoque in Epistola ad Ebræos, Legem habere umbram futurorum bonorum, eorum videlicet quæ per Christum adepti sumus. Itaque Christus Legem non solvit, sed absolvit, cum ejus prædictiones in se ad exitum perduxit, cum ad propositum præceptionibus Legis finem, pietatem nempe in Deum, & charitatem erga homines, quæ tamen per Legem ipsam haudquaquam fuissemus consecuti, gratia ipsius & benignitate pervenimus. *Legem ergo destruimus per fidem?* ait Paulus, *absit; sed Legem statuimus.* Ac merito Judæos his verbis castigat: *Obtusi sunt sensus eorum: usque in hodiernum enim diem idipsum velamen in lectione Veteris Testamenti manet non revelatum, quoniam in Christo evacuatur: sed usque in hodiernum diem, cum legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum. Cum autem conversus fuerit ad Dominum, auferetur velamen.*

Matth. 5, 17. 18.

Matth. 22, 37. & seq.

Rom. 13, 8. & seq.

1. Tim. 1, 5. & seq.

Deut. 30, 6.

Act. 13, 38.

Rom. 10, 4. Gal. 3, 24.

Col. 2, 16. 17.

Ebr. 10, 1.

Rom. 3, 31.

2. Cor. 3, 15. & seq.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT CVIII.

Jesu lex spiritualis & æterna.

DEut. 30, 6. *Circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum, & cor seminis tui, ut diligas Dominum Deum tuum in toto corde tuo & in tota anima tua, ut possis vivere.*

1. Reg. 15, 22. *Et ait Samuel, Numquid vult Dominus holocausta & victimas, & non potius ut obediatur voci Domini? Melior est enim obedientia quam victima, & auscultare magis quam offerre adipem arietum.*

Psalm. 36, 31. *Os justi meditabitur sapientiam, & lingua ejus loquetur judicium; Lex Dei ejus in corde ipsius.*

Psalm. 49, 7. & seq. *Audi, populus meus, & loquar; Israel, & testificabor tibi, Deus tuus ego sum. Non in sacrificiis tuis arguam te, holocausta autem tua in conspectu meo sunt semper. Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos..... Numquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo? Immola Deo sacrificium Laudis, & redde Altissimo vota tua: & invoca me in die tribulationis; eruam te, & honorificabis me.*

Psalm. 50, 12. & seq. *Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innova in visceribus meis: ne projicias me a facie tua, & spiritum sanctum tuum ne auferas a me. Redde mihi latitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me.*

Psalm. 103, 30. *Emitte spiritum tuum, & creabuntur, & renovabis faciem terræ.*

Psalm. 110, 6. & seq. *Memor erit in seculum Testamenti sui..... Fidelia omnia mandata ejus, confirmata in seculum seculi, facta in veritate & æquitate. Redemptionem misit populo suo: mandavit in æternum Testamentum suum.*

Psalm. 142, 10. *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.*

Isa. 1, 14. & seq. *Calendas vestras & solennitates vestras odivit anima mea; facta sunt mihi molesta, laboravi sustinens. Et cum extenderitis manus vestras, avertam oculos meos a vobis, & cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam; manus enim vestræ sanguine plenæ sunt. Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis; quiescite agere perverse, discite benefacere, quærite judicium, subvenite oppresso, judicate*

MAtth. 3, 11. *Ego quidem baptizo vos in aqua in pœnitentiam: qui autem post me venturus est, fortior me est, cujus non sum dignus calceamenta portare; ipse baptizabit vos in Spiritu sancto & igni.* Et Marc. 1, 8. Luc. 3, 16. Act. 11, 16.

Matth. 10, 20. *Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Et Marc. 13, 11. Luc. 12, 12.

Luc. 1, 15. & seq. *Et Spiritu sancto replebitur* (Johannes) *adhuc ex utero matris suæ; & ipse præcedet ante illum in Spiritu & virtute Eliæ, ut convertat corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam justorum, parare Domino plebem perfectam.*

Luc. 11, 13. *Si ergo vos cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester de cœlo dabit spiritum bonum petentibus se?*

Joh. 3, 5. & seq. *Respondit Jesus, Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei. Quod natum est ex carne, caro est: & quod natum est ex Spiritu, Spiritus est. Non mireris quia dixi tibi, oportet vos nasci denuo. Spiritus ubi vult spirat, & vocem ejus audis, sed nescis unde veniat, aut quo vadat: sic est omnis qui natus est ex Spiritu.*

Joh. 4, 23. *Sed venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & veritate.*

Joh. 6, 64. *Spiritus est qui vivificat: caro non prodest quicquam. Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt.*

Joh. 7, 39. *Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum; nondum erat enim Spiritus datus, qui Jesus nondum erat glorificatus.*

Joh. 14, 16. & seq. *Et ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum; vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit..... Hæc locutus sum vobis, apud vos manens, Paraclitus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis.*

Digitized by Google

pupillo, defendite viduam. Et venite, & arguite me, dicit Dominus: si fuerint peccata vestra, ut coccinum, quasi nix dealbabuntur; si fuerint rubra quasi vermiculus; velut lana alba erunt. Et Mich. 6, 6. & seq.

Isa. 44, 2. 3. *Noli timere, serve meus Jacob, & rectissime, quem elegi: effundam enim aquas super sitientem, & fluenta super aridam: effundam spiritum meum super semen tuum, & benedictionem meam super stirpem tuam.*

Isa. 51, 7. *Audite me, qui scitis justum, populus meus; lex mea in corde eorum.*

Isa. 57, 15. *Quia hac dicit Excelsus & sublimis habitans æternitatem, & sanctum nomen ejus in excelso, & in sancto habitans, & cum contrito & humili spiritu, ut vivificet spiritum humilium, & vivificet cor contritorum.*

Isa. 58, 5. & seq. *Numquid tale est jejunium quod elegi, per diem affligere animam suam? numquid contorquere quasi circulum caput suum, & saccum, & cinerem sternere? numquid istud vocabis jejunium, & diem acceptabilem Domino? nonne hoc est magis jejunium quod elegi? dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes, dimitte eos qui confracti sunt liberos, & omne onus dirumpe: frange esurienti panem tuum; & egenos, vagosque induc in domum tuam; cum videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne despexeris. Tunc erumpet quasi mane lumen tuum, & sanitas tua citius orietur, & anteibit faciem tuam justitia tua, & gloria Domini colliget te: tunc invocabis, & Dominus exaudiet: clamabis, & dicet, Ecce adsum: si abstuleris de medio tui catenam, & desieris extendere digitum, & loqui quod non prodest. Cum effuderis esurienti animam tuam, & animam afflictam repleveris, orietur in tenebris lux tua, & tenebræ tuæ erunt sicut meridies, & requiem tibi dabit Dominus semper, & implebit splendoribus animam tuam.*

Isa. 61, 1. & seq. *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me, ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, & prædicarem captivis indulgentiam, & clausis apertionem, ut prædicarem annum placabilem Domino, & diem ultionis Deo nostro, ut consolarer omnes lugentes, ut ponerem lugentibus Sion, & darem eis coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris.*

Joh. 15, 26. *Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me.*

Joh. 16, 7. & seq. *Expedit vobis, ut ego vadam; si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos..... Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem, non enim loquetur a semetipso; sed quæcunque audit, loquetur; & quæ ventura sunt, annuntiabit vobis.*

Act. 1, 5. 8. *Quia Johannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto, non post multos hos dies..... accipietis virtutem supervenientis Spiritus sancti in vos.*

Act. 2, 2. & seq. *Et factus est repente de cælo sonus, tanquam advenientis de cælo spiritus vehementis, & replevit totam domum, ubi erant sedentes..... & repleti sunt omnes Spiritu sancto, & cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis..... Sed hoc est, quod dictum est per Prophetam Joel, Et erit in novissimis diebus, dicit Dominus, effundam de spiritu meo super omnem carnem..... Et quidem super servos meos, & super ancillas meas, in diebus illis effundam de Spiritu meo..... Hunc Jesum resuscitavit Deus, cujus omnes nos testes sumus. Dextera igitur Dei exaltatus, & promissione Spiritus sancti accepta a Patre, effudit hunc quem vos videtis & auditis... Petrus vero ad illos, Pœnitentiam, inquit, agite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum, & accipietis donum Spiritus sancti.*

Act. 4, 31. *Et cum orassent, motus est locus, in quo erant congregati, & repleti sunt omnes Spiritu sancto, & loquebantur verbum Dei cum fiducia.*

Act. 6, 3. *Considerate ergo, Fratres, viros ex vobis boni testimonii septem, plenos Spiritu sancto, & sapientia, quos constituamus super hoc opus.*

Act. 7, 55. *Cum autem esset plenus Spiritu sancto* (Stephanus) *intendens in cælum vidit gloriam Dei.*

Act. 8, 15. & seq. *Qui cum venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum sanctum: nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini*

Digitized by Google

Jerem. 4, 4. *Circumcidimini Domino, & auferte præputia cordium veſtrorum, viri Juda, & habitatores Jeruſalem.*

Jerem. 9, 25. 26. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & viſitabo ſuper omnem qui circumciſum habet præputium, ſuper Ægyptum, & ſuper Juda, & ſuper Edom, & ſuper filios Ammon, & ſuper Moab, & ſuper omnes qui attonſi ſunt in comam, habitantes in deſerto; quia omnes gentes habent præputium; omnis autem domus Iſrael incircumciſi ſunt corde.*

Jerem. 24, 7. *Et dabo eis cor, ut ſciant me, quia ego ſum Dominus, & erunt mihi in populum, & ego ero eis in Deum, quia revertentur ad me in toto corde ſuo.*

Jerem. 31, 31. & ſeq. *Ecce dies venient, dicit Dominus, & feriam domui Iſrael, & domui Juda fœdus novum, non ſecundum pactum quod pepigi cum patribus eorum, in die qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Ægypti; pactum quod irritum fecerunt, & ego dominatus ſum eorum, dicit Dominus. Sed hoc erit pactum quod feriam cum domo Iſrael poſt dies illos, dicit Dominus; dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam, & ero eis in Deum, & ipſi erant mihi in populum. Et non docebit ultra vir proximum ſuum, & vir fratrem ſuum, dicens, Cognoſce Dominum; omnes enim cognoſcent me a minimo eorum usque ad maximum, ait Dominus: quia propitiabor iniquitati eorum, & peccati eorum non memorabor amplius.*

Jerem. 32, 38. & ſeq. *Et erunt mihi in populum, & ego ero eis in Deum: & dabo eis cor unum, & viam unam, ut timeant me univerſis diebus, & bene ſit eis, & filiis eorum poſt eos: & feriam eis pactum ſempiternum, & non deſinam eis benefacere, & timorem meum dabo in corde eorum, ut non recedant a me.*

Bar. 2, 35. *Et ſtatuam illis Teſtamentum alterum ſempiternum.*

Ezech. 11, 19. *Et dabo eis cor unum, & ſpiritum novum tribuam in viſceribus eorum, & auferam cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum, ut in præceptis meis ambulent, & judicia mea cuſtodiant, faciantque ea, & ſint mihi in populum, & ego ſim eis in Deum.* Et Ezech. 36, 26. 27.

Domini Jeſu. Tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum ſanctum. Cum vidiſſet autem Simon, quia per impoſitionem manus Apoſtolorum daretur Spiritus ſanctus, obtulit eis pecuniam, dicens, Date & mihi hanc poteſtatem, ut cuicunque impoſuero manus, accipiat Spiritum ſanctum. Petrus autem dixit ad eum, Pecunia tua tecum ſit in perditionem, quoniam donum Dei exiſtimaſti pecunia poſſideri.

Act. 9, 17. 31. *Et abiit Ananias, & introivit in domum, & imponens ei manus dixit, Saule frater Dominus miſit me Jeſus, qui apparuit tibi in via, qua veniebas, ut videas, & implearis Spiritu ſancto ..... Eccleſia quidem per totam Judæam, & Galilæam, & Samariam, habebat pacem, & ædificabatur ambulans in timore Domini, & conſolatione Sancti Spiritus replebatur.*

Act. 10, 44. & ſeq. *Adhuc loquente Petro verba hæc, cecidit Spiritus ſanctus ſuper omnes, qui audiebant verbum, & obſtupuerunt ex circumciſione fideles, qui venerant cum Petro, quia & in nationes gratia Spiritus ſancti effuſa eſt.*

Act. 11, 15. & ſeq. *Cum autem cœpiſſem loqui, cecidit Spiritus ſanctus ſuper eos, ſicut & in nos in initio. Recordatus ſum autem verbi Domini, ſicut dicebat, Johannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu ſancto ..... Et miſerunt Barnabam ..... qui erat vir bonus, & plenus Spiritu ſancto & fide.*

Act. 13, 9. & ſeq. *Saulus autem, qui & Paulus, repletus Spiritus ſancto, intuens in eum dixit, O plene omni dolo ..... Diſcipuli quoque replebantur gaudio & Spiritu ſancto.*

Act. 15, 8. 28. *Et qui novit corda Deus, teſtimonium perhibuit, dans illis* (Gentibus) *Spiritum ſanctum, ſicut & nobis ... Viſum eſt enim Spiritui ſancto & nobis, nihil ultra vobis imponere oneris, quam hæc neceſſaria.*

Act. 16, 6. *Tranſeuntes autem Phrygiam, & Galatiæ regionem, vetati ſunt a Spiritu ſancto loqui verbum Dei in Aſia.*

Act. 19, 2. & ſeq. *Dixitque ad eos, Si Spiritum ſanctum accepiſtis credentes? ... Et cum impoſuiſſet illis manus Paulus, venit Spiritus ſuper eos.*

Act. 20, 22. 23. *Et nunc ecce alligatus ego ſpiritu, vado in Jeruſalem, quæ in ea ventura ſint mihi ignorans, niſi quod Spiritus ſanctus*

per

Digitized by Google

Ezech. 18, 31. *Projicite a vobis omnes prævaricationes vestras, in quibus prævaricati estis, & facite vobis cor novum, & spiritum novum.*

Ezech. 39, 29. *Et non abscondam ultra faciem meam ab eis, eo quod effuderim spiritum meum super omnem domum Israel, ait Dominus Deus.*

Ose. 6, 6. *Quia misericordiam volui, & non sacrificium, & scientiam Dei plus quam holocausta.*

Joel. 2, 12. & seq. *Nunc ergo, dicit Dominus, Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, & in fletu, & in planctu. Et scindite corda vestra, & non vestimenta vestra; & convertimini ad Dominum Deum vestrum..... Et erit post hæc, effundam Spiritum meum super omnem carnem, & prophetabunt filii vestri, & filiæ vestræ: senes vestri somnia somniabunt, & juvenes vestri visiones videbunt. Sed & super servos meos & ancillas in diebus illis effundam Spiritum meum.*

Zach. 12, 10. *Et effundam super domum David, & super habitatores Jerusalem, spiritum gratiæ & precum.*

Malach. 1, 10, 11. *Quis est in vobis qui claudat ostia, & incedat altare meum gratuito? Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim Solis usque in occasum, magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum.*

per omnes civitates mihi protestatur dicens, quoniam vincula & tribulationes Jerosolymis me manent.

Rom. 1, 4. *Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute secundum spiritum sanctificationis.*

Rom. 2, 28. 29. *Non enim qui in manifesto, Judæus est: neque quæ in manifesto, in carne, est circumcisio: sed qui in abscondito, Judæus est; & circumcisio cordis in spiritu, non litera, cujus laus non ex hominibus, sed ex Deo est.*

Rom. 5, 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.*

Rom. 7, 6. 14. *Nunc autem soluti sumus a lege mortis, in qua detinebamur, ita ut serviamus in novitate spiritus, & non in vetustate literæ..... Scimus enim quia lex spiritualis est.*

Rom. 8, 2. & seq. *Lex enim spiritus vitæ in Christo Jesu liberavit me a lege peccati & mortis..... Ut justificatio Legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum..... nam prudentia carnis, mors est; prudentia autem spiritus, vita & pax..... Vos autem in carne non estis, sed in spiritu, si tamen spiritus Dei habitat in vobis..... Quod si spiritus ejus, qui suscitavit Jesum a mortuis, habitat in vobis; qui suscitavit Jesum Christum a mortuis, vivificabit & mortalia corda vestra, propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis. Ergo, Fratres, debitores sumus, non carni, ut secundum carnem vivamus: si enim secundum carnem vixeritis, moriemini; si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. Quicunque enim Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei. Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore; sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, (Pater,) Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei.*

Rom. 14, 17. *Non est enim regnum Dei, esca & potus: sed justitia, & pax, & gaudium in Spiritu sancto.*

Rom. 15, 13. *Deus autem spei repleat vos omni gaudio, & pace in credendo, ut abundetis in spe, & virtutis Spiritus sancti.* Et 15, 19.

1. Cor. 2, 12. & seq. *Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est, ut sciamus, quæ a Deo donata sunt nobis, quæ & loquimur, non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina spiritus, spiritualibus spiritualia comparantes. Animalis autem homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei: stultitia enim est illi, & non potest intelligere, quia spiritualiter examinatur. Spiritualis autem judicat omnia, & ipse a nemine judicatur.*

1. Cor. 3, 16. *Nescitis quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis?*

1. Cor. 6, 11. *Et hæc quidem fuistis: sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi, & in Spiritu Dei nostri.*

1. Cor. 9, 11. *Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus?*

1. Cor. 10,

Digitized by Google

1. Cor. 10, 1. & seq. *Nolo enim vos ignorare, Fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes in Moyse baptizati sunt, in nube, & in mari, & omnes eamdem escam spiritalem manducaverunt, & omnes eumdem potum spiritalem biberunt (bibebant autem de spirituali consequente eos petra; petra autem erat Christus.)*

1. Cor. 12, 13. *Etenim in uno spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Judæi, sive Gentiles, sive servi, sive liberi, & omnes in uno spiritu potati sumus.*

1. Cor. 14, 1. *Sectamini charitatem, æmulamini spiritalia.*

1. Cor. 15, 45. *Factus est primus homo Adam, in animam viventem; novissimus Adam, in spiritum vivificantem. Sed non prius quod spiritale est, sed quod animale, deinde quod spiritale. Primus homo de terra, terrenus; secundus homo de cœlo, cœlestis. Qualis terrenus, tales & terreni; & qualis cœlestis, tales & cœlestes. Igitur sicut portavimus imaginem terreni, portemus & imaginem cœlestis. Hoc autem dico, Fratres, quia caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt, neque corruptio incorruptelam possidebit.*

2. Cor. 2, 21. 22. *Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo, & qui unxit nos Deus, qui & signavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.*

2. Cor. 3, 6. *Epistola estis Christi, ministrata a nobis, & scripta, non atramento sed Spiritu Dei vivi..... qui & idoneos nos fecit ministros Novi Testamenti, non litera, sed spiritu: litera enim occidit, spiritus autem vivificat.*

2. Cor. 5, 5. *Deus qui dedit nobis pignus Spiritus.*

Gal. 3, 2. 5. *Hoc solum a vobis volo discere: ex operibus legis Spiritum recepistis, an ex auditu fidei? ..... Qui ergo tribuit vobis Spiritum, & operatur virtutes in vobis, ex operibus Legis, an ex auditu fidei?*

Gal. 4, 6. *Quoniam autem estis filii, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra, clamantem Abba (Pater.)*

Gal. 5, 16. & seq. *Dico autem, spiritu ambulate, & desideria carnis non perficiatis..... Quod si spiritu ducimini, non estis sub Lege, Manifesta sunt autem opera carnis..... Fructus autem Spiritus est charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas. Adversus hujusmodi non est lex..... Si spiritu vivimus, spiritu & ambulemus.*

Gal. 6, 8. *Quoniam qui seminat in carne sua, de carne & metet corruptionem: qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam.*

Eph. 1, 13. & seq. *In quo (Jesu) & vos cum audissetis verbum veritatis, (Evangelium salutis vestræ) in quo & credentes signati estis Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ, in redemtionem acquisitionis, in laudem gloriæ ipsius..... Non cesso gratias agens pro vobis, memoriam vestri faciens in orationibus meis, ut Deus Domini nostri Jesu Christi, pater gloriæ, det vobis spiritum sapientiæ & revelationis in agnitione ejus.*

Eph. 4, 23. 24. *Renovamini autem spiritu mentis vestræ, & induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia, & sanctitate veritatis.*

Eph. 5, 18. 19. *Et nolite inebriari vino, in quo est luxuria, sed implemini Spiritu sancto, loquentes vobismetipsis in Psalmis, & hymnis, & canticis spiritualibus, cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino.*

Eph. 6, 11. & seq. *Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias Diaboli, quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem, sed adversus Principes & Potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum; contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus. Præterea accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare. State ergo succincti lumbos vestros in veritate, & induti loricam justitiæ, & calceati pedes in præparatione evangelii pacis, in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere; & galeam salutis assumite, & gladium spiritus, quod est verbum Dei, per omnem orationem & obsecrationem orantes omni tempore in spiritu.*

Phil. 3, 3. *Nos enim sumus circumcisio, qui spiritu servimus Deo, & gloriamur in Christo Jesu, & non in carne fiduciam habentes.*

Col. 2, 11. 12. *In quo & circumcisi estis circumcisione, non manu facta, in expoliatione*

Digitized by Google

corporis carnis, sed in circumcisione Christi, consepulti ei in baptismo, in quo & resurrexistis per fidem operationis Dei, qui suscitabit illum a mortuis.

Col. 3, 9. & seq. *Nolite mentiri invicem, expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes novum eum, qui renovatur in agnitionem, secundum imaginem ejus, qui creavit illum; ubi non est Gentilis & Judæus, circumcisio & præputium, Barbarus & Scytha, servus & liber; sed omnia & in omnibus Christus. Induite vos ergo sicut electi Dei, sancti & dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, prudentiam.*

1. Thess. 1, 5. *Evangelium nostrum non fuit ad vos in sermone tantum, sed & in virtute, & Spiritu sancto.*

Tit. 3, 4. 5. *Cum autem benignitas & humanitas apparuit Salvatoris nostri Dei; non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit, per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abunde per Jesum Christum Salvatorem nostrum.*

Ebr. 8, 6. & seq. *Nunc autem melius sortitus est ministerium, quanto & melioris Testamenti mediator est, quod in melioribus repromissionibus sancitum est. Nam si illud prius culpa vacasset, non utique secundi locus inquireretur. Vituperans enim eos dicit, Ecce dies venient, dicit Dominus, & consummabo super domum Israel, & super domum Juda Testamentum Novum; non secundum Testamentum, quod feci patribus eorum, in die qua apprehendi manum eorum, ut educerem illos de terra Ægypti, quoniam ipsi non permanserunt in Testamento meo, & ego neglexi eos, dicit Dominus. Quia hoc est testamentum, quod disponam domui Israel post dies illos, dicit Dominus; dando leges meas in mentem eorum, & in corde eorum superscribam eas; & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum; & non docebit unusquisque proximum suum, & unusquisque fratrem suum, dicens, Cognosce Dominum, quoniam omnes scient me a minore usque ad majorem eorum, quia propitius ero iniquitatibus eorum, & peccatorum eorum jam non memorabor.*

Ebr. 13, 20. *Deus autem pacis, qui eduxit de mortuis Pastorem magnum ovium, in sanguine Testamenti æterni, Dominum nostrum Jesum Christum.*

Jac. 4, 8. *Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis: emundate manus, peccatores; & purificate corda, duplices animo.*

1. Petr. 2, 5. *Et ipsi tanquam lapides vivi superædificamini, domus spiritualis, sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias, acceptabiles Deo, per Jesum Christum.*

1. Joh. 3, 24. *Et in hoc scimus, quoniam manet in nobis, de Spiritu quem dedit nobis.*

1. Joh. 4, 13. *In hoc cognoscimus, quoniam de Spiritu suo dedit nobis.*

1. Joh. 5, 6. *Et Spiritus est, qui testificatur, quoniam Christus est veritas.*

Jud. 19. 20. *Hi sunt qui segregant semetipsos, animales, spiritum non habentes. Vos autem, Charissimi, superædificantes vosmetipsos sanctissimæ vestræ fidei, in Spiritu sancto orantes; vosmetipsos in dilectione Dei servantes.*

CAPUT CIX.

Jesu regnum spirituale & æternum.

PSalm. 2, 6. & seq. *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, prædicans præceptum ejus. Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te: postula a me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos.*

Psalm. 44, 7. *Sedes tua, Deus, in seculum seculi, virga directionis virga regni tui.*

Psalm. 71, 1. & seq. *Deus judicium tuum Regi da, & justitiam tuam filio Regis: judicare*

MAtth. 25, 31. & seq. *Cum autem venerit Filius hominis in majestate sua, & omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ ..... Tunc dicet Rex his, qui a dextris ejus erunt, Venite, benedicti Patris mei.*

Matth. 28, 18. *Et accedens Jesus locutus est eis, dicens, Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.*

Luc. 1, 32. 33. *Hic erit magnus, & Filius Altissimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus sedem David Patris ejus, & regnabit in*

domo

Digitized by Google

populum tuum in justitia, & pauperes tuos in judicio ..... Judicabit pauperes populi, & salvos faciet filios pauperum, & humiliabit calumniatorem: & permanebit cum Sole, & ante Lunam, in generatione & generationem ..... & dominabitur a mari usque ad mare, & a flumine usque ad terminos orbis terrarum .... Et adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes servient ei ..... Et benedicentur in ipso omnes tribus terræ, omnes gentes magnificabunt eum.

Psalm. 109, 1. & seq. *Dixit Dominus Domino meo, Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion; dominare in medio inimicorum tuorum. Tecum principium in die virtutis tuæ, in splendoribus sanctorum; ex utero ante Luciferum genui te.*

Isa. 9, 6. 7. *Parvulus enim natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum ejus, & vocabitur nomen ejus, Admirabilis, consiliarius, Deus fortis, pater futuri seculi, princeps pacis: multiplicabitur ejus imperium, & pacis non erit finis; super solium David & super regnum ejus sedebit, ut confirmet illud & corroboret in judicio & justitia, a modo & usque in sempiternum.*

Isa. 11, 1. & seq. *Et egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet, & requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilii & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & replebit eum spiritus timoris Domini. Non secundum visionem oculorum judicabit, neque secundum auditum auris arguet: sed judicabit in justitia pauperes, & arguet in æquitate pro mansuetis terræ; & percutiet terram virga oris sui, & spiritu labiorum suorum interficiet impium. Et erit justitia cingulum lumborum ejus, & fides cinctorium renum ejus. Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hœdo accubabit; vitulus, & leo, & ovis simul morabuntur, & puer parvulus minabit eos. Vitulus & ursus pascentur; simul requiescent catuli eorum, & leo quasi bos comedet paleas: & delectabitur infans ab ubere super foramine aspidis, & in caverna reguli, qui ablactatus fuerit manum suam mittet.*

Dan. 2, 44. *In diebus autem regnorum illorum, suscitabit Deus cœli regnum, quod in æternum non dissipabitur, & regnum ejus domo Jacob in æternum: & regni ejus non erit finis.*

Luc. 22, 29. 30. *Et ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus, regnum, ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo.*

Joh. 14, 27. *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis; non quomodo mundus dat, ego do vobis.*

Joh. 18, 36. *Respondit Jesus, Regnum meum non est de hoc mundo: si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent, ut non traderer Judæis: nunc autem regnum meum non est hinc.*

1. Cor. 15, 24. 25. *Deinde finis, cum tradiderit regnum Deo & Patri, cum evacuaverit omnem Principatum, & Potestatem, & Virtutem. Oportet autem illum regnare, donec ponat inimicos sub pedibus ejus.*

Eph. 1, 9. & seq. *Secundum operationem potentiæ virtutis ejus, quam operatus est in Christo, suscitans illum a mortuis, & constituens ad dexteram suam in cœlestibus supra omnem Principatum, & Potestatem, & Virtutem, & Dominationem, & omne nomen quod nominatur, non solum in hoc seculo, sed etiam in futuro, & omnia subjecit sub pedibus ejus, & ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam.*

Eph. 5, 5. *Hoc enim scitote, intelligentes, quod omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod est idolorum servitus, non habet hæreditatem in regno Christi & Dei.*

Phil. 2, 9. & seq. *Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen; ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum; & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris.*

Col. 1, 12. 13. *Gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum, in lumine; qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum Filii dilectionis suæ.*

2. Tim. 4, 1. *Testificor coram Deo, & Jesu Christo, qui judicaturus est vivos & mortuos; per adventum ipsius, & regnum ejus.*

Ebr. 1, 3. & seq. *Qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus, portansque omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens sedet ad dextram majestatis in excelsis....*

Digitized by Google

alteri populo non tradetur: comminuet autem & consumet universa regna hæc, & ipsum stabit in æternum.

Dan. 7, 13. 14. *Aspiciebam ergo in visione noctis, & ecce cum nubibus cœli quasi Filius hominis veniebat, & usque ad Antiquum dierum pervenit, & in conspectu ejus obtulerunt eum. Et dedit ei potestatem, & honorem, & regnum, & omnes populi, tribus, & linguæ ipsi servient: potestas ejus, potestas æterna, quæ non auferetur, & regnum ejus, quod non corrumpetur.*

Ose. 1, 7. *Et domui Juda miserebor, & salvabo eos in Domino Deo suo; & non salvabo eos in arcu, & gladio, & in bello, & in equis, & in equitibus.*

Mich. 4, 7. 8. *Regnabit Dominus super eos in monte Sion, ex hoc nunc & usque in æternum. Et tu, turris gregis, nebulosa filia Sion, usque ad te veniet; & veniet potestas prima, regnum filiæ Jerusalem.*

Zach. 9, 9. *Exulta satis, filia Sion; jubila, filia Jerusalem: ecce rex tuus veniet tibi justus & Salvator; ipse pauper & ascendens super asinam, & super pullum filium asinæ.*

eelsis .... Ad filium autem, Thronus tuus, Deus, in seculum seculi, virga æquitatis, virga regni tui. Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem; propterea unxit te, Deus, Deus tuus, oleo exultationis præ participibus tuis.

2. Petr. 1, 11. *Sic enim abundanter ministrabitur vobis introitus in æternum regnum Domini nostri & Salvatoris Jesu Christi.*

Apoc. 3, 21. *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut & ego vici, & sedi cum Patre meo in throno ejus.*

Apoc. 11, 15. *Et septimus Angelus tuba cecinit, & facta sunt voces magnæ in cœlo, dicentes, Factum est regnum hujus mundi Domini nostri, & Christi ejus, & regnabit in secula seculorum Amen.*

Apoc. 12, 5. 10. *Et peperit filium masculum, qui recturus erat omnes gentes in virga ferrea: & raptus est Filius ejus ad Deum, & ad thronum ejus ..... Et audivi vocem in cœlo dicentem, Nunc facta est salus, & virtus, & regnum Dei nostri, & potestas Christi ejus.*

Apoc. 14, 14. *Et vidi, & ecce nubem candidam, & super nubem sedentem similem Filio hominis, habentem in capite suo coronam auream.*

Apoc. 17, 14. *Hi cum Agno pugnabunt, & Agnus vincet illos, quoniam Dominus Dominorum est, & Rex Regum.*

Apoc. 19, 11. 12. *Et vidi cœlum apertum; & ecce equus albus, & qui sedebat super eum, vocabatur Fidelis & verax, & cum justitia judicat & pugnat: oculi autem ejus sicut flamma ignis, & in capite ejus diademata multa.*

Non Christianismus, sed Mosaice quoque legis summa, in pietate erga Deum, & amore posita est.

IN Judæorum animis falsa hæc & perversa hæserat opinio, ut proxime a nobis dictum est, religionis suæ summam in externis quibusdam ceremoniarum & sacrificiorum ritibus esse positam; ex quorum observatione maxima præmia, egregiumque pietatis fructum laturos se arbitrabantur. Cum sincera ac intima erga Deum pietate & amore tota contineretur religio, & ad universum hominum genus Lex illa ac Legis fructus pertineret; non ad eos solum, qui ab Abrahamo, Isaaco & Jacobo ortus sui originem repetebant. Id agnoscebat Isaias, cum Israeliticæ totius gentis nomine apud Deum profiteretur, haudquaquam in Abrahamica illa stirpe, sed in uno Deo spes suas esse
Isa. 63, 16. repositas. *Tu enim*, ajebat, *pater noster, & Abraham nescivit nos, & Israel ignoravit nos; tu, Domine, pater noster, redemtor noster.* Deus ipse homines, non ex natalibus, sed ex pietate spectare se, nec προσωπολήπτην (*acceptorem personarum*) esse denuntiat. *Dominus Deus noster*, inquit Moses, *ipse est* Deut. 10, *Deus Deorum, & Dominus dominantium,* 16. & seq. *Deus magnus, & potens, & terribilis, qui personam non accipit, nec munera: facit judicium pupillo & viduæ, amat peregrinum, & dat ei victum atque vestitum.* Fervebatur olim dictum illud tanquam a Mose per traditionem propagatum: οὔτε περιτομή τί ἐστιν, οὔτε ἀκροβυστία, ἀλλὰ καινὴ κτίσις. *Neque circumcisio est aliquid, neque præputium, sed nova creatura.* Sic ipse Deus apud Isaiam: *Et non* Isa. 56, 3. *dicat filius advenæ, qui adhæret Domino,* & seq. *dicens: Separatione dividet me Dominus a populo suo..... Filios advenæ, qui adhærent Domino, ut colant eum, & diligant nomen ejus, ut sint eis in servos, omnem custodientem sabbathum, ne polluat illud, & tenentem fœdus meum, adducam eos in montem sanctum meum,*

meum, & lætificabo eos in domo orationis meæ; holocausta eorum, & victimæ eorum placebunt mihi super altari meo, quia domus mea domus orationis vocabitur cunctis populis. Israelitis, si Dei mandata spreverint, idem ac Gentibus minatur exitium. *Sicut gentes,* Deut.8,20. inquit Moses, *quas delevit Dominus in introitu tuo, ita & vos peribitis, si inobedientes fueritis voci Domini Dei vestri.* Quod cum facturos prævidisset Deus, sacrificia eorum repudiat, exhibendum vero sibi ab Ethnicis cultum Mal.1,10.11. probat apud Malachiam: *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra: ab ortu enim Solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus.* Alibi facturum se nova spondet, obliteratis Isa.43,18.19 & 65, 17. prioribus, Arca Testamenti neglecta, exciso Jerem.3,16. & 7, 12. & seq. Templo, abrogato Aaronis sacerdotio, soluto Psal.109, 4. prisco fœdere, novo icto, nova condita Hie- Jerem.31,31. rosolyma, novisque inductis colonis; Israe- Isa. 65, 17. litis rege, principe, sacrificio, & Arca caren- Ose. 3, 4. tibus. Frustra ergo Abrahamicam originem, Jer.7,22.23. sancita Deum inter & Abrahamum fœdera, & Dei promissa jactabant Israelitæ, in iisque spem collocabant suam; quæ ea lege data erant, si Deum non externo cultu, sed vere & ex animo revererentur & diligerent. *Non sum locutus,* inquit Deus apud Jeremiam, *cum patribus vestris, & non præcepi eis in die, qua eduxi eos de terra Ægypti, de verbo holocautomatum & victimarum; sed hoc verbum præcepi eis dicens, Audite vocem meam, & ero vobis Deus, & vos eritis mihi populus; & ambulate in omni via, quam mandavi vobis, ut* Deut. 6, 5. *bene sit vobis.* Et in Deuteronomio: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua. Eruntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi* Deut.10,12. *hodie, in corde tuo.* Item: *Et nunc, Israel, quid Dominus Deus tuus petit a te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum, & ambules in viis ejus, & diligas eum, ac servias Domino Deo tuo, in toto corde tuo, & in tota anima* Deut. 11, 13. 22. *tua?* Aliis libri ejusdem locis pietatis hujus & amoris erga Deum amplissima proponit præmia, uberrimos terræ fructus, & hostium Deut. 12, 3. interitum. Et postmodum: *Tentat vos Dominus Deus vester, ut palam fiat, utrum diligatis eum, an non, in toto corde, & in tota* Jos. 23, 11. *anima vestra.* Et in libro Josue: *Hoc tantum diligentissime præcavete, ut diligatis Dominum Deum vestrum.* Et alio loco: *Testes invoco* Deut.30,19. *hodie cœlum & terram, quod proposuerint in vobis vitam & mortem, benedictionem & maledictionem. Elige ergo vitam, ut & tu vivas & semen tuum, & diligas Dominum Deum tuum, atque obedias voci ejus, & illi adhæreas, (ipse est enim vita tua, & longitudo dierum tuorum) ut habites in terra, pro qua juravit Dominus patribus tuis, Abraham, Isaac, & Jacob, ut daret eam illis.* Samuel quoque: 1.Reg.15,22. *Numquid vult Dominus holocausta & victimas, & non potius ut obediatur voci Domini? melior est enim obedientia, quam victima, & auscultare magis, quam offerre adipem arietum.* Et David: *Quoniam si voluisses sacrificium,* Ps.50,18.19. *dedissem utique: holocaustis non delectaberis. Sacrificium Deo, spiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum, Deus, non despicies.* Unde istud expressit Porphyrius in libro secundo περὶ ἀποχῆς ἐμψύχων, veritatis sibi conscius: θεοῖς δὲ ἁγίστη μὲν καταρχὴ, νοῦς καθαρὸς καὶ ψυχὴ ἀκραιφνὴς *Optima enim & Diis acceptissima libatio est, mens pura, & animus affectibus vacuus.* In præcedente Psalmo sic Deus inducitur loquens: *Non in sacrificiis* Psal. 49, 8. *tuis arguam te; holocausta autem tua in con-* & seq. *spectu meo sunt semper ..... Numquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo? Immola Deo sacrificium laudis, & redde Altissimo vota tua.* Et apud Oseam: *Misericordiam volui, & non sacrificium; &* Ose. 6, 6. *scientiam Dei plusquam holocausta.* In memoriam ista me revocant celebris oraculi a Jove Ammone Athenienſibus editi, a Platone Plat. Alcib. 2. vero literis consignati, cum quærerent, quamobrem sua gens, magnificentissimis sacrificiis Deos placare solita, a Lacedæmoniis, circa Deorum cultum perparcis & socordibus, tam sæpe vincerentur. Respondit Ammon malle se Lacedæmoniorum εὐφημίαν, sinceras videlicet & pias precationes, quam omnia Græcorum sacrificia. Jam tum nempe permanaverat ad Ammonios doctrina hæc, in sacris Ebræorum libris frequenter tradita. Luculenta Davidis Kimchi, egregii inter suos Magistri, sententia reliquis ipsius congerronibus documento esse potest, quo pertinerent instituta a Mose sacrificia. Is in suis Psalmi quinquagesimi explanationibus diserte docet, non ad aliud spectare sacrificiorum institutionem, quam ad cordis contundendam duritiem; & per exustionem adipis nos moneri de rese-

Digitized by Google

candis corporis voluptatibus & animi cupiditatibus elidendis. Acceptissimam esse Deo circumcisionem cordis declarat Moses:
Deut. 10, 16. *Circumcidite igitur præputium cordis vestri.*
Jerem. 4, 4. Declarat Jeremias: *Circumcidimini Domino, & auferte præputia cordium vestrorum, viri Juda, & habitatores Jerusalem.* Circumcisione cordis cupiditatum resectio signatur, quam cum negligerent Israelitæ, cervicosa gens & refractaria, contumaciam hanc cum eis expostulat Deus alio apud Jeremiam loco:
Jer. 9, 24. & seq. *Sed in hoc glorietur qui gloriatur, scire & nosse me, quia ego sum Dominus, qui facio misericordiam, & judicium, & justitiam in terra; hæc enim placent mihi, ait Dominus. Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & visitabo super omnem, qui circumcisum habet præputium; super Ægyptum, & super Juda, & super Edom, & super filios Ammon, & super Moab, & super omnes, qui attonsi sunt in comam, habitantes in deserto: quia omnes gentes habent præputium, omnis autem Israel incircumcisi sunt corde.* Nullam se circumcisionis hujus corporeæ rationem habiturum, & in Israelitas corpore circumcisos, cor incircumcisos animadversurum denuntiat. Quin & sanctæ illius & πνευματικῆς (*spiritalis*) circumcisionis ministrum fore Deum ipsum pollicetur Moses in Deuteronomio:
Deut. 30, 6. *Circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum, & cor seminis tui, ut diligas Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & in tota anima tua, ut possis vivere.* Detractis enim variis cupiditatibus, purgatus animus ad amorem Dei se convertet.
Jer. 31, 31. & seq. *Sed hoc erit pactum,* inquit Dominus apud Jeremiam, *quod feriam cum domo Israel post dies illos, dicit Dominus; dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam; & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum.* Quorsum vero isthæc? nempe ut appareat, totum ceremoniarum Judaicarum apparatum solidam animi pietatem respexisse, ac veterem Legem vere fuisse spiritualem. Quod cum parum perspexissent Israelitæ, Israelitarumque omnium peritissimi, uti sibi quidem videbantur, & acutissimi Pharisæi, miserabiliter lapsi sunt. Itaque gravissime eos increpabat Christus Jesus:
Marc. 7, 6. & seq. *Bene prophetavit Isaias de vobis hypocritis, sicut scriptum est, Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me; in vanum autem me colunt, docentes doctrinas & præcepta hominum: relinquentes enim mandatum, tenetis traditionem hominum, baptismata urceorum & calicum, & alia similia his facitis multa.* Isaiæ verbis ipsos coarguit, unde agnoscas eumdem fuisse priscorum & recentiorum Judæorum errorem, eamdem quoque Isaiæ ac Christi Jesu doctrinam; & legem utramque, veterem & novam, vere spiritualem fuisse. *Finis præcepti,* inquit Paulus in priore ad Timotheum,
1. Tim. 1, 5. & seq. *est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta: a quibus quidam aberrantes, conversi sunt in vaniloquium, volentes esse Legis doctores, non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant. Scimus autem quia bona est Lex, si quis ea legitime utatur; sciens hoc, quia lex justo non est posita, sed injustis.* Nobilitate quoque generis feroces Judæos, & Abrahamo patre superbientes sic Johannes castigabat:
Matth. 3, 9. *Ne velitis dicere intra vos, Patrem habemus Abraham; dico enim vobis, quoniam potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.* Alibi vero filium Abrahami esse docet
Joh. 8, 53. & seq. Jesum, qui Abrahami pietatem ac virtutem factis in se expresseriti proborum hominum patrem esse Deum; flagitiosos ac sceleatos, quales ipsi erant, Diabolo patre esse prognatos. Cum ergo Judæorum animis inolitum errorem eximere volens Christus, eos commonefaceret, non in Mosaicæ Legis cortice hærendum esse, sed ad interiora penetrandum quibus animi ad pietatem colendam, Deumque amandum informantur, eumdem hunc Legi utriusque propositum fuisse finem perspicuum est; quo nempe emendatis hominum moribus, salubri doctrina mentibus imbutis, & in obsequium suum subactis, cœlestis eas gratiæ donis Deus instrueret, ac æternis demum præmiis remuneraret: & spirituali suæ legi obsecutos, regni sui spiritualis faceret participes.

CAPUT CX.

Jesus asina pullo comitata vectus Hierosolymam intrat.

GEn. 49, 10. 11. *Non auferetur sceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec*

MAtth. 21, 2. & seq. *Tunc Jesus misit duos Discipulos, dicens eis, Ite in castellum quod*

Digitized by Google

veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium. Ligans ad vineam pullum suum, & ad vitem, o fili mi, asinam suam.

Zach. 9, 9. *Exulta satis, filia Sion; jubila, filia Jerusalem: ecce rex tuus veniet tibi justus & Salvator: ipse pauper, & ascendens super asinam, & super pullum filium asinæ.*

quod contra vos est, & statim invenietis asinam alligatam, & pullum cum ea; solvite, & adducite mihi . . . . . Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est per Prophetam dicentem, Dicite filiæ Sion, Ecce rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam, & pullum filium subjugalis. Euntes autem Discipuli fecerunt, sicut præcepit illis Jesus; & adduxerunt asinam & pullum, & imposuerunt super eos vestimenta sua, & eum desuper sedere fecerunt. Et Marc. 11, 2. & seq. Luc. 19, 29. & seq. Joh. 12, 14. 15.

Alia hic ementita proferunt Muhammedani, sed refelluntur. Isa. 21, 6. 7.

HUc quoque referunt Muhammedani istud Isaiæ: *Hæc enim dixit mihi Dominus, Vade, & pone speculatorem; & quodcumque viderit, annuntiet. Et vidit currum duorum equitum, ascensorem asini, & ascensorem cameli, & contemplatus est diligenter multo intuitu.* Ascensorem asini, Christum Jesum esse volunt; ascensorem cameli, Muhammedum. Cujus interpretationis argumenta nulla habent. Sed & alium locum ex Isaia proferunt, ejusdem rei προλεκτικὸν, (*prænuntium*) qui tamen in ejus Prophetia non comparet: *O populi, certe ego vidi speciem sedentis super asino, vestitum lumine Solis: & vidi insidentem camelo, lux ejus velut lux Lunæ.* Hæc profert Theodoricus Hackspan, ex Epistola Muhammedani cujusdam Romam missa. Hackſp. de usu librorum Rabb. c. 2.

CAPUT CXI.

Jesu Hosanna concinitur.

PSalm. 8, 3. *Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem propter inimicos tuos, ut destruas inimicum & ultorem.*

Psalm. 117, 22. & seq. *Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris. Hæc est dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea. O Domine, salvum me fac; O Domine, bene prosperare; benedictus qui venit in nomine Domini. Benediximus vobis de domo Domini: Deus Dominus, & illuxit nobis. Constituite diem solennem in condensis, usque ad cornu altaris.*

MAtth. 21, 9. & seq. *Turbæ autem quæ præcedebant, & quæ sequebantur, clamabant dicentes, Hosanna filio David: benedictus qui venit in nomine Domini: Hosanna in altissimis . . . . . Videntes autem Principes Sacerdotum & Scribæ mirabilia quæ fecit, & pueros clamantes in Templo, & dicentes, Hosanna filio David, indignati sunt, & dixerunt ei, Audis quæ isti dicunt? Jesus autem dixit eis, Utique numquam legistis, Quia ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem.* Et Marc. 11, 9. 10. Luc. 19, 38. Joh. 12, 13.

CAPUT CXII.

Jesus venditores & emtores Templo ejicit, aliaque in eo miranda opera edit.

PSalm. 68, 9. & seq. *Extraneus factus sum fratribus meis, & peregrinus filiis matris meæ. Quoniam zelus domus tuæ comedit me, & opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me.*

Ezech. 43, 4. *Et majestas Domini ingressa est Templum per viam portæ, quæ respiciebat ad Orientem.*

Agg. 2, 7. & seq. *Quia hæc dicit Dominus exercituum, Adhuc unum modicum est, & ego*

MAtth. 21, 12. & seq. *Et intravit Jesus in Templis Dei, & ejiciebat omnes vendentes & ementes in Templo, & mensas nummulariorum, & cathedras vendentium columbas evertit; & dicit eis, Scriptum est, Domus mea, domus orationis vocabitur, vos autem feciſtis illam speluncam latronum. Videntes autem principes Sacerdotum & Scribæ mirabilia quæ fecit, & pueros clamantes in Templo, & dicentes, Hosanna filio*

commovebo cœlum, & terram, & mare, & aridam. Et movebo omnes gentes, & veniet Desideratus cunctis gentibus; & implebo domum istam gloria, dicit Dominus exercituum. Meum est argentum, & meum est aurum, dicit Dominus exercituum. Magna erit gloria domus istius novissima, plusquam prima, dicit Dominus exercituum: & in loco isto dabo pacem, dicit Dominus exercituum.

Zach. 14, 21. *Non erit mercator ultra in domo Domini in die illo.*

Malach. 3, 1. *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam, & statim veniet ad Templum suum Dominator, quem vos queritis, & Angelus quem vos vultis.*

filio David, indignati sunt. Et Marc. 11, 15. & seq. Luc. 19, 45. 46.

Joh. 2, 13. & seq. *Et prope erat pascha Judæorum, & ascendit Jesus Hierosolymam, & invenit in Templo vendentes boves, & oves, & columbas, & nummularios sedentes. Et cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes ejecit de Templo, oves quoque & boves, & nummulariorum effudit æs, & mensas subvertit. Et his qui columbas vendebant, dixit, Auferte ista hinc, & nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis. Recordati sunt vero Discipuli ejus quia scriptum est, Zelus domus tuæ comedit me.*

CAPUT CXIII.

Jesus hominum vitia reprehendit.

SAp. 2, 12. & seq. *Circumveniamus ergo Justum, quoniam inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris, & improperat nobis peccata Legis, & diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ. Promittit se scientiam Dei habere, & Filium Dei se nominat. Factus est nobis in traductionem cogitationum nostrarum. Gravis est nobis etiam ad videndum, quoniam dissimilis est aliis vita illius, & immutatæ sunt viæ ejus. Tanquam nugaces æstimati sumus ab illo, & abstinet se a viis nostris tanquam ab immunditiis, & præfert novissima justorum, & gloriatur Patrem se habere Deum.*

Isa. 2, 3. 4. *Quia de Sion exibit Lex, & Verbum Domini de Jerusalem. Et judicabit gentes, & arguet populos multos.* Et Mich. 4, 2. 3.

Isa. 11, 1. & seq. *Et egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet. Et requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ & intellectus .... Non secundum visionem oculorum judicabit, neque secundum auditum auribus arguet, sed judicabit in justitia pauperes, & arguet in æquitate pro mansuetis terræ, & percutiet terram virga oris sui, & spiritu labiorum suorum interficiet impium.*

MAtth. 23, 13. & seq. *Væ autem vobis, Scribæ, & Pharisæi hypocritæ, quia clauditis regnum cœlorum ante homines: vos enim non intratis, nec introeuntes sinitis intrare.* Et per totum reliquum caput.

Luc. 11, 29. & seq. *Turbis autem concurrentibus cœpit dicere, Generatio hæc generatio nequam est .... Pharisæus autem cœpit intra se reputans dicere, quare non baptizatus esset ante prandium. Et ait Dominus ad illum, Nunc vos, Pharisæi, quod deforis est calicis & catini, mundatis: quod autem intus est vestrum, plenum est rapina & iniquitate .... Sed væ vobis, Pharisæi, quia decimatis mentham, & rutam, & omne olus, & præteritis judicium & charitatem Dei: hæc autem oportuit facere, & illa non omittere.* Et per totum reliquum caput.

Joh. 3, 19. 20. *Hoc est autem judicium, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quam lucem; erant enim eorum mala opera. Omnis enim qui male agit odit lucem, & non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus.*

Joh. 7, 7. *Non potest mundus odisse vos: me autem odit, quia testimonium perhibeo de illo, quod opera ejus mala sunt.*

Joh. 8, 44. & seq. *Vos ex patre Diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere: ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit, quia non est veritas in eo ..... Qui ex Deo est, verba Dei audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.*

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT CXIV.

Principes Judæorum congregantur adversus Jesum.

PSalm. 2, 2. *Adstiterunt reges terræ, & principes convenerunt in unum, adversus Dominum, & adversus Christum ejus.*

Psalm. 34, 15. *Et adversum me lætati sunt, & convenerunt.*

MAtth. 26, 3. 4. *Tunc congregati sunt Principes Sacerdotum & Seniores populi in atrium Principis Sacerdotum, qui dicebatur Caiphas, & consilium fecerunt, ut Jesum dolo tenerent & occiderent.* Et Marc. 14, 1. & 15, 1. Joh. 11, 47.

Luc. 23, 6. & seq. *Pilatus autem audiens Galilæam, interrogavit si homo Galilæus esset. Et ut cognovit quod de Herodis potestate esset, remisit eum ad Herodem, qui & ipse Jerosolymis erat illis diebus .... Sprevit autem illum Herodes cum exercitu suo, & illusit indutum veste alba, & remisit ad Pilatum. Et facti sunt amici Herodes & Pilatus ipsa die; nam antea inimici erant ad invicem.*

Act. 4. 24. & seq. *Qui cum audissent, unanimiter levaverunt vocem ad Deum, & dixerunt, Domine, tu es qui fecisti cœlum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt; qui Spiritu sancto per os patris nostri David pueri tui dixisti, Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania? Adstiterunt reges terræ, & populi convenerunt in unum, adversus Dominum, & adversus Christum ejus. Convenerunt enim vere in civitate ista, adversus sanctum puerum tuum Jesum, quem unxisti, Herodes & Pontius Pilatus, cum gentibus & populis Israel, facere quæ manus tua & consilium tuum decreverunt fieri.*

CAPUT CXV.

Jesus proditur a Juda. Judæ mors, & æternus interitus.

PSalm. 34, 19. 20. *Non supergaudeant mihi, qui adversantur mihi inique; qui oderunt me gratis & annuunt oculis. Quoniam mihi quidem pacifice loquebantur, & in iracundia terræ loquentes, dolos cogitabant.*

Psalm. 40, 10. *Etenim homo pacis, in quo speravi, qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem.*

Psalm. 54, 13. & seq. *Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique: & si is qui oderat me, super me magna locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo. Tu vero homo unanimis, dux meus, & notus meus; qui simul mecum dulces capiebas cibos, in domo Dei ambulavimus cum consensu.*

Psalm. 68, 21. & seq. *Et sustinui qui simul contristaretur, & non fuit; & qui consolaretur, & non inveni: & dederunt in escam meam fel, & in siti mea potaverunt me accto. Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, & in retributiones, & in scandalum: obscurentur oculi eorum, ne videant, & dorsum eorum semper incurva: effunde super eos iram tuam, & furor iræ tuæ comprehendat eos: fiat habitatio eorum deserta, & in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet. Quoniam quem tu percussisti, persecuti sunt me, & super dolorem*

MAtth. 26, 14. & seq. *Tunc abiit unus de Duodecim, qui dicebatur Judas Iscariotes, ad Principes Sacerdotum, & ait illis, Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam? At illi constituerunt ei triginta argenteos. Et exinde quærebat oportunitatem, ut eum traderet ..... Vespere autem facto discumbebat cum duodecim Discipulis suis: & edentibus illis dixit, Amen dico vobis, quia unus vestrum me traditurus est. Et contristati valde cœperunt singuli dicere, Numquid ego sum, Domine? At ipse respondens ait, Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet. Filius quidem hominis vadit, sicut scriptum est de illo; væ autem homini illi, per quem Filius hominis tradetur: bonum erat ei, si natus non fuisset homo illi. Respondens autem Judas, qui tradidit eum, dixit, Numquid ego sum, Rabbi? Ait ille, Tu dixisti ..... Adhuc eo loquente, ecce Judas unus de Duodecim venit, & cum eo turba multa cum gladiis & fustibus, missi a Principibus Sacerdotum & Senioribus populi. Qui autem tradidit eum, dedit illis signum dicens, Quemcumque osculatus fuero, ipse est, tenete eum. Et confestim accedens ad Jesum, dixit, Ave Rabbi, & osculatus est eum.* Et Marc. 14, 10. & seq. Luc. 22, 3. & seq. Joh. 18, 3. & seq.

Digitized by Google

vulnerum meorum addiderunt. Appone iniquitatem super iniquitatem eorum, & non intrent in justitiam tuam: deleantur de libro viventium, & cum justis non scribantur.

Psalm. 108, 1. & seq. *Deus laudem meam ne tacueris: quia os peccatoris, & os dolosi super me apertum est. Locuti sunt adversum me lingua dolosa, & sermonibus odii circumdederunt me, & expugnaverunt me gratis. Pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi; ego autem orabam: & posuerunt adversum me mala pro bonis, & odium pro dilectione mea. Constitue super eum peccatorem, & Diabolus stet a dextris ejus. Cum judicatur, exeat condemnatus, & oratio ejus fiat in peccatum. Fiant dies ejus pauci, & Episcopatum ejus alter accipiat. Fiant filii ejus orphani, & uxor ejus vidua ..... Fiant contra Dominum semper, & dispereat de terra memoria eorum, pro eo quod non est recordatus facere misericordiam. Et persecutus est hominem inopem, & mendicum, & compunctum corde mortificare. Et dilexit maledictionem, & veniet ei: & noluit benedictionem, & elongabitur ab eo.*

Joh. 13, 2. & seq. *Et cœna facta, cum Diabolus jam misisset in cor, ut traderet eum Judas Simeonis Iscariota ..... dixit eis ..... Si hæc scitis, beati eritis, si feceritis ea. Non de omnibus vobis dico, ego scio quos elegerim, sed ut adimpleatur Scriptura, Qui manducat mecum panem, levabit contra me calcaneum suum. Amodo, dico vobis priusquam fiat: ut cum factum fuerit, credatis quia ego sum.*

Joh. 15, 24. 25. *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent; nunc autem viderunt, & oderunt, & me, & Patrem meum. Sed ut impleatur sermo, qui in Lege eorum scriptus est, Quia odio habuerunt me gratis.*

Joh. 7, 12. *Quos dedisti mihi, custodivi: & nemo ex eis periit, nisi filius perditionis, ut Scriptura impleatur.*

Act. 1, 16. & seq. *Viri fratres, oportuit impleri Scripturam, quam prædixit Spiritus sanctus per David de Juda, qui fuit dux eorum, qui comprehenderunt Jesum, qui connumeratus erat in nobis, & sortitus est sortem ministerii hujus. Et hic quidem possedit agrum de mercede iniquitatis, & suspensus crepuit medius; & diffusa sunt omnia viscera ejus. Et notum factum est omnibus habitantibus Jerusalem; ita ut appellaretur ager illa lingua eorum, Haceldama, hoc est, Ager sanguinis. Scriptum est enim in libro Psalmorum, Fiat commoratio eorum deserta, & non sit qui habitet in ea, & episcopatum ejus alter accipiat.*

CAPUT CXVI.

Sacrificium incruentum Jesus instituit.

MAl. 1, 10. & seq. *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim Solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus; in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum.*

MAtth. 26, 26. & seq. *Cœnantibus autem eis accepit Jesus panem, & benedixit ac fregit, deditque Discipulis suis, & ait, Accipite, & comedite, hoc est corpus meum. Et accipiens calicem gratias egit, & dedit illis dicens, Bibite ex hoc omnes; hic est enim sanguis meus Novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Et Marc. 14, 22. & seq.

Luc. 22, 19. & seq. *Et accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit eis, dicens, Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur, hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem postquam cœnavit, dicens, Hic est calix, Novum Testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur.*

Joh. 6, 54. & seq. *Dixit ergo eis Jesus, Amen, amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in novissimo die: caro enim mea, vere est cibus; & sanguis meus, vere est potus: qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo. Sicut misit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem; & qui manducat me, & ipse vivet propter me. Hic est panis, qui de cœlo descendit. Non sicut manducaverunt patres vestri manna, & mortui sunt. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.*

Act. 2,

Digitized by Google

Act. 2, 42. 46. *Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus ..... Quotidie quoque perdurantes unanimiter in Templo, & frangentes circa domos panem, sumebant cibum cum exultatione & simplicitate cordis.* Et Act. 20, 7. 11.

1. Cor. 10, 16. 17. *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? & panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus.*

1. Cor. 11, 23. & seq. *Ego enim accepi a Domino, quod & tradidi vobis, quoniam Dominus Jesus in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit, Accipite, & manducate; hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur; hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem, postquam cœnavit, dicens, Hic calix Novum Testamentum est in meo sanguine: hoc facite, quotiescunque bibetis, in meam commemorationem. Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat. Itaque quicunque manducaverit panem hunc, & biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis & sanguinis Domini.*

CAPUT CXVII.

Jesus panis.

MIch. 5, 2. *Et tu Bethlehem* (בית לחם, hoc est, Domus panis) *Ephrata, parvulus es in millibus Judæ: ex te mihi egredietur, qui sit Dominator in Israel, & egressus ejus ab initio, a diebus æternitatis.*

JOh. 6, 35. & seq. *Dixit autem eis Jesus, Ego sum panis vitæ; qui venit ad me, non esuriet .... Murmurabant ergo Judæi de illo, quia dixisset, Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi ..... Respondit ergo Jesus, & dixit eis, ... Ego sum panis vitæ. Patres vestri manducaverunt manna in deserto, & mortui sunt. Hic est panis de cœlo descendens, ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur. Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi: si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum; & panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita ..... Hic est panis, qui de cœlo descendit. Non sicut manducaverunt patres vestri manna, & mortui sunt: qui manducat hunc panem, vivet in æternum.*

CAPUT CXVIII.

Agonia Jesu.

PSalm. 54, 4. 5. *Cor meum conturbatum est in me, & formido mortis cecidit super me. Timor & tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebræ.*

Psalm. 108, 22. *Libera me, quia egenus & pauper ego sum, & cor meum conturbatum est intra me. Sicut umbra cum declinat, ablatus sum: & excussus sum, sicut locusta.*

MAtth. 26, 36. & seq. *Et assumto Petro, & duobus filiis Zebedæi, cœpit contristari & mœstus esse. Tunc ait illis, Tristis est anima mea usque ad mortem: sustinete hic, & vigilate mecum. Et progressus pusillum procidit in faciem suam orans, & dicens, Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste; verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Et Matt. 14, 33. & seq. Luc. 22, 42. & seq.

CAPUT CXIX.

Jesus comprehenditur, & funibus constringitur.

PSalm. 58, 1. & seq. *Eripe me de inimicis meis, Deus meus, & ab insurgentibus in me libera me. Eripe me de operantibus iniquitatem, & de viris sanguinum salva me. Quia ecce ceperunt animam meam; irruerunt in me fortes.*

Psalm. 70, 10. 11. *Quia dixerunt inimici*

MAtth. 26, 50. & seq. *Tunc accesserunt, & manus injecerunt in Jesum, & tenuerunt eum ..... In illa hora dixit Jesus turbis, Tanquam ad latronem existis cum gladiis & fustibus, comprehendere me. Quotidie apud vos sedebam docens in Templo, & non me tenuistis. Hoc autem factum est, ut adimplerentur*

Digitized by Google

mei mihi: & qui custodiebant animam meam, consilium fecerunt in unum, dicentes, Deus dereliquit eum, persequimini, & comprehendite eum, quia non est qui eripiat.

Thren. 3, 52. *Venatione ceperunt me quasi avem inimici mei gratis.*

Scriptura Prophetarum. Et Marc. 14, 46. & seq. Luc. 22, 52. & seq. Joh. 18, 12.

Matth. 27, 2. & seq. *Et vinctum adduxerunt eum, & tradiderunt Pontio Pilato Præsidi.* Et Marc. 15, 1.

Thren. 4, 20. *Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris.*

CAPUT CXX.

Jesum Discipuli sui deserunt, Petrus palam ejurat.

PSalm. 21, 12. *In te projectus sum ex utero: de ventre matris meæ Deus meus es tu: ne discesseris a me, quoniam tribulatio proxima est, quoniam non est qui adjuvet.*

Psalm. 68, 9. *Extraneus factus sum fratribus meis, & peregrinus filiis matris meæ.*

Psalm. 68, 21. *In conspectu tuo sunt omnes qui tribulant me; improperium expectavit cor meum & miseriam. Et sustinui qui simul contristaretur, & non fuit; & qui consolaretur, & non inveni.*

Psalm. 87, 9. & seq. *Longe feciſti notos meos a me, posuerunt me abominationem sibi. Traditus sum, & non egrediebar; oculi mei languerunt præ inopia ..... elongasti a me amicum & proximum, & notos meos a miseria.*

Psalm. 141, 5. *Considerabam ad dexteram, & videbam, & non erat qui cognosceret me. Periit fuga a me, & non est qui requirat animam meam.*

Isa. 8, 14. *Et erit vobis in sanctificationem: in lapidem autem offensionis, & in petram scandali duabus domibus Israel; in laqueum & in ruinam habitantibus Jerusalem.*

Isa. 63, 5. *Circumspexi, & non erat auxiliator; quæsivi, & non fuit qui adjuvaret.*

Dan. 9, 26. *Et non erit ejus populus, qui eum negaturus est.*

MAtth. 26, 31. & seq. *Tunc dicit illis Jesus, Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte. Scriptum est enim, percutiam pastorem, & dispergentur oves gregis. ..... Respondens autem Petrus ait illi, Et si omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor. Ait illi Jesus, Amen dico tibi, quia in hac nocte antequam gallus cantet, ter me negabis. Ait illi Petrus, Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo ..... Tunc Discipuli omnes relicto eo fugerunt. ..... Petrus vero sedebat foris in atrio, & accessit ad eum una ancilla, dicens, Et tu cum Jesu Galilæo eras. At ille negavit coram omnibus dicens, Nescio quid dicis. Exeunte autem illo januam, vidit eum alia ancilla, & ait his, qui erant ibi, Et hic erat cum Jesu Nazareno. Et iterum negavit cum juramento, Quia non novi hominem. Et post pusillum accesserunt qui stabant, & dixerunt Petro, Vere & tu ex illis es, nam & loquela tua manifestum te facit. Tunc cœpit detestari, & jurare quia non novisset hominem. Et continuo gallus cantavit, Et recordatus est Petrus verbi Jesu, quod dixerat, Priusquam gallus cantet, ter me negabis.* Et Marc. 14, 27. & seq. Luc. 23, 31. & seq. Joh. 16, 32. & 18, 17. & seq.

Zach. 13, 7. *Framea, suscitare super Pastorem meum, & super virum cohærentem mihi, dicit Dominus exercituum: percute Pastorem, & dispergentur oves.*

Christum Jesum prædici Zach. 13, 7. probatur adversus Grotium.

QUam ex Zacharia prædictionem hic afferimus, quaque notari se Christus Jesus morti proximus apud Discipulos suos testificatus est; eam Christum directe respicere negat Grotius, at pastorem alium, eumque non bonum; quem esse conjectat hunc ipsum, de quo agit Zacharias in fine undecimi capitis, *Ubi*, inquit, *itidem ille quisquis est, vocatur Pastor meus, & gladius illi dicitur imminere*; usurpari vero verba ista Zachariæ a Christo, ut γνώμην, (*sententiam*) nulla ratione habita occasionis, qua primitus dicta est. Hæc quam pia & Christiano homine digna sint, non anquiro; quam aliis hominis ejusdem sententiis consona sint, videndum est.

Grot. in Matth. 26, 31.

Pastorem

Pastorem illum nequam, Zachariæ undecimo capite commemoratum, Manassem esse vult; decimo tertio, Judam Machabæum; illum impietate nobilitatum & flagitiis, hunc fortitudine & pietate. Et tamen utrumque pastorem, unum eumdemque esse statuit. Pastorem decimo tertio capite laudatum, non bonum aliquem pastorem esse docet: isne vero pastor malus habendus est, quem Deus pastorem suum appellat, sibique adhærere ait? *Framea suscitare super pastorem meum, & super virum cohærentem mihi, dicit Dominus exercituum.* At & pastor undecimi capitis, Pastor meus itidem appellatur, inquit Grotius. Utrobique certe est, רעי; verum priore loco veteres Interpretes, Græcus, Chaldæus, Syrus, Arabs, pronomen possessivum non addunt. Demus tamen esse addendum, quod verum est, omnes profecto ποιμένας λαῶν, *Pastores populorum*, a Deo sunt: Rom. 13, 1. *Non est enim potestas, nisi a Deo*, inquit Paulus: quod & Homerus ante cecinerat: Hom. Il. β. τιμὴ δ' ἐκ διός ἐστι. *Honor autem ex Jove est.* Tum addit Jovem Regibus dedisse

σκῆπτρόν τ' ἠδὲ θέμιστας, ἵνα σφίσιν βασιλεύῃ.

Sceptrum & jura, ut rex eorum sit.

Unde & διογενῆς & διοτρεφῆς, *Jove prognati & a Jove educati*, reges a Poetis appellantur. Suum ergo Deus appellaverit, Pastorem undecimi capitis: at decimi tertii Pastorem, & suum appellat, & sibi cohærere ait; quo pietas ipsius Deo accepta esse comprobatur, cum alterius scelera ulturum se denuntiet. Nos vero Christo Jesu addicimus totum decimum tertium Zachariæ caput. Jesus est Zach. 13, 1. ille *fons patens domui David in ablutionem peccatoris.* Supplicium Jesu indicant ista: *Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum?* Zach. 13, 6. *His plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me.* Reliqua Jesu mortem, Discipulorum fugam, martyria quoque eorum, & constantiam, & gentium denique vocationem designant, uti fusius infra declarabitur. Atque hic suffragatorem adversus Grotium habemus Aben Ezram, qui in Messiæ, Josephi nepotis, tempora prædictionem hanc Zachariæ confert.

CAPUT CXXI.

Falsi testes Jesum accusant.

PSalm. 26, 12. *Ne tradideris me in animas tribulantium me, quoniam insurrexerunt in me testes iniqui, & mentita est iniquitas sibi.*

Psalm. 34, 11. & seq. *Surgentes testes iniqui, quæ ignorabam interrogabant me..... quoniam mihi quidem pacifice loquebantur, & in iracundia terræ loquentes, dolos cogitabant: & dilataverunt super me os suum: dixerunt, Euge, euge, viderunt oculi nostri.*

Psalm. 41, 6. & seq. *Inimici mei dixerunt mala mihi, Quando morietur, & peribit nomen ejus? Et si ingrediebatur ut videret, vana loquebatur, cor ejus congregavit iniquitatem sibi: egrediebatur foras, & loquebatur in idipsum. Adversum me susurrabant omnes inimici mei, adversum me cogitabant mala mihi. Verbum iniquum constituerunt adversum me.*

Psalm. 63, 1. & seq. *Exaudi Deus orationem meam cum deprecor, a timore inimici eripe animam meam: protexisti me a conventu malignantium, a multitudine operantium iniquitatem: quia exacuerunt ut gladios linguas suas, intenderunt arcum rem amaram, ut sagittent in occultis immaculatum. Subito sagittabunt eum, & non timebunt; firmaverunt sibi sermonem nequam.*

Psalm. 108, 1. & seq. *Deus laudem meam ne tacueris, quia os peccatoris, & os dolosi super me apertum est. Locuti sunt adversum me lingua dolosa, & sermonibus odii circumdederunt me, & expugnaverunt me gratis.*

Psalm. 119, 2. 3. *Ad Dominum cum tribularer, clamavi, & exaudivit me. Domine, libera animam meam a labiis iniquis & a lingua dolosa.*

MAtth. 26, 59. 60. *Principes autem Sacerdotum, & omne concilium, quærebant falsum testimonium contra Jesum, ut eum morti traderent, & non invenerunt, cum falsi testes accessissent. Novissime autem venerunt duo falsi testes, & dixerunt, Hic dixit, Possum destruere Templum Dei, & post triduum reædificare illud.* Et Marc. 14, 56. & seq.

Digitized by Google

Pſalm. 139, 1. & ſeq. *Eripe me, Domine, ab homine malo; a viro iniquo eripe me. Qui cogitaverunt iniquitates in corde, tota die conſtituebant prælia. Acuerunt linguas ſuas ſicut ſerpentis; venenum aſpidum ſub labiis eorum. Cuſtodi me, Domine, de manu peccatoris, & ab hominibus iniquis eripe me.*

CAPUT CXXII.

Jeſus accuſatus ſilet.

ISa. 53, 7. *Oblatus eſt, quia ipſe voluit, & non aperuit os ſuum: ſicut ovis ad occiſionem ducetur, & quaſi agnus coram tondente ſe obmutescet, & non aperiet os ſuum.*

MAtth. 26, 62. 63. *Et ſurgens Princeps Sacerdotum, ait illi, Nihil reſpondes ad ea, quæ iſti adverſum te teſtificantur? Jeſus autem tacebat.* Et Marc. 14, 60.

Matth. 27, 12. & ſeq. *Et cum accuſaretur a Principibus Sacerdotum & Senioribus, nihil reſpondit. Tunc dicit illi Pilatus, Non audis quanta adverſum te dicunt teſtimonia? Et non reſpondit ei ad ullum verbum, ita ut miraretur Præſes vehementer.* Et Marc. 15, 4. 5.

Luc. 23, 8. & ſeq. *Herodes autem viſo Jeſu gaviſus eſt valde .... interrogabat autem eum multis ſermonibus; at ipſe nihil ei reſpondebat.*

2. Petr. 2, 23. *Qui cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur: tradebat autem judicanti ſe injuſte.*

CAPUT CXXIII.

Jeſus contumeliis afficitur.

PSalm. 21, 7. & ſeq. *Ego autem ſum vermis, & non homo; opprobrium hominum, & abjectio plebis. Omnes videntes me deriſerunt me, locuti ſunt labiis, & moverunt caput..... Quoniam tribulatio proxima eſt; quoniam non eſt qui adjuvet. Circumdederunt me vituli multi, tauri pingues obſederunt me; aperuerunt ſuper me os ſuum, ſicut leo rapiens & rugiens.*

Pſalm. 34, 16. *Tentaverunt me, ſubſannaverunt me ſubſannatione; frenduerunt ſuper me dentibus ſuis.*

Pſalm. 55, 1. & ſeq. *Miſerere mei, Deus, quoniam conculcavit me homo, tota die impugnans tribulavit me: conculcaverunt me inimici mei tota die; quoniam multi bellantes adverſum me .... Tota die verba mea execrabantur; adverſus me omnes cogitationes eorum in malum.*

Pſalm. 68, 1. & ſeq. *Salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam. Infixus ſum in limo profundi, & non eſt ſubſtantia. Veni in altitudinem maris, & tempeſtas demerſit me .... Multiplicati ſunt ſuper capillos capitis mei, qui oderunt me gratis. Confortati ſunt, qui perſecuti ſunt me inimici mei injuſte; quæ non rapui tunc exſolvebam ..... Quoniam propter te ſuſtinui opprobrium, operuit confuſio faciem meam. Extraneus factus ſum fratribus meis, & peregrinus filiis matris meæ. Quoniam zelus domus tuæ comedit me, & opprobria exprobrantium ceciderunt ſuper me; & operui in jejunio animam meam, & factum eſt in opprobrium mihi: & poſui veſtimentum meum cilicium, & factus ſum illis in parabolam. Adverſum me loquebantur, qui*

MAtth. 27, 27. & ſeq. *Tunc milites Præſidis ſuſcipientes Jeſum in prætorium, congregaverunt ad eum univerſam cohortem, & exuentes eum chlamydem coccineam circumdederunt ei, & plectentes coronam de ſpinis poſuerunt ſuper caput ejus, & arundinem in dextera ejus; & genu flexo ante eum, illudebant ei, dicentes, Ave rex Judæorum. Et expuentes in eum, acceperunt arundinem, & percutiebant caput ejus. Et poſtquam illuſerunt ei, exuerunt eum chlamyde.* Et Marc. 15, 16. & ſeq. Joh. 19, 1. & ſeq.

Luc. 18, 31. 32. *Aſſumſit autem Jeſus Duodecim, & ait illis, Ecce aſcendimus Jeroſolymam, & conſummabuntur omnia, quæ ſcripta ſunt per Prophetas de Filio hominis: tradetur enim Gentibus, & illudetur.*

Luc. 23, 11. *Sprevit autem illum Herodes cum exercitu ſuo, & illuſit indutum veſte alba, & remiſit ad Pilatum.*

Rom. 13, 3. *Etenim Chriſtus non ſibi placuit, ſed ſicut ſcriptum eſt, Improperia improperantium tibi, ceciderunt ſuper me.*

Digitized by Google

qui ſedebant in porta, & in me pſallebant, qui bibebant vinum ..... Tu ſcis improperium meum, & confuſionem meam, & reverentiam meam: in conſpectu tuo ſunt omnes, qui tribulant me, improperium expectavit cor meum & miſeriam.

Pſalm. 73, 22. 23. *Exurge, Deus, judica cauſſam tuam: memor eſto improperiorum tuorum, eorum quæ ab inſipiente ſunt tota die. Ne obliviſcaris voces inimicorum tuorum: ſuperbia eorum qui te oderunt aſcendit ſemper.*

Pſalm. 78, 12. *Et redde vicinis noſtris ſeptuplum in ſinu eorum, improperium ipſorum, quod exprobraverunt tibi, Domine.*

Pſalm. 87, 16. *Pauper ſum ego, & in laboribus a juventute mea: exaltatus autem, humiliatus ſum & conturbatus. In me tranſierunt iræ tuæ, & terrores tui conturbaverunt me: circumdederunt me ſicut aqua; tota die circumdederunt me ſimul.*

Pſalm. 88, 39. & ſeq. *Tu vero repuliſti, & deſpexiſti; diſtuliſti Chriſtum tuum: evertiſti teſtamentum ſervi tui, profanaſti in terra ſanctuarium ejus, deſtruxiſti omnes ſepes ejus, poſuiſti firmamentum ejus formidinem: diripuerunt eum omnes tranſeuntes viam, factus eſt opprobrium vicinis ſuis: exaltaſti dexteram deprimentium eum; lætificaſti omnes inimicos ejus; avertiſti adjutorium gladii ejus, & non es auxiliatus ei in bello; deſtruxiſti eum ab emundatione, & ſedem ejus in terram colliſiſti; & minoraſti dies temporis ejus, perfudiſti eum confuſione ..... Memor eſto, Domine, opprobrii ſervorum tuorum, (quod continui in ſinu meo) multarum gentium, quod exprobraverunt inimici tui, Domine, quod exprobraverunt commutationem Chriſti tui.*

Pſalm. 142, 3. 4. *Quia perſecutus eſt inimicus animam meam, humiliavit in terra vitam meam: collocavit me in obſcuris, ſicut mortuos ſeculi, & anxiatus eſt ſuper me ſpiritus meus, in me turbatum eſt cor meum.*

Sap. 2, 19. *Contumelia & tormento interrogemus eum, ut ſciamus reverentiam ejus, & probemus patientiam illius.*

Iſa. 53, 4. *Nos putavimus eum quaſi leproſum, & percuſſum a Deo, & humiliatum.*

Thren. 3, 30. 61. *Dabit percutienti ſe maxillam; ſaturabitur opprobriis..... Audiſti opprobrium eorum, Domine, omnes cogitationes eorum adverſum me.*

I. *Chriſto Jeſu adducitur Pſalmus 21.* II. *Refelluntur argumenta Adverſariorum. Primum argumentum.* III. *Secundum argumentum.*

Chriſto Jeſu addicitur Pſalm 21.

I. QVoniam ad ſequentia late patet Pſalmus viceſimus primus, & in Propoſitione ſeptima leviter a nobis perſtrictus eſt, locus poſtulat ut paulo eum accuratius examinemus. Ajo igitur illum ex eo vaticiniorum genere eſſe, quorum anceps ſignificatio eſt; quæque præſentia dum tractant, futurorum ſimulacra adumbrant. Quædam enim Davidem ſimul & Chriſtum Jeſum, quædam Jeſum unum reſpiciunt, ſed ita tamen, ut longe plura Chriſto conveniant; & quæ Davidi accommodari poſſunt, in Chriſtum Jeſum aptius etiam congruant. Pſal. 21, 10. Ad Jeſum quidem mere iſta ſpectant: *Quoniam tu es, qui extraxiſti me de ventre: ſpes mea ab uberibus matris meæ:* nam quis de Davide vere id dici poſſe putet? At Chriſtus Jeſus ab ipſo ortu ſanctus fuit. Conveniunt & iſta Chriſto Jeſu ſoli, ut pluribus approbabo infra: *Foderunt manus meas, & pedes meos: dinumeraverunt omnia oſſa mea. Ipſi vero conſideraverunt, & inſpexerunt me:* (quod congruit ad iſtud Zachariæ: *Et aſpicient ad me, quem confixerunt.*) Hæc ſunt ejusmodi, ut quantumvis flexa & contorta, nec Davidi, nec alii cuiquam, præter Jeſum, aptari queant. Nec illa Davidi adjungi poſſunt, quæ vocationem gentium per Chriſtum partam præſignificant: *Reminiſcentur, & convertentur ad Dominum univerſi fines terræ: & adorabunt in conſpectu ejus univerſæ familiæ gentium; manducaverunt, & adoraverunt omnes pingues terræ.* Quorum conſimilia de Chriſto prædicta habes in Pſalmo ſeptuageſimo primo: *Et dominabitur a mari usque ad mare, & a flumine usque ad terminos orbis terrarum. Coram illo procident Æthiopes, & inimici ejus terram lingent. Reges Tharſis, & inſulæ munera offerent: Reges Arabum & Saba dona adducent; & adorabunt eum omnes Reges terræ, & omnes gentes ſervient ei..... Et benedicentur in ipſo omnes tribus terræ; omnes gentes*

Pſal. 21, 18. 19.

Zach. 12, 10.

Pſal. 21, 28. 29.

Pſal. 71, 8. & ſeq.

Digitized by Google

gentes magnificabunt eum. Quadrant quoque in Christum isthæc, etsi in Davidem etiam
Psal. 21, 1. utcunque conveniunt: *Deus, Deus meus, quare me dereliquisti?* quæ moriens Christus
Psal. 21, 7. vociferabatur. Deinde: *Ego autem sum vermis, & non homo: opprobrium hominum, & abjectio plebis;* quibus humilitatem suam testatur Jesus, ut alias sæpe in utroque Testamento, quod comprobat Paralleliſmus noſter.
Psal. 21, 8. 9. Subjicit Psaltes: *Omnes videntes me deriserunt me; locuti sunt labiis, & moverunt caput: Speravit in Domino, eripiat eum; salvum faciat eum, quoniam vult eum.* Prorsus Psalten dicas animo hæc versasse, quæ narrat
Matth. 27, 39. & seq. Matthæus his verbis: *Prætereuntes autem blasphemabant eum, moventes capita sua, & dicentes, Vah, qui destruis Templum Dei, & in triduo illud reædificas, salva temetipsum; si Filius Dei es, descende de cruce. Similiter & Principes Sacerdotum illudentes cum Scribis & Senioribus, dicebant, Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere: si rex Israel est, descendat nunc de cruce, & credimus ei: confidit in Deo, liberet nunc, si vult, eum; dixit enim, Quia Filius Dei sum.* Recta quoque & κατὰ λέξιν *(secundum verba)* cadunt
Psal. 21, 19. ista in Christum Jesum: *Diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem.* Sed & oblique & κατὰ σχῆμα *(secundum figuram)* Davidi aptari possunt, quod a Theodoro Mopsuesteno & Grotio factum est: ut sensus sit, Davidis supellectilem fuisse vi direptam, & sorte inter raptores divisam.
Psal. 21, 21. 22. Quod subest in Psalmo: *Erue a framea, Deus, animam meam, & de manu canis unicam meam: salva me ex ore leonis, & a cornibus unicornium humilitatem meam;* hoc ipsum Jesus Patrem orabat in villa Gethsemani: *Pater mi, possibile est, transeat a me*
Matth. 26, 38. *calix iste.* Pergit Psaltes: *Narrabo nomen*
Psal. 21, 23. *tuum fratribus meis, in medio ecclesiæ laudabo te;* quæ Jesu propria esse docet Paulus in
Ebr. 2, 12. Epistola ad Ebræos. Psalmo sane huic inesse prædictiones de Messia Ebræi consentiunt in Midrasch Thehillim: & in capite undecimo Thalmudici libri Sanhedrin, iis verbis Messiæ describuntur tempora, quæ ex Psalmi ejusdem decimo septimo commate petita esse apparet.

Refellantur argumenta adversariorum. II. Verum enimvero sententiæ nostræ repugnare videntur isthæc: *Longe a salute mea verba delictorum meorum. Deus meus, clamabo per diem, & non exaudies; & nocte, & non ad insipientiam mihi;* quæ caussæ fuisse testatur Theodoretus, quamobrem Septuaginta Interpretes ad Christum congruere Psalmum hunc non dicerent. His etiam abutebatur Theodorus Mopsuestenus in Interpretatione duodecim Prophetarum, quemadmodum narratur in Collatione quarta Concilii secundi Constantinopolitani, ut hæc ad Christum perperam referri ostenderet. Certum quidem est, Christum Jesum fuisse *tentatum per omnia pro similitudine, absque peccato.* Docent etiam nos Isaias & Petrus, Christum *peccatum non fecisse, nec inventum esse dolum in ore ejus.* Docet nos Johannes *peccatum in eo non esse.* Verum id quidem: at Deus tamen Christum, *qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso,* inquit Paulus in secunda Epistola ad Corinthios. Et in illa ad Galatas: *Christus nos redemit de maledicto Legis, factus pro nobis maledictum.* De quo jam ante Isaias: *Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum.* Quid si dicamus, hæc ad unum Davidem spectare, ut permistus est aliquando vaticiniorum sensus? velut in secundo libro Samuelis, Dei verbis Nathan ea Davidi spondet, quæ partim in Salomonem cadere possint: & hæc quidem in Christum: *Stabiliam thronum regni ejus usque in sempiternum: ego ero ei in patrem, & ipse erit mihi in filium:* hæc vero in Salomonem: *Qui si inique gesserit, arguam eum in virga virorum.* Hujusmodi tamen exceptionibus omissis, ajo nihil eorum, quæ objiciuntur, comparere in Ebraico exemplari. Nam pro eo, quod habet Vulgata, *Delictorum meorum,* & Septuaginta, τῶν παραπτωμάτων μου, Ebraice legitur, שאגתי, hoc est, *Rugitus mei,* Thargum, אבלותי, *Clamoris mei.* Aquila, βρυχήματός μου, *Rugitus mei.* Theodotion, βοήσεώς μου, *Clamoris mei.* Sexta, τῆς δεήσεώς μου, *Precationis meæ.* Hieronymus in interpretatione Psalmorum, juxta Ebraicam veritatem, *Rugitus mei.* Commentaria in Psalmos ipsi adscripta: *Est sensus juxta cæteros Interpretes, Gemitus mei atque conatus, quibus semper populum Israel salvare quæsivi, longe facti sunt a salute mea, quam populo tribuere cupiebam; quia ipsi noluerunt recipere sanitatem.* At Septuaginta Senes, quos sequitur Vulgata

Primum argumentum. Psal. 21, 2. 3. Theod. in Psal. 21.
Ebr. 4, 15. Isa. 53, 9. 1. Petr. 2, 21. 22. 1. Joh. 3, 5. 2. Cor. 5, 21. Gal. 3, 13. Isa. 53, 6. 2. Sam. 7, 13. & seq.

Inter-

Interpretatio, legebant, שגיאותי, *Errorum meorum.*

Secundum argumentum.

III. Captiunculis etiam ſuis legitimam Pſalmi hujus ſententiam adultarare conati ſunt R. David Kimchi & Lipmannus, quarum pleræque Chriſtiani dogmatis inſciis ſcrupulum fortaſſe aliquem injicere, ejusdem vero conſultos haudquaquam permovere poſſunt. Pauculas tantum attingemus de præcipuis. Penultimo verſu, inquiunt, utuntur Chriſtiani, ut probent Jeſum in vivis manere noluiſſe, ne ſuæ nimirum mortis fructu fraudarentur, qui noxarum ſuarum vinculis in inferis locis attinebantur: quorſum igitur clamabat moriens: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me?* cur querebatur ſe non exaudiri, qui exaudiri nolebat? cur Deum appellat *Laudem Iſrael*, cum ab Iſraele Jeſus ipſe Deus cruciaretur? Deum ait non deſpexiſſe preces ſuas, nec avertiſſe faciem ſuam a ſe; cum preces tamen ejus deſpectæ ſint. Futurum prædicit, ut *adorent in conſpectu ſuo omnes familiæ gentium*, cum nullus illi cultus a Judæis, aut Iſmaelitis præſtitus ſit. Nos Jeſum reſpondemus Deum fuiſſe & hominem, nec humani quicquam, præter peccatum, ab eo alienum fuiſſe, ac idcirco nobis a natura inſitum doloris & mortis horrorem vere eum ſenſiſſe, ideoque in querelas more humano erupiſſe; ſic tamen ut compreſſo & devicto humanæ imbecillitatis ſenſu, paternis imperiis prono animo obſequeretur. Cæterum duplex eſt Iſrael: *Non enim omnes, qui ex Iſrael ſunt, ii ſunt Iſraelitæ*, inquit Paulus, *neque qui ſemen ſunt Abrahæ, omnes filii. Non enim qui in manifeſto, Judæus eſt; ſed qui in abſcondito, Judæus eſt.* Ergo Chriſtus in Pſalmo Deum appellat *Laudem Iſrael*, ut pote, qui laudaretur a piis & ſanctis Iſraelitis, cum a nefariis & ſceleſtis Iſraelitis torqueretur. Neque vero a Deo ſpretus ac deſpectus eſt Jeſus, qui *datam ſibi omnem poteſtatem in cælo & in terra* redivivus gloriatur. Et ſane poſtulatis ejus annuit Deus; nam & vitam illi reſtituit, quam nec retinere Jeſus voluerat; & hominibus criminum veniam benigne indulſit, cujus impetrandæ gratia mortem Jeſus obierat. Falſum denique eſt, neque Judæos neque Iſmaelitas Chriſto nomen dediſſe, cum ex utroque grege complures ad Chriſti caſtra tranſierint, & ſæpe tranſeant: non enim prædicit Propheta ſingulos quosque ex omni hominum genere, ſed aliquos Chriſti doctrinam ſuſcepturos.

Matth. 27, 46. Pſal. 21, 2. Pſal. 21, 4. Pſal. 21, 25. Pſal. 21, 28. Rom. 9, 6. 7. Rom. 2, 28. 29. Matth. 28, 18.

CAPUT CXXIV.

Jeſus conſpuitur & cæditur.

PSalm. 34, 15. *Et adverſum me lætati ſunt, & convenerunt: congregata ſunt ſuper me flagella, & ignoravi.*

Pſalm. 68, 27. *Quoniam quem tu percuſſiſti, perſecuti ſunt, & ſuper dolorem vulnerum meorum addiderunt.*

Sap. 2, 18. 19. *Si enim eſt verus Filius Dei, ſuſcipiet eum, & liberabit eum de manibus contrariorum. Contumelia & tormento interrogemus eum, ut ſciamus reverentiam ejus, & probemus patientiam illius.*

Iſa. 50, 6. *Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus; faciem meam non averti ab increpantibus & conſpuentibus in me.*

Iſa. 53, 3. & ſeq. *Deſpectum & noviſſimum virorum, virum dolorum, & ſcientem infirmitatem: & quaſi abſconditus vultus ejus & deſpectus, unde nec reputavimus eum. Vere languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit, & nos putavimus eum, quaſi leproſum, & per-*

MAtth. 20, 18. 19. *Ecce aſcendimus Hieroſolymam, & Filius hominis tradetur Principibus Sacerdotum, & Scribis; & condemnabunt eum morte: & tradent eum Gentibus, ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum.* Et Marc. 10, 33. 34. Luc. 18, 31. 32.

Matth. 26, 67. 68. *Tunc expuerunt in faciem ejus, & colaphis eum ceciderunt; alii autem palmas in faciem ejus dederunt, dicentes, Prophetiza nobis, Chriſte, quis eſt, qui te percuſſit?* Et Marc. 14, 65. Luc. 22, 63. 64.

Matth. 27, 26. *Tunc dimiſit illis Barabbam; Jeſum autem flagellatum tradidit eis, ut crucifigeretur.* Et Marc. 15, 15.

Matth. 27, 30. *Et expuentes in eum acceperunt arundinem, & percutiebant caput ejus.* Et Marc. 15, 19.

Joh. 18, 22. *Hæc autem cum dixiſſet, unus aſſiſtens miniſtrorum dedit alapam Jeſu, dicens, Sic reſpondes Pontifici?*

Joh. 19, 1. & ſeq. *Tunc ergo apprehendit*

Digitized by Google

cussum a Deo, humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras; attritus est propter scelera nostra. Disciplina pacis nostræ super eum, & livore ejus sanati sumus.

Thren. 3, 30. *Dabit percutienti se maxillam; saturabitur opprobriis.*

Pilatus Jesum, & flagellavit. Et milites plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti ejus, & veste purpurea circumdederunt eum. Et veniebant ad eum, & dicebant, Ave rex Judæorum, & dabant ei alapas.

CAPUT CXXV.

Jesus venditur: cujus venditionis pretio ager figlinus emitur. Judæ proditoris interitus.

PSalm. 68, 25. & seq. *Effunde super eos iram tuam, & furor iræ tuæ comprehendat eos. Fiat habitatio eorum deserta, & in tabernaculis eorum non sit, qui inhabitet. Quoniam quem tu percussisti, persecuti sunt, & super dolorem vulnerum meorum addiderunt.*

Psalm. 108, 4. & seq. *Pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi; ego autem orabam. Et posuerunt adversum me mala pro bonis, & odium pro dilectione mea. Constitue super eum peccatorem, & Diabolus stet a dextris ejus. Cum judicatur, exeat condemnatus, & oratio ejus fiat in peccatum: fiant dies ejus pauci, & episcopatum ejus alter accipiat: fiant filii ejus orphani, & uxor ejus vidua.*

Amos 2, 6. *Hæc dicit Dominus, Super tribus sceleribus Israel, & super quatuor non convertam eam; pro eo, quod vendiderit pro argento Justum.*

Zach. 11, 12. 13. *Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos: & dixit Dominus ad me, Projice illud ad statuarium, decorum pretium, quo appretiatus sum ab eis. Et tuli triginti argenteos, & projeci illos in domum Domini ad statuarium.*

MAtth. 26, 14. *Tunc abiit unus de duodecim, qui dicebatur Judas Iscariotes, ad Principes Sacerdotum, & ait illis, Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam? At illi constituerunt ei triginta argenteos.* Et Marc. 14, 10. & seq. Luc. 22, 5. & seq.

Matth. 27, 3. & seq. *Tunc videns Judas, qui eum tradidit, quod damnatus esset, pœnitentia ductus retulit triginta argenteos Principibus Sacerdotum, & Senioribus dicens, Peccavi, tradens sanguinem justum. At illi dixerunt, Quid ad nos? tu videris. Et projectis argenteis in Templo, recessit, & abiens laqueo se suspendit. Principes autem Sacerdotum, acceptis argenteis dixerunt, Non licet eos mittere in Corbonam, quia pretium sanguinis est. Consilio autem inito, emerunt ex illis agrum figuli, in sepulturam peregrinorum. Propter hoc vocatus est ager ille, Haceldama, hoc est, Ager sanguinis, usque in hodiernum diem. Tunc impletum est, quod dictum est per Jeremiam Prophetam dicentem, & acceperunt triginta argenteos, pretium appretiati, quem appretiaverunt a filiis Israel, & dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi Dominus.*

Joh. 17, 12. *Quos dedisti mihi, custodivi; & nemo ex eis periit, nisi filius perditionis, ut Scriptura impleatur.*

Act. 1, 16. *Viri fratres, oportet impleri Scripturam, quam prædixit Spiritus sanctus per os David de Juda, qui fuit dux eorum, qui comprehenderunt Jesum, qui connumeratus erat in nobis, & sortitus est sortem ministerii hujus. Et hic quidem possedit agrum de mercede iniquitatis, & suspensus crepuit medius, & diffusa sunt omnia viscera ejus. Et notum factum est omnibus habitantibus Jerusalem, ita ut appellaretur ager ille, lingua eorum, Haceldama, hoc est, Ager sanguinis. Scriptum est enim in libro Psalmorum, Fiat commoratio eorum deserta, & non sit qui habitet in ea, & episcopatum ejus accipiat alter.*

Defenditur Matthæus, apud quem pro Zachæria Jeremiam citatum esse censuntur

CLarissima illa Zachariæ prædictio, ita ut a Matthæo relata est, Adversariorum petitionibus patuit. Queruntur primum Jeremiæ eam tribui ab Evangelista, cum sit Zachariæ: deinde aliis conceptam esse verbis apud Prophetam, aliis apud Evangelistam: demum nec sententiam congruere. Adversus ea a Christianis Interpretibus multa disputantur, quibus commemorandis supersedebimus in præsentia; querelis istorum sic occurrisse contenti. Verisimile primum est librariorum oscitantia evenisse, ut Jeremiæ nomen

Adversarii. Jesu præterea additur Zach. 11, 12. 13.

Digitized by Google

nomen extruderet nomen Zachariæ. Nam cum propria nomina contrahere Librarii soleant, illa Jeremiæ & Zachariæ sic videntur expressisse, ΙΡΙΑΣ, ΖΡΙΑΣ: in his proclive fuit primam nominis utriusque literam permutare: nam primam in ΙΕΡΜΙΑΣ, non pusillam & brevem pingebant, quemadmodum nunc Typographi, sed productam & bene longam: primam vero in ΖΑΧΑΡΙΑΣ, non semper ita sinuatam & contortuplicatam, uti in libris editis hodie pingitur, sed a summo ad imum satis directam, paululum inflexam & prominentem in medio, ansulam in vertice gerentem: quæ si parum accurate notata erant, ζ in ι facile degenerabat. Hæc fatebuntur, qui Græca exemplaria versare consueverunt. Ergo apicis similitudine deluso imperito & supino librario, quod uni aut alteri codici inhæserat vitium, in alios ita propagatum est, ut universis propemodum, ac interpretationibus deinde inolesceret: quanquam non omnibus. Nam nec Jeremiæ, nec Zachariæ nomen præfert Syriaca Interpretatio, neque Persica, neque Latini Codices quidam, ut testificatur Augustinus. Simile quippiam Origeni & Eusebio suboluerat; quorum ille in Matthæum, hic libro decimo ἐκδόσεως, errorem hunc, σφάλμα γραφικὸν, *mendum scripturæ* esse conjectant. At apocryphus ille Jeremiæ liber Ebraice scriptus, Hieronymo communicatus a Nazarææ sectæ homine Ebræo, in quo testimonium illud propriis extabat conceptum verbis, haud scio an post Matthæum fuerit suppositus, & ad fidem ipsi faciendam confictus, ac Ebræis deinde obtrusus. Id quidem dissimulavit Hieronymus; sed inde tamen depromtum esse Matthæi locum haudquaquam credere se declaravit, verum ex ipso Zacharia repetiit. Minime vero ait Origenes visum sibi hunc Jeremiæ librum apocryphum, at ad priorem suspicionem, alteram addit, ex aliqua nempe apocrypha scriptione, Jeremiæ nomen præ se ferente, depromtam esse hanc, quam profert Matthæus, prædictionem; quemadmodum alia quædam Novi Testamenti Scriptores ex apocryphis libris depromsere. Opinionem hanc nullo pacto, ne ut suspicionem quidem, probare possum: apocryphorum enim testimonia a Paulo Apostolo in tradendis præceptionibus usurpari cum fructu potuerunt; at ab Evangelista in mortis Christi historia prolatam fuisse falsam prædictionem, & librum ἀκανόνιστον *(in canonem non relatum)* sic tanquam Canonicum, nulla distinctionis adhibita nota fuisse citatum, haudquaquam mihi persuaderi potest. Utcunque est, liquet certe vetustissimum hoc esse mendum, ut & Augustinus asseverat. Quod ad Evangelistæ & Prophetæ dissonantiam attinet, manifestum est, ad Prophetæ sententiam attendisse Evangelistam, verba neglexisse; quemadmodum ab Interpretibus recte observatum est. Tantum abest, ut in sententia inter illos disconveniat. Atque hunc morem in testimoniis e Scriptura sacra recitandis tenuisse Evangelistas & Apostolos hoc loco observat Hieronymus. Idem in libro de optimo genere interpretandi, hunc nodum solvens, *Absit hoc*, inquit, *de pedissequo Christi dicere;* (Matthæum significat) *cui curæ fuit, non verba aut syllabas aucupari, sed sententias dogmatum ponere.* Queritur apud Zachariam Deus mercedem suam triginta argenteis esse appensam: atque tam exiguum & vile sui pretium indignatus, jubet id Prophetam projicere אל היוצר, *ad figulum;* quod & ab hoc factum est, projectis iis in domum Domini ad figulum. Plane cum iis congruit Matthæus, si sententiam duntaxat spectes; nec multum abludunt verba. Perspicuum est præterea ejusmodi esse vaticinationem hanc, ut in Jesum Christum proprie conveniat; accurate designata venditione, pretio venditionis, ac numero nummorum; projectione nummorum loco etiam projectionis, ac nomine loci. Quæ si in Zachariæ tempora conferas, vix sane, ac ne vix congruent: nam quid hoc esse dicas, Deum pretio æstimari se voluisse ab Israelitis; ac illos æstimatione Dei facta, triginta argenteos Dei pretium appendisse? Sin hæc in allegoriam trahere velis, nonnisi adhibita vi id efficies. Quid hoc vero est, quod fieri jubet Deus, projici pretium illud ad statuarium? nam quod ait Grotius, agrum fuisse in quem projicieban- Grot. in tur fracta Templi fictilia, gratis omnino Matth. 27. dicitur, nec rationi convenit: nam quis 9. putet agrum excipiendis Templi fictilibus fractis fuisse destinatum? non his potius certe, quam reliquis sordibus; unde nec a fictilibus, potius quam a sordibus nomen habuerit. Itaque vix legitimum inde sensum extundas; cum proprium & verum reperias in historia

August. de conf. Ev. l. 4. c. 7. Orig. Tract. 35. in Matth.

Digitized by Google

Christi Jesu. Etsi vero notavimus propositum id fuisse Grotio, ut proprios & directos vaticiniorum sensus eriperet historiæ Christi, remotos solum & obliquos relinqueret, hoc tamen loco, veritate quippe victus, allegoricam tantum expositionem concessit temporibus Zachariæ, propriam in historiam Christi quadrare fassus est.

CAPUT CXXVI.

Jesus a Judæis & Ethnicis capitis damnatur.

PSalm. 2, 2. *Adstiterunt reges terræ, & principes convenerunt in unum, adversus Dominum, & adversus Christum ejus.*

Psalm. 21, 17. *Quoniam circumdederunt me canes multi: concilium malignantium obsedit me.*

Psalm. 40, 6. & seq. *Inimici mei dixerunt mala mihi, Quando morietur & peribit nomen ejus? ..... Adversum me susurrabant omnes inimici mei, adversum me cogitabant mala mihi: verbum iniquum constituerunt adversum me.*

Psalm. 68, 13. *Adversum me loquebantur, qui sedebant in porta.*

Psalm. 93, 21. *Captabunt in animam Justi, & sanguinem innocentem condemnabunt.*

Sap. 2, 19. 20. *Contumelia & tormento interrogemus eum, ut sciamus reverentiam ejus, & probemus patientiam illius. Morte turpissima condemnemus eum.*

Isa. 53, 8. *De angustia & judicio sublatus est.*

Jerem. 11, 9. *Et ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam; & non cognovi, quia cogitaverunt super me consilia, dicentes, Mittamus lignum in panem ejus, & eradamus eum de terra viventium, & nomen ejus non memoretur amplius.*

MAtth. 20, 18. *Ecce ascendimus Hierosolymam, & Filius hominis tradetur Principibus Sacerdotum, & Scribis, & condemnabunt eum morte.* Et Marc. 10, 33.

Matth. 26, 66. *At illi respondentes dixerunt, Reus est mortis.* Et Marc. 14, 64.

Matth. 27, 3. *Tunc videns Judas, qui eum tradidit, quod damnatus esset, pœnitentia ductus, retulit triginta argenteos.*

Matth. 27, 26. *Tunc dimisit illis Barabbam; Jesum autem flagellatum tradidit eis, ut crucifigeretur.* Et Marc. 10, 33. & 15, 15. Luc. 23, 24. 25. Joh. 19, 13. & seq.

Luc. 23, 6. & seq. *Pilatus autem audiens Galilæam, interrogavit, si homo Galilæus esset. Et ut cognovit, quod de Herodis potestate esset, remisit eum ad Herodem, qui & ipse Jerosolymis erat illis diebus. Herodes autem viso Jesu, gavisus est valde; erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, eo quod audierat multa de eo, & sperabat signum aliquod videre ab eo fieri. Interrogabat autem eum multis sermonibus. At ipse nihil illi respondebat. Stabant autem Principes Sacerdotum & Scribæ, constanter accusantes eum. Sprevit autem illum Herodes cum exercitu suo, & illusit indutum veste alba, & remisit ad Pilatum. Et facti sunt amici Herodes & Pilatus in ipsa die: nam antea inimici erant ad invicem.*

Act. 4, 24. & seq. *Qui cum audissent, unanimiter levaverunt vocem ad Deum, & dixerunt, Domine, tu es qui fecisti cœlum & terram, mare, & omnia quæ in eis sunt: qui Spiritu sancto per os Patris nostri David pueri tui dixisti, Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania? Adstiterunt reges terræ, & principes convenerunt in unum; adversus Dominum, & adversus Christum ejus? Convenerunt enim vere in civitate ista, adversus sanctum puerum tuum Jesum quem unxisti, Herodes & Pilatus, cum Gentibus & populis Israel, facere quæ manus tua & consilium tuum decreverunt fieri.*

CAPUT CXXVII.

Jesus cruci suffigitur.

GEn. 22, 6. & seq. *Tulit quoque* (Abrahamus) *ligna holocausti, & imposuit super Isaac filium suum ..... Cumque alligasset Isaac filium suum, posuit eum in altare super struem lignorum.*

MAtth. 20, 19. *Tradent eum Gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum.*

Matth. 26, 2. *Scitis quia post biduum pascha fiet, & filius hominis tradetur ut crucifigatur.*

Matth.

Digitized by Google

Exod. 12, 1. & ſeq. *Dixit quoque Dominus ad Moyſen & Aaron in terra Ægypti ..... Loquimini ad univerſum cœtum filiorum Iſrael, & dicite eis, Decima die menſis hujus tollat unusquisque agnum per familias & domos ſuas .... Erit autem agnus absque macula, maſculus, anniculus ..... Et ſervabitis eum usque ad quartum decimam diem menſis hujus, immolabitque eum universa multitudo filiorum Iſrael ad veſperam. Et ſument de ſanguine ejus, ac ponent ſuper utrumque poſtem, & in ſuperliminaribus domorum, in quibus comedent illum. Et edent carnes nocte illa aſſas igni, & azymos panes cum lactucis agreſtibus.... Erit autem ſanguis vobis ſignum in ædibus, in quibus eritis, & videbo ſanguinem, & tranſibo vos .... Habebitis autem hanc diem in monumentum, & celebrabitis eam ſolennem Domino in generationibus veſtris cultu ſempiterno.*

Num. 21, 6. & ſeq. *Quamobrem miſit Dominus in populum ignitos ſerpentes, ad quorum plagas, & mortes plurimorum, venerunt ad Moyſem, atque dixerunt, Peccavimus, quia locuti ſumus contra Dominum ad te: ora ut tollat a nobis ſerpentes. Oravitque Moyſes pro populo, & locutus eſt Dominus ad eum, Fac ſerpentem æneum, & pone eum pro ſigno: qui percuſſus aſpexerit eum, vivet. Fecit ergo Moyſes ſerpentem æneum, & poſuit eum pro ſigno; quem cum percuſſi aſpicerent, ſanabantur.*

Pſalm. 21, 17. *Foderunt manus meas, & pedes meos: dinumeraverunt omnia oſſa mea. Ipſi vero conſideraverunt, & inſpexerunt me: diviſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem.*

Iſa. 53, 5. *Ipſe autem vulneratus eſt propter ſcelera noſtra: diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, & livore ejus ſanati ſumus.*

Ezech. 9, 4. & ſeq. *Et dixit Dominus ad eum, Tranſi per mediam civitatem in medio Jeruſalem, & ſigna Thau ſuper frontes virorum gementium & dolentium, ſuper cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio ejus. Et illis dixit audiente me, Tranſite per civitatem ſequentes eum, & percutite: non parcat oculus veſter, neque miſereamini. Senem, adoleſcentulum, & virginem, parvulum, & mulieres interficite, usque ad internecionem: omnem autem, ſuper quem videritis Thau, ne occidatis, & a ſanctuario meo incipite.*

Zach. 12, 10. *Et effundam ſuper domum*

Matth. 27, 22. & ſeq. *Dicit illis Pilatus, Quid igitur faciam de Jeſu, qui dicitur Chriſtus? Dicunt omnes, Crucifigatur. Ait illis Præſes, Quid enim mali fecit? At illi magis clamabant, dicentes, Crucifigatur .... Tunc dimiſit illis Barabbam; Jeſum autem flagellatum tradidit eis ut crucifigeretur .... Et poſtquam illuſerunt ei, exuerunt eum chlamyde, & induerunt eum veſtimentis ejus, & duxerunt eum ut crucifigerent. Exeuntes autem invenerunt hominem Cyrenæum, nomine Simeonem: hunc angariaverunt, ut tolleret crucem ejus. Et venerunt in locum, qui dicitur Golgotha, quod eſt Calvariæ locus. Et dederunt ei vinum bibere cum felle miſtum: & cum guſtaſſet, noluit bibere. Poſtquam autem crucifixerunt eum, diviſerunt veſtimenta ejus, ſortem mittentes.* Et Marc. 15, 13. & ſeq. Luc. 23, 21. & ſeq. Joh. 19, 6. & ſeq.

Matth. 28, 5. *Reſpondens autem Angelus dixit mulieribus, Nolite timere vos: ſcio enim quod Jeſum, qui crucifixus eſt, quæritis.* Et Marc. 16, 6.

Luc. 24, 20. *Et quomodo eum tradiderunt ſummi Sacerdotes, & principes noſtri in damnationem mortis, & crucifixerunt eum.*

Joh. 3, 14. 15. *Et ſicut Moyſes exaltavit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet Filium hominis.*

Joh. 8, 28. *Dixit ergo eis Jeſus, Cum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoſcetis quia ego ſum.*

Joh. 12, 32. 33. *Et ego ſi exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipſum. Hoc autem dicebat ſignificans, qua morte eſſet moriturus.*

Act. 2, 36. *Certiſſime ſciat ergo omnis domus Iſrael, quia & dominum eum & Chriſtum fecit Deus, hunc Jeſum quem vos crucifixiſtis.* Et Act. 4, 10.

Act. 5, 30. *Deus patrum noſtrorum ſuſcitavit Jeſum, quem vos interemiſtis, ſuſpendentes in ligno.* Et Act. 10, 39. & 13, 29.

1. Cor. 1, 23. *Nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum.*

1. Cor. 2, 2. 8. *Non enim judicavi me ſcire aliquid inter vos, niſi Jeſum Chriſtum, & hunc crucifixum ..... Si enim cognoviſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent.*

1. Cor. 5, 7. *Etenim paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus.*

1. Cor. 13, 4. *Nam etſi crucifixus eſt ex infirmitate, ſed vivit ex virtute Dei.*

Digitized by Google

David, & ſuper habitatores Jeruſalem, ſpiritum gratiæ & precum: & aſpicient ad me quem confixerunt; & plangent eum planctu quaſi ſuper unigenitum, & dolebunt ſuper eum, ut doleri ſolet in morte primogeniti.

Zach. 13, 6. *Et dicetur ei, Quid ſunt plagæ tuæ in medio manuum tuarum? Et dicet, His plagatus ſum in domo eorum qui diligebant me.*

Gal. 2, 19. *Chriſto confixus ſum cruci.*

Gal. 3, 1. 2. *O inſenſati Galatæ, quis vos faſcinavit non obedire veritati, ante quorum oculos Jeſus Chriſtus proſcriptus eſt, in vobis crucifixus?*

Gal. 6, 14. *Mihi autem abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo.*

Phil. 2, 8. *Humiliavit ſemetipſum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.*

Ebr. 12, 2. *Aſpicientes in auctorem fidei, & conſummatorem Jeſum, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem, confuſione contemta.*

Apoc. 1, 7. *Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt, & plangent ſe ſuper eum omnes tribus terræ.*

Apoc. 7, 2. 3. *Et vidi alterum Angelum aſcendentem ab ortu Solis, habentem ſignum Dei vivi, & clamavit voce magna quatuor Angelis, quibus datum eſt nocere terræ & mari, dicens, Nolite nocere terræ & mari, neque arboribus, quoadusque ſignemus ſervos Dei noſtri in frontibus eorum. Et audivi numerum ſignatorum; centum quadraginta quatuor millia ſignati, ex omni tribu filiorum Iſrael.*

Apoc. 11, 8. *Et corpora eorum jacebant in plateis civitatis magnæ, quæ vocatur ſpiritualiter Sodoma, & Ægyptus; ubi & Dominus eorum crucifixus eſt.*

I. *Chriſto Jeſu addicitur Pſalmus 21, 17.* II. *Refelluntur argumenta Adverſariorum. Primum argumentum.* III. *Secundum argumentum.* IV. *Thau Samaritticum* σαυροειδὲς *Ezechieli memoratum, crucis Chriſti ſymbolum.* V. *Chriſto Jeſu addicitur Zach. 12, 10. & 13, 6.* VI. *Refelluntur argumenta Adverſariorum. Primum argumentum.* VII. *Secundum argumentum.* VIII. *Diſputatur utrum in Pſalm. 95, 10. genuina ſit ſcriptura hæc, Dominus regnavit a ligno.* IX. *Grammatica obſervatio primi verſus Pſalmi primi admiratione digna.*

Chriſto Jeſu addicitur Pſalm. 21, 17

I. PSalmo viceſimo primo Chriſtum prædici, & in Propoſitione ſeptima, & iterum deinde ad centeſimum viceſimum tertium Paralleliſmi caput evicimus. Non ſemel ergo petita ex eo oracula in teſtimonium adduxerunt Novi Teſtamenti Scriptores; quod non feciſſent utique, niſi Pſalmum vulgo in eamdem flecti ſententiam exploratum habuiſſent. At non levis controverſia mota eſt ſuper decimo ſeptimo commate, quo ſupplicium Chriſti Jeſu clariſſime præſignatum eſt. Nam quod habet vulgata interpretatio: *Foderunt manus meas & pedes meos*, Ebraice in קרי ſic conceptum eſt, כרו ידי ורגלי. Hanc lectionem ſecuti ſunt Septuaginta Interpretes: verterunt enim: ὤρυξαν χεῖράς μου καὶ πόδας. Sic Syrus Interpres, ſic Arabs. At in כתיב, pro כרו ſcribitur כארי: ut ſenſus ſit: *Sicut leo manus meas & pedes meos;* quæ cum pendula ſint & imperfecta, ad explendam ſententiam addi volunt hujus lectionis aſſertores, *obſervaverunt*, vel *momorderunt*, vel *laceraverunt*, aut aliquid hujusmodi. Quod videtur ſecutus Paraphraſtes Chaldæus, adjecta dictione ad integritatem ſententiæ. Ita & R. Selomoh Jarchi. Aben Ezra repeti jubet ἀπὸ κοινοῦ, (*ex communi*) *circumdederunt*, quod eſt in ſuperiori commate. כארי Judæorum fraude confictum fuiſſe queruntur Chriſtiani: contra a Chriſtianis nativam ſcriptionem in כרו tecoctam Judæi cauſſantur, ac inter eos præcipue R. David Kimchi. Utri verius, exiſtimare promtum eſt. Nam כרו legerunt Septuaginta Senes, ut dixi, vetuſtiſſimi Interpretum omnium Scripturæ ſacræ qui ſuperſunt, Chriſto Jeſu antiquiores; verterunt quippe ὤρυξαν. Et Ebraicum Pſalmorum exemplar vidiſſe ſe teſtatur Iſaac Levita, in quo ſcriptum erat כרו; adtexta ad oram voce כארי, quam ſexcentis adhinc annis Judæi invexerunt. Deinde ex קרי וכתיב apparet, utramque lectionem Ebræorum libros habuiſſe. Habuerunt certe Codices quidam כארי, ut ipſe teſtantur Maſorethæ, quod a Chriſtianorum lectione differt unica litera א. Eam eſſe paragogicam Judæi nonnulli fatentur. Atqui certum eſt abfuiſſe illam

Iſ. Lev. Deſent. verit. Ebr.

Digitized by Google

illam ab optimis quibusdam exemplaribus Christianorum, quorum Judæi ipsi integritatem & fidem agnoverunt. Quid quod traditur in parva Masora, vocis ipsius כארי significationem eodem ac significationem vocis כרו recidere? nempe, opinor, quod sive unguibus, sive dentibus utatur leo ad capiendam & vorandam prædam, carnes pungit & perfodit. Quod cum ita sit, mihi ea longe videtur præferenda lectio, quæ integra est, καὶ ἐκπερίζει τὴν διάνοιαν (*& complet sententiam*) ei quæ trunca est & pendula, & animum relinquit incertum. Probabile est hoc proveniſſe ex Tikkun sopherim, sive *Correctione Scribarum*, qui ut præclari hujus oraculi vim alio converterent, incrustarunt vas sincerum, quod & alibi sæpe factum ab iis alii observarunt.

Refellantur argumenta adversariorum. Primum argumentum.

II. At crimen in Christianos retorquet R. Lipman in Nitzachon, atque vaticinium hoc ab iis adulteratum ex eo probat, quod a Judæorum moribus adhorreret, noxios cruci suffigere. Verum quo tempore interfectus est Christus Jesus, jus vitæ & necis Judæis erat ademtum. *Nobis*, inquiunt, *non licet interficere quemquam.* At judicia capitalia & supplicia moribus Romanis tunc exercebantur. Supplicium ergo juxta alienos mores Jesu irrogandum esse prædixit David, irrogatum Evangelistæ retulerunt. Et ut hoc supplicio afficeretur Christus, magnis convitiis, & repetitis clamoribus Judæi postularunt a Pilato, & vi tantumnon adhibita impetrarunt. Cæterum a Lipmanni criminatione Christianos satis vindicant Interpretes Septuaginta, qui, ut jam notavi, כרו legarunt, & verterunt, ὤρυξαν.

Joh. 19, 31.

Secundum argumentum. Theodor. Mopsuest. Coll. 4. Conc. Const. 11.

III. De lectione non disputat Theodorus Mopsuestenus, verum nullam hic futurorum, sed præsentium duntaxat significationem contineri pertendit. Totum ergo ad allegoriam convertit; atque id, *Foderunt manus meas & pedes meos*, exponit, Arcana mea scrutati sunt, & hoc translatum putat ex iis, quæ scrutando & fodiendo eruuntur. *Dinumeraverunt omnia ossa mea*, tractum esse vult ex eorum consuetudine, qui devictorum hostium bona recensent. Violenta sane & inverecunda fuerit utraque translatio hæc, si translatio est, *Ipsi vero conſideraverunt & inſpexerunt me*; ea nimirum, inquit, patientem quæ volebant. Recte, nam id Christianæ expositioni congruit. *Diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem*; hoc est, inquit, Facultates meas vi ademtas sorte inter se partiti sunt; quam interpretationem amplectitur Grotius. Paulo quidem tolerabilior illa est, sed non ita tamen, ut eam quæ est κατὰ λέξιν, (*secundum verba*) & nativos ac obvios verborum sensus in rebus gestis quærit & invenit, aspernemur, vel aliorsum pro lubitu flectamus. Nam cui persuaserit Theodorus, casu factum, ut quæ metaphorice dixerat Psaltes, ea κατὰ λέξιν pedum manuumque Christi fossionem, nec non dirum illud ac triste spectaculum, quod de cruce pendens Jesus præbuit, ac vestium quoque ipsius partitionem sorte factam accurate referrent? Sed hunc Psalmum nos supra jam satis excussimus.

IV. Crucis Christi non rudem aliquam & obscuram informationem, sed expressam effigiem dedit Ezechiel, seu potius apud Ezechielem Deus ipse, cum piorum hominum frontes signari jussit litera Thau; interfici vero eos, qui ea notati non essent. Illo tempore priscis elementis Samariticis Ebræi utebantur; Samaritæ vero literas singulas multiplici forma depingebant. Et Thau quidem, quæ postrema erat, præter alias formas, crucis speciem obtinebat; non ejus duntaxat, in qua lignum transversum sustinet stipes arrectarius, sed alterius etiam quæ χιαδὴς (*similis literæ χ*) est, sive decussata. Utramque crucis formam habet litera Thau in vetustis Ebræorum siclis, qui servantur in eruditorum loculis, & in illorum libris pinguntur. Unde a Scaligeri animadversione defenditur Origenes, qui hoc Ezechielis testimonium exponens, accepisse se scribit ab Ebræo quodam, Christi doctrinam amplexo, in antiquis elementis Ebræorum Thau formam crucis habere. Antiqua elementa appellat, ἐχαῖα στοιχεῖα, Samariticas literas; quas ab Ebraicis recentioribus, seu potius Babylonicis, quibus post Babylonicam captivitatem uti cœperunt Judæi, accurate distinguit his verbis, quæ e veteri Catena in Psalmos excerpsimus: καὶ ἐν τοῖς ἀκριβέσι τῶν ἀντιγράφων ἑβραϊκοῖς ἐχαίοις γράμμασι γέγραπται, ἀλλ' οὐχὶ τοῖς νῦν. Φασὶ γὰρ τὸν Ἔσδραν ἑτέροις χρήσασθαι μετὰ τὴν αἰχμαλωσίαν. *Et in accuratioribus exemplaribus ſcriptum eſt vetuſtis literis Ebraicis, non hodiernis. Narrant enim Esdram*

Supr. Prop. 9. c. 123. *Thau Samaritic.*

τὰ περὶ τὸν Ezechieli memoratum crucis Christi ſymbolum.

Scalig. in Euſ. Chr.

Digitized by Google

Esdram post captivitatem aliis esse usum.

Hieron. in Ezech. 7. 4. Hieronymus Thau Ezechielis *perfectam in viris gementibus & dolentibus scientiam demonstrare* suspicatur, conjectura ducta a voce תם, quæ *perfectum* sonat; vel notari observationem Legis, quæ תורת dicitur: quam expositionem Ebræis adscribit. Tum subjicit: *Et ut ad nostra veniamus, antiquis Ebræorum literis, quibus usque hodie utuntur Samaritani, extrema Thau litera crucis habet similitudinem, quæ in Christianorum frontibus pingitur, & frequenti manus inscriptione signatur.* At cum Origeni & Hieronymo fidem detrahere nititur Scaliger, audacter facit & inconsulte: audacius etiam, cum ad siclos provocat, qui præcipitem ipsius temeritatem arguunt, & Origeni ac Hieronymo faciunt fidem. Probabile quidem est post Christi mortem Samaritas, subdolam gentem, ut Christianorum causam hoc Ezechielis testimonio nudarent, literæ Thau figuram σταυροειδῆ (*crucis similem*) rarissime usurpasse; alias vero literæ ejusdem formas in libris suis adhibuisse. Itaque in Grammaticis libris Samaritarum, quos consuluerat Scaliger, unica fuit forma literæ Thau, a crucis signo diversa. Verum qui vel R. Azariam, vel Angelum e Roccha adiverit, & in consilium adhibuerit, Scaligeri errorem deprehendet. Huc adde Thalmudicos magistros asseverare, Sacerdotum suorum, eum ungerentur, frontibus formam χιαδὴ (*similem literæ* χ) sacro chrismate fuisse illitam. Porro non apud Samaritas solum, & veteres Ebræos, sed ipsos etiam Pœnos, proindeque & Tyrios; apud Æthiopes quoque; nec non & apud Græcos & Latinos Thau caret illo vertice supra lignum transversum eminente, in quo αἰτία, (*causa*) sive titulus noxii scribebatur; quem verticem Thau aliarum gentium retinet. Quanquam & in veteribus Græcorum libris & inscriptionibus nonnullis, Thau cum apice nonnunquam visitur. Apud Coptos Dau simile est Thau Græci sine apice; sed penultima litera, quæ est Dei, prorsus similis est Æthiopici & Samaritici Thau, quod verticem gerit. Quamobrem & Salebdei nominari ajunt, hoc est, *Dei cruciforme.* Crucem enim *Saleb* appellant. Ergo Copti Dau suum habuere a Macedonibus Alexandrinis: at Dei litera videtur esse Ægyptiacæ originis. Sed & Ægyptii a vetustis temporibus cruci dederunt locum inter Hieroglyphica sua, in quibus Isis, aliique Dii crucem manu tenentes exhibentur. Utcunque est, ex hac dissertatione colligimus, singulas has gentes, apud quas præcipue Christi doctrina propagata est, in literis suis reperire, unde vaticinium Ezechielis Christi crucem prænuntiare comprobetur.

Scio plerosque ת Ezechielis, non Thau literam, sed *signum* interpretari. Sic Septuaginta, & Jonathan; sic Syrus, & Arabs; sic Aquila; & Symmachus, juxta Hieronymi testimonium. Sic Cyprianus: *Apud Ezechielem*, inquit, *dicit Deus, Notabis signum super frontes virorum.* Rursum: *Omnem autem super quem signum scriptum est.* Matthæus quoque Ezechielem respexisse videtur, cum diceret: *Et tunc parebit signum Filii hominis in cœlo.* Apertissime vero Johannes in Apocalypsi: *Et præceptum est illis, ne lederent fœnum terræ, neque omne viride, neque omnem arborem; nisi tantum homines, qui non habent signum Dei in frontibus suis.* Verum aliter Theodotion, qui literam Ebraicam Thau expressit, teste Hieronymo: quod & ab Aquila factum docet Origenes: cujus verba repræsentat Romana editio Scripturæ sacræ. Tertullianus quoque Thau reddidit, vel, quod potius reor, in veteri interpretatione Latina sic redditum exscripsit: at Samaritice linguæ imperitus Tau Græcum, & T Latinum ab Ezechiele præsignari censuit. *Ipsa est enim*, inquit, *littera Græcorum Tau, nostra autem T species crucis, quam portendebat futuram in frontibus nostris, apud veram & Catholicam Jerusalem.* Atqui vetus illa Latina interpretatio, unde hæc sumsit Tertullianus, excusa erat ad editionem Septuaginta Senum. Quamobrem facile ducor ad suspicandum, pro eo quod apud illos vulgo legitur: ἐπὶ δὲ πάντας ἐφ' οὓς ἐστι τὸ σημεῖον, μὴ ἐγγίσητε, *Ad eos omnes, super quos est signum, ne accedatis*, legendum esse: ἐπὶ δὲ πάντας ἐφ' οὓς ἐστι ταῦ σημεῖον *Ad eos omnes, super quos est Thau signum, ne accedatis.* Proindeque & paulo superius emendandum erit: νῦν δὸς ταῦ σημεῖον ἐπὶ τὰ μέτωπα τῶν ἀνδρῶν τῶν κατεστεναζόντων. *Et da Thau signum super frontes virorum gementium.* Quod ad Matthæum & Johannem attinet, propositum non habuerunt ipsa Ezechielis verba rependere, sed ad sententiam tantum alluserunt.

Cypr. l. 2. Test. adv. Jud. c. 22.

Matth. 24. 30.

Apoc. 9. 4.

Hieron. in Ezech. 9. 4.

Tertull. adv. Jud. cap. 11.

Tertull. adv. Marc. l. 3. c. 22.

V. Postrema

Christi Jesu addititur Zach. 12. 10. & 13. 6.

V. Postrema illa duo, quæ Zacharias suppeditavit oracula, in Christo Jesu completa esse, ultima Prophetæ hujus capita, si simul spectentur, manifestum facient. Nam si ab eo undecimi capitis ordiamur loco, in quo traditionem Jesu prædictam esse proxime ostendimus, statim subest Judæ & Israelis disjunctio, quæ notat consanguineorum dissociationem per Christum prædictam & factam, his ipsius capessentibus doctrinam, illis Mosis, istis Ethnicorum instituta sectantibus. Unde sic Jesus ipse de se: *Putatis quia pacem veni dare in terram? non, dico vobis, sed separationem: erunt enim ex hoc quinque in domo una divisi: tres in duos, & duo in tres dividentur; pater in filium, & filius in patrem suum; mater in filiam, & filia in matrem; socrus in nurum suam, & nurus in socrum suam.* Tum objurgat pastores nequam Zacharias, quemadmodum & Jesus decimo Johannis capite. Ecclesiæ deinde victorias spondet, hostibus vero Ecclesiæ certum minatur exitium. His subnectitur missio Spiritus sancti, de qua luculenter agemus infra. Explicat postmodum Christi Jesu supplicium: *Et aspicient ad me quem confixerunt, & plangent eum planctu quasi super unigenitum, & dolebunt super eum, ut doleri solet in morte primogeniti.* In Christum Jesum quadrare istud tradit Johannes decimo nono capite: *Facta sunt enim hæc, ut Scriptura impleretur, Os non comminuetis ex eo. Et iterum alia Scriptura dicit, Videbunt in quem transfixerunt.* Eodem pertinet istud ex Apocalypsi: *Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt: & plangent se super omnes tribus terræ.* Atqui in Christum Jesum hæc torquere minime fuissent ausi Novi Testamenti Scriptores, ut sæpe jam dixi, nisi receptam esse in vulgus opinionem hanc sciviſſent. Indidem petitum videtur istud Christi Jesu apud Matthæum: *Et tunc parebit signum Filii hominis in cœlo, & tunc plangent omnes tribus terræ, & videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute multa & majestate.* Quorsum *Unigenitus* appelletur Christus Jesus, nihil attinet dicere. Septuaginta habent: ὡς ἐπ' ἀγαπητῷ *Quasi super dilecto*; quippe Jesum Deus Pater de cœlo Filium suum dilectum non semel appellavit. Ecquid vero dicatur Primogenitus, demonstrat supra Paralleliſmus. Quam simile vero Zacharianum hoc istis Psalmi vicesimi primi, quæ Christo addiximus: *Foderunt manus meas & pedes meos. Ipsi vero consideraverunt & inspexerunt me.* Jam vero ille: *Fons patens domui David, & habitantibus Jerusalem in ablutionem peccatoris*, Christus Jesus est, quem sub fontis, & aquæ, & fluvii noxiorum sordes eluentis symbolo Testamenti utriusque Auctores exhibent in Paralleliſmo. Idola deinde conterit, quod Christi Jesu munus esse approbat itidem Paralleliſmus. Tum Pseudoprophetas exterminat, & Spiritus nequam profligat. Quippe sic & Christus Jesus apud Matthæum: *Attendite a falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium; intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Et alibi: *Videte, ne quis vos seducat; multi enim venient in nomine meo dicentes, Ego sum Christus, & multos seducent.* Et mox: *Si quis vobis dixerit, Ecce hic est Christus, aut illic, nolite credere: surgent enim Pseudochristi, & Pseudoprophetæ; & dabunt signa magna & prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi.* Idem argumentum fuse tractat Paulus in posteriore Epistola ad Timotheum, nimirum Christi Jesu præceptis imbutus: Johannes quoque, eodem præceptore usus, sic disserit in prima Epistola: *Charissimi, nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sint: quoniam multi Pseudoprophetæ exierunt in mundum. In hoc cognoscitur Spiritus Dei: omnis spiritus, qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est: & omnis spiritus, qui solvit Jesum, ex Deo non est, & hic est Antichristus, de quo audistis, quoniam venit, & nunc jam in mundo est.* Tangit postea Zacharias supplicium Christi, atque id claris adeo & perspicuis designat notis, ut rem præsentem describere, non futuram prædicere videatur: *Et dicetur ei, Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? Et dicet, His plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me.* Scio equidem, quid postulet verborum istorum connexio cum superioribus, & ἀλληλοχία *(mutua cohærentia)* Agit Zacharias de Pseudopropheta, qui postquam falsiloquia sua Dei nomine prætexuerit, *Configent eum*, inquit, *pater ejus, & mater ejus.* Tum subjungit: *Et dicetur ei, Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? Et dicet, His plagatus sum in domo eorum, qui*

Luc. 12. 51. & seq.

Joh. 19. 37.

Apoc. 1. 7.

Matth. 24. 30.

Matth. 7. 15.

Matth. 24. 4. & seq.

2. Tim. 3. 1. & seq.

1. Joh. 4. 1. & seq.

Digitized by Google

diligebant me. Plane hæc cohærent, Verumtamen non eadem prorsus subjacet clausulæ utrique sententia: nam quem a parentibus confixum dixit, quemadmodum verterunt Aquila, Theodotion, Symmachus, Jonathan, & Vulgatus Interpres, ferro ad mortem confossum utique significavit: hic enim videtur esse sensus vocis דקרו, & capitale scelus fuit, prophetiæ munus temere usurpare, juxta Legem Mosis. Atqui lethalia vulnera non sunt, quæ manibus infliguntur. Vides Zachariæ mentem a Pseudoprophetæ supplicio ad Christi ipsius Prophetarum ultoris supplicium sensim & λελωβήτως *(sine sensu)* converti. Unde continuo hæc subnectit: *Framea suscitare super pastorem meum, & super virum cohærentem mihi, dicit Dominus exercituum: Percute pastorem, & dispergentur oves: convertam manum meam ad parvulos:* quæ Christo Jesu manifestis rationibus supra adjudicavimus. Itaque prius illud comma de manibus transfossis est ejusmodi, ut accommodari possit ad præsentia, in quibus de Pseudoprophetæ supplicio agitur; & ad sequentia, in quibus agitur de supplicio Christi Jesu, veri quidem Prophetæ, ad Pseudoprophetæ habiti; sed ita tamen ut Jesu longe aptius conveniat. Pergit Zacharias, & postquam Christi mortem, & Discipulorum Christi dispersionem prædixit, Evangelium promulgandum prænuntiat, & homines quosdam ad salutem eligendos, plures reprobandos: quibus consona sunt Matth. 7, 13. ista Christi Jesu apud Matthæum: *Quam angusta porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inveniunt eam!* & Matth. 20, 16. & 22, 14. 1. Cor. 1, 26. & seq. ista: *Multi enim sunt vocati, pauci vero electi.* unde Paulus in priore ad Corinthios: *Videte enim vocationem vestram, Fratres quia non multi sapientes, non multi nobiles; sed quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, ut confundat sapientes; & infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia; & ignobilia mundi, & contemtibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret, ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus.* Stulta illa Pauli, & ignobilia, & contemtibilia, & quæ non sunt, *Parvulos* Zacharias appellat, eosque manu sua sublevaturum se Deus pollicetur. At variis tamen tormentis fidem eorum & virtutem exploratum iri docet Propheta; martyriis nempe ac supplicüs, quæ Discipulis Jesu Christi irrogata sunt, juxta prædictiones Veteris Testamenti in Novo completas, quas in Paralleliſmo collegimus. Decimo quarto demum capite excidium Hierosolymitanum, Evangelii promulgationem, gentium vocationem, Ecclesiæ constitutionem, & pios omnes in unum ovile sub uno pastore cogendos vaticinatur: quæ omnia suis locis Paralleliſmus iste pertractat. Ergo ex tota Zachariane hujus prophetiæ compage & consensu intelligitur, duo commata hoc capite a nobis inde depromta, ad exitum in Christo Jesu, itidem ut reliqua, perveniſſe. Neque Judæi infitiantur. Gemara Thalmudici libri Sucah, ad Messiam Josephi filium, Suc. cap. 5. quem olim interficiendum esse opinantur, prius refert Zachariæ vaticinium: *Et aspicient* Zach. 12, 10. *ad me quem confixerunt:* cui assentitur Aben-Ezra. At R. Moses Haddarsan in Beresith Rabba refert ad Messiam Davidis filium. In altero vero oraculo Messiæ adscribendo adstipulatorem quoque habemus Aben-Ezram, qui in Messiam filium Josephi hæc flectit.

VI. Verum enimvero prius hoc Zachariæ testimonium non una labes occupavit; unde genuina ejus sententia in dubium vocari possit. Primum vitio insidentur hæc verba: והביטו אלי, *Et aspicient ad me.* Quibus cum Christi divinitatem probari animadverterent Judæi (quippe cum idem se confixum fuisse dicat, qui spiritum gratiæ se effusurum promittit, quod Dei solius est) adulteras iis admoverunt manus, & pro אלי, scripserunt אליו, *ad eum*, ut alius sit gratiæ largitor, alius plagis confixus, & lamentis ac planctibus comploratus. At nos supra certis indiciis deprehensam hanc fallaciam convicimus. Subest deinde: את אשר דקרו, *Quem confixerunt.* Septuaginta reddunt: ἐπ' ὃν κατωρχήσαντο· *Proeo, quod ludibrii causſa saltaverunt.* Nempe transpositis elementis legerunt, ורקדו. Quanquam nec satis constanter lectionem hanc retinent Codices Septuaginta Senum; nam editiones quædam utrumque retinent, εἰς ὃν ἐξεκέντησαν, ἐπ' ὃν κατωρχήσαντο. *In quem confixerunt; pro eo quod ludibrii causſa saltaverunt.* Aldina editio habet: εἰς ὃν ἐξεκέντησαν. *Quem pupugerunt.* Sic quoque vetustissimus Codex Barberinus. Sic legit & Cyprianus, sic Theodoretus, sic alii. Et ante illos Johannes Evangelista: Joh. 19, 37. nec enim aliunde, quam ex Interpretibus Septuaginta petitum id existimaverim, quod affert

Refelluntur argumenta adversariorum.

Primum argumentum.

affert Johannes : ὄψονται εἰς ὃν ἐξεκέντησαν. *Videbunt in quem transfixerunt.* Quanquam aliter visum Hieronymo, qui hic Ebraica secutum Johannem arbitratur. Sed cum inter Græcos, & a Græcis rogatus Evangelium suum scripserit, id haud dubie assectatus est Græcum exemplar, quod tum maxime usurpabatur vulgo, & κοινὴ ἔκδοσις *(vulgata editio)* appellabatur. Illud autem fuisse certum est Septuaginta Senum. Nam, ut id obiter moneam, Evangelium in Judæorum gratiam & inter Judæos scripsit Matthæus, auctore Irenæo; Marcus in gratiam Romanorum, utpote quod Romæ iis postulantibus scripserit, testibus Eusebio & Hieronymo; Lucas Hellenistarum, quippe Antiochensis, inter Helleniſtas natus; Johannes Græcorum, Ephesi nimirum, rogatus ab Episcopis Asiæ, ut docet ex Irenæo Eusebius, ex Eusebio Hieronymus: sic tamen ut Evangelia sua Scriptores hi quatuor, totius etiam Ecclesiæ communia esse vellent, ab eaque uno consensu recepta sint. Facile itaque satisfacimus Hieronymo quærenti: *Si quis non recipit, det testimonium, de quo sanctarum Scripturarum loco Johannes ista protulerit, & cum non repererit, cogetur ingratis suscipere veritatem.* Protulisse ista Johannem ex Zachariæ duodecimo capite, juxta Septuaginta Senum interpretationem, respondemus. Scio notasse alibi Hieronymum, Apostolos & Evangelistas Ebraicum sequi potius Veteris Testamenti exemplar, quam Interpretes Septuaginta, si quando hi discrepent ab Ebraicis. At nos id semper ab iis factum negamus; imo vero contrarium sæpe observavimus, & rarissime Ebraicis eos hæsisse possumus asseverare. Plurimis id exemplis probare possemus, si ea res ageretur. Quamobrem de Græca interpretatione sic ad Hieronymum scribit Augustinus: *Non parvum pondus habet illa, quæ sic meruit defamari, & quæ usos Apostolos non tantum res ipsa indicat, sed etiam te attestatum esse memini.* Hæc erat κοινὴ Editio, quæ cum varias passa esset depravationes, in aliquibus Ebraicæ veritati consentiebat, dissentiebat in aliis. Hinc factum est, ut cum Evangelistæ & Apostoli κοινὴν (*Vulgatam*) assectarentur, tantum consonarent Ebraicis, quantum iisdem κοινὴ (*Vulgata*) consonabat. Cum vero postmodum Origenes, aliique deinde Interpretationem Septuaginta Senum emendassent, novæ prodierunt editiones, quarum aliæ magis, minus aliæ Ebraicis consentiebant. Ergo Hieronymus, aliique recentiores depromta in Novo Testamento testimonia exigentes ad sua Septuaginta Seniorum Editionis exemplaria, κοινῆς (*vulgatæ*) nimirum, ut videtur, quippe frequenti usu ab omnibus teri solitæ, si quando ab iis discrepare, Ebraicis vero consentire illa notassent, ex Ebraico arcessita ea ab Evangelistis & Apostolis opinati sunt. Velut hanc clausulam ex Zacharia a Johanne prolatam, ab Ebraicis manasse censet Hieronymus, cum ex κοινῇ (*Vulgata*) profecta videatur. Demus tamen, ita scripsisse Septuaginta Interpretes, quemadmodum hodierni codices habent, ἐφ' ὃν κατωρχήσαντο, *Pro eo, quod ludibrii causa saltaverunt*, non obscura hæc erit contumeliarum Christi Jesu significatio, cum ludibrio ac derisui Judæis habitus est. Ita quidem loci huius sententiam exponit Hieronymus. At vero vulgatam scriptionem secutus est Aquila; vertit enim, σὺν ᾧ ἐξεκέντησαν *Cum quo pupugerunt.* Secutus est & Theodotion, qui habet, ὃν ἐξεκέντησαν, *Quem pupugerunt*; & Symmachus, cujus hæc est interpretatio, ἔμπροσθεν ἐπεξεκέντησαν. *Anteriore parte confixerunt.*

Hieron. in Zach. 12, 10.

Iren. lib. 3. Euseb. Hist. l. 5. c. 8. & l. 2. c. 15. Hieron. de Script. Eccl. in Marc. Iren. libr. 3. Euseb. Hist. l. 3. c. 24. & l. 5. c. 8. Hieron. de Script. Eccl. in Luca.

Hieron. in Zach. 12, 10.

Hieron. Proœm. in l. 15. & 16. Isa. & Præf. in Esdr. & Nehem.

VII. Nec incastigatam præterire sinam, quam dedit Grotius, oraculi hujus expositionem. Præfert ille quidem interpretationem vulgatam: *Et aspicient ad me, quem confixerunt.* At alium inde sensum elicit, ac vulgo fit: *Nam configere*, inquit, *Deum dicuntur, qui eum probris lacessunt:* quo commento splendidam supplicii Jesu Christi prædictionem obtundit. Ego vero vocabulum דקר, hac significatione nusquam usurpari ajo; neque hic apud Zachariam ullo modo pati connexionem sequentium, ut in eum sensum trahi possit. Nam quid sibi velle dicamus ingentem planctum & lamenta, quibus futurum prædicit, ut Judæorum familiæ prosequantur eum, qui fuit confixus? Cuilibet attento patet, lessum in defuncti alicujus funere habitum describi: *Et aspicient ad me quem confixerunt; & plangent eum planctu quasi super unigenitum; & dolebunt super eum, ut doleri solet in morte primogeniti.* Nec sibi constat Grotius; nam septimum comma capitis primi Apocalypseos, quod Zachariani illius germanum est,

Secundum argumentum. Grot. in Zach. 12, 10. & Joh. 19, 37.

Digitized by Google

mala Ecclesiis illata notare censet. At res profecto diversæ sunt, Deum convitiis proscindere, & Ecclesiæ mala inferre. Quæ opinionum levitas, earumdem vanitatem arguit.

Disputatur utrum in Psal. 95, 10. genuina sit scriptura hæc, Dominus regnavit a ligno.

VIII. Non absre erit celeberrimum repetere Psalmi nonagesimi quinti comma, multis controversiis agitatum; quo, si integrum esse constaret, supplicium Christi clarissime prædici fatendum esset: *Dicite in gentibus, quia Dominus regnavit a ligno.* Postrema hæc verba a Judæis fuisse inducta & oblitterata queritur Justinus adversus Tryphonem. Eadem repræsentant vetustiores Latini Patres Tertullianus, Arnobius, Lactantius, alii; & prisci item codices nonnulli. Sed tamen cum tale nihil extet, vel in exemplaribus Ebraicis, vel in Thargum, vel in Interpretibus exoticis; neque ea agnoscant Symmachus, aut Theodoretus, aut alii, nullum in hoc testimonio causæ nostræ firmamentum collocabimus. In quo quam bona fide, quamque moderate agamus, Adversarii possunt agnoscere.

Grammatica observatio primi versus Psalmi primi admirationedigna.

IX. Claudam hoc caput in observatione quadam; quæ etsi tota Grammatica est, mihi tamen summa videtur admiratione digna. Primi Psalmi hoc initium est Ebræis: אשרי האיש אשר לא הלך בעצת His si aliam adhibueris distinctionem, & ita interpunxeris: אשר וה איש אשר לאה לך בעצ ת: horum ista erit significatio: *Canam Deum hominem, qui afflictus est pro te in cruce* ת. Illud ת quod clausulam terminat, & videtur otiosum, ipsam continet figuram crucis: non uti charactere Babylonico hic pingitur, sed uti Samaritano: quemadmodum mox docui. Quæ sane non casu, nec תּוּ facta putem. Nam & in Psalterii fronte præfixa sunt, libri Judæis & Christiani frequenti usu teri soliti: & Messiæ itidem humanitatem notant, & ejusdem mortem, atque etiam mortis causam, & genus, & instrumenti formam. Cum id valde mirabile est, tum imprimis utile adversus Judæos, qui Grammaticis hujusmodi observationibus delectantur, atque ita suis ipsi in castris cædendi sunt.

CAPUT CXXVIII.

Jesus inter duos latrones cruci suffigitur.

ISa. 53, 12. *Ideo dispertiam ei plurimos, & fortium dividet spolia, pro eo, quod tradidit in mortem animam suam, & cum sceleratis reputatus est.*

MAtth. 27, 38. *Tunc crucifixi sunt cum eo duo latrones, unus a dextris, & unus a sinistris.* Et Luc. 23, 33. Joh. 19, 18.

Marc. 15, 27. *Et cum eo crucifigunt duos latrones, unum a dextris, & alium a sinistris ejus.* *Et impleta est Scriptura, quæ dicit, Et cum iniquis reputatus est.*

Luc. 22, 37. *Dico enim vobis, quoniam adhuc hoc, quod scriptum est, oportet impleri in me, Et cum iniquis deputatus est.*

CAPUT CXXIX.

Jesus signum.

NUm. 21, 9. *Fecit ergo Moyses serpentem æneum, & posuit eum pro signo, quem cum percussi aspicerent, sanabantur.*

Isa. 11, 10. 12. *In die illa radix Jesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur, & erit sepulcrum ejus glorioſum.... Et levabit* (Dominus) *signum in nationes.*

Isa. 49, 22. *Hæc dicit Dominus Deus, Ecce levabo ad gentes manum meam; & ad populos exaltabo signum meum. Et afferent filios tuos in ulnis, & filias tuas super humeros portabunt. Et erunt reges nutritii tui, & reginæ nutrices tuæ: vultu in terram demisso adorabunt te, & pulverem pedum tuorum lingent.*

MAtth. 12, 38. & seq. *Tunc responderunt ei quidam de Scribis & Phariſæis dicentes, Magister, volumus a te signum videre. Qui respondens ait, Generatio mala & adultera signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ Prophetæ. Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus, sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus.* Et Matth. 16, 1. & seq. Luc. 11, 16. 29.

Matth. 24, 29. 30. *Statim autem post tribulationem dierum illorum Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cœlo, & virtutes cœlorum commovebuntur.*

Et tunc

Digitized by Google

Isa. 55, 11. 13. *Sic erit Verbum meum, quod egredietur de ore meo: non revertetur ad me vacuum, sed faciet quæcunque volui, & prosperabitur in his, ad quæ misi illud ..... Pro sentiunca ascendet abies, & pro urtica crescet myrtus, & erit Dominus nominatus in signum æternum, quod non auferetur.*

Isa. 61, 10. & seq. *Transite, transite per portas, præparate viam populo, planum facite iter, eligite lapides, & elevate signum ad populos. Ecce Dominus auditum fecit in extremis terræ, dicite filiæ Sion, Ecce Salvator tuus venit, ecce merces ejus cum eo, & opus ejus coram illo: & vocabunt eos, Populus sanctus, redemti a Domino.*

Isa. 66, 18. & seq. *Ego autem opera eorum, & cogitationes eorum venio ut congregem cum omnibus gentibus & linguis: & venient, & videbunt gloriam meam. Et ponam in eis signum, & mittam ex eis qui salvati fuerint ad gentes in mare, in Africam, & Lydiam, tendentes sagittam, in Italiam, & Græciam, ad insulas longe, ad eos qui non audierunt de me, & non viderunt gloriam meam, & annunciabunt gloriam meam gentibus.*

CAPUT CXXX.

Jesus pendens in cruce subsannatur a prætereuntibus.

PSalm. 3, 1. 2. *Domine, quid multiplicati sunt, qui tribulant me? multi insurgunt adversum me: multi dicunt animæ meæ, Non est salus ipsi in Deo ejus.*

Psalm. 21, 7. & seq. *Ego autem sum vermis, & non homo; opprobrium hominum, & abjectio plebis. Omnes videntes me deriserunt me; locuti sunt labiis, & moverunt caput, Speravit in Domino, eripiat eum; salvum faciat eum, quoniam vult eum.*

Psalm. 34, 14. & seq. *Quasi lugens & contristatus, sic humiliabar: & adversum me lætati sunt, & convenerunt: congregata sunt super me flagella, & ignoravi: dissipati sunt, nec compuncti: tentaverunt me, subsannaverunt me subsannatione.*

MAtth. 27, 39. & seq. *Prætereuntes autem blasphemabant eum, moventes capita sua, & dicentes, Vah qui destruis Templum Dei, & in triduo illud reædificas, salva temetipsum; si Filius Dei es, descende de cruce. Similiter & Principes Sacerdotum illudentes cum Scribis & Senioribus, dicebant, Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere: Si Rex Israel est, descendat nunc de cruce, & credimus ei: confidit in Deo, liberet nunc si vult eum: dixit enim, Quia filius Dei sum. Idipsum autem & latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei.* Et Marc. 15, 28. & seq. Luc. 23, 35. & seq.

Psalm. 68, 18. & seq. *Et ne avertas faciem tuam a puero tuo: quoniam tribulor, velociter exaudi me. Intende animæ meæ, & libera eam; propter inimicos meos eripe me. Tu scis improperium meum, & confusionem meam, & reverentiam meam. In conspectu tuo sunt omnes, qui tribulant me, improperium expectavit cor meum & miseriam. Et sustinui, qui simul contristaretur, & non fuit; & qui consolaretur, & non inveni. Et dederunt in escam meam fel, & in siti mea potaverunt me aceto.*

Psalm. 108, 25. *Et ego factus sum opprobrium illis: viderunt me, & moverunt capita sua.*

Thren. 3, 14. & seq. *Factus sum in derisum omni populo meo, canticum eorum tota die ..... Aperuerunt super nos os suum omnes inimici ..... Audisti opprobrium eorum, Domine, omnes cogitationes eorum adversum me; labia insurgentium mihi, & meditationes eorum adversum me tota die. Sessionem eorum, & resurrectionem eorum vide; ego sum psalmus eorum.*

CAPUT CXXXI.

Jesus moriens veniam adversariis suis a Deo precatur.

PSalm. 34, 11. & seq. *Surgentes testes iniqui, quæ ignorabam interrogabant me: retribuebant mihi mala pro bonis, sterilitatem*

LUc. 23, 34. *Jesus autem dicebat, Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.*

Digitized by Google

animæ meæ. Ego autem, cum mihi molesti essent, induebar cilicio: humiliabam in jejunio animam meam, & oratio mea in sinu meo convertetur.

Psalm. 108, 1. & seq. *Deus laudem meam ne tacueris, quia os peccatoris & os dolosi super me apertum est. Locuti sunt adversum me lingua dolosa, & sermonibus odii circumdederunt me, & expugnaverunt me gratis. Pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi; ego autem orabam. Et posuerunt adversum me mala pro bonis, & odium pro dilectione mea.*

Isa. 53, 12. *Et ipse peccata multorum tulit, & pro transgressoribus rogavit.*

CAPUT CXXXII.

Jesu vestimenta sorte dividuntur.

Psalm. 21, 17. & seq. *Foderunt manus meas, & pedes meos; dinumeraverunt omnia ossa mea. Ipsi vero considéraverunt, & inspexerunt me; diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem.*

Matth. 27, 35. *Postquam autem crucifixerunt eum, diviserunt vestimenta ejus sortem mittentes, ut impleretur quod dictum est per Prophetam, dicentem, Diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem.* Et Marc. 15, 24. Luc. 23, 34. Joh. 19, 23. 24.

CAPUT CXXXIII.

Moriente Jesu Sol deficit, & terra movetur.

Psalm. 17, 5. & seq. *Circumdederunt me dolores mortis, & torrentes iniquitatis conturbaverunt me; dolores inferni circumdederunt me, præoccupaverunt me laquei mortis. In tribulatione mea invocavi Dominum, & ad Deum meum clamavi. Et exaudivit de templo sancto suo vocem meam, & clamor meus in conspectu ejus, introivit in aures ejus. Commota est & contremuit terra; fundamenta montium conturbata & commota sunt, quoniam iratus est eis.*

Amos. 8, 8. & seq. *Numquid super isto non commovebitur terra, & lugebit omnis habitator ejus: & ascendet quasi fluvius universus, & ejicietur, & defluet quasi rivus Ægypti? Et erit in die illa, dicit Dominus Deus, occidit Sol in meridie, & tenebrescere faciam terram in die luminis; & convertam festivitates vestras in luctum, & omnia cantica vestra in planctum, & inducam super omne dorsum vestrum saccum, & super omne caput calvitium, & ponam eam quasi luctum unigeniti.*

Matth. 27, 45. 51. *A sexta autem hora tenebræ factæ sunt super universam terram, usque ad horam nonam. Et ecce velum Templi scissum est in duas partes, a summo usque deorsum; & terra mota est, & petræ scissæ sunt.* Et Marc. 15, 33.

Luc. 23, 44. *Erat autem hora fere sexta, & tenebræ factæ sunt per universam terram usque in horam nonam. Et obscuratus est Sol, & velum Templi scissum est medium.*

Ebr. 12, 25. & seq. *Videte ne recusetis loquentem. Si enim illi non effugerunt, recusantes eum qui super terram loquebatur; multo magis nos, qui de cœlis loquentem nobis avertimus: cujus vox movit terram tunc, nunc autem repromittit dicens, Adhuc semel, & ego movebo non solum terram, sed & cœlum.*

Agg. 2, 7. & seq. *Quia hæc dicit Dominus exercituum, adhuc unum modicum est, & ego commovebo cœlum, & terram, & mare, & aridum; & movebo omnes gentes: & veniet Desideratus cunctis gentibus, & implebo domum istam gloria, dicit Dominus exercituum.... Et factum est verbum Domini secundo ad Aggæum in vigesima & quarta mensis, dicens, Loquere ad Zorobabel ducem Juda, dicens, Ego movebo cœlum pariter & terram.*

Zach. 14, 6. & seq. *Et erit in die illa, Non erit lux, sed frigus & gelu: & erit dies una quæ nota est Domino, non dies, neque nox, & in tempore vesperi erit lux. Et erit in die illa, exibunt aquæ vivæ de Jerusalem; medium earum ad mare orientale, & medium earum ad mare novissimum in æstate & in hyeme erunt. Et erit Dominus rex super omnem terram: in die illa erit Dominus unus, & erit nomen ejus unum.*

Zacharianum

Digitized by Google

Christo Jesu addicitur Zach. 14, 6. & seq. Prop. 9. c. 127. Par. 5. & sq.

ZAcharianum illud adjudicamus Christo Jesu; Eusebium auctorem, ac totius vaticinii connexionem, rationemque proinde ipsam secuti. Ac connexionem quidem posteriorum quatuor Zachariæ capitum luculenter supra demonstravimus. Istam vero sententiam sic Jesu applicat Eusebius:

Euseb. Dem. l. 10. *Et erit in die illa*, inquit Propheta, *non erit lux, sed frigus & gelu*; quippe qua nocte

Joh. 18, 18. captus est Jesus, frigus erat, teste Evangelista: *Stabant autem servi & ministri ad prunas, quia frigus erat, & calefaciebant se: erat autem cum eis & Petrus stans & calefaciens se.* Quæ deinde convertit in allegoriam, Judæis propositam fuisse dicens lucem ac tenebras, eosque lucem tenebris postputasse: frigus vero illud, tarditatis eorum, ac in rebus divinis supinitatis symbolum fuisse, quod &

Matth. 24, 12. prædixerat Christus: *Et quoniam abundavit iniquitas, refrigescet charitas multorum.* Pergit Propheta: *Et erit dies una, quæ nota est Domino, non dies, neque nox: & in tempore vesperi erit lux:* quo tempore in crucem actus est Jesus Christus, tantæ tenebræ obortæ sunt, ut dies nec esset, nec dici posset; neque sane nox erat, quæ fit per occasum Solis; Sol autem medium tunc orbem tenebat. Vesperi autem, post horam videlicet nonam, abscesserunt tenebræ, & lux rursum affulsit. Addit Zacharias: *Et erit in die illa, exibunt aquæ vivæ de Jerusalem:* quo Christi Jesu doctrinæ promulgatio & propagatio significatur; ipso Jesu auctore: *Qui biberit ex aqua,* Joh. 4, 13. 14. *quam ego dabo ei, non sitiet in æternum: sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Subjicit demum Propheta: *Et erit Dominus rex super omnem terram: in die illa erit Dominus unus, & nomen ejus unum:* cui succinebant voces hæ cœlestes in Apocalypsi: *Factum est regnum* Apoc. 11, 15. *hujus mundi Domini nostri, & Christi ejus, & regnabit in sæcula sæculorum.* Jesus quoque apud Johannem: *Fiet unum ovile, & unus* Joh. 10, 16. *pastor.* Juvat hanc interpretationem veterum Judæorum suffragium: nam in Beresith Rabba, & in Midraschoth Thehillim & Ruth, Messiæ tribuitur hoc Zachariæ caput. Nunc operum nostrorum esset, mirabili huic Solis defectioni conciliare fidem, non Christianorum solum Scriptorum, sed Ethnicorum etiam, Thalli, Phlegontis, Tabulariorum Romanorum, & Sinensium auctoritate. Quod quoniam a nobis Propositione tertia abunde præstitum est, ad sequentia pergamus.

CAPUT CXXXIV.

Jesus moriens Patrem inclamat.

PSalm. 3, 2. & seq. *Multi dicunt animæ meæ, Non est salus ipsi in Deo ejus ..... Voce mea ad Dominum clamavi, & exaudivit me de monte sancto suo: ego dormivi, & soporatus sum, & exurrexi, quia Dominus suscepit me.*

Psalm. 17, 7. 8. *In tribulatione mea invocavi Dominum, & ad Deum meum clamavi: & exaudivit de Templo sancto suo vocem meam: & clamor meus in conspectu ejus introivit in aures ejus. Commota est, & contremuit terra; fundamenta montium conturbata sunt, & commota sunt, quoniam iratus est eis.*

Psalm. 21, 1. & seq. *Deus, Deus meus, respice in me; quare me dereliquisti? longe a salute mea verba delictorum meorum. Deus meus, clamabo per diem, & non exaudies; & nocte, & non ad insipientiam mihi. Tu autem in sancto habitas, laus Israel. In te speraverunt Patres nostri; speraverunt, & liberasti eos. Ad te clamaverunt, & salvi facti sunt; in te speraverunt, & non sunt confusi. Ego autem*

MAtth. 27, 46. & seq. *Et circa horam nonam clamavit Jesus voce magna, dicens, Eli Eli, lamma sabachthani? hoc est, Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? Quidam autem illic stantes, & audientes dicebant, Eliam vocat iste. Et continuo currens unus ex eis acceptam spongiam implevit aceto, & imposuit arundini, & dabat ei bibere. Cæteri vero dicebant, Sine, videamus an veniat Elias liberans eum. Jesus autem iterum clamans voce magna emisit spiritum.*

Marc. 15, 34. & seq. *Et hora nona exclamavit Jesus voce magna dicens, Eloi, Eloi, lamma sabachthani? quod est interpretatum, Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? Et quidam de circumstantibus audientes, dicebant, Ecce Eliam vocat. Currens autem unus, & implens spongiam aceto, circumponensque calamo, potum dabat ei dicens, Sinite, videamus si veniat Elias ad deponendum eum. Jesus autem emissa voce magna expiravit. Et*

velum

Digitized by Google

ſum vermis, & non homo: opprobrium hominum, & abjectio plebis. Omnes videntes me deriſerunt me, locuti ſunt labiis, & moverunt caput, Speravit in Domino, eripiat eum; ſalvum faciat eum, quoniam vult eum.

Pſalm. 68, 1. & ſeq. *Salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam. Infixus ſum in limo profundi, & non eſt ſubſtantia. Veni in altitudinem maris, & tempeſtas demerſit me. Laboravi clamans, rauca facta ſunt fauces meæ; defecerunt oculi mei, dum ſpero in Deum meum Multiplicati ſunt ſuper capillos capitis mei, qui oderunt me gratis. Confortati ſunt, qui perſecuti ſunt me inimici mei injuſte: quæ non rapui, tunc exolvebam.*

Pſalm. 87, 1. & ſeq. *Domine, Deus ſalutis meæ, in die clamavi & nocte coram te. Intret in conſpectu tuo oratio mea; inclina aurem tuam ad precem meam. Quia repleta eſt malis anima mea, & vita mea inferno appropinquavit. Æſtimatus ſum cum deſcendentibus in lacum: factus ſum ſicut homo ſine adjutorio, inter mortuos liber. Sicut vulnerati dormientes in ſepulcris, quorum non es memor amplius, & ipſi de manu tua repulſi ſunt. Poſuerunt me in lacu inferiori; in tenebroſis, & in umbra mortis. Super me confirmatus eſt furor tuus, & omnes fluctus tuos induxiſti ſuper me. Longe feciſti notos meos a me; poſuerunt me abominationem ſibi. Traditus ſum, & non egrediebar; oculi mei languerunt præ inopia. Clamavi ad te, Domine, tota die; expandi ad te manus meas .... Ut quid, Domine, repellis orationem meam, avertis faciem tuam a me? Pauper ſum ego, & in laboribus a juventute mea; exaltatus autem, humiliatus ſum & conturbatus. In me tranſierunt iræ tuæ, & terrores tui conturbaverunt me. Circumdederunt me ſicut aqua tota die, circumdederunt me ſimul. Elongaſti a me amicum & proximum, & notos meos a miſeria.*

Pſalm. 141, 1. & ſeq. *Voce mea ad Dominum clamavi, Voce mea ad Dominum deprecatus ſum. Effundo in conſpectu ejus orationem meam, & tribulationem meam ante ipſum pronuntio; in deficiendo ex me ſpiritum meum; & tu cognoviſti ſemitas meas. In via hac qua ambulabam, abſconderunt laqueum meum. Conſiderabam ad dexteram, & videbam, & non erat qui cognoſceret me. Periit fuga a me, & non eſt qui requirat animam meam. Clamavi ad te, Domine; dixi, Tu es ſpes mea, portio mea in terra viventium. Intende ad deprecationem meam, quia humiliatus ſum nimis. Libera me a perſequentibus me, quia confortati ſunt ſuper me. Educ de cuſtodia animam meam ad confitendum nomini tuo: me expectant juſti, donec retribuas mihi.*

Thren. 3, 18. *Et dixi, Periit finis meus, & ſpes mea a Domino.*

Thren. 3, 55. 56. *Invocavi nomen tuum, Domine, de lacu noviſſimo. Vocem meam audiſti: ne avertas aurem tuam a ſingultu meo & clamoribus.*

Judæorum cavillatio refellitur.

OGganniunt hic Judæi, hominem apud Deum miſerias ſuas ita conquerentem, Deum non eſſe; quippe ſi Deus ſit, promtum ipſi eſſe hujusmodi laboribus ſe ſubducere. Idem meminerant jam ante objectum a majoribus ſuis: *Si Filius Dei es, deſcende de cruce.* Nos quærimus contra, cum Deum Judæorum excidia deplorantem fingunt Thalmudici, an idcirco Deum non eſſe putent.

CAPUT CXXXV.

Jeſu fel & acetum propinantur.

Pſalm. 68, 22. *Et dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potaverunt me aceto.*

Thren. 3, 5. & ſeq. *Ædificavit in gyro meo,*

MAtth. 27, 34. 48. *Et dederunt ei vinum bibere cum felle miſtum: & cum guſtaſſet, noluit bibere ..... Et continuo currens unus ex eis,*

Digitized by Google

circumdedit me felle & labore: in tenebrosis collocavit me quasi mortuos sempiternos ..... implevit me amaritudinibus, inebriavit me absinthio ..... Recordare paupertatis & transmigrationis meæ, absinthii & fellis.

ex eis, acceptam spongiam implevit aceto, & imposuit arundini, & dabat ei bibere.

Marc. 15, 23. 36. *Et dabant ei myrrhatum vinum, & non accepit ..... Currens autem unus, & implens spongiam aceto, circumponensque calamo, potum dabat ei.*

Luc. 23, 36. *Illudebant autem ei & milites accedentes, & acetum offerentes ei.*

Joh. 19, 28. & seq. *Postea sciens Jesus, quia omnia consummata sunt, ut consummaretur Scriptura, dixit, Sitio. Vas ergo erat positum aceto plenum. Illi autem spongiam plenam aceto, hyssopo circumponentes, obtulerunt ori ejus. Cum ergo accepisset Jesus acetum, dixit, Consummatum est.*

Christo Jesu addicitur Psalmus 68, 22. II. *Refelluntur argumenta Adversariorum. Primum argumentum.* III. *Secundum argumentum.*

Christo Jesu addicitur Psal. 68, 22.

EX omnibus oraculis, quæ in Veteri Testamento a Deo per Prophetas edita sunt, præcipua ea & ad fidem faciendam validissima esse constat, quæ res futuras, non ambages, circuitionesque, sed nude & aperte prædicunt. Tale est, quod extat in sexagesimi octavi Psalmi commate vicesimo secundo, in quo queritur Christus sitienti sibi propinatum fuisse fel & acetum. Id queri Christum ajo: nam in septima Propositione, ex Scriptorum Veteris Testamenti consensu, & ex Aben Ezræ suffragio patefecimus, prænuntiata illis fuisse Christi mysteria. Tum quæ a nobis ibidem adjectæ sunt Evangelistarum & Apostolorum testificationes, manifeste evincunt, in Jesu eadem hæc ad eventum perveniſſe. Jure igitur nostro agimus, inhumanam & amaram propinationem ad eum quoque referentes, quam in ipsius historia Evangelistæ diserte commemorant. Utut enim oblique, κατὰ σχῆμα *(juxta figuram)* ad Davidem referri ista possunt (quod profecto non negamus, cum communi inter Judæos adagio locutionem hanc tritam fuisse sciamus) tam apposite tamen, tamque apte hunc Christi casum exprimunt, at non temere, nec ἀθεῶς *(sine Deo)* contigisse putandum sit. Notabile est quod legitur in Midrasch Ruth; sermonem nempe istum Booz ad Ruth: *Quando hora vescendi fuerit, veni huc, & comede panem, & intinge buccellam tuam in aceto*, futurorum Messiæ casuum symbola continere: ac verba quidem ista, *Veni huc*, id sibi velle, Veni ad regnum: panem deinde illum, panem esse regni: intinctum vero offæ in acetum, Messiæ contumelias & tormenta notare. Igitur cum toto Psalmo Messiam prænuntiari fateantur Judæi; quæ vero hoc speciatim continentur commate, tormentorum Messiæ notæ sint & indicia; atque eadem denique in Jesu κατὰ λέξιν *(secundum verba)* exitum habuisse Evangelica doceat historia, equidem non video, quo rationum colore uti possint, si qui oraculi hujus fidem elevare audeant: cum præsertim constet inter omnes omnino Interpretes, frustra recurri ad allegoriam, cum res κατὰ λέξιν *(secundum verba)* completæ sunt.

Ruth. 2, 14.

Refelluntur argumenta Adversariorum. Primum argumentum.

II. Inanis ergo est Theodori Mopsuesteni cavillatio, qui hoc quidem comma, aliaque Psalmi hujus, quæ in Jesu videntur fuisse completa, de Judæis κατὰ σχῆμα *(secundum figuram)* a Davide dicta fuisse contendit; quod & a Thargumista & Jarchio factum est; ab Apostolis autem & Evangelistis fuisse usurpata e re nata, & argumentis quæ tractabant accommodata κατὰ κόλλησιν *(per applicationem)* utpote ipsis consentanea; non vero quod ea haberent pro vaticiniis; nec enim rerum adeo diversarum prædictiones in unum eumdemque Psalmum fuisse congestas. Atqui aliter visum est Petro, qui allocutionem suam ad Fratres sic exorsus est: *Viri fratres, oportet impleri Scripturam, quam prædixit Spiritus sanctus per os David de Juda, qui fuit dux eorum, qui comprehenderunt Jesum ..... Scriptum est enim in libro Psalmorum, Fiat commemoratio eorum deserta, & non sit qui inhabitet in ea.* Cum narrat Johannes, Discipulos Jesu, deturbante eo venditores Templo, recordatos esse oraculi hujus, *Zelus domus tuæ comedit me*; quæro an ut ῥήσεως *(dicti)* rei præsenti convenientis meminerint, an ut προῤῥήσεως: *(prædicti)* non utique tanquam ῥήσεως *(dicti)* alias

Theod. Mopsu. in Coll. 4. Conc. Const. 11.

Act. 1, 16. & seq.

Joh. 2, 17.

Digitized by Google

quippe complures habebant in memoria, quæ eidem rei poterant adjungi, verum προρρήσεις *(prædictiones)* esse non credebant: hujus autem præ cæteris recordati sunt, quod & ipsi vaticinium inesse scirent, & ex eo Psalmo esset excerpta, quem totum vatidicum esse & futurorum Christi casuum μαντευτικὸν *(prænuntium)* compertum habebant. Quod autem addit, veri haudquaquam esse simile, diversa adeo oracula simul fuisse congesta, de nihilo est; nec enim idem ordo rerum, idem narrationis contextus a Propheta divinitus afflato & ventura canente expectandus est, atque ab Historico præteritorum seriem persequente. Præterea ne Poetæ quidem, maxime Lyrici, præterita celebrantes, rerum gestarum ordinem exequuntur: minime id patitur poeticus ille ἐνθουσιασμὸς, *(afflatus)* quo rapti feruntur.

Petron. cap. 78. *Non enim res gestæ versibus comprehendendæ sunt*, inquit Satyricus, *quod longe melius Historici faciunt, sed per ambages, Deorumque ministeria, & fabulosum sententiarum tormentum præcipitandus est liber spiritus, ut potius furentis animi vaticinatio appareat, quam religiosæ orationis sub testibus fides.* Testis Horatius: quam multa is ac diversa unius odes ambitu comprehendit? quam multa Pindarus, quem amni ripas & aggeres prætergresso ac superfluenti comparat idem Horatius; in alio laudans, quod feliciter imitatus ipse laudari meruit? David quoque, quam varias sæpe res in unum Psalmum congerit? Adde multas inesse Psalmo huic locutiones, unde colligas unum aliquem, non plures

Pſ.68, 5. 6. signari: cujusmodi sunt istæ: *Laboravi clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ; defecerunt oculi mei, dum spero in Deum meum. Multiplicati sunt super capillos capitis mei, qui*

Pſ.68, 8. 9. *oderunt me gratis.* Deinde: *Operuit confusio faciem meam; extraneus factus sum fratribus meis, & peregrinus filiis matris meæ.* Et Pſ.68, 12. 13. postea: *Et posui vestimentum meum cilicium .... Adversum me loquebantur, qui sedebant in porta.* Tum a populo eum secernunt & distinguunt ista: *Non confundantur super me,* Pſ.68, 8. 10. *qui quærunt te, Deus Israel.* Et mox: *Extraneus factus sum fratribus meis, & peregrinus filiis matris meæ.* Rursum: *Videant pauperes,* Pſ.68, 33. *& lætentur: quærite Deum, & vivet anima vestra.*

III. Oppugnandæ quoque nostræ interpretationis ansam ista suppeditant: *Et dederunt in escam meam fel;* cum Matthæus fellis potui dati meminerit, non esui. Unde factum suspicatur Bellarminus, ut Matthæus Prophetarum prædictiones referre solitus, hanc prætermiserit. Itaque hæc traducit ad allegoriam, quod ob eamdem causam jam ante fecerat Augustinus. Respondeo primum, etiamsi hac parte nutaret prædicti fides, at alteram certe integram manere: *Et in siti potaverunt me aceto.* Ajo deinde, escæ nomine, Ebraice ברה, intelligi omne esculentum & potulentum, quod ad corpus alendum sumitur. Σύσσιτοι dicuntur, non solum qui cibum simul capiunt, sed & qui simul potant. Συμπότας itidem, & compotores recte dicas, non solum qui una bibunt, sed & qui una edunt. Combibones illos Epicureos, Ciceroni memoratos, quis putet vinum tantum bibisse simul, cibos nequaquam attigisse? Dixit Alcman, τὰς θεὰς νέκταρ ἔδμεναι, *Deos nectar edere.* Cum ait ergo Propheta inimicos suos felle escam suam aspersisse, id sibi vult, ea quæ sibi ad alimoniam & refectionem corporis parata erant, noxiis succis infecta fuisse ab adversariis. Valeant igitur morosi illi argutatores, & inepti λεπτολογισταὶ. *(minuta persequentes.)*

Secundum argumentum.

Bellarm. in Pſal. 68, 22.

Auguſt. in Pſal. 68, 22.

Cicer. Ep. ad Famil. libr. 9. Epiſt. 25.

CAPUT CXXXVI.

Mors Jesu.

PSalm. 17, 5. & seq. *Circumdederunt me dolores mortis, & torrentes iniquitatis conturbaverunt me. Dolores infernicircumdederunt me, præoccupaverunt me laquei mortis. In tribulatione mea invocavi Dominum, & ad Deum meum clamavi.*

Psalm. 21, 15. & seq. *Sicut aqua effusus sum, & dispersa sunt omnia ossa mea. Factum*

MAtth. 16, 21. *Exinde cœpit Jesus ostendere Discipulis suis, quia oporteret eum ire Jerosolymam, & multa pati a Senioribus, & Scribis, & principibus Sacerdotum, & occidi.* Et Matth. 17, 22. & 20, 18. 19. Marc. 8, 31. & 9, 30. & 10, 34. Luc. 9, 22. & 18, 33.

Matth. 27, 50. *Jesus autem iterum clamans voce*

est cor meum tanquam cera liquescens in medio ventris mei. Aruit tanquam testa virtus mea, & lingua mea adhæsit faucibus meis, & in pulverem mortis deduxisti me; quoniam circumdederunt me canes multi, concilium malignantium obsedit me. Foderunt manus meas & pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea: ipsi vero considerarunt & inspexerunt me: diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem.

Psalm. 34, 7. & seq. *Quoniam gratis absconderunt mihi interitum laquei sui, supervacanee exprobraverunt animam meam..... Domine, quando respicies? restitue animam meam a malignitate eorum, a leonibus unicam meam. Confitebor tibi in Ecclesia magna, in populo gravi laudabo te.*

Psalm. 87, 3. & seq. *Quia repleta est malis anima mea, & vita mea inferno appropinquavit. Æstimatus sum cum descendentibus in lacum; factus sum sicut homo sine adjutorio, inter mortuos liber. Sicut vulnerati dormientes in sepulcris, quorum non es memor amplius, & ipsi de manu tua repulsi sunt. Posuerunt me in lacu inferiori, in tenebrosis, & in umbra mortis.*

Psalm. 88, 39. & seq. *Tu vero repulisti & despexisti, distulisti Christum tuum: evertisti testamentum servi tui, profanasti in terra sanctuarium ejus, destruxisti omnes sepes ejus, posuisti firmamentum ejus formidinem. Diripuerunt eum omnes transeuntes viam, factus est opprobrium vicinis suis. Exaltasti dexteram deprimentium eum, lætificasti omnes inimicos ejus, avertisti adjutorium gladii ejus, & non es auxiliatus ei in bello. Destruxisti eum ab emundatione, & sedem ejus in terram collisisti. Minorasti dies temporis ejus, operuisti eum confusione.*

Sap. 2, 18. & seq. *Si enim est verus Filius Dei, suscipiet eum, & liberavit eum de manibus contrariorum. Contumelia & tormento interrogemus eum, ut sciamus reverentiam ejus, & probemus patientiam illius. Morte turpissima condemnemus eum.*

Isa. 53, 7. & seq. *Sicut ovis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum. De angustia & judicio sublatus est; generationem ejus quis enarrabit? quia abscissus est de terra viventium, propter scelus populi mei percussi eum. Et dabit impios pro sepultura, & voce magna, emisit spiritum.* Et Marc. 15, 37. Luc. 23, 46. Joh. 19, 30.

Act. 2, 22. 23. *Viri Israelitæ, audite verba hæc, Jesum Nazarenum, virum approbatum a Deo in vobis, virtutibus, & prodigiis, & signis, quæ fecit Deus per illum in medio vestri, sicut & vos scitis; hunc definito consilio & præscientia Dei traditum, per manus iniquorum affligentes interemistis.*

Act. 3, 13. & seq. *Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob, Deus patrum nostrorum glorificavit filium suum Jesum, quem vos quidem tradidistis, & negastis ante faciem Pilati, judicante illo dimitti. Vos autem sanctum & justum negastis, & petiistis virum homicidam donari vobis; auctorem vero vitæ interfecistis.*

Act. 5, 30. *Deus patrum nostrorum suscitavit Jesum, quem vos interemistis suspendentes in ligno.* Et Act. 10, 39.

Act. 7, 52. *Quem Prophetarum non sunt persecuti patres vestri? & occiderunt eos qui prænuntiabant de adventu Justi, cujus vos nunc proditores & homicidæ fuistis.*

Act. 8, 30. & seq. *Accurrens autem Philippus, audivit eum legentem Isaiam Prophetam, & dixit, Putasne intelligis quæ legis? Qui ait, Et quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi? Rogavit Philippum, ut ascenderet & sederet secum. Locus autem Scripturæ quem legebat erat hic, Tanquam ovis ad occasionem ductus est, & sicut agnus coram tondente se, sine voce, sic non aperuit os suum. In humilitate judicium ejus sublatum est. Generationem ejus quis enarrabit? quoniam tolletur de terra vita ejus, Respondens autem Eunuchus Philippo dixit, Obsecro te, de quo Propheta dicit hoc? de se, an de alio aliquo? Aperiens autem Philippus os suum, & incipiens a Scriptura ista, evangelizavit illi Jesum.*

Act. 13, 27. & seq. *Qui enim habitabant Jerusalem, & principes ejus, hunc ignorantes, & voces Prophetarum, quæ per omne sabbathum leguntur, judicantes impleverunt; & nullam causam mortis invenientes in eo, petierunt a Pilato ut interficerent eum. Cumque consummassent omnia, quæ de eo scripta erant, deponentes eum de ligno, posuerunt eum in monumento.*

Rom. 5, 10. *Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus; multo magis reconciliati, salvi erimus in vita ipsius.*

Digitized by Google

divitem pro morte ſua, eo quod iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore ejus. Et Dominus voluit conterere eum infirmitate: ſi poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longævum .... Ideo diſpertiam ei plurimos, & fortium dividet ſpolia, pro eo quod tradidit in mortem animam ſuam.

Jerem. 11, 19. *Et ego quaſi agnus manſuetus, qui portatur ad victimam, & non cognovi quia cogitaverunt ſuper me conſilia, dicentes, Mittamus lignum in panem ejus & eradamus eum de terra viventium, & nomen ejus non memoratur amplius.*

Thren. 3, 6. 43. 53. *In tenebroſis collocavit me, quaſi mortuos ſempiternos .. Operuiſti in furore, & percuſſiſti nos; occidiſti, nec pepercisti.... Lapſa eſt in lacum vita mea, & poſuerunt lapidem ſuper me.*

Dan. 9, 26. *Et poſt hebdomades ſexaginta duas occidetur Chriſtus.*

Zach. 12, 10. *Et effundam ſuper domum David, & ſuper habitatores Jeruſalem, ſpiritum gratiæ & precum: & aſpicient ad me quem confixerunt; & plangent eum planctu quaſi ſuper unigenitum; & dolebunt ſuper eum, ut doleri ſolet in morte primogeniti.*

Zach. 13, 6. 7. *Et dicetur ei, Quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum? & dicet, His plagatus ſum in domo eorum, qui diligebant me. Framea ſuſcitare ſuper Paſtorem meum, & ſuper virum cohærentem mihi, dicit Dominus exercituum; percute Paſtorem, & diſpergentur oves.*

Rom. 6, 3. 4. *An ignoratis, quia quicunque baptizati ſumus in Chriſto Jeſu, in morte ipſius baptizati ſumus? conſepulti enim ſumus cum illo per baptiſmum in mortem.*

Philipp. 2, 8. *Humiliavit ſemetipſum, factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis.*

1. Theſſ. 2, 14. 15. *Vos enim imitatores facti eſtis, Fratres, Eccleſiarum Dei, quæ ſunt in Judæa, in Chriſto Jeſu: quia eadem paſſi eſtis & vos a contribulibus veſtris, ſicut & ipſi a Judæis, qui & Dominum occiderunt Jeſum & Prophetas, & nos perſecuti ſunt.*

Ebr. 2, 9. 10. *Eum autem, qui modico quam Angeli minoratus eſt, videmus Jeſum, propter paſſionem mortis gloria & honore coronatum, ut gratia Dei pro omnibus guſtaret mortem. Decebat enim eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem ſalutis eorum per paſſionem conſummare..... Quia ergo pueri communicaverunt carni & ſanguini, & ipſe ſimiliter participavit eisdem, ut per mortem deſtrueret eum, qui habebat mortis imperium, id eſt Diabolum, & liberaret eos qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant ſervituti.*

Jac. 5, 6. *Addixiſtis & occidiſtis Juſtum, & non reſtitit vobis.*

Apoc. 5, 6. & ſeq. *Et vidi, & ecce in medio throni, & quatuor animalium, & in medio Seniorum, Agnum ſtantem tanquam occiſum, habentem cornua ſeptem ..... & cantabant canticum novum, dicentes, Dignus es, Domine, accipere librum, & aperire ſignacula ejus: quoniam occiſus es, & redemiſti nos Deo in ſanguine tuo..... Dignus eſt Agnus, qui occiſus eſt, accipere virtutem.*

Apoc. 13, 8. *Quorum non ſunt ſcripta nomina in libro vitæ Agni, qui occiſus eſt ab origine mundi.*

I. *Varii mortis Jeſu typi colliguntur e Veteri Teſtamento. Sacrificium Vaccæ ruſæ,* II. *& mors ſummi Pontificis.* III. *Inſigne teſtimonium morti Jeſu a R. Simeone ben Jochai aliisque Judæis perhibetur.* IV. *Quæ & Ethnicis inſigni miraculo ſignificatur.*

Varii mortis Jeſu typi colliguntur e Veteri teſtamento. Sacrificium Vaccæ ruſæ.

I. NOn verbis ſolum aut ſcriptis, ſed typis etiam ac ſymbolis prædicta Chriſti Jeſu mors eſt. Cujusmodi fuit Aries ab Abrahamo pro filio Iſaaco immolatus, paſchalis Agnus, Hircus ἀποπομπαῖος, *(Emiſſarius)* quorum comparationem cum Chriſto infra inſtituemus. Addemus huc & Vaccam rufam, ex cujus cineribus aqua expiationis fiebat, juxta ritum capite decimo nono Numerorum traditum. Ac primum color ille rufus peccatum ſignat, auctore Iſaia: *Si fuerint peccata veſtra ut coccinum, quaſi nix dealbabuntur: & ſi fuerint rubra quaſi vermiculus, velut lana alba erunt.* Jeſum autem peccata hominum portaſſe, docebit noſter Paralleliſmus. Labis expers eſſe jubetur Vacca: Jeſus ſanctus, innocens, impollutus eſſe dicitur in Epiſtola ad Ebræos; Agnus immaculatus & incontaminatus in prima Petri Epiſtola. Ἄζυξ *(nondum jugum paſſa)* eſſe debuit Vacca: veteris Legis jugum excuſſit

Iſa. 1, 18.

Ebr. 7, 16.

1. Petr. 1, 19.

Digitized by Google

excussit Christus Jesus, eique nos subduxit. Extra castra immolabatur Vacca in conspectu omnium: *Quorum enim animalium infertur sanguis pro peccato in Sancta per Pontificem, horum corpora cremantur extra castra. Propter quod & Jesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est. Exeamus igitur ad eum extra castra, improperium ejus portantes.* Verba sunt e decimo tertio capite Epistolae ad Ebræos. Immolationis hujus minister designatur Eleazarus, Sacerdos alter a summo Pontifice: Caiphæ Principis Sacerdotum jussu captus est Jesus, eodemque quæsitore & judice morti addictus. Typus autem veri & primarii Sacerdotis Christi Jesu fuit summus Judæorum Pontifex, ac veluti secundarius Sacerdos. Quamobrem συμβολικὸς dicitur ab Origene: ἀληθέντος, inquit, ἀληθινῆ ἀρχιερέως, ὁ συμβολικὸς ἀρχιερεὺς ἐπάυσατο. *Postquam venit verus Pontifex, Pontifex symbolicus esse desiit.* Eusebius σκιώδη καὶ εἰκονικὸν, ἀλλ' οὐκ ἀληθῆ χριστὸν καὶ ἀρχιερέα, τῷ κατ' οὐρανὸν χριστῷ τε καὶ ἀρχιερεῖ ἀντίμιμον. *Adumbratum & simulatum, non verum Christum & Pontificem, cœlestis Christi & Pontificis figuram* appellat. Jubetur Eleazarus digitum in Vaccæ rufæ sanguinem intingere, & septies Tabernaculi fores aspergere; & ex crematæ demum cineribus aquam expiationis conficere, qua impuritates abluantur: Epistola ad Ebræos: *Si enim sanguis hircorum & taurorum, & cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis; quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi?* Atque vera hæc est sacrificii Vaccæ rufæ significatio, quam sibi ignotam & incompertam queruntur Rabbini; quippe *Incrassatum est cor populi hujus*, juxta Isaiæ prædictionem.

Ebr. 13, 11. & seq.

Origen. Tom. 16. in Matth.

Euf. Dem. lib. 4.

Ebr. 9, 13. 14.

Isa. 6, 10. Matth. 13, 15.

& mors summi Pontificis.

II. Alius præterea, ac valde illustris mortis Christi Jesu typus in summi Ebræorum Sacerdotis morte positus fuit. Assignatæ erant certæ quædam urbes, ex præscripto Mosis, in quas tutum haberet receptum, qui non voluntariam neque ex destinato, sed fortuitam cædem perpetrasset: quo qui confugissent, tamdiu illuc tolerarent exilium, quoad summus Pontifex obiisset. Quæ sic intelligenda sunt; quicunque sese noxis alligaverint, tamdiu cœlesti patria carere, quoad mortis Christi Jesu perceperint fructum, ejusque beneficio patriæ suæ sint restituti. Non id omnino fugit Philonem Judæum, qui in libro de exulibus differens de hac lege Mosis, Sacerdotem illum, non hominem intelligendum esse ait, sed Verbum Dei, Patre Deo, matre Sapientia progenitum: λέγομεν γὰρ, inquit, τὸν ἀρχιερέα, οὐκ ἄνθρωπον, ἀλλὰ λόγον θεῖον ὄντα, πάντων μὲν οὐχ ἑκουσίων μόνον, ἀλλὰ καὶ ἀκουσίων ἀδικημάτων ἀμέτοχον, πατρὸς μὲν θεοῦ, ὃς καὶ συμπάντων ἐστὶ πατὴρ, μητρὸς δὲ σοφίας· *Dicimus enim summum Pontificem, non hominem esse, sed Verbum Dei, omnium non spontanearum solum, sed & involuntariarum noxarum expers.... patrem quidem habens Deum, qui & omnium pater est, matrem vero Sapientiam.* Reliquam legis partem alio detorquet.

III. Non sine observatione prætermittendum est, quod libro quarto operis sui refert Galatinus, ex R. Simeone ben Jochai, magnæ antiquitatis & eximiæ inter suos auctoritatis Magistro, editisque lucubrationibus percelebri. Hic in מחקר הסודות Oseam inducit hominum peccata deflentem, quorum gratia Filium suum corpore humano indutum Deus esset missurus; homines vero adversus salutaria ipsius præcepta contumaces letho eum essent daturi. Gravior etiam est Josephi auctoritas, qui & Christi Jesu mortem, & mortis genus in ἀρχαιολογίαν *(librum Antiquitatum)* suam retulit. Quæ fatentes tanti nominis Doctores minutorum Rabbinorum turbæ possumus opponere. Neque desunt inter illos, qui propter supplicio affectum Jesum, Judæos fateantur fuisse male multatos, cladibus affectos, in omnes terras dissipatos, & Mosaicam legem abrogatam.

Insigne testimonium mortis Jesu a R. Simeone ben Iochai, aliisque Indæis perhibetur.

Gal. de arcan. l. 4. Joseph. Antiq. l. 18. c. 4.

IV. Ethnicis vero stupendo miraculo Christi Jesu significata mors est, quod in libello de desitis oraculis Plutarchus refert. Id quanquam a vulgo scriptorum tritum est, minime tamen ob admirabilitatem rei pigebit hic adscribere. Cum in Italiam renderet Thamus Ægyptius, navis rector, jamque Echinadas præternavigaret, subito remisit ventus, & ad Paxas insulas audita vox est, quæ Thamum appellaret, juberetque ipsum, simul ac appulisset ad Portum Pelodem, clamare magnum Pana esse mortuum. Paruit Thamus, eaque, quam jussus fuerat, voce edita, ejulatus auditi sunt, quasi Panos obitum mirantium & gementium. Vectores Romam

Quæ & Ethnicis insigni miraculo significatur.

Digitized by Google

delati portentum vulgarunt. Pervenit illud ad Tiberium Cæsarem, qui & a Thamo ipso de re gesta certior factus hominum eruditorum sententiam super ea exquisivit. Narrat id apud Plutarchum Æmilianus Rhetor, ut sibi a patre Epitherse rei teste traditum. Atqui id convenit in tempus mortis Christi Jesu, qui verus Pan est, rerum omnium parens, ac naturæ totius auctor, quam Panos symbolo Mythologi signatam voluerunt.

CAPUT CXXXVII.

Crura Jesu, perinde ut latronum cruci itidem suffixorum, non franguntur.

EXod. 12, 43. & seq. *Dixitque Dominus ad Moysen & Aaron, Hæc est religio Phasæ ..... In una domo comedetur, nec efferetis de carnibus ejus foras, nec os illius confringetis.*

Num. 9, 9. & seq. *Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens, Loquere filiis Israel, Homo qui fuerit immundus super anima, sive in via procul in gente vestra, faciat Phasæ Domino in mense secundo, quarta decima die mensis ad vesperam: cum azymis & lactucis agrestibus comedent illud: non relinquent ex eo quippiam usque mane, & os ejus non confringent; omnem ritum Phasæ observabunt.*

JOh. 19, 31. & seq. *Judæi ergo (quoniam Parasceve erat) ut non remanerent in cruce corpora sabbatho (erat enim magnus dies ille sabbathi) rogaverunt Pilatum, ut frangerentur eorum crura, & tollerentur. Venerunt ergo milites; & primi quidem fregerunt crura, & alterius qui crucifixus est cum eo. Ad Jesum autem cum venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura ..... Facta sunt enim hæc, ut Scriptura impleretur, Os non comminuetis ex eo.*

CAPUT CXXXVIII.

Latus Jesu perfoditur.

ZAch. 12, 10. *Et effundam super domum David, super habitatores Jerusalem, spiritum gratiæ & precum: & aspicient ad me quem confixerunt; & plangent eum planctu quasi super unigenitum; & dolebunt super eum, ut doleri solet in morte primogeniti.*

JOh. 19, 33. & seq. *Ad Jesum autem cum venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura; sed unus militum lancea latus ejus aperuit, & continuo exivit sanguis & aqua..... Facta sunt enim hæc ut Scriptura impleretur, Os non comminuetis ex eo. Et iterum alia Scriptura dicit, Videbunt in quem transfixerunt.*

Apoc. 1, 17. *Ecce venit Jesus cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt: plangent se super eum omnes tribus terræ.*

CAPUT CXXXIX.

Jesus corpus pollinciunt & sepeliunt Joseph & Nicodemus.

ISa. 39, 9. *Et dabit impios pro sepultura, & divitem pro morte sua.*

MAtth. 27, 57. & seq. *Cum autem sero factum esset, venit quidam homo dives ab Arimathæa, nomine Joseph, & qui ipse discipulus erat Jesu: hic accessit ad Pilatum, & petiit corpus Jesu. Tunc Pilatus jussit reddi corpus, & accepto corpore Joseph involvit illud in sindone munda, & posuit illud in monumento suo novo, quod exciderat in petra.* Et Marc. 15, 42. & seq. Luc. 23, 50. & seq.

Joh. 19, 38. & seq. *Post hæc autem rogavit Pilatum Joseph ab Arimathæa (eo quod esset discipulus Jesu: occultus autem propter metum Judæorum) ut tolleret corpus Jesu. Et permisit Pilatus. Venit ergo, & tulit corpus Jesu. Venit autem & Nicodemus, qui venerat ad Jesum nocte primum, ferens mixturam myrrhæ & aloes quasi libras centum. Acceperunt ergo corpus Jesu, & ligaverunt illud linteis cum aromatibus, sicut mos est Judæis sepelire.*

Christo Jesu addicitur Isa. 53, 9.

QUam hic ex Isaia vaticinationem damus, obscurissima semper ab Interpretibus habita est. Mihi simplex illa & nativa videtur expositio, quam & Ebraica facile admittunt: *Et posuit cum impiis sepulcrum ejus, & cum Divite monumentum ipsius.* Vel, *in mortibus ipsius.*

Digitized by Google

ipsius. Jam clarissima sententia est: Mortem eo loco passus est Christus Jesus, quo afficiebantur scelerati supplicio, illicque idem quod alii sepulcrum erat habiturus: at in Josephi Arimathæi, hominis divitis conditorium, ipsius atque Nicodemi viri optimatis manibus corpus ejus illatum est. Egregie hæc conveniunt verbis Isaiæ. Interpretationem istam secuti sunt Münsterus, Clarius, & Vatablus, & Recentiorum magna pars.

CAPUT CXL.

Jesu sepulcrum.

ISa. 11, 10. *In die illa radix Jesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur, & erit sepulcrum ejus gloriosum.*

Isa. 53, 9. *Et dabit impios pro sepultura, & divitem pro morte sua, eo quod iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore ejus.*

Thren. 3, 53. *Lapsa est in lacum vita mea, & posuerunt lapidem super me.*

Soph. 3, 8. juxta LXX. Διὰ τοῦτο ὑπόμεινόν με, λέγει κύριος, εἰς ἡμέραν ἀναστάσεώς μου εἰς μαρτύριον.

MAtth. 27, 59. 60. *Et accepto corpore, Joseph involvit illud in sindone munda, & posuit illud in monumento suo novo, quod exciderat in petra.* Et Marc. 15, 46. Luc. 23, 52. 53. Joh. 19, 41. 42.

Cyrillus Hierosolymitanus Catech. 14. Ἐξῆς κατὰ τὴν ἐυτὴν ἀκολουθίαν τῆς γραφῆς φησι, διὰ τοῦτο ὑπόμεινόν με, λέγει κύριος, εἰς ἡμέραν ἀναστάσεώς μου εἰς μαρτύριον· βλέπεις ὅτι καὶ τὸν τόπον τῆς ἀναστάσεως προῃδέν ὁ προφήτης μαρτύριον ἐπικληθησόμενον; τίνι γὰρ τῷ λόγῳ, μὴ κατὰ τὰς λοιπὰς ἐκκλησίας ὁ τοῦ γολγοθᾶ καὶ τῆς ἀναστάσεως ὗτος ὁ τόπος ἐκκλησία καλεῖται, ἀλλὰ καὶ μαρτύριον; ἀλλ' ἴσως διὰ τὸν προφήτην τὸν εἰπόντα, εἰς ἡμέραν ἀναστάσεώς μου εἰς μαρτύριον· *Et deinde juxta eamdem Scripturæ connexionem dicit, Propterea expecta me, dicit Dominus, in diem resurrectionis meæ, in Martyrium. Vides & locum, in quo rediit ad vitam, Prophetam prænovisse, qui Martyrii nomen erat habiturus? Quanam enim ratione locus ille Golgothæ & Resurrectionis non appellatur Ecclesia, pro more reliquarum Ecclesiarum, sed Martyrium? At forsitan propter Prophetam, qui dixit, In diem resurrectionis meæ in Martyrium.* Et Eusebius de vita Constantini lib. 3. cap. 29. & lib. 4. cap. 40. 45. 46. 47. Athanasius in Apologetic. Hieronymus in Chronico, & alii.

Martyrium, Templum a Constantino ad sepulcrum Christi Jesu extructum, a Sophonia præditum.

HOc Sophoniæ prædictum sic repræsentavit Hieronymus, sui in Ebraicis præceptoris Judæi auctoritatem secutus: *Quapropter expecta me, dicit Dominus, in die resurrectionis meæ in futurum.* Exemplar Ebraicum habet, לעד, quod diversam recipit expositionem. Quidam vertunt, *ad spolium:* alii, *in futurum:* Jonathan, לדין, *ad judicandum.* At Septuaginta, εἰς μαρτύριον, *in testimonium.* Ita Aquila, & Theodotion, & Symmachus, teste Hieronymo: ita Syrus, & Arabs: ita Cyrillus uterque, & Theodoretus. Atqui his verbis eximia inest prædictio augusti illius & magnifici Templi, quod a Constantino Imperatore ad sepulcrum Christi, in monte Golgotha excitatum est, & Martyrium dictum; uti fuse narrat Eusebius in libris de vita Constantini. Porro nos supra in Propositione septima probavimus pertinere ad Christum, quæ commati huic apud Sophoniam subnexa sunt; unde existimare licet non temere nos facere, qui in eamdem sententiam hoc quoque conferamus.

CAPUT CXLI.

Jesus descendit ad Inferos, & Patriarchas inde educit.

PSalm. 67, 5. & seq. *Cantate Deo, psalmum dicite nomini ejus; iter facite ei, qui ascendit super occasum: Dominus nomen illi..... Qui educit vinctos in fortitudine; similiter eos, qui exasperant, qui habitant in sepulcris..... Ascendisti in altum, cepisti captivitatem; accepisti dona in hominibus.*

MAtth. 12, 39. 40. *Generatio mala & adultera signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ Prophetæ. Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus, sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus.*

Matth. 27, 52. 53. *Et monumenta aperta sunt,*

Digitized by Google

Psalm. 106, 10. & seq. *Sedentes in tenebris & umbra mortis ..... eduxit eos de tenebris & umbra mortis, & vincula eorum disrupit ... . Quia contrivit portas æreas, & vectes ferreos confregit ..... Misit Verbum suum, & sanavit eos, & eripuit eos de interitionibus eorum.*

Psalm. 141, 7. 8. *Intende ad deprecationem meam, quia humiliatus sum nimis. Libera me a persequentibus me, quia confortati sunt super me. Educ de custodia animam meam, ad confitendum nomini tuo; me expectant justi, donec retribuas mihi.*

Eccl. 24, 25. *Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inspiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes sperantes in Domino.*

Isa. 25, 7. 8. *Et præcipitabit in monte isto faciem vinculi colligati super omnes populos, & telam, quam orditus est super omnes nationes: præcipitabit mortem in sempiternum, & auferet Dominus Deus lacrymam ab omni facie, & opprobrium populi auferet de universa terra, quia Dominus locutus est. Et dicet in die illa, Ecce Deus noster iste, expectavimus eum, & salvavit nos: iste Dominus, sustinuimus eum, exultabimus & lætabimur in salutari ejus.*

Isa. 42, 6. 7. *Et dedi te in fœdus populi in lucem gentium, ut aperires oculos cœcorum, & educeres de conclusione vinctum, de domo carceris sedentes in tenebris.*

Isa. 49, 8. 9. *Dedi te in fœdus populi, ut suscitares terram, & possideres hæreditates dissipatas; ut diceres his, qui vincti sunt, Exite, & his qui in tenebris, Revelamini.*

Isa. 53, 12. *Ideo dispertiam ei plurimos, & fortium dividet spolia, pro eo, quod tradidit in mortem animam suam, & cum sceleratis reputatus est.*

Ose. 6, 3. 4. *Vivificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos, & vivemus in conspectu ejus. Sciemus, sequemurque ut cognoscamus Dominum: quasi diluculum præparatus est egressus ejus, & veniet quasi imber nobis temporaneus & serotinus terræ.*

Ose. 13, 14. *De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos: ero mors tua, o Mors; morsus tuus ero, Inferne.*

Zach. 9, 11. 12. *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua. Convertimini ad munitionem vincti spei; hodie quoque annuntians duplicia reddam tibi.*

sunt, & multa corpora Sanctorum, qui dormierunt, surrexerunt: & exeuntes de monumentis, post resurrectionem ejus, venerunt in sanctam Civitatem, & apparuerunt multis.

Joh. 12, 32. *Et ego si exaltatus fuero a terra, omnia trahan ad meipsum.*

Rom. 10, 6. 7. *Ne dixeris in corde tuo, Quis ascendet in cœlum? id est Christum deducere: aut, Quis descendet in abyssum? hoc est Christum a mortuis revocare.*

Eph. 4, 8. 9. *Propter quod dicit, Ascendens in altum captivam duxit captivitatem; dedit dona hominibus. Quod autem ascendit, quid est, nisi quia & descendit primum in inferiores partes terræ? Qui descendit, ipse est & qui ascendit super omnes cœlos, ut impleret omnia.*

Col. 2, 15. *Et exspolians Principatus & Potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso.*

Ebr. 2, 14. *Quia ergo pueri communicaverunt carni & sanguini, & ipse similiter participavit eisdem; ut per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, id est Diabolum.*

1. Petr. 3, 18. & seq. *Quia & Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis, ut nos offerret Deo, mortificatus carne, vivificatus autem spiritu; in quo & his, qui in carcere erant, spiritibus veniens prædicavit, qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noe, cum fabricaretur arca.*

1. Petr. 4, 6. *Propter hoc enim & mortuis evangelizatum est, ut judicentur quidem secundum homines in carne, vivant autem secundum Deum in spiritu.*

I. *Christo Jesu addicitur Psalm. 67, 5. 7. 19.*
II. *Christo Jesu addicitur Isa. 53, 12.*
III. *Exponitur priscorum Judæorum sententia de Ose. 13, 14.* IV. *Christo Jesu additur Zach. 9, 11. 12.*

I. IN Christo Jesu finem habuisse prophetiam, quam e Psalmo sexagesimo septimo hic depromimus, testificatur Paulus in Epistola ad Ephesios, cujus verba quoque recitamus. Iis autem prædictum fuisse declarat

Christo Jesu addicitur Psalm. 67, 5. 7. 19.

declarat descensum Jesu in inferiores partes terræ, quas Inferna loca, & Inferos appellamus; ascensum ejus in cœlum, & donorum Spiritus sancti erogationem. Atqui vaticinio hoc in suam sententiam abuti haudquaquam fuisset ausus, nisi in Messia eventum ejus communi Judæorum consensione expectari sciisset. Quod iterum iterumque monui. Itaque prisci Judæi in Schemoth Rabba, aliisque vetustis monumentis Messiæ applicant isthæc indidem petita: *Venient legati ex Ægypto.* Nos quoque paulo superius in Apostolis & Discipulis Christi completa hæc ostendimus: *In ecclesiis benedicite Deo Domino de fontibus Israel*, & quæ iis subnexa sunt.

Ps. 67, 32.

Ps. 67, 27. & seq.

Christo Jesu addicitur Isa. 53, 12.

II. Ad aliud vero testimonium, ex Isaiæ quinquagesimo tertio capite petitum, quod attinet, satis jam superque probavimus, totum id Messiam prænuntiare. Hoc vero commate Patriarcharum liberationem ex inferis signari vincimus his argumentis. Dico primum eorum animos, qui mortem effugerunt, *Spolia* in Codicibus sacris appellari. Jeremias non semel: *Sed erit tibi anima tua* לשלל, *in spolium.* Meminerimus præterea Isaiæ octavo capite nomen hoc Messiæ inditum esse: *Accelera spolia detrahere, festina prædari:* suis enim locis a me probatum est, ad Messiam istud spectare. Fortes a Messia spoliati quinam sint, docet nos Apostolus in Epistola ad Colossenses: *Et exspolians Principatus & Potestates traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso.* Potestates appellat, & in Epistola ad Ephesios *Principes mundi rectores tenebrarum harum*, quos Isaias fortes appellaverat. Mortis quoque & Orci fortitudo prædicatur in Cantico: *Fortis est, ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio.* Et in Psalmis: *Quis est homo, qui vivet & non videbit mortem, eruet animam suam de manu inferi?* Ex his colligere promptum est, spolia illa fortium, quæ dividenda prædicit Isaias, animos esse ex inferis locis a Christo Jesu eductos, & in cœlum evectos; tum & animos vivorum hominum, laqueis peccatorum & Dæmonum tyrannide exemtos; atque eos etiam, qui corpora sua subiere rursum, postquam mortem pertulit Christus. Profecto in veteri Judæorum libro Siphre, & in Gemara libri Sotah, torquentur

Jer. 39, 18. & 45, 5.

Isa. 8, 1. 3.

Col. 2, 15.

Eph. 6, 12.

Cant. 8, 6.

Ps. 88, 49.

hæc ad allegoriam, verum nullis subnixam rationibus, & quam Aben Ezra refellit: cum nos nostram Scripturæ consensu tueamur. Parata ergo nobis est ad explodendum Abrabanielem ratio, qui quod bella non gesserit Jesus Dominus, minime hæc in eum quadrare contendit; quasi κατὰ λέξιν *(secundum verba)* sumenda sint: quod ne ea suis quidem factum congerronibus scire debuit.

Exponitur priscorum Judæorum sententia de Ose 13, 14.

III. De Oseæ oraculo, quod e decimo tertio capite excerpsimus, tantum hoc dicam, sic illud intelligi & explicari in Beresith Rabba R. Mosis Hadarsan, quemadmodum hic a nobis intelligitur. Quo loco quoniam doctrina de Messiæ descensu ad inferos & captivorum liberatione, nostræ doctrinæ persimilis continetur, utile fuerit totum exponere. Ait R. Josue ben Levi, se Messia filio Davidis comitatum, abiisse cum Kippod, Angelo mortis, Gehennæ præfecto, quoad ad portas Gehennæ perventum est: captivos autem illuc detrusos, viso Messiæ lumine, summis eum excepisse lætitiis, sperantes futurum, ut ab eo tantis tenebris eximerentur, juxta hoc effatum Oseæ: *De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos;* & illud Isaiæ; *Et redemti a Domino convertentur, & venient in Sion cum laude & lætitia sempiterna super caput eorum: gaudium & lætitiam obtinebunt, & fugiet dolor & gemitus:* Sion autem Paradisum illic significare. Tum paulo post addit septem nominibus appellari Gehennam, quorum primum est, שאול, hoc est, *Orcus*, ὁ ᾅδης: deinde גיהנם, *Gehenna:* באר שחת, *puteus perditionis:* דומת, *silentium:* טיט היון, *lutum cœni:* צלמות, *umbra mortis:* ארץ התחתית, *terra inferior.* Ex quibus nominibus noscitur, quomodo plerasque Scripturæ sanctæ sententias intellexerint veteres Judæi.

Ose. 13, 14.

Isa. 35, 10.

Christo Jesu addicitur Zach. 9, 11. 12.

IV. Postremo cum in Propositione septima demonstraverim, nonum comma ac decimum capitis noni Zachariæ ad Messiam esse referenda, ne Judæis quidem dissentientibus, eademque in Jesu evenisse, juxta Evangelistarum testimonia; plane consectarium est, undecimum quoque ac duodecimum comma, una serie prioribus connexa, in Christo Jesu fuisse completa.

Digitized by Google

CAPUT CLXII.

Jesus revivisit.

PSalm. 3, 6. *Ego dormivi, & soporatus sum, & exsurrexi, quia Dominus suscepit me.*

Psalm. 15, 9. & seq. *Propter hoc lætatum est cor meum, & exultavit lingua mea: insuper & caro mea requiescet in spe. Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem. Notas mihi fecisti vias vitæ, adimplebis me lætitia cum vultu tuo; delectationes in dextera tua usque in finem.*

Psalm. 29, 1. & seq. *Exaltabo te Domine, quoniam suscepisti me, nec delectasti inimicos meos super me. Domine Deus meus, clamavi ad te, & sanasti me. Domine, eduxisti ab inferno animam meam; salvasti me a descendentibus in lacum.*

Psalm. 40, 9. & seq. *Verbum iniquum constituerunt adversum me. Numquid qui dormit, non adjiciet ut resurgat? Etenim homo pacis meæ, in quo speravi, qui edebat panes meos, magnificavit super me plantationem. Tu autem Domine, miserere mei, & resuscita me, & retribuam eis.*

Psalm. 48, 16. *Verumtamen Deus redimet animam meam de manu inferni, cum acceperit me.*

Psalm. 55, 12. 13. *In me sunt Deus vota tua, quæ reddam laudationes tibi: quoniam eripuisti animam meam de morte, & pedes meos de lapsu.*

Psalm. 70, 20. *Quantas ostendisti mihi tribulationes multas & malas, & conversus vivificasti me, & de abyssis terræ iterum reduxisti me!*

Psalm. 87, 5. *Æstimatus sum cum descendentibus in lacum, factus sum sicut homo sine adjutorio, inter mortuos liber.*

Psalm. 114, 3. & seq. *Circumdederunt me dolores mortis, & pericula inferni invenerunt me .... Convertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi, quia eripuit animam meam de morte, oculos meos a lapsu.*

Psalm. 141, 7. 8. *Intende ad deprecationem meam, quia humiliatus sum nimis. Libera me a persequentibus me, quia confortati sunt super me. Educ de custodia animam meam, ad confitendum nomini tuo: me expectant justi, donec retribuas mihi.*

MAtth. 12, 39. 40. *Qui respondens ait illis, Generatio mala & adultera signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ prophetæ. Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus, sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus.* Et Matth. 16, 4. Luc. 11, 29.

Matth. 16, 21. *Exinde cœpit Jesus ostendere Discipulis suis, quia oporteret eum ire Jerosolymam, & multa pati a Senioribus, & Scribis, & Principibus Sacerdotum, & occidi, & tertia die resurgere.* Et Matth. 17, 9. 22. & 20, 17. & seq. Marc. 8, 31. & 9, 8. & seq. & 10, 34. Luc. 9, 22. & 18, 31. & seq.

Matth. 26, 32. *Postquam autem resurrexero, præcedam vos in Galilæam.* Et Marc. 14, 28.

Matth. 27, 52. 53. *Et multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt: & exeuntes de monumentis post resurrectionem ejus, venerunt in sanctam Civitatem.*

Matth. 27, 62. & seq. *Altera autem die, quæ erat post Parasceven, convenerunt Principes Sacerdotum & Pharisæi ad Pilatum, dicentes, Domine, recordati sumus, quia seductor ille dixit adhuc vivens, Post tres dies resurgam. Jube ergo custodiri sepulcrum usque in diem tertium: ne forte veniant Discipuli ejus, & furentur eum, & dicant plebi, Surrexit a mortuis: & erit novissimus error pejor priore.*

Matth. 28, 5. & seq. *Respondens autem Angelus dixit mulieribus, Nolite timere vos, scio enim, quod Jesum, qui crucifixus est, quæritis: non est hic; surrexit enim, sicut dixit. Venite, & videte locum, ubi positus erat Dominus. Et cito euntes dicite Discipulis ejus, quia surrexit, & ecce præcedet vos in Galilæam; ubi eum videbitis; ecce prædixi vobis. Et exierunt cito de monumento cum timore & gaudio magno, currentes nuntiare Discipulis ejus. Et ecce Jesus occurrit illis, dicens, Avete. Illæ autem accesserunt, & tenuerunt pedes ejus, & adoraverunt eum.* Et Marc. 16, 5. & seq. Luc. 24, 5. & seq.

Luc. 24, 45. 46. *Tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas, & dixit eis, Quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere a mortuis tertia die.*

Joh. 2, 19. & seq. *Respondit Jesus, & dixit eis,*

Digitized by Google

Psalm. 142, 11. 12. *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam, propter nomen tuum, Domine, vivificabis me in æquitate tua. Educes de tribulatione animam meam, & in misericordia disperdes inimicos meos, & perdes omnes, qui tribulant animam meam.*

Isa. 25, 8. *Præcipitabit mortem in sempiternum, & auferet Dominus Deus lacrymam ab omni facie, & opprobrium populi sui auferet de universa terra, quia Dominus locutus est.*

Ose. 6, 3. 4. *Vivificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos, & vivemus in conspectu ejus. Sciemus, sequemurque, ut cognoscamus Dominum: quasi diluculum præparatus est egressus ejus, & veniet quasi imber nobis temporaneus & serotinus terræ.*

Ose. 13, 14. *Ero mors tua, o Mors; morsus tuus ero, Inferne.*

Jon. 2, 1. & seq. *Et erat Jonas in ventre piscis tribus diebus & tribus noctibus, & oravit Jonas ad Dominum Deum suum de ventre piscis ..... Et dixit Dominus pisci, & evomuit Jonam in aridam.*

Soph. 3, 8. *Quapropter, expecta me, dicit Dominus, in die resurrectionis meæ in futurum, quia judicium meum, ut congregem gentes, & colligam regna.*

eis, Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Dixerunt ergo Judæi, Quadraginta & sex annis ædificatum est Templum hoc, & tu in tribus diebus excitabis illud? Ille autem dicebat de Templo corporis sui. Cum ergo resurrexisset a mortuis, recordati sunt Discipuli ejus, quia hoc dicebat, & crediderunt Scripturæ, & sermoni quem dixit Jesus.

Joh. 10, 17. & seq. *Propterea me diligit Pater, quia ego pono animam meam, ut iterum sumam eam. Nemo tollit eam a me, sed ego pono eam a meipso, & potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam. Hoc mandatum accepi a Patre meo.*

Joh. 20, 14. & seq. *Hæc cum dixisset, conversa est retrorsum, & vidit Jesum stantem, & non sciebat, quia Jesus est. Dicit ei Jesus, Mulier, quid ploras? quem quæris? Illa existimans, quia hortulanus esset, dicit ei, Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi ubi posuisti eum, & ego eum tollam. Dicit ei Jesus, Maria. Conversa illa dicit ei, Rabboni (quod dicitur, Magister) ..... Cum ergo sero esset die illo, una sabbathorum, & fores essent clausæ, ubi erant Discipuli congregati propter metum Judæorum, venit Jesus, & stetit in medio, & dixit eis, Pax vobis. Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus & latus.*

Act. 1, 1. & seq. *Primum quidem sermonem feci de omnibus, o Theophile, quæ cœpit Jesus facere & docere usque in diem, qua præcipiens Apostolis per Spiritum sanctum, quos elegit, assumtus est; quibus & præbuit seipsum vivum post passionem suam in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei.*

Act. 1, 21. 22. *Oportet ergo ex his viris, qui nobiscum sunt congregati in omni tempore, quo intravit & exivit inter nos Dominus Jesus, incipiens a baptismate Johannis, usque in diem, qua assumtus est a nobis, testem resurrectionis ejus nobiscum fieri unum ex istis.* Et Act. 4, 10. & 5, 30. & 17, 3. & 26, 23. Rom. 6, 4. 9. & 7, 4. & 8, 11. 34. & 10, 9. & 14, 9. & 1. Cor. 6, 14. & 2. Cor. 5, 15. Gal. 1, 1. Eph. 1, 20. Phil. 3, 10. Col. 2, 12. & 1. Thess. 1, 10. & 4, 13. & 2. Tim. 1, 10. & 2, 8. & 1. Petr. 1, 3. 21. & 3, 22.

Act. 2, 24. & seq. *Quem Deus suscitavit solutis doloribus inferni, juxta quod impossibile erat teneri illum ab eo. David enim dicit in eum, Providebam Dominum in conspectu meo semper; quoniam a dextris est mihi, ne commovear. Propter hoc lætatum est cor meum, & exultavit lingua mea; insuper & caro mea requiescet in spe. Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem. Notas mihi fecisti vias vitæ, & replebis me jucunditate cum facie tua. Viri fratres, liceat audenter dicere ad vos de Patriarcha David, quoniam defunctus est & sepultus; & sepulcrum ejus est apud nos usque in hodiernum diem. Propheta igitur cum esset, & sciret quia jurejurando juravisset illi Deus de fructu lumbi ejus sedere super sedem ejus, providens locutus est de resurrectione Christi, quia neque derelictus est in inferno, neque caro ejus vidit corruptionem. Hunc Jesum resuscitavit Deus; cujus omnes nos testes sumus.*

Act. 3, 15. *Auctorem vero vitæ interfecistis, quem Deus suscitavit a mortuis; cujus nos testes sumus.*

Act. 4, 33. *Et virtute magna reddebant Apostoli testimonium resurrectionis Jesu Christi Domini nostri.*

Digitized by Google

Act. 10, 40. 41. *Hunc Deus suscitavit tertia die, & dedit eum manifestum fieri, non omni populo, sed testibus præordinatis a Deo, nobis qui manducavimus, & bibimus cum illo, postquam resurrexit a mortuis.*

Act. 13, 30. & seq. *Deus vero suscitavit eum a mortuis tertia die: qui visus est per dies multos his, qui simul ascenderant cum eo de Galilæa in Jerusalem, qui usque nunc sunt testes ejus ad plebem. Et nos vobis annuntiamus eam, quæ ad patres repromissio facta est; quoniam hanc Deus adimplevit filiis nostris, resuscitans Jesum, sicut & in Psalmo secundo scriptum est, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Quod autem suscitavit eum a mortuis, amplius jam non reversurum in corruptionem ita dixit, Quia dabo vobis sancta David fidelia. Ideoque & alias dicit, Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem. David enim in sua generatione, cum administrasset voluntati Dei, dormivit & appositus est ad patres suos, & vidit corruptionem. Quem vero Deus suscitavit a mortuis, non vidit corruptionem.*

Rom. 4, 24. 25. *Et propter nos quibus reputabitur credentibus in eum, qui suscitavit Jesum Christum Dominum nostrum a mortuis, qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram.*

1. Cor. 15, 3. & seq. *Tradidi enim vobis in primis quod & accepi, quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris secundum Scripturas, & quia sepultus est, & quia resurrexit tertia die secundum Scripturas: & quia visus est Cephæ, & post hoc Undecim. Deinde visus est plusquam quingentis fratribus simul, ex quibus multi manent usque adhuc, quidam autem dormierunt. Deinde visus est Jacobo, deinde Apostolis omnibus. Novissime autem omnium, tanquam abortivo visus est & mihi..... Si autem resurrectio mortuorum non est, neque Christus resurrexit. Si autem Christus non resurrexit, inanis est ergo prædicatio nostra, inanis est & fides vestra: invenimur autem & falsi testes Dei, quoniam testimonium diximus adversus Deum, quod suscitaverit Christum: quem non suscitavit, si mortui non resurgunt.... Nunc autem Christus resurrexit a mortuis, primitia dormientium.*

1. Petr. 3, 18. & seq. *Quia & Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis, ut nos offerret Deo; mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu.... qui est in dextera Dei deglutiens mortem, ut vita æterna hæredes efficeremur.*

I. *Favent Judæi quidam sententiæ Christianorum super Christi Jesu reditu ad vitam.* II. *Refelluntur argumenta Adversariorum. Primum argumentum.* III. *Secundum argumentum.* IV. *Refellitur Salmasii sententia de Christi sepulcro.* V. *Tertium argumentum.* VI. *Falsum est rediisse ad vitam Aristeam Proconnesium,* VII. *vel Cleomedem Astypalæensem,* VIII. *vel Hermotimum Clazomenium,* IX, *vel Epimenidem Cretensem,* X. *vel mulierem* ἄπνευ, *Heraclidis libro peculiari celebratam,* XI. *vel Erem Pamphylium Harmonii filium,* XII. *vel puellam, quam suscitasse fertur Apollonius Tyaneus, vel alios complures a Veteribus celebratos.*

Favent Judæi quidam sententiæ Christianorum super Christi Jesu reditu ad vitam. Joseph. Antiq. l. 18. c. 4.

I. In fronte Disputationis hujus notandum est, nihil esse in hac causa, quamobrem Judæis Christiana doctrina invidiosa esse debeat, cum popularis eorum Josephus in celeberrimo illo de Christo Jesu testimonio hæc scripserit: ἐφάνη γὰρ αὐτοῖς τρίτην ἔχων ἡμέραν πάλιν ζῶν, τῶν θείων προφητῶν ταῦτα καὶ ἄλλα μυρία θαυμάσια περὶ αὐτοῦ εἰρηκότων. *Post triduum enim redivivus ipsis apparuit, cum divini Prophetæ hæc aliaque innumera prodigia de eo nuntiassent.* Cumque vetustissimus præterea ac celeberrimus doctor eorum & Princeps R. Jehuda Haccadosch, in libro R. Abrahami, qui גלי רזיא, hoc est *Revelans arcana*, inscribitur, sic differat: *Post triduum vero anima Messiæ ad corpus suum revertetur, & exibit ex illo lapide, in quo erit sepultus; sicut dictum est Exod. 33. Ecce locus est apud me, stabis super petram: cumque transierit gloria mea, ponam te in foramine petræ.* Quibus propositis, nunc argumenta Adversariorum diluamus.

Refelluntur argumenta Adversariorum. Primum argumentum. Matth. 28, n. & seq.

II. Scribit Matthæus, reverso ad vitam Jesu, & aperto sepulchro, milites custodiendo ei appositos, rem Principibus Sacerdotum nuntiasse; qua accepta hos habuisse senatum, & de communi sententia subornasse pecunia milites, qui dicerent, sibi sopitis & somno oppressis noctu subtractum fuisse corpus Jesu ab ipsius Discipulis: quæ confessio quoniam fraudi militibus esse poterat, utpote stationis deserto-

Digitized by Google

desertoribus, si ad Præsidem perveniſſet, culpam ſe præſtaturos Sacerdotes promiſiſſe, paruiſſe milites, remque ita in vulgus diſſipatam ad illam diem fuiſſe. Hinc adverſus Chriſtianos conflatur argumentum, quaſi commentitia ſit Chriſti Jeſu a morte ſuſcitati hiſtoria. At prorſus hebes eſſe telum hoc & plumbeum, oſtendet narratio rerum ſimplex, ſed attente perſpecta. Mortuum Chriſti corpus linteis involutum, monumento novo & in petra exciſo illatum eſt. Saxum ingens ad oſtium monumenti advolutum. Et quoniam Chriſtus, dum viveret, de futuro ſuo poſt tres dies ad vitam reditu verba quædam jecerat, poſtulant a Pilato Principes Sacerdotum & Phariſæi, ut cuſtodes apponantur ſepulcro usque ad diem tertium, ne Diſcipuli ipſius ſubrepto clanculum corpore, vitam eum recepiſſe fingant, atque ita illudant credulitati plebis, nefariumque & damnoſum errorem in vulgus ſpargant. Annuit Pilatus: obſignant illi lapidem ſepulchro impoſitum, & cuſtodes addunt. At die tertio editus eſt terræ motus ingens, Chriſto Jeſu reviviſcente, & Angelus cœlo lapſus revoluto lapide vacui ſepulchri oſtium patefecit. Quo viſo conſternati metu cuſtodes, ac prope exanimes corruerunt. Horum nonnulli in Urbem reverſi, ad Principes Sacerdotum de iis rebus retulerunt. Interea vero alia quoque ſepulcra patuerunt, ſanctorumque hominum corpora vita functa ac ſepulta, poſtquam revixit Chriſtus, rediviva & ipſa Hieroſolymis apparuerunt. Hæc Matthæus: quæ, Deo ſic diſponente, ita contigerunt, ut fidem ipſa ex ſeſe ab Adverſariis extorquere, & omnem pertinaciam frangere poſſint. Nam primum poſitum eſt corpus Jeſu in ſepulcro novo, in quo nondum ullum fuerat conditum, *Ne poſt reſurrectionem*, inquit Hieronymus, *cæteris corporibus remanentibus reſurrexiſſe alius fingeretur*. Pollicitatio Chriſti de futuro ſuo ad vitam reditu, Judæorum excitavit diligentiam ad præcavendas fraudes. Cum ergo ſepulcrum obſignarint, cuſtodes appoſuerint, modisque omnibus caverint, ne fraus ſibi fieret a Chriſti Diſcipulis, eadem opera caverunt, ne factam ſibi fraudem cauſſari poſſent, poſtquam vere Chriſtus revixiſſet. Qui cum revixerit, minime jam iis competit de dolo malo actio vel exceptio. Hæc enim ita fieri Deus voluit, μὴ τις, inquit Chryſoſtomus, μέλλῃ λυμαίνεσθαι τῷ τῆς ἀναστάσεως λόγῳ. *Ne quis doctrinam hanc de reditu ad vitam labefactare poſſit*: Quam facultatem non aliis ſolum, ſed & ſibi præciderunt. *Quanto enim amplius reſervatur* Chriſti corpus, *tanto magis reſurrectionis virtus oſtenditur*. Verba ſunt Hieronymi. Strenue ſane & acute argumenta hæc adverſus Judæos urget Chryſoſtomus; quem ſi quis conſulat, operæ fructum feret. Neque vero latenter monumento Jeſus erepit: magno res agitur apparatu: terra movetur: cœlo deſcendit Angelus, & orto jam die ſepulcrum reſerat. Ad ea pavore ingenti conſternantur cuſtodes: nonnulli etiam rem apud Sacerdotes teſtificantur. En teſtes locupletes, & nulli exceptioni obnoxios. Nec credibile eſt hæc Matthæum confinxiſſe; nam quo tempore ea ſcribebat, complures ſupererant portentorum illorum vel oculati teſtes, vel auriti. Quis putet præterea Apoſtolos, viros ſimplices, rudes, imperitos; meticuloſos etiam, & ad ſatellitum adventum, vel ad ancillæ vocem paulo ante trepidantes, tantum auſos eſſe facinus, ut Corpus Chriſti Jeſu ſubriperent, & deceptis cuſtodibus toti Synedrio os ſublinerent? Quis credat tantum ipſis ſuperfuiſſe otii, ut ingentem lapidem ſepulcri oſtio appoſitum amovere, & ſudarium ac inſtitas corpori Chriſti unguentis delibuto inhærentes explicare & disjungere poſſent, dum prope erant ſemiſomni ſatellites, quos vel leviſſimum murmur poterat excitare? Recte Sedulius:

Anne beati
Corporis ablator, velocius eſſe putavit
Solvere contectum, quam devectare ligatum
Cum mora ſit furtis contraria?

Quæ a Chryſoſtomo eleganter tractata ſunt. Quis adeo inſaniſſe cenſeat Apoſtolos, ut nullo propoſito operæ pretio fraudem univerſo hominum generi, ſibique ipſis ſtruere vellent, & vitam pro mendacio, cujus erant ſibi conſcii, & vana religione paciſci ac profundere? quis fingat ſibi, tot homines in periculoſum adeo flagitium, cujusmodi erat raptio corporis Chriſti, falſamque de eo redivivo opinionem ſpargendam conſpiraſſe? Ad hæc incallide prorſus excogitatum eſt commentum illud de cuſtodum ſomno: nam quomodo ſopiti homines deprehendere per ſomnum potuerunt corpus Jeſu ab Apoſtolis fuiſſe ſubreptum? Qui id reſciverunt,

Hieron. in Matth. 27. 60.

Chryſoſt. in Matth. 27.

Hieron. in Matth. 27. Chryſoſt. in Matth. 27.

Chryſoſt. in Matth. 28.

Digitized by Google

quod inſciis ipſis & incautis factum eſt? Denique quod de redivivis ſanctorum corporibus & in Urbe viſis Matthæus prodidit, eſt ejusmodi, ut multos extitiſſe neceſſe ſit portenti hujus conſcios ac memores, cum ſcriptis mandaretur. Quapropter veriſimile non eſt pudori ſuo tam male conſuluiſſe Matthæum, ut ineptum adeo craſſumque confingeret mendacium, quod promptum fuiſſet unicuique refellere.

Ad ſtolidam majorum ſuorum fabulam, ſtolidiorem hanc adjecerunt Judæi recentiores, corpus Chriſti ab Apoſtolis furto ſublatum, & in proximis locis occultum, non multo poſt per Pontificum excurſores & emiſſarios fuiſſe repertum. Nam quo id auctore referunt, quod Veterum nullus ſcriptis mandavit? Cur palam ſpectandum non propoſuerunt corpus Pontifices, quo conſpecto rumor omnis de redivivo Chriſto conticuiſſet?

Secundum argumentum.

III. Erunt fortaſſe, qui dicant, Apoſtolos ad ſepulcrum cuniculos egiſſe, ſuffoſſaque humo corpus Chriſti ſubtraxiſſe: qua arte facile fuerit cuſtodes fallere. At repugnat Matthæus, cum ait finxiſſe Pontifices ſubreptum fuiſſe corpus Chriſti dormientibus cuſtodibus: nam ſi per cuniculos ablatum eſt, etiam vigilantibus cuſtodibus fieri id potuit, neque ad hujusmodi fabulam recurrere neceſſe fuit. Eæ præterea fuerunt anguſtiæ temporis, ut per eas e longinquo agi potuiſſe cuniculos, tantumque terræ egeri, quantum neceſſe fuit, haudquaquam credibile ſit. Verum his omiſſis, una reſponſione totum hoc refellitur. Ajo enimvero ὑπόστεον *(petroſum)* fuiſſe ſolum hoc, ipſumque adeo Chriſti ſepulcrum in rupe fuiſſe inciſum, vel potius fuiſſe rupem ipſam ferro excavatam: ita ut per ſubterraneos meatus penetrare illuc, res fuerit immenſi operis & temporis. Quamvis enim diſcamus ex Joſepho, cuniculis perfoſſum fuiſſe aliquando Hieroſolymitanum ſolum; puta obſidente Urbem Herode, & deinde Tito, & in ſeditione Manahemi; quod & multo poſt a Salahoddino Urbem oppugnante factum diſcimus ex Abulfaragio: & quamvis ſcriptum reliquerit Philo Senior in Hieroſolymæ deſcriptione, & Ariſtæus in libro de legis Moſaicæ interpretatione, e fonte templi derivatas fuiſſe & diſtributas aquas per ſubterraneos canales & occultas fiſtulas: quamvis denique molle ac foſſile terrenum fuiſſe demus in aliquibus Hieroſolymæ locis: at neque hujusmodi fuiſſe Golgathæ montis ſolum, aut horti cui inerat ſepulcrum Chriſti, certiſſimum eſt; nec tantum otii aut audaciæ fuit Apoſtolis, ut per duram ſilicem tam longos agere cuniculos poſſent; & manifeſta in ſuffoſſa rupe extitiſſent furti indicia, quæ nulla arte, vel humo ingeſta, vel infartis lapidibus & cæmentis celari potuiſſent ab Apoſtolis; quæque Judæorum Principes ad patefaciendam fraudem, refoſſa ſcrobe, palam haud dubie feciſſent; neque abſurdam ſuam de cuſtodum ſopore calumniam vulgaſſent.

Joſeph. de bell. Jud. l. 1. c. 13. & l. 2. c. 17. & l. 6. c. 30. & l. 7. c. 20.

Abulfar. Hiſt. Ori. Dyn. 9. Phil. apud Euſeb. Præp. l. 9. c. 37.

Ariſt. apud Euſ. Præp. l. 9. c. 38.

Refellitur Salmaſii ſententia de Chriſti ſepulcro.

IV. Sed audiamus contradicentem Salmaſium. Ait ille Domini Jeſu ſepulcrum, cryptam fuiſſe in terra excavatam, lapide ſtratam, & inædificatam, concameratam deſuper, & foramine in medio fornice apertam, quod injecto extrinſecus lapide clauderetur. Itaque in horto, cui inerat Domini monumentum, rupem fuiſſe negat ullam, ſed ſubactam humum, qualem horti eſſe oportuit. Quæ Brocardus Monachus, cæterique recentiores ſecus narrant, tanquam falſa aut ſuſpecta repudiat; Bellonium affirmare dicens, Templum ſepulcro Chriſti impoſitum in plano ſitum eſſe, non in monte. In quibus ſane turpiſſime ſe dat vir apprime cæteroquin literatus. Nam primum conſtat Hieroſolymam ſaxoſam eſſe, in rupibus impoſitam. Teſtis Strabo, qui Hieroſolymorum ſolum eſſe ait πετρώδες καὶ ὑπόστεον. *(lapidoſum & ſubter petroſum)* Teſtis Hieronymus, qui Hieroſolymam *totius provinciæ deterrimam eſſe, & ſaxoſis montibus aſperari* docet. Teſtis Vuilbrandus Oldenburgenſis, qui Terram ſanctam adiit anno Domini milleſimo ducenteſimo undecimo, *Conſcendimus*, inquit, *montana Hieruſalem, quæ ſunt admodum alta, lapidoſa, & aſperrima; & quod mirabile eſt, multum vini, olei, & frumenti afferentia.* Teſtis Cotovicus, qui de vicinia Hieroſolymæ ait: *Regio per ſe ſterilis, & petroſa eſt.* Teſtes & peregrinatores univerſi, quicunque Urbem hanc luſtrarunt. In his Bellonius ipſe, cujus auctoritatem Salmaſius prætendit. Tradit is ſcrupoſis inſidere montibus Hieroſolymam, quorum magna pars jam inde a vetuſtis temporibus hominum

Strab. l. 16.

Hieron. in Iſa. 50.

Vuilbr. Old. Itin. Terr. ſanct.

Cotov. Itin. Hier. lib. 2.

Bellon. Obſer. l. 2. c. 81.

Digitized by Google

hominum labore complanata & æquata, & aggesta humo contecta, frugibus ferendis idonea facta sit. Hujusmodi fuisse hortum illum Josephi Arimathæensis, cujusmodi loca vicina omnia, haud dubium est, ὑπόλιθον *(subter petrosum)* nempe, sed comportata ad aliquantam altitudinem terra, culturæ idoneum. Idcirco λιθώδη, ψαμμώδη χαμώνην, *lapidosum & arenosum lectum*, appellat Nonnus Christi sepulcrum. Brocardi vero fidelis & diligentis scriptoris, res non sando auditas, sed sibi visas exponentis, reliquerumque omnium ipsi suffragantium auctoritatem nullo probabili argumento rejicere, quod facit Salmasius, hominis non est satis æqui, resque ex merito expensitantis. Nam quod ii de duplici crypta sepulchri Jesu referunt, id hodieque visitur, & nos ab oculatis testibus & fide dignis plerisque accepimus. Præcipua est & intima, in qua reconditum fuit Christi corpus: extima altera, & tanquam aditus ad aliam, & vestibulum. Angeli Sacellum appellant, quod illic Angelus revixisse Christum mulieribus nuntiarit. Johannes Phocas in Descriptione sacrorum locorum Palæstinæ, quam anno quinto & octogesimo supra centesimum & millesimum perlustravit: τὸ δὲ ἀς τάφου χεμματίσαν ἐπήλομον τῦ δεσποτικῦ σώματός ἐστι διπλῦν, καὶ ἐν μὲν τῷ ἑνὶ ἐπίκειται ὁ ἀποκυλισθεὶς λίθος, λευκοῖς μαρμάροις περιφερόμενος. ἐν δὲ τῷ ἑτέρῳ μέρει τῷ πρὸ τὸ ἀριστερὸν ὁ λίθος κειμένου τοῦ ἁγιοπέδου πέντε ὑπερανέχων ἀφὰ πῆχυν ἕνα, ἐν ᾧ νεκρὸς καὶ γύμνος ὁ τῆς ζωῆς ἐνετέθη δοτήρ. *Specus autem, quod dominico corpori sepulcri usum præbuit, duplex est: & in uno quidem jacet revolutus lapis, candido marmore circumseptus; in altera parte, versus Boream, lapis ferro excisus, uno circiter cubito supra pavimenti solum eminet, in quo mortuus & nudus vitæ dator depositus est.* Accuratissimam speluncæ utriusque, totiusque ædificii desuper exstructi descriptionem, formis expressam edidit Bernardinus Amicus Franciscanus; ut non magis de ea re, quam de Hierosolyma ipsa dubitare liceat. Scriptor antiquus Itinerarii Hierosolymitani, quem Brocardo opponit Salmasius, unius quidem cryptæ meminit, ejus nempe in qua positum est corpus Christi, sed illuc per aliam penetrari non negat: tantum ait: *Inde quasi ad lapidem missum est crypta, ubi corpus ejus positum fuit.* De situ vero Templi sepulcro impositi, quod disputat Salmasius ex testimonio Bellonii, in plano situm esse, non in monte, quid ad rem pertineat, non intelligo: nam quod inde colligit, in rupe incisum non fuisse Christi sepulcrum, minime sequitur. Bellonius strictim se hæc caussa brevitatis fatetur attigisse. At Bernardinus Amicus, aliique sexcenti, unius hujusce Templi septis, sepulcrum Christi, cryptasque alias in rupe excavatas, quædam etiam loca infra Templi solum depressa, & ipsum Calvariæ montem contineri referunt, & montem hunc conscendi gradibus octodecim, quorum aliquot in rupe sunt excisi. Cum Templum exstrueretur, ad aream ædificii æquandam, partem aliquam Golgothæ montis cædi oportuit, ut optime notavit Petrus Vallensis; sed magna tamen ejus pars supereſt, Templi ejusdem ambitu comprehensa. Brocardus: *Mons Calvariæ, in quo Dominus crucifixus est, distat a loco sepulcri centum & octo pedibus, & est ascensus a superficie pavimenti Ecclesiæ, ad locum ubi crux rupi infixa fuit, viginti octo pedum.* Scribe, *XVIII. pedum.* Nec multo post: *Non longe ab hoc loco, ubi Christus flagris cæsus est, descenditur per XLVIII. gradus ad locum, ubi Helena invenit crucem Domini defossam.* Anonymus ab Allatio editus, in Descriptione Hierosolymorum: ἡ δὲ ἀριστερὰ τῦ βήματος τῦ ἁγίου τάφου ἀναβαίνει σκαλόνια ιε. καὶ σεβαίνει εἰς τὸν γολγοθᾶ. *Sinistra Bematis sancti Sepulcri ascendit gradus quindecim, & ingreditur Golgotham.* Ubi legendum, ni fallor, σκαλόνια ιή. *gradus octodecim.* Epiphanius Hagiopolita scribit, illuc ascendi gradibus triginta sex; sed tum fortasse aliis scalis in Golgotham evadebatur. Denique Vuilbrandus Oldenburgensis: *Et sciendum quia mons Calvariæ, qui modicus est, ut quidam colliculus, intra parietes Ecclesiæ continetur.* Bartholomæus de Saligniaco: *Descenditur a loco crucis Christi ad superficiem pavimenti Ecclesiæ spatio pedum viginti novem, quod resultat ex decem & octo gradibus; & a principio pavimenti usque ad sepulcrum spatium est pedum 28.* Scribe 108. sic enim Sanutus, qui vixit ante annos octoginta & trecentos: *Mons Calvariæ, in quo Dominus crucifixus est, distat a loco sepulcri, per 108. pedes: & ascenditur ad locum ubi crux posita est per 29. pedes a superficie pavimenti Ecclesiæ.*

Nonn. in Joh. 19, 42. & 20, 1.

Petr. Vall. Tom. 1. Broc. descr. Terr. sanct.

Barth. de Salig. Itin. Terr. sanct. cap. 6.

Bern. Am. Tract. de ædif. Terr. sanct.

Sanut. in Secret. Fidel. cruc. l. 3. Part. 14. c. 8.

Graduum

Graduum autem istorum bona pars vivo constat lapide Golgothæ montis, ut & muri plerique ac fornices locorum istorum sanctorum.

Quin etiam Salmasius verba Evangelii manifesto sibi adversa, sententiæ suæ accommodare tentat. Nam quod scribit Marcus, Marc. 15, 46. monumentum Christi fuisse λελατομημένον ἐκ πέτρας, perperam ait redditum fuisse a Vulgato Interprete: *Quod erat excisum de petra:* vel ut aliis placet, *de rupe.* Petram quidem fatetur olim rupem significasse, at a mediæ ætatis scriptoribus pro cæmentitio & οἰκοδομικῷ *(ad ædificandum idoneo)* lapide usurpatum. Ego vero ajo, vocem hanc, apud auctores Græcos & Latinos, Evangelistarum ætati suppares, pro rupe fuisse acceptam. Nec aliam obtinet significationem apud Evangelistas ipsos, qui sententiarum dictionumque suarum certissimi Interpretes haberi debent. Matth. 7, 25. Luc. 6, 48. Prudens ille ædificator, quem Christus fundamentum posuisse ajebat ἐπὶ τὴν πέτραν *(super petram)* super rupem domum extruxisse utique censendus est. Matth. 16, 18. Petrum petræ, hoc est rupi immobili comparabat, cum super eum Ecclesiam suam ædificaturum se pollicebatur. Matth. 27, 51. Petras, hoc est, rupes moriente Christo, scissas Evangelista tradidit. Petram illam, cujus fluenta in deserto potasse Israelitas scribit Paulus, 1. Cor. 10, 4. non cæmentitium & οἰκοδομικὸν *(ædificiis idoneum)* lapidem fuisse constat. Addit Salmasius dicendum fuisse λελατομημένην ἐκ τῆς πέτρας; si excisum intellexisset ex rupe, quæ inibi fuisset. Si præfixus articulus certum quid semper notat, rem profecto conficit Matthæus, qui sic habet: ἐλατόμησεν ἐν τῇ πέτρᾳ, nam certam quamdam petram significari necesse est. Verum nego eam semper esse vim articuli. Cum ait Matth. 7, 24. apud Matthæum Christus Jesus de cauto illo ædificatore: ὁμοιώσω αὐτὸν ἀνδρὶ φρονίμῳ, ὅστις ᾠκοδόμησε τὴν οἰκίαν ἑαυτοῦ ἐπὶ τὴν πέτραν, *Assimilabo eum viro sapienti, qui ædificabit domum suam supra petram*, an certam aliquam petram intellexit? in parabola de seminatore, cum dixit Christus semina quædam cecidisse ἐπὶ τὴν πέτραν, *super petram*, num petram quamdam his verbis notatam voluit? Quemadmodum autem non certum quid semper notat additus articulus, ita non incertum quid & indefinitum & ἀπαρέμφατον notatur semper, cum omittitur. Obvia sunt passim exempla. Sed ut a Novo Testamento non discedamus, Genealogiam Christi pertexens Matthæus iisdem nominibus indiscriminatim addit & demit articulum: Ἀβραὰμ ἐγέννησε τὸν Ἰσαάκ. Ἰσαὰκ δὲ ἐγέννησε τὸν Ἰακώβ. Matth. 1, 2. En tibi Isaaci nomen articulo auctum & multatum, cum certa tamen persona eadem utrobique signetur. Matthæus alibi de Gabriele Angelo: ἄγγελος κυρίου κατ' ὄναρ ἐφάνη αὐτῷ. *Angelus Domini apparuit ei in somnis.* Matth. 1, 20. 24. Prætermittit articulum, cum certum quemdam Angelum indicet. At paulo post: ἐποίησεν ὡς προσέταξεν αὐτῷ ὁ ἄγγελος κυρίου. *Fecit sicut præcipit ei Angelus Domini.* Eumdem Angelum significans, adjungit articulum. Vitilitigat deinde in voce λατομῶν, quam vulgo fatetur id significare, quod hic significatum volumus, nempe lapides ex lapidicina excidere, unde λατόμιον dicuntur lapidicinæ: idem vero negat hoc loco sonare, sed lapides polire & quadrare ad ædificandum; atque hinc λατόμους esse dictos, sectores lapidarios, λιθοξόους: itaque μνημεῖον λελατομημένον ἐκ πέτρας, esse sepulcrum ex lapide secto & polito ædificatum, atque idcirco a Luca appellari μνῆμα λαξευτὸν, quod non aliter intelligi & exponi vult quam lapidibus cæsis & quadratis constructum. Nos fatemur voces λατομῶν & λαξεύειν, id nonnunquam sonare quod vult Salmasius; eumdem vero intellectum neutiquam hic obtinere dicimus, nec aliud sibi velle, quam rupem ferro excavare; μνῆμα λαξευτὸν non aliud esse, quam monumentum in silice incisum. Quicumque enim silicem cædit & quadrat, sive radicibus suis & lapidicinæ inhærentem, sive inde excisum & extractum, alibique collocandum, is λατομῶν & λαξεύειν recte dicitur. Latomi quibus ad parandum sibi monumentum usus est Josephus Arimathæensis, in cædenda intus & quadranda rupe viva eamdem adhibuerunt artem, iisdem utebantur λαξευτηρίοις, quibus usi fuissent in cædendis & quadrandis lapidibus aliunde exectis, & in crypta extruendis; eosque λαξευτὰς, itidem ut λατόμους, merito appellasses; & opus λαξευτὸν, itidem ut λελατομημένον. Glossæ veteres: λαξευτής. *Lapidicinarius:* qui lapides ex lapidicinis eruit & excidit; quod faciendum necessario fuit iis operis, quæ Josephi monumentum excavarunt. Imo vero, lapis quomodocunque sectus, λαξευτὸς dici potest. Septuaginta Interpre-

Digitized by Google

Num. 21, 20. Interpretes viceſimo primo Numerorum capite, Ebraicum illud, ראש הפסגה, *capite Piſga*, ſive *vertice montis*, verterunt, κορυφῆς τῆ λελαξευμένη, ſupple, ὄρους, quod mons ille præruptus eſſet, ἀπρόβλητ, quem nemo ſanus ſcalpro exciſum a lapidum ſcalptore dixerit. Fruſtra ergo Lucæ verba nobis Salmaſius

Strab. l. 16. obducit. Eſt apud Strabonem, Hieroſolymæ productam fuiſſe ταφρὸν λατομητὴν, *foſſam in rupe excavatam:* Templum vero extructum fuiſſe e lapide inde exciſo, ἐκ τοῦ λίθου τοῦ λατομηθέντος. Vides primum quale fuerit ſolum Hieroſoſymitanum, lapidoſum videlicet, quod non aliter excavari poſſet, quam exciſis lapidibus. Vides præterea λατομητὴν dici eam foſſam, quæ in rupe fuerat inciſa: ut λελατομημένον μνημεῖον dixit Marcus, quod in petra; neque ſolum foſſam, e qua lapis exciditur, dici λατομητὴν, ſed & lapidem ipſum inde exciſum dici λατομηθέντα. Quod ſi ſcalpro fuiſſet intus quadrata foſſa, & aliquantum æquata, quale fuerat Joſephi monumentum, λαξευτὴ jure dicta fuiſſet. Hoc enim λαξευτὸς differt a latomo, ſi rem propius inſpicias, quod rude eſt & informe λαξευτὸν opus, latomi vero politius & accuratius; quanquam ſæpius confunduntur. Septuaginta Interpretes, λάκκους λατομῶν, *(lacus in rupe excudere)* variis locis dixerunt, quod cum Palæſtina multis locis eſſet ὑπόλιθος *(ſubter petroſa,)* in ſilice

Num. 21, 18. excidendæ erant ciſternæ. Nonnunquam etiam dictione ἐκλατομῶν uſi ſunt. Deut. 6, 11. φρέατα ἐξελατόμησαν, *putcum in rupe inciderunt;* λάκκους λελατομημένους, ὃς οὐκ ἐξελατόμησας, *ciſternas excavatas, quas non excavaſti.* Sic igitur intelligendum illud Marci: λελατομημένον ἐκ πέτρας, ac ſi ἐκλελατομημένον dixiſſet *excavatum inciſum in rupe.* Sed quid aucupamur voculas, cum ex rebus ipſis Evangeliſtarum ſententia ſpectari poſſit. Certum eſt locum, in quo exciſum eſt monumentum Chriſti, ſaxoſum fuiſſe, ut non aliter quam ferro excavatis ſilicibus perfodi potuerit. Viſuntur hodieque in eodem loco ſaxa viva pleraque, ſuis radi-

Petr. Vall. Tom. 1. cibus hærentia. Obſervavit Petrus Vallenſis baſes columnarum complurium Templi, proximarum ædiculæ cui Sepulcrum ineſt, vivo lapide conſtare, non aliunde importato, ſed ἐντοφυῆ *(nativo)* Saxum extat in Sacello Angeli nativum, & rupi ſuæ conjunctum. Cryptæ in vicinis locis ſaxo inciſæ cernuntur plurimæ: velut illa, in qua ſepultos ferunt Arimathæenſem Joſephum & Nicodemum; atque aliæ etiam, in quas recipere ſe conſueverunt peregrinatores plerique ex Orientis partibus illuc confluentes. Totum denique Templum rupi inædificatum eſt. Ac de Sepulcro ſcriptores teſtificantur univerſi qui viderunt. Adamnanus Scotus, qui ex narrationibus Arculphi Galli Epiſcopi, ex Palæſtina aliisque Orientis locis reducis, librum congeſſerat de locis Terræ ſanctæ, monumentum Chriſti in petra exciſum fuiſſe ſcripſit, *De iſtius ergo petræ coloribus,* inquit, *in qua ſæpe dictum tegurium dolatorum ferramentis interius cavatum, dominicumque ſepulcrum in aquilonari loco ipſius habens, de una eademque petra exciſum, qua & monumentum, hoc eſt, ipſum tegurium, Arculphus ame interrogatus dixit: Illud dominici monumenti tegurium, nullo intrinſecus ornatu tectum, usque hodie per totam ejus cavaturam ferramentorum oſtendit veſtigia, quibus dolatores ſive exciſores in eodem uſi ſunt opere.* Adamn. de ſit. Terr. ſanct. l. 1. c. 3. Vixerunt autem Arculphus ille & Adamnanus circiter annum ſexcenteſimum nonageſimum, Juſtiniani junioris temporibus. Atque hoc hujus teſtimonio utitur Beda. Ac interior quidem crypta, in quam conditum fuerat corpus Chriſti, tota vivo ſilici inſculpta eſt; extima vero, quam vocant, Sacellum Angeli, partim in ſilice inciſa, partim cæſis & exſtructis conſtat lapidibus. Bed. Hiſt. Eccl. l. 5. c. 16. 17. Sectili marmore obducta hodie hæc rupes eſt, ſed per rimas tamen aliquas oculis digitisque ad ſilicem nativum aditus datur. Tota etiam intus patebat Brocardi ævo, nullo marmore contecta. *Spelunca,* inquit, *ſepulcrum Domini continens, habet in longum aliquot pedes, foris quidem marmore tecta, intus vero adhuc nuda conſpicitur, ſicut tempore paſſionis fuit.* Secturæ quoque, ſcalprique veſtigia obſervaverat Arculphus. Lapidem, cui ſacrum Chriſti Domini corpus fuit impoſitum, licet marmore obſeptum, in tribus locis patuiſſe tactui & oſculis peregrinorum, affirmat Vuilbrandus Oldenburgenſis. Sed & tectum rupis rude erat, nullo marmore obductum. Bartholomæus de Saligniaco: *In media Templi area ſtant duæ domunculæ, ſive cryptæ: ſunt etenim e rupe cavatæ, interius & exterius marmore incruſtatæ, tecto rudi juxta naturam rupis exterius manentis.* Barth. de Salig. Itin. Terr. ſanct. Tom. 7. c. 6. Atque hæc vetuſtiorum ſcriptorum teſti-

Digitized by Google

moniis consentiunt. Nonnus in interpretatione Evangelii secundum Johannem:

Nonn. in Joh. 19, 41.

ἦεν δ' ἐνὶ γάτονι κήπῳ
τύμβος ἀδμήτοιο βαθυνομένης ἀπὸ πέτρης.
γλυπτὸς ὅλος, νεότευκτος.

Erat autem in vicino horto
Sepulcrum e rudi silice excavato.
Totum insculptum, recens fabricatum.

Hieron. in Matth. 27.

Hieronymus: *Unde & in monumento novo, quod excisum fuerat in petra, conditus est: ne si ex multis lapidibus ædificatum esset, suffossis tumuli fundamentis ablatus furto diceretur. Quod autem in sepulcro ponendus esset, Prophetæ testimonium est dicentis, Hic habitabit in excelsa spelunca petræ fortissimæ. Statimque post duos versiculos sequitur, Regem cum gloria videbitis.* Hæc Salmasii opinionem funditus subvertunt: nam sepulcri Christi formam ignorare non poterat Hieronymus, Bethlehem habitans; frequentesque illuc & ad alia Terræ sanctæ loca peregrinationes tum fuisse suscipi solitas, docet ipse in Epitaphio Paulæ: *Ingressa*, inquit, *sepulcrum resurrectionis osculabatur lapidem, quem ab ostio monumenti amoverat Angelus, & ipsum corporis locum, in quo Dominus jacuerat, quasi sitiens desideratas aquas fideli ore lambebat.*

Nec mirum vivo silici incisum fuisse Christi sepulcrum, cum sepulcra hujusmodi plurima Hierosolymæ, & in vicinis locis cernere liceat. Talia sunt sepulcra, quæ Regum Juda dicuntur, magnifici & vere regii operis ac sumtus. Talia & sepulcra Judicum Israel, & illa Prophetarum. Tale & sepulcrum, quod sanctæ Virginis Mariæ fuisse fertur, & illa Isaiæ, Jeremiæ, Absalomi, & Josaphati, & his proximum sepulcrum Zachariæ, aliaque multa in vicinia posita. Sed & clare idipsum demonstrat Isaias, cum

Is. 22, 16.

ait: *Quia excidisti tibi hic sepulcrum, excidisti in excelso memoriale diligenter, in petra tabernaculum tibi.* Aliis quoque gentibus usus fuit, sepulcra in rupibus excidere. Et in Palæstina non sepulcra modo, sed cellæ etiam, cubicula, ac domus etiam in rupibus excavabantur: nempe ad vitandos æstus. Atque hujusmodi sepulcra, quoniam nec incendiis obnoxia sunt, nec ruinis, in magnam integra servantur temporis diuturnitatem: adeo ut hæc, quæ commemoravi, a vetustissimis temporibus excisa esse dubitare nemo possit: ac illud præsertim, quod Christi Jesu dicitur, vere ipsius fuisse probat, præter situm descriptioni Evangelistarum consentaneum, constans per omnes retro ætates, ad hoc usque tempus, scriptorum ac peregrinatorum testificatio. Unde Salmasii confidentiam satis mirari non possum, qui tantum τοχαστικῇ *(arti conjecturali)* suæ tribuit, ut & clara Evangelistarum verba, & Auctorum veterum ac recentiorum testimonia, ipsiusque ἀυτοψίας *(inspectionis)* fidem præ ea contemserit.

V. Tertium argumentum Adversariis suppeditant decantatæ a veteribus historiæ de divinis, uti crediderunt, quibusdam viris, quos ad vitam rediisse, vel stolida sibi persuasit superstitio, vel mentiendi licentia confinxit. Tales, Aristeas Proconnesius, Cleomedes Astypalæensis, Hermotimus Clazomenius, Epimenides, Er Harmonii filius, Romulus, Apollonius Tyaneus, aliique, quos ad elevandam reviviscentis Christi admirabilitatem Christianis Celsus opposuit. Horum nonnullos, aliosque præterea complures, qui elati revixisse dicti sunt, toto capite celebravit Plinius: quorum plerique mortui falso crediti fuerant, cum morbi vehementia exanimati tantum essent. Multos etiam, qui a morte ad vitam reducti fuisse dicuntur, recenset Æneas Gazæus in Theophrasto, sed e mediis fere Mythologorum quisquiliis petitos; velut Glaucum a Polydio, Hippolytum ab Æsculapio, Alcestin ab Hercule; quæ ut per ludum sunt conficta, ita seriam responsionem non postulant. De reliquis pressius agamus, & præcipua hujus generis exempla spectemus.

Tertium argumentum.

Cels. apud Orig. contr. Cels. l. 3. Plin. l. 7. c. 52.

VI. Aristeam Proconnesium ferunt animam pro libitu posuisse, & resumsisse. Addit Plinius visam eam ex ore ipsius evolantem corvi effigie. Scribit Herodotus narratum sibi fuisse in Proconneso & Cyzici, cum Aristeas quondam in fullonis officina decessisset, significasse id continuo fullonem Aristeæ propinquis, reque per urbem vulgata adveniisse quemdam nuntiantem, visum sibi Aristeam Cyzici, vel, ut vult Plutarchus, in via quæ tendit Crotonem, sectumque congressum: adcurrentes postea in officinam fullonis propinquos Aristeæ, neque vivum eum, neque mortuum vidisse: post septimum deinde annum, cum in Proconneso

Falsum est rediisse ad vitam Aristeam Proconnesium.

Plin. l. 7. c. 52. Herod. l. 4. c. 14. & 15. Plut. Rom.

compa-

Digitized by Google

comparuisset, carmen suum de Arimaspis elucubrasse, ac rursum deinde evanuisse. Didicisse se quoque Metaponti ait Herodotus, Aristeam Metapontinis aliquando videndum se dedisse, & Aram Apollini jussisse exstrui, sibique statuam juxta poni, quod ad eos solos ex omnibus Italiotis adiisset Apollo, se tum comite, non utique Aristeæ, sed corvi specie; quo viso perterritos Metapontinos misisse Delphos oracula Phœbi scitatum, quid opus facto esset; ac juxta Pythiæ demum responsum Aristeæ jussis paruisse. Hoc autem ducentis & quadraginta annis eveniſse, postquam in Proconnesso denuo evanuit Aristeas, subductis temporum rationibus Herodotus suspicatur. Adjicit ad superiora Æneas Gazæus, Metapontinos tempore ab hoc communia sacrificia Apollini & Aristeæ tanquam Diis fecisse. De Cyzicenis & Metapontinis silet Apollonius Dyscolus; at in Sicilia visum esse Aristeam literas docentem tradit, qua hora in Proconnesso mortuus est, cumque sæpius illic apparuisset, aram ipsi erexisse Siculos, & tanquam Heroi sacrificasse. Quam fabulosa sit hæc narratio, suo more demonstravit Origenes in libris contra Celsum. Nos diversam insistemus viam, & alia falsitatis argumenta proferemus. Nam primum multum inesse constat discrepantiæ iis, quæ de Aristea tradita sunt. Vixisse eum docet Suidas Crœsi & Cyri temporibus: at a quibusdam Homeri magister fuisse perhibetur, ut testantur Strabo & Eustathius. Ante illum quidem scripsisse asseverat Tatianus. Eumdem alii fuisse tradunt ac alterum hunc Aristæum, Poetarum carminibus celebrem, Apollinis & Cyrenes filium, mellificii, coagulationis lactis, olivarumque culturæ inventorem, Autonoes Cadmi filiæ maritum, Actæonis patrem. Hunc enim a Siculis pro Deo habitum tradit Diodorus Siculus, quod Aristeæ Proconnesio tribuit Apollonius Dyscolus. Hic Apollinis filius fuit; Apollo etiam a Pindaro dictus; νόμιος quoque ab illo & Apollonio Rhodio, quod unum est ex Apollinis cognominibus: Proconnesius Apollinis comes fuit, & communibus cum Apolline victimis apud Metapontinos placatus, statuam prope Apollinis aram habuit. Atque hic obiter genuinam Pindari sententiam adversus Scholiasten tuebimur: nam quod de Aristæo ait ille: θνητοῦ τέ μιν ἀθάνατον ζῆνα καὶ ἀπόλλωνα· *Et facient illum immortalem Jovem & Apollinem:* sic explicat Interpres: καὶ ποιήσειν αὐτὸν ἀθάνατον, ὥσπερ ζῆνα καὶ ἀπόλλωνα· *Et illum facient immortalem, ut Jovem & Apollinem.* Atqui non immortalis solum, ut Juppiter & Apollo, sed Juppiter etiam ipse & Apollo habitus est. Athenagoras in legatione pro Christianis: χίους ἀριστέαν τὸν αὐτὸν καὶ δία καὶ ἀπόλλω νομίζοντες· (Ubi rescribendum esse κῶους, pro χίους, ex Diodoro, & Virgilio, & Servio probare facile est.) *Ceu Aristeam eumdem ac Jovem & Apollinem existimantes.* Servius Aristæum dicit ab Hesiodo Apollinem pastoralem, hoc est νόμιον appellari. Idem quoque discas ex Scholiis Apollonii Rhodii. Sed ad rem. Aristæum Apollinis filium, post perlustratam magnam orbis partem, ex hominum oculis subito evanuisse, scribit Diodorus Siculus; quod de Proconnesio quoque Aristea proditum est. Vides multa utrique communia, ut unius res ad res alterius fuisse expressas appareat. Igitur cum quæ de Aristæo illo priore narrantur, mere fabulosa esse constet, idem de Proconnesii rebus censendum est. Itaque commentitia esse, Ethnicorum cordatiores prædicant, Plinius, Plutarchus, Jamblichus, Gellius. At Strabo præstigiis homines delusisse censet Aristeam, ut quæ non faciebat, facere videretur. Haudquaquam mortuum fuisse, sed mortuo similem inter suos jacuisse sentit Maximus Tyrius: τὸ μὲν σῶμα ἔκειτο ἔμπνουν μὲν, ἀλλ' ἀμυδρῶς καὶ ἐγγύτατα θανάτου· *Jacebat corpus, spiritum quidem ducens, sed tenuem, & ut morti proximum esse videretur.* Quærit Johannes Tzetzes, ecquis cum Metaponti revixit Aristeas, testificari potuit eum esse, qui ante ducentos & quadraginta annos in Proconnesso vixerat. Nisi forte Apollinem Pythium fidejussorem dent, quorum apud nos tanti est auctoritas, quanti apud viros non inepte credulos esse debet. A Pythagoricis ficta hæc esse auctore Jamblicho docuit Heinsius. Philosophorum omnium deditissimi hi fuere τερατολογίαις, *(narrationibus prodigialibus)* ut pueros & anus credulitate, Poetas fingendi audacia superarint. Pleni sunt eorum libri monstrosis ejusmodi narrationibus, quarum nonnullas recenset Heinsius. Aristeæ præterea fabulam commentos esse mihi persuadent loca, in quibus apparuisse dicitur, Metapontum & Croton,

Apoll. Dysc. Mir. Hist. c. 2.

Orig. contr. Cels. l. 3.

Suidas in Ἀριστέας.

Strab. l. 14. Eustath. in Hom. Iliad. β.

Tat. Orat. ad Græc.

Diod. Sic. l. 4.

Pind. Pyth. Od. 9.

Diod. l. 4.

Virgil. Georg. l. 1. Servius in hunc locum.

Apoll. Arg. l. 4.

Diod. l. 4.

Plin. l. 7. c. 53. Plut. in Rom.

Jambl. in Vit. Pyth. c. 28.

Gell. l. 9. c. 4.

Strab. l. 13. Max. Tyr. Dissert. 28.

Joh. Tzetz. Chil. 2. Hist. 50.

Heinf. ad Max. Tyr.

Digitized by Google

Pythagoreorum Philoſophorum ſedes. Occaſionem autem figmenti ſumſiſſe eos conjicio ex Propoſitione, quam Poemati ſuo de Arimaſpis Ariſteas præfixerat, vel quisquis Ariſteæ id ſuppoſuit. Falſa enim & ſuppoſititia fuiſſe Arimaſpea hæc, multis ſua ætate, ſibique adeo perſuaſum fuiſſe monet Dionyſius Halicarnaſſeus. Et vero jam a vetuſtiſſimis temporibus ſcriptiones ſupponebantur & antiquis inſcribebantur nominibus. Velut Cadmi Mileſii hiſtoria, teſte eodem Dionyſio. Onomacritus quoque Poemata ſua ſplendido Orphei nomine decoravit, eaque tradita ab Orpheo doctrina refersit. Crater Zopyri Heracleotæ Orpheo quoque adſcriptus eſt; adſcriptus eidem Deſcenſus ad inferos Prodici Samii, vel juxta Epigenem Cercopis Pythagorei: quædam & a Pythagora ei a adſcripta ſunt, ut narrabat Ion Chius in Trigrammis: adſcriptus ei & Peplus, & Phyſica Brontini Metapontini, Pythagorei Philoſophi, Theanus mariti. Hæc aliaque hujus argumenti Clemens Alexandrinus & Suidas commemorant, quorum pleraque a Pythagoreis conficta ſunt: unde ſcias, quam ad libros alienis nominibus inſcribendos, & ad omne mendaciorum genus cudendum proclives fuerint hujus ſectæ homines. Igitur Ariſteæ Proconneſii nomine Arimaſpea ſcripta fuſerunt, in quibus Poeta, quicunque tandem ille fuit, ſub Ariſteæ perſona, Phœbo ſe correptum Iſſedonas, & Arimaſpos, aliosque populos adiiſſe dicebat. ἔφη δὲ ἀριστέας, inquit Herodotus, ὁ καυστροβίου, ἐνὶς πρόκοννήσιος, ποιέων ἔπεα, ἐπιπνῦσαι σφι ἰσσηδόνας, φοιβόλαμπτος γενόμενος. *Ariſteas Cauſtrobii filius, vir Proconneſius, cum ſcriberet verſus, narravit ſe adiviſſe Iſſedonas, cum Phœbo eſſet agitatus.* Frequens hoc eſt apud Poetas. Id de ſe fingentem Soſtratum deridet Juvenalis:

Madidis cantat quæ Soſtratus alis.

Sic Horatius Phœbi citharæ excitatum, & amabili inſania deluſum per lucos errare ſe ait. Idem alibi:

Quo me, Bacche, rapis tui
Plenum? quæ in nemora, aut quos agor in ſpecus,
Velox mente nova?

Muſarum amore inſtinctos per avia Parnaſſi raptari ſe canunt Lucretius & Virgilius. Κηφόφορτον οἶστρον, *Oeſtrum aera perevrrantem* appellat Auctor Argonauticorum, quæ Orphei nomen præferunt. Dionyſius Periegetes Caſpium mare deſcripturus, non id quidem ſe vidiſſe fatetur:

ἀλλά με, inquit, μουσάων φορέει νόος, οὐ τὸ δύναντο
νόσφιν ἀλημοσύνης πολλὴν ἅλα μετρήσασθαι,
ἤπειρόν τε, καὶ οὐδατόεν δδὸν ἄσχεν.

Sed me Muſarum impellit animus, quæ poſſunt
Sine erratione ingentes maris tractus emetiri,
Et montes, & continentem, & atherium aſtrorum turricalum.

Id de ſe præ cæteris jactare ſolebant Dithyrambopœi, ob carminis ſublimitatem majorem fingendi licentiam arrogantes. Quod ab Ariſtophane notatum eſt. Eadem nænia erat omnium, quicunque Phœbo ſe agitari putabant. Sic apud Lucanum matrona Phœbo impulſa:

Quo feror, o Pæan! qua me ſuper æthera raptam
Conſtituis terra? video Pangæa nivoſis
Cana jugis, latoſque Æmi ſub rupe Philippos.

Quippe τὰ ἄβατα, inquit Jamblichus, βατὰ γίνεται θεοφορημένοις. *Invia pervia fiunt iis qui Deo agitantur.* Simile quippiam præfatus fuerat Ariſteas ille: quod ἀλληγορικῶς & poetico more dictum, κατὰ λέξιν, *(ſecundum verba)* interpretati ſunt Pythagorei, atque inde πλατὺν λῆρον *(ingentes nugas)* ſic appellat Tzetzes) καὶ ψυχρομυθηγίαν *(frigidam fabellæ compoſitionem)* contexuerunt. Conjecturam noſtram penitus confirmat Max. Tyrius: ſcribit enim Ariſteam Philoſophum, cum parum fidei inter ſuos meruiſſet, quod eſſet ἀνυπόπτωτος, finxiſſe animam ſuam relicto corpore ſublimem evolaſſe, & ex æthere univerſas orbis perluſtraſſe gentes, earumque ritus, & totam naturæ didiciſſe hiſtoriam, cœlumque ipſum cognoviſſe. Tum ſubjungit Maximus, plus hac arte fidei conſecutum eſſe Ariſteam, quam Xenagoram, aut Xenophanem, rerum naturam ſimplicius explicantes: ὁ γὰρ τῷ σαφῶς φήσαντο οἱ ἄνθρωποι, inquit, τὴν ψυχὴν πτερωθῆναι, ὑπὸ οἷς τοῖς ὀφθαλμοῖς ἕκαστα ὁρᾷ, ἀλλὰ κεκρυμμένως ἐπεδήμησε τοῖς ὄντα τῇ ψυχῇ δεῖν, ἃ μέλλει ὑπὲρ ἑκάστου φράσειν τὰ ἀληθέστατα. *Nec enim ſatis noverant homines peregrinationem animæ reipſa peregrinandum eſſe, ſi de ſingulis vera proloqui vellet.*

Alibi

Dion. Hal. περὶ τῶν Θουκυδίδου ἰδιωμάτων.

Clem. Alex. Strom 1. Suidas in Ὀρφεύς.

Herod. l. 4. c. 13.

Juv. Sat. 10.

Hor. Carm. l. 3. Od. 4. & 25.

Lucret. l. 1. Virgil. Georg. 3.

Ariſt. Avib.

Lucan. l. 1.

Jambl. de myſt. Ægyp. Sect. 3. c. 4.

Max. Tyr. Diſſert. 22.

Digitized by Google

Alibi etiam docet, quid sit peregrinatio illa animæ, & sejunctio a corpore; contemplatio nimirum, quam a rebus abducta corporeis ad veritatis cognitionem mens instituit. Multiplici igitur mendacio obsita sunt, quæ de Aristea Proconnesio narrantur. Falsum est Aristeam Arimaspea scripsisse. Quæ in Arimaspeis scripta erant, gerræ erant meræ & nugæ persolæ. Quæ in Arimaspeis Poetico more & κατὰ σχῆμα *(secundum figuram)* dicta fuerant, perperam exposita sunt κατὰ λέξιν, *(secundum verbum.)* Quæ de prisco Aristæo, Cadmi genero, Apollinis & Cyrenes filio, dicta sunt, eorum pleraque Aristeæ Proconnesio sunt adscripta. Atque hæc ipsa denique, quæ de veteri illo Aristæo legimus, Poetarum figmenta sunt & fabulæ. Quibus cognitis, quisquamne erit tam supinæ stoliditatis, ut veteri huic næniæ de Aristeæ reditu ad vitam credulam aurem præbere velit?

vel Cleomedem Astypalæensem,

VII. Nihilo veriora sunt, quæ de Cleomede Astypalæensi perhibentur. Ferunt eum pugilatu Iccum quemdam interfecisse; verum cum ab Hellanodicis victoriæ præmio fraudatus esset, mentis impotem esse factum; reversum deinde Astypalæeam, introisse in litterarium ludum, in ea quo pueri complures instituebantur; convulsaque columna, quæ totius ædificii culmen sustinebat, labefecisse domum, & pueros oppressisse: tum permotos injuria Astypalæenses hominem lapidibus esse insectatos; ipsum vero in Minervæ confugisse templum, & in arcam forte illic repertam sese conclusisse: cujus operculum aperire cum diu fruſtraque tentassent cives, arcam refregisse tandem, nec intus Cleomedem vel vivum vel mortuum apparuisse: consultumque super eo portento oraculum, justisse sacrificia Cleomedi Heroïdi postremo fieri. Unam hanc esse e commentitiis Græcorum fabulis, non Origenes modo adversus Celsum, sed Plutarchus quoque in Romulo asseverat; qui & addit, non minoris esse vecordiæ terram cœlo miscere, hoc est æneum hominem in Deos referre, quam virtuti divinitatem detrahere. Lepide quoque putidum figmentum deridet Oenomaus apud Eusebium. Ut taceam prodisse isthæc ex Samsonis historia.

Origen. contra Cels. l. 3.

Euſ. Præp. l. 5. c. 34.

vel Hermotimum Clazomenium,

VIII. Anilis quoque de Hermotimo Clazomenio fabula jactatur, solitam ipsius animam corpore excedere, & longe diuque evagari, quæ in remotis locis fierent explorare, & in corpus reversam palam nuntiare; futurorum etiam assequi notitiam, dum erat extra corpus, & siccitates, terræ motus, aliasque calamitates prædicere: quoad corpus anima defectum, de licentia uxoris nacti ipsius inimici, sic tanquam mortuum cremarunt; redeuntemque animam, nec tectum quo reciperetur habentem, nunquam postea reversuram evolasse, Clazomenios vero religione tactos fanum ipsi excitasse, quo mulieribus ingredi nefas esset. Pro fabula mera id habent Lucianus & Apollonius Dyscolus, quamvis Ethnici; ut de Tertulliano & Origene sileam. Plinius vero Hermotimi corpus, non plane mortuum, sed semianime jacuisse tradidit. Hodieque certe Magi Lapones de rebus ignotis & longinquis consulti, efficiunt incantamentis suis, ut concidant exanimes, & post aliquod tempus velut gravi somno excitati respondeant de quæsitis, resque in externis & longe dissitis regionibus tum gestas renuntient. Scribit etiam Augustinus fuisse Presbyterum, nomine Restitutum, qui pro arbitrio jaceret mortuo similis, ita ut nec ferrum, nec ignem sentiret.

Lucian. Enc. muſc. Apoll. c. 3. Mir. Hiſt. Plin. l. 7. c. 52.

Auguſt. de civ. Dei l. 14. c. 24.

vel Epimenidem Cretenſem.

IX. Quod de diuturno illo Epimenidis Cretensis somno memoratur, somnium est ex eburnea porta. Narrant enim rus a patre missum, cum meridiani æstus vitandi caussa declinasset de via, & in antro recubuisset, per annos plusquam quinquaginta sopitum jacuisse; ac tandem expergefactum rediisse domum, ignotosque omnes offendisse, ignotum ipsum omnibus, præterquam minori fratri, ex quo rerum quæ gererentur notitiam habuit: deinde vero intra tot dies senem esse factum, quot annos obdormierat; atque hinc porro magnam ejus fuisse inter Græcos celebritatem, & carum Diis esse habitum, ita ut post mortem sacrificiis ipsum Cretenses, haud secus ac Deum, prosequerentur. Magnam esse horum fabulositatem testem dabo Plinium; dabo & Diogenem Laertium, qui negare quosdam scribit dormiisse ipsum tot annos, sed exspatiantem rei herbariæ diu vacasse. Maximum quoque Tyrium dabo, qui fabulam hanc ab Epimenide confictam esse putat, ut vitam humanam diuturno somnio similem esse doceret. Id tamen commentum caussæ fuisse puto, cur animam ad libitum emisisse & revocasse

Plin. lib. 7. c. 52. Diogen. Laert. in Epim. Max. Tyr. Diſſert. 28.

Digitized by Google

Hesych. Mil. in Epimen. Suid. in Επιμενίδης. vel mulierem ἄπνουν Heraclidis libro peculiari celebratam,

dictus sit ab Hesychio Milesio & Suida. Quanquam Diogenes Laertius auctor est, id ipsum de se jactasse, sibique arrogasse.

X. At mulieri illi, quæ per septem, vel juxta alios, per triginta dies cum ἄνεμος (*examinis*) jacuisset, ad vitam revocata est, nihil præter naturam contigit. Hysterico morbo laborantes feminæ similibus obnoxiæ sunt affectibus. Quod si morbidæ parti medicamentis succurratur, spiritus redit, & revixisse videntur, quæ nec obierant. Plinius in eo capite, quo de his disserit qui elati revixerunt, in eam quam dixi caussam confert mulieris hujus casum, quæ obiisse credita vitæ restituta est. Galenus in libris περὶ τῶν πεπονθότων τόπων (*de locis affectis*) jacuisse quidem ait mulierem hanc ἄπνουν καὶ ἄσφυκτον (*respiratione & pulsu carentem*) a mortuis vero hoc solo discrepantem, quod mediæ corporis partes aliquantum caloris retinere videbantur; & magnam inter medicos temporum illorum concertationem fuisse addit ex Heraclide, extinctane penitus fuisset; tum deinde ostendit mulieres nonnumquam morbis uteri ita esse affectas, ut vix a mortuis internosci possent. Cæterum Diogenes Laertius indicat mulierem illam, Empedoclis ope sanitatem recepisse, unde & magnam hunc gloriam & medici titulum fuisse consecutum; rei autem historiam Pausaniæ Geloo subinde narrasse Empedoclem, atque a Pausania fuisse relatam in literas. Multo post deinde librum super eodem argumento conscripsit Heraclides Ponticus.

Plin. lib. 7. cap. 52. περὶ τῶν παρ. χρόν. lib. 6.

Diogen. Laert. in Emped.

vel Erem Pamphylum Harmonii filium,

XI. Legitur apud Platonem libro decimo de Republica, Erem quemdam, genere Pamphylum, Harmonii filium, (perperam enim legitur vulgo, Ηρὸς τῦ Αρμονίυ, cum legi debeat, Ηρὸς τῦ Αρμονίυ, hoc est, *Eris, qui Harmonii filius fuit*, ut ex Plutarchi Symposiacis, & ex Æneæ Gazæi Theophrasto cognoscitur) cum in bello cecidisset, & post decem dies cum aliis cadaveribus jam tabefactis fuisset sublatus, corpore integro esse repertum. Post biduum deinde rogo impositum revixisse, & quæ sibi visa essent apud inferos, commemorasse. Quid ex hac narratione colligi possit, facile perspiciet, qui totam perlegerit, adeo profanæ vanitatis plena est. Sirenes illic, & Parcas Necessitatis filias reperias, alique similia Mythologorum deliria. Itaque Plato, quidquid hujus est, μῦθον *fabulam*, & ἀπόλογον (*apologum*) appellat. A multis irrisam hanc historiam dolebat Cicero, ut refert Macrobius, qui a Platone hoc omnino confictum non pronuntiat, sed innuit visum fuisse Erem vitam effundere, animamque recipere, quam revera non amiserat. Auctor est etiam Augustinus, sub finem operis de civitate Dei, hanc Platonis historiam sic tetigisse Tullium in libris de republica, *ut eum luisse potius, quam quod id verum esset, affirmet dicere voluisse.* Nec dubitat Plutarchus fabulam eam appellare, unde allegoricus sensus sit expromendus; Erem enim Harmonii filium de animorum statu differentem fuisse introductum, ut doceremur animos secundum Harmoniam generari, & adjungi corporibus, a quibus digressos in Aerem se conferre, ut denuo nascantur.

Plutarch. Symp. l. 9. c. 5.

Macrob. lib. 1. in Somn. Scip. c. 1.

August. de civ. Dei l. 22. c. 28.

XII. Quam vero puellam ad vitam revocare visus est Apollonius Tyaneus, eam animi passam esse deliquium, extinctam penitus non fuisse, ipse rei narrator satis indicat Philostratus: τεθνάναι ἐδόκει, inquit. *Obiisse videbatur.* Deinde: ἁφάπτεται τῆς κόρης τῦ ἐκ τῶν δοκούντος θανάτου. *Puellam exitii ex hac morte, quam videbatur oppetisse.* Tum subnectit: καὶ ἅ τε ἐπιθήσει τῆς ψυχῆς ἔνδον ἦν ἀυτῇ, ὥς ἐλελήθει τὸς θεραπεύοντας· λέγεται γὰρ ὡς φασὶν μὲν ὁ ζεὺς, ἡ δὲ ἀτμίζοι ἀπὸ τῦ προσώπυ, ἅ τε ἐπεσβεκῆσαν τὴν ψυχὴν ἀνεθαλπέ τε, καὶ ἀνέλαβεν, ἄῤῥηκτος ἡ κατάληψις τύτυ γέγονεν, ὐκ ἐμοὶ μόνῳ, ἀλλὰ καὶ τοῖς παρατυχῦσιν. *Sive scintillam animæ in ea repererit, quæ medicos latuerit: ajunt enim tunc exiguum aurem de cælo cecidisse, illam vero halitum ore emisisse: sive animam extinctam refoverit & recreaverit, difficilis est rei cognitio, non mihi solum, sed & his qui aderant.* Adde commentitium hoc portentum ex veris Christi Jesu miraculis esse conflatum, cum Jairi Archisynagogi filiam, & viduæ Naimitanæ filium ad vitam redire jussit. Ut autem vires eundo figmenta acquirunt; quod ab hæsitante & incerto Philostrato fuerat proditum, id confidenter Vopiscus asseveravit. Verum vel æqualium, vel proxime sequentis ætatis Scriptorum nullus tanti meminit miraculi; quibus tamen non prodigia solum, sed insolitos etiam quoslibet eventus superstitiose colligere mos est. Legatur Eusebii libellus adversus Hieroclem, in quo fabulam hanc, ut alias

vel puellam, quam sciscitasse fertur Apollonius Tyaneus: vel alios complures a Tartaro revocatos. Philostrat. l. 4. c. 16.

Vopisc. in Aurelian.

Philostrati

Philoſtrati plerasque, argumentis obtrivit. Plures ſuperiorum iſtarum conſimiles proferuntur hiſtoriæ, ſed fere commentitiæ ac falſæ: quod aperte prædicat Plinius; apertius etiam Plutarchus, cum vanitatem patefecit fatuæ illius Romanorum opinionis, quam de Romuli raptu in cœlum temere ſuſceperunt.

Plin. lib. 7. c. 52.

Demus tamen vitam recepiſſe plerosque, quod & ſæpius factum eſſe ſacræ nos Literæ docent; nihil hæc certè ad Chriſtum Jeſum, qui ita revixit, ut jam amplius morti non ſit obnoxius; alii vero ita morti exemti ſunt, ut vitam iterum amiſerint. Unde in irritum cadunt, quæcunque inde adverſus reditum Chriſti ad vitam Celſus tela procudit.

CAPUT CXLIII.

Jeſus homines peccatis abſolvit.

GEn. 3, 15. *Inimicitias ponam inter te, & mulierem; & ſemen tuum, & ſemen illius; ipſum conteret caput tuum, & tu inſidiaberis calcaneo illius.*

Iſa. 1, 18. *Si fuerint peccata veſtra, ut coccinum, quaſi nix dealbabuntur: & ſi fuerint rubra quaſi vermiculus, velut lana alba erunt.*

Iſa. 4, 3. 4. *Et erit, Omnis qui relictus fuerit in Sion, & reſiduus in Jeruſalem, ſanctus vocabitur, omnis qui ſcriptus eſt in vita, in Jeruſalem: ſi abluerit Dominus ſordes filiarum Sion, & ſanguinem Jeruſalem laverit de medio ejus in ſpiritu judicii, & ſpiritu ardoris.*

Iſa. 25, 7. *Et præcipitabit in monte iſto faciem vinculi colligati ſuper omnes populos, & telam quam orditus eſt ſuper omnes nationes. Præcipitabit mortem in ſempiternum, & auferet Dominus Deus lacrymam ab omni facie, & opprobrium populi ſui auferet de univerſa terra, quia Dominus locutus eſt.*

Iſa. 27, 9. *Idcirco ſuper hoc dimittetur iniquitas domui Jacob; & iſte omnis fructus, ut auferatur peccatum ejus, cum poſuerit omnes lapides altaris, ſicut lapides cineris alliſos, non ſtabunt luci & delubra.*

Iſa. 42, 6. *Ego Dominus vocavi te in juſtitia, & apprehendi manum tuam, & ſervavi te. Et dedi te in fœdus populi, in lucem gentium, ut aperires oculos cœcorum, & educeres de concluſione vinctum, de domo carceris ſedentes in tenebris.*

Iſa. 43, 24. 25. *Verum tamen ſervire me feciſti in peccatis tuis, præbuiſti mihi laborem in iniquitatibus tuis. Ego ſum, ego ſum ipſe, qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor.*

Iſa. 44, 22. *Delevi ut nubem iniquitates tuas, & quaſi nebulam peccata tua.*

Iſa. 49, 8. 9. *Hæc dicit Dominus, In tempore placito exaudivi te, & in die ſalutis auxiliatus*

MAtth. 9, 2. & ſeq. *Et videns Jeſus fidem illorum, dixit Paralytico, Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua. Et ecce quidam de Scribis dixerunt intra ſe, Hic blaſphemat. Et cum vidiſſet Jeſus cogitationes eorum dixit, Ut quid cogitatis mala in cordibus veſtris? Quid eſt facilius dicere, Dimittuntur tibi peccata tua; an dicere, Surge & ambula? Ut autem ſciatis, quia Filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata, tunc ait Paralytico, Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. Et ſurrexit, & abiit in domum ſuam.* Et Marc. 2, 1. & ſeq. Luc. 5, 18. & ſeq.

Matth. 9, 10. & ſeq. *Et factum eſt diſcumbente eo in domo, ecce multi publicani & peccatores venientes diſcumbebant cum Jeſu & Diſcipulis ejus. Et videntes Phariſæi dicebant Diſcipulis ejus, Quare cum publicanis & peccatoribus manducat Magiſter veſter? At Jeſus audiens ait, Non eſt opus valentibus medicus, ſed male habentibus. Euntes autem diſcite quid eſt, Miſericordiam volo, & non ſacrificium: non enim veni vocare juſtos, ſed peccatores.* Et Marc. 2, 15. & ſeq. Luc. 5, 29. & ſeq.

Matth. 16, 19. *Et tibi dabo claves regni cœlorum: & quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis; & quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis.* Et 18, 28.

Matth. 26, 27. 28. *Et accipiens calicem gratias egit, & dedit illis dicens, Bibite ex hoc omnes: Hic eſt enim ſanguis meus Novi Teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Et Marc. 14, 24. Luc. 22, 20. & 1. Cor. 11, 25. & ſeq.

Luc. 4, 16. & ſeq. *Et venit Nazareth, ubi erat nutritus, & intravit ſecundum conſuetudinem ſuam die ſabbathi in Synagogam, & ſurrexit legere. Et traditus eſt illi liber Iſaiæ prophe-*

Digitized by Google

sum tui: & servavi te, & dedi te in fœdus populi, ut suscitares terram, & possideres hæreditates dissipatas, ut diceres his qui vincti sunt, Exite; & his qui in tenebris, Revelamini.

Isa. 52, 15. *Iste asperget gentes multas.*

Isa. 53, 11. *In scientia sua justificabit ipse justus servus meus multos.*

Isa. 61, 1. & seq. *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me; ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, & prædicarem captivis indulgentiam, & clausis apertionem; ut prædicarem annum placabilem Domino, & diem ultionis Deo nostro.*

Jerem. 31, 31. & seq. *Ecce dies venient, dicit Dominus, & feriam domui Israel, & domui Juda fœdus novum ..... omnes enim cognoscent me a minimo eorum usque ad maximum, ait Dominus: quia propitiabor iniquitati eorum, & peccati eorum non memorabor amplius.*

Jerem. 33, 6. & seq. *Ecce ego obducam eis cicatricem, & sanitatem, & curabo eos: & revelabo illis deprecationem pacis & veritatis: & convertam conversionem Juda, & conversionem Jerusalem: ædificabo eos sicut a principio, & emundabo illos ab omni iniquitate sua, in qua peccaverunt mihi, & propitius ero cunctis iniquitatibus eorum, in quibus deliquerunt mihi, & spreverunt me.*

Jerem. 50, 20. *In diebus illis, & in tempore illo, ait Dominus, quæretur iniquitas Israel, & non erit; & peccatum Juda, & non invenietur, quoniam propitius ero eis, quos reliquero.*

Ezech. 11, 17. & seq. *Hæc dicit Dominus Deus, Congregabo vos de populis, & adunabo de terris, in quibus dispersi estis, daboque vobis humum Israel: & ingredientur illuc, & auferent omnes offensiones, cunctasque abominationes ejus de illa. Et dabo eis cor unum, & spiritum novum tribuam in visceribus eorum, & auferam cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum, ut in præceptis meis ambulent, & judicia mea custodiant faciantque ea, & sint mihi in populum, & ego sim eis in Deum.*

Ezech. 36, 25. & seq. *Et effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, & ab universis idolis vestris mundabo vos. Et dabo vobis cor novum, & spiritum novum ponam in medio vestri, & auferam cor lapideum de carne vestra, propheta. Et ut revolvit librum, invenit locum, ubi scriptum erat, Spiritus Domini super me, propter quod unxit me; evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, prædicare captivis remissionem, & cæcis visum, dimittere confractos in remissionem, prædicare annum Domini acceptum, & diem retributionis ..... Cœpit autem dicere ad illos, Quia hodie impleta est hæc scriptura in auribus vestris.*

Luc. 7, 44. & seq. *Et conversus ad mulierem dixit Simoni, Vides hanc mulierem? ... Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum ..... Dixit autem ad illam, Remittuntur tibi peccata. Et cœperunt qui simul accumbebant dicere intra se, Quis est hic, qui etiam peccata dimittit?*

Luc. 24, 45. & seq. *Tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas, & dixit eis, Quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere a mortuis tertia die; & prædicari in nomine ejus pœnitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes.*

Joh. 20, 22. 23. *Hæc cum dixisset, insufflavit, & dixit eis, Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt.*

Act. 5, 30. 31. *Deus patrum nostrorum suscitavit Jesum, quem vos interemistis, suspendentes in ligno. Hunc Principem & Salvatorem exaltavit Deus dextera sua, ad dandam pœnitentiam Israeli, & remissionem peccatorum.*

Act. 10, 43. *Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes, qui credunt in eum.*

Act. 13, 38. 39. *Notum igitur sit vobis, Viri fratres, quia per hunc vobis remissio peccatorum annuntiatur, & ab omnibus quibus non potuistis in lege Moysi justificari; in hoc omnis qui credit justificatur.*

Act. 26, 15. & seq. *Ego sum Jesus, quem tu persequeris. Sed exurge, & sta super pedes tuos; ad hoc enim apparui tibi, ut constituam te ministrum & testem eorum quæ vidisti, & eorum quibus apparebo tibi, eripiens te de populo & gentibus, in quas nunc ego mitto te, aperire oculos eorum, ut convertantur a tenebris ad lucem; & de potestate Satanæ ad Deum, ut accipiant remissionem peccatorum, & sortem inter Sanctos per fidem, quæ est in me.*

Rom. 3,

Digitized by Google

& dabo vobis cor carneum. Et spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea custodiatis, & operemini.

Dan. 9, 24. *Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, & super Urbem sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur justitia sempiterna, & implcatur visio, & prophetia, & ungatur Sanctus sanctorum.*

Mich. 7, 18. & seq. *Quis Deus similis tui, qui aufers iniquitatem, & transis peccatum reliquiarum hæreditatis tuæ? Non immittet ultra furorem suum, quoniam volens misericordiam est. Revertetur & miserebitur nostri, deponet iniquitates nostras, & projiciet in profundum maris omnia peccata nostra. Dabis veritatem Jacob, misericordiam Abraham; quæ jurasti patribus nostris a diebus antiquis.*

Zach. 3, 8. 9. *Ecce enim adducam servum meum Orientem: quia ecce lapis, quem dedi coram Jesu; super lapidem unum septem oculi sunt: ecce ego cælabo sculpturam ejus, ait Dominus exercituum, & auferam iniquitatem terræ illius in die una.*

Zach. 13, 1. *In die illa erit fons patens domui David, & habitantibus Jerusalem, in ablutionem peccatoris & menstruatæ.*

Rom. 3, 24. & seq. *Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemtionem, quæ est in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiationem, per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiæ suæ, propter remissionem præcedentium delictorum, in sustentatione Dei, ad ostensionem justitiæ ejus in hoc tempore, ut sit ipse justus, & justificans eum, qui est ex fide Jesu Christi.*

Rom. 4, 24. 25. *Qui suscitavit Jesum Christum Dominum nostrum a mortuis, qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram.*

Rom. 5, 9. & seq. *Christus pro nobis mortuus est: multo igitur magis nunc justificati in sanguine ipsius salvi erimus ab ira per ipsum. ..... Sed non sicut delictum, ita & donum: si enim unius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei, & donum in gratia unius hominis Jesu Christi in plures abundavit .... Si enim unius delicto mors regnavit per unum, multo magis abundantiam gratiæ, & donationis, & justitiæ accipientes, in vita regnabunt per unum Jesum Christum. Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ. Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi; ita & per unius obeditionem, justi constituentur multi. Lex autem subintravit, ut abundaret delictum. Ubi autem abundavit delictum, superabundavit gratia; ut sicut regnavit peccatum in mortem ita & gratia regnet per justitiam in vitam æternam, per Jesum Christum Dominum.*

Rom. 7, 6. *Nunc autem soluti sumus a lege mortis, in qua detinebamur.*

Rom. 11, 25. & seq. *Nolo enim vos ignorare, Fratres, mysterium hoc, (ut non sitis vobis ipsis sapientes) quia cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret, & sic omnis Israel salvus fieret, sicut scriptum est, Veniet in Sion, qui eripiat & avertat impietatem a Jacob. Et hoc illis a me testamentum, cum abstulero peccata eorum.*

1. Cor. 6, 11. *Et hæc quidem fuistis; sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi.*

1. Cor. 15, 3. *Quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris secundum Scripturas.*

Gal. 2, 16. *Scientes autem quod non justificatur homo ex operibus Legis, nisi per fidem Jesu Christi, & nos in Christo Jesu credimus, ut justificemur ex fide Christi, & non ex operibus Legis.*

Eph. 1, 7. *In quo habemus redemtionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum, secundum divitias gratiæ ejus, quæ superabundavit in nobis.* Et Col. 1, 14.

Col. 2, 13. 14. *Et vos cum mortui essetis in delictis, & præputio carnis vestræ, convivificavit cum illo, donans vobis omnia delicta: delens quod adversus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci, & exspolians Principatus & Potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso.*

Tit. 2, 13. 14. *Expectantes beatam spem, & adventum gloriæ magni Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi, qui dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem sectatorem bonorum operum.*

Digitized by Google

Ebr. 1, 3. *Qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus, portansque omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram majestatis in excelsis.*

Ebr. 2, 17. 18. *Unde debuit per omnia fratribus similari, ut misericors fieret, & fidelis Pontifex ad Deum, ut repropitiaret delicta populi. In eo enim in quo passus est ipse & tentatus, potens est & eis, qui tentantur, auxiliari.*

Ebr. 7, 25. *Unde & salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum, semper vivens ad interpellandum pro nobis.*

Ebr. 8, 8. & seq. *Vituperans enim eos dicit, Ecce dies venient, dicit Dominus, & consummabo super domum Israel, & super domum Juda testamentum novum .. Omnes scient me a minore usque ad majorem eorum, quia propitius ero iniquitatibus eorum, & peccatorum eorum jam non memorabor.*

Ebr. 9, 13. & seq. *Si enim sanguis hircorum & taurorum, & cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi? .... Nunc autem semel in consummatione sæculorum, ad destitutionem peccati per hostiam suam apparuit. Et quemadmodum statutum est hominibus semel mori, post hoc autem judicium: sic & Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata.*

Ebr. 10, 10. & seq. *In qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Jesu Christi semel. Et omnis quidem Sacerdos præsto est quotidie ministrans, & easdem sæpe offerens hostias, quæ numquam possunt auferre peccata: hic autem unam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet in dextera Dei ..... una enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos.... Habentes itaque, Fratres, fiduciam in introitu Sanctorum, in sanguine Christi, quam initiavit nobis viam novam, & viventem per velamen, id est carnem suam, & Sacerdotem magnum super domum Dei, accedamus cum vero corde, in plenitudine fidei..... Irritam quis faciens Legem Moysi, sine ulla miseratione, duobus vel tribus testibus moritur; quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, & sanguinem Testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est?*

Ebr. 13, 12. *Propter quod & Jesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est.*

1. Petr. 1, 2. *Secundum præscientiam Dei Patris in sanctificationem Spiritus, in obedientiam, & aspersionem sanguinis Jesu Christi.*

1. Petr. 3, 18. *Quia & Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis, ut nos offerret Deo.*

1. Joh. 1, 7. 9. *Sanguis Jesu Christi, filii ejus, emundat nos ab omni peccato... Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & justus, ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate.*

1. Joh. 2, 1. 2. 12. *Sed & si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi ..... Scribo vobis, Filioli, quoniam remittuntur vobis peccata propter nomen ejus.*

1. Joh. 4, 10. *In hoc est charitas, non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos, & misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris.*

Apoc. 1, 5. *Et a Jesu Christo, qui est testis fidelis, primogenitus mortuorum, & princeps regum terræ, qui dilexit nos, & lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo.*

De Gen. 3. 15.

IN primo testimonio, quod de tertio Geneseos capite depromtum est, a Vulgata recessimus, quæ sic habet: *Inimicitias ponam inter te, & mulierem; & semen tuum, & semen illius: ipsa conteret caput tuum.* Nos vertimus, *Ipsum conteret caput tuum*; ut intelligatur, *Semen*, Ebraice זרע, quod cum sit generis masculini, sequitur זה, masculini item generis. Auctores sequimur Irenæum, & Cyprianum, & Onkelon. Nonnulli quoque Vulgatæ editionis codices manuscripti habent *Ipse*, ut in variis lectionibus adnotarunt

Iren. l. 4. c. 78. Cyprian. Testim. l. 2. c. 9.

adnotarunt Lovanienſes Theologi. Sic Septuaginta reddiderunt, αὐτὸς, *(ipſe)* licet præcedat σπέρμα, *ſemen*; ratione nimirum habita ſignificati, non ſignificantis. Nec ægre patiar ſi quis legi velit, αὐτό σε, pro eo quod habent libri, αὐτός σε, quod viris doctis placuiſſe ſcio, & jam ante ſua tempora in exemplaribus nonnullis extitiſſe prodit Hieronymus. Quanquam Vulgata interpretatio ſua defenſione non caret, quæ peti poteſt ex Bellarmino, aliisque eruditis Scriptoribus. Fruſtra autem in dubium vocata eſt Ebraici exemplaris fides, quam Samariticum confirmat, iisdem expreſſis elementis.

Hieron. Quæſt. Ebr.

Bellarm. de verb. Dei, lib. 2. c. 12.

CAPUT CXLIV.

Jeſus peccata hominum ipſe portavit.

Iſa. 53, 4. & ſeq. *Vere languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit, & nos putavimus eum quaſi leproſum, & percuſſum a Deo, & humiliatum: ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra; diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, & livore ejus ſanati ſumus. Omnes nos quaſi oves erravimus, unusquisque in viam ſuam declinavit, & poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrum ..... propter ſcelera populi mei percuſſi eum ..... Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longævum ..... in ſcientia ſua juſtificabit ipſe juſtus ſervus meus multos, & iniquitates eorum ipſe portabit. Ideo diſpertiam ei plurimos, & fortium dividet ſpolia, pro eo quod tradidit in mortem animam ſuam; & cum ſceleratis reputatus eſt: & ipſe peccata multorum tulit, & pro transgreſſoribus rogavit.*

Joh. 1, 29. *Altera die vidit Johannes Jeſum venientem ad ſe, & ait, Ecce Agnus Dei, Ecce qui tollit peccata mundi.*

2. Cor. 5, 21. *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur juſtitia Dei in ipſo.*

Gal. 3, 13. *Chriſtus nos redemit de maledicto Legis, factus pro nobis maledictum; quia ſcriptum eſt, Maledictus omnis qui pendet in ligno.*

1. Petr. 2, 24. *Qui peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum, ut peccatis mortui, juſtitiæ vivamus, cujus livore ſanati eſtis.*

1. Joh. 3, 5. *Et ſcitis quia ille apparuit, ut peccata noſtra tolleret, & peccatum in eo non eſt.*

Thren. 4, 20. *Spiritus oris noſtri Chriſtus Dominus captus eſt in peccatis noſtris; cui diximus, In umbra tua vivemus in gentibus.*

Noxas hominum laturum Meſſiam Judæi ſentiunt.

HOminum noxas laturum Meſſiam Judæi nobiſcum ſentiunt. Teſtis R. Samuel in libro Sanctorum: teſtis & R. Abraham Schalom, in טוב שלום. Quocirca Meſſias Judæis dicitur איש כפר, *vir expiationis*, ut habetur in Midraſch Schir haſſchirim.

CAPUT CXLV.

Jeſus homines ſanguine ſuo redemit.

GEn. 49, 11. *Lavabit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine uva pallium ſuum.*

Job. 19, 25. *Scio enim, quod redemtor meus vivit, & in noviſſimo die de terra ſurrecturus ſum.*

Pſalm. 13, 7. *Quis dabit ex Sion ſalutare Iſrael? cum averterit Dominus captivitatem plebis ſuæ, exultabit Jacob, & lætabitur Iſrael.*

Pſal. 33, 23. *Redimet Dominus animas ſervorum ſuorum, & non delinquent omnes, qui ſperant in eo.*

Pſalm. 106, 2. & ſeq. *Dicant qui redemti ſunt a Domino, quos redemit de manu inimici ..... Et clamavérunt ad Dominum cum*

MAtth. 20, 28. *Sicut Filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, & dare animam ſuam redemtionem pro multis.* Et Marc. 10, 45.

Matth. 26, 28. *Hic eſt enim ſanguis meus Novi Teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Et Marc. 14, 24. Luc. 22, 20. & 1. Cor. 11, 25. & ſeq.

Luc. 1, 68. *Benedictus Dominus Deus Iſrael, quia viſitavit, & fecit redemtionem plebis ſuæ, & erexit cornu ſalutis nobis, in domo David pueri ſui. Sicut locutus eſt per os Sanctorum, qui a ſeculo ſunt Prophetarum ejus. Salutem ex inimicis noſtris, & de manu*

Digitized by Google

tribularentur, & de necessitatibus eorum liberavit eos, & eduxit eos de tenebris & umbra mortis, & vincula eorum disrupit..... Misit Verbum suum, & sanavit eos, & eripuit eos de interitionibus eorum.

Psalm. 110, 9. *Redemtionem misit populo suo, mandavit in æternum testamentum suum.*

Psalm. 129, 7. 8. *Quia apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemtio; & ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus ejus.*

Isa. 42, 6. 7. *Ego Dominus vocavi te in justitia, & apprehendi manum, & servavi te, & dedi te in fœdus populi, in lucem gentium, ut aperires oculos cœcorum, & educeres de conclusione vinctum, de domo carceris sedentes in tenebris.*

Isa. 43, 1. *Et nunc hæc dicit Dominus creans te, Jacob, & formans te Israel, Noli timere, quia redemi te, & vocavi te nomine tuo; meus es tu.*

Isa. 44, 22. 23. *Delevi ut nubem iniquitates tuas, & quasi nebulam peccata tua: revertere ad me, quoniam redemi te. Laudate, cœli, quoniam misericordiam fecit Dominus, jubilate extrema terræ, resonate montes laudationem, saltus & omne lignum ejus: quoniam redemit Dominus Jacob, & Israel gloriabitur.*

Isa. 45, 17. *Israel salvatus est in Domino salute æterna.*

Isa. 49, 7. & seq. *Hæc dicit Dominus, redemtor in Israel, sanctus ejus ad contemtibilem animam, ad abominatam gentem, ad servum Dominorum ..... Hæc dicit Dominus, in tempore placito exaudivi te, & in die salutis auxiliatus sum tui, & servavi te, & dedi te in fœdus populi, ut suscitares terram, & possideres hæreditates dissipatas; ut diceres his qui vincti sunt, Exite; & his qui in tenebris, Revelamini .... Et sciet omnis caro, quia ego Dominus salvans te, & redemtor tuus fortis Jacob.*

Isa. 50, 1. 2. *Ecce in iniquitatibus vestris venditi estis, & in sceleribus vestris dimisi matrem vestram: quia veni, & non erat vir; vocavi & non erat, qui audiret. Numquid abbreviata & parvula facta est manus mea, ut non possim redimere? aut non est in me virtus ad liberandum?*

Isa. 52, 1. & seq. *Consurge, consurge, induere fortitudine tua, Sion; induere vestimentis gloriæ tuæ, Jerusalem, civitas Sancti: quia non adjiciet ultra, ut pertranseat per te incir-*

omnium, qui oderunt nos. Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris, & memorari Testamenti sui sancti. Jusjurandum quod juravit ad Abraham patrem nostrum, daturum se nobis; ut sine timore, de manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus illi.

Luc. 24, 21. *Nos autem sperabamus, quia ipse esset redemturus Israel.*

Joh. 6, 54. & seq. *Dixit ergo eis Jesus, Amen, amen, dico vobis, Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam; & ego resuscitabo eum in novissimo die. Caro enim mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus: qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo.*

Joh. 8, 31. & seq. *Dicebat ergo Jesus ad eos qui crediderunt ei Judæos, Si vos manseritis in sermone meo, vere Discipuli mei eritis, & cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos. Responderunt ei, Semen Abrahæ sumus, & nemini servivimus unquam: quomodo tu dicis, Liberi eritis? Respondit eis Jesus, Amen, amen dico vobis, quia omnis, qui facit peccatum, servus est peccati: servus autem non manet in domo in æternum, filius autem manet in æternum. Si ergo vos Filius liberaverit, vere liberi eritis.*

Joh. 12, 32. *Et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum.*

Act. 20, 28. *Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.*

Rom. 3, 24. & seq. *Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemtionem, quæ est in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius ad ostensionem justitiæ suæ, propter remissionem præcedentium delictorum, in sustentatione Dei, ad ostensionem justitiæ ejus in hoc tempore; ut sit ipse justus, & justificans eum, qui est ex fide Jesu Christi.*

Rom. 5, 9. *Christus pro nobis mortuus est: multo igitur magis nunc justificati in sanguine ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum.*

1. Cor. 1, 30. *Ex ipso autem vos estis in Christo Jesu, qui factus est nobis sapientia a Deo, & justitia, & sanctificatio, & redemtio.*

1. Cor. 7, 22. 23. *Qui enim in Domino vocatus*

Digitized by Google

cumcisus & immundus. Excutere de pulvere, consurge, sede, Jerusalem; solve vincula colli tui, captiva filia Sion: quia hæc dicit Dominus, Gratis venumdati estis, & sine argento redimemini.

Isa. 59, 19. & seq. *Et timebunt, qui ab occidente nomen Domini; & qui ab ortu Solis, gloriam ejus: cum venerit quasi fluvius violentus, quem spiritus Domini cogit, & venerit Sion redemtor, & eis qui redeunt ab iniquitate in Jacob, dicit Dominus. Hoc fœdus meum cum eis, dicit Dominus, Spiritus meus, qui est in te, & verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore seminis tui, & de ore seminis seminis tui, dicit Dominus, a modo & usque in sempiternum.*

Isa. 63, 11. & seq. *Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis pestibus de Bosra, iste formosus in stola sua gradiens in multitudine fortitudinis suæ? Ego qui loquor justitiam, & propugnator sum ad salvandum ..... Dies enim ultionis in corde meo: annus redemtionis meæ venit ..... Et dixit, Verumtamen populus meus est, filii non negantes, & factus est eis Salvator. In omni tribulatione eorum non est tribulatus, & Angelus faciei ejus salvavit eos: in dilectione sua, & in indulgentia sua ipse redemit eos, & portavit eos, & elevavit eos cunctis diebus seculi ..... Tu enim pater noster, & Abraham nescivit nos, & Israel ignoravit nos: tu, Domine, pater noster, redemtor noster, a seculo nomen tuum.*

Jerem 31, 10, 11. *Audite verbum Domini, Gentes, & annuntiate in insulis, quæ procul sunt, & dicite, Qui dispersit Israel, congregabit eum, & custodiet eum, sicut pastor gregem suum. Redemit enim Dominus Jacob, & liberavit eum de manu potentioris.*

Zach. 9, 11. *Tu quoque in sanguine Testamenti emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua.*

vocatus est servus, liberus est Domini: similiter, qui liber vocatus est, servus est Christi. Pretio emti estis; nolite fieri servi hominum.

Gal. 1, 3. 4. *Gratia vobis & pax a Deo Patre, & Domino nostro Jesu Christo, qui dedit semetipsum pro peccatis nostris, ut eriperet nos de præsenti seculo nequam.*

Gal. 3, 13. *Christus nos redemit de maledicto Legis, factus pro nobis maledictum; quia scriptum est, Maledictus omnis, qui pendet in ligno.*

Gal. 4, 4. 5. *At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub Lege, ut eos qui sub Lege erant redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus.*

Eph. 1, 7. *In quo habemus redemtionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum, secundum divitias gratiæ ejus, quæ superabundavit in nobis, in omni sapientia & prudentia.*

Eph. 2, 13. *Nunc autem in Christo Jesu, vos qui aliquando eratis longe, facti estis prope, in sanguine Christi.*

Col. 1, 14. & seq. *In quo habemus redemtionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum ..... quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt. Et vos cum essetis aliquando alienati, & inimici sensu in operibus malis; nunc autem reconciliavit in corpore carnis ejus per mortem exhibere vos Sanctos, & immaculatos, & irreprehensibiles coram ipso.*

1. Tim. 2, 5. 6. *Unus enim Deus, unus & mediator Dei & hominum homo Christus Jesus; qui dedit redemtionem semetipsum pro omnibus.*

Tit. 2, 13. 14. *Expectantes beatam spem & adventum gloriæ magni Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi, qui dedit semetipsum pro nobis: ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.*

Ebr. 2, 14. 15. *Ut per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, id est Diabolum, & liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti.*

Ebr. 9, 11. & seq. *Christus autem assistens Pontifex futurorum bonorum, per amplius & perfectius tabernaculum, non manu factum, id est, non hujus creationis, neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem, introivit semel in Sancta, æterna redemtione inventa..... Et ideo Novi Testamenti mediator est, ut morte intercedente, in redemtionem earum prævaricationem, quæ erant sub priori Testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt æternæ hæreditatis.*

Digitized by Google

1. Petr. 1, 18. 19. *Scientes quod non corruptibilibus auro vel argento redemti estis de vana vestra conversatione paterna traditionis, sed pretioso sanguine quasi Agni immaculati Christi.*

Apoc. 5, 9. *Et cantabant canticum novum dicentes, Dignus es, Domine, accipere Librum, & aperire signacula ejus, quoniam occisus es, & redemisti nos Deo in sanguine tuo, ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione.*

Apoc. 7, 14. *Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magna, & laverunt stolas suas, & dealbaverunt eas in sanguine Agni.*

Apoc. 22, 14. *Beati qui lavant stolas suas in sanguine Agni, ut si potestas eorum in ligno vitæ, & per portas intrent in civitatem.*

Iterum Jesu addicitur Zach. 9, 11.

EVicimus supra signatum esse Christum ea prædictione Zachariæ, quæ habetur noni capitis commate undecimo. Alloquitur Deus filiam Sion, quæ typus est Ecclesiæ Christi. Fœdus autem icit Ecclesia cum Deo per sanguinem Christi, cujus beneficio libertatem sunt adepti, qui Diaboli, Inferorum, ac peccati vinculis obstricti tenebantur. Porro pro eo, quod habet Vulgatus Interpres, *Emisisti*; Septuaginta, ἐξαπέστειλας, in Ebraico exemplari legitur, שלחתי, *emisi*; apud Jonathanem, פרקית, *redemi*, quod pro futuro sumendum est, *emittam, redimam*. Ita ut totius commatis is sit intellectus: Ad te vero quod pertinet, o Ecclesia, propter fœdus, quod tecum per Filii mei sanguinem contraham, gnatos tuos Inferorum, Dæmonum ac peccatorum vinculis oppressos captivitate eximam. Messiam hic notari sciunt Thalmudistæ, & R. Selomoh Jarchi. Hunc autem laboribus, pœnisque attritum, nobis felicitatem promeriturum traditur in Siphre. Traditur & in libro Zohar necesse esse Messiam pro Israelitica gente pœnas dare, quod solus ille Deo satisfacere possit. Sciscunt præterea Thalmudistæ in libro Joma nonnisi effuso sanguine peccata iri condonatum: atqui proxime probatum est, per Christum nos solutum iri peccatis: unde sequitur per Christi sanguinem homines veniam peccatorum esse adepturos. At nota quoque hæc in Jesum pulcre convenit, qui & mortl proximus sanguinem suum dixit *Pro multis effusum iri in remissionem peccatorum*, & idem jam Discipulos suos futurum præmonuerat. Quæ cum ita sint, patet nihil hic videre eos, qui aliorsum prædictionem Zachariæ convertunt; puta Jonathanem, ejusque sequacem Grotium, qui Agnum Paschalem, & Ægyptiacam servitutem, & aridos Arabiæ campos; aut Auctorem Prologi Echa Rabbathi, qui circumcisionem; aut eos denique, qui captivitatem Babylonicam testimonio hoc notari putant.

Matth. 26, 28.

CAPUT CXLVI.

Baptismum Jesus instituit.

PSalm. 50, 9. *Lavabis me, & super nivem dealbabor.*

Isa. 1, 16. *Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis.*

Isa. 12, 3. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris; & dicetis in die illa, Confitemini Domino, & invocate nomen ejus.*

Isa. 52, 15. *Iste asperget gentes multas: super ipsum continebunt reges os suum.*

Isa. 55, 1. *Omnes sitientes venite ad aquas.*

Ezech. 36, 25. & seq. *Et effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, & ab omnibus idolis vestris mundabo eos. Et dabo vobis cor novum, & spiritum novum ponam in medio vestri.*

MAtth. 3, 11. *Ego quidem baptizo vos in aqua in pœnitentiam; qui autem post me venturus est, fortior me est, cujus non sum dignus calceamenta portare: ipse vos baptizabit in Spiritu sancto & igni.* Et Marc. 1, 7. 8. Luc. 3, 16. Joh. 1, 33. Act. 12, 16.

Matth. 28, 18. 19. *Et accedens Jesus locutus est eis dicens, Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra: euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.*

Marc. 16, 15. 16. *Et dixit eis, Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ: qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit.*

Act. 2, 38. 41. *Petrus vero ad illos Pœnitentiam,*

Digitized by Google

Ezech. 47, 8. & seq. *Et ait ad me, Aquæ istæ, quæ egrediuntur ad tumulos sabuli orientalis, & descendunt ad plana deserti, intrabunt mare, & exibunt, & sanabuntur aquæ. Et omnis anima vivens quæ serpit, quocunque venerit torrens, vivet; & erunt pisces multi satis, postquam venerint illuc aquæ istæ, & sanabuntur, & vivent omnia ad quæ venerit torrens. Et stabunt super illas piscatores, ab Engaddi usque ad Engallim siccatio sagenarum erit; plurimæ species erunt piscium ejus, sicut pisces maris magni, multitudinis nimiæ.*

Zach. 13, 1. *In die illa erit fons patens domui David, & habitantibus Jerusalem, in ablutionem peccatoris & menstruatæ.*

Zach. 14, 8. *Et erit in die illa, Exibunt aquæ vivæ de Jerusalem: medium earum ad mare orientale, & medium earum ad mare novissimum, in æstate & in hyeme erunt. Et erit Dominus rex super omnem terram: in die illa erit Dominus unus, & erit nomen ejus unum.*

ventum, inquit, agite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum..... Qui ergo receperunt sermonem ejus, baptizati sunt.

Act. 8, 12. & seq. *Cum vero credidissent Philippo evangelizanti de regno Dei, in nomine Jesu Christi baptizabantur viri ac mulieres. Tunc Simon & ipse credidit, & cum baptizatus esset, adhærebat Philippo..... Cum autem audissent Apostoli, qui erant Jerosolymis, quod recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum & Johannem. Qui cum venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum sanctum: nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu.* Et Act. 16, 15. 33. & 18, 8.

Act. 8, 35. & seq. *Aperiens autem Philippus os suum, & incipiens a Scriptura ista, evangelizavit illi Jesum. Et dum irent per viam, venerunt ad quandam aquam, & ait Eunuchus, Ecce aqua, quid prohibet me, baptizari? Dixit autem Philippus, Si credis ex toto corde, licet. Et respondens ait, Credi Filium Dei esse Jesum Christum. Et jussit stare currum, & descenderunt uterque in aquam, Philippus & Eunuchus, & baptizavit eum.*

Act 9, 18. *Et confestim ceciderunt ab oculis tanquam squamæ, & visum recepit, & surgens baptizatus est.* Et Act. 22, 16.

Act. 10, 47. 48. *Tunc respondit Petrus, Numquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi, qui Spiritum sanctum acceperunt, sicut & nos? & jussit eos baptizari in nomine Domini Jesu Christi.*

Act. 19, 3. & seq. *Ille vero ait, In quo ergo baptizati estis? Qui dixerunt, in Johannis baptismate. Dixit autem Paulus, Johannes baptizavit baptismo pœnitentiæ, dicens, In eum qui venturus esset post ipsum, ut crederent; hoc est, in Jesum. His auditis, baptizati sunt in nomine Domini Jesu.*

Rom. 6, 3. 4. *An ignoratis, quia quicunque baptizati sumus in Christo Jesu in morte ipsius baptizati sumus? consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.*

1. Cor. 1, 13. & seq. *Numquid Paulus crucifixus est pro vobis? aut in nomine Pauli baptizati estis? Gratias ago Deo, quod neminem vestrum baptizavi, nisi Crispum & Cajum: ne quis dicat, quod in nomine meo baptizati estis. Baptizavi autem & Stephanæ domum. Cæterum nescio si quem alium baptizaverim: non enim misit me Christus baptizare, sed evangelizare.*

1. Cor. 6, 11. *Et hæc quidem fuistis; sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis in nomine Domini Jesu Christi, & in Spiritu Dei nostri.*

Gal. 3, 27. *Quicunque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis.*

Eph. 4, 5. *Unus Dominus, una fides, unum baptisma.*

Eph. 5, 25. & seq. *Viri, diligite uxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta & immaculata.*

Col. 2, 12. *Consepulti ei in baptismo, in quo & resurrexistis per fidem operationis Dei, qui suscitavit illum a mortuis.*

Tit. 3, 5. *Non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus sancti.*

Ebr. 10,

Ebr. 10, 22. *Accedamus cum vero corde in plenitudine fidei, asperſi corda a conſcientia mala, & abluti corpus aqua munda.*

1. Petr. 3, 20. 21. *Octo animæ ſalvæ factæ ſunt per aquam: quod & vos nunc ſimilis formæ ſalvos facit baptiſma; non carnis depoſitio ſordium, ſed conſcientiæ bonæ interrogatio in Deum per reſurrectionem Jeſu Chriſti.*

CAPUT CXLVII.

Jeſus aſcendit in cœlum.

PSalm. 23, 7. & ſeq. *Attollite portas principes veſtras, & elevamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ. Quis eſt iſte rex gloriæ? Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio. Attollite portas principes veſtras, & elevamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ. Quis eſt iſte rex gloriæ? Dominus virtutum ipſe eſt rex gloriæ.*

Pſalm. 46, 6. & ſeq. *Aſcendit Deus in jubilo, & Dominus in voce tubæ ... Regnabit Deus ſuper gentes, Deus ſedet ſuper ſedem ſanctam ſuam.*

Pſalm. 67, 5. & ſeq. *Cantate Deo, pſalmum dicite nomini ejus: iter facite ei qui aſcendit ſuper occaſum, Dominus nomen illi .... Aſcendiſti in altum, cepiſti captivitatem accepiſti dona in hominibus ..... Regna terræ, cantate Deo: pſallite Domino, pſallite Deo, qui aſcendit ſuper cœlum cœli ad Orientem. Ecce dabit voci ſuæ vocem virtutis: date gloriam Deo ſuper Iſrael; magnificentia ejus, & virtus ejus in nubibus.*

Prov. 30, 4. *Quis aſcendit in cœlum, atque deſcendit? quis continuit ſpiritum in manibus ſuis? quis colligavit aquas quaſi in veſtimento? quis ſuſcitavit omnes terminos terræ? quod eſt nomen ejus, & quod nomen filii ejus, ſi noſti?*

Iſa. 52, 13. *Ecce intelliget ſervus meus, exaltabitur, & elevabitur, & ſublimis erit valde.*

Dan. 7, 13. 14. *Aſpiciebam ergo in viſione noctis, & ecce cum nubibus cœli quaſi Filius hominis veniebat, & usque ad Antiquum dierum pervenit, & in conſpectu ejus obtulerunt eum. Et dedit ei poteſtatem, & honorem, & regnum; & omnes populi, tribus, & linguæ ipſi ſervient: poteſtas ejus, poteſtas æterna quæ non auferetur; & regnum ejus quod non corrumpetur.*

Zach. 14, 4. *Et ſtabunt pedes ejus in die illa ſuper montem olivarum, qui eſt contra Jeruſalem.*

MArc. 16, 19. *Et Dominus quidem Jeſus, poſtquam locutus eſt eis, aſſumtus eſt in cœlum.* Et Luc. 24, 51.

Joh. 3, 13. *Et nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo, Filius hominis qui eſt in cœlo.*

Joh. 6, 63. *Si ergo videritis Filium hominis aſcendentem ubi erat prius?*

Joh. 16, 16. 28. *Modicum, & jam non videbitis me: & iterum modicum, & videbitis me, quia vado ad Patrem .... Exivi a Patre, & veni in mundum: iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem.*

Joh. 20, 17. *Dicit ei Jeſus, Noli me tangere, nondum enim aſcendi ad Patrem meum, & Patrem veſtrum; Deum meum, & Deum veſtrum.*

Act. 1, 1. & ſeq. *Primum quidem ſermonem feci de omnibus, o Theophile, quæ cœpit Jeſus facere & docere, usque in diem qua præcipiens Apoſtolis per Spiritum ſanctum, quos elegit, aſſumtus eſt .... Et cum hæc dixiſſet, videntibus illis, elevatus eſt, & nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum. Cumque intuerentur in cœlum euntem illum, ecce duo viri adſtiterunt juxta illos in veſtibus albis, qui & dixerunt, Viri Galilæi, quid ſtatis aſpicientes in cœlum? hic Jeſus, qui aſſumtus eſt a vobis in cœlum, ſic veniet, quemadmodum vidiſtis eum euntem in cœlum.* Et 1, 22.

Act. 2, 33. *Dextera igitur Dei exaltatus, & promiſſione Spiritus ſancti accepta a Patre, effudit hunc quem vos videtis & auditis. Non enim David aſcendit in cœlum: dixit autem ipſe, dixit Dominus Domino meo, Sede a dextris meis, donec ponam inimicos meos ſcabellum pedum tuorum.*

Act. 3, 21. *Quem oportet quidem cœlum ſuſcipere usque in tempora reſtitutionis omnium, quæ locutus eſt Deus per os Sanctorum ſuorum a ſeculo Prophetarum.*

Act. 5, 31. *Hunc Principem & Salvatorem Deus exaltavit dextera ſua, ad dandam pœnitentiam Iſraeli, & remiſſionem peccatorum.*

Eph. 4,

Eph. 4, 8. & seq. *Propter quod dicit, Ascendens in altum, captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus. Quod autem ascendit, quid est, nisi quia & descendit primum in inferiores partes terræ? Qui descendit, ipse est & qui ascendit super omnes cœlos, ut impleret omnia.*

Phil. 2, 9. & seq. *Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen: ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum; & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris.*

1. Petr. 3, 21. 22. *Per resurrectionem Jesu Christi, qui est in dextera Dei, deglutiens mortem, ut vita æternæ hæredes efficeremur; profectus in cœlum, subjectis sibi Angelis, & Potestatibus, & Virtutibus.*

I. *Refellitur Philostrati opus de vita Apollonii Tyanei.* II. *Nullis idoneis nititur testimoniis hæc Philostrati historia.* III. *Exquiruntur causæ, quibus ad eam conscribendam inductus est Philostratus.* IV. *Ex historia Christi pleraque in suam Apollonii vitam transtulit.* V. *Philostratus, aliique Pythagoricæ Philosophiæ addicti, mendaces & creduli.* VI. *Apollonius, Magus sacrificulus.*

Refellitur Philostrati opus de vita Apollonii Tyanei.

I. ADelevandum Christi in cœlum ascendentis miraculum, idem Apollonio Tyaneo contigisse Veteres mentiti sunt. Philostratus quidem, a quo plani hujus vitæ res gestæ octo celebrantur libris, non eum duntaxat in cœlum fuisse elatum prædicat, sed tot etiam ac tanta de eo jactat miracula, ut occasionem inde habuerit Hierocles comparationis instituendæ Apollonium inter & Jesum Dominum, eo libro quem φιλαληθῆ *(Veritatis studiosum)* inscripsit. Eunapius quoque, homo superstitionis ad delirium usque deditus, & Christiano nomini infensissimus, Philostrati opus, non Apollonii vitam, sed Dei adventum ad homines inscribi debuisse pronuntiat. Eadem Latinis literis consignare propositum habuerat Vopiscus, ut declarat ipse in vita Aureliani; ubi & talibus Apollonium extollit præconiis, ac si non hominem laudare, sed Deum sibi conciliare vellet. Quodque miremur amplius, Sidonius Apollinaris, hac Philostrati lucubratione, exscriptisque inde a Nicomacho, & ex illis Nicomachi a Tascio Victoriano schedis, in fraudem illectus, eas in Apollonium contulit laudes, quæ Christianum hominem parum deceant, neque ullam tot mendaciorum suboluisse ipsi auram demonstrent. In eadem culpa est Johannes Tzetzes, qui non Philostratum solum, & eos quos secutus est Philostratus, sed & magnum præterea Historicorum numerum prodigia ab Apollonio edita in literas retulisse ait. Quæ quanquam ita sunt, non alii tamen ante Philostratum hoc videntur tractasse argumentum, præter Damidem Ninivitam, individuum Apollonii comitem, Maximum Ægiensem, & Mœragenem, quos se secutum profitetur Philostratus. Atque hi partes historiæ hujus delibaverant aliquas; totam vero primus Philostratus complexus est. Fons ergo hic est, unde tot de Apollonio fabulæ manarunt. Ut autem intelligant homines dogmatis Christiani excellentiam, cui quod opponeret cum anxie solliciteque quæsiverit impietas, pueriles solum fabulas, anilesque nugas potuit comminisci, mihi ab instituto alienum haudquaquam videtur esse, fallaciæ hujus scenam aperire. Factum id quidem feliciter jam ante ab Eusebio in eo opere, quo refellendum suscipit librum φιλαληθῆ Hieroclis, qui non solum adversus Christianos atrocissimis suppliciis sæviit, cum esset Ægypti Præfectus, sed Christianam quoque doctrinam impia scriptione oppugnavit. Nonnulla tamen observata sunt a me, quibus illustrari hoc argumentum, magisque enitescere possit.

Sid. Apoll. l. 8. Epist. 3

Joh. Tzetz. Chil. 2. Hist. 60.

Philostr. de vit. Apoll. l. 1. c. 3.

Nullis idoneis nititur testimoniis hæc Philostrati historia.

II. Philostratus primum, plus centum annis Apollonio recentior, res ab eo gestas nonnisi ex alieno testimonio cognitas habuit: cum Christi Jesu vitam æquales fere Scriptores, actorumque ipsius oculati testes prodiderint. Testes historiæ suæ laudat Philostratus, civitates quas adiit Apollonius, templa quorum ritus collapsos restituit, vulgi sermones, Apollonii ipsius epistolas. At quamvis magnam orbis partem se peragrasse jactet Philostratus, vix tamen nobis persuaserit, ejusmodi testimonia habuisse ab Indicis aut Æthiopicis civitatibus, quas ab Apollonio aditas videtur finxisse Philostratus, ne hac parte dolorum ille artifex Democrito inferior

Philostr. de vit. Apoll. l. 8. c. 13.

Digitized by Google

haberetur. Deinde paucis ac sæpe nullis testibus acta sunt prodigia pleraque Apollonio adscripta. Præterea quis Philostrati ipsius fidem, testimonia hæc præ se ferentis, præstare velit? Vulgi sermones jactat; stolidi scilicet & inepti, de rebus ante centum annos actis temere differentis. In Apollonii vero epistolis, non de rebus ab ipso gestis, sed de gentium, quas lustraverat, moribus agebatur. Testes dat præterea Philostratus Damidem, quem dixi, Assyrium, perpetuum Apollonii socium, a quo omnia ejus facta dictaque in literas diligenter relata esse ait; Maximum Ægiensem, & Mœragenem. Ad primum quod attinet, quam parum ipsi habendum sit fidei, mihi satis liquet: nam si planus fuit Apollonius, ut fuisse sequentia probabunt, deceptorem quoque & vaniloquum fuisse Damidem putandum est, qui arcanorum ejus omnium mendaciorumque particeps fuit. Deinde nec suos in lucem commentarios ipse edidit, sed per quemdam ejus familiarem cum Juliæ Severi uxori innotuissent, hujus jussu recognovit eos Philostratus, & in ordinem digessit. Annon hæc confingere amicus ille Damidis potuit, & Damidi affingere, ut vendibilior esset ea merx, & Juliæ facilius obtrudi posset? Perpauca vero erant, quæ in librum suum retulerat Maximus, ea nimirum duntaxat, quæ Ægis Apollonius egerat. Mœragenis fidem palam detrahit ipse Philostratus, quippe multorum viri actorum ignaro.

Philostr. l. 1. c. 3.

Exquirunntur causæ, quibus ad eam conscribendam inductus est Philostratus.

III. Nullis ergo certis ac solidis incumbit fundamentis tota hæc Philostrati moles; sed caduca, ac in ruinam prona est: cujus ad speciem exstruendæ causam hanc habuit præcipuam, ut Juliæ ac Caracallæ gratificaretur. Caracallam enim testatur Dio summis Apollonium extollere laudibus solitum esse, & monumento, qualia Heroibus exstruuntur, decorasse. Juliam vero Philosophiæ studiis deditam fuisse memorant idem Dio & Philostratus; Sophistarumque, Rhetorum, ac Geometrarum choro plerumque stipata erat. Quamobrem & de priscorum Philosophorum moribus ac studiis edoceri se volebat, atque hanc Apollonii potissimum historiam a Philostrato tradi literis optavit, eique Damidis commentarios suppeditavit. Altera Philostrato accessit causa concinnandi hujus operis, vana nimirum collectæ per otium eruditionis exprimendæ ostentandæque cupiditas. Quorsum enim ambitiosi illi excursus, & importunæ dissertationes, de rebus ad Apollonium haudquaquam pertinentibus? de pantheris Armeniis, de elephantis, de martichora, de gryphibus, de phœnice ave, de Satyris? tum de Oxydracis, Pygmæis, Tauro monte, & Caucaso? de fonte Tyaneo, Indo flumine, Hyphaside, Nilo, Pactolo, & mari Rubro? de Prometheo, Tantalo, Hercule, Bacchо, Memnone, Alexandro, Poro, & Phraote? de mirabilibus Indiæ & Æthiopiæ? de Templo Taxilensi, de Gaditano? Quorsum otiosæ illæ disputationes, utri proniores sint in somnum, vini, an aquæ potores? an arbores terra antiquiores? de creatione mundi & elementis, de medicina, de fabulis Æsopi, de Laconum flagris & inhospitalitate? Id præterea spectasse inprimis videtur Philostratus, ut invalescentem jam Christi fidem ac doctrinam deprimeret; opposito hoc omnis doctrinæ, sanctitatis ac mirificæ virtutis æneo simulacro. Itaque ad Christi exemplar hanc expressit effigiem, & pleraque ex Christi Jesu historia Apollonio accommodavit, ne quid Ethnici Christianis invidere possent. Quare Christi gloriam incautus amplificavit, dum veram ejus virtutem, alteri falso adscriptam, meritis extulit laudibus, aliisque laudandam & mirandam proposuit. Atque id paucis ut demonstremus, res postulat.

Ex historia Christi pleraque in suam Apollonii vitam transtulit. Philostr. l. 1. c. 3. Philost. l. 1. c. 4. Philost. l. 1. c. 4. Luc. 2, 14. Philost. l. 8. c. 12. Luc. 2, 52.

IV. Mariæ Virgini videndum se obtulit Angelus, deque prodituro ex ea filio, qui Dei filius esset dicendus, ipsam præmonuit: Apollonii mater adstantem sibi vidit Proteum Ægyptium Deum, a quo futurum didicit, ut ipse ex ea nasceretur. Apollonius autem Jovis filius a popularibus credebatur, etsi ipse se Apollonii filium prædicabat: Jesus Dei filius erat, Josephi filius vulgo putabatur. Aliqua monentur in somnis Josephus & Maria de puero Jesu; aliqua & mater Apollonii de filio suo. Natum Jesum magna luce fulgens Angelus pastoribus nuntiat: nascente Apollonio, fulgur e cœlo in terram delapsum, rursus in cœlum evolavit. Cum nasceretur Jesus, Angeli in æthere sublimes dicebant, *Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus:* cum nasceretur Apollonius, cycni matrem ipsius circumstantes cantus edidere; eodemque e terris migraturo,

Digitized by Google

migratuto, virgines auditæ sunt canticum hoc concinentes, *Veni de terra, veni in cœlum.* Quod de Christo scriptum legisset Philostratus: *Et Jesus proficiebat sapientia, & ætate, & gratia, apud Deum & homines*; idcirco scripsit Apollonium procedentibus annis egregia ingenii & memoriæ dedisse specimina, & formæ elegantia omnium in se oculos convertisse. Quoniam Christi typus fuit Samson Nazaræus, & comam alere tenebantur Nazaræi, ut est in libro Numerorum; propterea cæsariem promisisse Apollonium Philostratus tradidit. Tum addit eum etiam tum adolescentem in Templo plurimum fuisse, valde eum mirantibus qui sacra procurabant, quæ his Lucæ de Christo adhuc puero consentanea sunt. *Et factum est post triduum, invenerunt illum in Templo, sedentem in medio doctorum, audientem illos, & interrogantem eos. Stupebant autem omnes, qui eum audiebant super prudentia & responsis ejus.* Ac sæpe deinde Judæos in Templo docuit. Christum Jesum Deus Filium palam agnoscit: Apollonio pietatis ac sanctitatis Æsculapius dat testimonium. Magni ad Jesum fiebant hominum concursus: ad Apollonium Ægas & Olympium visendi caussa magna hominum multitudo confluxit. Futurorum præsensionem Apollonio tribuit Philostratus, quod Jesum prophetam fuisse comperisset. Tacitas Judæorum cogitationes perspectas habuisse Jesum non semel affirmant Evangelistæ: hoc ipsum de se jactat Apollonius. Secretos Samaritanæ mulieris concubitus vi divina cognoscit Christus Jesus & coarguit apud Johannem, eamque ad meliorem frugem convertit: Apollonius incesti a divite quodam Cilice cum privigna admissi, nullo monente, notitiam habuit; deprehendit item occultos Menippi cum Lamia congressus, palamque nefariæ consuetudinis convictum sanioribus consiliis instruxit. Subjicit deinde: δακρύοντι ὅμοιον τὸ φάσμα, καὶ ἐδέετο μὴ βασανίζειν αὐτό. *Lacrymanti simile spectrum erat, rogabatque ne se torqueret:* quippe legerat Dæmonem, misero illi Gerasseno insidentem, sic Christum Jesum compellasse: δέομαί σου μή με βασανίσῃς. *Obsecro te, ne me torqueas.* Multa ex eadem Dæmoniaci illius Gerasseni historia in Corcyrensis adolescentis, Dæmone agitati, historiam transtulit Philostratus: utrobique pro imperio increpatur Dæmonium: jubetur ille a Jesu porcorum corpora subire, relicto Gerasseno; hic jubetur ab Apollonio, relicto Corcyrensi, statuam dejicere: liberatus a Jesu Gerasenus, mente recepta, decenti veste induitur, sedet ad pedes Jesu, eique comitem se vult adjungere; Corcyrensis adolescens, omni mollium vestimentorum, luxuriæ, ac deliciarum depositio apparatu, Apollonii sectam & institutum persequitur. Puellam Jairi Archisynagogi filiam vitæ reddidit Jesus: puellam Romæ a morte ad vitam excitasse dictus est Apollonius, ut superius diximus. Illius manum apprehendit Christus, & alta voce jubet surgere; quo dicto suscitata puella feretro exiliit, suisque ambulare pedibus cœpit: hanc tetigit Apollonius, & secreto aliquid admurmurans revocare eam a morte visus est; quæ & statim est locuta, & paternam domum repetiit. Castissimam & ab omni muliebri consuetudine alienissimam vitam coluit Jesus: idem de Apollonio Philostratus asseverat. Christum Jesum Hierosolymam ire, & destinata sibi supplicia, mortemque adeo ipsam perferre cogitantem, a proposito frustra deterrere conatur Petrus: Apollonium a suscepto visendæ Romæ consilio frustra nititur abducere Philolaus, metu Neronis; & iterum Demetrius, metu Domitiani; qui Philosophos pessimis modis accipere soliti erant. Jesus supplicio proximus deseritur a Discipulis; quod & sibi evenisse in altera ad Timotheum queritur Paulus: Apollonium, imminente periculo, sui itidem deserunt. Causam dixit Jesus apud Pilatum: Apollonius apud Domitianum. Discipulis post mortem redivivus adstat Jesus, & præcepta quædam tradit: adolescenti cuidam in somnis videndum se obtulit Apollonius jam fato functus, eumque de natura animorum docuit, de qua jamdiu anxius erat & sollicitus. Thomæ Jesus verene revixisset dubitanti tangendum se præbet: item Apollonius Demetrio & Damidi dubitantibus vivusne esset an mortuus. Jesus ascendit in cœlum: nec hac parte inferiorem esse Apollonium suum voluit Philostratus. Verum ne suum ipse figmentum præstare teneretur, tanquam ab aliis proditum retulit. Ait ergo auditas Nympharum cantantium voces, cum is templum Dictynnæ in Creta esset ingressus, quæ eum ad deserendas terras & cœlum

Philost. l. 1. c. 4.
Philost. l. 1. c. 6.
Luc. 2, 46. 47.
Philost. l. 1. c. 6.
Philost. l. 1. c. 6. l. 8. c. 6.
Philost. l. 4. c. 8. & passim.
Philost. l. 1. c. 13.
Joh. 4, 17. 18.
Philost. l. 1. c. 7.
Philost. l. 4. c. 8. Luc. 8, 28.
Philost. l. 4. c. 6.
Philost. l. 4. c. 16.
Philost. l. 1. c. 20.
Philost. l. 4. c. 12. & l. 7. c. 4. & seq.
2. Tim. 4, 16.
Philost. l. 4. c. 12.
Philost. l. 8. c. 2.
Philost. l. 8. c. 13.
Philost. l. 8. c. 5.
Philost. l. 8. c. 12.

Digitized by Google

cœlum conscendendum invitarent; nec uspiam postea comparuisse. Quæ quam inconcinne & absurde conficta sint, clarissime patefaciunt ea, quæ a Philostrato præmissa sunt: nam quo ætatis suæ anno decesserit Apollonius ignorari ait; cum alii octoginta, nonnulli nonaginta, quidam centum annos excessisse affirment; discrepantes quoque esse de loco obitus ipsius sententias, Ephesi aliis, aliis Lindi, aliis in Creta interiisse ipsum narrantibus; sepulcrum vero ejus nullibi gentium reperiri. In tanta ergo omnium, quæ ad Apollonii interitum pertinent, ignoratione, temporis præsertim ac loci, quid afferri probabile potuit? Sed pergamus. In Christi Jesu cultum consentiebant totæ gentes, Templa ipsi passim ponebantur, & Deus vulgo habebatur: idem ergo de Apollonio jactat Philostratus, imagines in Templis ipsi constitutas, divinosque honores exhibitos, & naturam ejus divinam fuisse, ac humana superiorem; imo vero, Proteum ipsum esse, Deum Ægyptium. Atque inde porro Alexander Severus Apollonii, perinde ut Jesu Christi, imaginem in larario habuit, & utrumque Lampridius Deum appellavit. Inde & adoratores habuisse Apollonium scripsit Eunapius, & Philostrati historiæ titulum apponi debuisse, ut dixi, non Apollonii vitam, sed Dei adventum ad homines. Hieroclem etiam graviter increpat Lactantius in libro de justitia, quod Apollonium ut Deum coluerit; at falsus est, cum ab eo solo factum id arbitratur. Quippe hæc ipse subjicit paulo post Lactantius: *Maxime cum dicas & adoratum esse* (Apollonium) *a quibusdam sicut Deum, & simulacrum ejus sub Herculis Alexicaci nomine constitutum, ab Ephesiis etiam nunc honorari.* Falsus quoque ipse Hierocles est (quem, perinde ut Philostratum, eruditum scriptorem, at parum veracem verissime dixit Eusebius) cum Christianos culpat, quod Christum Jesum Deum esse statuant, propter prodigia quædam ab eo edita; cum Apollonium post tot miracula, non Deum, sed Diis amicum hominem esse admiratores ejus existiment. Dixi increpari Hieroclem a Lactantio: nam quamvis nomen Hieroclis non expresserit, iis tamen designavit notis, quæ dubium omne tollant, ut nuper ostendit doctissimus Pearsonus in Prolegomenis ad Hieroclem. Ex Apostolorum quoque historia quædam delibavit Philostratus, & in Apollonium transscripsit. Oblatam sibi a Simone pecuniam respuit Petrus; aurum & argentum Agbari Edessenorum regis repudiasse Thaddæum commemorat Eusebius; se vero neque argentum, neque aurum, neque vestem concupivisse prædicat Paulus in Actis: Satrapæ præfecti Babyloniæ finibus, ac Vardanis deinde regis thesauros aspernatur Apollonius, & magnam deinde nummorum copiam, revocatæ ad vitam puellæ mercedem sibi a parentibus oblatam, puellæ ipsius doti jussit accedere. Petrus in vincula conjectus ab Herode, iisdem ab Angelo exolvitur, sic ut caderent de manibus ejus catenæ, & portæ sponte paterent: Apollonius nervo constrictus crus compede eximit ad libitum, eique inserit; ex oculis Domitiani, ad quem caussam dicturus accesserat, evanescit; idem in Creta a Dictynnæ Sacerdotibus colligatus, vinculis sponte solutis, foribusque reseratis ergastulo elabitur. Apostoli Spiritu sancto afflati, omnium linguis loquuntur: Apollonius nullam ignorare se linguam prædicat, etiamsi nullam didicerit. Cujus vanitatis oblitus Philostratus subjungit paulo post, ad alloquendum Phraotem interprete Apollonium opus habuisse. Ex his cognoscitur, ecquod sibi exemplum ad imitandum Philostratus in adornando hoc dramate proposuerit. Quamobrem Hierocli comparationem Apollonii cum Christo instituenti argumentum non defuit. Verum scire debuerat, imaginem sese cum eo, ad cujus speciem delineata fuerat, ore composuisse; omnemque a se in elevandis Christi Domini miraculis ac meritis collocatam operam, eadem confirmasse; cum virtutum omnium, ac mirificorum operum laudes in commentitium suum Heroem conferre cupiens, non melius aliunde, quam ex vera Jesu Christi historia arcessere eas potuerit.

Verum enimvero dum ad rei veritatem infuscandam plurima ingenio suopte fingit, haudquaquam sensit, in magnam rerum opinionumque discrepantiam sese esse delapsum, sibique ipsum sæpe, quod mendacibus evenire solet, contradicere. Multis id exemplis ab Eusebio demonstratum est in libello adversus Hieroclem. Quibus etiam plura adjici possent. Adde tot fabulas, tot somnia, tam nullius acuminis, tam nullius saporis,

Philost. l. 8. c. 12. Philost. l. 1. c. 16. & l. 7. c. 16. & l. 8. c. 5. Philost. l. 1. c. 5.

Lamprid. Alex. c. 29.

Eunap. in Chrysanthio & in Proœm.

Lactant. Instit. l. 5. c. 2.

Euseb. in Hier.

Euseb. Hist. Eccl. l. 2. c. 13. Act. 20, 33. Philost. l. 1. c. 15. & 21. Philost. l. 4. c. 16.

Philost. l. 7. c. 16. Philost. l. 8. c. 2. Philost. l. 8. c. 12.

Philost. l. 1. c. 13.

Digitized by Google

saporis, ut cum ea legerem (mihi autem tum primum id contigit, cum vix dum excessissem ex ephebis, qua ætate animi adolescentum logis & fabulis mirifice capi solent) continuo me caperet satietas & fastidium, & nutriculam ad somnos pupo suo conciliandos de Lamiæ turribus & pectinibus Solis differentem mihi audire viderer. Adeone fungum fuisse quemquam, vel ut persuaderet ipse sibi, vel ut aliis persuadere se posse speraret, prægnanti Apollonii matri Proteum, & aliis in templo Ægiensi aspectabilem præbuisse se Æsculapium? animalium voces intellexisse Apollonium, facultate hac ab Arabibus imbutum, qui vel corde vel hepate draconis comesо futura ex avium garritu præsentiant? quam peritiam & Indis Paracensibus largitur. Interiitne funditus genus illud hominum τετραπηχῶν *(altorum quatuor cubitis)* Caucasum incolentium, quorum nonnullos Apollonius, ac nemo deinde vidit? Quis eum credat vidisse Empusam? Quis credat mulieres Veneri dicatas, superne nigras, inferne albas apud Indos reperiri? quid factum hoc mulierum genere, quod hodie occurrit nuspiam, nisi quas forte Sol fuscavit superiore corporis parte, qua velatæ non erant? Quanti stuporis est figmentum illud de Pureo culpæ, per quem Indi jurare solent, de Cratere veniæ, de Doliis duobus, imbrium uno, altero ventorum; quibus apertis regio ventis perflatur, & rigatur imbribus; secus vero si occludantur? Jocularis vero est tota hæc Brachmanum scena, qui vel aspectabiles se faciunt pro libitu, vel oculorum obtutus effugiunt; nec ipsi solum choreas ducunt, sed terram etiam virgis ferientes, assurgere ac velut tripudiare faciunt, ipsi vero in aerem tolluntur. Hinc metempsychoseos recoquit dogma, & nugas ad nauseam funditat. Tum in convivio Brachmanum tripodas describit, crateras, & fercula, sponte & αὐτομάτως *(motu proprio)* ad convivas accedentia, & Tantali deinde poculum illud amicitiæ numquam deficiens. Quam insulsum est, quod de Ephesina peste, sub pannosi & mendici senis, ac deinde sub molossi specie delitescente excogitavit? Apollonii vero nocturna pervigilatio ad tumulum Achillis, ejusque cum Achille congressus, pueriles sunt ac germanæ gerræ: inter quas palmarium hoc est, quod ait Achilles, Nereides ad sepulcrum suum sæpe ventitare. Nereidem etiam quamdam Selera insulam tenere alio loco garrit. Quid quod ulmus apud Gymnosophistas loquens inducitur a nugivendo illo Historico, & Apollonium salutans? Æneas Gazæus in Theophrasto Brachmanas a metempsychoseos errore vindicare conatur hoc argumento, quod neque Ctesias, neque Arrianus, neque Indi ipsi, vel in suis cum Alexandro congressibus, vel in suis ad Græcos Epistolis, neque ulli denique, vel recentiorum vel veterum, in hac ipsos hæresi versari testentur. In quo Æneam falli certum est: eam enim sectam hodieque pertinacissime sequuntur Brachmanes, ut uno ore consentiunt, quicunque hæc adierunt loca, & cum ipsis paulo familiarius sunt conversati. Atqui vetustissimam esse ipsorum doctrinam, & ab omni retro ævo eamdem apud ipsos perseveravisse constans est fama. Hanc ipsam ratiocinationem haud minus vere adhibere possumus adversus Philostratum, qui tot affingit Brachmanibus deliramenta, & de India ac Æthiopia tot narrat γρᾳολογίας *(aniles fabulas)* aliis omnibus indictas & inauditas, sive qui horum temporum fuerunt æquales, sive qui ea postmodum sunt insecuti, ut omnem apud cordatos homines fidem amittat. Nunc existimari potest, haud æquiorem ab Hierocle institutam esse comparationem inter Christi Jesu & Apollonii Historicos, ac inter Christum ipsum & Apollonium. Petrum & Paulum ait, aliosque, a quibus res a Jesu gestæ memoriæ proditæ sunt, mendaces fuisse, illiteratos, & præstigiatores; qui vero Apollonii vitam retulerunt in literas, Damidem, Maximum, Philostratum, viros fuisse eruditos & veritatis studiosos. Nos e contrario Apostolos, vel ob simplicitatem & imperitiam, remur minus esse debere doli falsitatisque suspectos; Philostrati vero, aliorumque, qui in Apollonio celebrando ipsi præiverunt, propter ingenii acumen, & doctrinam quam prædicant, dubiam esse fidem. Constat enim rudes & indoctos homines, fere candidos esse eosdem, veraces, & incallidos; qui vero doctrina & usu rerum peritiores extiterint, vafritie eos, versutiaque præstare. Quod & res ipsa satis indicat. Cum manifesto ex supra dictis appareat, totam mendaciis ac fallaciloquentia consumtam esse Philostrati historiam; doctrinaque eum sua, haudquaquam tamen satis acute & solerter, imo vero insicite & inepte ad ludificandos homines, consarcinandasque fabulas valde esse abusum.

Philost. l. 1. c. 3. & 5.
Philost. l. 1. c. 14. & l. 4. c. 1.
Philost. l. 3. c. 3.
Philost. l. 2. c. 2.
Philost. l. 3. c. 1.
Philost. l. 3. c. 3. & 5.
Philost. l. 3. c. 6. & 7. & l. 5. c. 15. & l. 6. c. 18.
Philost. l. 3. c. 8. & 10.
Philost. l. 4. c. 3.
Philost. l. 4. c. 5.
Philost. l. 3. c. 16.
Philost. l. 6. c. 5.

Digitized by Google

Philostratus aliique Pythagorica Philosophiæ addicti mendaces & credituli.

V. Mihi vero rem introspicienti, Pythagoricæ Philosophiæ penitus videtur addictus fuisse Philostratus. Ex qua disciplina quicunque prodierunt, quod jam supra monui, in θαυματοποιίας & παραδοξολογίας fuerunt promptissimi, nihil non & fingere promti & credere. Testis aureum Pythagoræ femur, testis Abaridis sagitta, & quæcunque de Epimenide, Empedocle, aliisque ex Italica schola profectis memorantur. Vel primum legatur Philostrati caput, ex quo, velut ex ungue leonem, hominis propensum in Pythagoræ deliramenta animum & superstitiosam credulitatem deprehendas. Pythagoræ sese assimilabat Alexander ille Pseudomantis Luciani. Eunapius quoque Pythagoricis opinionibus instructus, inanes passim fabulas colligit, easque Lectoribus haudquaquam persuadet ipse; persuasum duntaxat esse se declarat. Vitio hoc laborasse eruditos harum partium gregales caussatur Jamblichus, commemoratisque aliquot eorum figmentis, subjungit: πᾶσι γὰρ πιστεύσι τοῖς τοιούτοις, πολλὰ δὲ καὶ αὐτοὶ πεῤῥύντας τῶν τοιούτων δὴ τῶν δοκούντων μυθικῶν ἀπομνημονεύειν. *Omnibus enim hujusmodi rebus adhibent fidem: multas etiam ex consimilibus rebus, quæ fabulosæ videntur, narrare ipsi quoque aggrediuntur.* Et deinde: πρὸς πάντα τὰ τοιαῦτα, οὐχὶ αὐτὸς ἐνήθης νομίζουσι, ἀλλὰ τοὺς ἀπιστοῦντας· ὁ γὰρ ἄνους τὰ μὲν δυνατὰ τῶν θεῶν, τὰ δὲ ἀδύνατα, ὥσπερ ὁλέθου τοὺς σοφιζομένους, ἀλλὰ πάντα δυνατά· *Ad hæc omnia, non se quidem, verum qui se incredulos præstiterint, stolidos esse rentur: nec enim quædam esse in Deorum potestate, quædam vero secus ut opinantur, qui incumbunt sapientiæ studiis, sed omnia a Diis fieri posse.* Xenophon quoque doctrinam eorum τερατώδη appellat, ac si dicas prodigiis fingendis & credendis assuetam.

Jambl. vit. Pyth. c. 28.

Xenoph. Epist. ad Æschin. apud Eus. Præp. Ev. l. 14. c. 12.

VI. Interim, si quis ex me percontetur, quid de Apollonio censeam, vaferrimum eum, sacerrimumque fuisse Magum respondebo. Vulgo receptam hanc fuisse sua ætate opinionem ipse fatetur Philostratus initio operis, eamque præcipue evellendam sibi proposuit. Hoc ipsi crimen impegit Euphrates Tyrius, Philosophus, vel Apollonii ipsius testimonio, sapientissimus. Eamdem ob caussam Eleusiniis ipsum sacris arcuit Hierophanta, & ab antro Trophonii Sacerdotes excluserunt. Pro Mago a Domitiano captus, & in carcerem detrusus est. Magis ipse Babyloniis, noxiæ & occultæ Magiæ studiosis, sapientiæ laudem tribuit. Brachmanes, quos præstigiatores agnoscit Philostratus, Deos ac magistros suos, sapientes ac beatos Apollonius nuncupat. Lucianus Alexandri Abonitichitæ sutelas & dolos elegantissime narrans, eum ait applicuisse se præstigiatori cuidam Tyaneo, τῶν ἀπολλωνίῳ τῷ τυανεῖ πάνυ συγγενομένων, καὶ τὴν πᾶσαν αὐτοῦ τραγῳδίαν εἰδότων· *Uni ex iis quibus magna interceſſerat Apollonio Tyaneo familiaritas, quique ejus tragœdiam noverant.* Quibus verbis satis indicat vir acutæ naris suam de Apollonio sententiam. Mœragenes ipse, qui vitam Apollonii literis commendavit, non dubitat eum appellare Magum, atque etiam veneficum a Philosophis habitum fuisse testimonio suo confirmat, auctore Origene in libris contra Celsum. Atque Mœrageni, ob hanc, opinor, ipsius confessionem fidem detrahi Philostratus jussit. Xiphilinus ex Dione tradit Caracallam Magis & præstigiatoribus adeo delectari solitum, ut Apollonium honoribus & monumento etiam, qualia consecrantur Heroibus, coluerit. Magi denique nomine vulgo esse affectum testatur Hieronymus. Frustra vero in purgando Apollonio & Magiæ nota ab eo eluenda se torquet Philostratus: nec quicquam in caussam ipsius prodest, quod affert, futura Apollonium non prænovisse, vel in humanis quibusdam sacrificiis, vel incantamentis, aut unctionibus; sed ex signis, quæ ipsi a Diis portenderentur, & ex rerum serie, quam fata ipsa contexuissent: nam nec signa illa expressit Philostratus, nec ex rerum contextu ea prænosci potuerunt ab Apollonio, quæ prænovisse ipsum scribit. Noxia præterea & magica carmina secreto pronuntiari possunt, etiam insciis qui proxime adstant. Deinde sexcenta sunt alia arcanæ divinationis genera, a viris doctis accurate distincta & notata, quibus uti Apollonius potuit. Quod autem alio loco queritur Philostratus, propterea in Magiæ suspicionem venisse Apollonium, quod Babylonios Magos, Brachmanas, Gymnosophistas adierit, frustra est; graviores enim longe extant caussæ, propter quas Magiæ reus peragitur. Quanquam ob hæc ipsa, si minus convictum, at hujus certe impietatis suspectum habere possumus: nam ex veteri barbarorum horumce Philosophorum Magia

Philost. l. 4. c. 6. & l. 8. c. 8. Philost. l. 7. c. 14. Philost. l. 1. c. 18. Lucian. Pseud.

Orig. contr. Cels. l. 6.

Philost. l. 1. c. 3. Xiphil. in Caracall.

Hieron. in Epist. ad Paulin. Philost. l. 5. c. 4.

Apollonius Magus sacerrimus.

Philost. l. 1. c. 1. & 2.

Philost. l. 1. c. 2.

Digitized by Google

Magia multum deflexerat recentior illa, & a præclaris naturæ ſtudiis ad damnoſas & nefarias artes ſeſe demiſerat, quod tota Philoſtrati narratio patefacit. Quis vero eum putet, qui cum Magis converſatus, eorum præceptis inſtitutus, eos demiratus, mirificisque laudibus extollere ſolitus ſit, ipſum vetitæ hujus Magiæ expertem manſiſſe; præſertim qui ea edere opera conſueviſſet, in quibus edendis præcipuum artis ſuæ fructum Magi collocant?

CAPUT CXLVIII.

Jeſus eſt ad dexteram Dei Patris.

PSalm. 15, 10. 11. *Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem. Notas mihi feciſti vias vitæ, adimplebis me lætitia cum vultu tuo: delectationis in dextera tua usque in finem.*

Pſalm. 109, 1. & ſeq. *Dixit Dominus Domino meo, Sede a dextris meis ... Dominus a dextris tuis.*

MAtth. 22, 41. & ſeq. *Congregatis autem Phariſæis, interrogavit eos Jeſus, dicens, Quid vobis videtur de Chriſto? cujus Filius eſt? Dicunt ei, Davıd. Ait illis, Quomodo ergo David in ſpiritu vocat eum Dominum, dicens, Dixit Dominus Domino meo, Sede a dextris meis?* Et Marc. 12, 35. & ſeq. Luc. 20, 41. & ſeq.

Matth. 26, 64. *Dicit illi Jeſus, Tu dixiſti; verumtamen dico vobis, a modo videbitis Filium hominis ſedentem a dextris virtutis Dei.* Et Marc. 14, 62. Luc. 22, 69.

Marc. 16, 19. *Et Dominus quidem Jeſus, poſtquam locutus eſt eis, aſſumtus eſt in cœlum, & ſedet a dextris Dei.*

Act. 2, 32. & ſeq. *Hunc Jeſum reſuſcitavit Deus, cujus omnes nos teſtes ſumus. Dextera igitur Dei exaltatus, & promiſſione Spiritus ſancti accepta a Patre, effudit hunc quem vos videtis & auditis. Non enim David aſcendit in cœlum; dixit autem ipſe, Dixit Dominus Domino meo, Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum.*

Act. 7, 55. *Cum autem eſſet plenus Spiritu ſancto, intendens in cœlum vidit gloriam Dei, & Jeſum ſtantem a dextris Dei.*

Rom. 8, 33. 34. *Quis accuſabit adverſus electos Dei? Deus qui juſtificat. Quis eſt qui condemnet? Chriſtus Jeſus, qui mortuus eſt, immo qui & reſurrexit, qui eſt ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.*

Eph. 1, 20. *Suſcitans illum a mortuis, & conſtituens ad dexteram ſuam in cœleſtibus.*

Col. 3, 1. *Igitur ſi conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærite, ubi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens.*

Ebr. 1, 3. & ſeq. *Qui cum ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ ejus, portansque omnia verbo virtutis ſuæ, purgationem peccatorum faciens ſedet ad dexteram majeſtatis in excelſis. .... Ad quem autem Angelorum dixit aliquando, Sede a dextris meis, quoad usque ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum?*

Ebr. 8, 1. *Capitulum autem ſuper ea quæ dicuntur: Talem habemus Pontificem, qui conſedit in dextera ſedis magnitudinis in excelſis.*

Ebr. 10, 12. 13. *Hic autem unam pro peccatis offerens hoſtiam, in ſempiternum ſedet in dextra Dei, de cætero expectans donec ponantur inimici ejus ſcabellum pedum ejus.*

Ebr. 12, 2. *Aſpicientes in auctorem fidei, & conſummatorem Jeſum, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem confuſione contemta, atque in dextera ſedis Dei ſedet.*

1. Petr. 3, 21. 22. *Quod & vos nunc ſimilis forma ſalvos facit baptiſma, non carnis depoſitio ſordium, ſed conſcientiæ bonæ interrogatio in Deum, per reſurrectionem Jeſu Chriſti, qui eſt in dextera Dei.*

CAPUT CXLIX.

Jeſus mittit Spiritum ſanctum ad Diſcipulos.

Iſa. 32, 15. *Gaudium onagrorum paſcua gregum, donec effundatur ſuper nos Spiritus de excelſo.*

LUc. 24, 49. *Et ego mitto promiſſum Patris mei in vos; vos autem ſedete in civitate, quoad usque induamini virtute ex alto.*

Joh. 7,

Digitized by Google

Isa. 44, 3. *Effundam enim aquas super sitientem, & fluenta super aridam: effundam Spiritum meum super semen tuum, & benedictionem super stirpem tuam.*

Isa. 59, 2. *Hoc fœdus meum cum eis, dicit Dominus: Spiritus meus qui est in te, & verba mea quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore seminis tui, & de ore seminis seminis tui, dicit Dominus, a modo & usque in sempiternum.*

Ezech. 36, 26. 27. *Et dabo vobis cor novum, & spiritum novum ponam in medio vestri; & auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum. Et Spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea custodiatis, & operemini.*

Ezech. 39, 29. *Et non abscondam ultra faciem meam ab eis, ea quod effuderim Spiritum meum super omnem domum Israel, ait Dominus Deus.*

Joel. 2, 28. 29. *Et erit post hæc, effundam Spiritum meum super omnem carnem, & prophetabunt filii vestri & filiæ vestræ: senes vestri somnia somniabunt, & juvenes vestri visiones videbunt. Sed & super servos meos & ancillas in diebus illis effundam Spiritum meum.*

Zach. 12, 10. *Et effundam super domum David, & super habitatores Jerusalem, Spiritum gratiæ & precum, & aspicient ad me quem confixerunt: & plangent eum planctu quasi super unigenitum, & dolebunt super eum, ut doleri solet in morte primogeniti.*

Joh. 20, 22. *Hæc cum dixisset, insufflavit, & dixit eis, Accipite Spiritum sanctum.*

Act. 1, 4. & seq. *Et convescens præcepit eis ab Jerosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris, quam audistis, inquit, per os meum; quia Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto, non post multos hos dies .... accipietis virtutem supervenientis Spiritus sancti in vos.* Et Act. 11, 15. 16.

Act. 2, 1. & seq. *Et cum complerentur dies Pentecostes, erant omnes pariter in eodem loco, & factus est repente de cœlo sonus, tanquam advenientis Spiritus vehementis, & replevit totam domum, ubi erant sedentes. Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tamquam ignis, seditque supra singulos eorum, & repleti sunt omnes Spiritu sancto, & cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis ..... Stans autem Petrus cum Undecim levavit vocem suam, & locutus est eis ..... Hoc est quod dictum est per Prophetam Joel, Et erit in novissimis diebus, dicit Dominus, effundam de Spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt filii vestri, & filiæ vestræ, & juvenes vestri visiones videbunt, & seniores vestri somnia somniabunt: & quidem super servos meos, & super ancillas meas, in diebus illis effundam de Spiritu meo, & prophetabunt .... Hunc Jesum resuscitavit Deus, cujus omnes nos testes sumus. Dextera igitur Dei exaltatus, & promissione Spiritus sancti accepta a Patre, effudit hunc quem vos videtis & auditis ..... Petrus vero ad illos, Pœnitentiam, inquit, agite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum, & accipietis donum Spiritus sancti.*

Joh. 7, 37. & seq. *In novissimo autem die magno festivitatis, stabat Jesus, & clamabat, dicens, Si quis sitit, veniat ad me & bibat: qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum: nondum enim erat Spiritus datus, quia nondum erat glorificatus.*

Joh. 14, 16. & seq. *Et ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere; quia non videt eum, nec scit eum: vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit .... Hæc locutus sum vobis apud vos manens: Paraclitus autem Spiritus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis.*

Joh. 15, 26. *Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me.*

Joh. 16, 7. & seq. *Sed ego veritatem dico vobis: expedit vobis ut ego vadam. Si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos: & cum venerit, ille arguet mundum de peccato, & de justitia, & de judicio .... Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem: non enim loquetur a semetipso; sed quæcunque audit, loquetur, & quæ ventura sunt, annuntiabit vobis. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.*

Act. 8,

Act. 8, 15. & seq. *Qui cum venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum sanctum. Nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum. Cum vidisset autem Simon, quia per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus sanctus, obtulit eis pecuniam, dicens, Date & mihi hanc potestatem, ut cuicunque imposuero manus, accipiat Spiritum Sanctum. Petrus autem dixit ad eum, Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri.* Et Act. 9, 17.

Act. 10, 44. 45. *Adhuc loquente Petro verba hæc, cecidit Spiritus sanctus super omnes qui audiebant verbum; & obstupuerunt ex circumcisione fideles, qui venerant cum Petro, quia & in nationes gratia Spiritus sancti effusa est.* Et Act. 13, 2. 3. 4. 9. 52. & 15, 7. 8. & 19, 2. 6.

Rom. 5, 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Et 1. Cor. 2, 12. 13. & 2. Cor. 5, 5. Gal. 3, 5. 14. Eph. 1, 13. 17. & 1. Thess. 4, 8. & 2. Tim. 1, 7. 14. & 1. Petr. 1, 11. 12. & 1. Joh. 3, 24.

1. Corinth. 3, 16. *Nescitis quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis?*

Gal. 4, 6. *Quoniam autem estis filii, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra, clamantem, Abba, Pater.*

1. Joh. 4, 13. *In hoc cognoscimus, quoniam in eo manemus, & ipse in nobis, quoniam de Spiritu suo dedit nobis.*

CAPUT CL.

Ecclesia Jesu.

PSalm. 2, 6. *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, prædicans præceptum ejus.*

Psalm. 47, 1. & seq. *Magnus Dominus, & laudabilis nimis, in civitate Dei nostri, in monte sancto ejus. Fundatur exultatione terræ mons Sion, latera Aquilonis, civitas regis magni. Deus in domibus ejus cognoscetur, cum suscipiet eam. Quoniam ecce reges terræ congregati sunt, convenerunt in unum. Ipsi videntes sic admirati sunt, conturbati sunt, commoti sunt, tremor apprehendit eos..... Sicut audivimus, sic vidimus in civitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri: Deus fundavit eam in æternum.*

Psalm. 68, 36. 37. *Quoniam Deus salvam faciet Sion, & ædificabuntur civitates Juda: & inhabitabunt ibi, & hæreditate acquirent eam: & semen servorum ejus possidebit eam; & qui diligunt nomen ejus, habitabunt in ea.*

Psalm. 86, 1. & seq. *Fundamenta ejus in montibus sanctis: diligit Dominus portas Sion, super omnia tabernacula Jacob. Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei: memor ero Rahab & Babylonis, scientium me. Ecce alienigenæ, & Tyrus, & populus Æthiopum; hi fuerunt illic. Numquid Sion dicet, Homo & homo natus est in ea, & ipse fundavit eam Altissimus? Dominus narrabit in scripturis populorum & principum, horum qui fuerunt in ea. Sicut lætantium omnium habitatio est in te.*

MAtth. 16, 18. 19. *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni cœlorum; & quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis; & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cœlis.*

Act. 20, 28. *Attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.*

1. Cor. 3, 11. *Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus.*

1. Cor. 12, 28. *Vos autem estis corpus Christi, & membra de membro: & quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primum Apostolos, secundo Prophetas, tertio Doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes sermonum.*

Gal. 4, 26. 27. *Illa autem quæ sursum est Jerusalem, libera est, quæ est mater nostra. Scriptum est enim, Lætare, sterilis, quæ non paris; erumpe & clama, quæ non parturis; quia multi filii desertæ magis, quam ejus quæ habet virum.*

Eph. 2, 19. & seq. *Ergo jam non estis hospites & advenæ, sed estis cives Sanctorum, & domestici Dei, superædificati super fundamen-*

Digitized by Google

Pſalm. 117, 22. *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli.*

Pſalm. 149, 1. *Cantate Domino canticum novum: laus ejus in Eccleſia ſanctorum.*

Iſa. 2, 2. & ſeq. *Et erit in noviſſimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & elevabitur ſuper colles, & fluent ad eum omnes gentes: & ibunt populi multi, & dicent, Venite, & aſcendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Jacob, & docebit nos vias ſuas, & ambulabimus in ſemitis ejus: quia de Sion exibit lex, & Verbum Domini de Jeruſalem: & judicabit gentes, & arguet populos multos.* Et Mich. 4, 1. & ſeq.

Iſa. 24, 23. *Et erubeſcet Luna, & confundetur Sol, cum regnaverit Dominus exercituum in monte Sion, & in Jeruſalem, & in conſpectu ſenum ſuorum fuerit glorificatus.*

Iſa. 28, 16. & ſeq. *Idcirco hæc dicit Dominus Deus, Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretioſum, in fundamento fundatum: qui crediderit non feſtinet. Et ponam in pondere judicium, & juſtitiam in menſura, & ſubvertet grando ſpem mendacii, & protectionem aquæ inundabunt. Et delebitur fœdus veſtrum cum morte, & pactum veſtrum cum inferno non ſtabit.*

Iſa. 33, 20. & ſeq. *Reſpice, Sion, civitatem ſolennitatis noſtræ; oculi tui videbunt Jeruſalem, habitationem opulentam, tabernaculum quod nequaquam transferri poterit; nec auferentur clavi ejus in ſempiternum, & omnes funiculi ejus non rumpentur; quia ſolummodo magnificus eſt Dominus noſter.... ..... Dominus enim judex noſter, Dominus legifer noſter, Dominus rex noſter, ipſe ſalvabit nos.*

Iſa. 43, 19. & ſeq. *Ecce ego facio nova, & nunc orientur, utique cognoſcetis ea: ponam in deſerto viam, & in invio flumina: glorificabit me beſtia agri, dracones, & ſtruthiones; quia dedi in deſerto aquas, flumina in invio, ut darem potum populo meo, electo meo. Populum iſtum formavi mihi, laudem meam narrabit.*

Iſa. 49, 14. & ſeq. *Et dixit Sion, Dereliquit me Dominus, & Dominus oblitus eſt mihi. Numquid oblivisci poteſt mulier infantem ſuum, ut non miſereatur filio uteri ſui? & ſi illa oblita fuerit, ego tamen non obliviſcar tui. Ecce in manibus meis deſcripſi tum Apoſtolrum & Prophetarum, ipſe ſummo angulari lapide Chriſto Jeſu, in quo omnis ædificatio conſtructa creſcit in Templum ſanctum in Domino, in quo & vos coædificavi in habitaculum Dei in ſpiritu.*

Eph. 5, 22. & ſeq. *Mulieres viris ſuis ſubditæ ſint, ſicut Domino: quoniam vir caput eſt mulieris, ſicut Chriſtus caput eſt Eccleſiæ; ipſe Salvator corporis ejus. Sed ſicut Eccleſia ſubjecta eſt Chriſto, ita & mulieres viris ſuis in omnibus. Viri, diligite uxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea, ut illam ſanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ; ut exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi, ſed ut ſit ſancta & immaculata.*

Col. 1, 18. *Et ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ, qui eſt principium, primogenitus ex mortuis.*

Col. 1, 24. *Qui nunc gaudeo in paſſionibus pro vobis, & adimpleo ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea, pro corpore ejus, quod eſt Eccleſia.*

1. Tim. 3, 14. 15. *Hæc tibi ſcribo, ſperans me ad te venire cito; ſi autem tardavero, ut ſcias quomodo oporteat te in domo Dei converſari, quæ eſt Eccleſia Dei vivi, columna & firmamentum veritatis.*

Ebr. 12, 22. 23. *Sed acceſſiſtis ad Sion montem, & civitatem Dei viventis, Jeruſalem cœleſtem, & multorum millium Angelorum frequentiam, & Eccleſiam primitivorum, qui conſcripti ſunt in cœlis.*

1. Petr. 2, 4. & ſeq. *Ad quem accedentes lapidem vivum, a Deo autem electum & honorificatum: & ipſi tanquam lapides vivi ſuperædificamini, domus ſpiritualis, ſacerdotium ſanctum, offerre ſpirituales hoſtias, acceptabiles Deo per Jeſum Chriſtum. Propter quod continet Scriptura, ecce pono in Sion lapidem ſummum angularem, electum, pretioſum, & qui crediderit in eum, non confundetur.*

Apoc. 13, 12. *Qui vicerit, faciam illum columnam in Templo Dei mei, & foras non egredietur amplius: & ſcribam ſuper eum nomen Dei mei, & nomen civitatis Dei mei novæ Jeruſalem, quæ deſcendit de cœlo a Deo meo, & nomen meum novum.*

Apoc. 14, 1. & ſeq. *Et vidi, & ecce Agnus ſtabat ſuper montem Sion, & cum eo centum quadra-*

Digitized by Google

te, muri tui coram oculis meis semper. Venerunt structores tui; destruentes te, & dissipantes a te exibunt. Leva in circuitu oculos tuos, & vide; omnes isti congregati sunt, venerunt tibi. Vivo ego, dicit Dominus, quia omnibus his, velut ornamento vestieris, & circumdabis tibi eos, quasi sponsa: quia deserta tua, & solitudines tuæ, & terra ruinæ tuæ, nunc angusta erunt præ habitatoribus, & longe fugabuntur, qui absorbebant. Adhuc dicent in auribus tuis fili sterilitatis tuæ, Angustus est mihi locus, fac spatium mihi ut habitem. Et dices in corde tuo, Quis genuit mihi istos? ego sterilis, & non pariens; transmigrata & captiva, & istos quis enutrivit? ego destituta & sola, & isti ubi erant? Hæc dicit Dominus Deus, Ecce levabo ad gentes manum meam, & ad populos exaltabo signum meum. Et afferent filios tuos in ulnis, & filias tuas super humeros portabunt. Et erunt reges nutritii tui, & regina nutrices tuæ; vultu in terram demisso adorabunt te, & pulverem pedum tuorum lingent.

Isa. 54, 1. & seq. *Lauda sterilis, quæ non paris: decanta laudem & hinni, quæ non pariebas; quoniam multi filii deserta magis, quam ejus, quæ habet virum ..... ad dexteram enim & ad lævam penetrabis; & semen tuum gentes hæreditabit, & civitates desertas inhabitabit. Noli timere, quia non confunderis neque erubescas; non enim te pudebit, quia confusionis adolescentiæ tuæ oblivisceris, & opprobrii viduitatis tuæ non recordaberis amplius: quia dominabitur tui, qui fecit te, Dominus exercituum nomen ejus: & redemtor tuus sanctus Israel, Deus omnis terræ vocabitur; quia ut mulierem derelictam, & mœrentem spiritu vocavit te Dominus, & uxorem ab adolescentia abjectam dixit Deus tuus. Ad punctum in modico dereliqui te, & in miserationibus magnis congregabo te. In momento indignationis abscondi faciem meam parumper a te, & in misericordia sempiterna misertus sum tui; dixit redemtor tuus Dominus ..... Montes enim commovebuntur, & colles contremiscent; misericordia autem mea non recedet a te, & fœdus pacis meæ non movebitur, dixit miserator tuus Dominus. Paupercula, tempestate convulsa, absque ulla consolatione: ecce ego sternam per ordinem quadraginta quatuor millia, habentes nomen ejus, & nomen Patris ejus scriptum in frontibus suis. Et audivi vocem de cœlo, tanquam vocem aquarum multarum, & tanquam vocem tonitrui magni; & vocem quam audivi, sicut citharœdorum citharizantium in citharis suis. Et cantabant quasi canticum novum ante sedem, & ante quatuor animalia, & Seniores: & nemo poterat dicere canticum, nisi illa centum quadraginta quatuor millia, qui emti sunt de terra. Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati; virgines enim sunt: hi sequuntur Agnum quocunque ierit: hi emti sunt ex omnibus, primitiæ Deo & Agno; & in ore eorum non est inventum mendacium, sine macula enim sunt ante thronum Dei.*

Apoc. 21, 2. & seq. *Et ego Johannes vidi sanctam civitatem Jerusalem novam, descendentem de cœlo a Deo, paratam, sicut sponsam ornatam viro suo. Et audivi vocem magnam de throno dicentem, Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis. Et ipsi populus ejus erunt, & ipse Deus cum eis erit eorum Deus; & absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum: & mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abierunt. Et dixit qui sedebat in throno, Ecce nova facio omnia. Et dixit mihi, Scribe, quia hæc verba fidelissima sunt & vera.*

Apoc. 21, 9. & seq. *Et venit unus de septem Angelis habentibus phialas plenas septem plagis novissimis, & locutus est mecum dicens, Veni, & ostendam tibi sponsam uxorem Agni. Et sustulit me in spiritu in montem magnum & altum, & ostendit mihi civitatem sanctam Jerusalem descendentem de cœlo a Deo, habentem claritatem, & lumen ejus simile lapidi pretioso, tamquam lapidi jaspidis, sicut crystallum. Et habebat murum magnum & altum, habentem portas duodecim, & in portis Angelos duodecim, & nomina inscripta, quæ sunt nomina duodecim tribuum filiorum Israel ..... Et murus civitatis habens fundamenta duodecim, & in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum ..... Et erat structura muri ejus ex lapide jaspide; ipsa vero civitas aurum mundum, simile vitro mundo. Et fundamenta muri civitatis, omni lapide pretioso ornata. Fundamentum primum, jaspis;*

lapides tuos, & fundabo te in ſapphiris, & ponam jaſpidem propugnacula tua, & portas tuas lapides ſculptos, & omnes terminos tuos in lapides deſiderabiles: univerſos filios tuos, doctos a Domino, & multitudinem pacis filiis tuis.

Iſa. 60, 1. & ſeq. *Surge, illuminare, Jeruſalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini ſuper te orta eſt: quia ecce tenebræ operient terram, & caligo populos: ſuper te autem orietur Dominus, & gloria ejus in te videbitur: & ambulabunt gentes in lumine tuo, & reges in ſplendore ortus tui ..... Gens enim & regnum, quod non ſervierit tibi, peribit; & gentes ſolitudine vaſtabuntur..... Et venient ad te curvi filii eorum, qui humiliaverunt te, & adorabunt veſtigia pedum tuorum omnes, qui detrahebant tibi, & vocabunt te Civitatem Domini, Sion ſancti Iſrael. Pro eo, quod fuiſti derelicta, & odio habita, & non erat qui per te tranſiret, ponam te in ſuperbiam ſeculorum, gaudium in generationem & generationem, & ſuges lac gentium, & mamilla regum lactaberis, & ſcies quia ego Dominus ſalvans te, & redemtor tuus fortis Jacob..... Occupabit ſalus muros tuos, & portas tuas laudatio. Non erit tibi amplius Sol ad lucendum per diem, nec ſplendor Luna illuminabit te; ſed erit tibi Dominus in lucem ſempiternam, & Deus tuus in gloram tuam. Nec occidit ultra Sol tuus, & Luna tua non minuetur, quia erit tibi Dominus in lucem ſempiternam, & complebuntur dies luctus tui. Populus autem tuus omnes juſti in perpetuum hæreditabunt terram, germen plantationis meæ, opus manus meæ ad glorificandum.*

Iſa. 62, 1. & ſeq. *Propter Sion non tacebo, & propter Jeruſalem non quieſcam, donec egrediatur ut ſplendor Juſtus ejus, & Salvator ejus ut lampas accendatur. Et videbunt Gentes Juſtum tuum, & cuncti reges inclytum tuum; & vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominabit. Et eris corona gloriæ in manu Domini, & diadema regni in manu Dei tui. Non vocaberis ultra Derelicta, & terra tua non vocabitur amplius Deſolata; ſed vocaberis Voluntas mea in ea, & terra tua Inhabitata; quia complacuit Domino in te, & terra tua inhabitabitur..... Super muros tuos Jeruſalem conſtitui cuſtodes: tota die & tota nocte in perpetuum non tacebunt. Qui reminiſcimini Domini, ne taceatis, & ne detis ſilentium ei, donec ſtabiliat, & donec ponat Jeruſalem laudem in terra..... Tranſite, tranſite per portas, præparate viam populo, planum facite iter, eligite lapides, & elevate ſignum ad populos. Ecce Dominus auditum fecit in extremis terræ, dicite filiæ Sion, Ecce Salvator tuus venit, ecce merces ejus cum eo, & opus ejus coram illo, & vocabunt eos, Populus ſanctus, redemti a Domino. Tu autem vocaberis Quæſita civitas, & non Derelicta.*

Iſa. 65, 17. & ſeq. *Ecce enim ego creo cœlos novos, & terram novam; & non erunt in memoria priora, & non aſcendent ſuper cor. Sed gaudebitis & exultabitis usque in ſempiternum, his quæ ego creo: quia ecce ego creo Jeruſalem exultationem, & populum ejus gaudium: & exultabo in Jeruſalem, & gaudebo in populo meo; & non audietur in eo ultra vox fletus, & vox clamoris..... electi mei non laborabunt fruſtra, neque generabunt in conturbatione; quia ſemen benedictorum Domini eſt, & nepotes eorum coram eis. Eritque, antequam clament, ego exaudiam; adhuc illis loquentibus, ego audiam.*

Iſa. 66, 22. 23. *Quia ſicut cœli novi, & terra nova, quæ ego facio ſtare coram me, dicit Dominus; ſic ſtabit ſemen veſtrum, & nomen veſtrum. Et erit menſis ex menſe, & ſabbathum ex ſabbatho; veniet omnis caro, ut adoret coram facie mea, dicit Dominus.*

Jerem. 3, 14. & ſeq. *Convertimini, filii revertentes, dicit Dominus, quia ego vir veſter: & aſſumam vos unum de civitate, & duos de cognatione, & introducam vos in Sion. Et dabo*

ſecundum, ſapphirus; tertium, chalcedonius; quartum, ſmaragdus; quintum, ſardonix; ſextum, ſardius; ſeptimum, chryſolithus; octavum, beryllus; nonum, topazius; decimum, chryſopraſus; undecimum, hyacinthus; duodecimum, amethyſtus. Et duodecim portæ duodecim margaritæ ſunt, per ſingulas; ſingulæ portæ erant ex ſingulis margaritis, & platea civitatis aurum mundum, tanquam vitrum perlucidum. Et templum non vidi in ea: Dominus enim Deus omnipotens, templum illius eſt & Agnus. Et civitas non eget Sole, neque Luna, ut luceant in ea; nam claritas Dei illuminavit eum, & lucerna ejus eſt Agnus. Et ambulabunt gentes in lumine ejus; & reges terræ afferent gloriam ſuam, & honorem gentium in illam.

Digitized by Google

vobis pastores juxta cor meum, & pascent vos scientia & doctrina. Cumque multiplicati fueritis, & creveritis in terra in diebus illis, ait Dominus, non dicent ultra, Arca Testamenti Domini, neque ascendet super cor, neque recordabuntur illius, nec visitabitur, nec fiet ultra. In tempore illo vocabunt Jerusalem solium Domini, & congregabuntur ad eam omnes gentes in nomine Domini, in Jerusalem, & non ambulabunt post pravitatem cordis sui pessimi.

Ose. 2, 14. & seq. *Propter hoc ecce lactabo eam, & ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor ejus..... Et erit in die illa, ait Dominus, vocabit me Vir meus, & non vocabit me ultra Baalim: & auferam nomina Baalim de ore ejus, & non recordabitur ultra nominis eorum..... Et sponsabo te mihi in sempiternum, & sponsabo te mihi in justitia & judicio, & in misericordia & in miserationibus; sponsabo te mihi in fide, & scies quia ego Dominus. Et erit in die illa, Exaudiam, dicit Dominus, exaudiam cœlos, & illi exaudient terram..... Et miserebor ejus, quæ fuit sine misericordia: & dicam non populo meo, Populus meus es tu; & ipse dicet, Deus meus es tu.*

Soph. 3, 14. & seq. *Lauda, filia Sion, jubila, Israel, lætare, & exalta in omni corde, filia Jerusalem: abstulit Dominus judicium tuum, avertit inimicos tuos: Rex Israel Dominus in medio tui, non timebis malum ultra. In die illa dicetur Jerusalem, Noli timere; Sion, non dissolvantur manus tuæ: Dominus Deus tuus in medio tui fortis, ipse salvabit, gaudebit super te in justitia, silebit in dilectione sua, exultabit super te in laude.*

Zach. 2, 4. 5. *Et dixit ad eum, Curre, loquere ad puerum istum, dicens, Absque muro habitabitur Jerusalem, præ multitudine hominum & jumentorum in medio ejus: & ego ero ei, ait Dominus, murus ignis in circuitu, & in gloria ero in medio ejus.*

CAPUT CLI.

Jesu Ecclesia verax.

Psalm. 88, 6. *Confitebuntur cœli mirabilia tua, Domine: etenim veritatem tuam in Ecclesia sanctorum.*

Soph. 3, 13. *Reliquiæ Israel non facient iniquitatem, nec loquentur mendacium, & non invenietur in ore eorum lingua dolosa; quoniam ipsi pascentur, & accubabunt, & non erit qui exterreat.*

Zach. 8, 3. *Hæc dicit Dominus exercituum, Reversus sum ad Sion, & habitabo in medio Jerusalem, & vocabitur Jerusalem Civitas veritatis, & mons Domini exercituum, mons sanctificatus.*

Matth. 16, 18. *Et ego dico tibi, Quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & porta inferi non prævalebunt adversus eam.*

Eph. 5, 25. & seq. *Viri, diligite uxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aqua in verbo vitæ: ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta, & immaculata.*

1. Tim. 3, 14. 15. *Hæc tibi scribo, sperans me ad te venire cito: si autem tardavero, ut scias quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna & firmamentum veritatis.*

Apoc. 14, 5. *Hi emti sunt ex omnibus primitiæ Deo & Agno; & in ore eorum non est inventum mendacium; sine macula enim sunt ante thronum Dei.*

Apoc. 21, 9. & seq. *Et venit unus de septem Angelis habentibus phialas plenas septem plagis novissimis, & locutus est mecum, dicens, Veni, & ostendam tibi sponsam, uxorem Agni. Et sustulit me in spiritu in montem magnum & altum, & ostendit mihi civitatem sanctam Jerusalem descendentem de cœlo a Deo, habentem claritatem Dei..... Non intrabit in eam aliquid coinquinatum, aut abominationem faciens & mendacium, nisi qui scripti sunt in libro vitæ Agni.*

CAPUT CLII.

Sacerdotes Jesu.

Isa. 61, 6. *Vos autem Sacerdotes Domini vocabimini: Ministri Dei nostri dicetur vobis.*

Act. 14, 22. *Et cum constituissent illis per singulas Ecclesias Presbyteros, & orassent*

Digitized by Google

Isa. 62, 6. *Super muros tuos Jerusalem constitui custodes, tota die & tota nocte in perpetuum non tacebunt.*

Isa. 66, 20. & seq. *Et annuntiabunt gloriam meam gentibus, & adducent omnes fratres vestros de cunctis gentibus donum Domino, in equis, & in quadrigis, & in lectticis, & in mulis, & in carrucis, ad montem sanctum meum Jerusalem, dicit Dominus, quomodo si inferant filii Israel munus in vase mundo in domum Domini. Et assumam ex eis in Sacerdotes, & Levitas, dicit Dominus: sic stabit semen vestrum, & nomen vestrum.*

Jerem. 18, 18. *Non enim peribit Lex a Sacerdote, neque consilium a sapiente, nec sermo a Propheta.*

Jerem. 33, 17. & seq. *Quia hæc dicit Dominus, Non interibit de David vir qui sedeat super thronum domus Israel: & de Sacerdotibus & de Levitis non interibit vir a facie mea, qui offerat holocautomata, & incendat sacrificium, & cædat victimas omnibus diebus. Et factum est verbum Domini ad Jeremiam, dicens, Hæc dicit Dominus, Si irritum potest fieri pactum meum cum die, & pactum meum cum nocte, ut non sit dies & nox in tempore suo; & pactum meum irritum esse poterit cum David servo meo, ut non sit ex eo filius, qui regnet in throno ejus, & Levitæ, & Sacerdotes ministri mei. Sicuti enumerari non possunt stellæ cœli, & metiri arena maris; sic multiplicabo semen David servi mei, & Levitas ministros meos.*

Malach. 2, 7. *Labia enim Sacerdotis custodient scientiam, & Legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum est.*

cum jejunationibus, commendaverunt eos Domino, in quem crediderunt.

Act. 15, 2. & seq. *Facta ergo seditione non minima Paulo & Barnabæ adversus illos, statuerunt ut ascenderent Paulus & Barnabas, & quidam alii ex aliis, ad Apostolos & Presbyteros in Jerusalem super hac quæstione. ..... Cum autem venissent Jerosolymam, susceptí sunt ab Ecclesia, & ab Apostolis & Senioribus, annuntiantes quanta Deus fecisset cum illis.* Et Act. 15, 22. 23. 41. & 16, 4. & 21, 18. & Phil. 1, 1.

1. Tim. 3, 2. & seq. *Oportet ergo Episcopum irreprehensibilem esse .... Si quis autem domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit? .... Diaconos similiter pudicos.*

1. Tim. 5, 17. *Qui bene præsunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur; maxime qui laborant in verbo & doctrina.*

Tit. 1, 5. & seq. *Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea quæ desunt corrigas, & constituas per civitates Presbyteros, sicut & ego dispositi tibi: si quis sine crimine est, unius uxoris vir, filios habens fideles, non in accusatione luxuriæ, aut non subditos. Oportet enim Episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem.*

Jac. 5, 14. *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini.*

1. Petr. 2, 5. 9. *Et ipsi tanquam lapides vivi superædificamini, domus spiritualis sacerdotium sanctum offerre spirituales hostias acceptabiles Deo per Jesum Christum ..... Vos autem, genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis.*

Apoc. 1, 6. 7. *Qui dilexit nos, & lavit nos a peccatis nostris in sanguine, & fecit nos regnum, & Sacerdotes Deo & Patri suo.* Et Apoc. 5, 10.

Apoc. 20, 6. *Beatus & sanctus, qui habet partem in resurrectione prima: in his secunda mors non habet potestatem; sed erunt Sacerdotes Dei & Christi, & regnabunt cum illo mille annis.*

CAPUT CLIII.

Jesu Apostoli, pastores & doctores.

Isa. 30, 20. 21. *Et dabit vobis Dominus panem arctum, & aquam brevem; & non faciet avolare a te ultra doctorem tuum; & erunt oculi tui videntes præceptorem tuum. Et aures tua audient verbum post tergum*

Matth. 10, 5. 6. *Hos duodecim misit Jesus, præcipiens eis, dicens, In viam gentium ne abieritis, & in civitates Samaritanorum ne intraveritis; sed potius ite ad oves, quæ perierunt domus Israel.*

Joh. 21,

Digitized by Google

monentis, Hæc est via, ambulate in ea; & non declinetis neque ad dexteram, neque ad sinistram.

Isa. 62, 6. *Super muros tuos, Jerusalem, constitui custodes; tota die & tota nocte in perpetuum non tacebunt.*

Jerem. 3, 15. *Et dabo vobis pastores juxta cor meum, & pascent vos scientia & doctrina.*

Jerem. 23, 1. & seq. *Væ pastoribus, qui disperdunt & dilacerant gregem pascuæ meæ, dicit Dominus. Ideo hæc dicit Dominus Deus Israel ad pastores, qui pascunt populum meum, Vos dispersistis gregem meum, & ejecistis eos, & non visitastis eos; ecce ego visitabo super vos malitiam studiorum vestrorum, ait Dominus: & ego congregabo reliquias gregis mei de omnibus terris, ad quas ejecero vos illuc, & convertam eos ad rura sua, & crescent, & multiplicabuntur. Et suscitabo super eos pastores, & pascent eos; & non formidabunt ultra, & non pavebunt, & nullus quæretur ex numero, dicit Dominus.*

Joh. 21, 15. & seq. *Cum ergo prandissent, dicit Simoni Petro Jesus, Simon Johannis, diligis me plus his? Dicit ei, Etiam, Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei iterum, Simon Johannis diligis me? Ait illi, Etiam Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei, Pasce agnos meos. Dicit ei tertio, Simon Johannis, amas me? contristatus est Petrus, quia dixit ei tertio, Amas me? & dixit ei, Domine, tu omnia nosti; tu scis quia amo te. Dixit ei, Pasce oves meas.*

Act. 13, 1. *Erant autem in Ecclesia, quæ erat Antiochiæ, Prophetæ, & doctores.*

Act. 20, 28. *Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.*

1. Tim. 3, 2. *Oportet ergo Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem, doctorem.*

CAPUT CLIV.

Promulgatio Evangelii.

PSalm. 17, 45. *Populus, quem non cognovi, servivit mihi; in auditu auris obedivit mihi.*

Psalm. 67, 12. *Dominus dabit verbum evangelizantibus virtute multa.*

Isa. 2, 3. *Et ibunt populi multi, & dicent, Venite, & ascendamus ad montem Domini, & ad Dominum Dei Jacob, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis ejus; quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Jerusalem.* Et Mich. 4, 2.

Isa. 12, 3. & seq. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris, & dicetis in die illa, Confitemini Domino, & invocate nomen ejus, notas facite in populis adinventiones ejus, mementote quoniam excelsum est nomen ejus, cantate Domino, quoniam magnifice fecit, annuntiate hoc in universa terra.*

Isa. 40, 9. & seq. *Super montem excelsum ascende tu, qui evangelizas Sion; exalta in fortitudine vocem tuam, qui evangelizas Jerusalem; exalta, noli timere: dic civitatibus Juda, Ecce Deus vester, ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, & brachium ejus dominabitur: ecce merces ejus cum eo, & opus illius coram illo.*

MAtth. 10, 7. 27. *Euntes autem prædicate, dicentes, quia appropinquavit regnum cœlorum..... Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: & quod in aure auditis, prædicate super tecta.* Et Marc. 3, 14. Luc. 9, 2. & 12, 3.

Matth. 24, 14. *Et prædicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus, & tunc veniet consummatio.* Et Marc. 13, 10.

Matth. 26, 13. *Amen dico vobis, ubicunque prædicatum fuerit hoc Evangelium in toto mundo, dicetur & quod hæc fecit, in memoriam ejus.* Et Marc. 14, 9.

Matth. 28, 19. 20. *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, docentes eos servare omnia quæcunque mandavi vobis.*

Marc. 6, 12. *Et exeuntes prædicabant ut pœnitentiam agerent.*

Marc. 6, 15. 20. *Et dixit eis, Euntes in mundum universum prædicate evangelium omni creaturæ..... Illi autem profecti prædicaverunt ubique Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.*

Luc. 9, 6. *Egressi autem circuibant per castella, evangelizantes & curantes.*

Luc. 9,

Digitized by Google

Isa. 41, 27. *Primus ad Sion dicet, Ecce adsunt, & Jerusalem evangelistam dabo.*

Isa. 52, 7. & seq. *Quam pulchri super montes pedes annuntiantis & prædicantis pacem; annuntiantis bonum, prædicantis salutem, dicentis Sion, Regnabit Deus tuus! Vox speculatorum tuorum, levaverunt vocem, simul laudabunt, quia oculo ad oculum videbunt, cum converterit Dominus Sion..... Iste asperget gentes multas, super ipsum continebunt reges os suum, quia quibus non est narratum de eo, viderunt; & qui non audierunt, contemplati sunt.*

Isa. 53, 1. *Quis credidit auditui nostro & brachium Domini cui revelatum est?*

Isa. 66, 19. 20. *Et mittam ex eis, qui salvati fuerint, ad gentes, in mare, in Africam & Lydiam tendentes sagittam, in Italiam, & Græciam, ad insulas longe, ad eos, qui non audierunt de me, & non viderunt gloriam meam & annuntiabunt gloriam meam gentibus, & adducent omnes fratres vestros de cunctis gentibus donum Domino.*

Nahum. 1, 15. *Ecce super montes pedes evangelizantis & annuntiantis pacem. Celebra, Juda, festivitates tuas, & redde vota tua; quia non adjiciet ultra ut pertranseat in te Belial: universus interiit.*

Luc. 9, 60. *Dixitque ei Jesus, Sine ut mortui sepeliant mortuos suos: tu autem vade, & annuntia regnum Dei.*

Luc. 10, 8. 9. *Et in quamcunque civitatem intraveritis, & susceperint vos, manducate, quæ apponuntur vobis, & curate infirmos, qui in illa sunt, & dicite illis, Appropinquavit in vos regnum Dei.*

Luc. 16, 16. *Lex & Prophetæ usque ad Johannem: ex eo enim regnum Dei evangelizatur, & omnis in illud vim facit.*

Luc. 24, 46. 47. *Et dixit eis, Quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere a mortuis tertia die, & prædicari in nomine ejus pœnitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Hierosolyma.*

Act. 2, 14. & seq. *Stans autem Petrus cum Undecim, levavit vocem suam, & locutus est eis..... Viri Israelitæ, audite verba hæc, Jesum Nazarenum, virum approbatum a Deo in vobis, virtutibus, & prodigiis, & signis, quæ fecit Deus per illum in medio vestri, sicut & vos scitis, hunc definito consilio & præscientia Dei traditum, per manus iniquorum affligentes interemistis..... Qui ergo receperunt sermonem ejus, baptizati sunt in die illa animæ circiter tria millia..... Dominus autem augebat, qui salvi fierent quotidie in id ipsum.*

Et Act. 3, 12. & seq. & 4, 10. 18. 31. 33. & 10, 34. & seq. & 13, 16. & seq.

Act. 4, 1. & seq. *Loquentibus autem illis ad populum, supervenerunt Sacerdotes, & magistratus Templi, & Sadducæi, dolentes quod docerent populum, & annuntiarent in Jesu resurrectionem ex mortuis..... Multi autem eorum, qui audierant verbum, crediderunt, & factus est numerus virorum quinque millia.*

Act. 5, 21. & seq. *Qui cum audissent, intraverunt diluculo in Templum, & docebant..... ..... Et interrogavit Princeps Sacerdotum, dicens, Præcipiendo præcipimus vobis ne doceretis in nomine isto; & ecce replestis Jerusalem doctrina vestra, & vultis inducere super nos sanguinem hominis istius..... Et convocantes Apostolos, cæsis denuntiaverunt ne omnia loquerentur in nomine Jesu, & dimiserunt eos. Et illi quidem ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati. Omni autem die non cessabant in Templo & circa domos docentes, & evangelizantes Christum Jesum.*

Act. 8, 4. & seq. *Igitur qui dispersi erant, pertransibant evangelizantes verbum Dei. Philippus autem descendens in civitatem Samariæ, prædicabat illis Christum. Intendebant autem turbæ his, quæ a Philippo dicebantur, unanimiter audientes & videntes signa, quæ faciebat... ... Cum vero credidissent Philippo evangelizanti de regno Dei, in nomine Jesu Christi baptizabantur viri ac mulieres..... Et illi quidem testificati, & locuti verbum Domini, redibant Jerosolymam, & multis regionibus Samaritanorum evangelizabant..... Aperiens autem Philippus os suum, & incipiens a Scriptura ista, evangelizavit illi Jesum..... Philippus autem inventus est in Azoto, & pertransiens evangelizabat civitatibus cunctis.* Et Act. 21, 8.

Act. 9, 20. *Et continuo in Synagogis prædicabat Jesum, quoniam hic est Filius Dei.* Et Act. 16, 9. & seq. & 17, 1. & seq. per totum caput. & 18, 4. & seq. & 19, 8. & seq. & 20, 7. 20. & seq. & 22, 1. & seq. & 26, 20. & 28, 23. 31.

Act. 10,

Digitized by Google

Act. 10, 42. *Et præcepit nobis prædicare populo, & testificari, quia ipse est, qui constitutus est a Deo judex vivorum & mortuorum.*

Act. 11, 20. & seq. *Erant autem quidam ex eis viri Cyprii & Cyrenæi, qui cum introissent Antiochiam, loquebantur & ad Græcos, annuntiantes Dominum Jesum. Et erat manus Domini cum eis, multusque numerus credentium conversus est ad Dominum. Pervenit autem sermo ad aures Ecclesiæ, quæ erat Jerosolymis, super istis: & miserunt Barnabam usque ad Antiochiam ..... & apposita est multa turba Domino. Profectus est autem Barnabas Tarsum, ut quæreret Saulum: quem cum invenisset, perduxit Antiochiam: & annum totum conversati sunt ibi in Ecclesia. Et docuerunt turbam multam, ita ut cognominarentur primum Antiochiæ Discipuli Christiani.* Et Act. 13, 5. & 14, 16. 20. & seq. & 15, 35. & seq.

Act. 18, 24. & seq. *Judæus autem quidam, Apollo nomine, Alexandrinus genere, vir eloquens, devenit Ephesum, potens in Scripturis. Hic erat edoctus viam Domini, & fervens spiritu loquebatur, & docebat diligenter ea, quæ sunt Jesu, sciens tantum baptisma Johannis. Hic ergo cœpit fiducialiter agere in Synagoga.*

Rom. 1, 1. & seq. *Paulus servus Jesu Christi, vocatus Apostolus, segregatus in Evangelium Dei ..... testis enim mihi est Deus, cui servio in spiritu meo in Evangelio Filii ejus... ... ita (quod in me) promtum est & vobis, qui Romæ estis, evangelizare: non enim erubesco Evangelium.* Et Rom. 2, 16. & 10, 8. & 1. Cor. 1, 17. & 2, 1. & seq. & 4, 15. & 9, 12. & seq. & 15, 1. & seq. & 2. Cor. 2, 12. & 4, 3. & seq. & 10, 14. 16. & 11, 4. 7. Gal. 1, 6. & seq. & 2, 2. & seq. & 4, 13. Eph. 3, 6. & seq. & 6, 19. Phil. 1, 5. & seq. & 4. 15. & 1. Thess. 1, 5. & 2, 4. & seq. & 2. Thess. 2, 13. & 1. Timoth. 1, 11. & 2, 7. & 2. Tim. 1, 10. 11. & 2, 8. 9. & 4, 17. Tit. 1, 3. Philem. 13.

Rom. 10, 14. & seq. *Quomodo ergo invocabunt in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante? Quomodo vero prædicabunt, nisi mittantur? sicut scriptum est, Quam speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona! Sed non omnes obediunt Evangelio; Isaias enim dicit, Domine, quis credidit auditui nostro? Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi. Sed dico, Numquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exivit sonus eorum.*

Rom. 15, 19. 20. *Ita ut ab Jerusalem per circuitum, usque ad Illyricum, repleverim Evangelium Christi. Sic autem prædicavi Evangelium hoc, non ubi nominatus est Christus, ne super alienum fundamentum ædificarem.*

1. Cor. 1, 21. & seq. *Nam quia in Dei sapientia non cognovit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes. Quoniam & Judæi signa petunt, & Græci sapientiam quærunt: nos autem prædicamus Christum crucifixum.*

2. Cor. 1, 19. *Dei enim Filius Jesus Christus, qui in vobis per nos prædicatus est, per me, & Sylvanum, & Timotheum, non fuit Est & Non, sed Est in illo fuit.* Et Phil. 2, 22. & 1. Thess. 3, 2. & 2. Tim. 1, 8. & 4, 2. 5.

2. Cor. 8, 18. *Misimus etiam cum illo fratrem, cujus laus est in Evangelio per omnes Ecclesias.*

Eph. 1, 13. *In quo & vos, cum audissetis verbum veritatis, Evangelium salutis vestræ, in quo credentes signati estis Spiritu promissionis sancto.*

Eph. 4, 11. *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores.*

Phil. 1, 12. & seq. *Scire autem vos volo, Fratres, quia quæ circa me sunt magis ad profectum venerunt Evangelii; ita ut vincula mea manifesta fierent in Christo, in omni prætorio, & in cæteris omnibus; & plures a fratribus in Domino confidentes vinculis meis, abundantius auderent sine timore verbum Dei loqui. Quidam quidem & propter invidiam & contentionem, quidam autem & propter bonam voluntatem Christum prædicant; quidam ex charitate, scientes quoniam in defensionem Evangelii positus sum. Quidam autem ex contentione Christum annuntiant non sincere, existimantes pressuram se suscitare vinculis meis. Quid enim? dum omni modo, sive per occasionem, sive per veritatem, Christus annuntietur, & in hoc gaudeo, sed & gaudebo.*

Digitized by Google

Philipp. 4, 2. 3. *Evodiam rogo, & Syntychen deprecor, idipsum sapere in Domino. Etiam rogo & te, germane compar, adjuva illas quæ mecum laboraverunt in Evangelio cum Clemente, & cæteris adjutoribus meis, quorum nomina sunt in libro vitæ.*

Col. 1, 5. & seq. *Propter spem, quæ reposita est vobis in cœlis, quam audistis in verbo veritatis Evangelii, quod pervenit ad vos, sicut & in universo mundo est, & fructificat, & crescit ..... si tamen permanetis, in fide fundati, & stabiles, & immobiles a spe Evangelii, quod audistis, quod prædicatum est in universa creatura, quæ sub cœlo est, cujus factus sum ego Paulus minister.*

1. Tim. 3, 16. *Et manifeste magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est gentibus, creditum est in mundo, assumtum est in gloria.*

1. Petr. 1, 12. 25. *Quia non sibimetipsis, vobis autem ministrabant ea, quæ nunc nunciata sunt vobis ..... Verbum autem Domini manet in æternum; hoc est autem verbum, quod evangelizatum est in vos.*

1. Joh. 1, 1. & seq. *Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectaverunt de verbo vitæ, & vita manifestata est, & vidimus, & testamur, & annuntiamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis: quod vidimus & audivimus, annuntiamus vobis, ut & vos societatem habeatis nobiscum, & societas nostra sit cum Patre, & cum Filio ejus Jesu Christo. Et hæc scribimus vobis, ut gaudeatis, & gaudium vestrum sit plenum. Et hæc est annunciatio, quam audivimus ab eo, & annuntiamus vobis.*

CAPUT CLV.

Discipuli Jesu, testes ejus.

ISa. 43, 10. 12. *Vos testes mei, dicit Dominus, & servus meus quem elegi .... Ego autem annuntiavi, & salvavi: auditum feci, & non fuit a vobis alienus; vos testes mei, dicit Dominus, & ego Deus.*

Isa. 44, 8. *Nolite timere, neque conturbemini: & tunc audire te feci, & annuntiavi; vos estis testes mei.*

MAtth. 10, 18. *Ad præsides & ad reges ducemini propter me, in testimonium illis & gentibus.* Et Marc. 13, 9.

Luc. 24, 45. & seq. *Tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas, & dixit eis, quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere a mortuis tertia die, & prædicari in nomine ejus pœnitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Jerosolyma. Vos autem testes horum.*

Joh. 1, 6. & seq. *Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Johannes: hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum. Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine ..... Johannes testimonium perhibet de ipso, & clamat, dicens, Hic erat quem dixi: qui post me venturus est, ante me factus est, quia prior me erat ..... Et testimonium perhibuit Johannes, dicens, Quia vidi Spiritum descendentem quasi columbam de cœlo, & mansit super eum. Et ego nesciebam eum, sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit, Super quem videris Spiritum descendentem & manentem super eum, hic est, qui baptizat in Spiritu sancto. Et ego vidi, & testimonium perhibui, quia hic est Filius Dei.* Et Joh. 3, 26. & 5, 33.

Joh. 12, 17. *Testimonium ergo perhibebat turba, quæ erat cum eo, quando Lazarum vocavit de monumento.*

Joh. 15, 26. 27. *Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me, & vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis.*

Joh. 19, 34. 35. *Sed unus militum lancea latus ejus aperuit, & continuo exivit sanguis & aqua. Et qui vidit testimonium perhibuit, & verum est testimonium ejus.* Et Joh. 21, 24.

Act. 1, 8. *Sed accipietis virtutem supervenientis Spiritus sancti in vos, & eritis mihi testes in Jerusalem, & in omni Judæa, & Samaria, & usque ad ultimum terræ.*

Act. 1,

Digitized by Google

Act. 1, 21. 22. *Oportet ergo ex his viris, qui nobiscum sunt congregati in omni tempore, quo intravit & exivit inter nos Dominus Jesus, incipiens a baptismate Johannis, usque in diem qua assumtus est a nobis, testem resurrectionis ejus nobiscum fieri unum ex istis.*

Act. 2, 32. *Hunc Jesum resuscitavit Deus, cujus omnes nos testes sumus.* Et Act. 3, 15. & 4, 33.

Act. 5, 31. 32. *Hunc Principem & Salvatorem Deus exaltavit dextera sua, ad dandam pœnitentiam Israeli, & remissionem peccatorum; & nos sumus testes horum verborum, & Spiritus sanctus quem dedit Deus omnibus obedientibus sibi.*

Act. 10, 39. & seq. *Et nos testes sumus omnium quæ fecit in regione Judæorum & Jerusalem, quem occiderunt suspendentes in ligno. Hunc Deus suscitavit tertia die, & dedit eum manifestum fieri, non omni populo, sed testibus præordinatis a Deo; nobis qui manducavimus & bibimus cum illo, postquam resurrexit a mortuis.* Et Act. 13, 30. 31.

Act. 22, 14. 15. *At ille dixit, Deus Patrum nostrorum præordinavit te, ut cognosceres voluntatem ejus, & videres Justum, & audires vocem ex ore ejus; quia eris testis illius ad omnes homines, eorum quæ vidisti & audisti.* Et Act. 26, 16.

Act. 22, 20. *Et cum funderetur sanguis Stephani testis tui, ego adstabam, & consentiebam, & custodiebam vestimenta interficientium illum.*

2. Tim. 1, 8. *Noli itaque erubescere testimonium Domini nostri.*

1. Petr. 5, 1. *Seniores ergo, qui in vobis sunt, obsecro consenior & testis Christi passionum.*

1. Joh. 1, 1. 2. *Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostra contrectaverunt, de verbo vitæ, & vita manifestata est, & vidimus, & testamur.*

Apoc. 1, 1. 2. 9. *Apocalypsis Jesu Christi, quam dedit illi Deus palam facere servis suis, quæ oportet fieri cito, & significavit, mittens per Angelum servo suo Johanni, qui testimonium perhibuit verbo Dei, & testimonium Jesu Christi, quæcunque vidit..... Ego Johannes frater vester, & particeps in tribulatione, & regno, & patientia in Christo Jesu, fui in insula, quæ appellatur Patmos, propter verbum Dei, & testimonium Jesu.* Apoc. 6, 9. & 20, 4.

Apoc. 2, 13. *Et in diebus illis Antipas, testis meus fidelis, qui occisus est apud vos, ubi Satanas habitat.*

CAPUT CLVI.

Martyria Discipulorum Jesu.

PSalm. 33, 18. & seq. *Clamaverunt Justi, & Dominus exaudivit eos, & ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos. Juxta est Dominus iis qui tribulato sunt corde, & humiles spiritu salvabit. Multa tribulationes Justorum, & de omnibus his liberabit eos Dominus.*

Psalm. 43, 11. & seq. *Avertisti nos retrorsum post inimicos nostros, & qui oderunt nos diripiebant sibi. Dedisti nos tanquam oves escarum, & in gentibus dispersisti nos.... Hæc omnia venerunt super nos, nec obliti sumus te, & inique non egimus in testamento tuo & non recessit retro cor nostrum, & declinasti semitas nostras a vita tua: quoniam humiliasti nos in loco afflictionis, & cooperuit nos umbra mortis.... Quoniam propter te mortificamur tota die; æstimati sumus sicut oves occisionis..... quoniam humiliata est in*

MAtth. 10, 16. & seq. *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum. Estote ergo prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. Cavete autem ab hominibus: tradent enim vos in conciliis, & in Synagogis suis flagellabunt vos: & ad Præsides, & ad Reges ducemini propter me in testimonium illis & gentibus.* Et Luc. 10, 3. & 21, 16. & seq.

Matth. 23, 34. & seq. *Ideo ecce ego mitto ad vos Prophetas, & Sapientes, & Scribas: & ex illis occidetis, & crucifigetis, & ex eis flagellabitis in Synagogis vestris, & persequemini de civitate in civitatem, ut veniat super vos omnis sanguis justus, qui effusus est super terram, a sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariæ, filii Barachiæ, quem occidistis inter Templum & altare.* Et Luc. 11, 47. & seq. & 21, 12. 13.

Digitized by Google

pulvere anima noſtra, conglutinatus eſt in terra venter noſter.

Pſal. 65, 10. & ſeq. *Quoniam probaſti nos, Deus; igne nos examinaſti, ſicut examinatur argentum: induxiſti nos in laqueum, poſuiſti tribulationes in dorſo noſtro, impoſuiſti homines ſuper capita noſtra: tranſivimus per ignem & & per aquam, & eduxiſti nos in refrigerium.*

Pſalm. 78, 1. & ſeq. *Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt Templum ſanctum tuum, poſuerunt Jeruſalem in pomorum cuſtodiam: poſuerunt morticina ſervorum tuorum, eſcas volatilibus cœli; carnes ſanctorum tuorum beſtiis terræ: effuderunt ſanguinem eorum, tanquam aquam in circuitu Jeruſalem, & non erat qui ſepeliret ..... Ultio ſanguinis ſervorum tuorum qui effuſus eſt; introeat in conſpectu tuo gemitus compeditorum.*

Pſal. 123, 1. & ſeq. *Niſi quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Iſrael, niſi quia Dominus erat in nobis, cum exſurgerent homines in nos, forte vivos deglutiſſent nos; cum iraſceretur furor eorum in nos, forſitan aquâ abſorbuiſſet nos. Torrentem pertranſivit anima noſtra; forſitan pertranſiſſet anima noſtra aquam intolerabilem. Benedictus Dominus, qui non dedit nos in captionem dentibus eorum. Anima noſtra, ſicut paſſer, erepta eſt de laqueo venantium: laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus.*

Thren. 4, 19. 20. *Velociores fuerunt perſecutores noſtri aquilis cœli: ſuper montes perſecuti ſunt nos, in deſerto inſidiati ſunt nobis. Spiritus oris noſtri Chriſtus Dominus captus eſt in peccatis noſtris; cui diximus, in umbra tua vivemus in gentibus.*

Zach. 13, 7. *Framea, ſuſcitare ſuper paſtorem meum, & ſuper virum cohærentem mihi, dicit Dominus exercituum. Percute paſtorem, & diſpergentur oves; convertam manum meam ad parvulos. Et erunt in omni terra, dicit Dominus: partes duæ in ea diſpergentur, & deficient, & tertia pars relinquetur in ea: & ducam tertiam partem per ignem, & uram eos ſicut uritur argentum; & probabo eos, ſicut probatur aurum.*

Matth. 24, 9. 10. *Tunc tradent vos in tribulationem, & occident vos; & eritis odio omnibus gentibus, propter nomen meum; & tunc ſcandalizabuntur multi, & invicem tradent, & odio habebunt invicem.* Et Marc. 13, 11. & ſeq. Joh. 16, 2.

Act. 4, 1. & ſeq. *Loquentibus autem illis ad populum, ſupervenerunt Sacerdotes, & magiſtratus Templi, & Sadducæi, dolentes quod docerent populum, & annuntiarent in Jeſu reſurrectionem ex mortuis, & injecerunt in eos manus, & poſuerunt eos in cuſtodiam.*

Act. 5, 40. 41. *Et convocantes Apoſtolos, cæſis denunciaverunt, ne omnino loquerentur in nomine Jeſu, & dimiſerunt eos. Et illi quidem ibant gaudentes a conſpectu concilii, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Jeſu contumeliam pati.*

Act. 6, 12. & 7, 57. & ſeq. *Commoverunt itaque plebem, & Seniores, & Scribas, & concurrentes rapuerunt eum, & adduxerunt in concilium .... & ejicientes eum extra civitatem lapidabant..... Lapidabant Stephanum invocantem, & dicentem, Domine Jeſu, ſuſcipe ſpiritum meum. Poſitis autem genibus clamavit voce magna, dicens, Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum. Et cum hoc dixiſſet, obdormivit in Domino.*

Act. 8, 1. 3. *Factum eſt autem in illa die perſecutio magna in Eccleſia, quæ erat Jeroſolymis, & omnes diſperſi ſunt per regiones Judææ, & Samariæ, præter Apoſtolos ..... Saulus autem devaſtabat Eccleſiam, per domos intrans, & trahens viros ac mulieres tradebat in cuſtodiam.* Et Act. 22, 19.

Act. 9, 15. 16. *Dixit autem ad eum Dominus, Vade, quoniam vas electionis eſt mihi iſte, ut portet nomen meum coram Gentibus, & regibus, & filiis Iſrael. Ego enim oſtendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati.* Et Act. 20, 19.

Act. 12, 1. & ſeq. *Eodem autem tempore miſit Herodes rex manus, ut affligeret quosdam de Eccleſia. Occidit autem Jacobum fratrem Johannis gladio. Videns autem quia placeret Judæis, poſuit ut apprehenderet & Petrum. Erant autem dies azymorum. Quem cum apprehendiſſet, miſit in carcerem, tradens quatuor quaternionibus militum cuſtodiendum; volens poſt paſcha producere eum populo.*

Act. 14, 18. *Supervenerunt autem quidam ab Antiochia & Iconio Judæi: & perſuaſis turbis, lapidantesque Paulum, traxerunt extra civitatem, exiſtimantes eum mortuum eſſe.*

Act. 16, 19. & ſeq. *Apprehendentes Paulum & Silam perduxerunt in forum ad Principes, & offe-*

Digitized by Google

& offerentes eos magiſtratibus dixerunt, Hi homines conturbant civitatem noſtram, cum ſint Judæi; & annuntiant morem, quem non licet nobis ſuſcipere, neque facere, cum ſimus Romani. Et cucurrit plebs adverſus eos, & magiſtratus, & ſciſſis tunicis eorum, juſſerunt eos virgis cædi: & cum multas plagas eis impoſuiſſent, miſerunt eos in carcerem, præcipientes cuſtodi, ut diligenter cuſtodiret eos. Qui cum tale præceptum accepiſſet, miſit eos in interiorem carcerem, & pedes eorum ſtrinxit ligno.

Act. 21, 30. 33. *Et apprehendentes Paulum, trahebant eum extra Templum..... Tunc accedens Tribunus apprehendit eum, & juſſit eum alligari catenis duabus.*

Act. 22, 24. 25. *Juſſit Tribunus induci eum in caſtra, & flagellis cædi, & torqueri eum, ut ſciret propter quam cauſſam ſic acclamarent ei. Et cum adſtrinxiſſent eum loris, dicit adſtanti ſibi Centurioni Paulus, Si hominem Romanum & indemnatum licet vobis flagellare?*

Act. 23, 1. 2. *Intendens autem in concilium Paulus ait, Viri fratres, ego omni conſcientia bona converſatus ſum ante Deum usque in hodiernum diem. Princeps autem Sacerdotum Ananias præcipit aſtantibus ſibi, percutere os ejus.*

Rom. 8, 35. 36. *Quis ergo nos ſeparabit a charitate Chriſti? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an perſecutio? an gladius? ſicut ſcriptum eſt, quia propter te mortificamur tota die, æſtimati ſumus ſicut oves occiſionis.*

1. Cor. 4, 9. & ſeq. *Puto enim quod Deus nos Apoſtolos noviſſimos oſtendit, tanquam morti deſtinatos, quia ſpectaculum facti ſumus mundo, & Angelis, & hominibus..... Usque in hanc horam & eſurimus, & ſitimus, & nudi ſumus, & colaphis cædimur, & inſtabiles ſumus, & laboramus operantes manibus noſtris; maledicimur, & benedicimus; perſecutionem patimur, & ſuſtinemus; blaſphemamur, & obſecramus; tanquam purgamenta hujus mundi facti ſumus, omnium peripſema usque adhuc.*

1. Cor. 15, 31. 32. *Quotidie morior per veſtram gloriam, Fratres, quam habeo in Chriſto Jeſu Domino noſtro. Si (ſecundum hominem) ad beſtias pugnavi Epheſi, quid mihi prodeſt, ſi mortui non reſurgunt?*

2. Cor. 1, 5. 6. *Quoniam ſicut abundant paſſiones Chriſti in nobis, ita & per Chriſtum abundat conſolatio noſtra. Sive autem tribulamur pro veſtra exhortatione & ſalute, ſive conſolamur pro veſtra conſolatione, ſive exhortamur pro veſtra exhortatione & ſalute, quæ operatur tolerantiam earumdem paſſionum, quas & nos patimur.*

2. Cor. 4, 8. & ſeq. *In omnibus tribulationem patimur, ſed non anguſtiamur: aporiamur, ſed non deſtituimur; perſecutionem patimur, ſed non derelinquimur: dejicimur, ſed non perimus; ſemper mortificationem Jeſu in corpore noſtro circumferentes, ut & vita Jeſu manifeſtetur in corporibus noſtris. Semper enim nos qui vivimus in mortem tradimur propter Jeſum, ut & vita Jeſu manifeſtetur in carne noſtra mortali.*

2. Cor. 6, 4. & ſeq. *Sed in omnibus exhibeamus noſmetipſos ſicut Dei miniſtros in multa patientia, in tribulationibus, in neceſſitatibus, in anguſtiis, in plagis, in carceribus, in ſeditionibus, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, in caſtitate.... per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam, ut ſeductores & veraces, ſicut qui ignoti & cogniti; quaſi morientes, & ecce vivimus; ut cæſtigati, & non mortificati; quaſi triſtes, ſemper autem gaudentes; ſicut egentes, multos autem locupletantes; tanquam nihil habentes, & omnia poſſidentes.*

2. Cor. 11, 23. & ſeq. *Miniſtri Chriſti ſunt, (ut minus ſapiens dico) plus ego: in laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis ſupra modum, in mortibus frequenter. A Judæis quinquies, quadragenas, una minus, accepi. Ter virgis cæſus ſum, ſemel lapidatus ſum, ter naufragium feci, nocte & die in profundo maris fui; in itineribus ſæpe, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in civitate, periculis in ſolitudine, periculis in mari, periculis in falſis fratribus: in labore & ærumna, in vigiliis multis, in fame & ſiti, in jejuniis multis, in frigore & nuditate: præter illa quæ extrinſecus ſunt: inſtantia mea quotidiana, ſolicitudo omnium Eccleſiarum.* Et 2. Cor. 1, 10. & 4, 11.

Digitized by Google

Gal. 6, 17. *De cætero nemo mihi molestus sit: ego enim stigmata Domini Jesu in corpore meo porto.* Et Phil. 3, 10. & 2. Tim. 2, 11. 12. & 1. Petr. 4, 13.

Coloss. 1, 24. *Qui nunc gaudeo in passionibus pro vobis, & adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea, pro corpore ejus, quod est Ecclesia.*

1. Thess. 2, 14. 15. *Vos enim imitatores facti estis, Fratres, Ecclesiarum Dei quæ sunt in Judæa, in Christo Jesu: quia eadem passi estis & vos contribulibus vestris, sicut & ipsi a Judæis, qui & Dominum occiderunt Jesum, & Prophetas, & nos persecuti sunt.*

Ebr. 10, 32, 33. *Rememoramini autem pristinos dies, in quibus illuminati magnum certamen sustinuistis passionum: & in altero quidem opprobriis & tribulationibus spectaculum facti; in altero autem socii taliter conversantium effecti: nam & vinctis compassi estis, & rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, cognoscentes vos habere meliorem & manentem substantiam.*

CAPUT CLVII.

Concordia Discipulorum Jesu.

JErem. 32, 38. 39. *Et erunt mihi in populum, & ego ero eis in Deum. Et dabo eis cor unum, & viam unam, ut timeant me universis diebus.*

Ezech. 11, 19. 20. *Et dabo eis cor unum, & spiritum novum tribuam in visceribus eorum, & auferam cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum, ut in præceptis meis ambulent, & judicia mea custodiant, faciantque ea, & sint mihi in populum, & ego sim eis in Deum.*

Soph. 3, 9. *Quia tunc reddam populis labium electum, ut invocent omnes in nomine Domini, & serviant ei humero uno.*

MAtth. 22, 34. & seq. *Pharisæi autem audientes quod silentium imposuisset Sadducæis, convenerunt in unum, & interrogavit eum unus ex eis Legis doctor, tentans eum, Magister, quod est mandatum magnum in Lege? Ait illi Jesus, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Hoc est maximum & primum mandatum. Secundum autem simile est huic, Diliges proximum tuum sicut teipsum. In his duobus mandatis universa Lex pendet & Prophetæ.* Et Marc. 12, 28. & seq. Luc. 10, 25. & seq. Rom. 13, 8. 9. Gal. 5, 14. 1. Thess. 4, 9. Jac. 2, 8. & 1. Petr. 1, 22. & 1. Joh. 2, 9. & seq. & 3, 11. & seq. & 4, 7. & seq. & 2. Joh. 5.

Luc. 13, 34. 35. *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos, ut & vos diligatis invicem. In hoc cognoscent omnes, quia Discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* Et 15, 12. 17.

Act. 1, 14. *Hi omnes erant perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus, & Maria matre Jesu, & fratribus ejus.*

Act. 2, 44. 46. *Omnes etiam qui credebant, erant pariter, & habebant omnia communia. .... Quotidie quoque perdurantes unanimiter in Templo.*

Act. 4, 32. *Multitudinis autem credentium erat cor unum & anima una; nec quisquam eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia.*

CAPUT CXLVIII.

Vocatio gentium.

GEn. 12, 1. & seq. *Dixit autem Dominus ad Abram ..... In te benedicentur universæ cognationes terræ.* Et Gen. 18, 18.

Gen. 22, 15. 18. *Vocavit autem Angelus Domni Abraham secundo de cœlo, dicens, ... Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ.* Et Gen. 26, 4. & 28, 14.

Gen. 49, 10. *Non auferetur sceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, & ipse eris expectatio gentium.*

MAtth. 2, 1. & seq. *Cum ergo natus esset Jesus in Bethlehem Juda, in diebus Herodis regis, ecce Magi ab oriente venerunt Jerosolymam, dicentes, Ubi est qui natus est rex Judæorum? Vidimus enim stellam ejus in oriente, & venimus adorare eum.*

Matth. 3, 9. *Et ne velitis dicere intra vos, Patrem habemus Abraham; dico enim vobis, quoniam potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.*

Matth. 8,

Digitized by Google

Deut. 28, 43. *Advena qui tecum versatur in terra, ascendet super te, eritque sublimior; tu autem descendes, & eris inferior ... Ipse erit in caput, & tu eris in caudam.*

Deut. 32, 21. *Ipsi me provocaverunt in eo, qui non erat Deus, & irritaverunt in vanitatibus suis; & ego provocabo eos in eo, qui non est populus, & in gente stulta irritabo illos.*

1. Reg. 2, 3. & seq. *Nolite multiplicare loqui sublimia gloriantes: recedant vetera de ore vestro ..... Arcus fortium superatus est, & infirmi accincti sunt robore ..... donec sterilis peperit plurimos; & quæ multos habebat filios, infirmata est ..... Dominus judicabit fines terræ, & dabit imperium regi suo, & sublimabit cornu Christi sui.*

2. Reg. 22, 44. *Custodies me in caput gentium; populus quem ignoro serviet mihi.*

2. Reg. 22, 50. *Propterea confitebor tibi, Domine, in gentibus.*

Psalm. 2, 8. *Postula a me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.*

Psalm. 17, 44. & seq. *Eripies me de contradictionibus populi, constitues me in caput gentium. Populus quem non cognovi, servivit mihi, in auditu auris obedivit mihi.*

Psalm. 21, 28. & seq. *Reminiscentur & convertentur ad Dominum universi fines terræ, & adorabunt in conspectu ejus universæ familiæ gentium; quoniam Domini est regnum, & ipse dominabitur gentium.*

Psalm. 44, 17. *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii: constitues eos principes super omnem terram.*

Psalm. 46, 9. *Regnabit Deus super gentes.*

Psalm. 66, 5. *Lætentur & exultent gentes, quoniam judicas populos in æquitate, & gentes in terra dirigis.*

Psalm. 67, 32. 33. *Venient legati ex Ægypto, Æthiopia præveniet manus ejus Deo. Regna terræ cantate Deo.*

Psalm. 71, 8. & seq. *Et dominabitur a mari usque ad mare, & a flumine usque ad terminos orbis terrarum. Coram illo procident Æthiopes, & inimici ejus terram lingent. Reges Tharsis & insulæ munera offerent; Reges Arabum & Saba dona adducent: & adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes servient ei ... & vivet, & dabitur ei de auro Arabiæ, & adorabunt de ipso semper; tota die benedicent ei ..... & benedicentur in ipso omnes tribus terræ; omnes gentes magnificabunt eum.*

Matth. 8, 5. & seq. *Cum autem introisset Capharnaum, accessit ad eum Centurio rogans, & dicens, Domine, puer meus jacet in domo paralyticus, & male torquetur. Et ait illi Jesus, Ego veniam, & curabo eum. Et respondens centurio ait, Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, & sanabitur puer meus: nam & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites, & dico huic, Vade, & vadit; & alii, Veni, & venit; & servo meo, Fac hoc, & facit. Audiens autem Jesus, miratus est, & sequentibus se dixit, Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israel: dico autem vobis, quod multi ab oriente & occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Jacob, in regno cœlorum: filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores: ibi erit fletus & stridor dentium. Et dixit Jesus Centurioni, Vade, & sicut credidisti fiat tibi.* Et Luc. 7, 2. & seq.

Matth. 10, 18. *Ad præsides & ad reges ducemini propter me, in testimonium illis & gentibus.*

Matth. 12, 17. & seq. *Ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam prophetam, dicentem, Ecce puer meus quem elegi, dilectus meus in quo bene complacuit anima mea: ponam spiritum meum super eum, & judicium gentibus nuntiabit. Non contendet, neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem ejus: arundinem quassatam non confringet, & linum fumigans non extinguet, donec ejiciat ad victoriam judicium; & in nomine ejus gentes sperabunt.*

Matth. 15, 21. & seq. *Et egressus inde Jesus secessit in partes Tyri & Sydonis. Et ecce mulier Chananæa a finibus illis egressa clamavit, dicens ei, Miserere mei, Domine, fili David; filia mea male a Dæmonio vexatur .... Qui respondens ait, Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus. At illa dixit, Etiam, Domine, nam catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum. Tunc respondens Jesus ait illi, O mulier, magna est fides tua; fiat tibi sicut vis. Et sanata est filia ejus ex hora illa.* Et Marc. 7, 24.

Matth. 21, 40. 41. *Cum ergo veniet Dominus vineæ, quid faciet agricolis illis? Ajunt illi, Malos male perdet, vineam suam locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus suis.* Et Marc. 12, 9. Luc. 20, 16.

Matth. 24,

Digitized by Google

Psalm. 81, 8. *Surge, Deus, judica terram; quoniam tu hæreditabis in omnibus gentibus.*

Psalm. 85, 9. *Omnes gentes, quascunque fecisti, venient, & adorabunt coram te, Domine, & glorificabunt nomen tuum.*

Psalm. 86, 2. & seq. *Gloriosa dicta sunt de te, Civitas Dei. Memor ero Rahab & Babylonis scientium me: ecce alienigenæ, & Tyrus, & populus Æthiopum, hi fuerunt illic. Numquid Sion dicet, Homo, & homo natus est in ea, & ipse fundavit eam Altissimus? Dominus narrabit in scripturis populorum & principum, horum qui fuerunt in ea.*

Psalm. 95, 3. & seq. *Annuntiate inter gentes gloriam ejus, in omnibus populis mirabilia ejus..... Afferte Domino, patriæ gentium, afferte Domino gloriam & honorem, afferte Domino gloriam nomini ejus; tollite hostias, & introite in atria ejus; adorate Dominum in atrio sancto ejus; commoveatur a facie ejus universa terra; dicite in gentibus, quia Dominus regnavit. Etenim correxit orbem terræ, qui non commovebitur: judicabit populos in æquitate.*

Psalm. 97, 3. 4. *Notum fecit Dominus salutare suum; in conspectu gentium revelavit justitiam suam .... Viderunt omnes termini terræ salutare Dei nostri.*

Psalm. 101, 16. *Et timebunt gentes nomen tuum... Scribantur hæc in generatione altera, & populus qui creabitur, laudabit Dominum.*

Psalm. 109, 2. *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion: dominare in medio inimicorum tuorum.*

Psalm. 116, 1. *Laudate Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi.*

Isa. 2, 2. 3. *Et erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & elevabitur super colles, & fluent ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi, & dicent, Venite, & ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Jacob; & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis ejus: quia de Sion exibit Lex, & verbum Domini de Jerusalem; & judicabit gentes, & arguet populos multos.*

Isa. 11, 9. 10. *Quia repleta est terra scientia Domini, sicut aqua maris operientes. In die illa radix Jesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur.*

Isa. 18, 7. *In tempore illo deferetur munus Domino exercituum a populo divulso & dila-*

Matth. 24, 14. *Et prædicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus.* Et Marc. 13, 10.

Matth. 28, 19. *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Et Luc. 24, 47.

Marc. 16, 15. & seq. *Et dixit eis, Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ..... Illi autem profecti prædicaverunt ubique.*

Luc. 2, 30. & seq. *Quia viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum; lumen ad revelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israel.*

Joh. 10, 16. *Et alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet unum ovile, & unus pastor.*

Joh. 11, 51. 52. *Jesus moriturus erat pro gente, & non tantum pro gente, sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum.*

Act. 2, 5. & seq. *Erant autem in Jerusalem habitantes Judæi, viri religiosi, ex omni natione, quæ sub cælo est..... Stupebant autem omnes & mirabantur, dicentes. Nonne ecce omnes isti, qui loquuntur, Galilæi sunt, & quomodo non audivimus unusquisque linguam nostram in qua nati sumus? Parthi, & Medi, & Ælamitæ, & qui habitant Mesopotamiam; Judæam, & Cappadociam; Pontum, & Asiam; Phrygiam, & Pamphyliam; Ægyptum, & partes Libyæ quæ est circa Cyrenen, & advenæ Romani; Judæi quoque, & Proselyti; Cretes, & Arabes; audivimus eos loquentes nostris linguis magnalia Dei .... Petrus vero ad illos, Pœnitentiam, inquit, agite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum, & accipietis donum Spiritus sancti: vobis enim est repromissio, & filiis vestris, & omnibus qui longe sunt, quoscunque advocaverit Dominus Deus noster... Qui ergo receperunt sermonem ejus, baptizati sunt; & appositæ sunt ad illum anima circiter tria millia.*

Act. 8, 27. & seq. *Et ecce vir Æthiops, Eunuchus potens Candaces reginæ Æthiopum, qui erat super omnes gazas ejus, venerat adorare in Jerusalem .... Aperiens autem Philippus os suum, & incipiens a Scriptura ista evangelizavit illi Jesum, & dum irent per viam, venerunt ad quamdam aquam. Et ait Eunuchus, Ecce aqua, quid prohibet me baptizari?*

Digitized by Google

cervato, a populo terribili, post quem non fuit alius, a gente exspectante, exspectante & conculcata, cujus diripuerunt flumina terram ejus; ad locum nominis Domini exercituum montem Sion.

Isa. 19, 18. & seq. *In die illa erunt quinque civitates in terra Ægypti, loquentes lingua Chanaan, & jurantes per Dominum exercituum. Civitas Solis, vocabitur una. In die illa erit altare Domini in medio terræ Ægypti, & titulus Domini juxta terminum ejus erit in signum & in testimonium Domino exercituum in terra Ægypti. Clamabunt enim ad Dominum a facie tribulantis, & mittet eis Salvatorem, & propugnatorem qui liberet eos, & cognoscetur Dominus ab Ægypto, & cognoscent Ægyptii Dominum in die illa, & colent eum in hostiis & in muneribus, & vota vovebunt Domino, & solvent.*

Isa. 25, 6. & seq. *Et faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc convivium pinguium, convivium vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemiæ defecatæ. Et præcipitabit in monte isto faciem vinculi colligati super omnes populos, & telam quam orditus est super omnes nationes. Præcipitabit mortem in sempiternum, & auferet Dominus Deus lacrymam ab omni facie, & opprobrium populi sui auferet de universa terra, quia Dominus locutus est, & dicet in die illa, Ecce Deus noster iste, expectavimus eum, & salvavit nos; iste Dominus, sustinuimus eum; exultabimus & lætabimur in salutari ejus.*

Isa. 27, 13. *Et erit, in die illa clangetur in tuba magna, & venient qui perditi fuerant de terra Assyriorum, & qui ejecti erant in terra Ægypti, & adorabunt in monte sancto in Jerusalem.*

Isa. 31, 7. *In die enim illa abjiciet vir idola argenti sui, & idola auri sui, quæ fecerunt vobis manus vestræ in peccatum.*

Isa. 35, 1. & seq. *Lætabitur deserta & invia, & exultabit solitudo, & florebit quasi lilium, germinans germinabit, & exultabit lætabunda & laudans ..... Deus ipse veniet, & salvabit vos ..... quia scissæ sunt in deserto aquæ, & torrentes in solitudine; & quæ erat arida, erit in stagnum; & sitiens, in fontes aquarum: in cubilibus, in quibus prius dracones habitabant, orietur viror calami & junci: & erit ibi semita & via, & via sancta vocabitur; non transibit per eam pollutus .....*

baptizari? Dixit autem Philippus, Si credis ex toto corde, licet. Et respondens ait, Credo Filium Dei esse Jesum Christum. Et jussit stare currum, & descenderunt uterque in aquam, Philippus, & Eunuchus, & baptizavit eum.

Act. 9, 15. 29. *Dixit autem ad eum Dominus, Vade, quoniam vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus, & regibus, & filiis Israel ..... Loquebatur quoque gentibus, & disputabat cum Græcis: illi autem quærebant occidere eum.*

Act. 10, 21. & seq. *Descendens autem Petrus ad viros, dixit, Ecce ego sum quem quæritis: qua causa est, propter quam venistis? Qui dixerunt, Cornelius centurio, vir justus, & timens Deum, & testimonium habens ab universa gente Judæorum, responsum accepit ab Angelo sancto, accersire te in domum suam, & audire verba abs te ..... Et loquens cum illo intravit, & invenit multos qui convenerant, dixitque ad illos, Vos scitis quomodo abominatum sit viro Judæo, conjungi aut accedere ad alienigenam; sed mihi ostendit Deus neminem communem aut immundum dicere hominem: propter quod sine dubitatione veni accersitus: & Cornelius ait .... Nunc ergo omnes nos in conspectu tuo adsumus, audire omnia quæcunque tibi præcepta sunt a Domino. Aperiens autem Petrus os suum, dixit, In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus; sed in omni gente, qui timet eum, & operatur justitiam, acceptus est illi .... Adhuc loquente Petro verba hæc, cecidit Spiritus sanctus super omnes qui audiebant verbum, & obstupuerunt ex circumcisione fideles, qui venerant cum Petro, quia & in nationes gratia Spiritus sancti effusa est: audiebant enim illos loquentes linguis, & magnificantes Deum. Tunc respondit Petrus, Numquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi, qui Spiritum sanctum acceperunt, sicut & nos? Et jussit eos baptizari in nomine Domini Jesu Christi.*

Act. 11, 1. & seq. *Audierunt autem Apostoli, & fratres qui erant in Judæa, quoniam & gentes receperunt verbum Dei ..... Incipiens autem Petrus exponebat illis ordinem, dicens ..... Si ergo eamdem gratiam dedit illis Deus, sicut & nobis qui credidimus in Dominum Jesum Christum, ego quis eram, qui possem prohibere Deum? His auditis tacuerunt, & glorificaverunt Deum, dicentes,*

Digitized by Google

Et redemti a Domino convertentur, & venient in Sion cum laude; & lætitia sempiterna super caput eorum; gaudium & lætitiam obtinebunt, & fugiet dolor & gemitus.

Isa. 42, 1. & seq. *Ecce servus meus, suscipiam eum: electus meus, complacuit sibi in illo anima mea: dedi spiritum meum super eum, judicium gentibus proferet ..... & legem ejus insulæ expectabunt ..... Ego Dominus vocavi te in justitia, & apprehendi manum tuam, & servavi te, & dedi te in fœdus populi, in lucem gentium ..... Cantate Domino canticum novum, laus ejus ab extremis terræ; qui descenditis in mare, & plenitudo ejus; insulæ & habitatores earum ..... Laudate, habitatores petræ; de vertice montium clamabunt. Ponent Domino gloriam, & laudem ejus in insulis nuntiabunt ..... Et ducam cœcos in viam quam nesciunt; & in semitis, quas ignoraverunt, ambulare eos faciam: ponam tenebras coram eis in lucem, & prava in recta: hæc verba feci eis, & non dereliqui eos ..... Surdi audite, & cœci intuemini ad videndum.*

Isa. 43, 19. & seq. *Ecce ego facio nova, & nunc orientur; utique cognoscetis ea: ponam in deserto viam, & in invio flumina. Glorificabit me bestia agri, dracones & struthiones; quia dedi in deserto aquas, flumina in invio, ut darem potum populo meo, electo meo. Populum istum formavi mihi, laudem meam narrabit.*

Isa. 45, 5. 6. *Ego Dominus, & non est amplius: extra me non est Deus. Accinxi te, non cognovisti me: ut sciant hi qui ab ortu Solis, & qui ab occidente, quoniam absque me non est.*

Isa. 45, 14. & seq. *Hæc dicit Dominus, Labor Ægypti, & negotiatio Æthiopiæ, & Sabaim viri sublimes ad te transibunt, & tui erunt; post te ambulabunt, vincti manicis pergent, & te adorabunt, teque deprecabuntur. Tantum in te est Deus, & non est absque te Deus: vere tu es Deus absconditus, Deus Israel Salvator ..... Congregamini, & venite, & accedite simul, qui salvati estis ex gentibus. ..... Convertimini ad me, & salvi eritis omnes fines terræ: quia ego Deus, & non est alius. In memetipso juravi, egredietur de ore meo justitiæ verbum, & non revertetur, quia mihi curvabitur omne genu, & jurabit omnis lingua. Ergo in Domino, dicet, mea sunt Ergo & gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam ..... Et illi quidem qui dispersi fuerant a tribulatione, quæ facta fuerat sub Stephano, perambulaverunt usque Phœnicen, & Cyprum, & Antiochiam, nemini loquentes verbum, nisi solis Judæis. Erant autem quidam ex eis viri Cyprii & Cyrenæi, qui cum introissent Antiochiam, loquebantur & ad Græcos, annunciantes Dominum Jesum. Et erat manus Domini cum eis, multusque numerus credentium conversus est ad Dominum. Pervenit autem sermo ad aures Ecclesiæ, quæ erat Jerosolymis, super istis: & miserunt Barnabam usque ad Antiochiam. Qui cum perveniisset, & vidisset gratiam Dei, gavisus est, & hortabatur omnes in proposito cordis permanere in Domino; quia erat vir bonus, & plenus Spiritu sancto & fide. Et apposita est multa turba Domino. Profectus est autem Tarsum, ut quæreret Saulum: quem cum invenisset, perduxit Antiochiam: & annum totum conversati sunt ibi in Ecclesia. Et docuerunt turbam multam: ita ut cognominarentur primum Antiochiæ Discipuli, Christiani.*

Act. 13, 12. 45. & seq. *Tunc Proconsul cum vidisset factum, credidit admirans super doctrina Domini ... Videntes autem turbas Judæi, repleti sunt zelo, & contradicebant his quæ a Paulo dicebantur blasphemantes. Tunc constanter Paulus & Barnabas dixerunt, Vobis oportebat primum loqui verbum Dei: sed quoniam repellitis illud, & indignos vos judicatis æterna vita, ecce convertimur ad gentes: sic enim præcepit nobis Dominus, Posui te in lucem gentium, ut sis in salutem usque ad extremum terræ. Audientes autem Gentes gavisæ sunt, & glorificabant verbum Domini, & crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam. Disseminabatur autem verbum Domini per universam regionem.*

Act. 14, 23. & seq. *Transeuntesque Pisidiam, venerunt in Pamphyliam, & loquentes verbum Domini in Perge, descenderunt in Attaliam, & navigaverunt Antiochiam, unde erant traditi gratiæ Dei, in opus quod compleverunt. Cum autem veniissent, & congregassent Ecclesiam, retulerunt quanta feciisset Deus cum illis, & quia aperuisset gentibus ostium fidei.*

Actor. 15, 3. & seq. *Illi ergo deducti ab Ecclesia, pertransibant Phœnicen & Samariam,*

narrantes

Digitized by Google

justitia & imperium: ad eum venient, & confundentur omnes qui repugnant ei.

Isa. 49, 1. & seq. *Audite, insulæ, & attendite, populi de longe, Dominus ab utero vocávit me..... Et nunc dicit Dominus formans me ex utero servum sibi, ut reducam Jacob ad eum, & Israel non congregabitur: & glorificatus sum in oculis Domini, & Deus meus factus est fortitudo mea, & dixit, Parum est ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Jacob, & faces Israel convertendas. Ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ. Hæc dicit Dominus redemtor Israel, sanctus ejus, ad contemtibilem animam, ad abominatam gentem, ad servum Dominorum. Reges videbunt, & consurgent Principes, & adorabunt propter Dominum, quia fidelis est, & sanctum Israel qui elegit te. Hæc dicit Dominus, in tempore placito exaudivi te, & in die salutis auxiliatus sum tui, & servavi te, & dedi te in fœdus populi, ut suscitares terram, & possideres hæreditates dissipatas..... Ecce isti de longe venient, & ecce illi ab Aquilone & mari, & isti de terra Australi..... Leva in circuitu oculos tuos, & vide, omnes isti congregati sunt, venerunt tibi: vivo ego, dicit Dominus, quia omnibus his velut ornamento vestieris, & circumdabis tibi eos quasi sponsa. Quia deserta tua, & solitudines tuæ, & terra ruinæ tuæ, nunc angusta erunt præ habitatoribus, & longe fugabuntur qui absorbebant te. Adhuc dicent in auribus tuis filii sterilitatis tuæ, Angustus est mihi locus, fac spatium mihi ut habitem. Et dices in corde tuo, Quis genuit mihi istos? ego sterilis, & non pariens, transmigrata, & captiva, & istos quis enutrivit? ego destituta, & sola, & isti ubi erant? Hæc dicit Dominus Deus, Ecce levabo ad gentes manum meam, & ad populos exaltabo signum meum; & afferent filios tuos in ulnis, & filias tuas super humeros portabunt; & erunt reges nutritii tui, & reginæ nutrices tuæ: vultu in terram demisso adorabunt te, & pulverem pedum tuorum lingent.*

Isa. 51, 5. *Prope est justus meus, egressus est Salvator meus, & brachia mea populos judicabunt: me insulæ expectabunt, & brachium meum sustinebunt.*

Isa. 52, 10. & seq. *Paravit Dominus brachium sanctum suum in oculis omnium gentium: & videbunt omnes fines terræ salutare narrantes conversionem gentium, & faciebant gaudium magnum omnibus fratribus..... Cum autem magna conquisitio fieret, surgens Petrus dixit ad eos, Viri fratres, vos scitis quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum audire, Gentes verbum Evangelii, & credere. Et qui novit corda Deus, testimonium perhibuit, dans illis Spiritum sanctum, sicut & nobis; & nihil discrevit inter nos & illos, fide purificans corda eorum..... Tacuit autem omnis multitudo, & audiebant Barnabam & Paulum, narrantes quanta Deus fecisset, & prodigia in gentibus per eos. Et postquam tacuerunt, respondit Jacobus, dicens, Viri fratres, audite me. Simon narravit, quemadmodum primum Deus visitavit sumere ex gentibus populum nomini suo. Et huic concordant verba Prophetarum: sicut scriptum est, Post hæc revertar, & reædificabo tabernaculum Dævid quod decidit, & diruta ejus reædificabo, & erigam illud: ut requirant cæteri hominum Dominum, & omnes gentes super quas invocatum est nomen meum, dicit Dominus faciens hæc. Notum a sæculo est Domino opus suum. Propter quod ego judico non inquietari eos, qui ex gentibus convertuntur ad Deum.*

Act. 16, 14. *Et quædam mulier, nomine Lydia, purpuraria civitatis Thyatirenorum, colens Deum, audivit: cujus Dominus aperuit cor, intendere his quæ dicebantur a Paulo. Cum autem baptizata esset, & domus ejus, deprecata est.*

Act. 18, 5. 6. *Cum venissent autem de Macedonia Silas & Timotheus, instabat verbo Paulus testificans Judæis esse Christum Jesum. Contradicentibus autem eis, & blasphemantibus, excutiens vestimenta sua dixit ad eos, Sanguis vester super caput vestrum: mundus ego: ex hoc ad gentes vadam.*

Act. 21, 18. & seq. *Sequenti autem die introibat Paulus nobiscum ad Jacobum, omnesque collecti sunt Seniores. Quos cum salutasset, narrabat per singula quæ Deus fecisset in gentibus per ministerium ipsius. At illi cum audissent, magnificabant Deum, dixeruntque ei,.. De his autem qui crediderunt ex gentibus nos scripsimus, judicantes ut abstineant se ab dolis, immolato, & sanguine, & suffocato, & fornicatione.*

Act. 22, 21. *Et dixit ad me, Vade, quoniam ego in nationes longe mittam te.*

Digitized by Google

Dei noſtri..... Iſte aſperget gentes multas, ſuper ipſum continebunt reges os ſuum: quia quibus non eſt narratum de eo, viderunt; & qui non audierunt, contemplati ſunt.

Iſa. 54, 1. & ſeq. *Lauda, ſterilis, quæ non paris; decanta laudem, & hinni, quæ non pariebas; quoniam multi filii deſertæ, magis quam ejus quæ habet virum, dicit Dominus. Dilata locum tentorii tui, & pelles tabernaculorum tuorum extende, ne parcas: longos fac funiculos tuos, & clavos tuos conſolida: ad dexteram enim & ad lævam penetrabis, & ſemen tuum gentes hæreditabit, & civitates deſertas inhabitabit.... Ecce accola veniet, qui non erat mecum, advena quondam tuus adjungetur tibi.*

Iſa. 55, 4. 5. *Ecce teſtem populis dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus. Ecce gentem quam neſciebas, vocabis, & gentes, quæ te non cognoverunt, ad te current, propter Dominum Deum tuum, & ſanctum Iſrael, quia glorificavit te.*

Iſa. 59, 19. *Et timebunt qui ab occidente nomen Domini, & qui ab ortu Solis gloriam ejus; cum venerit quaſi fluvius violentus, quem ſpiritus Domini cogit, & venerit Sion redemtor.*

Iſa. 60, 3. & ſeq. *Et ambulabunt gentes in lumine tuo, & reges in ſplendore ortus tui. Leva in circuitu oculos tuos, & vide: omnes iſti congregati ſunt, venerunt tibi: filii tui de longe venient, & filiæ tuæ de latere. Tunc videbis, & affluës; & mirabitur, & dilatabitur cor tuum, quando converſa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi. Inundatio camelorum operiet te, dromedarii Madian & Epha: omnes de Saba venient, aurum & thus deferentes, & laudem Domino annuntiantes..... Me enim inſulæ expectant, & naves maris in principio, ut adducam filios tuos de longe, argentum eorum, & aurum eorum cum eis, nomini Domini Dei tui, & ſancto Iſrael, quia glorificavi te. Et ædificabunt filii peregrinorum muros tuos, & reges eorum miniſtrabunt tibi: indignatione enim mea percuſſi te; & in reconciliatione mea miſertus ſum tui: & aperientur portæ tuæ jugiter: die ac nocte non claudentur, ut afferatur ad te fortitudo gentium, & reges earum adducantur.... Et venient ad te curvi filii eorum qui humiliaverunt te, & adorabunt veſtigia pedum tuorum omnes qui detrahebant*

Act. 26, 1. 20. *Tunc Paulus extenſa manu cœpit rationem reddere... his qui ſunt Damaſci primum, & Jeroſolymis, & in omnem regionem Judææ, & gentibus annuntiabam, ut pœnitentiam agerent, & converterentur ad Deum.*

Act. 28, 28. *Notum ergo ſit vobis, quoniam gentibus miſſum eſt hoc ſalutare Dei, & ipſi audient.*

Rom. 1, 5. 13. *Per quem accepimus gratiam & Apoſtolatum, ad obediendum fidei in omnibus pro nomine ejus; in quibus eſtis & vos vocati Jeſu Chriſti.*

Rom. 3, 29. 30. *An Judæorum Deus tantum? nonne & gentium? immo & gentium: quoniam quidem unus eſt Deus, qui juſtificat circumciſionem ex fide, & præputium per fidem.*

Rom. 4, 16. & ſeq. *Ut ſecundum gratiam firma ſit promiſſio omni ſemini, non ei qui ex lege eſt ſolum, ſed & ei, qui ex fide eſt Abrahæ, qui pater eſt omnium noſtrum: (ſicut ſcriptum eſt, Quia patrem multarum gentium poſui te) ante Deum cui credidit, qui vivificat mortuos, & vocat ea, quæ non ſunt tanquam ea quæ ſunt, qui contra ſpem in ſpem credidit, ut fieret pater multarum gentium, ſecundum quod dictum eſt ei, Sic erit ſemen tuum.*

Rom. 9, 24. & ſeq. *Quos & vocavit non ſolum ex Judæis, ſed etiam ex gentibus: ſicut in Oſee dicit, Vocabo non plebem meam, plebem meam; & non dilectam, dilectam; & non miſericordiam conſecutam miſericordiam conſecutam. Et erit in loco, ubi dictum eſt eis, Non plebs mea vos: ibi vocabuntur filii Dei vivi..... Quid ergo dicemus? quod gentes, quæ non ſectabantur juſtitiam, apprehenderunt juſtitiam; juſtitiam autem quæ ex fide eſt.*

Rom. 10, 17. & ſeq. *Sed dico, Numquid non audierunt? & quidem in omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines terræ verba eorum. Sed dico, Numquid Iſrael non cognovit? Primus Moyſes dicit, Ego ad æmulationem vos adducam in non gentem; in gentem inſipientem, in iram vos mittam. Iſaias autem audet, & dicit, Inventus ſum a non quærentibus me, palam apparui his qui mè non interrogabant.*

Rom. 11, 11. & ſeq. *Sed illorum delicto ſalus eſt gentibus, ut illos æmulentur. Quod ſi delictum illorum, divitiæ ſunt mundi; & diminutio eorum, divitiæ gentium, quanto magis plenitudo eorum? Vobis enim dico gentibus,*

Digitized by Google

ibi, & vocabunt te Civitatem Domini, Sion sancti Israel. Pro eo quod fuisti derelicta, & odio habita, & non erat qui per te transiret, ponam te in superbiam seculorum, gaudium in generationem & generationem; & suges lac gentium & mamilla regum lactaberis; & scies quia ego Dominus salvans te, redemtor tuus fortis Jacob.

Isa. 62, 2. 11. 12. *Et videbunt gentes Justum tuum, & cuncti reges inclytum tuum..... Ecce Dominus auditum fecit in extremis terræ, Dicite, filiæ Sion, Ecce Salvator tuus venit, ecce merces ejus cum eo, & opus ejus coram illo. Et vocabunt eos, Populus sanctus, redemti a Domino: tu autem vocaberis Quæsita Civitas, & non Derelicta.*

Isa. 65, 1. *Quæsierunt me qui ante non interrogabant; invenerunt qui non quæsierunt me. Dixi, Ecce ego, ecce ego, ad gentem quæ non invocabat nomen meum.*

Isa. 66, 18. & seq. *Ego autem opera eorum, & cogitationes eorum venio ut congregem cum omnibus gentibus & linguis: & venient, & videbunt gloriam meam. Et ponam in eis signum, & mittam ex eis qui salvati fuerint, ad gentes in mare, in Africam, & Lydiam tendentes sagittam, in Italiam, & Græciam, ad insulas longe, ad eos qui non audierunt de me, & non viderunt gloriam meam: & annuntiabunt gloriam meam gentibus, & adducent omnes fratres vestros de cunctis gentibus, donum Domino, in equis, & in quadrigis, & in lectricis, & in mulis, & in carrucis, ad montem sanctum meum Jerusalem, dicit Dominus, quomodo si inferant filii Israel munus in vase mundo in domum Domini. Et assumam ex eis in Sacerdotes & Levitas, dicit Dominus... Veniet omnis caro, ut adoret coram facie mea, dicit Dominus.*

Jerem. 3, 17. *In tempore illo vocabunt Jerusalem, Solium Domini; & congregabuntur ad eam omnes gentes in nomine Domini in Jerusalem, & non ambulabunt post pravitatem cordis sui pessimi.*

Jerem. 4, 2. *Et jurabis, Vivit Dominus, in veritate, & in judicio, & in justitia, & benedicent eum gentes, ipsumque laudabunt.*

Jerem. 16, 19. & seq. *Domine, fortitudo mea, & robur meum, & refugium meum in die tribulationis: ad te gentes venient ab extremis terræ, & dicent, Vere mendacium possederunt patres nostri, vanitatem quæ eis gentibus, quamdiu quidem ego sum gentium Apostolus, ministerium meum honorificabo... .. Quod si delibatio sancta est, & massa; & si radix sancta, & rami. Quod si aliqui ex ramis fracti sunt; tu autem cum oleaster esses, insertus es in illis, & socius radicis & pinguedinis olivæ factus es, noli gloriari adversus ramos. Quod si gloriaris, non tu radicem portas, sed radix te. Dices ergo, Fracti sunt rami, ut ego inserar. Bene... Nolo enim vos ignorare, Fratres, mysterium hoc (ut non sitis vobis ipsis sapientes) quia cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret, & sic omnis Israel salvus fieret.*

Rom. 15, 8. & seq. *Dico enim Christum Jesum ministrum fuisse circumcisionis; propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones Patrum; gentes autem super misericordia honorare Deum, sicut scriptum est, Propterea confitebor tibi in gentibus, Domine, & nomini tuo cantabo. Et iterum dicit. Lætamini, gentes, cum plebe ejus. Et iterum. Laudate omnes gentes Dominum, & magnificate eum omnes populi. Et rursus Isaias ait, Erit radix Jesse, & qui exurget regere gentes; in eum gentes sperabunt.... Audacius autem scripsi vobis, Fratres, ex parte, tanquam in memoriam vos reducens, propter gratiam quæ data est mihi a Deo, ut sim minister Christi Jesu in gentibus sanctificans Evangelium Dei, ut sit oblatio gentium accepta, & sanctificata in spiritu sancto. Habeo igitur gloriam in Christo Jesu ad Deum. Non enim audeo aliquid loqui eorum quæ per me non efficit Christus in obedientiam gentium, verbo & factis; in virtute signorum & prodigiorum, in virtute Spiritus sancti: ita ut ab Jerusalem per circuitum, usque ad Illyricum, repleverim Evangelium Christi. Sic autem prædicavi Evangelium hoc, non ubi nominatus est Christus, ne super alienum fundamentum ædificarem, sed sicut scriptum est, Quibus non est annuntiatum de eo, videbunt: & qui non audierunt, intelligent ..... Nunc igitur proficiscar in Jerusalem ministrare Sanctis. Probaverunt enim Macedonia & Achaia, collationem aliquam facere in pauperes Sanctorum qui sunt in Jerusalem: Placuit enim eis, & debitores sunt eorum. Nam si spiritualium eorum participes facti sunt Gentiles; debent & carnalibus ministrare illis.*

Digitized by Google

non profuit. Numquid faciet sibi homo Deos, & ipsi non sunt Dii? Idcirco ecce ego ostendam eis per vicem hanc, ostendam eis manum meam, & virtutem meam, & scient quia nomen mihi Dominus.

Jerem. 31, 34. *Et non docebit ultra vir proximum suum, & vir fratrem suum, dicens, Cognosce Dominum: omnes enim cognoscent me, a minimo eorum usque ad maximum, ait Dominus.*

Thren. 4, 20. *Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris: cui diximus, In umbra tua vivemus in gentibus.*

Ezech. 27, 24. *Et scient omnia ligna regionis, quia ego Dominus humiliavi lignum sublime, & exaltavi lignum humile; & siccavi lignum viride, & frondere feci lignum aridum.*

Ose. 1, 10. *Et erit in loco, ubi dicetur eis, Non populus meus vos; dicetur eis, Filii Dei viventis.*

Ose. 2, 24. *Et dicam non populo meo, Populus meus es tu.*

Joel. 2, 28. *Et erit post hæc, Effundam spiritum meum super omnem carnem.*

Amos. 9, 11. 12. *In die illa suscitabo tabernaculum David quod decidit: & reædificabo aperturas murorum ejus, & ea quæ corruerunt instaurabo, & reædificabo illud sicut in diebus antiquis: ut possideant reliquias Idumææ & omnes nationes, eo quod invocatum sit nomen meum super eos, dicit Dominus faciens hæc.*

Mich. 4, 1. & seq. *Et erit in novissimo dierum, erit mons domus Domini præparatus in vertice montium, & sublimis super colles, & fluent ad eum populi, & properabunt gentes multæ, & dicent, Venite, ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Jacob, & docebit nos de viis suis, & ibimus in semitis ejus; quia de Sion egredietur Lex, & verbum Domini de Jerusalem. Et judicabit inter populos multos, & corripiet gentes fortes usque in longinquum; & concident gladios suos in vomeres, & hastas suas in ligones; non sumet gens adversus gentem gladium, & non discent ultra belligerare. Et sedebit vir subtus vitem suam, & subtus ficum suam, & non erit qui deterreat, quia os Domini exercituum locutum est.*

Soph. 2, 11. *Horribilis Dominus super eos, & attenuabit omnes Deos terræ: &*

Rom. 16, 4. *Quibus non solus ego gratias ago; sed & cunctæ Ecclesiæ gentium.*

Rom. 16, 25. 26. *Qui potens est vos confirmare juxta Evangelium meum, & prædicationem Jesu Christi, secundum revelationem mysterii temporibus æternis taciti, (quod nunc patefactum est per Scripturas Prophetarum, secundum præceptum æterni Dei, ad obeditionem fidei) in cunctis gentibus cognitei.*

1. Cor. 1, 26. *Videte enim vocationem vestram, Fratres; quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles; sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes; & infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia: & ignobilia mundi & contemtibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret: ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus.*

Gal. 1, 15. 16. *Cum autem placuit ei, qui me segregavit ex utero matris meæ, & vocavit per gratiam suam, ut revelaret Filium suum in me, ut evangelizarem illum in gentibus, continuo non acquievi carni & sanguini.*

Gal. 2, 2. & seq. *Contuli cum illis Evangelium quod prædico in gentibus..... Sed neque Titus qui mecum erat, cum esset Gentilis, compulsus est circumcidi..... Sed contra cum vidissent quod creditum est mihi Evangelium præputii, sicut & Petro circumcisionis: (qui enim operatus est Petro in Apostolatum circumcisionis, operatus est & mihi inter gentes) & cum cognovissent gratiam, quæ data est mihi, Jacobus, & Cephas, & Johannes, qui videbantur columnæ esse, dextras dederunt mihi & Barnabæ societatis; ut nos in gentes, ipsi autem in circumcisionem.*

Gal. 3, 8. 14. *Providens autem Scriptura, quia ex fide justificat gentes Deus, prænuntiavit Abrahæ, Quia benedicentur in te omnes gentes.... ut in gentibus benedictio Abrahæ fieret in Christo Jesu.*

Gal. 4, 22. & seq. *Scriptum est enim, quoniam Abraham duos filios habuit, unum de ancilla, & unum de libera. Sed qui de ancilla, secundum carnem natus est; qui autem de libera, per repromissionem; quæ sunt per allegoriam dicta. Hæc enim sunt duo Testamenta: unum quidem in monte Sina, in servitutem generans; quæ est Agar; Sina enim mons est in Arabia, qui conjunctus est ei quæ nunc est Jerusalem, & servit cum filiis suis.*

Illæ

Digitized by Google

adorabunt eum viri de loco suo, omnes insulæ gentium.

Soph. 3, 9. 10. *Quia tunc reddam populis labium electum, ut invocent omnes in nomine Domini, & serviant ei humero uno. Ultra flumina Æthiopiæ, inde supplices mei; filii dispersorum meorum deferent munus mihi.*

Agg. 2, 7. 8. *Quia hæc dicit Dominus exercituum, Adhuc unum modicum est, & ego commovebo cœlum & terram, & mare & aridam. Et movebo omnes gentes, & veniet Desideratus cunctis gentibus, & implebo domum istam gloria, dicit Dominus exercituum.*

Zach. 2, 10. 11. *Lauda, & lætare, filia Sion, quia ecce ego venio, & habitabo in medio tui, ait Dominus: & applicabuntur gentes multæ ad Dominum in die illa, & erunt mihi in populum, & habitabo in medio tui.*

Zach. 8, 20. & seq. *Hæc dicit Dominus exercituum, Usque quo veniant populi, & habitent in civitatibus multis, & vadant habitatores, unus ad alterum dicentes, Eamus, & deprecemur faciem Domini, & quæramus Dominum exercituum, vadam etiam ego. Et venient populi multi, & gentes robustæ ad quærendum Dominum exercituum in Jerusalem, & deprecandam faciem Domini. Hæc dicit Dominus exercituum, In diebus illis, in quibus apprehendent decem homines ex omnibus linguis gentium, & apprehendent fimbriam viri Judæi, dicentes, Ibimus vobiscum; audivimus enim, quoniam Deus vobiscum est.*

Zach. 9, 10. *Et loquetur pacem gentibus, & potestas ejus a mare usque ad mare, & a fluminibus usque ad fines terræ.*

Zach. 13, 8. *Et erunt in omni terra, dicit Dominus: partes duæ in ea dispergentur, & deficient; & tertia pars relinquetur in ea.*

Zach. 14, 16. *Et omnes qui reliqui fuerint de universis gentibus, quæ venerunt contra Jerusalem, ascendent ab anno in annum, ut adorent Regem Dominum exercituum.*

Malach. 1, 10. 11. *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim Solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda; quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum.*

Ille autem quæ sursum est Jerusalem, libera est; quæ est mater nostra. Scriptum est enim, Lætare sterilis, quæ non paris; erumpe & clama, quæ non parturis; quia multi filii desertæ, magis quam ejus quæ habet virum. Nos autem, Fratres, secundum Isaac promissionis filii sumus.

Eph. 2, 11. 12. *Propter quod memores estote, quod aliquando vos gentes in carne, qui dicimini Præputium, ab ea quæ dicitur Circumcisio, in carne, manu facta: quia eratis illo in tempore sine Christo, alienati a conversatione Israel, & hospites Testamentorum, promissionis spem non habentes, & sine Deo in hoc mundo. Nunc autem in Christo Jesu, vos qui aliquando eratis longe, facti estis prope in sanguine Christi. Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum .... Et veniens evangelizavit pacem vobis, qui longe fuistis; & pacem iis qui prope .... Ergo jam non estis hospites & advenæ, sed estis cives Sanctorum, & domestici Dei, superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum.*

Eph. 3, 1. & seq. *Hujus rei gratia ego Paulus, vinctus Christi Jesu, pro vobis gentibus, si tamen audistis dispensationem gratiæ Dei, quæ data est mihi in vobis... gentes esse coherædes, & incorporales, & comparticipes promissionis ejus in Christo Jesu per Evangelium..... Mihi omnium Sanctorum minimo data est gratia hæc, ingentibus evangelizare investigabiles divitias Christi.*

Col. 1, 23. 27. 28. *Si tamen permanetis in fide fundati, & stabiles, & immobiles a spe Evangelii, quod audistis, quod prædicatum est in universa creatura quæ sub cœlo est, cujus factus sum ego Paulus minister... quibus voluit Deus notas facere divitias gloriæ sacramenti hujus in gentibus, quod est Christus, in vobis spes gloriæ, quem nos annunciamus, corripientes omnem hominem, & docentes omnem hominem, in omni sapientia, ut exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo Jesu.*

Col. 3, 9. & seq. *Nolite mentiri invicem, exspoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, & inducentes novum, eum qui renovatur in agnitionem, secundum imaginem ejus qui creavit illum; ubi non est Gentilis & Judæus, Circumcisio & Præputium, Barbarus & Scytha, servus & liber; sed omnia in omnibus Christus.*

1. Thess.

Digitized by Google

1. Theſſ. 2, 26. *Prohibentes nos gentibus loqui, ut ſalvæ fiant.*

1. Tim. 2, 7. *In quo poſitus ſum ego prædicator & Apoſtolus, (veritatem dico, non mentior) doctor in fide & veritate.*

1. Tim. 3, 16. *Et manifeſte magnum eſt pietatis ſacramentum, quod manifeſtatum eſt in carne, juſtificatum eſt in Spiritu, apparuit Angelis, prædicatum eſt gentibus.*

2. Tim. 1, 11. *In quo poſitus ſum ego prædicare, & Apoſtolus, & magiſter gentium.*

2. Tim. 4, 17. *Dominus autem mihi adſtitit, & confortavit me, ut per me prædicatio impleatur, & audiant omnes gentes.*

1. Petr. 2, 10. *Qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei; qui non conſecuti miſericordiam, nunc autem miſericordiam conſecuti.*

Apoc. 7, 9. *Poſt hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis; ſtantes ante thronum, & in conſpectu Agni, amicti ſtolis albis, & palmæ in manibus eorum.*

Apoc. 10, 10. 11. *Et accepi librum de manu Angeli, & devoravi illum, & erat in ore meo tanquam mel dulce: & cum devoraſſem eum, amaricatus eſt venter meus: & dixit mihi, Oportet te iterum prophetare gentibus, & populis, & linguis, & regibus multis.*

Apoc. 14, 6. *Et vidi alterum Angelum volantem per medium cœli, habentem Evangelium æternum, ut evangelizaret ſedentibus ſuper terram, & ſuper omnem gentem, & tribum, & linguam, & populum.*

Apoc. 15, 4. *Quis non timebit te, Domine, & magnificabit nomen tuum? quia ſolus pius es: quoniam omnes gentes venient, & adorabunt in conſpectu tuo.*

Apoc. 21, 23. 24. *Et civitas non eget Sole, neque Luna, ut luceant in ea; nam claritas Dei illuminavit eam, & lucerna ejus eſt Agnus: & ambulabunt gentes in lumine ejus, & reges terræ afferent gloriam ſuam, & honorem in illam.*

I. *Priſcorum ac recentiorum Judæorum ſuffragiis hic adjuvamur.* II. *Typi Synagogæ & Eccleſiæ.* III. *Duplex eruitur ſenſus ex Iſa. 19, 18. & ſeq.*

Priſcorum ac recentiorum Judæorum ſuffragiis hic adjuvamur.

I. RErum omnium, quas prænuntiari hominibus voluit Deus, nulla omnino eſt, in quam prædicendam majori conſenſu, crebrioribusque prophetiis conſpirarint ſacri Vates, quam gentium vocatio ad notitiam veritatis. Nam cum vaniſſimis religionibus & multiplici idolorum cultu tenerentur implicitæ gentes, Judæi vero clariſſima divinæ & ſalubris doctrinæ luce fruerentur, hi tamen caligarunt ad præſentis & inter ipſos verſantis Meſſiæ ſplendorem; illæ ſanctis ejus ultro paruerunt præceptis, & in ipſius obſequium conceſſerunt: arcano videlicet & mirabili Dei conſilio, cujus gratiam ſatius eſt nos memori mente recolere, quam cauſſam anxie perſcrutari. Neque vero id ita evenire debuiſſe, vel ignorarunt vetuſtiores Judæi, vel recentiores infitiati ſunt. Quod cum jam ex parte fieri Apoſtolorum temporibus cœptum eſſet, hi Judæis palam in concionibus & coronis ingerebant oracula Prophetarum; haud ignari ſcilicet quorſum ea receptis vulgo ſententiis explicari ſolerent. Haudquaquam igitur reclamabant circumſtantes Judæi, nec patrum ſuorum patientiam aut inſcientiam recentiores arguerunt; imo vero, easdem amplexi ſunt interpretationes prophetiarum. Puta nobile illud prædictum e Pſalmo ſecundo: *Poſtula a me,* Pſalm. 2, 8. *& dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ;* quod nos demonſtravimus in ſeptima Propoſitione ex Ebræorum ſententia Chriſto adſcribi. Ei quoque in Schemoth Rabba adjudicatur iſtud, quod ex Pſalmo ſexageſimo ſeptimo excerpſimus: *Venient legati ex Ægypto:* Pſal. 67, 32. *Æthiopia præveniet manus ejus Deo. Regna terræ cantate Deo.* Effatum iſtud Iſaiæ, quod attulimus e quadrageſimo nono capite, quodque ſic Judæis apud Piſidas Antiochenos expoſuerunt Paulus & Barnabas: *Vobis* Act. 13, 46. *oportebat primum loqui verbum Dei: ſed quoniam repellitis illud, & indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes. Sic enim præcepit nobis Dominus, Poſui te in lucem gentium, ut ſis in ſalutem usque ad extremum terræ. Audientes autem gentes gaviſæ ſunt, & glorificabant verbum Domini:* non aliter intellexit R. David Kimchi; ex eo quippe colligit, gentes ſalutis Iſraelitis promiſſæ

Digitized by Google

præmissæ fore participes post bellum Gog & Magog, quod Messiæ temporibus conflatum iri Judæi autumant. Eodem refert Aben Ezra clausulam alteram e sexagesimo quinto
Isa. 65, 1. Isaiæ huc depromtam: *Quæsierunt me qui ante non interrogabant, invenerunt qui non quæsierunt me. Dixi, Ecce ego, ecce ego, ad gentem quæ non invocabat nomen meum:*
Rom. 10, 20. quam clausulam Paulus in Epistola ad Romanos in ejusdem doctrinæ probationem prius usurpaverat. Ad vocationem etiam gentium in Gemara, Tractatu de Paschate,
Ose. 2, 24. confertur istud Oseæ: *Et dicam non populo meo, Populus meus es tu; & ipse dicet, Deus*
Rom. 9, 25. *meus es tu:* quod in Epistola ad Romanos in eamdem sententiam flectitur. Idem significari docetur in Beresith Rabba his Amosi
Amos. 9, 11. verbis: *In die illa suscitabo in tabernaculum David, quo decidit; & reædificabo aperturas murorum ejus; & ea quæ corruerunt, instaurabo, & reædificabo illud, sicut in diebus*
Soph. 3, 9. *antiquis:* atque his idem Sophoniæ: *Quia tunc reddam populis labium electum, & invocent omnes in nomine Domini, & serviant ei humero uno:* quarum sententiarum priore
Act. 15, 16. in eumdem sensum utitur Jacobus in Actis. Adde Maimoniden in Jad, libro ultimo, capite de Regibus, scribere Judæorum hanc esse sententiam, futurum ut Messiæ hortamentis excitatæ ad pœnitentiam gentes veram legem capessant. Thalmudici etiam expectatam sibi gentium vocationem insigni Parabola adumbrarunt; equi nimirum, inituri stabulum claudi bovis.

Typi Synagogæ & Ecclesiæ. II. Atque hæc gentium adoptio, & Judæorum rejectio, clarissimis præterea designata est typis in Veteri Testamento. Utramque in Abrahami liberis, uno Agare ancilla nato, altero Sara libera, expressam Paulus in Epistola ad Galatas accurate exposuit: & Judæi quidem filii sunt Synagogæ, quæ Legi subdita est, in ejusque obsequium mancipata; nos vero filii cœlestis Hierosolymæ, Ecclesiæ nimirum, quæ libera est, *qua libertate Christus nos liberavit.* Quod significatum quoque esse docet Paulus præclaro Isaiæ oraculo, quod & huc attulimus: *Lætare sterilis, quæ non paris; erumpe, & clama, quæ non parturis; quia multi filii desertæ, magis quam ejus quæ habet virum.* Synagogæ etiam & Ecclesiæ in Phenenna & Anna, uxoribus Elcanæ, accurata constat effigies. Phenenna complurium liberorum mater Annæ sterilitatem suam exprobrabat. At hæc precibus tandem suis exorato Deo, sancta & felici prole aucta est. Quæ cum ob susceptam sobolem Deo ageret gratias, cœlesti commota afflatu eas edidit voces, quas hic e prioris libri Samuelis secundo capite repræsentavimus, futuram gentium per Christum vocationem, Judæorum vero damnationem liquido prædicentes.
Gal. 4, 22. & seq.
Isa. 54, 1. & seq.

III. Contuli huc quoque memorabilem prophetiam, ex Isaiæ decimo nono capite petitam, qua futurum prædicit, ut in media Ægypto ara statuatur Deo, hostiæque ac munera publice offerantur. Psammitichi & Sennacheribi ætati hoc adscripserunt nonnulli. Verius Josephus Heliopolitanum Oniæ Templum signari censuit: quemadmodum supra ad Propositionem sextam observavimus. Sed quamvis λέξις *(verbis)* sensum hunc tribuamus, alium tamen sensum obtinere potest χρῆμα *(figura)* & vocationem gentium notare; juxta illud Malachiæ: *In omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda.*
Duplex eruitur sensus ex Isa. 19, 18. *& seq.*
Malach. 1, 11.

CAPUT CLIX.

Doctrina Christiana corruptos hominum mores emendat.

ISa. 11, 6. & seq. *Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit; vitulus, & leo, & ovis, simul morabuntur, & puer parvulus minabit eos. Vitulus & ursus pascentur, simul requiescent catuli eorum, & leo quasi bos comedet paleas. Et delectabitur infans ab ubere super foramine aspidis, & in caverna reguli qui ablactatus fuerit, manum suam mittet. Non nocebunt, & non occident in*

MAtth. 5, 20. & seq. *Dico enim vobis, quia nisi abundaverit justitia vestra, plus quam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. Audistis quia dictum est antiquis, Non occides: qui autem occiderit, reus erit judicio. Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio. Qui autem dixerit fratri suo Raca, reus erit concilio. Qui autem dixerit, Fatue, reus erit*

Digitized by Google

universo monte sancto meo: quia repleta est terra scientia Domini, sicut aqua maris operientes.

Isa. 35, 6. & seq. *Scissæ sunt in deserto aquæ, & torrentes in solitudine; & quæ erat arida, erit in stagnum; & sitiens, in fontes aquarum: in cubilibus, in quibus prius dracones habitabant, orietur viror calami & junci: & erit ibi semita, & via, & via sancta vocabitur; non transibit per eam polluius, & hæc erit vobis directa via, ita ut stulti non errent per eam. Non erit ibi leo, & mala bestia non ascendet per eam, nec invenietur ibi, & ambulabunt qui liberati fuerint. Et redemti a Domino convertentur.*

Isa. 40, 4. *Omnis vallis exaltabitur, & omnis mons & collis humiliabitur, & erunt prava in directa, & aspera in vias planas.*

Isa. 65, 26. *Lupus & agnus pascentur simul, leo & bos comedent paleas, & serpenti pulvis panis ejus: non nocebunt, neque occident in monte sancto meo, dicit Dominus.*

Jerem. 32, 39. 40. *Et dabo eis cor unum, & viam unam, ut timeant me universis diebus, & bene sit eis, & filiis eorum post eos. Et feriam eis pactum sempiternum, & non desinam eis benefacere; & timorem meum dabo in corde eorum, ut non recedant a me.*

gehenna ignis ... Audistis quia dictum est antiquis, Non mœchaberis. Ego autem dico vobis, quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo.... Dictum est autem, Quicunque dimiserit uxorem suam, det ei libellum repudii. Ego autem dico vobis, quia omnis qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis caussa, facit eam mœchari; & qui dimissam duxerit, adulterat. Iterum audistis quia dictum est antiquis, Non perjurabis, reddes autem Domino juramenta tua. Ego autem dico vobis, non jurate omnino, neque per cœlum, quia thronus Dei est; neque per terram, quia scabellum est pedum ejus; neque per Jerosolymam, quia civitas est magni regis; neque per caput tuum juraveris, quia non potes unum capillum album facere aut nigrum. Sit autem sermo vester, Est, est; Non, non: quod autem his abundantius est, a malo est. Audistis quia dictum est, Oculum pro oculo, & dentem pro dente. Ego autem dico vobis non resistere malo: sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram. Et ei qui vult tecum judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium: & quicunque te angariaverit mille passus, vade cum illo & alia duo. Qui petit a te, da ei: & volenti mutuari a te, ne avertaris. Audistis quia dictum est, Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis, Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos: & orate pro persequentibus & calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri, qui in cœlis est; qui Solem suum oriri facit super bonos & malos; & pluit super justos & injustos. Si enim diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nonne & publicani hoc faciunt? Et si salutaveritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis? nonne & Ethnici hoc faciunt? Estote ergo vos perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est. Et Luc. 6, 27. & seq.

Rom. 12, 14. & seq. *Benedicite persequentibus vos: benedicite, & nolite maledicere: Gaudete cum gaudentibus, flete cum flentibus; idipsum invicem sentientes non alta sapientes, sed humilibus consentientes. Nolite esse prudentes apud vosmetipsos; nulli malum pro malo reddentes; providentes bona, non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus; si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes: non vosmetipsos defendentes, Charissimi, sed date locum iræ; scriptum est enim, Mihi vindicta; ego retribuam dicit Dominus. Sed si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, potum da illi: hoc enim faciens, carbones ignis congreges super caput ejus. Noli vinci a malo, sed vince in bono malum.*

1. Cor. 4, 12. 13. *Maledicimur, & benedicimus: persecutionem patimur, & sustinemus; blasphemamur, & obsecramus.*

1. Cor. 6, 7. & seq. *Jam quidem omnino delictum est in vobis, quod judicia habetis inter vos. Quare non magis injuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini? Sed vos injuriam facitis, & fraudatis, & hoc fratribus. An nescitis, quia iniqui regnum Dei non possidebunt? Nolite errare; neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque*

Digitized by Google

neque maledici, neque rapaces, regnum Dei possidebunt. Et hæc quidem fuistis; sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis, in nomine Domini nostri Jesu Christi, & in Spiritu Dei nostri.

1. Thess. 5, 15. & seq. *Videte ne quis malum pro malo alicui reddat; sed quod bonum est, sectamini in invicem, & in omnes.*

1. Petr. 2, 21. & seq. *In hoc enim vocati estis, quia & Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus: qui cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur; tradebat autem se injuste: qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum; ut peccatis mortui, justitiæ vivamus: cujus livore sanati estis. Eratis enim sicut oves errantes, sed conversi estis nunc ad pastorem & Episcopum animarum vestrarum.*

1. Petr. 3, 8. & seq. *In fine autem omnes unanimes, compatientes, fraternitates amatores, misericordes, modesti, humiles, non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, sed e contrario benedicentes: quia in hoc vocati estis, ut benedictionem hæreditate possideatis. Qui enim vult vitam diligere, & dies videre bonos, coerceat linguam suam a malo, & labia ejus, ne loquantur dolum; declinet a malo, & faciat bonum, inquirat pacem, & sequatur eam. Quia oculi Domini super justos, & aures ejus in preces eorum: vultus autem Domini super facientes mala. Et quis est qui vobis noceat, si boni æmulatores fueritis? Sed & si quid patimini propter justitiam, beati. Timorem autem eorum ne timueritis, & non conturbemini. Dominum autem Christum sanctificate in cordibus vestris, parati semper ad sanctificationem omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vobis est, spe; sed cum modestia & timore, conscientiam habentes bonam, ut in eo quod detrahunt vobis, confundantur, qui calumniantur vestram bonam in Christo conversationem. Melius est enim benefacientes (si voluntas Dei velit) pati, quam malefacientes; quia & Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis, ut nos offerret Deo.*

CAPUT CLX.

Idolorum eversio.

Isa. 2, 17. & seq. *Et incurvabitur sublimitas hominum, & humiliabitur altitudo virorum, & elevabitur Dominus solus in die illa; & idola penitus conterentur; & introibunt speluncas petrarum, & in voragines terræ, a facie formidinis Domini, & a gloria majestatis ejus, cum surrexerit percutere terram. In die illa projiciet homo idola argenti sui, & simulacra auri sui, quæ fecerat sibi ut adoraret, talpas & vespertiliones.*

Isa. 17, 7. 8. *In die illa inclinabitur homo ad factorem suum, & oculi ejus ad sanctum Israel respicient; & non inclinabitur ad altaria quæ fecerunt manus ejus, & quæ operati sunt digiti ejus; non respiciet lucos & delubra.*

Isa. 19, 1. *Ecce Dominus ascendet super nubem levem, & ingredietur Ægyptum, & commovebuntur simulacra Ægypti a facie ejus.* Et Ezech. 30, 13.

Isa. 30, 22. *Et contaminabis laminas sculptilium argenti tui, & vestimentum conflatilis auri tui, & disperges ea sicut immunditiam menstruata.*

Act. 19, 24. & seq. *Demetrius enim quidam nomine, argentarius, faciens ædes argenteas Dianæ, præstabat artificibus non modicum quæstum: quos convocans, & eos qui hujusmodi erant opifices, dixit, Viri, scitis quia de hoc artificio est nobis acquisitio: & videtis, & auditis quia non solum Ephesi, sed pene totius Asiæ, Paulus hic suadens avertit multam turbam, dicens quoniam non sunt Dii, qui manibus fiunt. Non solum autem hæc periclitabitur nobis pars in redargutionem venire, sed & magnæ Dianæ Templum in nihilum reputabitur; sed & destrui incipiet majestas ejus, quam tota Asia & orbis colit.*

Eusebius de vita Constantini, l. 3. c. 54. Πάντα μὲν δὴ ταῦτα συντελῶν εἰς δόξαν τῆς σωτηρίας δυνάμεως βασιλεὺς διεπραγματεύετο· νῷ δὲ τὸν μὲν ἀυτῷ σωτῆρα θεὸν ἅδε πη διετέλει γεραίρων· τὴν δέ γε τῶν εἰδώλων δεισιδαίμονα πλάνην παντοίοις ἐξήλεγχε τρόποις· ἔνθεν ἀκότως ἐγυμνοῦτο μὲν ἀυτοῖς τῶν κατὰ πόλιν νεῶν τὰ προστόλαια, θυρῶν ἄγαλμα γινόμενα βασιλέως προστάγματι· ἑτέρων δ' ἡ ἐπὶ τοῖς ὀρεσφοις φέγγη, τῶν καλυπτήρων ἀφαιρεμένων ἐφθέγετο. ἄλλων

Isa. 31, 7. *In die illa abjiciet vir idola argenti sui, & idola auri sui, quæ fecerunt vobis manus vestræ in peccatum.*

Isa. 46, 1. 2. *Confractus est Bel, contritus est Nabo: facta sunt simulacra eorum bestiis & jumentis, onera vestra gravi pondere usque ad lassitudinem. Contabuerunt & contrita sunt simul; non potuerunt salvare portantem, & anima eorum in captivitatem ibit.*

Ose. 2, 16. & seq. *Et erit in die illa, ait Dominus, vocabit me, Vir meus: & non vocabit me ultra, Baali. Et auferam nomina Baalim de ore ejus, & non recordabitur ultra nominis eorum.*

Ose. 14, 9. *Ephraim, quid mihi ultra idola? ego exaudiam & dirigam eum ego ut abietem virentem: ex me fructus tuus inventus est.*

Mich. 5, 12. 13. *Et perire faciam sculptilia tua, & statuas tuas de medio tui; & non adorabis ultra opera manuum tuarum: & evellam lucos tuos de medio tui.*

Soph. 1, 4. & seq. *Et extendam manum meam super Judam, & super omnes habitantes Jerusalem, & disperdam de loco hoc reliquias Baal, & nomina edituorum cum sacerdotibus; & eos qui adorant super tecta militiam cœli; & adorant, & jurant in Domino, & jurant in Melchom. Et qui avertuntur de post tergum Domini, & qui non quæsierunt Dominum, nec investigaverunt eum.*

Soph. 2, 11. *Horribilis Dominus super eos, & attenuabit omnes Deos terræ.*

Zach. 13, 1. 2. *In die illa erit fons patens domui David, & habitantibus Jerusalem in ablutionem peccatoris & menstruatæ. Et erit in die illa, dicit Dominus exercituum, disperdam nomina idolorum de terra, & non memorabuntur ultra.*

δὲ σεμνὰ χαλκουργήματα, ἐφ' οἷς ἡ βουλὴ πᾶσιν ἀνθρώποις ἐκπάλαι μακροῖς ἐσεμνολογεῖτο χρόνοις, ἔκκλητα τοῖς πᾶσιν ἐν ἀγορᾶις πάσαις τῆς βασιλέως πόλεως προὐτίθετο, ὡς ἂν ἰσχήμονα θέαν προκεῖσθαι τοῖς ὁρῶσιν. ὧδε μὲν τὸν πύθιον· ἑτέρωθι δὲ τὸν σμινθιον. ἐν αὐτῷ δὲ ἱπποδρομίῳ τοὺς ἐν δελφοῖς τρίποδας· τὰς δ' ἑλικωνίδας μούσας ἐν παλατίῳ. ἐπληροῦτο δὲ δι' ὅλης πᾶσα ἡ βασιλέως ἐπώνυμος πόλις, τῶν κατὰ πᾶν ἔθνος ἐντέχνως χαλκῆ φιλοκαλίας ἀφιερωμένων. οἷς θεῶν ὀνόμασι πλείας ὅσας ἑκατόμβας, ὁλοκαύτους τε θυσίας ἐς μάταιον ἀποδόντες μακροῖς αἰῶσιν οἱ τὴν πλάνην νενοσηκότες, ὄψέ ποτε φρονῆν ἔγνωσαν. τούτοις αὐτοῖς ἀθύρμασιν ἐπὶ γέλωτι καὶ παιδιᾷ τῶν ὁρώντων βασιλέως κεχρημένοις.... δέσμιοι δῆτα καὶ οἷδε μόθων θεοὶ γεγηρακότων, τριχῶν ὑφάσμασιν ἤγοντο περιβληθέντες. *Hæc omnia ad salutaris virtutis gloriam conferens agebat Imperator. Et Deum quidem Sospitatorem suum hac ratione colere perseverabat. Ethnicorum vero superstitiosum errorem omnibus modis convincebat. Unde Templorum, quæ in Urbe erant, vestibula merito nudabantur, valvis jussu Imperatoris detractis. Aliorum etiam tectum, quod in summo erat, ablatis tegulis corrumpebatur. Aliorum augustæ effigies eneæ, quibus majorum error jam inde a vetustis temporibus gloriabatur, per fora regia Urbis in omnium conspectu ponebantur; ita ut turpe spectaculum videntibus præberent, hic quidem Pythius, illic Sminthius; in ipso vero Hippodromo Tripodes Delphici, & Musæ Heliconides in Palatio. Tota vero Urbs, Imperatori cognominis, referta erat simulacris aneis, summa industria elaboratis, quæ per omnes gentes fuerant consecrata: quibus Deorum nomina gerentibus postquam complures hecatombas & holocausta homines erroris morbo laborantes per multa sæcula immolaverant, sero tandem sapere didicerunt: cum his ipsis Imperator, sic tanquam ludicris, ad risum spectantium & oblectamentum esset usus..... Vincti igitur Dii illi fabularum jam effœtarum; ciliciis contecti advehebantur.* Vide & cap. 55. & 56.

Eusebius de vita Constantini, lib. 3. c. 57. Πάντες δ' οἱ πρὶν δυσειδαίμονες, τὸν ἔλεγχον τῆς ἀυτῶν πλάνης ἀυτοῖς ὄψιον δρῶντες, τῶν δ' ἀπανταχῆ νεῶν τε καὶ ἱδρυμάτων ἐργῳ θεώμενοι τὴν ἐρημίαν, οἱ μὲν τῷ σωτηρίῳ προσέφευγον λόγῳ, οἱ δὲ εἰ καὶ τοῦτο μὴ ἔπραττον, τῆς γῶν πατρῴας κατεγίνωσκον ματαιότητος. ἀγέλων τε καὶ κατεγέλων τῶν πάλαι νομιζομένων ἀυτοῖς θεῶν. *Quicunque vero superstitionibus antea impliciti tenebantur, errorem suum convictum cum oculis ipsi suis cernerent, & omnium ubique Templorum ac simulacrorum vastitatem reipsa intuerentur, hi quidem ad salutarem doctrinam confugiebant; illi, etsi id neutiquam faciebant, avitam tamen vanitatem damnabant, eosque quos olim Deos esse existimaverant, ludibrio ac derisui habebant.*

Eusebius

Eusebius de vita Constantini, lib. 4. c. 23. Οὕτω μὲν ἦν ἐκεῖνος τῷ ἑαυτοῦ ἱερᾶτο θεῷ. καθόλου δὲ τοῖς ὑπὸ τῷ βασιλέων ἀρχῇ δήμοις τε καὶ στρατιωτικοῖς, πόλεσι μὲν ἀπεκλείοντο εἰδωλολατρείας, θυσίας τε τρόπος ἀπηγορεύετο πᾶς. *Sic ipse quidem Deo suo sacra faciebat: universe vero cunctis plebejis & militibus Imperio Romano subditis idolorum cultus occlusæ erant fores, & omnis sacrificandi mos vetitus erat.*

Et cap. 25. Ἔνθεν εἰκότως ἐπαλλήλοις τε νόμοις καὶ διατάξεσι τοῖς πᾶσι διεκελεύετο μὴ θύειν εἰδώλοις, μὴ μαντεῖα περιεργάζεσθαι, μὴ ξοάνων ἐγέρσεις ποιεῖσθαι. *Unde merito crebris legibus & constitutionibus vetitum erat universis, ne idolis sacrificarent, ne oraculorum responsa sectarentur, neve simulacra erigerent.* Et Paulus Orosius lib. 7. c. 28. Nicephorus l. 7. c. 46. & 49.

Imp. Constantius Aug. ad Magdalianum. Cod. Theod. lib. 16. Tit. 10. *Cesset superstitio sacrificiorum, sacrificiorum aboleatur insania. Nam quicunque contra legem divi Principis parentis nostri, & hanc nostræ mansuetudinis jussionem ausus fuerit sacrificia celebrare, competens in eum vindicta, & præsens sententia exeratur.*

Imp. Constantius Aug. ad Taurum. Cod. Theod. lib. 16. Tit. 10. *Placuit omnibus locis, atque urbibus universis claudi protinus Templa, & accessu vetitis omnibus licentiam delinquendi perditis abnegari. Volumus etiam cunctos sacrificiis abstinere. Quod si quis aliquid forte hujusmodi perpetraverit, gladio ultore sternatur. Facultates etiam peremti, fisco decernimus vindicari; & similiter affligi rectores provinciarum, si facinora vindicare neglexerint.*

Idem Aug. & Julianus Cæsar, ibidem. *Pœna capitis subjugari præcipimus eos, quos operam sacrificiis dare, vel colere simulacra constiterit.*

Theodoretus Ecclesiasticæ Historiæ lib. 5. cap. 21. Ὁ δὲ πιστότατος κατὰ τῆς ἑλληνικῆς πλάνης μετέθηκε τὴν σπουδὴν, καὶ νόμους ἔγραψε τὰ τῶν εἰδώλων τεμένη καταλυθῆναι κελεύων. Κωνσταντῖνος μὲν γὰρ ὁ μέγας, ὁ πάσης ἀξιώτατος εὐφημίας, πρῶτος εὐσεβείᾳ τὴν βασιλείαν κοσμήσας, καὶ τὴν οἰκουμένην ἔτι μαίνεσθαι ὁρῶν, τὰ μὲν τοῖς δαίμοσι θύειν παντάπασιν ἀπηγόρευσε. τοὺς δὲ τούτων ναοὺς οὐ κατέλυσεν· ἀλλ' ἀβάτους εἶναι προσέταξε, καὶ μέντοι καὶ τούτοις παῖδες τοῖς κατῳκοις ἠκολούθησαν ἴχνεσιν. Ἰουλιανὸς δὲ ἀνενεώσατο τὴν ἀσέβειαν, καὶ τῆς παλαιᾶς ἐξαπάτης ἐξῆψε τὴν φλόγα. Ἰοβιανὸς δὲ τὴν βασιλείαν παραλαβὼν, πάλιν τὴν τῶν εἰδώλων ἐκώλυσε θεραπείαν. Καὶ Οὐαλεντινιανὸς δὲ ὁ μέγας τοιοῖσδε κεχρημένος νόμοις ὕστερον τὴν ἐυρώστην. Ὁ δὲ Οὐάλης πᾶσι μὲν τοῖς ἄλλοις ἐπέτρεψε θρησκεύειν ᾗ βούλοιντο, καὶ τὰ θρησκευόμενα θεραπεύειν. Μόνοις δὲ πολεμῶν διετέλει τοῖς τῶν ἀποστολικῶν ὑπερμαχοῦσι δογμάτων. Πάντα γὰρ τὸν τῆς ἐκείνου βασιλείας χρόνον, καὶ τὸ ἐπιβώμιον ἥπλετο πῦρ. Καὶ σπονδὰς καὶ θυσίας τοῖς εἰδώλοις προσέφερον, καὶ τὰς δημοθοινίας κατὰ τὴν ἀγορὰν ἐπετέλουν· Καὶ οἱ τῷ διονύσῳ τὰ ὄργια τετελεσμένοι μετὰ τῶν αἰγίδων ἔτρεχον, τὰς κίστας διασπῶντες, καὶ μεμηνότες, καὶ βακχεύοντες, καὶ τὰ ἄλλα δρῶντες, ἃ τὴν τοῦ διδασκάλου πανήγυριν δηλοῖ· ταῦτα πάντα Θεοδόσιος εὑρὼν, ὁ πιστότατος βασιλεὺς, περίῤῥιζά τε ἀνέσπασε καὶ λήθῃ παρέδωκε.

Fidelissimus autem Imperator adversus errorem Ethnicorum studium suum convertit, & leges scripsit, quibus idolorum fana dirui jubebat. Magnus enim Constantinus, omni laude dignissimus, qui primus imperium pietate exornavit, cum orbem universum insanientem videret, omnino vetuerat ne quisquam Dæmonibus sacrificaret: eorum vero non destruxerat fana, sed adiri vetuerat. Ac paterna quidem vestigia filii ejus sunt persecuti. Julianus vero impietatem instauravit, & pristini erroris flammam suscitavit. At Jovinianus postquam capessivit Imperium, rursum idolorum cultum interdixit. Et magnus Valentinianus iisdem legibus usus Europam rexit. Valens autem cæteris quidem omnibus permisit, religiosum quem vellent cultum persequi, & quos colerent cerimoniis placare: solos eos oppugnare non destitit, qui Apostolica dogmata propugnarent. Quamdiu ergo rerum potitus est, ignes ad altaria accendebantur; & libamina ac sacrificia offerebant idolis, & in foro publica convivia agitabant. Et qui Bacchi erant initiati sacris, cum pellibus caprinis cursitabant, canes discerpentes, furentes, & bacchantes, aliaque agentes, quæ magistri ipsorum celebritatem notant. Hæc omnia cum fidelissimus Imperator Theodosius reperisset, radicitus sustulit, & oblivioni mandavit. Et Idatius in Fastis consularibus, Theodosio Aug. II. & Cynegio, Coss. Zosimus Hist. lib. 4.

Digitized by Google

Prudentius contra Symmachum lib. 2. sic Honorium Augustum alloquitur:

Arripe dilatam tua, Dux, in tempora famam:
Quodque patris supereſt, ſucceſſor laudis habeto.
Ille Urbem vetuit taurorum ſanguine tingi,
Tu mortes miſerorum hominum prohibeto litari.

CAPUT CLXI.

Judæorum pertinacia, perfidia & cœcitas.

DEut. 28, 15. & ſeq. *Quod ſi audire nolueris vocem Domini Dei tui... Percutiat te Dominus amentia, & cœcitate, ac furore mentis, & palpes in meridie, ſicut palpare ſolet cœcus in tenebris, & non dirigas vias tuas.*

Deut. 32, 28. 29. *Gens absque conſilio eſt & ſine prudentia. Utinam ſaperent, & intelligerent, ac noviſſima providerent.*

Pſalm. 17, 44. *Eripies me de contradictionibus populi.*

Pſalm. 68, 24. & ſeq. *Obſcurentur oculi eorum ne videant, & dorſum eorum ſemper incurva.... Fiat habitatio eorum deſerta, & in tabernaculis eorum non ſit qui inhabitet: quoniam quem tu percuſſiſti, perſecuti ſunt; & ſuper dolorem vulnerum meorum addiderunt. Appone iniquitatem ſuper iniquitatem eorum, & non intrent in juſtitiam tuam.*

Sap. 2, 21. 22. *Hæc cogitaverunt & erraverunt; excæcavit enim illos malitia eorum: & neſcierunt ſacramenta Dei, neque mercedem ſperaverunt juſtitiæ, nec judicaverunt honorem animarum ſanctarum.*

Iſa. 1, 3. 4. *Filios enutrivi & exaltavi; ipſi autem ſpreverunt me. Cognovit bos poſſeſſorem ſuum; & aſinus præſepe Domini ſui: Iſrael autem me non cognovit, & populus meus non intellexit. Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, ſemini nequam, filiis ſceleratis: dereliquerunt Dominum, blaſphemaverunt ſanctum Iſrael, abalienati ſunt retrorſum.*

Iſa. 5, 13. *Propterea captivus ductus eſt populus meus, quia non habuit ſcientiam, & nobiles ejus interierunt fame, & multitudo ejus ſiti exaruit.*

Iſa. 6, 8. & ſeq. *Et audivi vocem Domini dicentis, Quem mittam? & quis ibit nobis? Et dixit, Vade, & dices populo huic, Audite audientes, & nolite intelligere; & videte viſionem, & nolite cognoſcere. Excæca cor populi hujus, & aures ejus aggrava, & oculos*

MAtth. 13, 13. & ſeq. *Ideo in parabolis loquor eis: quia videntes non vident, & audientes non audiunt, neque intelligunt, Et adimpletur in eis prophetia Iſaiæ, dicentis, Auditu audietis, & non intelligetis; & videntes videbitis, & non videbitis: incraſſatum eſt enim cor populi hujus, & auribus graviter audierunt, & oculos ſuos claſerunt; ne quando videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & convertantur, & ſanem eos.* Et Marc. 4, 11. 12. Luc. 8, 10. Joh. 12, 39. & ſeq. Act. 28, 25. & ſeq.

Matth. 15, 7. *Hypocritæ, bene prophetavit de vobis Iſaias, dicens, Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe eſt a me. Sine cauſſa autem colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum.*

Matth. 15, 12. & ſeq. *Tunc accedentes Diſcipuli ejus dixerunt ei, Scis quia Phariſæi audito verbo hoc ſcandalizati ſunt? At ille reſpondens, ait, Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus cæleſtis, eradicabitur. Sinite illos; cæci ſunt, & duces cæcorum: cæcus autem ſi cæco ducatum præſtet, ambo in foveam cadunt.* Et Luc. 6, 39.

Matth. 23, 16. & ſeq. *Væ vobis, duces cæci, qui dicitis, Quicunque juraverit per Templum, nihil eſt: qui autem juraverit in auro Templi, debet: ſtulti & cæci, quid enim majus eſt, aurum, an Templum quod ſanctificat aurum? Et quicunque juraverit in altari, nihil eſt: quicunque autem juraverit in dono quod eſt ſuper illud, debet: cæci, quid enim majus eſt, donum, an altare quod ſanctificat donum?*

Luc. 2, 34. *Et benedixit illis Simeon; & dixit ad Mariam matrem ejus, Ecce poſitus eſt hic in ruinam, & in reſurrectionem multorum in Iſrael, & in ſignum cui contradicetur.*

Joh. 12, 37. 38. *Cum autem tanta ſigna feciſſet coram eis, non credebant in eum; ut ſermo Iſaiæ prophetæ impleretur, quem dixit, Domine, quis credidit auditui noſtro? & brachium*

Digitized by Google

ejus claude, ne forte videat oculis ſuis, & auribus ſuis audiat, & corde ſuo intelligat, & convertatur, & ſanem eum. Et dixi, Usquequo, Domine? Et dixit, Donec deſolentur civitates absque habitatore, & domus ſine homine, & terra relinquetur deſerta.

Iſa. 29, 9. & ſeq. *Obſtupeſcite, & admiramini, fluctuate, & vacillate: inebriamini, & non a vino; movemini, & non ab ebrietate. Quoniam miſcuit vobis Dominus ſpiritum ſoporis, claudet oculos veſtros; prophetas & principes veſtros, qui vident viſiones, operiet. Et erit vobis viſio omnium, ſicut verba libri ſignati, quem cum dederint ſcienti literas, dicent, Lege iſtum; & reſpondebit, Non poſſum, ſignatus eſt enim. Et dabitur liber neſcienti literas, diceturque ei, Lege, & reſpondebit, Neſcio literas. Et dixit Dominus, eo quod appropinquat populus iſte ore ſuo, & labiis ſuis glorificat me, cor autem ejus longe eſt a me, & timuerunt me mandato hominum & doctrinis; ideo ecce ego addam ut admirationem faciam populo huic, miraculo grandi & ſtupendo; peribit enim ſapientia a ſapientibus ejus, & intellectus prudentium ejus abſcondetur.*

Iſa. 42, 19. & ſeq. *Quis cœcus, niſi ſervus meus? & ſurdus, niſi ad quem nuntios miſi? quis cœcus, niſi qui venumdatus eſt? & quis cœcus, niſi ſervus Domini? Qui vides multa, nonne cuſtodies? qui apertas habes aures, nonne audies? Et Dominus voluit ut ſanctificaret eum, & magnificaret Legem, & extolleret. Ipſe autem populus direptus & vaſtatus; laqueus juvenum omnes, & in domibus carcerum abſconditi ſunt in rapinam, nec eſt qui dicat, Redde. Quis eſt in vobis qui audiat hoc, attendat, & auſcultet futura?*

Iſa. 53, 1. *Quis credidit auditui noſtro, & brachium Domini cui revelatum eſt?* Et Rom. 10, 16.

Act. 28, 22. *Rogamus autem a te audire quæ ſentis: nam de ſecta hac notum eſt nobis, quia ubique ei contradicitur.*

Rom. 10, 20. 21. *Iſaias autem audet, & dicit, Inventus ſum a non quærentibus me: palam apparui his qui me non interrogabant. Ad Iſrael autem dicit, Tota die expandi manus meas ad populum non credentem & contradicentem.*

Rom. 11, 7. & ſeq. *Quid ergo? quod quærebat Iſrael, hoc non eſt conſecutus; electio autem conſecuta eſt, cæteri vero excæcati ſunt, ſicut ſcriptum eſt, Dedit illis Deus ſpiritum compunctionis; oculos ut non videant, & aures ut non audiant, usque in hodiernum diem. Et David dicit, Fiat menſa eorum in laqueum, & in captionem, & in ſcandalum, & in retributionem illis: obſcurentur oculi eorum ne videant, & dorſum eorum ſemper incurva.*

2. Cor. 3, 12. & ſeq. *Habentes igitur talem ſpem, multa fiducia utimur: & non ſicut Moyſes ponebat velamen ſuper faciem ſuam, ut non intenderent filii Iſrael in faciem ejus, quod evacuatur: ſed obtuſi ſunt ſenſus eorum; usque in hodiernum enim diem idipſum velamen in lectione Veteris Teſtamenti manet non revelatum, (quoniam in Chriſto evacuatur) ſed usque in hodiernum diem, cum legitur Moyſes, velamen poſitum eſt ſuper cor eorum; cum autem converſus fuerit ad Dominum, auferetur velamen.*

1. Petr. 2, 7. 8. *Vobis igitur honor credentibus; non credentibus autem, lapis quem reprobaverunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli, & lapis offenſionis, & petra ſcandali, his qui offendunt verbo, nec credunt in quo & poſiti ſunt.*

Iſa. 65, 2. & ſeq. *Expandi manus meas tota die ad populum incredulum, qui graditur in via non bona poſt cogitationes ſuas. Populus qui ad iracundiam provocat me ante faciem meam ſemper: qui immolant in hortis, & ſacrificant ſuper lateres, qui habitant in ſepulcris, & in delubris idolorum dormiunt, qui comedunt carnem ſuillam, & jus profanum in vaſis eorum; qui dicunt, Recede a me, non appropinques mihi, quia immundus es: iſti fumus erunt in furore meo, ignis ardens tota die. Ecce ſcriptum eſt coram me: non tacebo, ſed reddam & retribuam in ſinum eorum iniquitates veſtras, & iniquitates patrum veſtrorum ſimul, dicit Dominus; qui ſanctificaverunt ſuper montes, & ſuper colles exprobraverunt mihi: & remetiar opus eorum primum in ſinu eorum.*

Jerem. 5, 21. 23. *Audi, populе ſtulte, qui non habes cor; qui habentes oculos non videtis; & aures, & non auditis .... populo autem huic factum eſt cor incredulum, & exaſperans; receſſerunt, & abierunt.*

Jerem. 8,

Digitized by Google

Jerem. 8, 7. & seq. *Apprehenderunt mendacium, & noluerunt reverti. Attendi, & auscultavi, nemo quod bonum est loquitur; nullus est qui agat pœnitentiam super peccato suo, dicens, Quid feci? omnes conversi sunt ad cursum suum, quasi equus impetu vadens ad prœlium. Milvus in cœlo cognovit tempus suum; turtur, & hirundo, & ciconia custodierunt tempus adventus sui: populus autem meus non cognovit judicium Domini . . . . : Confusi sunt sapientes, perterriti, & capti sunt: verbum enim Domini projecerunt, & sapientia nulla est in eis.*

Ezech. 12, 1. 2. *Et factus est sermo Domini ad me, dicens, Fili hominis, in medio domus exasperantis tu habitas; qui oculos habent ad videndum, & non vident; & aures ad audiendum, & non audiunt; quia domus exasperans est.* Et Ezech. 2, 5. & seq. & 3, 9. 26. 27. & alibi sæpe.

Ose. 4, 1. & seq. *Audite verbum Domini, filii Israel, quia judicium Domino cum habitatoribus terræ: non est enim veritas, & non est misericordia, & non est scientia Dei in terra. . . . Verumtamen unusquisque non judicet, & non arguatur vir; populus enim tuus, sicut hi qui contradicunt Sacerdoti . . . Conticuit populus meus, eo quod non habuerit scientiam, quia tu scientiam repulisti, repellam te ne sacerdotio fungaris mihi.*

I. *Judæi pertinaciæ suæ sibi conscii.* II. *Doctrinæ Christi Jesu veritatem confirmant Judæi, dum oppugnant.*

Judæi pertinaciæ suæ sibi conscii.

I. NE hic quidem repugnantes habemus Judæos, suæ sibi contumaciæ & impietatis conscios. Nulla alioquin arte eludere possent Josephi testimonium, de popularium suorum horrendis flagitiis sic differentis:

Joseph. de bell. Jud. l. 6. c. 37.

οὐκ ἂν ὑποτελαίμην ἐπεῖν, ἃ μοι κελεύει τὸ πάθος. εἰμαι ῥωμαίων βραδυνάντων ἐπὶ τὰς ἀλιτηρίους, ἢ κατα-ποθῆναι ἂν ὑπὸ χάσματος, ἢ κατακλυσθῆναι τὴν πόλιν, ἢ τὰς τῆς σοδομηνῆς μεταλαβεῖν κεραυνούς. πολὺ γὰρ τῶν ταῦτα παθόντων ἤνεγκε γενεὰν ἀθεωτέραν. *Dicere equidem non verebor, quæ me dolor jubet. Sic existimo, si hos impios adoriri cunctati fuissent Romani, vel voragine absorbendam fuisse Civitatem, vel undis obruendam, vel iisdem clidendam fulminibus, quibus Sodomitica olim regio obtrita est. Nequiorem enim tulit progeniem, & Dei magis contemtricem, quam qui hæc perpessi sunt.* Idem alibi:

Joseph. de bell. Jud. l. 7. c. 30.

ἐγένετο γὰρ πως ὁ χρόνος ἐκεῖνος παντοδαπῆς ἐν τοῖς ἰουδαίοις πονηρίας πολύφορος, ὡς μηδὲν κακίας ἔργον ἄπρακτον καταλιπεῖν, μήθ' ἕ τις ἐπινοίᾳ διαπλάττων ἐθελήσειεν, ἔχειν ἄν τι καινότερον ἐξευρεῖν· ὕτως ἰδίᾳ τε καὶ κοινῇ πάντες ἐνόσησαν, καὶ πρὸς ὑπερβαλεῖν ἀλλήλους ἔν τε ταῖς πρὸς τὸν θεὸν ἀσεβείαις, καὶ ταῖς εἰς τοὺς πλησίον ἀδικίαις ἐφιλονείκησαν. *Tempus enim illud omnigenæ inter Judæos nequitiæ ferax fuit; adeo ut nullum pravitatis facinus admittere prætermiserint, nec si quis aliquod animo velit confingere, ullum magis inusitatum possit reperire. Adeo in omnes privatim & publice morbus hic incubuerat, & ut se invicem superarent, tum impietate in Deum, tum & in proximos flagitiis, contendebant.* Quascunque ergo pertulerunt calamitates, a Deo ipso injurias suas persequente iis inflictæ sunt. Plenis id buccis ad suos vociferabatur Josephus, cum maledictis peteretur; pejora meritum se fatebatur, qui contra Dei decretum eos servare vellet, a Deo jam damnatos: prædixisse priscos vates tum hæc eventura, cum civili bello sese conficerent. Demum miserabili hac exclamatione convicia sua & querelas claudebat:

Joseph. de bell. Jud. l. 7. c. 8.

θεὸς ἄρα, θεὸς αὐτὸς ἐπάγει μετὰ ῥωμαίων καθαρσίων αὐτῷ (ἱερῷ) πῦρ, καὶ τὴν τοσούτων μιασμάτων γέμουσαν πόλιν ἀναιρήσει. *Deus profecto, Deus ipse cum Romanis ignes lustrales* (Templo) *ipsi injicit, & Civitatem tot piaculis plenam exscindit.* Idem ipse Titus in Hierosolymitana obsidione, quasi divino afflatus spiritu, palam inter suos prædicabat:

Joseph. de bell. Jud. l. 7. c. 4.

τάσις, inquiebat, καὶ λιμὸς, καὶ πολυορκία, καὶ δίχα μεχανημάτων πίπτοντα τύχη, τι ἂν ἄλλο, ἢ θεῦ μένι μῆνις ἐκείνοις, βοήθεια δ' ἡμετέρα; *Seditio, & fames, & obsidio, & muri sine machinamentorum nostrorum ope sponte procumbentes, quidnam indicant aliud, quam Deum ipsis iratum esse, nobis vero opitulari?* Et alio loco:

Joseph. de bell. Jud. l. 7. c. 43.

κατιδὼν γὰρ (τιτος) τὸ τε ναὸν αὐτῶν (πύργων) ὕψος, καὶ τὸ μέγεθος ἑκάστης πέτρας, τήν τε ἀκρίβειαν τῆς ἁρμονίας, καὶ βαθὺ μὲν ἔνερθε, ἡλίκοι δὲ ἦσαν τὴν ἀνάτασιν, σὺν θεῷ γε ἐπολεμήσαμεν, ἔφη, καὶ θεὸς ἦν ὁ τῶνδε τῶν ἐρυμάτων ἰουδαίοις καθελών· ἐπεὶ χεῖρές τε ἀνθρώπων, ἢ μηχαναὶ, τί πρὸς τύτους τοὺς πύργους δύναντο; *Titus ergo solida murorum altitudine conspecta, & singulorum lapidum magnitudine, & accurata compage, & quantum hi in latum, quantum item in altum*

illum paterent; Deo, inquit, favente bellum gessimus, & Deus abistis munitionibus Judæos detraxit: nam quid manus hominum vel machinæ possunt adversus has turres? Thalmudistæ etiam in Baba metzia, majores suos Deo poenas dedisse ajunt, quod Legi verba sua anteferrent. Item in Parte שעש sive de festis, libro septimo, capite tertio, Israelitarum pervicacia, canis, galli, hirci, & spinæ proterviæ comparatur. Scribit vero Aben Ezra testimonium illud, quod e sexagesimo quinto capite Isaiæ sumsimus, in quo tota die *manus suas ad populum incredulum expan-*

Thalm. Nezich. l. Part. 2. c. 7.

Isa. 65, 2.

disse se dicit Dominus, a R. Mose Haccohen Israelitica genti adscribi. Quod a Paulo factum est in Epistola ad Romanos.

Rom. 10, 21.

II. Ergo cum Judæorum pertinacia manifestis oraculis prædicta sit, atque idem Spiritus, qui venturi Jesu ἀπογραφὰς (notas) in Libris sacris consignabat, hanc Judæorum obstinationem & obfirmatam dissensionem in iis prænuntiaverit, dum doctrinæ Jesu Christi veritatem oppugnant Judæi, tum eam utique vel maxime confirmant; quippe pervicacia sua libris iisdem adstruentes fidem, qui Christum Jesum nuntiant.

Doctrinæ Christi Jesu veritatem confirmant Judæi, dum oppugnant.

CAPUT CLXII.

Judæorum rejectio & dispersio, eorumque abolenda sacrificia.

DEut. 28, 28. 29. & seq. *Percutiat te Dominus amentia, & cæcitate, ac furore mentis, & palpes in meridie, sicut palpare solet cæcus in tenebris, & non dirigas vias tuas, omnique tempore calumniam sustineas, & opprimaris violentia, nec habeas qui liberet te. .... Ducet te Dominus, & regem tuum quem constitueris super te in gentem quam ignoras tu & patres tui..... Et eris perditus in proverbium ac fabulam omnibus populis, ad quos te introduxerit Dominus.... Filios generabis & filias, & non frueris eis, quoniam ducentur in captivitatem ..... Advena qui tecum versatur in terra, ascendet super te, eritque sublimior; tu autem descendes & eris inferior.... Remanebitis pauci numero, qui prius eratis sicut astra cœli præ multitudine, quoniam non audisti vocem Domini Dei tui. Et sicut ante lætatus est Dominus super vos, bene vobis faciens, vosque multiplicans; sic lætabitur disperdens vos atque subvertens, ut auferamini de terra, ad quam ingrederis possidendam. Disperget te Dominus in omnes populos, a summitate terræ usque ad terminos ejus, & servies ibi Diis alienis, quos & tu ignoras, & patres tui, lignis & lapidibus. In gentibus quoque illis non quiesces, neque erit requies vestigio pedis tui. Dabit enim tibi Dominus ibi cor pavidum & deficientes oculos, & animam consumtam mœrore. Et erit vita tua quasi pendens ante te. Timebis nocte & die, & non credes vitæ tuæ. Mane dices, Quis mihi det vesperam? & vespere, Quis mihi det mane? propter cordis tui formidinem, qua terreberis,*

MAtth. 21, 40. 41. *Cum ergo veniet Dominus vineæ, quid faciet agricolis illis? Ajunt illi, Malos male perdet, & vineam suam locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus suis.* Marc. 12, 9. Luc. 20, 15. 16.

Act. 13, 40. 41. *Videte ergo ne superveniat vobis quod dictum est in Prophetis, Videte, contemtores, & admiramini, & disperdimini: quia opus operor ego in diebus vestris, opus quod non credetis, si quis narraverit vobis.*

Rom. 11, 19. 20. *Dices ergo, Fracti sunt rami, ut ego inserar. Bene: propter incredulitatem fracti sunt.*

1. Cor. 1, 23. 28. *Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam... Et ignobilia mundi, & contemtibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret.*

Ebr. 8, 8. & seq. *Vituperans enim eos dicit, Ecce dies veniens, dicit Dominus, & consummabo super domum Israel, & super domum Juda, testamentum novum; non secundum testamentum, quod feci patribus eorum, in die qua apprehendi manum eorum, ut educerem illos de terra Ægypti, quoniam ipsi non permanserunt in testamento meo, & ego neglexi eos, dicit Dominus.... Dicendo autem novum, veteravit prius. Quod autem antiquatur & senescit, prope interitum est.*

Ebr. 10, 4. & seq. *Impossibile enim est sanguine taurorum & hircorum auferri peccata. Ideo ingrediens mundum dicit, Hostiam & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi:*

& propter ea, quæ tuis videbis oculis. Reducet te Dominus classibus in Ægyptum per viam de qua dixit tibi ut eam amplius non videres. Ibi venderis inimicis tuis in servos & ancillas, & non erit qui emat.

1. Reg. 15, 22. *Et ait Samuel, Numquid vult Dominus holocausta & victimas, & non potius ut obediatur voci Domini? Melior est enim obedientia quam victima, & auscultare magis quam offerre adipem arietum.*

Psalm. 17, 40. & seq. *Supplantasti insurgentes in me subtus me; & inimicos meos dedisti mihi dorsum, & odientes me disperdidisti. Clamaverunt, nec erat qui salvos faceret; ad Dominum, nec exaudivit eos. Et comminuam eos ut pulverem ante faciem venti, ut lutum platearum delebo eos.*

Psalm. 39, 7. & seq. *Sacrificium & oblationem noluisti, aures autem perfecisti mihi. Holocaustum & pro peccato non postulasti: tunc dixi, Ecce venio: mihi: holocautomata pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi, Ecce venio: in capite libri scriptum est de me, ut faciam, Deus, voluntatem tuam. Superius dicens, Quia hostias & oblationes, & holocautomata pro peccato noluisti, nec placita sunt tibi, quæ secundum legem offeruntur, tunc dixi, Ecce venio, ut faciam, Deus, voluntatem tuam: aufert primum, ut sequens statuat. In qua voluntate sanctificati sumus, per oblationem corporis Jesu Christi semel. Et omnis quidem sacerdos præsto est quotidie ministrans, & easdem sæpe offerens hostias, quæ nunquam possunt auferre peccata: hic autem unam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet in dextera Dei, de cætero expectans, donec ponantur inimici ejus scabellum pedum ejus. Una enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos.*

Psalm. 49, 8. & seq. *Non in sacrificiis tuis arguam te: holocausta autem tua in conspectu meo sunt semper. Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos.... Immola Deo sacrificium laudis, & redde Altissimo vota tua.... Peccatori autem dixit Deus, Quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Tu vero odisti disciplinam, & projecisti sermones meos retrorsum... Sedens adversus fratrem tuum loquebaris, & adversus filium matris tuæ ponebas scandalum. Hæc fecisti, tacui.*

Psalm. 58, 12. *Deus ostendet mihi super inimicos meos, ne occidas eos; ne quando obliviscantur populi mei. Disperge illos in virtute tua, & depone eos, protector meus Domine.*

Psalm. 68, 24. & seq. *Obscurentur oculi eorum, ne videant, & dorsum eorum semper incurva. Effunde super eos iram tuam, & furor iræ tuæ comprehendat eos. Fiat habitatio eorum deserta, & in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet. Quoniam quem tu percussisti persecuti sunt, & super dolorem vulnerum meorum addiderunt.*

Psalm. 109, 4. *Juravit Dominus, & non pœnitebit eum, Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec.*

Isa. 1, 11. & seq. *Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum? dicit Dominus; plenus sum: holocausta arietum, & adipem pinguium, & sanguinem vitulorum & agnorum & hircorum nolui. Cum veniretis ante conspectum meum, quis quæsivit hæc de manibus vestris, ut ambularetis in atriis? Ne offeratis ultra sacrificium frustra; incensum abominatio est mihi. Neomeniam, & sabbathum, & festivitates alias non feram; iniqui sunt cœtus vestri: calendas vestras, & solennitates vestras odivit anima mea; facta sunt mihi molesta; laboravi sustinens. Et cum extenderitis manus vestras, avertam oculos meos a vobis; & cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam: manus enim vestræ sanguine plenæ sunt.*

Isa. 2, 2. & seq. *Et erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & elevabitur super colles, & fluent ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi, & dicent, Venite, & ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Jacob, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis ejus: quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Jerusalem.... Projecisti enim populum tuum, domum Jacob.*

Isa. 5, 1. 2. & seq. *Vinea facta est dilecto meo in cornu filio olei: & sepivit eam, & lapides elegit ex illa, & plantavit eam electam, & ædificavit turrim in medio ejus, & torcular extruxit in ea; & expectavit ut faceret uvas, & fecit labruscas. Nunc ergo, habitatores Jerusalem, & viri Juda, judicate inter me & vineam meam; quid est quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci ei? an quod expectavi ut faceret uvas, & fecit labruscas? Et nunc ostendam*

oſtendam vobis quid ego faciam vineæ meæ: auferam ſepem ejus, & erit in direptionem: diruam maceriam ejus, & erit in conculcationem; & ponam eam deſertam: non putabitur, & non ſodietur, & aſcendent vepres & ſpinæ; & nubibus mandabo ne pluant ſuper eam imbrem. Vinea enim Domini exercituum, domus Iſrael eſt: & vir Juda, germen ejus delectabile; & expectavi ut faceret judicium, & ecce iniquitas; & juſtitiam, & ecce clamor.

Iſa. 8, 14. 15. *Et erit vobis in ſanctificationem; in lapidem autem offenſionis, & in petram ſcandali, duabus domibus Iſrael; in laqueum & in ruinam habitantibus Jeruſalem. Et offendent ex eis plurimi, & cadent, & conterentur, & irretientur, & capientur.*

Iſa. 28, 14. & ſeq. *Propter hoc audite verbum Domini, viri illuſores, qui dominamini ſuper populum meum, qui eſt in Jeruſalem. Dixiſtis enim, Percuſſimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum: flagellum inundans cum tranſierit, non veniet ſuper nos: quia poſuimus mendacium ſpem noſtram, & mendacio protecti ſumus. Idcirco hæc dicit Dominus Deus, Ecce ego mittam in fundamentis Sion Lapidem, lapidem probatum, angularem, pretioſum, in fundamento fundatum; qui crediderit, non feſtinet. Et ponam in pondere judicium, & juſtitiam in menſura; & ſubvertet grando ſpem mendacii, & protectionem aquæ inundabunt: & delebitur fœdus veſtrum cum morte, & pactum veſtrum cum inferno non ſtabit; flagellum inundans cum tranſierit, critis ei in conculcationem: quandocunque pertranſierit, tollet vos, quoniam mane diluculo pertranſibit, in die, & in nocte; & tantummodo ſola vexatio intellectum dabit auditui.*

Iſa. 42, 14. & ſeq. *Tacui ſemper, filui, patiens fui: ſicut parturiens loquar: diſſipabo, & abſorbebo ſimul. Deſertos faciam montes, & colles, & omne gramen eorum exſiccabo, & ponam flumina in inſulas, & ſtagna arefaciam..... Quis cæcus, niſi ſervus meus? Et ſurdus, niſi ad quem nuntios meos miſi? quis cæcus, niſi qui venundatus eſt? & quis cæcus, niſi ſervus Domini? Qui vides multa, nonne cuſtodies? qui apertas habes aures, nonne audies? Et Dominus voluit, ut ſanctificaret eum, & magnificaret Legem, & extolleret. Ipſe autem populus direptus & vaſtatus, laqueus juvenum omnes, & in domibus carcerum abſconditi ſunt: facti ſunt in rapinam, nec eſt qui eruat; in direptionem, nec eſt qui dicat, Redde. Quis eſt in vobis, qui audiat hoc, attendat, & auſcultet futura? quis dedit in direptionem Jacob, & Iſrael vaſtantibus? nonne Dominus ipſi cui peccavimus? & noluerunt in viis ejus ambulare, & non audierunt legem ejus. Et effudit ſuper eum indignationem furoris ſui, & fortè bellum, & combuſſit eum in circuitu, & non cognovit; & ſuccendit eum, & non intellexit.*

Iſa. 50, 1. & ſeq. *Hæc dicit Dominus, Quis eſt hic liber repudii matris veſtræ, quo dimiſi eam? aut quis eſt creditor meus, cui vendidi vos? ecce in iniquitatibus veſtris venditi eſtis, & in ſceleribus veſtris dimiſi matrem veſtram: quia veni, & non erat vir; vocavi, & non erat qui audiret..... Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus; faciem meam non averti ab increpantibus, & conſpuentibus in me..... Ecce omnes quaſi veſtimentum conterentur, tinea comedet eos. Quis ex vobis timens Dominum, audiens vocem ſervi ſui?..... De manu mea factum eſt hoc vobis; in doloribus dormietis.*

Iſa. 66, 22. 23. *Quia ſicut cœli novi, & terra nova, quæ ego facio ſtare coram me, dicit Dominus, ſic ſtabit ſemen veſtrum. Et erit menſis ex menſe, & ſabbathum ex ſabbatho: veniet omnis caro, ut adoret coram facie mea, dicit Dominus.*

Jerem. 5, 3. & ſeq. *Domine, oculi tui reſpiciunt fidem; percuſſiſti eos, & non doluerunt; attriviſti eos, & renuerunt accipere diſciplinam; induraverunt facies ſuas ſupra petram, & noluerunt reverti. Ego autem dixi, Forſitan pauperes ſunt, & ſtulti ignorantes viam Domini, judicium Dei ſui: ibo igitur ad optimates, & loquar eis; ipſi non cognoverunt viam Domini, judicium Dei ſui: & ecce magis hi ſimul confregerunt jugum, ruperunt vincula. Ideo percuſſit eos leo de ſylva, lupus ad veſperam vaſtavit eos, pardus vigilans ſuper civitates eorum: omnis qui egreſſus fuerit ex eis, capietur; quia multiplicatæ ſunt prævaricationes eorum, confortatæ ſunt averſiones eorum..... Prævaricatione enim prævaricata eſt in me domus Iſrael, & domus Juda, ait Dominus: negaverunt Dominum, & dixerunt, Non eſt ipſe..... Numquid ſuper his non viſitabo, dicit Dominus, aut ſuper genetem hujuſcemodi non ulciſcetur anima mea?*

Digitized by Google

Jerem. 6, 16. & seq. *Hæc dicit Dominus, State super vias, & videte, & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in ea; & invenietis refrigerium animabus vestris. Et dixerunt, Non ambulabimus. Et constitui super vos speculatores: audite vocem tubæ. Et dixerunt, Ideo audite, gentes; & cognosce, congregatio, quanta ego faciam eis. Audi terra, ecce ego adducam mala super populum istum, fructum cogitationum ejus, quia verba mea non audierunt, & legem meam projecerunt. Ut quid mihi thus de Saba offertis, & calamum suaveolentem de terra longinqua? holocautomata vestra non sunt accepta, & victimæ vestræ non placuerunt mihi. Propterea hæc dicit Dominus, Ecce ego dabo in populum istum ruinas.*

Jerem. 12, 7. 8. *Reliqui domum meam, dimisi hæreditatem meam: dedi dilectam animam meam in manu inimicorum ejus. Facta est mihi hæreditas mea, quasi leo in sylva: dedit contra me vocem, ideo odivi eam.*

Jerem. 31, 31. 32. *Ecce dies venient, dicit Dominus, & feriam domui Israel & domui Juda fœdus novum: non secundum pactum quod pepigi cum patribus eorum, in die quæ apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Ægypti; pactum quod irritum fecerunt, & ego dominatus sum eorum, dicit Dominus.*

Dan. 9, 26. *Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus; & non erit ejus populus qui eum negaturus est: & Civitatem, & Sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo; & finis ejus vastitas, & post finem belli statuta desolatio..... & in dimidio hebdomadis deficiet hostia & sacrificium.*

Ose. 2, 10. & seq. *Et nunc revelabo stultitiam ejus in oculis amatorum ejus; & vir non eruet eam de manu mea; & cessare faciam omne gaudium ejus, & solennitatem ejus, neomeniam ejus, sabbathum ejus, & omnia festa tempora ejus.*

Ose. 3, 4. *Quia dies multos sedebunt filii Israel sine rege, & sine principe, & sine sacrificio, & sine altari, & sine Ephod, & sine Theraphim.*

Ose. 4, 6. *Conticuit populus meus, eo quod non habuerit scientiam; quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi: & oblitus es legis Dei tui, obliviscar filiorum tuorum & ego.*

Ose. 9, 15. *Propter malitiam operum suorum de domo mea expellam eos, nec addam diligere eos.*

Amos. 5, 18. & seq. *Væ desiderantibus diem Domini; ad quid eam vobis? dies Domini ista tenebræ & non lux. Quomodo si fugiat vir a facie leonis, & occurrat ei ursus; & ingrediatur domum, & innitatur manu sua super parietem, & mordeat eum coluber. Numquid non tenebræ dies Domini, & non lux; & caligo, & non splendor in ea? Odi, & projeci festivitates vestras; & non capiam odorem cœtuum vestrorum. Quod si obtuleritis mihi holocautomata & munera vestra, non suscipiam; & vota pinguium vestrorum non respiciam. Auferam me tumultum carminum tuorum, & cantica lyræ tuæ non audiam: & revelabitur quasi aqua judicium, & justitia quasi torrens fortis.*

Zach. 11, 9. *Et dixi, Non pascam vos: quod moritur, moriatur; & quod succiditur, succidatur.*

Malach. 1, 10. 11. *Quis est in vobis qui claudat ostia, & incendat altare meum gratuito? non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim Solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus; & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum.*

Suumquoque testimonium nobis hic commodant Judæi. Matth. 12, 8.

SAcrificium juge, aliaque sacrificia omnia abolitum iri, præter laudis sacrificium, legitur in Midrasch libri Numerorum, & apud Josephum Jabetz. Legitur illic etiam Sabbathum ab eo solvi posse, qui Dei præcepta tradit hominibus. Unde fateri eos necesse est, merito de se Jesum Christum prædicasse, Filium hominis dominum esse Sabbathi. Traditur libro eodem sublatum iri ciborum discrimina veniente Messia: quod & in Beresith Rabba diserte scriptum est. Sed & Midrasch Thehillim scriptum habet, Jos. Job. in Psalm. 40.

Digitized by Google

habet, Israelitas ob scelera sua excidisse sacerdotio, atque id ad gentes transiisse, quod jam superius a me notatum est. Addam hic etiam, horum temporum Judæos palam fateri, jam nullos sibi superesse sacerdotes; multos quidem Levitico genere se prognatos ferre, sed legitimis instrumentis genus suum approbare non posse; proindeque etiamsi suum sibi restitueretur Templum, se haud-quaquam sacrificaturos, ut qui non habeant כהן; oraturos tantum, unumque sibi laudis sacrificium esse concessum.

Prop. 9. c. 28.

CAPUT CLXII.

Excidium Hierosolymitanum.

DEut. 28, 29. & seq. *Adducet Dominus super te gentem de longinquo, & de extremis terræ finibus, in similitudinem aquilæ volantis cum impetu, cujus linguam intelligere non possis: gentem procacissimam, quæ non deferat seni, nec misereatur parvuli, & devoret fructum jumentorum tuorum, ac fruges terræ tuæ: donec intereas, & non relinquat tibi triticum, vinum & oleum, armenta boum & greges ovium: donec te disperdat, & conterat in cunctis urbibus tuis, & destruantur muri tui firmi atque sublimes, in quibus habebas fiduciam in omni terra tua. Obsideberis intra portas tuas in omni terra tua, quam dabit tibi Dominus Deus tuus, & comedes fructum uteri tui, & carnes filiorum tuorum, & filiarum tuarum quas dederit tibi Dominus Deus tuus, in angustia & vastitate qua opprimet te hostis tuus. Homo delicatus in te & luxuriosus, valde invidebit fratri suo, & uxori quæ cubat in sinu suo, ne det eis de carnibus filiorum suorum, quas comedet; eo quod nihil aliud habeat in obsidione & penuria, qua vastaverint te inimici tui intra omnes portas tuas.*

Deut. 32, 25. 26. *Foris vastabit eos gladius, & intus pavor; juvenem simul ac virginem, lactantem cum homine sene. Dixi, Ubinam sunt? cessare faciam ex hominibus memoriam eorum.*

Psalm. 68, 25. & seq. *Effunde super eos iram tuam, & furor iræ tuæ comprehendat eos. Fiat habitatio eorum deserta, & in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet: quoniam quem tu percussisti, persecuti sunt; & super dolorem vulnerum meorum addiderunt.*

Isa. 6, 8. & seq. *Et audivi vocem Domini dicentis, Quem mittam? & quis ibit nobis? Et dixi, Ecce ego, mitte me. Et dixi, Vade, & dices populo huic, Audite audientes, & nolite intelligere; & videte visionem, & nolite cognoscere. Excæca cor populi hujus, & aures ejus aggrava, & oculos ejus claude, ne forte videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, & convertatur, & sanem eum. Et dixi, Usquequo Domine? & dixit, Donec desolentur civitates absque habitatore, & domus sine homine, & terra relinquatur deserta.*

Isa. 25, 1. 2. *Domine Deus meus tu, exaltabo te, & confitebor nomini tuo: quoniam fecisti mirabilia, cogitationes antiquas, fidales, amen. Quia posuisti Civitatem in tumulum,*

MAtth. 23, 38. *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.*

Luc. 19, 41. & seq. *Et ut appropinquavit, videns Civitatem flevit super illam, dicens, Quia si cognovisses & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. Quia venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te, & coangustabunt te undique, & ad terram prosternent te, & filios tuos qui in te sunt; & non relinquent in te lapidem super lapidem, eo quod non cognoveris tempus visitationis tuæ.*

Josephus de bello Judaico, lib. 7. cap. 47. ἑάλω μὲν ὕστερος Ἱεροσόλυμα, ἕτει δευτέρῳ τῆς Οὐεσπασιανοῦ ἡγεμονίας, γορπιαίου μηνὸς ὀγδόῃ. *Sic quidem capta est Hierosolyma, anno secundo imperii Vespasiani, octavo die mensis Gorpiæi.*

Suetonius in Tito, cap. 5. *Novissima Hierosolymorum oppugnatione, duodecim propugnatores totidem sagittarum confecit ictibus; cepitque eam natali filiæ suæ.*

Johannes Xiphilinus, Epitom. Dion. in Vespasiano: ὁ δὲ τίτος τῷ πρὸς ἰουδαίους πολέμῳ ἐπιταχθεὶς, τὰ ἱεροσόλυμα ἑάλω, καὶ τὸν ναὸν ἐνέπρησε· τοῖς δὲ ἰουδαίοις οὐχ ὅτι ὄλεθρος, ἀλλὰ καὶ νίκη, καὶ σωτηρία, ἐυδαιμονίά τε ἅπασι ἐδόκει, ὅτι τῷ ναῷ συναπώλοντο· *Titus autem Judaico bello præfectus, Hierosolyma cepit, & Templum cremavit. Judæis vero, non mors, sed victoria, & salus, & felicitas esse visa est, cum Templo interire.*

Digitized by Google

urbem fortem in vanum, domum illorum, ut non sit Civitas, & in sempiternum non ædificetur. Super hoc laudabit te populus fortis, civitas gentium robustarum timebit te.

Jerem. 19, 10. 11. *Et conteres lagunculam, in oculis virorum qui ibunt tecum. Et dices ad eos, Hæc dicit Dominus exercituum, Sic conteram populum istum, & Civitatem, sicut conteritur vas figuli, quod non potest ultra instaurari.*

Dan. 9, 26. *Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus; & non erit ejus populus, qui eum negaturus est. Et Civitatem, & Sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo: & finis ejus vastitas, & post finem belli statuta desolatio.*

Zach. 13, 6. & seq. & 14, 1. & seq. *Et dicitur ei, Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? Et dicet, His plagatus sum in domo eorum qui diligebant me. Framea, suscitare super pastorem meum, & super virum cohærentem mihi, dicit Dominus exercituum: percute pastorem, & dispergentur oves..... Ecce venient dies Domini, & dividentur spolia in medio tui; & congregabo omnes gentes ad Jerusalem in prælium, & capietur Civitas, & vastabuntur domus, & mulieres violabuntur, & egredietur media pars Civitatis in captivitatem, & reliquum populi non auferetur ex Urbe.*

CAPUT CLXIV.

Hierosolymitani Templi eversio.

3. Reg. 9, 6. 7. *Si autem aversione averti fueritis, vos & filii vestri, non sequentes me, nec custodientes mandata mea, & cæremonias meas quas proposui vobis; sed abieritis & colueritis Deos alienos, & adoraveritis eos, auferam Israel de superficie terræ, quam dedi eis; & Templum quod sanctificavi nomini meo projiciam a conspectu meo, eritque Israel in proverbium & in fabulam cunctis populis. Et domus hæc erit in exemplum: omnis qui transierit per viam stupebit & sibilabit.*

Dan. 9, 26. 27. *Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus: & non erit ejus populus, qui eum negaturus est. Et civitatem, & Sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo; & finis ejus vastitas, & post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una; & in dimidio hebdomadis deficiet hostia & sacrificium; & erit in Templo abominatio desolationis, & usque ad consummationem, & finem perseverabit desolatio.*

Ose. 3, 4. *Quia dies multos sedebunt filii Israel sine rege, & sine principe, & sine sacrificio, & sine altari, & sine Ephod, & sine Theraphim.*

Matth. 24, 1. & seq. *Et egressus Jesus de Templo ibat. Et accesserunt Discipuli ejus, ut ostenderent ei ædificationes Templi. Ipse autem dixit illis, Videtis hæc omnia? Amen dico vobis, non relinquetur hic lapis super lapidem, qui non destruatur.... Cum ergo videritis abominationem desolationis, quæ dicta est a Daniele propheta, stantem in loco sancto, qui legit intelligat; tunc qui in Judæa sunt fugiant ad montes.* Et Marc. 13, 1. & seq. Luc. 21, 5. & seq.

Josephus de bello Judaico, lib. 7. cap. 26. ὁ μὲν οὖν ναὸς οὕτως ἅπαντας καίσαρας ἐμπιπράτω. *Sic igitur Templum invito Cæsare incenditur.*

Johannes Xiphilinus Epitom. Dion. in Tito: ὁ δὲ τίτος, τῷ πρὸς ἰουδαίους πολέμῳ ἐπιταχθεὶς, τὰ ἱεροσόλυμα ἕλε, καὶ τὸν νεὼν ἐνέπρησε· τοῖς δὲ ἰουδαίοις οὐχ ὅτι ὕλεθρος, ἀλλὰ καὶ νίκη, καὶ σωτηρία, εὐδαιμονίᾳ τε ἅμα καὶ δόξῃ, ὅτι τῷ ναῷ συναπώλοντο. *Titus autem Judaico bello præfectus Hierosolyma cepit, & Templum cremavit; Judæi vero, non mortis, sed victoriæ, & salutis, & felicitatis duxerunt loco, simul cum Templo interire.*

CAPUT CLXV.

Urbis & Templi instaurandi spes omnis Judæis ademta.

Isa. 5, 25. *Ideo iratus est furor Domini in populum suum, & extendit manum suam super eum, & percussit eum: & conturbati sunt montes, & facta sunt morticinia eorum, quasi stercus in medio platearum. In his omnibus*

Matth. 23, 38. *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.*

Ammianus Marcellinus lib. 23. de Juliano: *Ambitiosum quondam apud Hierosolyma Templum, quod post multa & interneciva certamina,*

Digitized by Google

non est aversus furor ejus, sed adhuc manus ejus extenta.

Isa. 25, 2. *Posuisti Civitatem in tumulum, Urbem fortem in ruinam, domum alienorum; ut non sit Civitas, & in sempiternum non ædificetur.*

Jerem. 19, 11. *Hæc dicit Dominus exercituum, Sic conteram populum istum, & Civitatem istam, sicut conteritur vas figuli, quod non potest ultra instaurari.*

Dan. 9, 26. 27. *Et Civitatem, & Sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, & finis ejus vastitas, & post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una: & in dimidio hebdomadis deficiet hostia & sacrificium; & erit in Templo abominatio desolationis, & usque ad consummationem & finem perseverabit desolatio.*

Amos. 5, 1. *Audite verbum, quod ego levo super vos planctum: Israel cecidit, & non adjiciet ut resurgat: virgo Israel projecta est in terram suam, non est qui suscitet eam.*

certamina, obsidente Vespasiano, posteaque Tito, agre est oppugnatum, instaurare sumtibus cogitabat immodicis, negotiumque maturandum Alypio dederat Antiochensi, qui olim Britannias curaverat pro præfectis. Cum itaque rei idem instaret Alypius, juvaretque Provinciæ rector, metuendi globi flammarum prope fundamenta crebris assultibus erumpentes fecere locum, exustis aliquoties operantibus, inaccessum: hocque modo elemento destinatius repellente, cessavit inceptum.

Johannes Chrysostomus Orat. 3. in Judæos: προεῖπεν (ὁ Δανιὴλ) ὅτι ἕως συντελείας καθέξει αὐτὸς (Ἰουδαίους) ἡ δουλεία αὕτη. καὶ μαρτυρεῖ τοῖς ἐρημένοις ὁ χρόνος ὁ τοσοῦτος ἐξ ἐκείνου γενόμενος, καὶ οὐδὲ ἴχνος, οὐδὲ προοίμιον οὐδέπω μέχρι καὶ σήμερον ἐμφήνας χρηστῆς μεταβολῆς· καὶ ταῦτα πολλάκις ἐπιχειρησάντων αὐτῶν ἀνιστῆσαι τὸν ναόν. καὶ γὰρ καὶ ἅπαξ, καὶ δὶς, καὶ τρὶς, ἐπὶ Ἁδριανοῦ, καὶ Κωνσταντίνου, καὶ Ἰουλιανοῦ ἐπιχειρήσαντες διεκωλύθησαν, τότε μὲν ὑπὸ στρατιωτῶν, ὕστερον δὲ πυρὸς τῶν θεμελίων ἐκπηδήσαντος, καὶ κατασχόντος αὐτοὺς τῆς ἐκείνου φιλανθρωπίας· *Prædixit Daniel futurum ut hac servitute premantur usque ad finem. Et his dictis testimonium præbet tam diuturnum tempus jam inde elapsum, nullum ipsis vestigium vel initium felicis mutationis ad hunc usque diem ostentans; cum tamen instaurare Templum sapius tentaverint. Hoc enim semel, bis, ac tertio aggressi, sub Hadriano, & Constantino, & Juliano, repressi sunt; tunc quidem a militibus, postremo tandem ab igne e fundamentis erumpente, & intempestivos eorum conatus reprimente,* Vide & Chrysostomum Homil. 4. in Matth. & Homil. 41. in Acta: & Serm. 2. in Babylam: & Serm. 2. in Judæos: & in Demonstrat. ὅτι θεὸς ὁ χριστός· Gregorium Nazianz. Orat. 4. Philostorgium Hist. Eccl. lib. 7. cap. 9. & 14. Theodoretum Hist. Eccl. lib. 3. cap. 20. Socratem lib. 3. cap. 20. Sozomenum lib. 5. c. 22. Ambrosium Epist. 29. ad Theodosium: Rufinum Hist. lib. 1. cap. 38. & 39. Sulpitium Severum Hist. lib. 2. Cassiodorum Hist. Tripart. lib. 6. cap. 43. Freculphum Lexovien sem Hist. lib. 4. cap. 9.

CAPUT CLXVI.

Christus judex.

Psalm. 44, 4. & seq. *Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime. Specie tua, & pulchritudine tua intende, prospere procede, & regna, propter veritatem, & mansuetudinem, & justitiam: & deducet te mirabiliter dextera tua. Sagitta tuæ acutæ, populi sub te cadent, in corda inimicorum regis. Sedes tua, Deus, in seculum seculi; virga directionis, virga regni tui. Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem.*

Psalm. 71, 1. & seq. *Deus judicium tuum regi da, & justitiam tuam filio regis; judicare populum tuum in justitia, & pauperes tuos*

Matth. 9, 2. & seq. *Et ecce offerebant ei Paralyticum jacentem in lecto. Et videns Jesus fidem illorum dixit Paralytico, Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua..... Ut autem sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, tunc ait Paralytico, Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.* Et Marc. 2, 3. & seq. Luc. 5, 18. & seq.

Matth. 16, 17. 19. *Respondens autem Jesus dixit ei, Et tibi dabo claves regni cœlorum: & quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis; & quodcunque solveris*

super

Digitized by Google

in judicio. Suſcipiant montes pacem populo, & colles juſtitiam. Judicabit pauperes populi, & ſalvos faciet filios pauperum, & humiliabit calumniatorem; & permanebit cum Sole, & ante Lunam, in generatione & generationem.

Pſalm. 97, 8. 9. *Flumina plaudent manu, ſimul montes exultabunt a conſpectu Domini, quoniam venit judicare terram. Judicabit orbem terrarum in juſtitia, & populos in æquitate.*

Iſa. 2, 3. 4. *Et ibunt populi multi, & dicent Venite, & aſcendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Jacob, & docebit nos vias ſuas, & ambulabimus in ſemitis ejus; & quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Jeruſalem; & judicabit gentes, & arguet populos multos.* Et Mich. 4, 2. 3.

Iſa. 11, 1. & ſeq. *Et egredietur virga de radice Jeſſe, & flos de radice ejus aſcendet..... Non ſecundum viſionem oculorum judicabit, neque ſecundum auditum aurium arguet: ſed judicabit in juſtitia pauperes, & arguet in æquitate pro manſuetis terræ; & percutiet terram virga oris ſui, & ſpiritu labiorum ſuorum interficiet impium.*

Iſa. 13, 9. & ſeq. *Ecce dies Domini veniet crudelis, & indignationis plenus, & iræ, furorisque, ad ponendam terram in ſolitudinem, & peccatores ejus conterendos de ea: quoniam ſtellæ cœli, & ſplendor earum, non expandent lumen ſuum: obtenebratus eſt Sol in ortu ſuo, & Luna non ſplendebit in lumine ſuo. Et viſitabo ſuper orbis mala, & contra impios iniquitatem eorum, & quieſcere faciam ſuperbiam infidelium, & arrogantiam fortium humiliabo. Pretioſior erit vir auro, & homo mundo obryzo. Super hoc cœlum turbabo, & movebitur terra de loco ſuo, propter indignationem Domini exercituum, & propter diem iræ furoris ejus.*

Iſa. 33, 22. *Dominus enim judex noſter, Dominus legifer noſter, Dominus rex noſter, ipſe ſalvabit nos.*

Iſa. 42, 1. *Ecce ſervus meus, ſuſcipiam eum; electus meus, complacuit ſibi in illo anima mea; dedi ſpiritum meum ſuper eum, judicium gentibus proferet. Non clamabit, neque accipiet perſonam, nec audietur vox ejus foris. Calamum quaſſatum non conteret, & linum fumigans non extinguet, in veritate educet judicium. Non erit triſtis, neque turbulentus, donec ponat in terra judicium, & legem ejus inſula expectabunt.*

ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis. Et Matth. 18, 18. Joh. 20, 23.

Matth. 16, 27. *Filius enim hominis venturus eſt in gloria Patris ſui cum Angelis ſuis, & tunc reddet unicuique ſecundum opera ejus.* Et Matth. 24, 30. & 26, 64. Marc. 8, 38. & 13, 24. & ſeq. Luc. 11, 25. & ſeq. Act. 1, 11. & 3, 20. 21. Rom. 2, 6. & 1. Theſſ. 1, 10. & 4, 14. & ſeq. & 2. Theſſ. 1, 10. Apoc. 1, 7. & 2, 23.

Matth. 25, 31. & ſeq. *Cum autem venerit Filius hominis in majeſtate ſua, & omnes Angeli cum eo, tunc ſedebit ſuper ſedem majeſtatis ſuæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes, & ſeparabit eos ab invicem, ſicut paſtor ſegregat oves ab hœdis; & ſtatuet oves quidem a dextris ſuis, hœdos autem a ſiniſtris. Tunc dicet Rex his qui a dextris ejus erunt, Venite, benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum a conſtitutione mundi..... Tunc dicet & his qui a ſiniſtris erunt, Diſcedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo, & Angelis ejus..... Et ibunt hi in ſupplicium æternum; juſti autem in vitam æternam.*

Joh. 5, 22. & ſeq. *Neque enim Pater judicat quemquam, ſed omne judicium dedit Filio..... & poteſtatem dedit ei judicium facere, quia Filius hominis eſt..... Non poſſum ego a me ipſo facere quicquam: ſicut audio, judico, & judicium meum juſtum eſt.*

Joh. 8, 3. & ſeq. *Adducunt autem Scribæ & Phariſæi mulierem in adulterio deprehenſam, & ſtatuerunt eam in medio, & dixerunt ei, Magiſter, hæc mulier modo deprehenſa eſt in adulterio. In Lege autem Moyſes mandavit nobis hujusmodi lapidare. Tu ergo quid dicis? ..... Erigens autem ſe Jeſus, dixit ei, Mulier, ubi ſunt qui te accuſabant? nemo te condemnavit? Quæ dixit, Nemo, Domine. Dixit autem Jeſus, Nec ego te condemnabo: vade, & jam amplius noli peccare.*

Act. 10, 42. *Et præcepit nobis prædicare populo, & teſtificari quia ipſe eſt, qui conſtitutus eſt a Deo judex vivorum & mortuorum.*

Act. 17, 31. *Eo quod ſtatuit diem, in quo judicaturus eſt orbem in æquitate; in viro in quo ſtatuit, fidem præbens omnibus, ſuſcitans eum a mortuis.*

Rom. 14, 10. *Omnes enim ſtabimus ante tribunal Chriſti: ſcriptum eſt enim, Vivo ego, dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu,*

Digitized by Google

Isa. 49, 25. *Eos vero, qui judicaverunt te, ego judicabo, & filios tuos ego salvabo.*

Isa. 51, 5. *Prope est Justus meus, egressus est Salvator meus, & brachia mea populos judicabunt; me insulæ expectabunt, & brachium meum sustinebunt.*

Isa. 66, 15. & seq. *Quia ecce Dominus in igne veniet, & quasi turbo quadrigæ ejus; reddere in indignatione furorem suum, & increpationem suam in flamma ignis; quia in igne Dominus dijudicabit, & in gladio suo ad omnem carnem.*

Jerem. 23, 5. 6. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus: & suscitabo David germen justum, & regnabit rex, & sapiens erit, & faciet judicium, & justitiam in terra.* Et Jer. 33, 15.

gens, & omnis lingua confitebitur Deo. Et 2. Cor. 5, 10.

2. Thess. 1, 7. & seq. *In revelatione Domini Jesu de cœlo cum Angelis virtutis ejus, in flamma ignis dantis vindictam iis qui non noverunt Deum, & qui non obediunt Evangelio Domini nostri Jesu Christi; qui pœnas dabunt in interitu æternas a facie Domini, & a gloria virtutis ejus, cum venerit glorificari in sanctis suis, & admirabilis fieri in omnibus qui crediderunt.*

2. Tim. 4, 8. *In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die, justus judex; non solum autem mihi, sed & iis qui diligunt adventum ejus.*

Ezech. 34, 17. & seq. *Vos autem greges mei, hæc dicit Dominus Deus, Ecce ego judico inter pecus & pecus, arietum & hircorum. . . . Propterea hæc dicit Dominus Deus ad vos, Ecce ego ipse judico inter pecus pingue & macilentum: pro eo quod lateribus & humeris impingebatis, & cornibus vestris ventilabatis omnia infirma pecora, donec dispergerentur foras, salvabo gregem meum, & non erit ultra in rapinam, & judicabo inter pecus & pecus. Et suscitabo super eas pastorem unum, qui pascat eas, servum meum David.*

Dan. 7, 9. & seq. *Aspiciebam, donec throni positi sunt, & Antiquus dierum sedit . . . . . judicium sedit, & libri aperti sunt . . . . . Et ecce cum nubibus cœli quasi Filius hominis veniebat, & usque ad Antiquum dierum pervenit, & in conspectu ejus obtulerunt eum. Et dedit ei potestatem, & honorem, & regnum: & omnes populi, tribus, & linguæ ipsi servient; potestas ejus, potestas æterna, quæ non auferetur, & regnum ejus quod non corrumpetur.*

Joel. 2, 1. & seq. *Canite tuba in Sion, ululate in monte sancto meo, conturbentur omnes habitatores terræ; quia venit dies Domini, quia prope est dies tenebrarum & caliginis, dies nubis & turbinis . . . . . Et dabo prodigia in cœlo, & in terra sanguinem, & ignem, & vaporem fumi: Sol convertetur in tenebras, & Luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus & horribilis. Et erit, omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit.*

Mich. 4, 1. & seq. *Et erit in novissimo dierum, erit mons Dominus Domini præparatus in vertice montium, & sublimis super colles: & fluent ad eum populi. Et properabunt gentes multæ, & dicent, Venite, ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Jacob: & docebit nos de viis suis, & ibimus in semitis ejus: quia de Sion egredietur lex, & verbum Domini de Jerusalem. Et judicabit populos multos, & corripiet gentes fortes usque in longinquum.*

Soph. 3, 8. *Quapropter expecta me, dicit Dominus, in die resurrectionis meæ in futurum, quia judicium meum, ut congregem gentes, & colligam regna, & effundam super eos indignationem meam, omnem iram furoris mei; in igne enim zeli mei devorabitur omnis terra.*

CAPUT CLXVII.

Apostoli Jesu judices.

SAp. 3, 7. 8. *Fulgebunt justi, & tanquam scintillæ in arundineto discurrent: judicabunt nationes, & dominabuntur populis, & regnabit Dominus illorum in perpetuum.*

MAtth. 19, 28. *Jesus autem dixit illis, Amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel.* Et Luc. 22, 28. & seq.

Digitized by Google

CAPUT CLXVIII.

Jesu omnis potestas a Patre data.

DAn. 7, 13. 14. *Aspiciebam ergo in visione noctis, & ecce cum nubibus cœli quasi Filius hominis veniebat, & usque ad Antiquum dierum pervenit; & in conspectu ejus obtulerunt eum. Et dedit ei potestatem, & honorem, & regnum; & omnes populi, tribus & linguæ ipsi servient: potestas ejus, potestas æterna quæ non auferetur: & regnum ejus, quod non corrumpetur.*

MAtth. 28, 18. *Et accedens Jesus locutus est eis, dicens, Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.*

Joh. 13, 3. *Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus.*

Joh. 17, 1. 2. *Hæc locutus est Jesus, & sublevatis oculis in cœlum, dixit, Pater, venit hora, clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te: sicut dedisti ei potestatem omnis carnis; ut omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam.*

Ebr. 1, 2. *Novissime diebus istis locutus est nobis in Filio, quem constituit hæredem universorum.*

Ebr. 2, 8. *Omnia subjecisti sub pedibus ejus. In eo enim quod omnia ei subjecit, nihil dimisit non subjectum ei.*

Apoc. 1, 18. *Habeo claves inferni & mortis.*

Apoc. 11, 15. *Factum est regnum hujus mundi Domini nostri & Christi ejus, & regnabit in sæcula sæculorum. Amen.*

CAPUT CLXIX.

Jesus Servator.

PSalm. 71, 1. & seq. *Deus judicium tuum regi da, & justitiam tuam filio regis..... judicabit pauperes populi, & salvos faciet filios pauperum, & humiliabit calumniatorem. Et permanebit cum Sole, & ante Lunam, in generatione, & generationem.*

Psalm. 73, 12. *Deus autem rex noster ante sæcula, operatus est salutem in medio terræ.*

Psalm. 97, 1. & seq. *Cantate Domino canticum novum, quia mirabilia fecit. Salvavit sibi dextera ejus, & brachium sanctum ejus. Notum fecit Dominus salutare suum; in conspectu gentium revelavit justitiam suam. Recordatus est misericordiæ suæ, & veritatis suæ domui Israel. Viderunt omnes termini terræ salutare Dei nostri.*

Psalm. 117, 21. & seq. *Confitebor tibi quoniam exaudisti me, & factus es mihi in salutem. Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris. Hæc dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea. O Domine, salvum me fac; o Domine, bene prosperare: benedictus qui venit in nomine Domini..... Confitebor tibi, quoniam exaudisti me, & factus es mihi in salutem.*

Isa. 12, 2. 3. *Ecce Deus Salvator meus, fiducialiter agam, & non timebo: quia*

MAtth. 1, 21. & seq. *Pariet autem Filium, & vocabis nomen ejus Jesum; ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* Et Luc. 1, 31. & 2, 21.

Matth. 18, 11. *Venit enim Filius hominis salvare quod perierat.* Et Luc. 9, 56. & 19. 10.

Matth. 27, 39. & seq. *Prætereuntes autem blasphemabant eum, moventes capita sua, & dicentes, Vah, qui destruis Templum Dei, & in triduo illud reædificas; salva temetipsum; si Filius Dei es, descende de cruce. Similiter & Principes Sacerdotum illudentes cum Scribis & Senioribus dicebant, Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere.* Et Marc. 15, 28. 29. Luc. 23, 35. & seq.

Luc. 1, 69. & seq. *Et erexit cornu salutis nobis, in domo David pueri sui, sicut locutus est per os sanctorum, qui a sæculo sunt, Prophetarum ejus; salutem ex inimicis nostris, & de manu omnium qui oderunt nos.*

Luc. 2, 10. *Et dixit illis Angelus, Nolite timere, ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo; quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David.*

Luc. 2, 29. 30. *Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace; quia viderunt oculi mei salutare tuum, quod*

Digitized by Google

fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem. Hauritis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.

Isa. 19, 19. 20. *In die illa erit altare Domini in medio terræ Ægypti, & titulus Domini juxta terminum ejus erit in signum, & in testimonium Domino exercituum in terra Ægypti. Clamabunt enim ad Dominum a facie tribulantis, & mittet eis Salvatorem & propugnatorem, qui liberet eos.*

Isa. 25, 8. 9. *Præcipitabit mortem in sempiternum, & auferet Dominus Deus lacrymam ab omni facie, & opprobrium populi sui auferet de universa terra, quia Dominus locutus est. Et dicet in die illa, Ecce Deus noster iste, expectavimus eum, & salvavit nos: iste Dominus, sustinuimus eum, & salvavit nos: iste Dominus, sustinuimus eum, exultabimur, & lætabimur in salutari ejus.*

Isa. 33, 22. *Dominus enim judex noster, Dominus legifer noster, Dominus rex noster, ipse salvabit nos.*

Isa. 35, 4. & seq. *Dicite pusillanimis, Confortamini, & nolite timere: ecce Deus vester ultionem adducet retributionis, Deus ipse veniet, & salvabit vos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt: tunc saliet sicut cervus claudus, & aperta erit lingua mutorum.*

Isa. 45, 8. *Rorate cæli desuper, & nubes pluant Justum; aperiatur terra, & germinet Salvatorem, & justitia oriatur simul: ego Dominus creavi eum.*

Isa. 46, 12. 13. *Audite me duro corde, qui longe estis a justitia: prope feci justitiam meum, non elongabitur, & salus mea non morabitur. Dabo in Sion salutem, & in Israel gloriam meam.*

Isa. 49, 6. 25. *Ex dixit, Parum est ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Jacob, & fæces Israel convertendas; ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ.... Quia hæc dicit Dominus, Equidem & captivitas a forti tolletur, & quod ablatum fuerit a robusto salvabitur. Eos vero qui judicaverunt te, & ego judicabo: filios tuos ego salvabo.*

Isa. 51, 5. *Prope est Justus meus, egressus est Salvator meus; & brachia mea populos judicabunt: me insulæ expectabunt, & brachium meum sustinebunt.*

Isa. 52, 10. *Paravit Dominus brachium quod paraſti ante faciem omnium populorum.*

Luc. 3, 4. & seq. *Sicut scriptum est in libro sermonum Isaiæ prophetæ, Vox clamantis in deserto, Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus..... & videbit omnis caro salutare Dei.*

Joh. 3, 14. & seq. *Et sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam. Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam. Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum.* Et Joh. 12, 47.

Joh. 4, 22. 42. *Vos adoratis quod nescitis; nos adoramus quod scimus, quia salus ex Judæis est..... Et mulieri dicebant, Quia jam non propter tuam loquelam credimus, ipsi enim audivimus, & scimus quia hic est vere Salvator mundi.*

Joh. 5, 34. *Ego autem non ab homine testimonium accipio, sed hæc dico ut vos salvi sitis.*

Joh. 10, 9. *Ego sum ostium: per me si quis introierit, salvabitur.*

Joh. 17, 1. 2. *Hæc locutus est Jesus: & sublevatis oculis in cœlum, dixit, Pater, venit hora, clarifica filium tuum, ut Filius tuus clarificet te; sicut dedisti ei potestatem omnis carnis; ut omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam.*

Act. 4, 10. & seq. *Notum sit omnibus vobis, & omni plebi Israel, quia in nomine Domini nostri Jesu Christi Nazareni, quem vos crucifixistis, quem Deus suscitavit a mortuis, in hoc iste adstat coram vobis sanus. Hic est lapis, qui reprobatus est a vobis ædificantibus, qui factus est in caput anguli; & non est in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.*

Act. 5, 30. 31. *Deus patrum nostrorum suscitavit Jesum, quem vos interemistis suspendentes in ligno. Hunc Principem & Salvatorem Deus exaltavit dextera sua.*

Act. 13, 23. *Hujus Deus ex semine, secundum promissionem, eduxit Israel Salvatorem Jesum.*

Act. 13, 47. *Sic enim præcepit nobis*

Digitized by Google

ſanctum ſuum in oculis omnium gentium, & videbunt omnes fines terræ ſalutare Dei noſtri.

Iſa. 60, 16. *Et ſcies quia ego Dominus ſalvans te, & redemtor tuus fortis Jacob.*

Iſa. 62, 1. 11. *Propter Sion non tacebo, & propter Jeruſalem non quieſcam, donec egrediatur ut ſplendor Juſtus ejus, & Salvator ejus ut lampas accendatur ..... Ecce Dominus auditum fecit in extremis terræ, Dicite filiæ Sion, Ecce Salvator tuus venit; ecce merces ejus cum eo, & opus illius coram illo.*

Iſa. 63, 8. 9. *Et dixit, Verumtamen populus meus eſt, filii non negantes, & factus eſt eis Salvator. In omni tribulatione eorum non eſt tribulatus, & Angelus faciei ejus ſalvavit eos: in dilectione ſua, & in indulgentia ſua ipſe redemit eos, & portavit eos, & elevavit eos cunctis diebus ſeculi.*

Jerem. 23, 5. 6. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & ſuſcitabo David germen juſtum, & regnabit Rex, & ſapiens erit, & faciet judicium & juſtitiam in terra. In diebus illis ſalvabitur Juda, & Iſrael habitabit confidenter; & hoc eſt nomen quod vocabunt eum, Dominus juſtus noſter.* Et Jerem. 33, 16.

Joel. 2, 31, 32. *Sol convertetur in tenebras, & Luna in ſanguinem, antequam veniat dies Domini magnus & horribilis. Et erit, omnis qui invocaverit nomen Domini, ſalvus erit; quia in monte Sion, & in Jeruſalem erit ſalvatio, ſicut dixit Dominus, & in reſiduis quos Dominus vocaverit.*

Habac. 3, 13. 18. *Egreſſus es in ſalutem populi tui, in ſalutem cum Chriſto tuo ..... Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Jeſu meo.*

Zach. 9, 9. *Exulta ſatis, filia Sion; jubila, filia Jeruſalem; ecce Rex veniet tibi juſtus & Salvator; ipſe pauper & aſcendens ſuper aſinam, & ſuper pullum filium aſinæ.*

Dominus, Poſui te in lucem gentium, ut ſis in ſalutem usque ad extremum terræ.

Act. 28, 28. *Notum ergo ſit vobis, quoniam gentibus miſſum eſt hoc ſalutare Dei.*

Rom. 5, 9. 10. *Chriſtus pro nobis mortuus eſt; multo igitur magis nunc juſtificati in ſanguine ipſius, ſalvi erimus ab ira per ipſum. Si enim, cum inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem Filii ejus; multo magis reconciliati, ſalvi erimus in vita ipſius.*

Eph. 2, 5. *Et cum eſſemus mortui peccatis, convivificavit nos in Chriſto, cujus gratia eſtis ſalvati.*

Eph. 5, 23. *Quoniam vir caput eſt mulieris, ſicut Chriſtus caput eſt Eccleſiæ; ipſe Salvator corporis ejus.*

Phil. 3, 20. *Noſtra autem converſatio in cœlis eſt, unde etiam Salvatorem expectamus Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.*

1. Tim. 1, 15. *Fidelis ſermo, & omni acceptione dignus, quod Chriſtus Jeſus venit in hunc mundum peccatores ſalvos facere; quorum primus ego ſum.*

Tit. 1, 4. *Tito dilecto filio, ſecundum communem fidem, gratia & pax a Deo Patre, & Chriſto Jeſu Salvatore noſtro.*

Tit. 2, 13. *Expectantes beatam ſpem, & adventum gloriæ magni Dei, & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti.*

Tit. 3, 4. & ſeq. *Cum autem benignitas & humanitas apparuit Salvatoris noſtri Dei, non ex operibus juſtitiæ, quæ fecimus nos; ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit, per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus ſancti, quem effudit in nos abunde per Jeſum Chriſtum Salvatorem noſtrum, ut juſtificati gratia ipſius, hæredes ſimus ſecundum ſpem vitæ æternæ.*

Ebr. 2, 10. *Decebat enim eum, propter quem omnia, per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem ſalutis eorum per paſſionem conſummare.*

Ebr. 5, 8. 9. *Et quidem cum eſſet Filius Dei, didicit ex iis, quæ paſſus eſt, obedientiam; & conſummatus factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi cauſſa ſalutis æternæ.*

Ebr. 7, 25. *Unde & ſalvare in perpetuum poteſt accedentes per ſemetipſum ad Deum.*

Ebr. 9, 28. *Sic & Chriſtus ſemel oblatus eſt ad multorum exhaurienda peccata; ſecundo ſine peccato apparebit expectantibus ſe in ſalutem.*

2. Petr. 1, 1. *Simon Petrus, ſervus & Apoſtolus Jeſu Chriſti, iis qui coæqualem nobiſcum ſortiti ſunt fidem, in juſtitia Dei noſtri, & Salvatoris Jeſu Chriſti.* Et 1, 11. & 2, 20. & 3, 2. 18.

1. Joh. 4, 9. 14. *In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam filium ſuum unigenitum miſit Deus in mundum, ut vivamus per eum ..... Et nos vidimus, & teſtificamur, quoniam Pater miſit Filium ſuum, Salvatorem mundi.*

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT CLXX.

Varii Jesu typi colliguntur e Veteri Testamento.

I. *Adamus*, II. *Abel*, III. *Noachus*, IV. *Melchisedechus*, V. *Isaacus*, VI. *Aries ab Abrahamo immolatus*, VII. *Josephus*, VIII. *Agnus in festo Paschæ die immolari solitus*, IX. *Columna ignea, Manna, Rupes in deserto aquas fundens*, X. *Hirtus ἐκπορευόμενος*, XI. *Serpens æneus*, XII. *Moses*, XIII. *Aaron*, XIV. *Josue*, XV. *Samson*, XVI. *Samuel*, XVII. *David*, XVIII. *Salomon*, XIX. *Jonas*, XX. *Eliacimus Helciæ filius*, XXI. *Jeremias*, XXII. *Zorobabel*, XXIII. *& Jesus Josedecides.*

Adamus. I. Subjecimus Lectorum oculis Prophetias omnes Veteris Testamenti ad Christum Jesum pertinentes, iisque opposita Novi testimonia, quibus illarum exitus continetur. Prophetias omnes dico, nam si quæ fortasse in tanta copia diligentiam effugit nostram, vel brevitatis studio prætermissa fuit, vel præ tot aliis clarissimis & apertissimis, quas proferimus, non magni certe momenti censenda est. Si tamen ita loqui fas est, cum prædictio nulla προλαμτικὴ *(prænuntia)* Christi Jesu, pondere ac dignitate careat. Nunc quoniam diximus supra, duplex in sacris Codicibus vaticiniorum genus extare, alterum per verba, per signa alterum; cum jam priori generi satisfecerimus, aliud nobis superest exequendum, quod breviore gyro circumscribemus. Primum dat Jesu typum, hominum omnium parens Adamus; vel ipso monstrante Apostolo, qui formam eum esse futuri pronuntiat. Tum deinde hane inter ipsos comparationem instituit: *Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ. Sicut enim per inobedientiam unius hominis, peccatores constituti sunt multi; ita & per unius obeditionem, justi constituuntur multi.* Tum alibi: *Nunc autem Christus resurrexit a mortuis, primitiæ dormientium: quoniam quidem per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum. Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur.* Deinde: *Factus est primus homo Adam in animam viventem; novissimus Adam in spiritum vivificantem..... Primus homo de terra, terrenus; secundus homo de cælo, cælestis. Qualis terrenus, tales & terreni: & qualis cælestis, tales & cælestes. Igitur sicut portavimus imaginem terreni, portemus & imaginem cælestis.* Huc adde, utrumque fuisse Filium Dei: nam stemma Christi Jesu pertexens Lucas, Adamum appellat Filium Dei; & a Jesu filio Dei hanc seriem auspicatus, in Adamo Dei filio desinit. Sexto die creatur Adamus: sexto die mortem subit Christus. Ad imaginem Dei creatus est Adamus: Jesus *est imago Dei invisibilis, & figura substantiæ ejus, & speculum sine macula Dei majestatis, & imago bonitatis illius.* De terra virgine fictus est Adamus; Jesus de puella virgine. Adamum jussit Deus dominari *piscibus maris, & volatilibus cæli, & universis animantibus, quæ moventur super terram:* datam sibi omnem potestatem in cœlo & in terra prædicat Jesus. Conjugium Adami & Evæ, individuum Christi Jesu & Ecclesiæ connubium referre auctor quoque est Paulus in Epistola ad Ephesios. Evæ suasu admittitur peccatum: Mariæ partu oritur peccati remedium. Per lignum morti nos tradit Adamus: per lignum vitæ nos restituit Jesus. Fructum arboris, per quem bonum & malum noscebatur, degustat Adamus: de Christo Jesu prædixit Isaias: *Butyrum & mel comedet, ut sciat reprobare malum, & eligere bonum.* Nudus peccavit Adamus; nudus peccatum in cruce reparavit Christus. Post admissum peccatum terrestri Paradiso exit Adamus: post reparatum peccatum cœlestem paradisum subit Jesus. Dormiente Adamo creatus Eva: moriente Jesu nascitur Ecclesia. Ex Adamo & Eva nascuntur homines: Ex Christo & Ecclesia renascuntur homines. Quin & Ebræi sepultum in Golgotha monte Adamum fabulati sunt. Penes eos rei fides esto: palam certe refragatur Hieronymus. Hanc comparationem a contrariis petiisse Paulum recte observatum est ab Origene: ita ut in genere similitudo, in specie oppositio inter utrumque appareat.

Rom. 5, 14. 18. 19.

1. Cor. 15, 20. & seq.

Luc. 3, 38.

Col. 1, 15. Ebr. 1, 2. Sap. 7, 26. Phil. 2, 6.

Gen. 1, 28.

Matth. 28, 18.

Eph. 5, 31. 33.

Isa. 7, 15.

Hieron. in Matth. 27, 33. Orig. in Epist. ad Roman. l. 5.

II. Alteram Jesu Christi figuram exhibet *Abel*, nobis Abelis & Cain historia. Quemadmodum enim Abeli integerrimo viro Caini

Digitized by Google

fratris invidiam conflavit eximia pietas; ita Jesu hominum omnium innocentissima fratrum Judæorum odium virtutes suæ pepererunt. Fuit Abel ovium pastor; Jesus hominum. Abeli mortem parat Cainus, Jesu Judæi. Abelum foras ad mortem educit Cainus; Jesum Judæi ad supplicium extra Hierosolymam rapiunt. Vox sanguinis Abelis clamat ad Deum de terra: de Jesu sic disserit Paulus
Ebr. 12, 24. ad Ebræos: *Accessistis ad Testamenti Novi mediatorem Jesum, & sanguinis aspersionem melius loquentem, quam Abel.* Hanc Caino pœnam criminis irrogat Deus, ut sacer & detestabilis sit in terra hac, quam fraterno sanguine respersit: Judæos vulgo execrabiles esse videmus; in Ecclesia præsertim Christiana, quæ Jesu sanguine lota ac mundata est. Futurum præterea addit Deus, ut terram a se fœdatam vanis laboribus Cainus exerceat, nullos ipsi fructus, operæ pretium nullum reddituram: miseranda quippe hæc est Judæorum conditio, ut pricam & antiquatam Synagogam, & abrogatos ritus frustra concelebrent, nec quicquam proficiant ad salutem. Exilio quoque Cainum multat Deus, patriisque sedibus ejicit; sic tamen ut tutam ei & incolumem vitam præstet: profugi passim & extorres errant Judæi, nec penitus tamen exsinduntur, sed certa gens, ab aliis discreta esse pergunt; juxta illustre
Jer. 31, 33. hoc Jeremiæ oraculum: *Hæc dicit Dominus, qui dat Solem in lumine diei, ordinem Lunæ & stellarum in lumine noctis: qui turbat mare, & sonant fluctus ejus; Dominus exercituum nomen illi. Si defecerint leges istæ coram me, dicit Dominus, tunc & semen Israel deficiet, ut non sit gens coram me cunctis diebus.* Signo quodam Cainum notavit Deus, quo agnitus vulgo mortem effugeret: Judæi variis in locis certo colore vel nota insignes esse jubentur. Hanc
Rupert. l. 3. Comment. in Gen. c. 6. Christi Jesu & Abelis comparationem prosecutus est Rupertus Abbas Tuitiensis.

Noachus. III. Alius etiam Christi typus in Noacho consistit, cujus nomen petitur a verbo נוח, cui consolationis & quietis significatio inest: id de se pollicetur Jesus cum ait: *Venite ad*
Matth. 11. 28. 29. *me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, & discite a me quia mitis sum & humilis corde; & invenietis requiem animabus vestris.*
Gen. 6, 8. 9. *Noe*, inquit Moses, *invenit gratiam coram Domino; Noe vir justus atque perfectus fuit in generationibus suis, cum Deo ambulavit.* *Jesus*, inquit Lucas, *proficiebat sapientia, & aetate, & gratia apud Deum & homines.* Luc. 2, 40. 52. & 4, 22. *Gratia*, inquit Johannes, *& veritas per Jesum Christum facta est.* Joh. 1, 17. Justum præterea κατ' ἐξοχὴν *(per excellentiam)* dictum fuisse Jesum ostendimus; in æternum vero perfectum esse scribit Paulus ad Ebræos. Terras inundante Ebr. 7, 28. Diluvio, totumque humanum genus delente, ii tantum perniciem instantem effugiunt, quos servat Noachus: grassante per terras peccati lue, hominesque in certum interitum adducente, ii tantum imminenti subducuntur exitio, quos Jesus salvos esse voluit. *Nec* Act. 4, 12. *enim*, inquit Petrus, *aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* Et uterque homines per lignum præstat incolumes. In Arca vero Ecclesiæ figuram deprehenderunt prisci ac novitii Scripturæ sacræ Interpretes; extra quam si qui deprehensi sunt, certissimo interitu, hi temporario, illi æterno sunt consumti. Nudatus Noachus a Chamo filio irrisus est; cum interea filii ejus alii duo singularem ipsi pietatem ac reverentiam præstiterunt; ac propterea illum pater diris devovit, his fausta omnia apprecatus est; nudus in cruce pendens Christus Jesus ab Israele filio ludibrio habitus est; cum verus Israel & populus gentium, ejus quoque filii, in ipsius obsequium cultumque conceserint: & idcirco Deo ille abominatus extrema per omnia infelicem vitam trahit, dum huic cœlestis gratia aspirat.

IV. Præclarum in Melchisedeco Jesu exemplar agnoscit Paulus in Epistola ad Ebræos. Ait enim: *Primum quidem interpretatur Rex justitiæ; deinde autem & Rex Salem; quod est, Rex pacis, sine patre, sine matre, sine genealogia; neque initium dierum, neque finem vitæ habens; assimilatus autem Filio Dei, manet sacerdos in perpetuum.* Hæc in Jesu χαρίσματα *(notæ)* extant valde manifesta: nam & regia ejus potestas, & præstans justitia, & insigne pacis studium, prædicantur in Veteri Testamento ac in Novo, ut probatum est a me in Paralleliſmo. Sine patre natus est, quippe ex Virgine: sine matre, quippe Filius Dei; cujus genealogia nulla est, ut pote Dei, parentum majorumque seriem haudquaquam percensentis. Neque initium habet, neque finem; quippe ab omni retro ævo a *Melchisedecus.* Ebr. 7, 2. 3.

Patre

Patre natus est, nulla temporum diuturnitate
Psal. 109, 3. unquam extinguendus: cui dixit Deus: *Tecum principium in die virtutis tuæ, in splendoribus Sanctorum; ex utero ante Luciferum genui te:*
Eccl. 24, 14. qui ipse de se hæc prædicat: *Ab initio & ante*
Isa. 41, 4. & 44, 6. & 48, 12. *sæcula creata sum, & usque ad futurum sæculum non desinam;* qui primum se & novissimum
Apoc. 22, 13. esse ait, Alpha & Omega, principium & finem. Unde Paulus & comparationem Jesu
Ebr. 7. 22. & seq. cum Melchisedeco persequens, *Melioris testamenti*, inquit, *sponsor factus est Jesus: & alii quidem plures facti sunt sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere: hic autem eo, quod maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium. Unde & salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad*
Ebr. 10. 11. & seq. *Deum, semper vivens ad interpellandum pro*
Psal. 44, 8. *nobis:* quod & subinde repetit. Sacerdos fuit
Tert. adv. Marcion. l. 5. c. 9. Jesus, non oleo illo ex arborum fructibus expresso unctus, sed *oleo lætitiæ præ consortibus suis;* non Ebræorum solum sacerdos, sed Ethnicorum quoque, & ut Tertulliani verba usurpem, *Præputiati Sacerdotii Pontifex*, perinde ut Melchisedec, qui non inter Ethnicos solum, sed erga Abrahamum etiam Ebræorum parentum sacerdotio functus est.
Psal. 109, 6. Ethnicorum etiam rex fuit Melchisedec: Christus *judicabit in nationibus*, ut est in centesimo nono Psalmo. Incircumcisus fuit Melchisedec: Christus circumcisionem abro-
Gen. 14, 18. gavit. Denique & hæc Mosis verba: *At vero Melchisedec rex Salem, proferens panem & vinum, erat enim Sacerdos Dei altissimi, benedixit ei*, Melchisedeci similitudinem aliam declarant cum Jesu Christo, a quo sacrificium panis & vini in Eucharistiæ sacramento institutum est; quod etiam Malachiæ vaticinatione celebratur. Atque hac Christi & Mel-
Malach. 1, 11. chisedeci similitudine ductus Petrus Cunæus,
Cun. de rep. Ebr. l. 3. c. 3. homo acutus & eruditus, unum eumdemque fuisse ausus est asseverare, & in ea forma, quam Christus Jesus gessit deinde in terris, Abrahamo victori sese Filium Dei obtulisse. Quam opinionem expendere, atque eam etiam, quam defendit Hieronymus in Epistola ad Evagrium, instituti mei non est.

Isaacus. V. Multas quoque Jesu similitudines gessisse Isaacum deprehendimus. Isaacum genuit centenarius pater, & ut sacris utar locutionibus, plenus dierum: *Ubi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum;*
Gal. 4, 4. verba sunt Pauli ad Galatas. Qui Christi Pater, *Antiquus dierum* a Daniele appellatur. Dan. 7, 9.
Matre vetula, & illam diem sterili natus est 23.
Isaacus: Synagogæ filius fuit Jesus, matris pulchræ quidem, & decoris ritibus ac splendidis cerimoniis ornatæ, sed jam effœtæ & infœcundæ, quippe non conferentis gratiam Spiritus sancti, per quam cordibus humanis charitas infunditur; gratiam, inquam, illam,
quæ, ut ait Paulus, vita æterna est. Pro- Rom. 6, 23.
missionis filius fuit Isaacus: Jesum Deus *promisit per Prophetas suos in Scripturis sanctis*, inquit Paulus. Unigena uterque fuit. Rom. 1, 2.
Isaacus a patre sacrificio destinatus, & ad mortem ductus est: Deus Jesu *proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum;* uti scribit Paulus ad Romanos. Rom. 8, 32.
Isaacus ligna, quibus imponendus & immolandus erat, itidem ut Jesus crucem, in montem ipse portavit.

VI. Sed & Aries ipse, quem immolavit *Aries ab Abrahamo immolatus.*
Abrahamus, plurimas venturi Christi notas in se habuit. Eadem quippe in ariete σφραγίδια *(signa)* ad Christum pertinentia reperio, ac in agno & ove; quæ supra in Paralleliſmo observari possunt: simplicitatem dico, innocentiam, patientiam, & quod morti vel ab ipso ortu destinantur. Quibus & hæc
adjiciemus; hortari nos Apostolum, ut in- Rom. 13, 14.
duamus Christum, quod detonsa ex arietibus Gal. 3, 27.
lana vestiamur: hortari nos Jesum ipsum
apud Johannem, ut carnem suam edamus, Joh. 6, 50.
quod arietina & agnina carne vescamur: & seq.
cornibus hæsisse in vepreto Arietem Abrahami; spinis Jesum coronatum fuisse, totoque vitæ decursu summas difficultates & angustias toleraſſe: Abrahamum post tergum conspexisse Arietem; sed & Jesum post multos annos de se oriturum prævidisse; atque id significasse Jesum, cum diceret: *Abraham pater vester exultavit, ut videret diem meum: vidit, & gavisus est:* Abrahamum Deo sacrificasse Arietem, Isaaco filio succedaneum; passum quoque esse Deum, ut pro hominibus a se procreatis sibi Jesus mactaretur. Eadem denique loca sacrificio utrique celebrata sunt, illius Morija, hujus Golgotha, mons uterque Hierosolymitanus. Quanquam in ipso Golgotha, in quo mortem tulit Christus, Arietem Abrahami immolatum esse Judæi opinantur.

VII. Damus & aliam Christi Jesu imaginem, Joiephum,

Digitized by Google

Josephus. Josephum, qui itidem, ut Isaacus patre jam sene natus fuit, eoque diuturnam Christi expectationem significavit. Cum præ fratribus a patre diligeretur, fratrum sibi concivit invidiam & odium, quod & Jesu contigit. Josephi somnia, quæ summam illi dignitatem portendebant, in Jesu eventum habuerunt: a fratribus suis adoratus est; nec allegorice tantum, sed revera etiam Sol, & Luna, ac reliquæ stellæ, ad Jesu Dei nutum orbes suos decurrunt. Advenienti Josepho mortem
Gen. 37, 20. fratres meditantur: *Venite*, inquiunt, *occidamus eum:* veniente ad homines Jesu,
Sap. 2, 20. *Morte turpissima*, inquiunt, *condemnemus eum.* Venditur Josephus a fratribus, viginti, vel ut alii Interpretes habent, triginta
Ambros. l. de Patriarch. Joseph. c. 3. August. Serm. de temp. 81. nummis, testibus Ambrosio & Augustino: Jesus a Juda triginta quoque nummis venumdatur. Cruenta Josephi tunica ad Jacobum perlata, cruentam Jesu mortem significat. Apud Potipharem eunuchum
Philip. 2, 7. servitutem serviit Josephus: Jesus *semetipsum exinanivit, formam servi accipiens.* Josephus carcere clausus inter duos reos, alteri mortem, salutem alteri libertatem vaticinatur, oratque ut dignitati restitutus sui meminerit: Jesus cruci affixus inter duos latrones, altero in extremis interitu digna loquente, æternam alteri felicitatem spondet, cum ab eo rogaretur, ut sognum adeptus sui memor esset. Decoram Josephi & elegantem formam non semel laudat Moses: sic laudatur & illa
Psal. 44, 3. Christi in Psalmis: *Speciosus forma præ filiis hominum: diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in æternum.* Ad
Gen. 42, 6. Josephi *nutum frumenta populis vendebantur*, ait Moses: Jesus escas populis esurientibus non semel subministravit; ipse se panem vitæ, panem vivum, qui de cœlo descendit, esse profitetur; qui venerit ad se, non amplius esurieturum, qui panem hunc manducaverit, non moriturum. Josephus suis extitit caussa salutis, propterea eos sic
Gen. 45. 5. 6. alloquitur: *Pro salute vestra misit me Deus ante vos in Ægyptum .... præmisitque me Deus, ut reservemini super terram ... Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum.* Nec suos solum, & Ægyptios, sed exteras quoque gentes fame laborantes sublevavit, &
Gen. 45, 45. 57. *Salvator mundi* a Pharaone dictus est: quæ in Christum Jesum tam apte cadunt, ut non tam de Josepho, quam de ipso scripta esse videantur. Fratres dimittens Josephus, præceptum hoc dat proficiscentibus: *Ne*
Gen. 45, 24. *iracamini in via:* a Discipulis abiturus ad Patrem Jesus, *Pacem*, inquit, *relinquo vobis,*
Joh. 14, 27. *pacem meam do vobis.* Pharao Ægyptios coram Josepho in genua jubet procumbere, totamque Ægyptum ex ipsius arbitrio pendere, & alterum eum esse a Rege: *Deus*
Phil. 2, 9. & seq. *exaltavit Jesum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris.* De Josepho sic fatur moriens Jacob: *Filius*
Gen. 49, 22. *accrescens Joseph, filius accrescens:* de Christo Jesu sic Johannes Baptista: *Illum oportet*
Joh. 3, 29. *crescere, me autem minui;* cujus & figura est lapis ille Danieli memoratus, *qui factus est*
Dan. 2, 35. *mons magnus, & implevit universam terram.*

VIII. Jesum expressit & Paschalis Agnus: *Etenim*, inquit Paulus, *Pascha nostrum immolatus est Christus.* Quæ comparatio cum instituta sit a nobis supra in Paralleliſmo, & accuratissime a Bocharto in Hierozoico, pauca tantum nonnulla commemorabimus. Quo anni, mensis, & diei tempore Paschalis Agnus, hoc ipso immolatus est Christus Jesus. Nam cum alio die Christus, alio Judæorum primores Pascha celebraverint, ἐκ θεοῦ *(non sine Deo)* factum est, ut inciderit veri Agni Christi mors in eum ipsum diem, quo Agni typici sacrificium fieri Moses sanxerat. Notant Steuchus Eugubinus & Masius persuasum esse Judæis, hoc ipso die se a Messia iri redemtum, quo in Ægypto per Agni esum in Phase Domini libertatem adepti sunt. Convenit quoque locus, Hierosolyma; ubi postquam Arca constituta est, paschale sacrificium illic fieri necesse fuit. Agnum mactari oportuit *sine macula:*
1. Petr. 1, 19. Jesum agnum ἄμωμον καὶ ἄσπιλον *(labe & macula carentem)* appellat Petrus in prima Epistola. Paschalem Agnum comedere festinanter, pedibus calceatis, baculos manibus tenentes, & ad iter expediti jubentur Israelitæ: Christus Jesus intra paucas horas captus, damnatus, & morti datus est. Agni & Christi Jesu mors cruenta, utraque in gratiam populi. Sanguis Agni domorum foribus aspersus Ebræis saluti fuit, perinde ut Jesu sanguis universis hominibus, quicunque eo abluuntur. Unde Isaias de Christo:

Agnus in festo Paschæ die immolari solitus, 1. Cor. 5, 7.
Boch. Hieroz. Part. 1. l. 2. c. 50.
Steuch. in Exod. 12, 6.
Mas. in Jos. 5, 10.

Iste

Isa. 52, 15. *Ipse asperget gentes multas.* Ne Agni ossa confringerentur Lege cautum erat: de Jesu Joh. 19, 31. & seq. sic Johannes: *Ad Jesum autem cum venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura ..... Facta sunt enim hæc, ut scriptura impleretur, Os non comminuetis ex eo.* Agni reliquias ullas in crastinum servari nefas erat: Christus de cruce depositus est, & in monumentum conditus ipso interitus sui die. Fermenti usus Paschalibus festis vetitus fuit; & ab Agni esu polluti & incircumcisi arcebantur: ad sacrum corporis Christi epulum accedere debemus, juxta 1. Cor. 5, 8. Pauli præceptum, *non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ, sed in azymis sinceritatis & veritatis.* Post Agni paschalis esum Ægyptiaca statim servitute exemti sunt Israelitæ: per corporis Christi esum, vitiorum, Dæmonum, ac mortis tyrannide liberamur. Sed & hic Israelitici populi ex Ægypto in Chanaanitidem reditus, typus fuit reditus Christi ex eadem regione in patriam. Unde & utrumque reditum una Ose. 11, 1. clausula Oseas significavit: *Ex Ægypto vocavi Filium meum.* Israelem quidem filium suum Exod. 4, 22. primogenitum appellat Deus in Exodo, & Jerem. 31, 9. apud Jeremiam, quæ Christo Jesu convenire ostendimus in Paralleliſmo.

Columna ignea, Manna, Rupes in deserto aquas fundens. 1. Cor. 10, 1. & seq.

IX. Paulus Apostolus in priore ad Corinthios Epistola hæc scribit: *Nolo enim vos ignorare, Fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt; & omnes in Moyse baptizati sunt, in nube, & in mari; & omnes eamdem escam spiritalem manducaverunt, & omnes eumdem potum spiritalem biberunt: (bibebant autem de spiritali consequente eos petra, petra autem erat Christus.)* Quibus intelligimus, & Nubem illam igneam Ebræis prælucentem, & cœlo depluens Manna, & Petram quæ ad tactum Mosis aquis fluxit, futurorum mysteria continere. Tunc baptizati sunt in Nube, ac deinde baptizati sunt in nomine Jesu Christi, ut sæpe loquitur Lucas in Actis; unde liquidum est, Nubem illam Christi typum fuisse. Quid quod & dux dicitur Christus a Prophetis, & lux, & ignis, ut docuimus in Paralleliſmo; quæ in Columnam illam noctu nubilam, igneam interdiu conveniunt. Quid quod in Exodi decimo quarto Exod. 14, 19. capite Angelus Dei castra Israelitarum dicitur Exod. 13, 21. 2 Esdr. 9, 12. præcessisse; cum superiori capite, & nono Nehemiæ, & Psalmo septuagesimo septimo, Deum ipsum se itineris ducem iis præbuisse legamus. Manna vero, panis cœli, & panis Angelorum appellatur in Exodo, & in Psalmis; non quod panis Angelorum, vel cœlestis panis reipsa esset, sed quod veri Angelorum panis, & de cœlo lapsi, Jesu Christi figura esset. Sic ergo Jesus de se apud Johannem: *Non Moyses dedit vobis panem de cœlo, sed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum. Panis enim Dei est, qui de cœlo descendit, & dat vitam mundo.* Et deinde: *Ego sum panis vitæ. Patres vestri manducaverunt manna in deserto, & mortui sunt. Hic est panis de cœlo descendens, ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur.* Vere enim hic est cibus cœlestis, quo animos nostros refici decet, spretis jam Ægyptiis cupediis, terrenarum videlicet rerum studiis. Tum subjicit: *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum; & panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Huc referenda sunt, quæ de Manna in libro Sapientiæ scripta extant: Sap. 16, 20. 21. *Angelorum esca nutrivisti populum tuum, & paratum panem de cœlo præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suavitatem. Substantia enim tua duleedinem tuam, quam in filios habes, ostendebat; & deserviens uniuscujusque voluntati, ad quam quisque volebat, convertebatur.* Dei substantiam Christum appellat, ut pote Ebr. 1, 3. qui sit *Splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus.* Atque illud est absconditum Manna, quod vincenti daturum se pollicetur Spiritus in Apocalypsi, alludens ad Manna, in aurea Apoc. 2, 17. urna reconditum, & in Arca Testamenti asservatum. Nec veteres Judæos fugit hæc Mannæ significatio, nam id Philo esse docet Phil. lib. pejorem meliori insidiari; & libr. Quis sit rerum divinarum hæres. *Verbum divinum rerum omnium antiquissimum*, τὸν πρεσβύτατον τῶν ὄντων λόγον θεῖον· *cœleste contemplatoris animi, & incorruptum alimentum*, τὴν ἱερὰν φιλοθεάμονος ψυχῆς ἄφθαρτον τροφήν· Idem & Petram esse ait *firmam & infractam Dei sapientiam, altricem eorum, qui incorruptæ vitæ appetentes sunt*, τὴν τεθρύλλημένην καὶ ἀδιάκοπον σοφίαν θεοῦ, τὴν τροφὸν, καὶ τιθηνοκόμον, καὶ παιδοτρόφον φθάρτου διαίτης ἐφιεμένων. Petram autem Christum esse dixit Paulus, τυπικῶς videlicet & συμβολικῶς *(per figuram & symbolum)* Quemadmodum enim in desertis & arentibus locis sitienti populo

aquam percussa a Mose rupes emisit; ita in squallida mundi hujus solitudine hominibus, cœlestem gratiam sitientibus, Jesus plagis ad mortem ictus largos de cœlo divinæ gratiæ imbres aspersit. Quocirca sic ipse de se: *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum: sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Rursum: *Ego sitienti dabo de fonte aquæ vivæ gratis:* quæ jam attulimus in Parallelismo, cum fontem esse Jesum probaremus. Consequitur autem nos Petra isthæc, cum gratiæ suæ donis nos prosequitur Christus, & se nobiscum futurum pollicetur *omnibus diebus usque ad consummationem seculi.*

Joh. 4, 13. & seq.

Apoc. 21, 6.

Matth. 28, 20.

Hircus ἀποπομπαῖος.

X. Quin & Hircus ille ἀποπομπαῖος, cujus capiti mala imprecabatur Pontifex, quique Israelitarum noxis velut onustus in loca sola abigebatur, Christum denotabat, *Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo;* atque hac ipsi sarcina imposita, urbe Hierosolyma exactus, & ad mortem deductus est.

1. Petr. 2, 24.

Serpens æneus.

XI. Æneo serpenti, ad sanandos serpentium morsus proposito a Mose in solitudine, se confert Jesus Dominus apud Johannem: *Et sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto; ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Quemadmodum enim serpentis hujus aspectus venenatam & adurentem serpentium vim extinguebat; ita peccati ac Diaboli, a quibus in ignem æternum mergi possumus, *in omnibus sumentes scutum fidei, possumus omnia tela ignea extinguere.* Per fidem enim intuemur Christum. Serpentium Israelitis infestorum figuram habuit æneus Serpens, at eorumdem veneno caruit: *Deus Filium suum misit in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnavit peccatum in carne, ut justificatio Legis impleretur in nobis. Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso.* Sed quamvis Adamo similis factus sit Jesus, ejus tamen peccatum, exitiale nobis & damnosum, non habuit: *Tentatus per omnia pro similitudine, absque peccato.* Moses *Serpentem æneum posuit pro signo?* de Jesu hæc vaticinatus est Simeon ad Mariam matrem: *Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel, & in signum cui contradicetur.* Quod & de eo jam ante prædixerat Isaias: *In die illa radix Jesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur.* Sublatus est uterque in altum, serpens tigillo, Jesus cruce. Novitii quidem Judæi, dum arcanam mysterii hujus significationem rimantur, tradunt eos, qui serpentium ignitorum morsibus in deserto appetiti, in salutari ænei Serpentis aspectus remedium quærebant, non tam iis ad quærendam salutem hærere debuisse, quæ sub sensum cadebant, quam ferales serpentis antiqui, peccati videlicet, ictus recordari, & ad Dei misericordiam palam omnibus propositam mentis oculos convertere. Narrat autem Justinus in Dialogo cum Tryphone, cum aliquando quæreret a Judæis, annon subesse videretur occultum aliquod mysterium mandato huic de æneo Serpentis simulacro palam proponendo, quod præscriptæ in Decalogo simulacrorum interdictioni manifesto repugnabat, quemdam ex iis ingenue id esse fassum, dein subjecisse, sæpius a se rogatos super ea re Doctores suæ gentis, expediendi sui rationem nullam invenisse.

Joh. 3, 14.

Eph. 6, 16.

Rom. 8, 3.

2. Cor. 5, 21.

Ebr. 4, 15.

Gen. 21, 9.

Luc. 2, 34.

Isa. 11, 10. 12.

XII. Christum sui similem olim proditurum vaticinabatur Moses cum diceret: *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus: ipsum audies.* Hujus oraculi veritatem in Jesu eluxisse palam testati sunt Petrus & Stephanus; & accurata ac luculenta comparatione probavit Eusebius libro Demonstrationis Evangelicæ tertio. Cujus dissertationis summa sequar fastigia. Utrumque Deus principem ac ductorem misit; Mosem Ebræorum, hominum omnium Jesum. Uterque se a Deo missum magnis approbavit miraculis. Moses Ebræos ex Ægyptiorum servitute vindicavit in libertatem: Jesus homines Dæmonum omnium mancipatos vinculis exemit. Moses Ebræis per desertum ad terram promissam, Jesus hominibus per vitæ hujus angustias ad cœlestem patriam, ducem se præbuit. Moses nutu mare sistit & exiccat: Jesus sævientes ventos frænat, & tumidos fluctus dictis sedat. Moses Ebræos trans mare salvos ducit & incolumes: Jesus fluctibus suspensus graditur supra mare, & Petro idem posse concedit. Moses Ebræos, Jesus homines ab idolorum cultu avertit. Moses Ebræis, Jesus universo generi humano leges sanxit. Moses Ebræos, trajecto mari Rubro, Ægyptiorum tyrannide subduxit:

Moses, Deut. 18, 15.

Act. 3, 21. & 7, 37.

Jesus

Digitized by Google

Jesus hominibus per baptisma jugum Dæmonum detraxit. Itaque prædicant Judæi redemtionem hominum per Messiam sibi expectatum futuram, redemtionis Israelitarum per Mosem factæ fore consimilem. Moses Deum inter & Ebræos conciliatorem
Deut. 5, 5. ac proxenetam se gessit: *Ego sequester & medius tui inter Dominum & vos in tempore illo, ut annuntiarem vobis verba ejus*; inquit Moses. *Unus mediator Dei & hominum*
1. Tim. 2, 5. *homo Christus Jesus*, ait Paulus in Priore ad Timotheum. *Fuit* Moses *cum Domino quadraginta dies & quadraginta noctes, panem*
Exod. 34, 28. Matth. 4, 2. *non comedit & aquam non bibit*: Jesus *cum jejunasset quadraginta diebus & quadraginta noctibus, postea esuriit.* Moses splendida facie descendit de monte: Jesus conscenso cum tribus Apostolis monte, *transfiguratus est ante eos, & resplenduit facies ejus sicut Sol.* Esurientibus Ebræis coturnices & manna de cœlo, & aquam de rupe sitientibus, Deus per Mosem administrum & interpretem in
Apoc. 22, 7. deserto largitus est: Jesus turbæ in deserto fame languenti cibaria non semel suppeditavit, & aquam vitæ se gratis daturum pollicitus est. Septuaginta viros de Senibus Israeliticis, populi magistros ac duces constituit Moses, cujus & spiritum cum illis communicat Deus: Jesus Discipulos septuaginta duos quoquo versus dimittit, doctrinæ suæ præcones, & Spiritu suo afflatos. Mariam lepris laborantem sanat Moses: hominem Jesus eodem morbo affectum sanitati restituit. Moses duodecim exploratores in terram Chanaan, Jesus duodecim Apostolos in universam terram mittit. Oseæ filio Nun, Josuæ nomen imponit Moses: Simonem Jesus Petrum dici jubet. Veteris Testamenti sequester Moses, Novi conditor Jesus. His adde, Mosem, ac reliquos etiam Israelitarum liberos, statim ab ortu; nefario Pharaonis mandato fuisse morti addictos; Jesum nascentem ab Herode fuisse ad mortem quæsitum, reliquos etiam Bethlehemitici tractus infantes trucidatos: Mosem vero & Jesum parato sibi letho a parentibus fuisse subductos. Denique quemadmodum reliquis Prophetis longe præstitit Moses, sive pro-
R. Mos. ben Maimon. in More Nev. Part. 2. cap. 35. phetican facultatem spectes, sive patrata miracula; quod toto capite probavit Maimonides: Ita eos, atque ipsum etiam Mosem, Christus longo intervallo superavit, & quoad vim futurorum præsciam, & quoad prodigiorum edendorum facultatem.

XIII. In Aarone quoque Christi Jesu *Aaron,* constat simulacrum. Hic novæ Legis Pontifex, quod fusa disputatione probavit Paulus in Epistola ad Ebræos; ille priscæ. Unctus ille oleo ex baccis arborum expresso, hic oleo lætitiæ. *Dixit Dominus ad Moysen, Esse* Exod. 7, 1. *constitui te Deum Pharaonis, & Aaron frater tuus erit propheta tuus:* de Christo Jesu dixit Moses: *Prophetam de gente tua, & de fratri-* Deut. 18, 15. *bus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus; ipsum audies.* Semel ille in anno Sancta Sanctorum inibat solus, *non sine* Ebr. 9, 7. 12. *sanguine, quem offerebat pro sua & populi ignorantia:* Christus Jesus *per proprium sanguinem introivit semel in Sancta, æterna redemtione inventa.* De Aarone sic Deus ad Exod. 28, Mosem: *Portabit Aaron iniquitates eorum,* 38. *quæ obtulerunt & sanctificarunt filii Israel:* de Christo Jesu sic Isaias: *Vere languores* Isa. 53, 4. *nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse por-* & seq. *tavit, & nos putavimus eum quasi leprosum, & percussum a Deo, & humiliatum: ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra; disciplina pacis nostræ super eum, & livore ejus sanati sumus.* Deum inter & homines sequester fuit Aaron: *Unus* 1. Tim. 2, 5. *mediator Dei & hominum homo Christus Jesus.* Deum Aaron respersо *sanguine Testamenti* Ebr. 9, 20. Veteris, *quod mandaverat ad* Israelitas *Deus,* facinorosis hominibus reddebat propitium: Christus Jesus *Novi Testamenti mediator est,* Ebr. 9, 15. *ut morte intercedente, in redemtionem earum prævaricationum, quæ erant sub priori Testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt æterna hæreditatis.* In seditione Core, Dathanis, & Abironis, cum grassaretur in- Num. 16, cendium, & noxios sacer ignis corriperet, 48. Aaron *stans inter mortuos ac viventes, pro populo deprecatus est, & plaga cessavit:* sævienti peccatorum lue, & humanum genus depascente, in tutum subduxit nos Christus, & periculo exemit; *Unde & salvare in per-* Ebr. 7, 25. *petuum potest accedentes per semetipsum ad Deum, semper vivens ad interpellandum pro nobis.* Neque solum ad vivos, ac porro victuros, sed ad defunctos etiam mortis suæ beneficium pertinere voluit, & Veteris Testamenti promissiones Novi beneficiis abunde persolvit.

XIV. Egregium vero, non nomine solum,

Digitized by Google

Josue. sed re etiam, Jesu typum gerit Josue; hic enim successit defuncto Mosi: Jesus abrogata Mosis lege, novam proposuit; *Omnes enim Prophetæ & Lex usque ad Johannem prophetaverunt:* inquit Jesus ipse apud Matthæum: Matth. 11, 13. & Paulus ad Romanos: *Finis Legis Christus.* Rom. 10, 4. Gal. 4, 4. Mosis minister fuit Josue: *Ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub Lege.* Legem autem Mosis nomine intelligi manifestum est ex eo, Luc. 17, 29. quod in Evangelio ait Abrahamus, *Habent Moysen & Prophetas; audiant illos:* & ex 2. Cor. 3, 15. eo, quod scribit Paulus ad Corinthios: *Sed usque in hodiernum diem, cum legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum.* Moses ad Chanaanitidis terræ fines Ebræos deduxit; in terram ipsam inducere non potuit, quod præstitit Josue: quomodo id in Christo Jesu Gal. 2, 16. expressum sit, sic Paulus Galatas docuit: *Scientes autem quod non justificatur homo ex operibus Legis, nisi per fidem Jesu Christi; & nos in Christo Jesu credimus, ut justificemur ex fide Christi, & non ex operibus Legis, propter quod ex operibus Legis non justificabitur omnis caro.* Appositum quoque & illud ex Epistola Ebr. 7, 18. 19. ad Ebræos: *Reprobatio quidem fit præcedentis mandati propter infirmitatem ejus & inutilitatem: nihil enim ad perfectum adduxit Lex, introductio vero melioris spei, per quam proximamus ad Deum.* Quam itaque per Legem Mosis obtinere homo non poterat, Jesu Christi beneficio promissam terram, cœlestem nempe patriam assequitur. Chanaanitidis terræ, Jordane trajecto, compotes Ebræos facit Josue: in patriam cœlestem ablutos nos baptismi aquis inducit Jesus. Duodecim lapides de Jordanis alveo sublatos ad posteritatis memoriam in castris statui jubet Josue, atque alios item duodecim in ipso Jordanis alveo: Jesus duodecim seligit Apostolos, quorum Principi derivatum a petra nomen imposuit; ipsos vero fundamentum mysticæ suæ domus esse jussit. De Eph. 2, 19. & seq. his sic Paulus ad Ephesios: *Estis cives Sanctorum, & domestici Dei, superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu, in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino.* De iis & multo ante Zach. 9, 16. Zacharias in hæc verba: *Et salvabit eos Dominus eorum in die illa, ut gregem populi sui; quia lapides sancti elevabuntur super terram ejus.* Secundæ circumcisionis Ebræis admi- Col. 2, 11. nister fuit Josue; in Jesu circumcisi sumus, *circumcisione non manu facta, in expoliatione* Rom. 2, 29. *corporis carnis; sed in circumcisione cordis in spiritu, non litera.* Josue circumcidit Israelitas in Galgalis, unde & loco nomen; quod opprobrium incircumcisæ Ægypti ab Ebræis illic fuisset amotum & devolutum: Jesus opprobrium nostrum morte sua amovit & devolvit in Golgotha: cujus nominis origo eadem est, quæ vocabuli Gilgal, nimirum גלל. Bellator Josue; bellator & Jesus, cujus ex ore gladius anceps exibat. Sic Israelitæ denique de Josue: *Sicut obedivimus in cunctis Moysi,* Jos. 1, 17. *ita obediemus ei:* Sic Jesus ad Israelitas: *Si credideritis Moysi, crederetis forsitan & mihi.* Joh. 5, 46.

XV. Insunt in Samsone notæ plurimæ, *Samson.* quas ad Christum Jesum merito referre possis. Matre sterili natus est Samson: Virgine matre natus est Jesus. Samsonis matri *apparuit Angelus Domini, & dixit ad* Judic. 13, *eam, Sterilis es & absque liberis, sed concipies,* 3. 4. *& paries filium: cave ergo ne bibas vinum ac siceram, nec immundum quicquam comedas:* Mariæ matri Jesu *ait Angelus, Ne timeas,* Luc. 1, 30. *Maria, invenisti enim gratiam apud Deum;* 31. *ecce concipies in utero, & paries Filium, & vocabis nomen ejus Jesum.* Pergit Angelus ad Samsonis matrem: *Erit enim Nazaraus Dei* Judic. 13, 5. de Jesu sic Matthæus: *Et veniens habitavit in* Matth. 2, 23. *civitate, qua vocatur Nazareth; ut adimpleretur quod dictum est per Prophetas, quoniam Nazaraus vocabitur.* Iterum Angelus de Samsone, *Ipse incipiet liberare Israel de manu* Judic. 13, 5. *Philistinorum:* de Jesu sic Angelus: *Ipse enim* Matth. 1, 21. *salvum faciet populum suum a peccatis eorum:* & apud Lucam: *Dabit illi Dominus Deus* Luc. 1, 32. *sedem David Patris ejus; & regnabit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis.* Manue Samsonis patri, de filii ortu dubitanti, visus est Angelus: apparet & Angelus Josepho patri Jesu, conjugis pudicitiam suspectam habenti. Addit Auctor libri Judicum de Samsonis matre: *Peperit* Judic. 13, *itaque filium, & vocavit nomen ejus Samson;* 24. 25. *crevitque puer, & benedixit ei Dominus; cœpitque spiritus Domini esse cum eo:* de Maria sic Matthæus: *Peperit Filium suum primoge-* Matth. 1, 25. *nitum, & vocavit nomen ejus Jesum;* de quo sic Elizabeth apud Lucam: *Benedictus fructus* Luc. 1, 42. *ventris tui;* & iterum Matthæus: *Baptizatus* Matth. 3, 16. *autem Jesus, confestim ascendit de aqua, & ecce*

aperti

Digitized by Google

aperti sunt ei cœli, & vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam, & venientem super se. Samsonis nomini Solis significatio ineſt; שמש enim *Solem sonat*, שמשון vero *Solem eorum*; sic enim exponit Hieronymus: Hier. l. de nom. Ebr. de Jesu sic Malachias: *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol Justitiæ.* Mal. 4. 2. Uxorem Philistæam ducit Samson, eique intimos animi sensus aperit: Ecclesiam ex Ethnicis cogit, sibique adjungit Christus, eamque decretorum suorum interpretem constituit. Samson ad uxorem visens, obvium leonem interficit, in cujus ore post aliquot dies favum mellis reperit: Jesus Ecclesiam constituens ait: Joh. 16, 33. *Confidite, ego vici mundum.* Atque hic quidem mundus adversus Jesum prius ferox, ab eo tandem domitus suave ipsius accepit jugum, melleamque Evangelii dulcedinem degusta- Judic. 5, 18. vit. *Samson sitiens valde clamavit ad Dominum:* Jesus animam agens sitire se dixit. Samson Gazæ dormit ad mediam noctem, tum experrectus postmodum ipsas portæ fores detrahit & humeris impositas defert ad verticem montis: Jesus lethi somno excitus, de mortis exit potestate. Quod prævidens David, ait: Psal. 67, 21. *Domini, Domini exitus mortis:* de quo item Petrus sic disserebat Hierosolymis: *Quem* Act. 2, 24. *Deus suscitavit, solutis doloribus inferni, juxta quod impossibile erat teneri illum ab eo.* Samson Judic. 16, 30. *multo plures interficit moriens, quam ante vivus occiderat:* Jesus morte sua Dæmonem, peccatum, ac mortem ipsam devicit.

Samuel. XVI. En tibi in Samule aliam etiam Christi Jesu imaginem. Partus ille fuit matris sterilis, perinde ut Samson: Christus Virginis. Nazaræus etiam fuit, eaque re, itidem ut Samson, Christo similis fuit. Unigena Samuel, unigena & Christus. De Samuele 1. Sam. 20, 26. hæc legimus: *Puer autem Samuel proficiebat, atque crescebat, & placebat tam Deo, quam* Luc. 2, 52. *hominibus:* hæc de Christo Jesu: *Et Jesus proficiebat sapientia, & ætate, & gratia apud* 1. Sam. 3, 19. *Deum & homines.* Iterum de Samuele: *Crevit autem Samuel, & Dominus erat cum* Luc. 2, 4. *eo:* sic quoque Lucas de Christo: *Puer autem crescebat, & confortabatur, plenus sapientia, & gratia Dei erat in illo.* Sacerdos fuit Samuel: sacerdos & Christus. Propheta etiam uterque.

David. XVII. Sed & David, non vaticiniis duntaxat suis, nec quod Bethlehemo ortus itidem ut Jesus, sed gestis etiam rebus toto vitæ curriculo Christum Jesum præmonstravit, expressumque ejus typum post futuris proposuit; & cum jussu Dei unctus est, & rex creatus; & cum esu Panum propositionis sacerdotem se gessit; utraque in se conjuncta & sacerdotii & regni potestate: & cum singulari adversus Goliathum certamine, populum jugo Philistæorum exemit; perinde ut Jesus expugnato Diaboli imperio humanum genus in libertatem Filiorum Dei restituit: & cum variis illum laboribus & angustiis exercuit Deus, priusquam ad regiam dignitatem eveheret: & cum Arcam a Philistæis prius captam de domo Abinadab reduxit Hierosolymam; itidem ut Jesus Ecclesiam, fracta Diaboli potestate, certis sedibus constituit: & cum post traditum illi regnum, filiorum suorum perduellionem & scelera expertus est; perinde ut adversus Jesum regem patremque nostrum nova quotidie flagitia designamus: & cum pacem per eum Deus populo suo peperit, & adversus ipsi gentes subjecit: quemadmodum pacis a Deo nobis concessæ sequester est Jesus, cui potestas omnis a Patre tradita est. Inde adeo apud Prophetas, Isaiam, Jeremiam, Ezechielem, & Oseam ipsum, Davidis nomen Christo tribuitur. Isa. 55, 3. Jer. 30, 9. Ezech. 34. 23. & 37, 24. Ose. 3, 4. 5.

XVIII. Nec minus in Salomone agnosci *Salomon.* potest Jesus. A pace Salomoni nomen: quam pacificus fuerit Jesus fuse in Parallelismo probavimus. Appellatus quoque est Salomon ידידיה, hoc est, *Dilectus Domini:* idem de Jesu clara voce Deus ipse de cœlo non semel testatus est, cum diceret: *Hic est* Matth. 3, 17. *Filius meus dilectus, in quo mihi complacui;* & 17, 5. ipse se a Deo Patre suo dilectum esse Jesus sæpe declaravit. קהלת præterea, hoc est, ἐκκλησιαστὴς, seu Concionator cognominatus est Salomon, quod quam Christo Jesu conveniat, cognosci potest ex Parallelismi tricesimo quinto capite. Salomon ædificavit Templum Deo; Jesus Ecclesiam. Davidis filius uterque, uterque rex. Regina illa Saba, quæ Salomonis fama excita venit ad eum, ejusque sapientiam & opes mirata est, Ecclesiam refert, quæ Ethnicis fere conflata, Jesu doctrina, virtutibus, & gratia capta ei sese applicuit. Ultro ergo fatentur Rabbini sæpe a sacris Scriptoribus Davidis & Salomonis nominibus Messiam affici.

XIX. In Jona sui propositam esse figuram *Jonas,*

Digitized by Google

palam Jesus declaravit. *Sicut enim*, inquit, *fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus, sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus.* Habes hic itaque eximium Jesu ad vitam redeuntis simulacrum. Jonas sæviente tempestate, & nautis de vita sollicitis, dormit securus; quod & Christo contigit. Jonas pro nautarum salute mittitur in mare, silent fluctus, & tempestas sedatur: in Jesu *complacuit omnem plenitudinem habitare, & per eum reconciliare omnia in ipsum; pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt.* Nautæ Jonam in mare missuri Deum orant, ne sibi crimini detur viri innocentis interitus: *Quæsumus, Domine, ne pereamus in anima viri istius, & ne des super nos sanguinem innocentem:* Pilatus Jesum letho daturus, *accepta aqua, lavit manus coram populo, dicens, Innocens ego sum a sanguine Justi hujus; vos videritis.* Sic de se ad Deum Jonas in ventre ceti: *Abjectus sum a conspectu oculorum tuorum:* Sic de se ad Deum Jesus in cruce: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Jonas maris periculo functus Ninivitas ad obsequium Dei compellit: gentes post vitam a Jesu receptam, ad Dei cultum vocantur. Jonas concionator, perinde ut Jesus. Ad pœnitentiam Ninivitas hortatur Jonas: *Pœnitentiam agite*, inquit Jesus, *appropinquavit enim regnum cœlorum.*

Matth. 12, 39. Col. 1, 19, 20. Jon. 1, 14. Matth. 27, 24. Jon. 2, 5. Matth. 27, 46. Matth. 4, 17.

XX. Apparet itidem in Eliacimo Helciæ, filio Jesu Christi imago: nam quæ de Eliacimo dixit Isaias, huic datum iri clavem David, idem Christo accommodat Angelus Ecclesiæ Philadelphiæ, apud Johannem in Apocalypsi: *Hæc dicit Sanctus & Verus, qui habet clavem David; qui aperit, & nemo claudit; claudit, & nemo aperit* quæ ex Isaia πρὸς λέξιν *(ad verbum)* sumpta sunt. Scribit præterea Isaias Sobnam regiæ Ezechiæ præfectum, cum officio suo nequiter abuteretur, magistratu abdicatum fuisse, suffecto Eliacimo, viro frugi & pio: hæc figura est veteris Legis, priscique Pontificatus Aaronici, quo impie abusi sunt nefarii Sacerdotes, eoque abrogato, nova lex, & sacerdotium secundum ordinem Melchisedec, priore melius, per Christum introducitur. Sic Isaias ad Sobnam: *Ecce Dominus asportari te faciet, sicut asportatur gallus gallinaceus, & quasi amictum sic sublevabit te. Coronans coronabit te tribulatione; quasi mittet te in terram latam & spatiosam: ibi morieris, & ibi erit currus gloriæ tuæ ignominia domus Domini tui.* Scilicet hoc est quod pleno ore decantarunt Prophetæ, sedibus suis depulsum iri Israeliticam gentem, & in varias orbis partes dissipatum. Nos eorum repræsentamus testimonia in Paralleliſmo, ubi agimus de abrogatione Mosaicæ Legis, de novæ legis sanctione, & de dispersione Judæorum. Unum hic dabimus pro multis, depromtum ex Daniele: *Et Civitatem & sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo: & finis ejus vastitas, & post finem belli statuta desolatio ..... & in dimidio hebdomadis deficiet hostia & sacrificium.* Subjicit Isaias: *Et expellam te de statione tua, & de ministerio tuo deponam te: & erit in die illa, vocabo servum meum Eliacim filium Helciæ, & induam illum tunica tua, & in cingulo tuo confortabo eum, & potestatem tuam dabo in manu ejus: & erit quasi pater habitantibus Jerusalem, & domui Juda.* Similibus minis Israeliticos proceres incessebat Ezechiel, cum diceret: *Hæc dicit Dominus Deus, ecce ego ipse super pastores, requiram gregem meum de manu eorum, & cessare faciam eos, ut ultra non pascant amplius pastores semetipsos, & liberabo gregem meum de ore eorum, & non erit ultra eis in escam.* At de Christo Jesu sic Paulus in Epistola ad Ebræos: *Nunc autem melius sortitus est ministerium, quanto & melioris Testamenti mediator est, quod in melioribus repromissionibus sanctum est. Nam si illud prius culpa vacasset, non utique secundi locus inquireretur.* Servum suum Deus Eliacimum appellat, quemadmodum & Christum aliis apud Isaiam locis: *Ecce servus meus, suscipiam eum.* Deinde: *Vos testes mei, dicit Dominus, & servus meus quem elegi.* Sic Jesus ipse de se: *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare.* Rursum: *Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat.* Non Dei solum servus, sed & hominum. Prædicit deinde Isaias futurum Eliacimum Hierosolymitarum & Judæ domus patrem: paternos suos affectus erga Hierosolymitas his verbis testabatur Jesus Dominus: *Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti?* Filiolos etiam

Eliacimus Helciæ filius, Isa. 22, 15. & seq. Apoc 3, 7. Isa. 22, 17. 19. Ezech. 34, 10. Ebr. 8, 6. & seq. Isa. 42, 1. Isa. 43, 10. Matth. 20, 28. Luc. 22, 27. Isa. 22, 21. Matth. 23, 37.

Discipulos

Digitized by Google

Joh. 13, 33. Discipulos suos appellat: *Filioli, adhuc modicum vobiscum sum.* Sed & *Pater futuri seculi*
Isa. 9, 6. dicitur ab Isaia. Clavis ista domus David, Eliacimi humero imponenda, symbolum erat muneris ipsi traditi, ejus nimirum quod ante gesserat Sobna. Fuerat autem ille סוכן,
Isa. 22, 15. ut hoc ipso loco docet Isaias. סוכן ærarii tribunum, & regiæ gazæ custodem interpretor, cujus officii insigne erat clavis. Præclare
Apoc. 1, 18. Matth. 16, 19. id in Christum Jesum convenit, qui habet claves mortis & inferni, qui Petro tradidit
Luc. 12, 33. Matth. 13, 44. claves cœli, thesaurorum æternorum penus, *quo fur non appropiat, neque tinea corrumpit,*
Col. 2, 3. quod & ipsum simile est thesauro in agro abscondito. Quin etiam Colossenses docet Apostolus, in Christo Jesu absconditos esse thesauros omnes sapientiæ & scientiæ. Addit
Isa. 22, 23. Isaias: *Et figam illum paxillum in loco fideli:* quibus regni Christi diuturnitas ac firmitas
Psal. 88, 28. & seq. significantur. Hanc itidem prædixit Psaltes: *In æternum servabo illi misericordiam meam, & testamentum meum fidele ipsi: & ponam in seculum seculi semen ejus, & thronum ejus sicut*
Luc. 1, 33. *dies cœli.* Inde Angelus ad Mariam de Jesu: *Et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, & regnabit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis.* Pergit
Isa. 22, 23. 24. Isaias: *Et erit in solium gloriæ domui patris ejus, & suspendent super eum omnem gloriam domus patris ejus.* Consonant istis verba
Joh. 14, 13. Jesu: *Quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur Pater in Filio:*
Joh. 13, 31. 32. potissimum vero hæc: *Nunc clarificatus est Filius hominis, & Deus clarificatus est in eo. Si Deus clarificatus est in eo, & Deus clarificabit eum in semetipso.*

Jeremias. XXI. Cernere licet & in Jeremia expressam Christi Jesu imaginem. Nam primum sanctitate præditus est uterque, priusquam ab utero matris in lucem exiret. Virginitatem uterque coluit. Uterque etiamnum puer populi docendi munus exequi aggressus est. Uterque ab idolorum cultu multos ad veram pietatem traduxit. Utrique pietas sua & beneficentia fraudi & ignominiæ fuit, cum a suis, quos a sceleribus retrahere & imminenti calamitati subducere volebant, pessimis modis accepti sint. Uterque summa patientia & lenitate inflictas sibi pœnas tulit. Uterque percussoribus suis & vexatoribus a Deo veniam precatus est. At utriusque demum vicem Deus, excisa gente, severissimè ultus est.

XXII. Magnum etiam in Zorobabele Jesu Christi instar fuit. Davide prognatus uterque fuit. Ille Babylonica captivitate liberatis Judæis, & Hierosolymam redeuntibus, ducem se præbuit: hic homines, mundi hujus, quem propter confusionem merito Babylonem dicas, vinculis exemtos deducit in patriam, cœlestem nempe Jerusalem. Templum Hierosolymitanum instaurat Zorobabel: Ecclesiam Dei ex vivis lapidibus Jesus extruit. Oriens appellatur Zorobabel apud Zachariam, item Lapis cui inesse dicuntur oculi septem, cujus temporibus futurum promittitur, ut terræ crimina auferantur, ut gloria floreat ipse, ut sedeat in solio suo, teneat imperium, & alta pace componat: quæ Christo ut conveniant, sciri potest ex Parallelismo nostro, in quo Orientis & lapidis symbolis agnoscitur, pacis auctor esse ostenditur, ei gloria ingens ac imperium æternum spondetur. *Filius* etiam *olei*, hoc est unctus, sive Christus dicitur a Zacharia: non quod oleo fuisset delibutus; nam neque Rex fuit, neque Sacerdos, neque Propheta; sed quod Unctis prognatus, regibus nempe stirpis Juda; vel potius quod cœlestis gratiæ donis esset perfusus. Quæ in Jesum mirifice congruunt. *Zorobabel.* Zach. 3, 6. & 9, 12. 13. Zach. 4, 14.

XXIII. Denique Jesum Josedeciden, & Christum Jesum componit inter se Eusebius ad calcem libri quarti Demonstrationis Evangelicæ. Ea nos adjectis nonnullis decerpemus. Nomen primo utrique idem. Pontifex uterque, quod de Christo declaratur in Epistola ad Ebræos, & a nobis in Parallelismo. Adversatur utrique Satanas. Ille Babylone redeuntium in patriam Judæorum cum Zorobabele dux fuit: hujus ductu mundi captivitate liberati homines cœlum petunt. Ille vestibus indutus est sordidis: hic peccata nostra ipse tulit, humanum & infirmum corpus subiit, ac supplicii demum ignominia fœdatum. Ille noxis purgatus novas vestes ac mundas induit, eique cidaris imposita est: Christus mundo, morte, peccato, ac Diabolo edomitis, veste immortalitatis assumta, & diademate suscepto triumphat, & cœlo invehitur. Jesu Josedecidæ ait Deus: *Judicabis domum meam, & custodies atria mea:* Christum Deus orbis universi judicem constituit, ut in Parallelismo docuimus, totius Ecclesiæ custodem præposuit. *& Jesus Josedecides.* Zach. 3, 7.

Digitized by Google

præposuit. In Templo reparando socium Zorobabeli se præbuit Josedeci filius: Ecclesiam, Dei vivi Templum, Christus ædificavit. Præclarum sane est, & proposito nostro conveniens illud Hieronymi: *Unus atque idem est Dominus noster atque Salvator, Rex & magnus Sacerdos; cujus typum, secundum id quod Rex erat, portabat Zorobabel; secundum id autem quod Pontifex erat, portabat cognominis ejus Jesus.*

Hieron. in Agg. 1.

CAPUT CLXXI.

De natura, vi, & usu Prophetiarum.

I. *Uni Jesu conveniunt Prophetiæ ha omnes ac typi; nemini vero præterea.* II. *Universe potius quam sigillatim spectanda sunt Prophetia.* III. *Prophetia quædam, non solitaria, sed cum toto, unde prodierunt, contextu spectari debent:* IV. *nec necesse tamen est Prophetias & typos, quoscunque attulimus, in eamdem sententiam ac antecedentia & consequentia conspirare.* V. *Disputatur quid Prophetiarum collectiones a Centonibus discrepent.* VI. *Ut fidei esset locus, non semper claras & distinctas esse Prophetias oportuit.* VII. *Triplex occurrit Prophetiarum genus in Libris sacris: primum, quod Christum mere respicit; alterum, quod Christum respicit κατὰ λέξιν, alia κατὰ σχῆμα; tertium, quod Christum κατὰ σχῆμα, alia κατὰ λέξιν.* VIII. *In allegoriis eruendis elaborarunt Judæi,* IX. *& Ethnici.* X. *Vanitatem oraculorum suorum & Sibyllarum iidem Ethnici cognoscunt.*

Uni Jesu conveniunt Prophetiæ ha omnes ac typi; nemini vero præterea.

I. PLures superiorum similes poteramus typos conquirere, in quibus Deus venturi Messiæ indicia hominibus longe ante proposuit. Multos collegerunt prisci, novique Scripturæ sacræ Interpretes: sed cui non satisfecerint, quos attulimus, nihil ei sane futurum est satis. Ex hac porro typorum Christi serie, & ex superiore Paralleliſmo, accurata quædam Messiæ & mirifica, non adumbratio, sed descriptio exurgit. Nec enim iis obscura aliqua κριτήρια, (*indicia*) sed aperta; non aliquæ Christi Jesu notæ, sed universæ continentur: stirps ab ultima retro origine, tempus nascendi, patria, nomen, mores, dignitates, studia, negotia, acta, casus vitæ universi, mors, ipsumque adeo genus mortis, sepultura, & quæ mortem consecuta sunt, mirabilis ille ad vitam reditus, & stupendi eventus rerum, quarum gratia vitam & mortem Jesus obierat, & omnes denique characteres, quibus discerni & distingui potuit. Nam etiamsi horum signorum aliquod in alio, si forte, idem appareat; puta si quem alium vel Davide ortum reperias, vel Bethlehemi natum, vel Prophetam, vel sacerdotem, vel pastorem, vel concionatorem, vel pacificum, vel sanctum, vel humilem, vel pauperem, vel principem, vel regem, vel fortem, vel legumlatorem, vel falso accusatum, vel nefaria morte extinctum: at hæc in se qui complexus fuerit universa, si veteres replicemus memorias, præter Jesum reperiemus omnino neminem. Sacra quædam Veteris Testamenti oracula Prophetæ suo Muhammedo accommodare conati sunt Islamitæ, sed quod ex iis, propter paucitatem, nihil certi colligere se posse cernerent, in uno Alcorano omne doctrinæ suæ præsidium posuerunt. Ex his projecta & insana Celsi apparet impudentia, qui Prophetarum prædictiones innumeris aptius, quam Jesu, convenire, nefarie prorsus & ἀπηυθισμένως (*impudenter*) ausus est dicere. Quodque maxima admiratione dignum est, & exceptionem omnem aut cavillationem respuit, non unus aliquis Propheta omnia hæc solus de eo pronuntiavit; quod ipsum tamen vel pertinacissimam obstinationem frangeret; sed ab ipsis mundi incunabulis, per quatuor annorum millia, uno ore venturum Christum prædixerunt viri complures, in ejusque ortu, vita, virtutibus, rebus gestis, morte ac tota denique οἰκονομία præmonstranda consenserunt. Quæ si quis casu eveniſſe dicat, casus hujusmodi in rerum natura aliquando contigisse ostendat: quorum nulla omnino exempla vel recens præbet vel vetus historia.

Cels. ap. Orig. contra Cels. l. 1. & 2.

Egregie Eusebius: Φέρε δὴ ἄλλως τὸν τὴν διάνοιαν λελυθημένον, κἀμὲ ἐκ τῶν τοιῶνδε προσαγάγωμεν ἑαυτῷ σοφῶν, ὧδέ πη ἑαυτῷ συνδιαιτώμενοι· ἄγε δὴ, ὅτος φασὶν λόγιοι ἀφικὼς, μὴ ἐξ ἡλιθίας καρδίας, ψυχῆς δὲ λογικῆς καὶ νοερᾶς καιρὸν προβαλλόμενος, λόγε δὴ παρὰ

Euſ. Orat. de laudib. Conſtant. c. 17.

Digitized by Google

παρὰ αὐτῷ πολλάκις διατεθρύλλημένος, τίς ἄλλος πώποτε τῶν ἐξ αἰῶνος βοηθήντων σοφῶν, ὁμοίως τῷ ἡμετέρῳ σαυτῷ προφητικαῖς ἀνωθεν πρὸ μυρίων χρόνων φωναῖς, ἐγνώσθη τε καὶ προεκηρύχθη παρὰ τοῖς πρόπαλαι θεοφιλέσιν ἕβραίων ἀνδράσιν. οἷ καὶ τὸν τόπον αὐτῷ τῆς γενέσεως, καὶ χρόνους τῆς ἀφίξεως, καὶ τρόπον τοῦ βίου, καὶ δυνάμεις, καὶ λόγους, καὶ κατορθώματα αὐτῷ προλαβόντες βίβλοις ἱεραῖς καταβεβλήκασιν. *Age vero, eum præterea, cujus animus lapidis in modum induruit, hujusmodi interrogationibus in noſtram ſententiam pertrahamus, ſic ex eo ſciſcitantes: Heus tu, dic mi vocem eo qui ratione præditus ſit dignam emittens; non ex ſtolido pectore, verum ex animo rationis & intelligentiæ compote fructum proferens: dic, inquam, re apud te ſæpius penſa; quis alius antehac, ex omnibus iis, qui olim Sapientes appellati ſunt, apud caros Deo quondam Ebræorum filios, compluribus retro ſeculis, itidem ut Soſpitator noſter, vaticiniis Prophetarum cognitus & prænuntiatus eſt? Qui quidem & locum in quo natus eſt, & tempora adventus, & vitæ rationem, & edita ab eo prodigia, & ſermones, & res præclare geſtas animo præcipientes, in Libros ſacros retulerunt.*

Univerſe potius quam ſigillatim ſpectanda ſunt Prophetiæ.

II. Quod ſi ſingulare aliquod vaticinium, ab aliis ſepoſitum & excerptum, aut e typis unum aliquem ſeorſum expendas; rei fortaſſe veritas, vel propter obſcuritatem, vel propter ambiguitatem minus eluceſcet. Verum non ex ſingularum partium conflictu, ſed ex totius comparatione efflorescit & ſpectatur ſimilitudo: æque ex digiti extremi, aut pedis inſpectu, vel imæ auriculæ, hominem alioqui notiſſimum poſſis agnoſcere, ſed ex corporis integri filo, & ea ſpecie, quæ ex partium omnium compage & convenientia exurgit. Igitur non ſigillatim ſumendæ ſunt Parallelismi partes, neque ex detruncatis membris arbitrium faciendum; quæ ſuis emota locis robur amittunt, ordini ſuo reſtituta vim recipiunt: ſed ſpectanda tota ſeries eſt, cum altera res alterius opem poſcat, & amice conjuret. Quam ſeriem in Jeſum quadrare univerſam ſi deprehenderimus, uti certe quadrat, tum facilis exiſtimatio erit, non caſu aliquo, aut fortuita rerum conſenſione, ſed certo Dei nutu ac conſilio hæc ita proveniſſe: ut homines ad oracula divina attenti, eorumque ſententiam pia mente ac docili perſcrutantes, de ſalutari Meſſiæ adventu admonerentur, ab eoque malorum ſuorum levamen expectarent. Neque tamen concedimus, nulla in toto hoc Parallelismi contextu extare vaticinia, quæ non aliorſum flecti queant; cum reperiri pleraque in eo poſſint, quorum exitum in alio, præterquam in Jeſu, fruſtra quæſiveris. Quo argumento Origenes vehementer urgebat impurum Sophiſtam Celſum, has Prophetarum prædictiones fanaticis quibusdam convenire affirmantem, qui ſe Dei Filios de cœlo veniſſe jactabant. Atque hanc aſſumit in exemplum, qua Bethlehemo proditurum Iſraelitarum principem Michæas aſſeveravit, eamque nemini illorum accommodari poſſe oſtendit, quæ tamen examuſſim in Jeſum congruit. Aſſumit & alteram hanc Jacobi: *Non auferetur ſceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio gentium.* Hæc ſi quis alteri cuipiam aptare voluerit, oſtendat neceſſe eſt, quomodo regiam poteſtatem Juda retinuerit, quoad Siloh ille advenerit; oſtendat quoque gentes in eo ſpem ſuam & expectationem collocaſſe: quæ in Chriſtum Jeſum omnia recte cadunt.

Origen. contra Celſ. l. 1.

Mich. 5. 2.

Gen. 49. 10.

Prophetia quædam, non ſolitaria, ſed cum toto, unde prodierunt, contextu ſpectari debent:

III. Notandum præterea eſt, quasdam Prophetarum vaticinationes, non ſolum cum pertinentibus eodem prædictionibus, ſed & cum toto locorum, unde excerptæ ſunt, contextu eſſe ſpectandas. Quemadmodum enim alia eſt rei nudæ, alia ejusdem cum adjunctis ſpectatæ exiſtimatio; ita clauſulæ ſeparatim ſumtæ, vel imperfecta erit ſignificatio, vel diverſa ab ea, quæ ex totius operis, vel totius loci, unde ipſa prodiit, attenta conſideratione exiſtet. Id poſtulant Rabbini ipſi, quibuſcum magna nobis de vaticiniorum interpretatione concertatio eſt: prorſusque vanam eſſe nonnullorum adverſus Chriſtianos expoſtulationem liquet, quod legi huic non obſequantur. Adhibenda itaque magna cautio eſt, non quam ſuggerit pervicax animus, & contradicendi cupidus; ſed quam recta poſtulat ratio, & conſtans perſcrutandæ veritatis ſtudium, quamque in aliorum librorum lectione adhibere ſolemus.

nec neceſſe tamen eſt Prophetias & typos, quoscunque attulimus, in eamdem ſententiam

IV. Quod non eo tamen pertinere velim, ut quæcunque huc attulimus vaticinia, quoscunque propoſuimus typos Chriſti, fidem ipſis nullam haberi poſtulem, niſi in eamdem plane ſententiam ac antecedentia & conſequentia conſpirent. Nam quod Salomo-

Digitized by Google

ac antecedentia & consequentia conspirare.

Salomonem, exempli gratia, figuram Christi gerere dixerimus, si quis insanis ejus amoribus & vetito idolorum cultui consentaneum quippiam requirat in Christo, parum is æquus sit profecto rerum æstimator. Hunc narrationis ordinem & connexionem vix pater afflatus ille divinus, quo agitati Prophetæ futura præcinebant. Scabrum quid, salebrosum, ac dissipatum edere solet ἔκστασις, & per varias species rerum sibi adversantes præcipitatur instinctus animus, nec ullis sese legibus sermonis coerceri patitur. Cum dissipatum dico, Latine loquor, & inordinatum intelligo, dispersum sine lege, & disjectum. Nam fuerunt, qui juxta Gallicum dictionis hujus usum notare me crederent; quod animo omisso atque vago & mente minus constante prolatum esset, & ratione careret, nobisque propterea maledica ac petulanter insultarent. Scio hoc Patres Ecclesiæ discrimen observasse sanctos inter Prophetas, & Pseudoprophetas; quod hi furore perciti, illi tranquilliori & sedatiori mente futura profarentur. Inter multa, quæ de sanctis prophetis & profanis vatibus differit Chrysostomus, insigne hoc habet: τοῦτο γὰρ μάνησις ἴδιον τὸ ἐξεστηκέναι, τὸ ἀγόμενον ὑπομένειν, τὸ ὠθεῖσθαι, τὸ ἕλκεσθαι, τὸ σύρεσθαι ὥσπερ μαινόμενον· ὁ δὲ προφήτης οὐχ οὕτως, ἀλλὰ μετὰ προνοίας νηφούσης, καὶ σωφρονούσης καταστάσεως, καὶ οἷς ἂ φθέγγεται, φησὶν ἅπαντα. *Hoc enim vatis proprium est abire extra se, necessitate cogi, impelli, trahi, vi adduci tanquam furentem. At Propheta non ita, sed mente sobria, & constanti animi statu, & intelligens quæ profert, omnia pronuntiat.* Item Lactantius: *In unam sententiam congruens divinatio* (Prophetarum) *docet non fuisse furiosos. Quis enim mentis emotæ, non modo futura præcinere, sed etiam cohærentia loqui possit?* Fuerunt inter Judæos, qui id discriminis statuerent inter Prophetas & Hagiographorum auctores, quod hi mente constarent, illi secus. Verum Maimonides cum poneret undecim gradus Prophetiæ, singulis Prophetis integritatem mentis usumque servabat. At Scriptores profani vates suos ajunt adigi a Diis in furorem, & mente excidere, cum futura prædicunt. Cujus rei caussam quærunt Plato, & Jamblichus. Ergo hoc potissimum argumento convincebantur Montanus, Prisca, & Maximilla, quod propheticam sibi vim arrogantes, emota mente furiosis & insanis similes raptarentur; cum Prophetæ compotes sui, placido, serenoque animo edere soleant oracula. Igitur ut furori suo fidem conciliaret Montanus, œstrum sui simile Prophetis tribuebat. Contra vero sæpe insurgit Hieronymus, negatque Prophetas, in vaticinando mente alienatos fuisse. *Hoc attendendum*, inquit, *quod hæc ipsa vel assumtio, vel onus, vel pondus, Prophetæ visio sit. Non enim loquitur in ἐκστάσει, ut Montanus & Prisca & Maximilla delirant; sed quod prophetat, liber est visionis intelligentis universa quæ loquitur.* Et alibi: *Nec non animadvertendum, quod assumtio, vel pondus, Prophetæ visio est; & adversum Montani dogma perversum, intelligit quod videt; nec ut amens loquitur, nec in morem insanientium feminarum dat sine mente sonum.* Quapropter scripserat Miltiades librum, περὶ τοῦ μὴ δεῖν προφήτην ἐν ἐκστάσει λαλεῖν. *Non oportere Prophetam loqui in ἐκστάσει.* Verum & hic & Hieronymus ἔκστασιν intelligunt furorum, qui mentem statu suo depellit, & adigit ad insaniam, qualis erat divinatorum, Pseudoprophetarum, & Montanistarum. At sancti Prophetæ, etiamsi divino correpti spiritu efferverescerent dicendo, & præter solitum incalescerent, mente tamen constabant, nec quicquam præter intellectum proferebant. At hæc proprie dicta erat ἔκστασις, quali correptum Petrum, quali Paulum, narrat Lucas in Actis; quo sensu vocem illam sæpe usurpant Dionysius Areopagita, Cyprianus, aliique Ecclesiastici Scriptores. Pseudoprophetarum autem furor, & alienatio mentis, παράκστασις dicebatur: qua voce non semel utitur anonymus Cataphrygarum Adversarius apud Eusebium, qua cum corriperetur Pseudopropheta, prolabi eum ajebat in licentiam & audaciam, a spontanea insscitia exorsam, desinentem vero in mentis furorem non voluntariam. Ex his sequitur Prophetarum mentem, etsi pacatior est quam Pseudoprophetarum, Deo tamen agitante præter morem exardescere, neque ab his eamdem orationis constructionem, & compositionem, connexionemque rerum, atque ab Historicis, esse expectandam. Longe minus etiam his legibus servierunt Prophetæ ii, qui carmine futura prædixerunt. Duplex ille æstus & Propheticus, & Poeticus, quo calescebant, accuratam descriptio-

Chryſ. in 1. Cor. 12, 1.

Lib. 1. c. 4.

More nev. Part. 2. c. 45.

Plat. in Jone. Jambl. de myſt. Æg. ſect. 3. c. 4.

Hier. Præf. in Nahum.

Hier. Prol. in Habac.

Act. 10, 10. & 11, 5. & 22, 17.

Euſ. Hiſt. Eccl. l. 5. c. 16. & 17.

Digitized by Google

descriptionem rerum, nativum ordinem, argumentorum explicationem, investigationem causarum, omnemque affectatam & præceptis obnoxiam dispositionem penitus respuebat. Nam quid a Rhetore discreparet Propheta? quid Poeta a Dialectico? ac Poeta præsertim Lyricus, qui præ cæteris Poetis in sublimi potissimum genere versatur? Næ parum Lyrici carminis intelligentes sunt, qui rerum, rationum, & causarum seriem ac connexionem in eo requirunt: cujus hæc præcipua lex est, legem aspernari. Id si sciviſſet Chabotius, in laciniosis & frigidis suis Horatii interpretationibus Dialecticas, Germanicas & Rhetoricas leges anxie scrutatus non fuisset, de Poeticis & Lyricis sollicitus, quorum laudem præcipue captaverat Poeta. Testis sententiæ nostræ Pindarus, quem Horatius amni monte decurrenti, tumefacto imbribus, & ripas supergresso comparat. Testes Lyrici cæteri Græci, quorum reliquiæ superstant. Testes chori Tragicorum ac Comicorum, quorum nihil magis placet, nihil magis aures purgatas, acutas nares, mentes subactas afficit, quam inordinati illi motus, & exlex calor. Testes illi Dithyramborum cantores, qui per aera ferri se canebant. Testis ipse Horatius, qui delusum se nonnunquam amabili insania, videri ait per lucos errare, & velocem mente nova in nemora & specus agi. En tibi egregium Petronii ad Poetas illos profanos præceptum: *Non enim res gestæ versibus comprehendendæ sunt, quod longe melius Historici faciunt; sed per ambages, Deorumque ministeria, & fabulosum sententiarum tormentum præcipitandus est liber spiritus; ac potius furentis animi vaticinatio appareat, quam religiosæ orationis sub testibus fides.* Utramque gentem, Græcam & Romanam, in eo genere superavit Ebræa. Nam cum frequens esset in ea, cæterisque orientis gentibus, audacissimarum figurarum, etiam in quotidiano & familiari sermone licentia, tum longe magis in carmine supra se assurgebant. Præsertim cum nulla alia res veterum Ebræorum Odas a pedestri oratione distinguat, quam divinus ille mentis calor, & sermonis, ut ita dicam, subsultim emicans, seseque efferens impetus, & superfluens omnis generis schematum effusio. Frustra enim metra, syllabarumque dimensiones, Græcis, Latinisque similes in iis quæras; quod incassum fecit Hieronymus. Quod si dissolvas ordinem verborum, etiam tamen disjecta Poetæ membra reperias. Ergo ut Cantica sint atque Psalmi, apparere debet liber spiritus, & æstuantis ac concitati animi ardor, non dialecticis solum, sed familiaris etiam sermonis legibus soluti. At hunc tamen æstum in sacris vatibus regebat & moderabatur Deus; nec extra se abire eos, nec alienari, nec furere, nec quicquam præter intellectum edere permittebant. Citharæ similes eos putes, Spiritum sanctum plectro; quo exemplo usus est Justinus. Cumque de Pythia sacerdote dixerit Plutarchus, ipsius esse vocem, verba, locutiones, metrum; Dei vero imagines animo propositas, & fulgorem menti ad futura prælucentem: de sacris Prophetis dicendum est, verba & locutiones illorum quoque esse; sed ita tamen ut selectus Dei sit, vatum animos ita moderantis, ut non alio utantur sermone, non aliis verbis & vocibus, quam qui ad Prophetiæ finem, suumque propositum conducant. Ut in conficiendis corollis, flores horti sunt; delectus & contextus florum, artificis. Hæc quæ diximus, probabunt sane, quicunque ad sacrarum rerum tractationem, a bonis literis vetustatisque notitia satis instructi accesserint. Quæ cum ita sint, patet, inique eos agere, qui propositos Christi Jesu typos ita cum eo confligunt, ut totos consentire velint, detrahendamque iis fidem censeant, si vel minima sui parte nutet similitudo. Quocirca nonnullos merito carpebat Hieronymus, qui quod in Adamo Christi figuram positam esse tradidisset Paulus, quæcunque in Genesi de Adamo & Eva scripta sunt, ad Christum referre conabantur. Scitum quippe est, ac vulgi consensu tritum adagium, quamlibet comparationem aliqua ex parte vacillare. Idem de reliquis etiam, quæ proposuimus, vaticiniis dictum velim; iniquum esse videlicet, non eorum solum, sed & totorum librorum, aut capitum, unde illa deprompta sunt, veritatem & πλήρωμα *(complementum)* in rebus prædictis quærere: puta totum Nathanis oraculum, quo Davidi Messiam nepotem spondet Deus, ad Christum referre; cum quædam Christo, Salomoni nonnulla, aliqua utrique conveniunt. Ad Christum quidem

Just. Coh. Plutarch. de orac. Pyth.

Hieron. in Eph. 5.

2. Reg. 7, 12. & seq.

Digitized by Google

Ebr. 1, 5. pertinere illhæc: *Ego ero illi in Patrem, & ipse erit mihi in Filium*, affirmat Paulus in Epistola ad Ebræos; quæ & Salomoni aptari possunt, quanquam diverso modo. Uni vero Christo ista conveniunt: *Stabiliam thronum regni ejus usque in sempiternum:* & hæc quoque: *Et fidelis erit domus tua, & regnum tuum usque in æternum ante faciem tuam, & thronus tuus erit firmus jugiter.* Contra in unum Salomonem hæc cadunt: *Qui si inique aliquid gesserit, arguam eum in virga virorum, & in plagis filiorum hominum.* Utrumque autem spectant illa: *Suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo, & firmabo regnum ejus: ipse ædificabit domum nomini meo.* Indoctus fuerit, qui universum Isaiæ librum ad Christi Jesu vitam & acta velit exigere, quod in quinquagesimo tertio capite mors ejus præsignificetur. Probat hoc ipsum Theodoretus exemplo Christi, qui de Hierosolymitano excidio, & de fine rerum ac orbis interitu, simul & promiscue disseruit: ἴδιος δὲ τῇ ϑεᾷ γραφῇ τὰς προφητείας ἀναμιγνύναι· καὶ γὰρ τῆς αἰχμαλωσίας λόγοις συνάπτει τὰς περὶ τῆς ἀναλήψεως· καὶ ὁ κύριος δὲ ἐν τοῖς ἱεροῖς εὐαγγελίοις κατὰ ταυτὸν τίϑησι τὰς περὶ τῆς ἁγιοσαλὴμ, καὶ τὰς περὶ τῆς συντελείας λόγους. *Scripturæ vero divinæ mos est, vaticinia permiscere: sermonibus enim de Captivitate, eos qui pertinent ad revocationem adjungunt. Et in Evangeliis Dominus simul conjungit sermones de Jerusalem, & de consummatione.* Inique ergo faciunt, qui allegoriæ cujuspiam mysteria scrutantes, rem totam perspectam habuisse non contenti, inquirunt in verba singula, eaque ad allegoriæ sensus exigere satagunt. Infelicem hanc diligentiam gravi & luculenta oratione castigat eximius ille Judæorum doctor More nev. Præf. Maimonides in More Nevochim: *Hoc ergo,* inquit, *diligenter observa: est enim fundamentum magnum ad ea, quæ tibi explicare volo. Proinde cum videbis me in aliquo capite explicare Parabolam aliquam, & in genere summam & scopum illius tibi indicare, noli postulare rationem & applicationem omnium verborum & rerum in Parabola contentarum ad rem significatam. Nam si id feceris, in alterutrum duorum horum incides: vel declinabis a scopo & intentione Parabolæ; vel defatigabis te in quærenda explicatione illorum, quæ explicari nequeunt, & ex hoc studio incides in vesaniam & vanitatem, inter multos nostro hoc tempore adeo familiarem, qui conantur quædam invenire & eruere e verbis Auctorum, de quibus Auctores ne unquam quidem somniarunt. Tuum autem propositum in majori Parabolarum parte esse debet, ut scias summam illius rei, de qua te Auctor Parabolæ cupit erudire.* Aliud quidem nobis suadere velle videtur Augustinus libro decimo septimo de civitate Dei, cum de Psalmorum prædictionibus ita scribit: *Testimonium quod profertur, de contextione totius Psalmi debet habere suffragium, ut certe nihil sit, quod ei refragetur, si non omnia suffragantur, ne more centonum ad rem quam volumus, tanquam versiculos decerpere videamur; velut de retrogrado carmine, quod non de re nulla, sed de alia longeque diversa reperiatur esse conscriptum. Hoc autem ut in quocunque Psalmo possit ostendi, exponendus est totus.* Quibus id tantum postulat Augustinus, ut si minus totius Psalmi contextus in ejusdem prædictionis sententiam conspiret, nihil ei certe habeat contrarium. Et merito: nam quis adeo ineptus sit, ut ex aliquo Scripturæ loco hanc eliciat conclusionem, quæ cohærentibus ex adverso repugnet? Dedimus nos quidem operam, ne in Paralleliſmi hujus testimoniis simile quidquam peccaremus; nec hujusmodi reprehensiones veremur. Augustin. de civ. Dei, l. 17. c. 15.

V. Nam quod impios quosdam homines blaterantes audivi aliquando, vitam ac res Christi gestas, non aliter in Veteris Testamenti libris prædictas reperiri, quam in Homero aut Virgilio, ex quorum libris ὑμηρόκεντρα, & Probæ Falconiæ Centones consuti sunt, dignum eorum insscitia est, quibus Centonum concinnandorum ars parum perspecta est. Animadvertas siquidem constare illos locutionibus Homericis & Virgilianis, non vero sententiis. Quemadmodum enim scriptio quævis iis constat elementis, quæ in indice literarum, quem Alphabetum appellant, singula reperias; iis vero dictionibus, quæ in Lexico: ita Centones illi ejusmodi consarcinati sunt locutionibus, quas ex Homero & Virgilio in tanta narrationum varietate facile colligas. Verum totam aliquam narratiunculæ comprehensionem haudquaquam ex iis transferre queas: imo vero id vetat lex Centonum, quæ duos ad summum versus simul transferri patitur. Multum vero discrepat ea prædictionum colligen- *Disputatur quid Prophetiarum collectiones a Centonibus discrepent.*

Digitized by Google

colligendarum ratio, quæ non verba tantum, aut enunciationes, ſed certæ alicujus & definitæ ſententiæ circumſcriptionem, & ſingulare ac notis ſuis diſtinctum pronuntiatum continent; ſuisque perſonis, vel locis, vel temporibus adjunctæ ſunt & adſtrictæ; nec in alium, aliumve ſenſum conferri queunt, itidem ut Centones, quorum ſummum artificium eſt, ſummus lepos, in alienam ſententiam loca transferre. *Cento, quid ſit abſolvam*, inquit egregius Centonum artifex Auſonius, *variis de locis, ſenſibusque diverſis quædam carminis ſtructura ſolidatur.* Et deinde: *Hoc ergo Centonis opuſculum tractatur; ſenſus diverſi ut congruant; adoptiva quæ ſunt, ut cognata videantur; aliena ne interluceant; accerſita ne vim redarguant.* Uno verbo dicam: longe aliud eſt, veſtimenta tantum, quæ locutionum inſtar ſunt, ſubminiſtrare, quod Homerus & Virgilius Centonum conſarcinatoribus faciunt; aliud cum veſtimentis corpus ipſum exhibere, quod Prophetarum proprium eſt.

Auſon. Pr. Cent. ad Paulum.

Ut fidei eſſet locus, non ſemper clara & diſtincta eſſe Prophetias oportuit.

VI. Hoc ſi fieret, quod poſtulant Adverſarii, nullique proferrentur Chriſti Jeſu typi, nullæ ipſius prænuntiæ Prophetiæ, niſi totius contextus, præcedentiumque ac ſequentium conſenſione roboratæ; ſi perpetua orationis ſerie, & apertiſſimis verbis, nulla rerum aliarum permiſtione confuſis, Chriſtum Prophetæ prædixiſſent, jam utique non Prophetiæ eſſent, ſed hiſtoriæ; nec quicquam relictum eſſet piorum fidei; jam, ut verbis utar Apoſtoli, *exinanita eſſet fides. Eſt* enim *fides ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium. Juxta fidem*, inquit ille quoque in eadem Epiſtola ad Ebræos, *defuncti ſunt omnes iſti, non acceptis repromiſſionibus, ſed a longe eas aſpicientes & ſalutantes.* Hinc David ignorantiæ ſuæ ſibi conſcius, & obſcuritatis, qua obſeptum animum ſuum ſentiebat, Deum his verbis interpellat: *Emitte lucem tuam & veritatem tuam; ipſa me deduxerunt & adduxerunt in montem ſanctum tuum & in tabernacula tua; & introibo ad altare Dei.* Memorabile & illud Habacuci Prophetæ: *Et reſpondit mihi Dominus, & dixit, Scribe viſum, & explana eum ſuper tabulas, ut percurrat, qui legerit eum: quia adhuc viſus procul, & apparebit in finem, & non mentietur; ſi moram fecerit, expecta illum, quia veniens veniet, & non tardabit. Ecce qui credulus eſt, non erit recta anima ejus in ſemetipſo; juſtus autem in fide ſua vivet.* Ad hanc ſententiam Hieronymus: *Et dicemus ideo Scripturam ſanctam his difficultatibus eſſe contextam, & maxime Prophetas, qui anigmatibus pleni ſunt, ut difficultatem ſenſuum difficultas quoque ſermonis involvat; ut non facile pateat ſanctum canibus, & margaritæ porcis, & profanis Sancta Sanctorum.* Ergo Prophetis res eminus fuerant oſtentatæ, nondum clare apparuerant. Huc ſpectat ſigillis ſeptem ſignatum ſacrum illud volumen, Johanni viſum, quod ſolus Leo de tribu Juda aperire potuit. Nempe his promiſſionum & prædictionum involucris fidem ſanctorum hominum exercebat Deus, per quam potiſſimum beneficiis ab eo ornari promeriti ſunt. *Credidit Abram Deo*, ait Moſes, *& reputatum eſt illi ad juſtitiam.* Quod ſane parendo duntaxat Legi, neutiquam fuiſſet conſecutus. *Non enim per Legem promiſſio Abrahæ, aut ſemini ejus, ut hæres eſſet mundi, ſed per juſtitiam fidei.* Quantum igitur apud Deum valuerit Patriarcharum & Prophetarum fides, Ebræis Apoſtolus fuſe expoſuit. At fidei, cui tantum tribuebat Deus, locum relinqui oportebat; nullus autem fuiſſet relictus, niſi res futuras velut per nebulam, obſcuras, hiulcas, & imperfectas Deus Prophetis, Prophetæ hominibus præmonſtraſſent. Nam cum triplici modo res attingere ſoleamus, vel per ſenſus, vel per intellectum, vel per voluntatem, majorem eſſe animadvertimus intellectus amplitudinem & capacitatem, quam ſenſuum; majorem item voluntatis, quam intellectus. Unde ſequitur majorem ineſſe nobis ad intelligendum facultatem, quam ad ſentiendum: majorem item ad volendum, optandum, & amandum, quam ad intelligendum. Quamobrem Deus magis a nobis amari vult, quam cognoſci; magis item cognoſci, quam ſentiri. Perfecte enim amari vult, aliqua tantum ex parte cognoſci, nullo modo ſentiri. Hinc illud Moſis a Chriſto iteratum: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in in tota mente tua. Hoc eſt maximum & primum mandatum.* De cognitione Dei ſic Paulus ad Corinthios: *Scientia inflat, charitas vero ædificat. Si quis autem ſe exiſtimat ſcire aliquid, nondum cognovit, quemadmodum oportet eum ſcire.*

Rom. 4, 14. Ebr. 11, 1. Ebr. 11, 13. Pſal. 42, 3. Hab. 2, 2. 3. Hieron. in Nah. c. 3. Apoc. 5, 1. 5. Gen. 15, 8. Rom. 4, 13. Ebr. 11. Deut. 6, 5. Matth. 22, 37. Luc. 10, 27. 1. Cor. 8, 2. 3.

Digitized by Google

Si quis autem diligit Deum, hic cognitus est a Deo. Et postea: *Ex parte enim cognoscimus.* 1. Cor. 13, 9. 10. 11. ..... *Cum autem venerit, quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est. Videmus nunc per speculum & in ænigmate, tunc autem facie ad faciem: nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum.* Psal. 17, 12. Idem sibi volebat David, cum de Deo diceret: Psal. 76, 2. *Et posuit tenebras latibulum suum:* & alibi: Isa. 45, 15. *Nubes & caligo in circuitu ejus.* Et Isaias: *Vere tu es Deus absconditus.* De sensibus Philip. 4, 7. vero sic Paulus ad Philippenses: *Pax Dei, quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, & intelligentias vestras in Christo Jesu.* Optat pacem Dei, quæ supra corporeos sensus posita est, eorumque effugit captum, intellectus eorum, & voluntates 1. Tim. 6, 16. custodire. Idem ad Timotheum: *Qui solus habet immortalitatem, & lucem inaccessibilem; quem nullus hominum vidit, sed nec videre* Exod. 33, 20. *potest.* Deus ipse Mosi præcise edixit: *Non poteris videre faciem meam: non enim videbit me homo & vivet.* Quo respiciebat Johannes, cum diceret: *Deum nemo vidit unquam.* Joh. 1, 18. Hinc Petro gratulatur Christus, quod ea de 1. Joh. 4, 12. 20. se crederet, quæ ipsi caro & sanguis non Matth. 16, 17. revelassent. Hinc spiritum promptum esse Matth. 26, 41. sciscit, carnem vero infirmam. Paulus Rom. 8, 6. 7. 8. quoque docet *prudentiam carnis, mortem esse; prudentiam autem spiritus, vitam & pacem.* Quod & pluribus locis inculcat. Cum igitur perfectam sui cognitionem nobis Deus impertiri nolit, quamdiu corporeis hisce vinculis constricti tenemur, suæ οἰκονομίας signa & indicia sic temperavit, ut in crepera luce ambulantes errabunda vestigia 1. Cor. 5, 6. fidei ductu regeremus. *Dum sumus in corpore*, inquit Apostolus, *peregrinamur a Domino: per fidem enim ambulamus, & non per speciem.* Juxta hanc facultatum nostrarum distinctionem, triplex hominum genus agnovisse reor vetustos Ecclesiæ Patres, σαρκικῶν, sive χοϊκῶν, quasi *carneos*, seu *terrenos* dicas, qui rebus sensibilibus dediti sunt; ψυχικῶν, *animalium*, quorum omne est in animis ad Dei cognitionem attollendis studium; πνευματικῶν, *spiritualium*, quorum eximius est in Deum amor, ac pietas singularis. In his defectum intellectus fides sarcit; & Prophetiarum mysteria, ad quæ mens humana caligat, fides irretortis oculis intuetur. Has quippe ambages iis extricaturum se promisit Deus, quorum dedita sibi mens esset, quique rectis studiis veritatem sectarentur. *Confiteor tibi, Pater, Domine cœli* Matth. 11, *& terræ*, inquit Christus, *quia abscondisti* 25. *hæc a sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis. Ita, Pater, quoniam sic fuit placitum ante te.* Quibus adsonant ista Pauli ad Corinthios: *Sapientiam autem loquimur* 1. Cor. 2, 6. & seq. *inter perfectos, sapientiam vero non hujus seculi, neque principum hujus seculi, qui destruuntur; sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinavit Deus ante secula, in gloriam nostram, quam nemo principum hujus seculi cognovit: si enim cognovissent, numquam gloriæ Dominum crucifixissent. Sed sicut scriptum est, Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum; nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum: Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei:* & in sequenti Epistola: *Quod si etiam opertum est Evange-* 2. Cor. 4, *lium nostrum, in iis qui pereunt est opertum:* 3. 4. *in quibus Deus hujus seculi excæcavit mentes infidelium, ut non fulgeat illis illuminatio Evangelii gloriæ Christi, qui est imago Dei.* Rursum ait Jesus Discipulis: *Vobis datum* Matth. 13, 11. *est nosse mysteria regni cœlorum; illis autem non est datum;* qui nempe superbis & elatis animis imbecillitatis humanæ parum memores insolescerent. Stuporem quippe ipsis & tenebras offundit Deus, ut quæ incurrunt in oculos, ne ea quidem videre possint. Quem in numerum Israelitis retulit Isaias; sic eos disertis verbis increpans: *Miscuit* Isa. 29, 10. & seq. *vobis Dominus spiritum soporis, claudet oculos vestros; Prophetas, & principes vestros, qui vident visiones, operiet. Et erit vobis visio omnium, sicut verba libri signati, quem cum dederint scienti literas, dicent, Lege istum: & respondebit, Non possum; signatus est enim. Et dabitur liber nescienti, diceturque ei, Lege; & respondebit, Nescio literas.* Par est istorum hæc apud Danielem sententia: *Tu autem,* Dan. 12, 4. *Daniel, claude sermones, & signa librum* 9. *usque ad tempus statutum.* Et deinde: *Et ait, Vade, Daniel, quia clausi sunt signatique sermones, usque ad præfinitum tempus.* Nec aliud sibi volebat Amos, cum diceret: *Væ* Amos. 5, *desiderantibus diem Domini: ad quid eam* 18. 19. *vobis? dies Domini ista; tenebræ & non lux..... Numquid tenebræ dies Domini,*

Digitized by Google

& non lux? caligo, & non ſplendor in ea? Idem etiam ſignificabat velamen, quo faciem obnupſit Moſes, cum de monte deſcenderet. 2. Cor. 3, 13. & ſeq. *Moyſes*, inquit Paulus, *ponebat velamen ſuper faciem ſuam, ut non intenderent filii Iſrael in faciem ejus, quod evacuatur, ſed obtuſi ſunt ſenſus eorum: usque in hodiernum enim diem idipſum velamen in lectione Veteris Teſtamenti manet non revelatum, quoniam in Chriſto evacuatur; ſed usque in hodiernum diem, cum legitur Moyſes, velamen poſitum eſt ſuper cor eorum. Cum autem converſus fuerit ad Dominum, auferetur velamen.* Hoc autem velum oculis ſuis obductum eſſe, ne recentiores quidem Judæi infitiantur, olimque ſibi ab hominibus quibusdam detractum iri fatentur; tum videlicet, cum ab iis Scripturæ intelligendæ modum rationemque condiſcent. Nempe reſpiciunt ad hoc effatum Iſ. 25, 7. Iſaiæ: *Et præcipitabit* (Dominus) *in monte iſto faciem vinculi colligati ſuper omnes populos, & telam, quam orditus eſt ſuper omnes nationes.* Quam prædictionem ad Chriſtum pertinere ſequentia manifeſto indicant, & Ebræi ipſi fatentur. Porro non omnes prædictiones involucris obſepſit Deus, ſed Prophetas quandoque claris, apertisque verbis oracula ſua pandere juſſit; eaque præſertim, quæ ad morum emendationem, vel ad inſtantium malorum cautionem, aut emolumentum denique eorum conducerent, quos præſentibus auxiliis Deus proſequi vellet: alias vero Prophetias, quibus graviora, & ſupra plebis captum poſita ineſſent myſteria, intra quasdam obſcuritatis latebras incluſit; ad excitanda videlicet piorum hominum ſtudia, & profani vulgi obtutus arcendos.

contr. Celſ. οἱ μὲν οὖν προφῆται ὅσα ἦν ἐντεῦθεν νοηθῆναι τοῖς ἀκούσι χρήσιμα, καὶ συμβαλλόμενα τῇ τῶν ἠθῶν ἐπανορθώσει, χωρὶς πάσης ἐπικρύψεως, κατὰ τὸ βούλημα τοῦ θεοῦ, ἐρήκασιν. ὅσα δὲ μυστικώτερα ἦν, καὶ ἐποπτικώτερα, καὶ ἐχόμενα θεωρίας τῆς ὑπὲρ τὸν πάνδημον λεγὸν, ταῦτα δι' αἰνιγμάτων, καὶ ἀλληγοριῶν, καὶ τῶν καλυμμένων ἐκείνων λόγων, καὶ τῶν ὀνομαζομένων παραβολῶν ἢ παροιμιῶν, ἀπεφήναντο· ἵν' οἱ μὴ φιλοπονοῦντες, ἀλλὰ πάντα, πόνου ὑπὲρ ἀρετῆς καὶ ἀληθείας ἀναδεχόμενοι, ἐξετάσαντες εὕρωσι, καὶ εὑρόντες, ὡς λόγος αἰρεῖ, οἰκονομήσωσιν. *Prophetæ igitur quæcunque auditoribus utilia cognitu jam inde eſſe poterant, & moribus emendandis opportuna, nulla adhibita occultatione, Deo ſic volente, prolocuti ſunt. Quæcunque vero ſecretiora erant, ac iis tantum tradi digna, quibus intima patebant myſteria, quæque diſciplinæ erant reconditioris ac ſtudii, ut pote quæ vulgarem captum ſuperarent, hæc per obſcuros ſermones, per ænigmata & allegorias, per parabolas & paræmias explicarunt; ut qui labori ſuo non parcerent, ſed pro virtute & veritate operam omnem ſubire eſſent parati diſquiſitione adhibita illarum aſſequerentur intellectum; eoque reperto, quemadmodum ratio poſtulat, uterentur.* Verba ſunt Origenis adverſus Celſum diſputantis.

VII. Animadvertendum præterea eſt Prophetiarum quasdam unicam admittere interpretationem, quæ Chriſtum mere reſpiciat; cujusmodi ea eſt, quæ habetur in nono Danielis, quæque venturi Meſſiæ tempus definit: quasdam vero duplici interpretatione gaudere, alia κατὰ λέξιν, *(ſecundum verba)* alia κατὰ σχῆμα: *(ſecundum figuram)* ſive, ut Rabbinice loquar, על ששטעי, *juxta ſonum ſuum*, hoc eſt, literæ ſuæ ſenſum; alia על מדרשי, *juxta ſenſum ſuum allegoricum*; ſive, ut Origenice, alia πρὸς τὸ ῥητὸν, *(ad verbum)* alia πρὸς διάνοιαν; *(ad ſententiam)* harum autem duplex eſſe genus, cum aliæ recta referantur ad Chriſtum, ad alia vero oblique; aliæ contra allegorice pertineant ad Chriſtum, juxta obviam vero & ſimplicem ſignificationem alio ſpectent. Prioris generis ea eſt, quæ habetur in viceſimo primo Pſalmo, quamque adnotarunt Evangeliſtæ: *Diviſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem:* Hoc enim revera & κατὰ λέξιν *(ſecundum verba)* Chriſto contigit, Davidi vero oblique. Alterius generis hoc exemplum ſuppeditat idem Pſalmus: *Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio Eccleſiæ laudabo te*; quæ de ſe quidem David κατὰ λέξιν, *(juxta verba)* de Chriſto vero κατὰ σχῆμα *(juxta ſententiam)* prædixit. Quanquam & κατὰ λέξιν *(juxta verba)* poteſt in Chriſtum congruere. Poſtremo huic generi duplex ineſt futurorum indicium, ut recte a Grotio obſervatum eſt: Grot. in Matth. 1, 22. bis, inquam, vaticinia hæc rem præſignificant; primum quidem, cum ipſum editur oraculum; ſecundo, eum in eo exitum habet, quem directe ſpectavit. Exemplo erit mox allatum Nathanis vaticinium, quo Davidem Deus ſic compellat: *Suſcitabo ſemen tuum poſt te, quod egredietur de utero tuo, & firmabo regnum ejus: ipſe ædificabit domum nomini meo.* Cum ea enim ad 2. Reg. 7, 12. Salomo-

Triplex occurrit prophetiarum genus in Libris ſacris: primum, quod Chriſtum mere reſpicit; alterum, quod Chriſtum reſpicit κατὰ λέξιν, alia κατὰ σχῆμα; tertium, quod Chriſtum κατὰ σχῆμα, alia κατὰ λέξιν. Orig. l. 7. contr. Celſ.

Digitized by Google

Salomonem directo, oblique ad Christum spectent; & per verba hæc Christus primum prædictus est, tum cum vaticinium ipsum edidit Nathan; iterum quoque prædictus est Christus, per typum, cum ortus est Salomon, ad quem directo spectaverat Nathanis oraculum, quemque Christum figuram gerere ostendimus; & cum Templum construxit, quod Ecclesiæ a Christo ædificatæ imago fuit. Sed de hoc prædictorum genere, quæ fiunt per figuras, jam supra egimus: quod attinet ad ea, quæ fiunt per verba, triplicem his, totique adeo Scripturæ, inesse sensum docuit Origenes, ut in Origenianis nostris observavimus, triplexque proinde ejus interpretandi genus agnovit, & quod literæ adhæret, & quod σχῆμα *(figuram)* persequitur, & quod utrumque. Sed verba ipsa egregii Doctoris afferre satius est: *Ostendimus, ut opinor, auctoritate Scripturæ divinæ, ex iis quæ in lege scripta sunt, aliqua penitus refugienda esse & cavenda, ne secundum literam ab Evangelii Discipulis observentur*; (nempe ea, quæ Christum κατὰ σχῆμα, *(juxta figuram)* alia vero κατὰ λέξιν, *(secundum verba)* respiciunt, in quibus cavendum omnino est, ne ita inhæreamus literæ, ut latentem figuram omittamus, tum enim vere litera occidit; de quo genere sic idem in primo capite Philocaliæ: ἀλλ' ἐπεὶ εἰσί τινες γεγραμμένοι τὸ σωματικὸν οὐδαμῆς ἔχοντες, ὡς ἐν τοῖς ἑξῆς δείξομεν, ἔστιν ὅτε οἰκεῖα τὴν ψυχὴν μόνα δεῖ ζητεῖν· *Sed quoniam sunt quædam Scripturæ, quæ nihil habent corporeum, ut deinceps ostendemus, animam tantum & spiritum nonnunquam quærere oportet.* Nempe id sibi vult, Scripturis hujusmodi vel corporeum nihil inesse, sensum videlicet nullum κατὰ λέξιν *(secundum verba)* vel si quis insit; levem eum esse, (momenti nullius, ac pro nihilo ducendum) *quædam vero, ut scripta sunt, obtinenda*; (ea videlicet, quæ mere ad Christum pertinent,) *alia autem habere quidem secundum literam veritatem sui; recipere tamen utiliter & necessario etiam allegoricum sensum.* (nimirum, quæ ad Christum spectant κατὰ λέξιν *(secundum verba)* ad alia vero κατὰ σχῆμα *(secundum figuram)* Triplicem hunc sensum distinguere videtur Josephus in Antiquitatum suarum Proœmio, cum Legem a Mose sic conscriptam esse docet, τὰ μὲν αἰνιττομένου τοῦ νομοθέτου ἐξῆς, τὰ δὲ ἀλλαγορεύοντος μετὰ σεμνότητος· ἃ μὲν δὴ ἐξ ὑπαίνιγμάτων λεγόμενα συνθεῖναι, ταῦτα ἡμῖν ἐμφανίζοντος· *Hæc quidem ænigmatis, uti par est, involvente Legislatore; alia exponente allegorice cum dignitate; quæcumque vero directe proponere utile fuit, ea plane & diserte explicante.* Quorum omnium causas privatim exponere sibi Josephus proposuerat.

Orig. Hom. 11. in Num.

VIII. In interpretando eo genere Prophetiarum, aliisque Scripturæ locis, quæ allegoricum sensum recipiunt, plerorumque Judæorum desudavit industria. Testis Philo, qui totis allegoriarum voluminibus Scripturam sacram explanavit, quemque putat Photius Scripturæ sacræ allegorice exponendæ rationem Ecclesiæ præmonstrasse. Sed ne assentiamur faciunt Philone vetustiores plerique, hoc artificio noti. Velut Aristobulus, itidem Judæus, Philone antiquior, & in Machabaico secundo laudatus, qui Mosem interpretans allegoriis usus est, & cujus insigne fragmentum ad id probandum attulit Eusebius. Item Therapeutæ a Philone celebrati, sive Judæi, sive Christiani Judaica instituta servantes, a quibus ἐξηγήσεις τῶν ἱερῶν γραμμάτων ἐγίνοντο δ' ὑπονοιῶν ἐνὰ ἀλληγορίας· *Explicationes sacrarum scripturarum fiebant tropice per allegorias*, quique morem hunc a majoribus acceperant. Eleazarus quoque Pontifex apud Aristeam; qui Aristeas, germanusne sit, an suppositicius, operum nostrorum non est nunc inquirere; satis est hoc veterum Ebræorum institutum ex eo cognoscere. His adde Josephi testimonium proxime notatum. Veniunt & in hunc censum Deuterotæ, Scripturarum sacrarum Interpretes, quos scribit Eusebius exponere solitos fuisse, quæ per ænigmata in iis essent adumbrata. Quos inter ii tantum admittebantur, qui robusta ac præstanti quadam animi maturitate & vi præditi essent. Conferendi illuc quoque quos דרשנים, hoc est *Concionatores* appellant. Porro explicationem illam δι' ὑπονοιῶν *(per figuras)* Philoni memoratam, quam τῷ φανερῶς λεγομένῳ, *his quæ aperte dicuntur*, opponit Plutarchus, explicandis Homeri Poematis jam olim adhibitam fuisse discitur ex Platone, cum Homeri θεομαχίας *(Pugnas Deorum)* minime recipiendas esse docet, ὅτ' ἐν ὑπονοίαις πεποιημένας, ὅτ' ἄνευ ὑπονοιῶν, *sive per figuras, sive sine figuris conficias*, cum non facile dignoscere possit

In allegoriis eruendis elaborarunt Judæi.

Phot. Cod. 105.

Euf. Præp. l. 8. c. 10. & Hist. Eccl. l. 2. c. 17.

Euf. Præp. l. 11. c. 5. & l. 12. c. 1. & 4.

Plut. de Poes. Homer. Plat. l. 2. de Rep.

Digitized by Google

possit adolescens, quid sit ὑπόνοια, *(figura)* quid non. Ὑπονοίας *(figuras)* intellige, quæ deinde ἀλληγορίαι dictæ sunt: vetustiorum enim scriptorum ea vox est, teste Plutarcho. Has ὑπονοίας *(figuras)* sive διανοίας, *(sensus)* (utroque nomine appellantur) Judæi מדרשים dixerunt, iisque libros suos referserunt: nec minus iis tribuunt nonnulli auctoritatis & fidei, ac Cabalicis ipsis Traditionibus, ut auctor est Maimonides in More Nevochim. Ii quoque significationem allegoricam אגדה & דברגדול appellant, eosque ajunt valde falli, qui eam exponant על דרך של בני אדם *tanquam locutiones ab hominibus usurpari solitas*; cum exponenda sit על דרך משל, *tanquam parabola*: nudam vero & simplicem appellant, פשוט, & דבר קטן. Et jam olim scitum est inter ipsos, omni Scripturæ sensum inesse utrumque, פשוט עם אגדה, *simplicem cum occulto*. Hinc Agadici dicti, in Midrasch Thehillim aliisque Judæorum scriptis memorati, qui in eruendis profundioribus mysteriis operam consumebant omnem, nec Cabalicis nugis abstinebant. Perpauci hi erant numero; fortasse ob studii difficultatem, quæ plures deterrebat: eorum quoque scriptiones erant oppido raræ; fortasse quod vulgi captum præterirent. Idem Maimonides in Jad Chazacah, libro de conversione, tertio capite, terram Chanaam significare ait, ארץ החיים, *terram viventium*, תוא העולם הבא, *hanc autem esse seculum futurum*. Idem libro de Regibus, postquam lupi & agni concordiam allegorice exposuit, universe concludit has clausulas iisque, quæ pertinent ad Messiam, allegorias esse. Plerasque hujusmodi proponit; & Præfatione in Misnajoth, dictata Thalmudis, quæ κατὰ λέξιν *(secundum verba)* sumta, ridendæ absurditatis plena esse videbat, ad σχῆμα *(figuram)* detorsit. Eadem aliorum multorum ratio est. Thalmudistæ, capite quinto Beracoth, omnem Tabernaculi Mosaici supellectilem ad cœlestium significationem revocant. Et in libro Thalmudico Sanhedrin effatum hoc reperias: *Locus unicus Scriptura dat plures sensus: e duobus vero locis Scripturæ non exit sensus unicus.* Tum deinde Verbum Dei simile esse dicitur silici, qui malleo percussus plurimas dat scintillas. Toti sunt in allegoricis expositionibus libri Siphra & Siphre. R. Isaac Abrabaniel, vir celebris inter suos, docet omnem Tabernaculi apparatum ad id præcipue esse instructum, ut sit, כספר חכמה עליונה ועניני נכבדי אשר אלוי יתישרו, *Velut liber sapientiæ sublimioris, & rei gloriosæ ad quam ista referuntur.* Idem apud R. Mosem Albeldam reperias. Quid reliquos commemorem, qui nuda literæ doctrina non contenti, ad allegorias mentem extulerunt, quales inter cæteros Rabba ben Nachmoni in Beresith Rabba, & R. Jacob Baal Hatturim in Genesin, & R. Simeon in Jalcut, & Elisah in Ecclesiasten, & R. Joseph Samiga in Convocatione sanctitatis, & Auctor libri, cui titulus est, כפתור ופרח, *Pomum & flos*, & R. Joseph Jabetz, vix ullo contradicente, si unum fortasse Peritzolium excipias. Circumfertur liber Rabbinicus, cui titulus, יסוד שורים, *Fundamentum Canticorum*, expositio, videlicet libri Ruth, qua ostenditur geminum in Scriptura contineri sensum, apertum & opertum. Istarum ὑπονοιῶν *(allegoriarum)* diversa genera exposita sunt a R. Azaria in Meor enajim, & ab Aben Ezra in Threnos. Laudatus jam sæpius Maimonides, in Præfatione præclari operis More Nevochim, multa de Scripturæ sacræ parabolis & ænigmatis disserit. Ac primum ostendit, non solum perplexo hoc docendi genere usos esse Sapientes, sed & necessario hoc fecisse, nec aliter facere potuisse. Tum multiplices ait esse parabolarum formas, ad idque potissimum susceptum sibi hoc opus, ut ad Prophetarum parabolas intelligendas Lectori viam muniret: nec enim ad propheticarum vaticinationum intelligentiam posse perveniri, nisi enodandarum parabolarum ratio teneatur. Atque id confirmat hoc loco Oseæ: *Ego visionem multiplicavi, & in manu Prophetarum assimilabo*, sive, *similitudines proponam.* Id enim sonat Ebraice vox, אדמה. Utitur & hoc Ezechielis: *Fili hominis, propone ænigma, & narra parabolam ad domum Israel:* & hoc altero: *Et dixi, A, a, a, Domine Deus; ipsi dicunt de me, Numquid non per parabolas loquitur iste?* Quibus addit & ista Salomonis: *Audiens sapiens sapientior erit, & intelligens gubernacula possidebit: animadvertet parabolam & interpretationem, verba sapientum, & ænigmata eorum.* Deinde ex מורש docet de parabola ad parabolam progressum fieri, velut per funes connexos ac cohærentes, ad intelligentiam Legis, sic

Plut. de audiend. Poet.

R. Mos. ben Maim. More Nev. P. 3. c. 43.

R. Mos. ben Maim. in Jad. I. de conv. c. 3. sect. 5.

Sanh. c. 4.

Ose. 12, 10

Ez. 17, 2.

Ez. 20, 49.

Prov. 1, 5. 6.

Digitized by Google

tanquam in profundo puteo latentem; & quæcunque in ea de ritibus ac ceremoniis tradita sunt, occulta mysteria continere. Demum verba, quæ parabolam continent, candelæ parvi pretii comparat; latentes vero in eo sententias, margaritæ, quæ cum in tenebris prolapsa intercidit, diobolaris illa ad eam conquirendam & reperiendam candela accenditur. At Therapeutæ apud Philonem, aptissima comparatione legem animalis similem esse dicunt, & verba quidem, corporis; animæ vero, sensus verbis inclusos. Aben Ezra Scripturæ sacræ sensus, corporis instar esse dicebat; allegorias, vestimentorum. Neque sane solum constat priscos Judæos admisisse allegoricum interpretandi genus; sed literæ etiam corticem pro eo sæpe spreviſſe, & præcepta Legis, non prout concepta sunt verbis, sed juxta mysticum sensum servasse, Eusebio affirmanti credendum est. Ἐπεὶ δὲ, inquit, διειλήφαμεν τά τε τῶν ἱερῶν νόμων παραγγέλματα, τόν τε τρόπον τῆς ἀλληγορουμένης παρ' αὐτοῖς ἰδέας, ἐξ ἧς ἂν εἴη καὶ τόδε ἐπισημήνασθαι, ὡς τὸ πᾶν ἰουδαίων ἔθνος εἰς δύο τμήματα διήρηται. καὶ τὴν μὲν πλείω τῶν τῶν νόμων κατὰ τὴν ῥητὴν διάνοιαν παρηγγελμένους ὑποθήκας ὑπῆγε· τὸ δ' ἕτερον τῶν ἐν ἕξει τάγμα, ταύτης μὲν ἠφίει, θειοτέρα δέ τινι καὶ τὰς πολλὰς ἐπαναβεβηκυίᾳ φιλοσοφίᾳ προσέχειν ἠξίει, θεωρίᾳ τε τῶν ἐν τοῖς νόμοις κατὰ διάνοιαν σημαινομένων. *Quoniam autem de sacrarum legum præceptis, & allegorico qui iis inest sensu disseruimus, sequitur ut notemus genus universum Judæorum in duas partes esse divisum, & multitudinem quidem legum præceptis, prout verbis concepta extant, subjecisse; reliquam vero partem, eorum videlicet quorum firmiores mentes sunt, hac necessitate solutos, ad diviniorem quamdam Philosophiam, & supra vulgi captum positam, & ad allegoricorum sensuum, qui in Lege reconditi sunt, investigationem animum adjicere voluisse.* Onkelon nobilissimum Mosis interpretem allegorias nonnumquam persequi, & ipsa res clamat, & declarat Aben Ezra. Videant nunc Judæi recentiores, atque imprimis pervicacissimi inter ipsos Caraitæ, quantum ab hac doctrina recesserint, dum Legis verbis adhærentes, mysticos sensus & allegoricas interpretationes respuunt; spreto majorum suorum more, quorum qui cordatiores erant, neglecta in multis, quoad literæ sensum, Lege, eidem juxta allegoriam fere obsequebantur. Notabilis est imprimis clarissimi Doctoris Aben Ezræ audacia, qui in Dissertatione quadam, qua Legis explanandæ diversos modos proposuit, eum solum amplectitur, qui literæ inhæret ac verba persequitur, allegorias omnes repudiat. Quanquam aliquibus Scripturæ locis inesse mysteria, ad eaque assurgendum esse fateri cogitur. Et vero nisi de sua pertinacia remitteret hoc verporum genus, & multa על דרך משל interpretanda esse fateretur, in quam multa absurda incurreret, naturæ, rerumque ordini, Legi etiam Mosaicæ, Prophetarum sententiis, ac veritati ipsi contraria? Nihil hic de Johanne attinet dicere, qui occultos Veteri Testamento sensus inesse passim docuit: nihil de Christo Jesu, a quo idem crebro traditum est, quique doctrinæ suæ præcepta parabolis tegere ac dissimulare solitus, monitum hoc subjiciebat, *Qui habet aures audiendi, audiat;* quasi auditoribus denuntians, nisi allegorica interpretatione adhibita reconditas sententias evolverent, frustra hæc a se proponi. Contenti simus testimonio Pauli, qui Judæos, apud quos sua jam ætate glisceba ea labes, gravissimis sæpe verbis castigat: *Circumcisio cordis*, inquit, *in spiritu, non litera.* Idem alibi mysticum & interiorem sensum faciei Mosis comparat; exteriorem vero velamini faciei Mosis impositio: *Usque in hodiernum diem cum legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum: cum autem conversi fuerint ad Dominum, auferetur velamen.* Idem passim Novi Testamenti mysteria in Veteris historiis adumbrata esse docet: *Hæc autem*, inquit, *in figura contingebant illis; scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos fines seculorum devenerunt.* Inde adeo Psalmo septuagesimo septimo Parabolæ appellantur prodigia a Deo edita, in gratiam, vel in emendationem Ebræorum. Et Psalmo centesimo decimo octavo, his verbis Deum orat Propheta: *Revela oculos meos, & considerabo mirabilia de Lege tua;* futurorum nempe præsignificationes. Atque ii sunt vere clausi, signatique sermones, de quibus futurum prædicit Daniel, *Ut neque intelligant omnes impii, porro docti intelligant.* Hoc argumentum erudite prosecutus est contra Celsum Origenes noster, & libro quarto de principiis, quem qui studiose legerit, operæ fructum feret.

Aben Ezr. Præf. de Leg. interpr. in Bibl. Bomb. Venet. 1523.

Phil. de vit. contempl.

Aben Ezr. in Thren. 1.

Euſ. Præp. l. 8. c. 10.

Rom. 2, 28.

2. Cor. 3, 15.

1. Cor. 10, 11.

Pſal. 77, 2.

Dan. 12, 10.

Origen. contr. Celſ. l. 4. & de Princip. l. 4. c. 2.

Unum

Unum hic addam, quod jam ſuis locis monui, unde obfirmata Judæorum pertinacia deprehenditur, ipſos quantumvis exoſos allegoricas explanationes, easdem tamen admittere, ad eluenda vaticinia Prophetarum, quæ in Chriſto Jeſu κατὰ λέξιν (*ſecundum verba*) completa ſunt. Velut illud Davidis: Pſal. 21, 18. 19. *Foderunt manus meas, & pedes meos:* tum Pſal. 68, 22. iſtud: *Diviſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem:* atque hoc etiam: *Et dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potaverunt me aceto:* & id quoque Iſa. 42, 6. 7. Iſaiæ: *Et dedi te in fœdus populi, in luccm gentium, ut aperires oculos cœcorum:* nec Zach. 9, 9. non & illud Zachariæ: *Ecce rex tuus veniet tibi juſtus & Salvator: ipſe pauper, & aſcendens ſuper aſinam, & ſuper pullum filium* Zach. 11, 12. *aſinæ:* tum & illud ejusdem: *Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos.* Quæ ἀλληγορικὰς Judæi pro arbitrio detorquent. R. Manaſſ. l. 2. de reſurr. c. 19. Sed & inter novitios Judæos R. Manaſſe in opere de reſurrectione multas patrum ſuorum ineptias, in Thalmude Rabbinorumque libris conſignatas, flectit ad allegoricum ſenſum, ſeſeque ſingulari tractatu acturum ſpondet de allegoriis, quæ his ſcriptionibus continentur. Suo ſibi denique gladio jugulantur ipſi, cum pervulgatum hoc inter eos uſurpant effatum: אין בתורה אפילו אות אחת שאין תרים גדולים תלוים ברז. *Ne unica quidem in Lege litera extat, e qua non pendant montes magni.*

& Ethnici. IX. Abeamus ad Ethnicos, quorum plerique hoc genere delectati ſunt. Homeri, ut dixi, Poemata in allegorias jam olim a plerisque tracta fuiſſe, vel ex uno hoc, quod attuli, Platonis effato colligitur. Extabant olim Homericæ allegoriæ Metrodori Lampſaceni; extant hodieque & illæ Heraclidis Pontici & Porphyrii. Nonnullas etiam Plutarchus in libro de vita & poeſi Homerica propoſuit. Idem in libro de audiendis Poematis egregium earum exemplum affert, unde intelligas quos intra fines eæ debuerint conſiſtere; ne vel progrederentur longius nimis curioſi & ingenioſi Interpretes, myſteria Homero affingentes, de quibus ne in ſomnis quidem cogitavit; vel in nudo verborum ſenſu hærerent. Longe vero plurimas reperias apud Euſtathium. Notabile eſt illud Dionis Chryſoſtomi in Oratione de Homero, ſolitum fuiſſe Homericis temporibus res naturales fabulis implicare. Addidiſſet, res quoque pertinentes ad mores & ad politica, & cujuscumque tandem generis, figmentis diſſimulare. Hieroglyphica Ægyptiorum, eorumque ſignificationes retulit in literas Chæremon, Auguſti ætate. Nec multo poſt Cornutus Græcorum mythologiam naturæ rationibus accommodavit, eo libro, qui ſub Phurnuti nomine circumfertur. Ab utroque, Cornuto, & Chæremone, τὸν μεταληπτικὸν τῶν παρ' ἕλλησι μυστηρίων τρόπον, *Græcanicorum myſteriorum allegorice interpretandorum rationem*, accepiſſe Origenem teſtificatur Porphyrius. Edidit Palæphatus Ægyptius, λύσεις τῶν μυθικῶς εἰρημένων: *Solutiones eorum quæ fabuloſe dicta erant.* Totus eſt in hujusmodi fabularum Græcarum allegoriis evolvendis Fulgentius Planciades. Quasdam & illarum anagogas ſcripſit Michael Pſellus. At conſumſit diurnitas temporis, Zenonis, Chryſippi, & Diogenis Babylonii libros, quibus fabularem hiſtoriam a nugis dejunctam, traduxerunt ad Phyſiologiam, & Orphei ac Muſæi nominibus præſcriptas fabellas, tum & illas Homeri ac Heſiodi, ad ſuas de Diis opiniones applicarunt. Sed & veteſtiores quoque Philoſophi Heraclitus & Empedocles, aliique multi tandem rationem tenuerunt, teſtibus Heraclide, & Cornuto: quem lectiſſimis annotationibus illuſtrans Thomas Galæus longe plures recenſet. Vana ſane fuiſſet eorum opera, qui doctrinam ſuam velarunt figmentis, niſi fuiſſent qui diſpellere tenebras, & arcana eruere ſtuduiſſent. Recte Origenes Celſo eos arguenti, qui ex Moſis Hiſtoria tropologias, & allegorias eliciebant, reſpondet Lini, Muſæi, & Orphei poemata, & Pherecidis hiſtoriam iis eſſe ſcripta & propoſita, qui inde abſtruſos ſenſus & aliorſum pertinentes poſſent eruere. Imo vero fatendum eſt, quæcunque gens fabulatores habuit, eamdem & ſuos fabularum Interpretes habuiſſe. Id quod de Aſſyriis & Arabibus Lucianus commemorat. Julianus denique Imperator divinorum oraculorum Interpretes, ac Chriſtianos præcipue inſectatur, quod hæreant in cortice, nec myſteria in iis recondita eruere ſatagant. Plura afferre poteramus in eam ſententiam, ſi incerta res aut controverſa ageretur. Satis profecto ex iſtis intelligitur μεταληπτικὸν Lucian. Macr.

(allegoricum) hoc interpretandi genus Ebræis Scriptoribus pariter & exoticis acceptum ac familiare fuisse; ac inique porro facturos, si qui in nobis culpare audeant, quod in aliis probare coguntur.

Vanitatem oraculorum suorum & Sibyllarum Ethnici agnoscunt.

X. Nunc antequam manum tollamus de tabula postularet locus, ut de Ethnicorum oraculis disputaremus, quæ Propheticæ facultatis specie quadam vulgi stoliditati diutissime illuserunt, & Christianæ legis adversariis ad prædictionum Veteris Testamenti vim oppugnandam argumentum præbere possunt. Nam si Prophetias, quibus se tutetur, habet etiam mendacium & impietas, quid in iis præsidii veritas collocabit? Verum jam tum etiam cum maxime vigerent oracula, ita prolapsa erat eorum fides apud sanæ mentis homines, ut nihil inter eos esset contemtius. Pythiam auro a Philippo corruptam, facete dicebat Demosthenes φιλιππίζειν· Chrysippum superstitionibus valde deditum, ut Stoicum decuit, oraculis totum volumen impleviſſe ait Cicero, *partim falsis, partim casu veris, ut fit in omni oratione sæpissime; partim flexiloquis & obscuris, ut interpres egeat interprete, & sors ipsa referenda sit ad sortes; partim ambiguis, & quæ ad Dialecticum referenda sint.* Audiamus præterea Origenem sic disputantem contra Celsum: δυνατὸν μὲν ἡμῖν συνάγεσιν ἐκ̀ ἀκριστέλους, καὶ τῶν τὰ τῶ περιπάτε φιλοσοφησάντων, ὐκ ὀλίγα εἰπῶν εἰς ἀνατροπὴν τῦ περὶ τῆς πυθίας καὶ τῶν λοιπῶν χρησηρίων λόγυ· δυνατὸν δὲ καὶ τὰ λελεγμένα τοῖ ἐπικύρει, καὶ τοῖς ἀσπαζομένοις ἀυτῦ τὸν λόγον περὶ τῶν ἀυτῶν, παραθέμενον δεῖξαι ὅτι καὶ ἑλλήνων τινὲς, ἀνατρέπυσι τὰς νομιζομένας, καὶ τεθαυμασμένας ἐν πάσῃ ἑλλάδι θεοπρεπίας. *Possumus quidem, si Aristotelis & Peripateticorum scripta compilare velimus, non pauca afferre ad ea labefactanda, quæ de Pythia & reliquis oraculis feruntur. Possumus quoque, si expromamus quæ de iisdem rebus ab Epicuro, ejusque sectatoribus disputata sunt, ostendere, nonnullos Græcorum refellere & aspernari oracula, quæ per universam Græciam communi & tralatitio usu, etiam cum admiratione recipiuntur.* Vanitatem vero oraculorum aperte confitetur Porphyrius, rei apprime consultus, ut qui librum scripserat de philosophia ex oraculis petita. Rem pluribus testimoniis, tum & exemplis ac rationibus confirmare promtum esset: sed cum Eusebius toto in libro Præparationis Evangelicæ sexto præstiterit, amandari se illuc Lector benignus patiatur. Idem omnino de Sibyllinis carminibus putandum est; non recentioribus istis, quæ circumferuntur & κιβδηλίας vulgo damnata sunt, sed de antiquis etiam, quorum meminerunt Veteres. *Callide*, inquit Cicero, *qui illa composuit, perfecit, ut quodcunque accidisset, prædictum videretur, & hominum & temporum definitione sublata. Adhibuit etiam latebram obscuritatis, ut iidem versus alias in aliam rem posse accommodari viderentur.* Et deinde: *Quamobrem Sibyllam quidem sepositam & conditam habeamus, ut id quod proditum est a majoribus, injussu Senatus ne legantur quidem libri, valeantque ad deponendas potius, quam ad suscipiendas religiones.* Post operam ad scriptionum illarum futilitatem demonstrandam utiliter a Blondello positam, in longiori argumenti hujus tractatione, mihi ingratus, Lectori inutilis labor poneretur. Quanquam & ea, quæ in contrarium nuperrime attulit Johannes Crassetius, pietate insignis & doctrina, cum fructu & voluptate legi possunt.

Cicer. de div. l. 2.

Blond. de Sibyll. l. 1. c. 8. 9. 10.

Plut. Dem.

Cic. l. 2. de divin.

Orig. l. 7. contr. Celf.

Porphyr. apud Euſ. l. 6. c. 5.

EPILOGUS NONÆ PROPOSITIONIS.

HIc vero finis esto Propositionis hujus, in qua cum ex Veteris Testamenti cum Novo contentione & Paralleliſmo perspicuum sit, Prophetias omnes Veteris Testamenti de Messia, & quæ iis continentur κριτήρια *(notas)* in Jesum Nazarenum aptissime quadrare, in neminem vero præterea; supra vero in octava propositione demonstraverimus eum esse Messiam, cui uni Prophetiæ omnes Veteris Testamenti de Messia conveniunt; sequitur omnino Jesum Nazarenum esse Messiam. Quod erat probandum.

ΠΟΡΙΣΜΑ.

Libri Veteris Testamenti sunt divinitus inspirati.

PRophetiam omnem esse veracem, cum res in ea prædictæ contigerunt, tertio inter Axiomata loco posuimus. Ostendimus autem nona hac Propositione res in Prophetiis Veteris Testamenti de Christo prædictas,

Digitized by Google

dictas, in Jesu Nazareno contigisse. Unde concluditur, Prophetias Veteris Testamenti, quæ ad Christum spectant, esse veraces. Sed & alias plerasque Veteris Testamenti Prophetias veraces esse, sexta Propositione demonstravimus. Axiomatum porro nostrorum quartum hoc est, Propheticam facultatem a solo Deo esse. Ergo hæ Prophetiæ Veteris Testamenti a Deo solo sunt. Atqui Prophetias illas continent libri Veteris Testamenti. Unde sequitur libros Veteris Testamenti esse divinitus inspiratos. Origenes quidem cum in libro quarto de principiis probare vellet, divinitus inspiratam esse sacram Scripturam, non alio id confecit argumento, quam eventu prædictionum: *Antequam*, inquit, *complerentur ea quæ a Prophetis fuerant prædicta, quamvis vera essent, tamen ostendi vera esse non poterant, pro eo quod nondum probarentur impleta. Adventus vero Christi, vera esse & divinitus inspirata, qua dixerant, declaravit; cum utique prius haberetur incertum, si eorum quæ prædicta fuerant, exitus esset implendus.* Idem in libris contra Celsum: *οἱ προφῆται τοῖς μὴ περιεργως ἐντυγχάνουσι τῇ ἐν αὐτοῖς προγνώσει, ἱκανοὶ μοι δοκοῦσι πρὸς τὸ πᾶσαν τὸν συνετῶς ἅμα καὶ μὴ ἐνγνωμόνως ἀνεγινώσκοντα, ὅτι θεοῦ πνεῦμα ἦν ἐν τοῖς ἀνδράσιν ἐκείνοις. Sed & Prophetiæ, si quis ad prænotionem, qua ipsis inest, non perfunctorie attenderit, idoneæ sunt ad persuadendum ei, qui legendis iis prudentem & æquum animum adhibuerit, in viris illis spiritum Dei fuisse.* Constat igitur libros Veteris Testamenti esse divinitus inspiratos. Quod erat probandum.

Orig. l. 4. de princ. c. 1.

Origen. contra Cels. l. 8.

PROPOSITIO X.

Vera est Christiana Religio.

Definit. 1, 7. PAucis verbis concludetur ista Propositio. Religionem Christianam eam esse definivimus, quæ Jesum Nazarenum Messiam esse statuit, & quæcunque in Libris sacris, sive Veteris, sive Novi Testamenti, de eo scripta sunt, pro veris habet. Probatum est autem superiori Propositione, Jesum Nazarenum esse Messiam, & quæcunque in Libris sacris, sive Veteris, sive Novi Testamenti, de eo scripta sunt, vera esse. Igitur Christianæ religionis fides circa res veras solum versatur, prorsusque ei convenit quinto loco allata a nobis Definitio, qua statuimus Religionem veram eam esse, quæ res solum veras ad credendum propositas habet. Unde exoritur consectarium hoc, veram esse Christianam religionem. Quod erat probandum.

ΠΟΡΙΣΜΑ.

Religiones omnes, præter Christianam, falsæ sunt & impiæ.

SI vera est Christiana religio, & res solum veras ad credendum propositas habet, ut definivimus, ex iis utique rebus una hæc est, solam Christianam Religionem esse veram, reliquas omnes falsas & impias. Palam id & libere coram Principibus Judæorum profatus est Petrus, cum de Christo sic dissereret: *Hic est lapis, qui reprobatus est a vobis ædificantibus, qui factus est in caput anguli, & non est in alio aliquo salus: nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* Eamdem doctrinam Paulus Galatis tradidit: *Sed licet nos, aut Angelus de cœlo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit. Sicut prædiximus, & nunc iterum dico: si quis vobis evangelizaverit præter id, quod accepistis, anathema sit.* Eamdem & Timotheum docuit: *Unus enim Deus, unus mediator Dei & hominum homo Christus Jesus.* Verum igitur est, Religiones omnes, præter Christianam, falsas esse & impias. Quod erat probandum.

Act. 4, 11. 16.

Gal. 1, 9.

1. Tim. 2, 5.

SUMMA DEMONSTRATIONIS EVANGELICÆ.

NUnc vero totam hanc Demonstrationem in pauca contractam æqui Lectoris ponamus ob oculos, ut uno intuitu perspectam & comprehensam suis queat momentis perpendere. Libri Novi & Veteris Testamenti iis temporibus scripti sunt, quibus feruntur esse scripti; & ab iis scripti, quibus tribuuntur. Hinc sequitur, totam Jesu Nazareni historiam in Veteri Testamento longe ante prædictam esse, quam evenerit in Novo. His porro concessis, libros nimirum Novi & Veteris Testamenti in temporibus esse

Digitized by Google

ſcriptos, quibus feruntur eſſe ſcripti; & ab iis ſcriptos, quibus tribuuntur; & Prophetias Veteris Teſtamenti de Jeſu Nazareno completas eſſe in novo, conſequens eſt, veraces eſſe libros Novi & Veteris Teſtamenti. Quod ſi Prophetiæ Veteris Teſtamenti de Jeſu Nazareno completæ ſunt in Novo, & veraces ſunt libri Novi & Veteris Teſtamenti, ex eo efficitur, Jeſum Nazarenum eſſe Meſſiam. Quo poſito, veraces nempe eſſe libros Novi & Veteris Teſtamenti, & Jeſum Nazarenum eſſe Meſſiam, fatendum omnino eſt, veram eſſe Religionem Chriſtianam. Arctius adſtringi non poteſt ratiocinatio hæc, totaque it conſerta eſt & contexta resque aliæ ex aliis nexæ & inter ſe aptæ colligatione neceſſaria cohærent, ut nullis divelli argumentis, ratione nulla labefactari queant, nec aſſenſum Lector poſſit abnuere: præſertim ſi animum hic adhibeat ſtudioſum veritatis, non contumacem; tantumque his adjungat fidei, quæ a nobis demonſtrata ſunt, quantum aliis rebus ſolet adjungere, quæ paris roboris rationibus nituntur. Atque id nos poſtulavimus ab initio Operis hujus, & impetraturos ſperavimus.

EPILOGUS
AD SERENISSIMUM DELPHINUM.

HAbes, LUDOVICE, munus a me, ſiquidem rerum ſpectetur dignitas, magnum; ſed futurum tamen majus, ſi quem opto ex ejus uſu fructum capias, veræ nempe ac ſinceræ pietatis incrementum, cujus uberes jam animo tuo excepti ſatus ad lætam frugem feliciter adoleſcunt. Id ſi fit, *Deus Patris tui erit adjutor tuus,* Gen. 49. *& Omnipotens benedicet tibi benedictionibus* 25. *cœli deſuper benedictionibus abyſſi jacentis deorſum:* largietur ille tibi cœleſtem hanc Sapientiam, *per quam reges regnant,* & Prov. 8. 5. *legum conditores juſta decernunt;* teque præſentibus proſequetur auxiliis, ad edomandos, non externos ſolum, ſed inteſtinos etiam, eosque omnium acerrimos hoſtes; corporis dico cupiditates, incitamenta Dæmonum, & mundi illecebras, quæ te circumcident; ac ſpreto tandem temporario hoc & caduco imperio, nobilius affectabis & immortale regnum, quod nulla vis poteſt convellere. Atque hæc tibi certo eventura eſſe ſcito, tumque te revera fore magnum, cum te coram Deo minimum eſſe agnoveris.

SYLLA-

Digitized by Google

SYLLABUS DEMONSTRATIONIS EVANGELICÆ.

PRÆFATIO.

I. *Operis hujus argumentum* 1
II. *& occasio* 2
III. *Probari potest Religionis Christianæ veritas eo genere demonstrationis, quod non minus certum sit quam demonstrationes ipsæ geometricæ* 3
IV. *Ad faciendam fidem inanis est, sine gratia Dei, omnis argumentatio* 5
V. *Ecclesiæ potestati & arbitrio Opus hoc permittitur* 6

DEFINITIONES.

DEF. I. Liber genuinus is est, qui ab eo auctore scriptus est, a quo scriptus esse dicitur; & eo circiter tempore, quo scriptus esse fertur. *Explicatur.* 6
DEF. II. Liber coætaneus is est, qui eo circiter tempore scriptus est, quo res in eo scriptæ contigerunt. *Explic.* 7
DEF. III. Historia est narratio rerum, quæ jam contigerant eo tempore, quo Historia illa scripta est. *Explic.* 7
DEF. IV. Prophetia est narratio rerum futurarum, quæ nondum contigerant eo tempore, quo prophetia illa edita est, quæque ex naturalibus caussis prævideri non possunt. *Explic.* 7
DEF. V. Religio vera ea est, quæ res solum veras ad credendum propositas habet. *Explic.* 8
DEF. VI. Messias est homo Deus, a Deo divinitus missus ad hominum salutem, & a Prophetis in veteri Testamento prædictus. *Explic.* 8
DEF. VII. Religio Christiana ea est, quæ Jesum Nazarenum Messiam esse statuit, & quæcunque in Libris sacris, sive veteris sive Novi Testamenti, de eo scripta sunt, pro veris habet 8
Conferuntur Definitiones nostræ cum Definitionibus Geometrarum 8

POSTULATA.

POSTUL. I. Postulatur adhiberi hic animum docilem & veritatis studiosum, non refractarium & pertinacem 11
I. *Postulati primi æquitas ostenditur* 11
POSTUL. II. Tam certo ea credi quæ hic probabuntur, quam creduntur reliqua, quæ paris roboris rationibus nituntur 11
I. *Postulati secundi æquitas ostenditur* 11
II. *Præmittuntur nonnulla de postulatis Geometrarum* 11

AXIOMATA.

AXIOMA I. Omnis liber est genuinus, qui habitus est ab omnibus proxime & continuata serie sequentibus eum ætatibus. *Confirmatur* 12
AXIOMA II. Omnis historia est verax, quæ res gestas ita narrat, uti narrantur in multis libris coætaneis, vel ætati proximis, qua res gestæ sunt. *Confirm.* 13
AXIOMA III. Omnis Prophetia est verax, quæ prædixit res eventu deinde completas. *Confirm.* 13
AXIOMA IV. Omnis prophetica facultas a Deo est 13
I. *Axiomatis quarti veritatis confirmatur* 13
II. *Conferuntur postulata & axiomata nostra cum postulatis & axiomatis Geometrarum* 17
III. *Laus Geometriæ* 19

PROPOSITIONES

PROPOSITIO I.

Genuini sunt libri Novi Testamenti 19
I. *Probatur γνησιότης librorum Novi Testamenti* 19
II. *Evangelii secundum Matthæum* 20
III. *Evangelii secundum Marcum* 20
IV. *Evangelii secundum Lucam* 20
V. *& ejusdem Actorum Apostolorum* 21
VI. *Evangelii secundum Johannem* 21
VII. *& ejusdem Epistolarum, Primæ* 21
VIII. *Secundæ ac Tertiæ* 21
IX. *& Apocalypseos:* 22
X. *tum Epistolarum Pauli* 23
XI. *ac præsertim Epistolæ ad Ebræos* 23
XII. *deinde Epistolæ Jacobi* 24
XIII. *& ambarum Petri* 24
XIV. *ac demum Epistolæ Judæ* 24
XV. *Probatur præterea γνησιότης librorum*

Novi

Digitized by Google

Novi Testamenti ex vetustate Codicum quorundam 25
XVI. *Refelluntur argumenta Adversariorum. Primum argumentum* 25
XVII. *Secundum argumentum* 25
XVIII. *Tertium argumentum* 26

PROPOSITIO II.

Coætanei sunt libri Novi Testamenti 26
Probatur secunda Propositio 26

PROPOSITIO III.

Historiæ in Novo Testamento scriptæ veraces sunt 27
I. *Probatur ex consensu Scriptorum Novi Testamenti & suffragiis exterorum, veraces esse historias* 27
II. *De Johanne Baptista, Jacobo fratre Jesu, Jesu ipso, & aliis in Novo Testamento commemoratis;* 27
III. *Iterum de Jesu* 27
IV. *tum de ejus patria & parentibus* 27
V. *de nova stella Magis visa, & de infantibus ab Herode occisis;* 28
VI. *de virtutibus Jesu;* 28
VII. *ejusque morte;* 28
VIII. *de solis defectione, & terræ motu, quæ moriente Jesu contigerunt* 28
IX. *Refelluntur nonnulli, qui hanc Eclipsin, & hunc terræ motum, esse negant ea, quæ a Phlegonte notata sunt* 29
X. *De morte Jacobi fratris Domini* 30
XI. *Expenditur memorabile Josephi testimonium de Christo Jesu, & defenditur* 31
XII. *Refelluntur argumenta Adversariorum. Primum argumentum* 32
XIII. *Secundum argumentum* 33
XIV. *Tertium argumentum* 34
XV. *Quartum argumentum* 35
XVI. *Quintum argumentum* 35
XVII. *Sextum argumentum* 35
XVIII. *Scorsim refellitur Tanaquilli Fabri Dissertatio super hoc Josephi testimonio de Christo Jesu* 35
XIX. *De editis a Discipulis Christi prodigiis* 39
XX. *De virtutibus Christianorum* 40
XXI. *De Christianæ Religionis incrementis, & Christianorum martyriis* 41
XXII. *Christo Jesu divini honores tributi ab aliquibus Romanorum Imperatoribus* 43
XXIII. *Defenditur adversus Casaubonum Lampridii testimonium de templis Jesu Christo ab Hadriano extructis* 43

ΠΟΡΙΣΜΑ.

Jesus est Messias 44

PROPOSITIO IV.

Genuini sunt libri Veteris Testamenti 44
Librorum Veteris Testamenti antiquitas generatim probatur 44

DE LIBRIS MOSIS.

I. *Divisio Dissertationis hujus de libris Mosis* 45

CAPUT I.

I. *Probatur Scriptorum sacrorum testimoniis γνησιότης librorum Mosis* 46
II. *Utrum solum Deuteronomium, an universum Pentateuchum in Templo Helcias Pontifex repererit* 48

CAPUT II.

I. *Probatur aliorum Scriptorum testimoniis γνησιότης librorum Mosis* 50
II. *Sanchoniathonis* 50
III. *Homeri & Hesiodi* 51
IV. *Pentateuchi Samaritani* 51
V. *Thaletis* 52
VI. *Solonis* 52
VII. *Pherecydis* 52
VIII. *Pythagoræ* 53
IX. *Anaxagoræ* 54
X. *Hellanici* 54
XI. *Charondæ* 54
XII. *Socratis* 54
XIII. *Theopompi, & Theodectis* 54
XIV. *Platonis* 54
XV. *Ægyptiacarum Mercurii columnarum, quæ quid fuerint ostenditur* 56
XVI. *Aristotelis* 58
XVII. *Hecatæi, Abderitæ* 58
XVIII. *Eudoxi* 59
XIX. *Megasthenis* 59
XX. *Berosi* 59
XXI. *Abydeni* 59
XXII. *Demetrii Phalerei* 59
XXIII. *Septuaginta Interpretum Scripturæ sacræ & Aristeæ* 59
XXIV. *Ezeckieli* 60
XXV. *Manethonis* 60
XXVI. *Philochori* 60
XXVII. *Aristobuli Judæi* 60
XXVIII. *Polemonis* 60
XXIX. *Eupolemi* 60
XXX. *Demetrii Judæi* 61

XXXI.

Digitized by Google

XXXI. *Cleodemi* 61
XXXII. *Theodoti* 61
XXXIII. *Philonis Senioris* 61
XXXIV. *Alexandri Polyhistoris* 62
XXXV. *Apollonii Molonis* 62
XXXVI. *Castoris Rhodii* 62
XXXVII. *Diodori Siculi* 62
XXXVIII. *Charemonis* 63
XXXIX. *Trogi Pompeji, & Justini* 63
XL. *Nicolai Damasceni* 63
XLI. *Ptolomæi Mendesii* 64
XLII. *Strabonis* 64
XLIII. *Apionis* 64
XLIV. *Philonis, Josephi, & Justi Tiberiensis* 64
XLV. *Auctorum libri tertii & quarti Esdræ, & tertii Machabæorum* 64
XLVI. *Juvenalis* 64
XLVII. *Plutarchi* 64
XLVIII. *Philonis Byblii* 65
XLIX. *Galeni* 65
L. *Ptolemæi Chenni* 65
LI. *Taciti* 65
LII. *Plinii, Apuleji* 65
LIII. *Luciani* 65
LIV. *Numenii* 65
LV. *Longini* 65
LVI. *Porphyrii* 66
LVII. *Trebellii Pollionis* 67
LVIII. *Jamblichi* 67
LIX. *Juliani τῷ παραβάτῃ* 67
LX. *Procli* 67
LXI. *Helladii Besantinoi* 67
LXII. *Artapani* 67
LXIII. *Thalli* 68
LXIV. *Histiæi* 68
LXV. *Lysimachi* 68
LXVI. *Poematis ψευδεπιγρ. Phocylidi adscripti* 68
LXVII. *Onkelosi, Jonathanis, Hierosolymitani interpretis, Hagiographorum paraphrastis, Syri interpretis, Aquilæ, Theodotionis, Symmachi, Hierichuntinæ & Nicopolitanæ interpretationis* 68

CAPUT III.

I. *Universa propemodum Ethnicorum Theologia ex Mose, Mosisve actis aut scriptis, manavit* 69
II. *Velut illa Phœnicum. Taautus idem ac Moses* 69
III. *Adonis idem ac Moses* 70
IV. *Thammuz Ezechielis idem ac Moses* 72
V. *πολύωνυμος fuit Moses* 72
VI. *Marnas, Gazensium Deus, idem ac Moses* 73

CAPUT IV.

I. *Moses ab Ægyptiis inter Deos relatus* 73
II. *Theuth, sive Mercurius, idem ac Moses* 73
III. *Osiris, sive Bacchus, idem ac Moses* 80
IV. *Apis & Mnevis iidem ac Moses* 83
V. *Serapis idem ac Moses* 84
VI. *Orus idem ac Moses* 84
VII. *Anubis idem ac Moses* 84
VIII. *Vulcanus idem ac Moses* 84
IX. *Typhon idem ac Moses* 88
X. *Probatur Veterum testimoniis, Mosem ab Ægyptiis Deum fuisse habitum* 88
XI. *Refellitur Simplicius, Mosaica doctrina originem ad Ægyptios referens* 89

CAPUT V.

I. *Ex libris Mosis fluxit prisca Persarum religio* 89
II. *Zoroastres idem ac Moses* 90

CAPUT VI.

I. *Ex libris Mosis fluxit prisca Indorum religio, cum Guzarattensium* 96
II. *tum & Coromandelensium* 98
III. *item Sinarum & Japonensium* 99
IV. *Qui factum, ut ad Indos Mosaica doctrina penetrarit* 99

CAPUT VII.

I. *Moses a Gentibus ad Septentrionem & occasum positis agnitus & cultus: a Thracibus* 100
II. *Germanis* 102
III. *Gallis* 103
IV. *Britannis* 103
V. *Hispanis* 104
VI. *& ipsis etiam Americanis* 104

CAPUT VIII.

I. *Græci Mosaicam doctrinam infinitis fabulis obduxerunt* 106
II. *A Cadmo & Danao Mosis notitiam habuerunt* 106
III. *Apollo idem ac Moses* 107
IV. *Pan idem ac Moses* 110
V. *Priapus idem ac Moses* 111
VI. *Æsculapius idem ac Moses* 112
VII. *Prometheus idem ac Moses* 114
VIII. *Cecrops idem ac Moses* 116
IX. *Minos idem ac Moses* 117
X. *Explicatur 1. Mach. 12, 21. in quo agitur de Ju-*

Digitized by Google

de Judæorum & Spartanorum germanitate 120
XI. *Perperam locum hunc interpretatus est Josephus* 121
XII. *Rhadamanthys idem ac Moses* 122
XIII. *Æacus idem ac Moses* 123
XIV. *Proteus idem ac Moses* 123
XV. *Perseus idem ac Moses* 126
XVI. *Moses inter astra relatus, & libra gestandæ adhibitus* 126
XVII. *Aristæus idem ac Moses* 126
XVIII. *Musæus idem ac Moses* 128
XIX. *Orpheus idem ac Moses* 129
XX. *Linus idem ac Moses* 133
XXI. *Amphion idem ac Moses* 134
XXII. *Eumolpus idem ac Moses* 134
XXIII. *Tiresias idem ac Moses* 135

CAPUT IX.

I. *Ex Arcadia fere profluxit omnis Romanorum Theologia* 136
II. *Janus idem ac Moses* 137
III. *Vertumnus idem ac Moses* 138
IV. *Faunus idem ac Moses* 139
V. *Silvanus idem ac Moses* 140
VI. *Evander idem ac Moses* 141
VII. *In Penatibus etiam & Laribus latet Moses* 142
VIII. *Multa quoque ex historia Mosis in Romuli historiam translata sunt* 143

CAPUT X.

I. *Fabulares omnes Dii, unus idemque sunt, nempe Moses* 144
II. *Exponitur quid sit Myobarbum Ausonii* 147
III. *Fabulares omnes Deæ una eademque Dea sunt; atque hæc Sephora est, Mosis uxor* 148
IV. *Fabularium quoque Dearum plerœque Mariam Mosis sororem referunt* 151
V. *Uni eidemque fabulari personæ insunt diversæ significationes; & aliæ quidem φυσικαὶ, aliæ ἱστορικαὶ* 153
VI. *Fabularis historiæ Græcorum bona pars ex Mosis libris, & doctrina, atque ipsis etiam verbis profluxit* 153
VII. *Geographica a Mose in Genesi obiter tradita, scriptoris ac scriptionis vetustatem indicant* 156

CAPUT XI.

I. *Ex Mosis libris complures manarunt variarum gentium leges, ritus, ac historiæ;* 157
II. *præcipue vero Græcorum;* 160
III. *atque in his maxime Athenienſium* 162
IV. *tum & Romanorum* 163

CAPUT XII.

I. *Quomodo Librorum sacrorum notitiam habuerint Græci* 166
II. *Utrum Librorum Mosis Alexandro vetustior fuerit interpretatio* 167
III. *Partes tantum quædam Pentateuchi ante Alexandrum Græce redditæ sunt* 168
IV. *Refelluntur argumenta Adversariorum* 169

CAPUT XIII.

I. *De Linguæ Ebraicæ origine* 169
II. *Lingua Ebraica ea non est, quæ ante Babelicam confusionem vulgo usurpabatur* 170
III. *Probatur argumentis* 171
IV. *Refelluntur argumenta Adversariorum. Primum argumentum* 172
V. *Secundum argumentum* 174
VI. *Tertium argumentum* 174
VII. *Quartum argumentum* 175
VIII. *Quintum argumentum* 175
IX. *De origine litterarum Samariticarum & Judaicarum* 175
X. *Refelluntur argumenta Rabbinorum super utrisque* 178

CAPUT XIV.

I. *Refelluntur argumenta adversus γνησιότητα librorum Mosis* 179
II. *Primum argumentum* 179
III. *Secundum argumentum* 180
IV. *Tertium argumentum* 181
V. *Quartum argumentum* 181
VI. *Quintum argumentum* 181
VII. *Sextum argumentum* 182
VIII. *Septimum argumentum* 183
IX. *Octavum argumentum* 183
X. *Nonum argumentum* 183
XI. *Decimum argumentum* 184
XII. *Undecimum argumentum* 185
XIII. *Duodecimum argumentum* 185
XIV. *Decimum tertium argumentum* 185
XV. *Decimum quartum argumentum* 186
XVI. *Decimum quintum argumentum* 186
XVII. *Decimum sextum argumentum* 186
XVIII. *Decimum septimum argumentum* 186
XIX. *Decimum octavum argumentum* 187
XX. *Levicula quædam menda Pentateuchi ac reliquorum etiam Scripturæ sacræ librorum Codices insederunt* 187

DE

Digitized by Google

DE LIBRO JOSUÆ.

I. *Disputatur de Auctore libri Josuæ. Variæ opiniones proponuntur* 188
II. *Josuæ adscribitur, ejusque probatur γνησιότης & antiquitas* 188
III. *Refelluntur argumenta Adversariorum. Primum argumentum* 190
IV. *Secundum argumentum* 190
V. *Tertium argumentum* 191
VI. *Quartum argumentum* 191
VII. *Quintum argumentum* 193
VIII. *Sextum argumentum* 193
IX. *Septimum argumentum* 193
X. *Octavum argumentum* 193
XI. *Nonum argumentum* 193
XII. *Decimum argumentum* 193
XIII. *Hercules idem ac Josue* 194
XIV. *Unicus fuit Hercules* 198
XV. *Explicatur denuo 1. Mach. 12, 21. in quo agitur de Judæorum & Spartanorum consanguinitate* 200

DE LIBRO JUDICUM.

I. *Disputatur de Auctore libri Judicum. Variæ opiniones proponuntur* 200
II. *Samueli adscribitur, ejusque probatur γνησιότης & antiquitas* 200
III. *Refelluntur argumenta Adversariorum. Primum argumentum* 201
IV. *Secundum argumentum* 201
V. *Tertium argumentum* 202
VI. *Ex Judicum libro aliquot manarunt Græcorum, aliarumque Gentium fabulæ ac ritus* 202

DE LIBRO RUTH.

I. *Liber Ruth, pars & velut appendix libri Judicum* 203

DE LIBRIS SAMUELIS.

I. *Disputatur de Auctore librorum Samuelis. Variæ opiniones proponuntur* 203
II. *Partim Samueli, partim Nathani & Gado Prophetis adscribuntur* 203
III. *Probatur eorum γνησιότης & antiquitas* 204
IV. *Refelluntur argumenta Adversariorum. Primum argumentum* 204
V. *Secundum argumentum* 205
VI. *Tertium argumentum* 205
VII. *Quartum argumentum* 206
VIII. *Quintum argumentum* 206
IX. *Sextum argumentum* 206
X. *Ex libris Samuelis quidam manarunt Græcorum ritus & fabulæ* 207

DE LIBRIS REGUM.

I. *Disputatur de Auctore librorum Regum. Variæ opiniones proponuntur* 207
II. *Eos videtur Esdras ex vetustiorum Scriptorum commentariis excerpsisse* 208
III. *Probatur eorum γνησιότης & antiquitas* 208
IV. *Fidem etiam his conciliant Ethnici Scriptores* 209
V. *Refelluntur argumenta Adversariorum. Primum argumentum* 209
VI. *Secundum argumentum* 210
VII. *Ex libris Regum quædam manarunt Ethnicorum fabulæ & ritus* 210

DE LIBRIS PARALIPOMENON.

I. *Disputatur de Auctore librorum Paralipomenon. Variæ opiniones proponuntur. Incertus est eorum Auctor: ætas assignatur* 211
II. *Probatur eorum γνησιότης & antiquitas* 212
III. *Refelluntur argumenta Adversariorum. Primum argumentum* 212
IV. *Secundum argumentum* 212
V. *Tertium argumentum* 213

DE LIBRIS ESDRÆ.

I. *Disputatur de Auctore libri prioris Esdræ. Vulgata opinio proponitur. Sex priorum capitum incertus est Auctor, ætas assignatur, reliquorum auctor est Esdras* 213
II *Probatur ejus γνησιότης & antiquitas* 214
III. *Nehemias auctor est libri sibi cognominis, cujus probatur γνησιότης & antiquitas* 214
IV. *Refelluntur argumenta Adversariorum. Primum argumentum* 215
V. *Secundum argumentum* 215
VI. *Tertium argumentum* 216

DE LIBRO TOBIÆ.

I. *Disputatur de Auctore libri Tobiæ. Scriptus videtur partim a Tobia patre, partim a filio, partim ab incerto Auctore* 216
II. *Probatur ejus γνησιότης & antiquitas* 216
III. *Disputatur de tribus Ebraicis libri Tobiæ editionibus* 217
IV. *& de Græca* 217
V. *Refelluntur argumenta Adversariorum. Unicum argumentum* 218

DE LIBRO JUDITH.

I. *Disputatur de Auctore libri Judith. Variæ opiniones proponuntur* 218

Digitized by Google

II. *Incertus est ejus Auctor: conjectura ætas exploratur. Probatur ejus γνησιότης & antiquitas* 218
III. *Libros Tobiæ & Judith inter Hagiographos ab Ebræis esse positos contra Scaligerum defenditur* 219
IV. *Disputatur de priscis libri Judith interpretationibus* 219
V. *Judith tempore Manassis Regis facinus suum videtur edidisse* 220
VI. *Refelluntur argumenta Adversariorum. Primum argumentum* 220
VII. *Secundum argumentum* 221
VIII. *Tertium argumentum* 221
IX. *Quartum argumentum* 221

DE LIBRO ESTHER.

I. *Disputatur de Auctore libri Esther. Variæ opiniones proponuntur* 222
II. *Opus esse videtur Synagogæ magnæ* 222
III. *Probatur ejus γνησιότης & antiquitas; deque Græca illius interpretatione disputatur* 223
IV. *Refelluntur argumenta Adversariorum. Primum argumentum, in quo disputatur de sex postremis libri Esther capitibus* 224
V. *Secundum argumentum* 224

DE LIBRO JOB.

I. *Disputatur de Auctore libri Job. Variæ opiniones proponuntur* 225
II. *Mosi adscribitur* 226
III. *Probatur argumentis* 226
IV. *Vera est historia Jobi, sed poetice digesta* 227
V. *Probatur libri Job γνησιότης & antiquitas* 227
VI. *Disputatur de clausula, quæ habetur ad calcem libri Job in Editionibus Septuaginta Interpretum* 229
VII. *Disputatur de ætate Jobi* 229
VIII. *Refelluntur argumenta Adversariorum. Primum argumentum* 229
IX. *Secundum argumentum* 230
X. *Tertium argumentum* 230
XI. *Quartum argumentum* 230
XII. *Quintum argumentum* 230
XIII. *Sextum argumentum* 230
XIV. *Septimum argumentum* 231
XV. *Octavum argumentum* 231
XVI. *Nonum argumentum* 231
XVII. *Decimum argumentum* 231

DE LIBRO PSALMORUM.

I. *Disputatur de Auctore libri Psalmorum. Variæ opiniones proponuntur* 231
II. *Plures variis temporibus fuisse videntur libri hujus Scriptores* 232
III. *Esdras numerum Psalmorum determinavit, eorumque volumen in Canonem dedicavit* 233
IV. *Probatur argumentis* 233
V. *Quæritur cur ordo Psalmorum a temporum ordine discrepet* 235
VI. *Probatur libri Psalmorum γνησιότης & antiquitas* 236
VII. *Refelluntur argumenta Adversariorum. Primum argumentum* 237
VIII. *Secundum argumentum* 238
IX. *Tertium argumentum* 238
X. *Disputatur de Psalterio Salomonis a Johanne de la Cerda edito* 238

DE LIBRO PROVERBIORUM

I. *Disputatur de Auctore libri Proverbiorum. Variæ opiniones proponuntur* 239
II. *Compositio libri hujus esse videtur Salomonis, compilatio multorum posterioris ævi, ordo & constructio Esdræ* 240
III. *Probatur ejus γνησιότης & antiquitas* 241
IV. *Refelluntur argumenta Adversariorum. Primum argumentum* 242
V. *Secundum argumentum* 242
VI. *Tertium argumentum* 242

DE LIBRO ECCLESIASTIS.

I. *Disputatur de Auctore libri Ecclesiastis. Variæ opiniones proponuntur. Salomoni adscribitur* 243
II. *Probatur ejus γνησιότης & antiquitas* 244
III. *Refelluntur argumenta Adversariorum. Primum argumentum* 244
IV. *Secundum argumentum* 246
V. *Tertium argumentum* 247
VI. *Quartum argumentum* 248
VII. *Quintum argumentum* 248

DE CANTICO CANTICORUM.

I. *Disputatur de Auctore Cantici Canticorum. Variæ opiniones proponuntur. Salomoni adscribitur, ejusque probatur γνησιότης antiquitas* 248
II. *Refelluntur argumenta Adversariorum. Primum argumentum* 249
III. *Secundum argumentum* 249
IV. *Tertium argumentum* 249
V. *Quartum argumentum* 249

DE

Digitized by Google

DE LIBRO SAPIENTIÆ.

I. *Disputatur de Auctore libri Sapientiæ. Salomoni adscribitur* 250

II. *Ex cujus libris excerptum fuisse verisimile est, & a Philone seniore Græce redditum* 250

III. *Probatur ejus γνησιότης & antiquitas* 251

IV. *Refelluntur argumenta Adversariorum. Primum argumentum* 252

V. *Secundum argumentum* 253

DE ECCLESIASTICO.

I. *Disputatur de Auctore libri Ecclesiastici. Ex Ethicarum Salomonis scriptionum compilationibus excerptum fuisse verisimile est* 253

II. *Jesu filio Sirach Operis concinnatio, Josepho Uzielidæ ipsius nepoti interpretatio adscribitur* 254

III. *Disputatur cur Latina interpretatio laxior, & multis laciniis auctior sit Græca* 255

IV. *Disputatur a Jesus filius Sirach, idem sit qui Ben Sira* 255

V. *Disputatur de Ebraicis Ecclesiastici editionibus* 256

VI. *Probatur ejus γνησιότης & antiquitas* 256

VII. *Refelluntur argumenta Adversariorum. Primum argumentum* 257

VIII. *Secundum argumentum* 257

DE PROPHETIA ISAIÆ.

I. *Disputatur de Auctore Prophetiæ, quæ Isaiæ nomen præfixum gerit. Isaia ipsi adscribitur* 257

II. *Probatur ejus γνησιότης & antiquitas* 258

III. *Refelluntur argumenta Adversariorum. Primum argumentum* 259

IV. *Secundum argumentum* 260

V. *Tertium argumentum* 260

DE PROPHETIA JEREMIÆ.

I. *Disputatur de Auctore Prophetiæ, quæ Jeremiæ nomen præfixum gerit. Jeremiæ ipsi adscribitur Libri compositio, Barucho vero descriptio* 261

II. *Variæ Jeremianorum vaticiniorum partes variis temporibus sunt elaboratæ* 262

III. *Nec juxta temporum ordinem inter se sunt dispositæ* 262

IV. *Recensentur Jeremiæ scriptiones quæ supersunt* 263

V. *Probatur Prophetiæ Jeremiæ γνησιότης & antiquitas* 263

VI. *Refelluntur argumenta Adversariorum. Primum argumentum* 265

VII. *Secundum argumentum* 266

VIII. *Tertium argumentum* 267

DE LAMENTATIONIBUS JEREMIÆ.

I. *Disputatur de Auctore Lamentationum, quæ Jeremiæ nomen præfixum gerunt. Jeremiæ nomen adscribitur* 267

II. *Disputatur, utrum idem sit hic Liber, qui a Joachimo rege crematus est* 268

III. *Disputatur de Auctore exiguæ Præfationis Threnis præfixæ. Septuagintæ Interpretibus adscribi potest* 268

IV. *Probatur Lamentationum Jeremiæ γνησιότης & antiquitas* 268

V. *Refelluntur argumenta Adversariorum. Unicum argumentum* 269.

DE PROPHETIA BARUCH.

I. *Disputatur de Auctore Prophetiæ, quæ Baruchi nomen præfixum gerit. Barucho ipsi adscribitur* 269

II. *Disputatur de Auctore Syriaca Baruchi Epistolæ. Scripta esse conjicitur a Christiano aliquo Syriæ Monacho* 270

III. *Probatur Prophetiæ Baruchi γνησιότης & antiquitas* 270

IV. *Refelluntur argumenta Adversariorum. Primum argumentum* 271

V. *Secundum argumentum* 271

VI. *Tertium argumentum* 272

VII. *Quartum argumentum* 272

DE EPISTOLA JEREMIÆ.

I. *Disputatur de Auctore Epistolæ, quæ sub Jeremiæ nomine edita est. Jeremiæ ipsi adscribitur* 273

II *Probatur ejus γνησιότης & antiquitas* 273

III. *Refelluntur argumenta Adversariorum. Primum argumentum* 273

IV. *Secundum argumentum* 273

V. *Tertium argumentum* 273

DE PROPHETIA EZECHIELIS.

I. *Disputatur de Ezechiele* 274

II. *Disputatur utrum Ezechiel idem sit ac Zaratus Assyrius, Pythagoræ præceptor* 274

III. *Ezechieli adscribitur Prophetia, quæ nomen ipsius præfixum gerit; ejusque probatur γνησιότης & antiquitas* 276

IV. *Disputatur de duobus Prædictionum voluminibus, quæ ab Ezechiele scripta fuisse*

Digitized by Google

tradit Josephus; & de Psalmo sexagesimo quarto, nomine Ezechielis, aliorumque inscripto 276
V. *Refelluntur argumenta Adversariorum. Primum argumentum* 277
VI. *Secundum argumentum* 277
VII. *Tertium argumentum* 278

DE PROPHETIA DANIELIS.

I. *Disputatur utrum Daniel fuerit Propheta* 278
II. *Disputatur utrum Daniel fuerit Eunuchus* 279
III. *Disputatur utrum Daniel idem fuerit qui Belesis a Diodoro memoratus* 279
IV. *Disputatur utrum Daniel Ecbatanis, an Susis insignem illam turrim a Josepho & Hieronymo memoratam exstruxerit: & utrum Susis, an Babylone fuerit sepultus* 280
V. *Disputatur utrum ad unum eumdemque Danielem pertineant, quæcunque in Danielis Prophetia narrantur; deque ejus interpretationibus Græcis* 281
VI. *Disputatur de ordine partium libri Danielis* 282
VII. *Disputatur cur partim Ebraice, partim Chaldaice, partim Græce scriptus extet* 283
VIII. *Nonnulla afferuntur ad auctoritatem Additamentis Danielis conciliandam* 283
IX. *Disputatur de Senibus, a quibus attentata est Suzannæ pudicitia* 284
X. *Disputatur de suppositiis Danielis scriptionibus* 284
XI. *Probatur Prophetia Danielis γνησιότης & antiquitas* 284
XII. *Refelluntur argumenta Adversariorum. Primum argumentum* 286
XIII. *Secundum argumentum* 286
XIV. *Tertium argumentum* 288
XV. *Quartum argumentum* 288
XVI. *Quintum argumentum* 289

DE LIBRO DUODECIM PROPHETIARUM.

I. *Disputatur de ordine librorum Duodecim Prophetarum* 289
II. *Probatur libri Duodecim Prophetarum γνησιότης & antiquitas* 289

DE PROPHETIA OSEE.

I. *Disputatur de Osea* 290
II. *Probatur Prophetia Osea γνησιότης & antiquitas* 290

DE PROPHETIA JOEL.

I. *Disputatur de Joele* 291
II. *Proponitur nostra opinio de ætate Joelis* 291
III. *Probatur Prophetia Joelis γνησιότης & antiquitas* 291
IV. *Refelluntur argumenta Adversariorum. Primum argumentum* 292
V. *Secundum argumentum* 292

DE PROPHETIA AMOS.

I. *Disputatur de Amoso* 293
II. *Probatur Prophetia Amosi γνησιότης & antiquitas* 293

DE PROPHETIA ABDIÆ.

I. *Disputatur de Abdia* 294
II. *Proponitur nostra opinio de ætate Abdiæ* 294
III. *Probatur Prophetia Abdiæ γνησιότης & antiquitas* 295
IV. *Refelluntur argumenta Adversariorum. Unicum argumentum* 295

DE PROPHETIA JONÆ.

I. *Disputatur de Jonæ patria* 296
II. *& ætate* 297
III. *Probatur Prophetia Jonæ γνησιότης & antiquitas* 297
IV. *Ex libro Jonæ quædam manarunt Græcorum fabulæ. Disputatur de vera significatione vocis* נבוא 297
V. *Refelluntur argumenta Adversariorum. Unicum argumentum* 299

DE PROPHETIA MICHÆÆ.

I. *Disputatur de Michæa* 300
II. *Probatur Prophetia Michææ γνησιότης & antiquitas* 301

DE PROPHETIA NAHUM.

I. *Disputatur de Nahumi patria* 302
II. *Variæ de ejus ætate opiniones proponuntur* 302
III. *deinde nostra* 303
IV. *Probatur Prophetia Nahumi γνησιότης & antiquitas* 303
V. *Refelluntur argumenta Adversariorum. Primum argumentum* 303
VI. *Secundum argumentum* 304

DE PROPHETIA HABACUC.

I. *Disputatur de Habacuci patria* 304
II. *Variæ de ejus ætate opiniones proponuntur* 305
III. *deinde nostra* 305
IV. *Disputatur de libro apocrypho Habacuci* 306
V. *Probatur Prophetia Habacuci γνησιότης & antiquitas* 306

VI. *Re-*

Digitized by Google

VI. *Refelluntur argumenta Adversariorum. Unicum argumentum* 306

DE PROPHETIA SOPHONIÆ.

I. *Disputatur de Sophoniæ patria, & tribu* 307

II. *& ætate* 307

II. *Probatur Prophetia Sophoniæ γνησιότης & antiquitas* 308

DE PROPHETIA AGGÆI.

I. *Disputatur de Aggæo* 309

II. *Probatur Prophetia Aggæi γνησιότης & antiquitas* 310

III. *Refelluntur argumenta Adversariorum. Unicum argumentum* 310

DE PROPHETIA ZACHARIÆ.

I. *Disputatur de Zacharia* 311

II. *deque ejus avo Addone* 311

III. *& patre Barachia* 311

IV. *Probatur Prophetia Zachariæ γνησιότης & antiquitas* 312

DE PROPHETIA MALACHIÆ.

I. *Disputatur de Malachia* 313

II. *Utrum fuerit Angelus* 313

III. *Utrum fuerit Esdras* 314

IV. *Probatur Prophetia Malachiæ γνησιότης & antiquitas* 314

DE LIBRIS MACHABÆORUM AC PRIMUM DE PRIORE.

I. *Disputatur de priore Machabaico* 315

III. *Probatur prioris Machabaici γνησιότης & antiquitas* 315

DE LIBRO SECUNDO MACHABÆORUM.

I. *Variis constat partibus hinc inde collectis & consutis secundus Machabaicus* 316

II. *Disputatur de Auctore libri hujus* 317

III. *Probatur Machabaici secundi γνησιότης & antiquitas* 318

DE COMPARATIONE TESTIMONIORUM, QVÆ AD LIBRORUM SACRORUM PROBANDAM ΓΝΗΣΙΟΤΗΤΑ ET ANTIQVITATEM TOTA HAC PROPOSITIONE EX HIS PROPONUNTUR.

I. *Refelluntur argumenta Adversariorum. Primum argumentum* 318

II. *Secundum argumentum* 319

DE CANONE LIBRORUM SACRORUM.

I. *Disputatur de Auctore & ætate Canonis Librorum Sacrorum. Variæ opiniones proponuntur* 320

II. *Unicus ante Christum editus fuisse videtur Canon, ab Esdra compositus, & Synagogæ magnæ auctoritate comprobatus* 320

III. *Disputatur de Synagoga magna* 321

IV. *Probatur sententia nostra veterum Scriptorum auctoritate* 321

V. *Deinde argumentis* 322

VI. *Disputatur utrum inscriptiones libris Prophetarum præfixæ, a Synagoga magna, an a Prophetis ipsis additæ sint* 324

VII. *Nehemias & Judas Machabæus Canonem recognoverunt & confirmarunt; novum vero Ecclesia Christi edidit* 324

VIII. *Disputatur de Arca, in qua reconditi fuisse feruntur libri Canonici* 325

IX. *Refelluntur argumenta Adversariorum. Primum argumentum* 327

X. *Secundum argumentum* 327

XI. *Tertium argumentum* 327

XII. *Quartum argumentum* 328

XIII. *Quintum argumentum* 328

EPILOGUS QVARTÆ PROPOSITIONIS.

PROPOSITIO V.

Multæ habentur Prophetiæ in Veteri Testamento 328

PROPOSITIO VI.

Multæ Prophetiæ Veteris Testamenti veraces sunt 329

PROPOSITIO VII.

Multæ habentur in Veteri Testamento Prophetiæ de Messia 333

I. *Vetus Testamentum forma & apparatus Novi* 333

II. *Duplex prædictionum genus, per signa, & per verba* 334

III. *Multiplex genus prædictionum per verba* 335

IV. *Explodituv duplex Grotii sententia; prior, qua statuit universis de Christo prophetiis duplicem inesse sensum; primarium, qui ad historiam temporis, quo edita sunt, referendus sit; secundarium qui ad Christum* 336

V. *altera, qua negat prædictionibus vim argumenti inesse* 336

VI. *Duplex eorum secta, qui prædictum fuisse Christum negarunt* 340

VII. *Colliguntur vaticinationes Christi præmuntiæ, e Genesi* 341

VIII. *Exodo* 342

IX. *Numeris* 342

X. *Deute-*

Digitized by Google

X. *Deuteronomio* 342
XI. *Libro Josuæ* 343
XII. *Libris Regum & Paralipomenon* 344
XIII. *Libro Job* 344
XIV. *Libro Psalmorum* 344
XV. *Prophetia Isaiæ* 356
XVI. *Prophetia Jeremiæ* 375
XVII. *Lamentationibus Jeremiæ* 382
XVIII. *Prophetia Baruchi* 382
XIX. *Prophetia Ezechielis* 383
XX. *Prophetia Danielis* 384
XXI. *Prophetia Oseæ* 387
XXII. *Prophetia Joelis* 388
XXIII. *Prophetia Amos* 388
XXIV. *Prophetia Abdiæ* 389
XXV. *Prophetia Michææ* 390
XXVI. *Prophetia Habacuc* 394
XXVII. *Prophetia Sophoniæ* 394
XXVIII. *Prophetia Aggæi* 395
XXIX. *Prophetia Zachariæ* 396
XXX. *Prophetia Malachiæ* 397
XXXI. *& libro primo Machabæorum* 398
XXXII. *Ethnici a Judæis Judæorumve Libris sacris edocti, Messiam prænoverunt & expectarunt. Astutissima Josephi fallacia deprehenditur* 398
XXXIII. *Pseudochristi complures* 400

PROPOSITIO VIII.

Is est Messias, cui uni conveniunt Prophetiæ omnes Veteris Testamenti de Messia 401

PROPOSITIO IX.

Jesus Nazarenus est Messias 402

ΠΑΡΑΛΛΗΛΙΣΜΟΣ
VETERIS TESTAMENTI CUM NOVO, IN IIS QVÆ AD MESSIAM PERTINENT.

CAP. I. Jesus de semine Abrahami 403
CAP. II. Jesus de semine Isaaci 403
CAP. III. Jesus de semine Jacobi 404
I. *Defenditur testimonium e Num. 24, 17.* 404
CAP. IV. Jesus de semine Judæ 405
I. *Defenditur & explicatur testimonium e Gen. 49, 10.* 406
II. *Præcipuæ, magisque receptæ proponuntur nostrorum Interpretum super hoc loco sententiæ, & confutantur. Prima* 406
III. *Secunda* 407
IV. *Tertia* 408
V. *Quarta* 414
VI. *Quinta* 416
VII. *Proponitur deinde nostra, & argumentis confirmatur* 418
VIII. *Refelluntur argumenta Adversariorum. Primum argumentum* 420
IX. *Secundum argumentum* 421
X. *Tertium argumentum* 421
XI. *Ad viam refutationi Judæorum sternendam, ostenditur in Jesu completum esse hoc oraculum* 421
XII. *Refelluntur Judæi* 425
XIII. *ac ii primum, qui Messiam hoc oraculo præditum fatentur quidem, at nondum venisse eum contendunt* 426
XIV. *quos inter præcipui sunt, qui Æthmalotarcham Juda prognatum Judæis hodieque præesse affirmant* 426
XV. *tum R. Bechai, qui Messias duos a Jacobo prædictos affirmat, quorum alter fuerit Moses, alter nondum advenerit:* 429
XVI. *& qui vocibus* שבט, *Sceptrum, &* מחקק, *Dux, tyrannicum & crudele imperium in se passim exerceri solitum prædici putant: & qui* שבט *hic tribum sonare opinantur* 429
XVII. *quique Jacobum non id sibi velle censent, fore ut Israelitis Reges de tribu Juda semper præsint, sed ut non alia quam hac tribui orti præsint:* 430
XVIII. *& qui Prophetiam hanc* ὑποθετικὴν *esse statuunt:* 430
XIX. *quique id ita exponunt, Judæis defensores nunquam defuturos:* 430
XX. *& qui ita, Tribum Juda ex hominum commercio nunquam iri segregatum, ut decem tribus* 431
XXI. *Refelluntur deinde Judæi, qui hoc oraculum ad Messiam ullo modo pertinere negant; ac ii primum, qui referunt ad urbem Siloh, & ad Davidem;* 431
XXII. *tum ii qui ad Saulem;* 432
XXIII. *& qui ad Jeroboamum;* 432
XXIV. *& qui ad Nabuchodonosorem* 432
XXV. *Cur hanc Jacobi prædictionem aliasque complures ad Messiam pertinentes, Christus, Apostoli, & Evangelista in testimonium non protulerint* 432
CAP. V. Jesus de semine Jesse & Davidis 433
I. *Judæi citantur ad testimonium. Iidem refelluntur* 434
II. *Defenditur testimonium e 2. Reg. 7, 4. & seq.* 434
III. *Defen-*

Digitized by Google

II. *Defenditur testimonium ex Isa. 11, 1. & seq.* 435
CAP. VI. Davidis nomen Jesu tribuitur 436
CAP. VII. Jesus de semine Salomonis 436
CAP. VIII. Tempus adventus Jesu 436
I. *Quo tempore natus est Jesus, Messias a Judais & Ethnicis expectabatur* 438
II. *Stante templo secundo Messiam venturum esse prisci Ebræi crediderunt* 438
III. *Alta pace per totum orbem vigente nasci debuit Christus* 439
IV. *Florente Romanorum imperio nasci debuit Christus* 441
V. *Intra septuaginta Danielis hebdomadas natus est Christus* 442
VI. *Præcipuæ, magisque receptæ proponuntur Interpretum nostrorum sententiæ super septuaginta hebdomadibus Danielis, & confutantur. Prima* 443
VII. *Secunda* 443
VIII. *Tertia* 447
IX. *Proponitur deinde nostra, & argumentis approbatur* 450
X. *Refelluntur argumenta Adversariorum. Primum argumentum* 452
XI. *Secundum argumentum* 454
XII. *Tertium argumentum* 454
XIII. *Ad viam refutationi Judæorum sternendam, ostenditur in Jesu completum esse hoc oraculum* 454
XIV. *Refelluntur Judæi; ac ii primum, qui hebdomadas, non annorum, sed decenniorum hic intelligunt;* 458
XV. *tum qui earum initium collocant in anno primo Darii Medi, finem in clade Hierosolymis ab Hadriano illata* 458
XVI. *& qui inter utrumque Templi excidium septuaginta hebdomadas intercessisse volunt:* 459
XVII. *Quique* Christum ducem *Cyrum esse statuunt, aut Jesum Sacerdotem, aut Zorobabelem:* 459
XVIII. *& qui Christum occidendum censent esse vel Sacerdotium, vel Templum, vel Agrippam juniorem* 459
XIX. *Refellitur privatim Aben Ezra* 459
CAP. IX. Jesus natus de virgine 460
I. *Defenditur testimonium ex Isaia 7, 14.* 461
II. *Disputatur de significatione dictionis* עלמה 461
III. *Explicatur testimonium e Prov. 30, 18. 19.* 465
IV. *Virgo illa, cujus conceptum & partum prædicit Isa. 7, 14. non solum ad conceptum usque & partum, sed post utrumque etiam virgo fore prædicatur* 465
V. *Vaticinium illud Isaiæ 7, 14. in Maria matre, & Jesu filio completum est* 467
VI. *Refelluntur argumenta Adversariorum. Primum argumentum* 468
VII. *Secundum argumentum. Defenditur γνησιότης duorum primorum capitum Lucæ, adversus Marcionem & Johannem Bodinum.* 469
CAP. X. Jesus natus Bethlehemi 470
I. *Refelluntur argumenta Bodini. Primum argumentum* 471
II. *Secundum argumentum. Disputatur de censu Quirinii. Proponitur Bezæ opinio* 471
III. *Proponitur deinde nostra* 472
IV. *Tertium argumentum* 473
V. *Quartum argumentum* 474
VI. *Quintum argumentum* 475
CAP. XI. De nomine Jesu, quod servatorem sonat 475
I. *Jesu nomen in Veteri Testamento præsignificatum esse, & vi mirifica pollere, Judæi fatentur* 476
CAP. XII. De nomine Emanuel, quod significat, Nobiscum Deus 476
I. *Emmanuelem esse Jesum, ex Masoretharum doctrina probatur.* 477
CAP. XIII. Magi Jesum adorant, eique munera offerunt 477
CAP. XIV. Jesus fugit in Ægyptum, & post diuturnam moram redit in patriam 477
CAP. XV. Infantium cædes ab Herode perpetrata 477
I. *Expenditur locus Macrobii de dicto Augusti, cum Herodis filium inter Bethlehemiticos infantes occisum accepisset* 477
CAP. XVI. Jesus habitat Nazaretum, & Nazaræus appellatur 478
CAP. XVII. Johannes Christi præcursor 479
CAP. XIIX. Spiritus sanctus descendit super Jesum recens baptizatum; cui testimonium perhibetur a Deo Patre, tunc, & cum transfiguratus est 479
CAP. XIX. Jesus unctus a Deo 480
CAP. XX. Jesus jejunat & esurit 480
CAP. XXI. Jesus Verbum Dei 480

Digitized by Google

I. *Jesum Mahumedani Verbum Dei nominant. Messiam fore Verbum Dei sciscunt Judæi* 481
CAP. XXII. Jesus Filius Dei 481
I. *Refelluntur Judæi, Messiam Filium Dei esse, aut in Veteri Testamento Filium Dei dictum fuisse negantes* 482
CAP. XXIII. Jesu Discipuli, Filii Dei 483
CAP. XXIV. Jesus primogenitus 484
CAP. XXV. Jesus Deus 485
I. *Disputatur de significatione vocabuli* אל *Isa. 7, 14. & 9, 6.* 487
II. *Disputatur de significatione vocis* יקרא *Isa. 9, 6.* 487
III. *Disputatur de significatione vocis* יועץ *Isa. 9, 6.* 488
IV. *A Judæorum fraudibus vindicatur Zach. 12, 10.* 488
V. *Judæi Messiæ divinitatem confessi sunt* 488
CAP. XXVI. Jesus homo 489
CAP. XXVII. Jesus frater hominum 491
CAP. XXIIX. Jesus sacerdos 491
I. *Ex eo, quod Jesus sit sacerdos, sequitur esse Christum* 492
CAP. XXIX. Jesus Prophetа 492
I. *Judæi Messiæ, Ethnici Christo Jesu propheticam facultatem adscribunt* 494
CAP. XXX. Prophetiæ post Jesum desitæ 495
I. *Quo sensu dicantur Prophetiæ post Christum desitæ* 495
CAP. XXXI. Jesus pastor 495
CAP. XXXII. Angeli ministrant Jesu 496
CAP. XXXIII. Jesus venit in Galilæam, & Capharnaum 496
CAP. XXXIV. Jesus inter homines frequenter versatur 497
CAP. XXXV. Jesus Concionator, Doctor, & Magister 497
CAP. XXXVI. Jesus in Galilæa de Deo prædicat 498
CAP. XXXVII. Jesus parabolis inter concionandum & docendum sæpissime utitur 499
I. *Septuagesimus septimus Psalmus ad Messiam jure refertur, ex doctrina Ebræorum* 499
CAP. XXXIIX. Sermonum Jesu vis & efficacia 499
CAP. XXXIX. Jesus miranda facinora edit, & omnis generis languores sanat 499
I. *Miracula a Jesu [illegible] tur Judæi;* [illegible]
II. *& Ethnici, ac Muhammedani* [illegible]
III. *Refelluntur argumenta Adversariorum. Primum argumentum, quo Jesum volunt ad edenda miracula magicis artibus usum fuisse;* 501
IV. *& de Magia librum scripsisse* 502
V. *Secundum argumentum, quo Jesum volunt pronuntiatione nominis divini miracula edidisse* 503
VI. *Tertium argumentum. Miracula Hadriano & Hadriano afflicta expenduntur* 504
CAP. XL. Jesus cœcis visum restituit 505
CAP. XLI. Jesus surdorum aures aperit 505
CAP. XLII. Jesus mutorum linguam solvit 506
CAP. XLIII. Jesus claudos sanat 506
CAP. XLIV. Jesus debiles sanat 506
CAP. XLV. Jesus mortuos revocat ad vitam 507
CAP. XLVI. Jesus esurientes cibo reficit 507
CAP. XLVII. Apostolos, Discipulos, & sectatores de gente Judaica Jesus deligit, & ad se vocat, a quibus deinde propagata est Christiana religio. Delectus & vocatio, quæ fit per Jesum, initium est salutis 508
I. *Exponitur Ps. 67, 27. 28.* 510
II. *Confutius Sinensis Philosophus septuaginta duos Discipulos, & duodecim in his præcipuos deligit* 511
CAP. XLIIX. Apostoli Jesu piscatores 511
I. *Exponitur Psalm. 106, 20. & seq.* 511
CAP. XLIX. Paucos numero Jesus deligit 511
CAP. L. Apostoli præcones Jesu & nuntii 512
I. *Disputatur de Psalm. 18, 5.* 513
CAP. LI. Apostoli & Discipuli Jesu, rudes & indocti 513
CAP. LII. Apostoli & Discipuli Jesu miranda facinora edunt, & omnis generis languores sanant 514
CAP. LIII. Jesus super mare incedit 515
CAP. LIV. Jesus lux 515
I. *Deprompta hoc capite testimonia e Veteri Testamento ad Christum a Judæis fere referuntur* 516
CAP. LV. Jesu Discipuli lux 516
CAP. LVI. Jesus ignis 517
CAP. LVII. Jesus Sol 518

CAP.

Digitized by Google

CAP. LIX. Jesus stella 518
CAP. LIX. Jesus germen sive oriens, radix, flos, virga 518
I. *Affertur ex Philone Zachariani hujus loci expositio* 519
II. *Quo sensu Christus dicatur Germen, Radix, Virga & Flos* 519
CAP. LX. Discipuli Jesu, germina, plantæ, palmites, rami 519
CAP. LXI. Jesus fons 519
CAP. LXII. Jesus novi & æterni Fœderis, a Deo cum hominibus pacti, sequester & finis 521
CAP. LXIII. Jesus pacificus 523
I. *De pace per Jesum Christum parta, & de concordia animalium Messiæ temporibus ab Isaia promissa; quæ ut & alia multa ad Messiam pertinentia, allegorice intelligenda sunt* 524
CAP. LXIV. Pax & Securitas Discipulorum Jesu 526
CAP. LXV. Jesus bellator & victor 528
I. *De bello quod per Jesum Christum geritur* 529
CAP. LXVI. Jesus lapis, fundamentum, mons 530
CAP. LXVII. Jesu discipuli lapides 531
CAP. LXIIX. Jesus scandalum & ruina 531
CAP. LXIX. Jesus dux 531
CAP. LXX. Jesus ostium 532
CAP. LXXI. Jesus via 532
CAP. LXXII. Jesus veritas 532
CAP. LXXIII. Jesus vita 532
CAP. LXXIV. Jesus sapientia 533
CAP. LXXV. Jesus principium & finis, primus & novissimus, alpha & omega 534
CAP. LXXVI. Jesus caput 535
CAP. LXXVII. In Jesu omnia a Deo condita 535
CAP. LXXIIX. Jesus electus 536
CAP. LXXIX. Jesus justitia 536
CAP. LXXX. Jesus justus dictus κατ' ἐξοχήν 536
CAP. LXXXI. Jesus sanctus dictus κατ' ἐξοχήν 537
Sanctum fore Messiam Judæi sentiunt 538
CAP. LXXXII. Jesus testis Dei 538
CAP. LXXXIII. Jesus humilis 538
CAP. LXXXIV. Jesus contemtus & odio habitus 539
Refelluntur Judæi, ex duplici adventu Messiæ in Libris sacris prædicto, duplicem Messiam confingentes 541
CAP. LXXXV. Jesu Discipuli contemti, vexati, & contumeliis affecti 542
CAP. LXXXVI. Jesus ignotus 544
CAP. LXXXVII. Jesus pauper 545
CAP. LXXXIIX. Jesu Discipuli pauperes & humiles 546
CAP. LXXXIX. Jesus servus 547
CAP. XC. Jesu labores & angustiæ 548
CAP. XCI. Jesus mansuetus & misericors 548
CAP. XCII. Jesus obediens 549
CAP. XCIII. Jesus agnus, pascha, ovis 549
I. *Christus cum agno confertur* 549
CAP. XCIV. Jesus leo 550
CAP. XCV. Jesus princeps 550
CAP. XCVI. Jesus Dominus & rex æternus 550
CAP. XCVII. Jesu discipuli reges 554
CAP. XCIIX. Jesu claritas & gloria 555
CAP. XCIX. Discipulorum Jesu claritas & gloria 557
CAP. C. Jesu fortitudo & potestas 558
CAP. CI. Discipulorum Jesu fortitudo & potestas 560
CAP. CII. Jesus dives 560
CAP. CIII. Jesu Discipuli divites 561
CAP. CIV. Jesus legumlator 562
CAP. CV. Jesus clavem gerit domus David 562
Disputatur de clavibus humero geri soliti 562
CAP. CVI. Abrogatio Mosaicæ Legis 564
CAP. CVII. Sanctio novæ legis 567
I. *Defenduntur testimonia ex Isa. 43, 18. & seq. & ex Isa. 66, 22. 23.* 569
II. *Defenduntur testimonia ex Jer. 31, 31. & seq. & ex Malach. 4, 4. & seq.* 570
III. *Defenditur testimonium ex Malach. 1, 10. 11.* 570
IV. *Josue Mosi suffectus, & secunda Ebræorum per Josuam facta circumcisio, symbola sunt Christiana legis Mosaicam abrogantis* 571
V. *Refelluntur argumenta Adversariorum. Primum argumentum* 571
VI. *Secundum argumentum* 572
CAP. CIIX. Jesu lex spiritualis & æterna 573
CAP. CIX. Jesu regnum spirituale & æternum 578
I. *Non Christiana solum, sed Mosaica quoque Legis summa, in pietate erga Deum & amore*

Digitized by Google

amore posita est 580
CAP. CX. Jesus asina pullo comitata vectus Hierosolyma intrat 582
Alia hic vaticinia proferunt Muhammedani, sed refelluntur 583
CAP. CXI. Jesu Hosanna concinitur 583
CAP. CXII. Jesus venditores & emptores templo ejicit, aliaque in eo miranda opera edit 583
CAP. CXIII. Jesus hominum vitia reprehendit 584
CAP. CXIV. Principes Judæorum congregantur adversus Jesum 585
CAP. CXV. Jesus proditur a Juda. Judæ mors, & æternus interitus 585
CAP. CXVI. Sacrificium incruentum Jesus instituit 586
CAP. CXVII. Jesus panis 587
CAP. CXIIX. Agonia Jesu 587
CAP. CXIX. Jesus comprehenditur, & funibus constringitur 587
CAP. CXX. Jesum Discipuli sui deserunt, Petrus palam ejurat 588
I. *Christum Jesum prædici Zach. 13, 7. probatur adversus Grotium* 588
CAP. CXXI. Falsi testes Jesum accusant 589
CAP. CXXII. Jesus accusatus silet 590
CAP. CXXIII. Jesus contumeliis afficitur 590
I. *Christo Jesu addicitur Psalm. 21.* 591
II. *Refelluntur argumenta Adversariorum. Primum argumentum* 592
III. *Secundum argumentum* 593
CAP. CXXIV. Jesus conspuitur & cæditur 593
CAP. CXXV. Jesus venditur: cujus venditionis pretio ager figlinus emitur. Judæ proditoris interitus 594
I. *Defenditur Matthæus, apud quem pro Zacharia Jeremiam citatum esse causſantur Adversarii. Jesu præterea addicitur Zach. 11, 12. 13.* 594
CAP. CXXVI. Jesus a Judæis & Ethnicis capitis damnatur 596
CAP. CXXVII. Jesus cruci suffigitur 596
I. *Christo Jesu addicitur Psal. 21, 17.* 598
II. *Refelluntur argumenta Adversariorum. Primum argumentum* 599
III. *Secundum argumentum* 599
IV. *Thau Samaritieum* ταυροειδὲς, *Ezechieli memoratum, crucis Christi symbolum* 599
V. *Christo Jesu additur Zach. 12, 10. & 13, 6.* 601
VI. *Refelluntur argumenta Adversariorum. Primum argumentum* 602
VII. *Secundum argumentum* 603
VIII. *Disputatur, utrum in Psalm. 95, 10. genuina sit scriptura hæc, Dominus regnavit a ligno* 604
IX. *Grammatica observatio primi versus Psalmi primi admiratione digna* 604
CAP. CXXIIX. Jesus inter latrones cruci suffigitur 604
CAP. CXXIX. Jesus signum 604
CAP. CXXX. Jesus pendens in cruce blasphematur a prætereuntibus 605
CAP. CXXXI. Jesus moriens veniam adversariis suis a Deo precatur 605
CAP. CXXXII. Jesu vestimenta forte dividuntur 606
CAP. CXXXIII. Moriente Jesu Sol deficit, & terra movetur 606
Christo Jesu addicitur Zach. 14. & seq. 607
CAP. CXXXIV. Jesus moriens Patrem inclamat 607
Judæorum cavillatio refellitur 608
CAP. CXXXV. Jesu fel & acetum propinantur 608
I. *Christo Jesu addicitur Psalm. 68, 22.* 609
II. *Refelluntur argumenta Adversariorum. Primum argumentum* 609
III. *Secundum argumentum* 610
CAP. CXXXVI. Mors Jesu 610
I. *Varii mortis Jesu typi colliguntur e Veteri Testamento. Sacrificium vaccæ rufæ* 612
II. *& mors summi Pontificis* 613
III. *Insigne testimonium morti Jesu a R. Simeon ben Jochai, aliisque Judæis perhibetur* 613
IV. *Qua & Ethnicis insigni miraculo significatur* 613
CAP. CXXXVII. Crura Jesu perinde ut latronum, cruci itidem suffixorum, non franguntur 614
CAP. CXXXIIX. Latus Jesu perfoditur 614
CAP. CXXXIX. Jesu corpus pollinciunt & sepeliunt Josephus & Nicodemus 614
Christo Jesu addicitur Isa. 3, 9. 614
CAP. CXL. Jesu sepulchrum 615
Martyrium, Templum a Constantino ad sepulchrum Christi Jesu extructum, a Sophonia prædictum 615

CAP.

Digitized by Google

CAP. CXLI. Jesus descendit ad Inferos, & Patriarchas inde educit 615
I. *Christo Jesu addicitur Psal. 67, 5. 7. 19.* 616
II. *Christo Jesu addicitur Isa. 53, 12.* 617
III. *Exponitur priscorum Judæorum sententia de Ose. 13, 14* 617
IV. *Christo Jesu addicitur Zach. 9, 11. 12.* 617
CAP. CXLII. Jesus revivisicit 618
I. *Fuvent Judæi quidam sententiæ Christianorum super Christi Jesu reditu ad vitam* 620
II. *Refelluntur argumenta Adversariorum. Primum argumentum* 620
III. *Secundum argumentum* 622
IV. *Refellitur Salmasii sententia de Christi sepulchro* 622
V. *Tertium argumentum* 626
VI. *Falsum est rediisse ad vitam Aristeam Proconnesium* 626
VII. *vel Cleomedem Astypalaensem* 629
VIII. *vel Hermotimum Clazomenium* 629
IX. *vel Epimenidem Cretensem* 629
X. *vel mulierem ἄνυν Heraclidis libro peculiari celebratam* 630
XI. *vel Erem Pamphilum Harmonii filium* 630
XII. *vel puellam, quam suscitasse fertur Apollonius Tyaneus; vel alios complures a Veteribus celebratos* 630
CAP. CXLIII. Jesus homines peccatis absolvit 631
De Gen. 3, 15. 634
CAP. CXLIV. Jesus peccata hominum ipse portavit 635
Noxas hominum laturum Messiam Judæi sentiunt 635
CAP. CXLV. Jesus homines sanguine suo redemit 635
Iterum Jesu addicitur Zach. 9, 11. 638
CAP. CXLVI. Baptismum Jesus instituit 638
CAP. CXLVII. Jesus ascenditin cœlum 640
I. *Refellitur Philostrati opus de vita Apollonii Tyanei* 641
II. *Nullis idoneis nititur testimoniis hæc Philostrati historia* 641
III. *Exquiruntur causse, quibus ad eam conscribendam inductus est Philostratus* 642
IV. *Ex historia Christi pleraque in suam Apollonii vitam transtulit* 642
V. *Philostratus, aliique Pythagoricæ Philosophiæ addicti, mendaces & credili* 646
VI. *Apollonius Magus sacerrimus* 646
CAP. CXLIIX. Jesus est ad dexteram Dei Patris 647
CAP. CXLIX. Jesus mittit Spiritum sanctum ad Discipulos 647
CAP. CL. Ecclesia Jesu 649
CAP. CLI. Jesu Ecclesia verax 653
CAP. CLII. Sacerdotes Jesu 653
CAP. CLIII. Jesu Apostoli, pastores & doctores 654
CAP. CLIV. Promulgatio Evangelii 655
CAP. CLV. Discipuli Jesu, testes ejus 658
CAP. CLVI. Martyria Discipulorum Jesu 659
CAP. CLVII. Concordia Discipulorum Jesu 662
CAP. CLIIX. Vocatio gentium 662
I. *Priscorum ac recentiorum Judæorum suffragiis hic adjuvamur* 672
II. *Typi Synagogæ & Ecclesiæ* 673
III. *Duplex eruitur sensus ex Isa. 19, 18. & seq.* 673
CAP. CLIX. Doctrina Christiana corruptos hominum mores emendat 673
CAP. CLX. Idolorum eversio 675
CAP. CLXI. Judæorum pertinacia, perfidia, & cœcitas 678
I. *Judæi pertinacia sua sibi conscii* 680
II. *Doctrinæ Christi Jesu veritatem confirmant Judæi, dum oppugnant* 681
CAP. CLXII. Judæorum rejectio & dispersio eorumque abolenda sacrificia 681
I. *Suum quoque testimonium nobis hic commodant Judæi* 684
CAP. CLXIII. Excidium Hierosolymitanum 685
CAP. CLXIV. Hierosolymitani Templi eversio 686
CAP. CLXV. Urbis & Templi instaurandi spes omnis Judæis ademta 686
CAP. CLXVI. Jesus Judex 687
CAP. CLXVII. Apostoli Jesu judices 689
CAP. CLXIIX. Jesu omnis potestas a Patre data 690
CAP. CLXIX. Jesus Servator 690
CAP. CLXX. Varii Jesu typi colliguntur e Veteri Testamento 693
I. *Adamus* 693
II. *Abel* 693
III. *Noachus* 694

Digitized by Google

IV. *Melchisedechus* 694
V. *Isaacus* 695
VI. *Aries ab Abrahamo immolatus* 695
VII. *Josephus* 696
VIII. *Agnus in festo Paschæ die immolari solitus* 696
IX. *Columna ignea; Manna, Rupes in deserto aquas fundens* 697
X. *Hircus ἀποπομπαῖος* 698
XI. *Serpens æneus* 698
XII. *Moses* 698
XIII. *Aaron* 699
XIV. *Josue* 699
XV. *Samson* 700
XVI. *Samuel* 701
XVII. *David* 701
XVIII. *Salomon* 701
XIX. *Jonas* 701
XX. *Eliacimus Helciæ filius* 702
XXI. *Jeremias* 703
XXII. *Zorobabel* 703
XXIII. *& Jesus Josedecides* 703
CAP. CLXXI. De natura, vi, & usu Prophetiarum 704
I. *Uni Jesu conveniunt Prophetiæ hæ omnes, nemini vero præterea* 704
II. *Universe potius quam sigillatim spectandæ sunt Prophetiæ* 705
III. *Prophetiæ quædam non solitariæ, sed cum toto, unde prodierunt, contextu spectari debent* 705
IV. *nec necesse tamen est, Prophetias & typos, quoscunque attulimus, in eamdem sententiam ac antecedentia & consequentia conspirare* 705
V. *Disputatur, quid Prophetiarum collectiones a Centonibus discrepent* 708
VI. *Ut fidei esset locus, non semper claras & distinctas esse Prophetias oportuit* 708
VII. *Triplex occurrit Prophetiarum genus in Libris sacris; primum quod Christum mere respicit; alterum, quod Christum respicit κατὰ λέξιν, alia κατὰ σχῆμα; tertium, quod Christum κατὰ σχῆμα, alia κατὰ λέξιν* 711
VIII. *In allegoriis eruendis, elaborarunt Judæi* 712
IX. *& Ethnici* 715
X. *Vanitatem oraculorum suorum & Sybillarum iidem Ethnici agnoscunt* 716
EPILOGUS NONÆ PROPOSITIONIS.
ΠΟΡΙΣΜΑ.
Libri Veteris Testamenti sunt divinitus inspirati 716
PROPOSITIO X.
Vera est Christiana Religio 717
ΠΟΡΙΣΜΑ.
Religiones omnes, præter Christianam, falsæ sunt & impiæ 717
SUMMA DEMONSTRATIONIS EVANGELICÆ 717
EPILOGUS AD SERENISSIMUM DELPHINUM 718

INDEX

Digitized by Google

INDEX
RERUM MEMORABILIUM.

Literæ a *&* b *columnas denotant.*

A.

Aaron cum Moſe fratre ſæpe confundieur 81. Jeſu typus 492. b. Sacerdos σωιδὴς καὶ οἰκονικὸς ibid.

Abdiæ patria & ætas 294. a.

Abel typus Jeſu 685. b.

R. *Aben Ezra* refellitur 234. b. 239. b. 432. a. 460. a. 570. b.

Abigedur a Caacho dictus fuit Moſes 72. b.

Abizannach ab Aarone dictus fuit Moſes 72. b.

Abizuco a nutrice dictus fuit Moſes 72. b.

Aborigines, gens Arcadicæ originis 136. b. Pelasgorum cognati ibid.

R. *Abrahaniel* notatur, 291. a. refellitur 74. a. 173. b. 206. b. 261. b. 274. b. 311. a. 369. b. 408. b.

Abrahanielum ſtirpem Davide prognatam jactant Judæi 427. b.

R. *Abraham Aben Ezra*: vide *Aben Ezra*.

Abrahamus bilinguis fuit 171. a. Ebraicæ linguæ cur inventor creditus 172. a. Gehennæ ad fores excubare dictus a Thalmudiſtis 354. a. in Chananæam adveniens, regionis linguam didicit 171. b. literarum inventor falſo creditur 176. b. poſteris ſuis Chananæos characteres tradidit ibid. Samaritiearum literarum auctor, juxta nonnullos 170. a. 175. b. unigena quo ſenſu dici poteſt 131. b. 132. a. unus dictus 132. a. ei aſtronomiæ inventionem tribuunt nonnulli 131. b. ejus filii, qui 582. Abrahami, Saræ & Iſaaci hiſtoria ſub Iſraelis ſive Saturni, Anobret, & Jehud nominibus expoſita 70. a.

Abulpharagius refellitur 261. b.

Abydenus Beroſum affectatus eſt 59. b. idem videtur ac Palæphatus Abydenus 99. a. multa a Moſe ſumſit. ibid.

Academici repudiant Geometrica principia 4. a.

Achelous cur ab Hercule domitus fingitur 197. b.

Acicari columna 57. a.

Acta Apoſtolorum, & Pauli Epiſtolas abjiciebant Severiani 26. b. actis Apoſtolorum fidem haberi vetant Cerinthus & Severus 21. a. acta pleraque, Apoſtolorum nominibus inſcripta, olim circumferebantur 25. b. acta Pilati genuina & ſuppoſititia 43. b. acta publica Romanorum, nomine Annalium ſæpe notantur 29. a.

Æ non ſemper rei alicujus finem ſignificat, ſed ejus nonnunquam continuationem, cum interventu alterius 416. b.

Adamus typus Jeſu 346. b. 685. a.

Addo, Zachariæ pater, an avus 311. b.

Adipis exuſtio in lege Moſaica quid ſignificet 581. b.

Admirabilis, Dei cognomen 361. a.

Admoſis dictus Moſes 73. a.

Adonis Moſis effigies 70. b. idem ac Apollo 108. a. 145. a. idem ac Bacchus 71. a. idem ac Oſiris 71. a. 145. a. idem ac Veſta, & Themis, & Priapus, & Bacchus, & Bacchæ, & Attis, & Satyri 148. b. Thammuz 72. a. eſt Sol 71. b. σβεννύμενος καὶ λάμπων 71. b. cornutus & ἀβρεκόμης 71. a. mas & femina ibid. cur ſororis ſuæ filius eſſe dicitur ibid. cur natus dicitur in Sabæis 70. b. cur dictus fulgidus & tenebricoſus; & e cœlo ad inferos, ex inferis ad cœlum commeare 71. a. cur prius σβεννύμενος dicatur quam λάμπων 71. b. cur tertiam anni partem penes Jovem manere dicitur, tertiam penes Venerem, tertiam penes Proſerpinam 70. b. cur dictus omnium altor 71. a. b. τριφίλατος cur a Theocrito dictus 70. b. cur a mulieribus quotannis complorari ſolebat ſtatis diebus 71. b. cur canticis gaudere dictus 71. a. cur a Venere in arca occultus eſſe dicitur, & Proſerpinæ traditus 70. b. cur φιλάρνμος dictus 71. a. cur paſtor ibid. cur Philoſophus ibid. cur prudentiæ laude celebratus ibid. a Phœnicibus & Sabæis in Deorum numerum relatus 70. b. Adonidis horti 71. b.

Adoniſedecus cum Adonibezeco perperam confunditur 192. a.

Adraſte 198. a.

Adrianus. vide *Hadrianus*.

Adultera mulieres igne punitæ apud Ebræos & Chaldæos 284. a.

Æacus idem ac Moſes 123. a. cur Jove in ignem mutato genitus, vel propter fluvium ardentem natus eſſe dicitur ibid. cur matre fluvii filia natus dicitur 123. b. cur Græciæ fame laboranti uberem frugum annonam impetraſſe dictus ibid. cur virgam inter judicandum tenere fingitur. ib. cur piiſſimus omnium hominum dictus ibid. cur pluvias de cœlo precibus elicere dictus 207. a. ejus monumentum cur in arcanis habitum 123. b. cur ei liberorum nullus in regnum ſucceſſiſſe dicitur ibid.

Æchmalotarcha Judæorum in Aſia tenens imperium, fictitius fere eſt & commentitius 426. a. 427. b. 428. b. poteſtatem accipiebat a Califha per ſigilli traditionem, juxta Benjaminum 428. b.

Ægyptii cur primi Deos noviſſe & coluiſſe dicti 100. b. πολυθεότητος & profani idolorum cultus auctores ibid. boum capita colebant 103. b. proni erant ad ea inter Deos adſcribenda, quæ ſibi utilia ſentiebant vel damnoſa 89. a. in ſaxis ſcribebant 56. a. ignis cultores 95. a. coram idolis ſuis ſaltabant 98. a. b. olim ſimulacris carebant 158. b. ablui eum jubebant, cui contigerat ἀναφυγμὸς 158. b. ad continendas domi feminas, nudis pedibus cogebant incedere 100. a. patrum nomina filiis aliquando tribuebant 101. b. victimas oculis captas aut maculoſas ſacrificari vetabant

Digitized by Google

vetabant 158. b. vinum & oleum victimis affundebant ibid. holocausta faciebant ibid. nulla olim in templis suis Deorum simulacra habebant 100. b. suilla fere abstinebant 158. b. animalium mundorum & immundorum discrimen servabant ibid. Sacerdotes eorum vino abstinebant, & in casto erant tempore vicis suæ ibid. circumcidebantur ibid. eos tantum circumcidebant, qui sacris aut literis operam dabant 159. a. ab Arabibus circumcisionis ritum acceperunt ibid. Israeliticæ religionis periti 69. b. libros sacros Ebræorum legerunt 167. a. ritus plerosque ab Ebræis acceperunt 98. b. Mosaicis legibus usi sunt 52. b. eorum progenies creditu sunt a multis Ebræi 89. b. ex eorum fabulis expressa credidit Simplicius, quæ scripsit Moses de rerum creatione 89. a. b. Ægyptiis non debetur Sabbathi origo, ut vult Tacitus 159. a. Ægyptiorum libri sacri ex Mercurii columnis descripti 58. a. 70. a. Ægyptiorum libri publica auctoritate conditi 58. a. Ægyptii & Phœnices universis hominibus theologiæ principia tradiderunt, juxta Philonem Byblium 106. a. Ægyptiis gentes pleræque theologiam suam debent 175. a. Ægyptiorum theologia, fons Arcadicæ theologiæ 139. Ægyptiorum & Græcorum crebra commercia 167. a. Ægyptii & Argivi affines 75. b. Ægyptiorum narrationibus mirifice capiebantur Græci 167. a. Ægyptiorum linguam facile condiscebant Græci 167. b. eam didicerunt Pythagoras & Plato ibid. Ægyptii Græcorum magistri 52. a. 83. b. Ægyptiorum Deos & Heroas sibi Græci sumserunt 106. b. Ægyptiis debetur mythologiæ Græcanicæ pars 156. a. Ægyptiorum multas leges in Atticam transtulit Solon 162. b. Ægyptii plerique in Indiam confluxerunt 100. a. Ægyptiorum & Indorum crebra commercia 99. b. similes ritus plerique 100. b. Ægyptii & Indi in certas tribus discreti 100. a. Ægyptii Scythas & Thraces subegerunt 102. b. Ægyptii in Colchide 102. b. Ægyptii ad Danubii fontes penetrarunt ibid. Ægyptiorum commercia Abrahamo recentiora 100. b. 175. a. Ægyptiorum sapientia duplex 78. a. hieroglyphica interpretatus est Chæremon 715. b. judices 158. b. asyla 159. b. Ægyptiis simulacris similia fuerunt vetustissima Græcorum & Etruscorum simulacra 137. a.

Ægyptus Chemia cur vocata 113. a. cur nigra dicta ibid. Græcanicæ theologiæ fons 167. b. Φθωτος dicta 87. b. sistro designatur 152. a. Ægyptum adibant olim, quicunque ad doctrinæ non vulgaris laudem aspirabant 130. b. Ægypti adeundæ morem tenuerunt vetustissimi Græcorum Philosophi 52. a.

Æneas Gazæus refellitur 645. b.

Æsculapius Ægyptius cur creditus 112. b. Memphites juxta nonnullos ibid. Phœnix, juxta alios ibid. Taauti frater ibid. Tyri primum cultus 113. a. ejus ædes prope Carthaginem novam ibid. in summo arcis Byrsæ fastigio ibid. idem ac Moses 112. b. idem ac Pæan & Attin 146. a. idem ac Serapis 112. b. unus e Cabiris 102. a. Cabirorum octavus, propterea que Esmunus dictus 112. b. cur Apollinis filius dictus 113. a. Mercurii Ægyptii amicus & necessarius 112. b. cum Prometheo confunditur 114. a. b. ejus an Promethei esset simulacrum Sinopense, incertum fuit 114. b. imberbis aliquando pingebatur 107. b. cur ad ripam Amyri fluvii natus fingitur 113. b. idem ei prope ortus ac Baccho cur adscriptus 113. a. infans cur a matre fingitur expositus 113. b. Æsculapii infantis caput cur ardere visum fingitur ibid. cur Eleusiniis initiatus esse fingitur 134. b. cur ei appingatur draco 114. a. cur in serpentem mutatus fingitur ibid. medicinam ab Api repertam cur promoviisse dicitur ibid. cur medicinæ Deus fingitur ibid. cur divinationibus & auguriis præesse dicitur ibid. cur fulmine interiisse dicitur ibid. cur sub Ophiuchi persona inter sidera collocatus ib. templo ejus cur canes adhibiti ib.

Æras aurea, paradisi terrestris typus 154. a.

Æthiopes bello appetit Moses 67. b. Sole, Baccho & Perseo prognatos se ferebant 120. a. Asiatici 91. a.

Æthiopia cum India a veteribus geographis confundebatur versus ortum 81. a. veteres collocabant 91. a.

Africanis Guineensibus & Angolanis commodissimus est in Americam trajectus 105. b. iis commercia fuerunt cum incolis interioris Africæ ibid. iis orti videntur Peruviani ibid.

Africanus. vide *Julius Africanus*.

אגדיה 713. a.

Agadici 713. a.

Aggæus ab aliquibus angelus creditus 309. a. unus e synagogæ magnæ assessoribus creditus ibid. ex albo Prophetarum ab Ebræis quibusdam expunctus 310. b. ejus prophetia quo tempore edita 309. b. 310. a. ejus mors & sepulcrum 310. a.

Agnus cum Christo Jesu comparatus 549. agnum anniculo minorem offerri vetuit Solon 163. a.

Agnus Paschalis, typus Jesu 696. b.

Agur γνωμολόγος 239. b.

R. *Akiba*, armiger Bar Cochebæ 405. a.

Albategnius, Sabius fuit 74. b.

Ale Diis fere omnibus tribuuntur 85. b. 108. b.

Alcorano uno omne Muhammedanorum doctrinæ doctrinæ præsidium continetur 704. b.

Alexander magnus Judæis militibus usus est 166. b.

Alexander Polyhistor Berosum assectatus est 59. b. multas Mosaicæ historiæ partes e vetustis auctoribus excerpsit 61. a. b.

Alexander Severus Christum pie coluit, eique templum exstruere, & divinos honores tribuere voluit 43. b. cum noxium aliquem emendarer, per præconem clamari jubebat: Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris ibid.

Alexandrinum templum Christo ab Hadriano exstructum 44. a.

Alexis, Herculis cognomen 197. a.

Alilat, sive *Alitta*, Luna dicebatur ab Arabibus 128. a.

Digitized by Google

Alilat Venus 149. b.

Allah Cobar, exclamant Muhammedani ad primam Lunæ φάσιν 150. a.

Allatt, quid 149. b. Allatt, Venus 149. b. Allatt Deæ, Muhammedi jussu, idolum obtritum est ib.

Allegoriarum explicandi modus 708. a. Allegoriarum interpretationi dediti Judæi 712. b. & seq. & Ethnici 715. a. b.

עלמה, quid significet 461. b. 463. b. sq.

Alma, lingua Punica, virginem notat 464. a.

Alogi Apocalypsin tribuebant Cerintho 22. b. Evangelium Johannis spernebant 26. b.

Alpha dictus Moses, juxta Ptolomæum Chennum & Helladium 73. a.

Alphonsus Sanctius ab Huelva Christophorum Columbum adeundæ Americæ rationem & iter docuit 104. b.

Amalthea cornu fabula unde orta 229. a.

Amarynthia columna 56. b.

Amasis Ægypti rex Icones & Cares tuendi sui causa Memphim transtulit 167. a.

Amazones in Africa & America 105. b.

Ambrosius explicatur 414. a.

Ambubaje 79. a.

Amelius ex Evangelio Johannis prima verba usurpavit 21. b.

Americani plurimas habent religionum antiqui orbis, & præcipue Mosaicarum notas 104. b. multos servant Christianorum ritus ibid. eorum origo 104. a. 105. a. b.

Ammianus Marcellinus emendatur 92. b.

Ammonis Jovis sacerdotes linigeri 159. b. Pontifex vestes gerebat vestium summi Judæorum Sacerdotis similes ibid. in templo Ammonis Jovis ignis perpetuus ardebat 95. a. 159. b. nullam huic templo Dei imaginem Bacchus intulit 82. a.

Amnitæ, Britanniæ gens 103. b.

Amos, Isaiæ pater, cum Amoso Propheta a nonnullis confunditur 258. a.

Amos Propheta, quo tempore vaticinatus est 293. a.

L. *Ampelius* notatur, emendatur & explicatur 126. b.

Amphion idem ac Moses 134. a. inter eum & Mercurium cur magna necessitudo ponitur a Mythicis ibid. magus creditus ibid. Apollinis sagittis confossus ibid. ejus mater Antiope Asopi fluvii filia dicta 134. a. cur a Jove institutus fingitur ibid. lyræ inventor dictus a nonnullis ib. cur saxa cantu movere dictus ibid. mitram gestare dictus ibid. rex ibid.

Amram cum Mose filio sæpe confunditur 81. b.

Amun, quid significet 86. b. idem est ac Vulcanus & Osiris 85. a. 86. b. 145. a.

Anabaptiste V. T. penitus depravatum esse censent 187. b. libros Esdræ & Nehemiæ repudiant 215. a. partes quasdam N. T. causse suæ opportunas admittunt, reliquas repudiant 26. b.

Ἄναξ vox unde facta 156. a. Ἄνακες cur dicti Castor & Pollux ibid.

Anatolius refellitur 60. a.

Anaxagoras operis sui exordium expressit e Genesi 54. a. b.

Andarta Dea. 149. a.

Andreste 149. a.

Angeli sæpe appellantur Sacerdotes & Prophetæ, & quicunque Dei jussa hominibus significant 314. a. Angelorum Raphaelis, Michaelis, & Gabrielis nomina venerunt e Babylonia 216. b.

Angelus Testamenti Christus appellatur 398. a.

Anima, mentis imago, juxta Proclum 10. b. Animæ nostræ rerum principiis ac speciebus imbutæ non oriuntur, sed experientia magistra iis informantur 10. b. Animas nostras, rerum principiis, informatas, oriri censuit Plato 9. b. Animas hominum, corporibus solutas, in quæ loca migrare docuerint Rabbini 354. a.

Anna Peranna, eadem est ac Io. 151. b. in ejus festo frondeas casas exstruebant Romani 164. b.

Annalium nomine Acta publica Romanorum sæpe notantur 29. a.

Annura apud Indos Coromandelenses, idem ac Moses 98. a.

Annus Ebraicus duplex fuit, solaris & lunaris 453. a. Christianorum etiam duplex, solaris & lunaris, 453. annum a Mense Septembri auspicabantur Ægyptii & Phœnices 71. b. anni Chaldaici, & Medici, & Persici forma, quæ 453. a. anni Græci veteris forma, quæ 453. b.

Anobret, quid significet 70. a.

Anonymus Clario laudatus refellitur 416. a.

Antiochum libros Legis aboleviss ineptum est credere 187. a.

Antiope Amphionis mater cur Asopi fluvii filia dicta 134. a.

Antisthenes Cynicus librum scripsit de Virga Palladis 155. b.

Antoninus Pius rescriptis suis cavit, ne quis negotium Christianis facesseret, nisi adversus imperium aliquid molirentur 41. b. eum cum Marco Aurelio confundit Themistius 41. a. ei Epistola ad Commune Asiæ falso adscripta est 41. a.

Anubis idem ac Moses 84. b. Calebi effigies 195. a. idem ac Mercurius 84. b. idem ac Hermanubis ibid. Typhonis filius ibid. cur cynocephalus pingitur 84. b. 195. a. cur sphæram gestat 84. b.

Apella nomen proprium, apud Horatium 210. b.

Apelles Prophetias aspernabatur 341. a.

Apes unde sic dictæ 103. b. aureæ repertæ in sepulchro Childerici Francorum Regis cum bubulo capite aureo: cujus rei ratio aperitur 103. a. b.

Ἀφρόδιτος 149. a.

Aphthas est Bacchus 145. a.

Apion explicatur 125. a. Apion Grammaticus Judæos scriptis suis proscidit 64. a. b.

Apis idem ac Moses 83. b. Apidis Ægyptii Dei imagini Solis symbolum inerat 103. b. divinitus & cœlesti igne conceptus ferebatur 466. b. medicinæ repertor cur fingitur 114. a. simulacrum ab Aarone & Jeroboamo conflatum 196. b. Apidis simulacrum ab Hannibale conflatum ib.

Ἄπυς mulier ab Heraclide celebrata, ad vitam rediisse falso dicitur 630. a.

Apocalypseos auctor olim controversus 22. b.

Apocalypsin interpretatos esse Justinum & Irenæum perperam credidit Hieronymus 22. b.

Digitized by Google

Apocalypſes quædam, præter illam Johannis, olim circumferebantur 25. b.
Ἀπόδειξις δυνάμεως 2. b. Ἀπόδειξις πνεύματος 2. b.
Apocryphorum librorum, & eorum qui dicuntur ἀντιλεγόμενοι, diſcrimen 25. b.
Apollinarius refellitur 281. b.
Apollo cur ſic dictus 108. b. idem ac Moſes 107. a. idem ac Bacchus ibid. Pan dictus 107. a. 110. a. idem qui Adonis 107. a. idem qui Orus ibid. Jubalis typus 154. a. ἀγρεὺς 141. a. ἀγυιεὺς 107. b. 138. a. Ægyptius cognomento dictus 108. a. ἀκεσεκόμης 108. a. ἀπιμήλιος 107. b. ἀρνοκόμης 107. b. βάκχιος 107. a. βοηδρόμιος ibid. γιγαντολέτης 107. b. δεκατηφόρος 109. b. Delphinus cur peregrinationes ſignificare dictus 109. b. Didymeus cur dictus 108. b. Didymeus idem ac Janus 108. b. ἐμβάσιος & ἐκβάσιος 109. b. ἐπίσκοπος 109. a. θυρεὼς 107. b. 138. a. καρνῆας 108. a. λεχηκόριος 109. b. maleficus & beneficus 89. a. montivagus 107. a. μυσαγέτης 63. a. cur ſic dictus 107. b. Myſtes 109. b. ναπαῖος 107. b. νόμιος 107. b. 141. a. Parnopius 109. b. Paſtor 107. b. πολιμνιος ibid. πολιὸς ibid. προπύλαιος ibid. προστατήριος ibid. ῥηξικέλατος 109. b. φύξιος 109. a. χορεπιὸς 107. b. χρυσοκόμης 108. a. χρυσοκόμας ib. Oſiridis filius 107. a. Jovis Ammonis filius 108. a. Bacchi pater 107. a. in Arcadia natus 107. a. medicinæ parens ibid. ſermonum & facundiæ inventor ibid. animarum ductor ibid. barbatus aliquando pingebatur 107. b. ei citharam Mercurius dedit 107. b. ab eo Mercurii virga profecta eſt 107. b. ejus effigies barbata & veſtibus induta 147. a. columnæ ſymbolo expreſſus 196. b. cur coronam quindecim gemmis inſignem geſtare dictus 108. b. pyramidis forma exhibitus 109. a. cur Jovis famulus dicitur 107. b. cur Jovis filius fingitur 108. a. cur in Creta natus dicitur 107. a. cur inter duo fluenta natus fingitur 108. a. cornutus cur fingitur ibid. cur in Arabum arvis eruditus fuiſſe dicitur ibid. cur Dei & hominum ſequeſter fingitur 109. a. cur futurorum præſcius dictus eſt 108. b. cur muſica & ſaltationibus gaudere fertur 107. b. cur radiato vertice pingebatur 108. b. cur ſupra caput corvum volantem habere dictus ibid. cur Pythonem ſerpentem interfeciſſe dicitur 109. b. ejus certamen adverſus Pythonem ab Ægyptiis Græci acceperunt 107. a. cur Tityon interfeciſſe dicitur 110. a. cur ex Sinope Syrum filium dicitur ſuſtuliſſe 108. a. cur Admeto ſerviiſſe dictus 109. a. cur inter duos Parnaſſi vertices, unde fons Caſtalius manat, ſedens pingitur 109. a. cur Trojæ muros ad citharæ cantum fertur condidiſſe 109. b. cur ei agnus, taurus, vitulus ſacrificabantur 110. a. cur ab Ægyptiis capite ſemiraſo, & ſimulachris nonnunquam cæruleis, nonnunquam ſplendidis exhibebatur 108. a. ejus ſtatua, quæ Delphico templo inerat, cur columnæ formam habebat 109. a. Apollinis oraculum Chriſtianorum pietate ſuppreſſum 503. a. Apollinum antiquiſſimus Vulcani filius 107. a.
Apollodorus emendatur 134. a.
Apollonii Chriſtiani accuſator, cruriſragio & ſupplicio capitali affectus eſt 41. b.
Apollonius Molonis μαλακὸς dictus, Moſem calumniis vexavit 62. a. b. alter a Molone 62. b. reprehenditur a Joſepho 62. a.
Apollonius Pergæus, magnus Geometra cognomento dictus, notatur 17. a.
Apollonius Tyanæus, Magus facerrimus 646. a. ejus vitam omnem primus literis tradidit Philoſtratus 641. a. eum puellam mortuam ad vitam evocaſſe falſum eſt 630. b. ei divini honores exhibiti 644. a.
Apoſtoli & Diſcipuli Jeſu, rudes & indocti 513. miranda facinora edunt, & omnis generis languores ſanant 514. eos Paſtores & Doctores forePropheta prædixerunt 654. præcones & nuntios 512. judices 689. piſcatores 511. Apoſtolorum manibus ipſis ſcriptæ Epiſtolæ in Eccleſiis quibusdam recitabantur tempore Tertulliani 25. a.
Apoſtolius notatur 125. a.
Apries, idem ac Ephree, cujus caſus a Jeremia & Ezechiele ſunt prædicti 331. b.
Aquam de rupe elicere cur finguntur Janus & Atalanta 155. b. ſeq. ſumere, quid 164. b.
Aquila unde dicta 124. a. cur Promethei jecore paſci dicitur 116. a.
Aquila Sinopeus, Proſelytus Judæus, ſub Hadriano Scripturam Græce interpretatus 68. b. ſignificationes nominum propriorum ſæpe repræſentavit 173. b. notatur 464. b. 465. b.
Aquilicia nudis pedibus immolabantur 161. b.
Aquilo unde dictus 124. b.
Aquilus color 124. b.
Ara Hebalitana duodecim conſtabat lapidibus, juxta Rabbinorum ſomnia 180. a. ei Deuteronomium ſolum fuit inſcriptum 180. b.
Arabes decimas Deo ſuo Sabi ſolvebant 158. a. habuerunt interpretes fabularum 715. b. in India bene multi 99. b. Jovem & Bacchum colunt 158. a. lapidis quadrati ſymbolo Deum aliquem ſibi ignotum colebant 81. b. ſingulis horis igni ſacrificabant, ſeque ei devovebant 95. a.
Arabici characteres ex Judaicis detorti 176. b.
Arabs interpres Scripturæ refellitur 185. b.
Aratus, iisdem prope verbis retulit Dei mandatum, quo ſidera juſſit eſſe in ſigna & dies 154. a.
Arbores multis per ſomnum viſæ eamdem fere interpretationem accepere 276. a.
Arca Fœderis duplex, juxta Rabbinos 325. b. quid ei ineſſet, diſputatur ibid. In arca incluſam fuiſſe legem Judæi plerique cenſent 48. b. in ea incluſos fuiſſe Libros omnes Canonicos, excluſis Apocryphis, cenſuit Epiphanius, aliique poſt eum complures ibid. arca in qua reconditi fuiſſe feruntur libri Canonici 325. a. ad Arcæ latus exterius in capſa poſita fuit lex, & urna mannæ plena, & virga Aaronis 48. b. Arcæ loco, in ſecundo templo, lapidem tribus digitis prominentem Judæos in terram deſtituiſſe eique thuribulum impoſuiſſe Rabbini volunt 326. b. ſq.

Arcam

Digitized by Google

Aream primæ similem, in secundo templo, a Judæis dedicatam fuisse Rabbini volunt 326. b.
Arcades plerique venerunt in Italiam 136. b. Pheneatæ Italiam petierunt ibid. patrios ritus & religiones in Italiam intulerunt ibid. Romanorum, Latinorumque progenitores ibid. iis prognati erant Trojani ibid.
Arcadia dicta est Pelasgia 136. b. Romanis Theologiam subministravit 136. a. b. ei adscripserunt Veteres eorum natales, quos ad Mosis exemplum fingere vellent 136. b.
Arcadica Theologia ex Ægyptiaca orta 139. b.
Ἀργυφόντης, anguicidam significat 76. a.
Ἀργυὴς, anguem sonat ibid.
Argum cur Mercurius interfecisse dictus est 76. a.
Argumentatio, qua æquale aliquid alteri esse concluditur, quod nec majus eo sit, nec minus, ut παραλογιστική, a Josepho Scaligero repudiatur 18. b. quæ constat deductione ad absurdum, ut παραλογιστική, a Josepho Scaligero repudiatur 18. b.
Aricini templi jus 165. a.
Aries ab Abrahamo immolatus, typus Messiæ 612. a.
Arimaspea Aristeæ adscripta, suppositicia 628. a. b. & seq.
Arionis fabula ex Jonæ historia detorta 298. a.
Arius Spartanorum rex 121. a.
Aristæus idem ac Moses 126. b. cum Aristea Proconnesio confunditur 127. b. a Pindaro & ab aliis Apollo dictus 126. b. 627. a. b. Jupiter & Apollo habitus est 627. b. Apollinis filius, vel ut aliis placet Liberi 126. b. a Siculis Deus habitus est 627. a. ἀγρεὺς 127. a. 141. a. νόμιος 127. a. 141. a. 627. a. b. βαθυχαίτης 127. a. cur filios duos habuisse dicitur, Charmum & Callicarpum 127. a. cur filius fingitur Cyrenes Penei filiæ, & ab Apolline ruptæ, dum pecudes ad Penei ripam pasceret 127. a. cur nascens a Mercurio sublatus fingitur 127. a. cur Nymphis ad nutriendum traditus esse fingitur 127. a. cur artium omnium peritus fuisse dicitur 127. b. cur medicus, agricola & vates fingitur 127. b. cur pastor fingitur 127. a. cur bovem Diis primus immolasse fertur 127. a. cur multa commoda in usum generis humani dicitur reperisse 127. b. cur Ceos æstu torrefactos dicitur sublevasse 127. a. cur ad matrem sub undis habitantem facturas suas expostulatum iviisse narratur a Vigilio 127. b. cur in Thraciam iviisse fertur 127. a. 129. b. cur in Hæmo monte evanuisse fingitur 127. b.
Aristarchus Samius Scaphes inventor 125. a.
Aristeas Proconnesius cum Aristæo confunditur 51. b. 627. a. multa communia habet cum Aristæo 627. b. ejus ætas incerta 627. a. fabula unde orta 627. b. 629. a. eam confinxerunt Pythagorei 627. b. ante Homerum scripsisse dicitur 627. a. Homeri præceptor fuisse perhibetur a quibusdam 51. b. 128. a. 627. a. cur Philosophus fuisse dicitur 128. a. cur vates 128. a. cur præstigiator 128. a. præstigiis homines deludere creditus 627. b. cur animam ponere & sumere dictus 128. a. Aristeæ defuncti corpus cur evanuisse dictum ibid. eum ad vitam rediisse falsum est 626. b. 627. b. tanquam Heroi Siculi sacrificabant 627. a. ei & Apollini communia sacra Metapontini faciebant 627. a. ejus liber de interpretatione Septuaginta Senum, dubius & suspectus 59. b.
Aristobulus Judæus, Peripateticus, Ptolemæi, Philometoris magister, idem est ac ille, cujus mentio fit in Machabaico posteriore, juxta Clementem & Eusebium 60. a. 168. a. unus non fuit de numero Septuaginta Interpretum 60. a. multum operæ in literis posuit ibid. libros Mosis explicavit ibid. Mosem interpretans allegoriis usus est 712. b. refellitur 331. a.
Aristoteles cum Judæo quodam in Asia conversatus est 58. b. Mosaica doctrina imbutus 58. b. in assignanda rerum caussa Mosem videtur esse secutus ibid. Deos νοήτους, auctore Mose, aguovit ibid. libros Mosis ei interpretatus est Judæus quidam 168. a. 169. b. librorum Salomonis compos factus, juxta nonnullos 242. b. Deum ad singularium curam se non demittere, nec ad eum proinde futurorum contingentium curam pertinere censuit 15. b. refellitur 90. b. 332. a.
Armillus Messiam Josephi nepotem olim interficiet, juxta Judæorum doctrinam 541.
Armorica lingua Britannicæ veteris valde affinis 103. a.
Arnuphis Magus 39. b.
Arphaxadus in Judithæ libro memoratus, quis 220. a.
Arsaphes, Bacchi Ægyptii cognomen, unde ortum 78. b. 80. b.
Arsareth regio, decem tribuum sedes, juxta Auctorem libri quarti Esdræ 427. b.
Arsippus, qui fuit Æsculapii pater, ab Osarsiphe videtur nomen habuisse 113. b.
Artapanus Mosis meminit 67. b.
Articulus nominibus Græcis præfixus, non semper certum quid notat 624. a.
Arvas apud Trogum est Aaron 81. b.
ארון in ו contractum non est ante tempora Davidis 424. a.
Asia Promethei uxor 114. b.
Asina & *asellus*, quibus Christus iniit Hierosolyma, quid significent 425. a.
Asini agrestes Israelitis siti laborantibus viam præiviisse dicti 112. a.
Asinum receperunt Ægyptii inter Deos, jussu Ochi 112. a. Asini caput adorasse dicti Judæi ibid. effigies cur Priapo adjuncta ibid.
Asusra, buceinæ genus 79. a.
Aspidem ut Deum colebant Ægyptii 72. b.
Assassinii unde dicti 284. b.
Assyria lingua Ebraicæ parens non est 172. a. multum ab Ebraica discrepabat 171. b.
Assyriæ literæ 175. b.
Assyrii fabularum interpretes 715. b.
Assyrii characteres a Sarmaticis diversi 176. b.
Astarte eadem est ac Sephora Mosis uxor 246. a. eadem ac Cybele 246. a. eadem ac Europa 151. a.

Digitized by Google

151. a. eadem ac Isis 146. a. 151. a. eadem ac Juno 150. a. eadem ac Ops 146. a. eadem ac Venus 148. b. cur cornuta pingebatur 148. a. taurino capite 151. a. est Luna 149. b. unde dicta 148. a. 149. b.
Asterius Cretensium rex Europam duxit 117. b.
Astroarche, apud Herodianum, appellatur Cœlestis 150. b.
Astronoe 148. b.
Astronomiam quomodo inventam & propagatam crediderint Veteres 116. b.
Astronomica observationes in lateribus descriptæ 57. a.
Asyla Neptuni & Osiridis in Ægypto, unde orta 159. b. Asyli apud Romanos origo 164. b. seq. Asylum in Calauria Neptuno dicatum, unde originem habuit 163. b.
Atalanta cur aquam de rupe elicere fingitur 155. b. seq.
Ate Homeri est Evæ typus 51. b. 154. a.
Atergatis 150. a. vide *Dea Syria*.
Athanasius Alexandrinum templum ab Hadriano exstructum purgat, & Christo restituit 44. a. explicatur 414. a.
Athenagoras emendatur 627. b.
Athenienses ex Ægypto oriundi 162. b. eorum instituta pleraque fuerunt, Mosaicis institutis consimilia 52. b. 163. b.
Atheniensis Respublica ad Ægyptiæ formam constituta 162. b.
Atlantis insula 104. a.
Atlantis oneri cur successisse fingitur Hercules 195. a.
Attici nominativum pro vocativo usurpant 350. b.
Attis idem ac Moses 148. b. idem ac Adonis 148. b. idem ac Æsculapius ibid. idem ac Bacchus 148. b. idem ac Priapus ibid. idem ac Themis ibid. idem ac Vesta ibid. cur se urgente Cybele evirasse fingitur 148. a.
Auctor exemplaris Græci libri Judith explicatur 219. b. libri de origine gentis Romanæ refellitur 139. b. libri de vita & morte Prophetarum, qui Epiphanio tribuitur, castigatur 313. a. b. libri quarti Esdræ notatur & refellitur 427. b. prioris Commentarii in Job Origeni adscripti explicatur 229. a. Synopseos, quæ tribuitur Athanasio, explicatur 235. b. 238. a. Systematis Theologici ex Hypothesi Præadamitarum refellitur 182. a. 183. a. 186. a. tractatus Theologico-politici refellitur 179. b. 190. b. 193. 201. b. 202. a. 209. b. 215. a. b. 242. b. 260. b. 265. a. 266. a. 267. a. 277. b. 286. b. 299. b.
Auctores quidam antiqui libros suos a nominibus suis inchoabant 214. b. Auctoribus de se loqui ἑτεροπροσώπως familiare est 183. b.
Aventinus refellitur 103. a.
Aves Deorum capitibus cur imponi solitæ 86. a. 108. b.
Augusti census, & professio in hoc sensu a Christo Jesu edita, in tabulas censuales Romanorum sunt relata 28. a.
Augustinus explicatur 203. a. notatur 56. a. 167. b. & seq. 235. a.
Ausonius explicatur 147. a.
Autuchus Aristæi frater 127. a.
Axones, in quibus describebantur leges Atheniensium 57. a.
Azalzel, decimus inter Egregoros, idem ac Prometheus 116. a. Azalzel & Azael, voces corruptæ ex Azazel 116. a.
Azazel cur inter Egregoros numeratus 116. a. b. juxta Rabbinos & alios, Dæmon quidam ad quem hircus in desertum mittebatur 116. a.
Azelus apud Justinum Historicum, quid 209. b.
Azizus Emesæ regnavit 73. b. Emesæ cum Sole cultus ibid.
Azonazes Zoroastris præceptor, idem ac Abrazannac, qui Moses est 91. b.

B.

B. Euphoniæ gratia insertum 101. a.
β literæ figura vetus ad figuram literæ μ accedebat 101. a.
Baaltis est Venus 149. b.
Babylonii lateribus ad scribendum utebantur 57. a.
Babylonis clades in libris sacris prædicta 329. b. 332. a.
Bacche cur aquas de rupe elicuisse dictæ 80. b. cur se serpentibus incingere & coronare dicuntur ib.
Βακχίου natæ ex Ebræorum Scenopegia 161. a.
Bacchiorum orgiorum insigne cur serpens habebatur 197. b.
Bacchus, Noachi typus 154. b. Nemrodi typus 155. a. idem ac Moses 80. a. 155. a. idem ac Osiris 71. a. ejus pater Apollo 107. a. Isidis filius, apud Ægyptios Arsaphes dictus 87. b. 80. b. cur a quibusdam Indi filius dictus 81. a. ejus & Priapi affinitatem ostendunt sacra utriusque 111. b. unus e Cabiris 102. a. bimater cur dictus 80. a. ἐλευθερεύς & ἐλευθερεὺς cur dictus 81. a. γηγαντολέτης 81. a. λαμπτὴρ cur dictus, eique instituta λαμπτηρία ἑορτὴ 80. b. Liber 81. a. μειλίχιος 86. b. μυσηγέτης 63. a. cur ita dictus 153. a. νόμιος cur dictus 80. b. prudens & ἐυβουλεὺς 82. a. ἐυφεγγινάλης & σκηπτοῦχος & ναεδυκοφόρος 81. b. cur τελετάρχης dictus 82. a. Venustus 80. a. ejus nomen cur tributum Mercurio χθονίῳ 81. a. b. barbatus quandoque pingebatur 107. b. 147. b. seq. cur a Titanibus discerptus & elixatus, a Cerere restitutus esse fertur 82. b. cur inter ignes natus esse dicitur 80. b. mas & femina 71. a. cur comatus fingitur 81. b. cur cornutus esse fertur 71. a. 80. b. cur in Ægypto natus esse dicitur, in arcam inclusus, & in profluentem abjectus 80. a. cur in Arabia ad Nysam montem educatus esse dicitur 80. a. 128. b. recens natus cur in hœdum mutatus fingitur 81. b. cur a Nymphis educatus fuisse dicitur 80. b. 127. a. cur juvenis & senex, barbatus & imberbis pingitur 83. a. cur Eleusiniis sacris initiatus esse fertur 134. b. cur terram concutere, ex eaque flammas educere dicitur 81. b. cur Musicæ deditus, ac Musas ac Satyros circumagere narratur 82. b. cur vitis repertor dictus 80. b. cur erro dicitur 83. a. cur βηνοχοεὺς dictus 83. a. vaticinia cur ei tribuuntur 83. a. cur exulasse dictus 80. a. b. cur virorum ac mulie-

Digitized by Google

mulierum exercitum circumduxisse dicitur 81. a. cur leges duplici tabulæ inscriptas tulisse dictus est 80. b. cur mare subiisse, cum Lycurgum fugeret, narratur 83. a. cur mitram Tyram gerere fingitur 81. b. cur in Indiam iviſſe fingitur 81. a. multiformis 83. a. cur tauriformis ibid. cur ad montis Meri fontes copias suas siti aridas deduxisse dictus est 83. a. cur Hydaspem ad Orontem thyrso arefactos transmisisse dictus est 80. b. cur mare rubrum pedibus trajecisse dictus est 80. b. cur Ammonis templo nullam intulit Dei imaginem 82. a. cur canem socium habere dictus est 80. b. cur patriam in libertatem vindicasse fertur 81. a. columnæ symbolo cur notatus 81. b. 196. b. apud Amnitas cultus 103. b. hœdi formam sumsit 110. b. Bacchi cur demessa fuisse pudenda finxerunt veteres 82. a. Bacchi chorus cur aspectu lucis frui dictus est, dum Indi erant in tenebris 80. b. Bacchi Mystæ coronati serpentibus ululant Evam, juxta Clementem Alexandrinum 197. b. Bacchi exilia ab Ægyptiis Græci sumserunt 107. a. Bacchi orgia ex Ægypto in Græciam ab Orpheo translata 130. b. & a Melampo 167. a. Bacchi sacris φαλλοφορία fiebat 112. a. Bacchi vestis cur flammea, & lutea 83. a. cur florida ibid. cur muliebris ibid. Bacchi historiam Græci partim acceperunt ab Ægyptiis, partim ipsi confinxerunt 89. a. Baccho cur terra lactis, mellis ac vini fluentis manare dicta 80. b. ἐμβατήρια cani & libari solita 109. b. Bacchi Dæmones applicasse Jacobi vaticinium Gen. 49, 10. scribit Justinus martyr 156. b.

Betyliorum origo 155. b.

Babramus Persarum rex quo ritu templum ignis iniit 95. a.

Balaami prædictio Origeni visa clarissima 342. b.

Baladanus Berosо celebratus 209. b.

Balduinus Jurisconsultus notatur 40. b.

Baltha Dea 149. b.

Bar-Cochebæ 342. a. Pseudo-Christus 401. a. 405. a.

Bar-Cuziba. vid. *Bar-Cocheba.*

Baris, mons ad quem arca Noachi appulit 64. a.

Βάρις navim sonat 64. a. vocis hujus origo ibid.

Baris urbs Persica 64. a.

ברה significat omne esculentum & potulentum, quod ad corpus alendum sumitur 610. b.

Baronius laudatur 34. a. refellitur 168. a.

Basilides in Epistolas Pauli temere grassatus est 23. b.

Basilius notatur 321. b. 358. b.

Bathja dicta est Thermuthis 73. a.

Baruchus Jeremiæ amanuensis, an alius fuerit ac auctor libelli, qui ejus nomen præfert 270. a. eum non fuisse Prophetam, Judæi quidam falso censent 270. a. eum morte imminentem captivitatem vitasse Judæi quidam tradunt 270. a. eum Babylone mortuum & sepultum scribunt Judæi nonnulli ibid. ejus nomine edita Prophetia, cujus Auctoris 269. b. quo tempore scripta 270. b. 272. a. eam post Sedecianam cladem fuisse scriptam, priscis temporibus creditum est 270. b. ante scripta est, quam nonum Danielis caput 271. b. cum aliis Prophetiis cur eam non expofuit Hieronymus 272. a. sub Jeremiæ nomine sæpe citatur a Veteribus 270. a. 272. a. velut ipsius Jeremiæ fœtus habita est 270. a. 271. b. ex Ebraico exemplari depromta 272. a. Ebraicum exemplar cur interciderit 272. a. cur in Canone locum non habuit 271. b. Baruchi sextum caput cum Threnis & Prophetia Jeremiæ unicum efficiebat librum 263. b. Barucho adscriptæ Epistolæ Syriacæ quis Auctor 270. a.

R. Bechai refellitur 429. b.

Bel unde dictus 155. a.

Belesis non est Daniel 279. b.

Belisana Minerva 149. b.

Belitana, Belus χρονικὸς 154. b.

Belitaras apud Ctesiam, idem ac Baltassar 279. b.

Bellerophontis fabula unde orta 156. a.

Belus χρονικὸς 154. b. ἐνυάλιος 155. a. significationem habet vetustatis 155. a. idem ac Nemrodus ibid. idem qui Saturnus, juxta nonnullos 154. b. cur cognominatur Hercules Indicus 198. b.

Bene David 427. b.

Benjamin Tudelensis refellitur 426. b. 428. b.

Ben-Sira existimatur a nonnullis Filius Jeremiæ 255. a. idem ac Jesus Filius Sirach 254. b. ejus liber vitiatus in multis ante impositionem Thalmudis 255. b. a quo dispositus est per ordinem literarum 255. b. eum inter Hagiographa ponit Thalmud ibid. ejus lectio cur a Thalmudistis interdicta 255. a. b.

Bereshith Rabba refellitur 428. b.

Berosus ex Mose multa sumsit 59. b. eum affectati Abydenus & Alexander Polyhistor ibid.

Beruensium Indorum religio 157. a.

Bethlehemitica spelunca, in qua natus est Christus, templo ab Helena, donariis a Constantino decorata est 28. a. ab incolis locorum, & vetustis etiam Ethnicis ostendebatur ibid. in illa natum Jesum Judæi non negant ibid.

Bethlehemo proditurum Christum, priscorum & recentiorum Judæorum opinio fuit 392. a.

בתולה proprie quid significet 463. b.

Beza defenditur 471. b. refellitur 473. a.

Binarius numerus, femineus 160. b.

la Bise Gallis cur dicatur ventus Aquilo 124. b.

Blondellus refellitur 35. a.

Bocchori in Ægypto regnante Judæi, juxta Lysimachum, lepris affecti luem in vulgus diffundunt, unde sterilitas consequitur: Bocchoris ægros in mare mergi jubet, reliquos exponit in desertis 68. a.

Bochartus (*Sam.*) laudatur 88. a. b. 156. b. refellitur 86. b. 88. b. 152. b. 158. a.

Bodinus (*Joh.*) notatur 30. a. 379. a. refellitur 238. a. 379. a. 466. a. 469. b. sq. 471. a. 473. b. 475. a. 487. a.

בוא quid significet 431. b.

Bovis caput ab Ægyptiis & ab Indis cultum 103. b. aureum in Childerici Francorum regis sepulchro Tornaci repertum 103. a. cujus rei causa aperitur 103. b.

Digitized by Google

Brachmanes cur Lunula Efuvaræ caput insigniebant 202. b. Decalogi præcepta servant 97. b. de mundi origine Mosi consentiunt ibid. in iis, quæ ad naturam pertinent, veteribus Græcis consentiebant ibid. Metempsychoseos doctrinam pertinacissime retinent 645. b. mortuos lavant 98. b. portentificas virgas gestabant 97. b. præcipua Pythagoricæ Philosophiæ capita retinent 100. b. impuberes puellas ducere tenentur 98. b. ritus multos & præcepta habuerunt Mosaicorum consimilia 97. b. vestibus induti erant earum similibus, quas Judæorum Sacerdotes gerebant ibid. Brachmanibus solis apud Indos patent interiora templorum 98. b. Brachmanis cædes peregrinationibus expiatur 98. b. Brachmanum priscorum codices a novitiis Brachmanibus studiose leguntur 97. a. Brachmanum tribus Leviticæ similis 97. b.

Brachthan 81. b. vide *Lapis*.

Brammia Dei Filius 98. a. Christi typus apud Indos Coromandelenses 99. a.

Bremavius Indorum Patriarcha, legum suarum codicem Chaster a Deo accepisse dicitur 97. a. in cœlum asportatus cur creditur ab Indis 211. a.

Britanni a Romanis dicti sunt Picti 173. a. vox Pictos sonat ibid. Gallorum sacra acceperunt 103. b. Mercurium coluerunt 103. b.

Britanniæ proxima Insula Cabirorum cultum suscepit 104. a.

Britomartis ædem nudis pedibus Cretes subibant 161. b.

Brontini Metapontini Peplus & Physica, Orpheo adscripta 628. a.

Buddæ duo virginibus natos se dixerunt 466. a. b.

C.

Cabala practica 502. a.

Cabar Luna dicebatur ab Arabibus 128. a. vide *Chabar*.

Cabiri 102. a. 154. a. ulti fuerunt Beryti 102. a. Cabirorum unus fuit Mercurius 77. a. 102. a.

Cabirorum mysteria Dardanus Trojam attulerat 137. a. ea abstulisse, & in Italiam deportasse Æneas dicitur 137. a. 102. a. in Imbro, in Lemno, in Somothrace, apud Tyrrhenos, & in Insula Britanniæ proxima 102. a. e Mosis mysteriis propagata fuerunt 102. a. e Phœnicia profecta 102. a.

Cabul vicus 191. a. regio ibid.

Cadaver qui tetigisset, immundus Ebræis & Græcis 162. b.

Cadmi Milesii historia suppositicia 628. a.

Cadmus, juxta nonnullos, Ægyptius Thebæus; juxta plures, Phœnix 106. b. διονυσιακὴν τελετουργίαν & φαλληφορίαν, & Mercurii fabulam ad Græcos transtulit, juxta Diodorum 89. a. ex Ægypto venit in Græciam 167. a. Cadmus & Danaus primam Mosis cognitionem Græcis tradiderunt 106. b.

Cæsar lecto aureo exceptus in Bithynia 182. b.

Cajetanus Cardinalis refellitur 417. a.

Calix metaphorice quid significet apud Auctores sacros 296. a.

Callimachi Scholiastes refellitur 108. a.

Calvus emendatur 149. a.

Camilla cœlitum Medea 76. a.

Camillus servum significat 76. a. Camillus, & Casmillus & Cadmilus, cur dictus Mercurius ibid.

Canis æneus vivus a Vulcano cur fabrefactus dicitur 88. a.

Canum custodia cur Ætnæo Vulcani Templo apposita 88. a.

Canobus, quid significet 85. a.

Canon Librorum sacrorum, quid 320. a. unde dictus ibid. ejus Auctor 320. b. ætas 320. a. juxta Judæos, iis tantum constabat libris, qui compositi essent per hujusmodi afflatum, quem Spiritum sanctum appellabant 250. b. auctoritate Synagogæ magnæ ab Esdra conflatus 320. b. a Nehemia & Juda Machabæo recognitus 324. b. unicus ante Christum editus, ab Esdra compositus, a Synagoga comprobatus, a Synagoga comprobatus 320. b. Canones singularum Scripturæ sacræ partium fieri debuerunt, antequam canon universæ Scripturæ conderetur 323. a.

Canones Conciliorum unde dicti 320. a.

Canones Mathematici & Chronici unde dicti 320. a.

Canonici unde dicti ibid.

Canticum Canticorum, mysticum opus & Theologicum 249. a. eximium poema 248. b. ejus auctor quis 248. a. Ezechiæ, ipsiusque familiaribus adscribunt Thalmudistæ 248. a. Isaiæ adscribit R. Moses Kimchi 248. b. Dei nomen non habet 249. b. e Librorum sacrorum serie expunctum est ab Hæreticis quibusdam 249. a. ejus lectio viris solum jam ævo maturis concessa ab Ebræis 248. b.

Capellus (Jac.) refellitur 443. a.

Capellus (Lud.) refellitur 443. a.

Cappadoces ignem perpetuum servabant 95. a.

Caracalla Apollonium Thyaneum impense coluit 642. a. Magis & præstigiatoribus delectari solitus 646. b.

Caraibæ neomenias observant 105. a. porcina abstinent ibid.

Caraitæ allegoricas Scripturæ interpretationes respuunt 714. a.

Cares & Iones ex Ægypto Mosis notitiam attulerunt 101. b.

Caria Phœnice dicta 101. b.

Carmenta Evandri mater, cur Ladonis fluvii filia fingitur 141. b.

Carneis festo Apollinis Scenopegia quædam celebrabatur 108. a.

Carnibus homines abstinebant ante Diluvium 154. b. regnante Saturno ibid.

Carnus Vates 108. a.

Carpocrates Evangelium secundum Lucam repudiabat 26. b.

Carthaginenses primitias & decumas Tyrum ad Herculem mittebant 158. a.

Carthago Junonia 150. a. quando condita 209. a. exponitur Cænopolis 173. a.

Carvillius Pollio primus Romanorum argentum triclinii addidit 182. b.

Casau-

Digitized by Google

Casaubonus (Isaac.) notatur 33. b. 43. b. refellitur 43. b. 399. b. 409. b.
Cassiopa Brammæ filius, primus Brachmanum parens 98. a.
Castalio (Seb.) refellitur 231. a.
Castor & Pollux cur ἄναχες dicti 156. a.
Castor Rhodius, sive Galata, Dejotari gener, Mosis meminit 72. b.
Cataclectorum vetus Epigramma explicatur 76. b.
In *Caucaso* celeberrimum pyreum fuit 95. b.
Cauni & *Caunoboa* Americanis, quid 85. a.
Cecrops idem ac Moses 116. b. Vulcani filius ibid. cur δίμορφος, δίχροος, διφυής fuisse dicitur ibid. cur superiori parte homo, inferiori serpens fuisse fingitur ibid. duarum linguarum Ægyptiæ & Græcæ peritus ibid. cur primum Jovi bovem immolasse dicitur 117. a.
Cedrenus (Georg.) emendatur 73. a.
Celsus Epicureus notatur 159. a.
Celtæ in Hispanias confluxerunt, illicque mores suos ad religionem intulerunt 104. a.
Celtiberi unde dicti ibid.
Censitores 474. a.
Census quibus de caussis instituti 473. b. Census lustrales, & sine lustro 474. a. acti per ordinarios magistratus, & per extraordinarios 474. a. Judæi de feminis, itidem ut de viris agebant 475. a. Census agendi ritus unde ortus apud Romanos 165. b. de quibus agebant Romani 473. b. 474. a. 475. b. agebantur pro eorum conditione, qui censebantur 473. b. Census caussa homines loca mutare cogebantur 474. b. Census Romani Imperii ab Augusto acti 471. b. secundo cum ageretur ab Augusto, natus est Christus 472. a.
Centones a Prophetiarum collectionibus quid discrepent 709. a. 711. b.
Cercops Pythagoreus 628. a.
Ceres est Sol 146. a. est Luna 150. a. est Panda 151. b. Ceres mammosa eadem est ac Diana πολύμαστος 150. a. Cereris errores ab Ægyptiis Græci sumserunt 107. a.
Cerethi, Palæstini 117. a.
Cerinthus Evangelium secundum Lucam repudiabat 26. b. fidem haberi vetuit Actis Apostolorum 21. a. solum Matthæi Evangelium probabat 20. b. eum Apocalypseos auctorem faciunt quidam 22. b.
Chabar a patre suo dictus fuit Moses 72. b. cur Arabibus dicitur Venus 150. a.
Chabor desertum 427. a.
חפר, scripsit, scalpsit 57. b.
Chæremon Ægyptiorum Hieroglyphica interpretatus est 715. b. Mosis meminit, sed falsa veris miscuit 63. b. notatur ibid.
Chaldaica lingua. vide *Assyria*.
Chaldæi Ebraicæ linguæ ignari 171. b. vanissimis religionibus dediti 39. b. ignem inextinctum servabant 94. b. ignem sacrum apud se sponte lignum corripere, & victimas absumere credebant 156. a. Chaldæorum nomen Ebræis tribuitur 279. b.
Chami typus Jupiter 154. b.
Chanaani typus Mercurius 155. a.
Chananæa lingua parum discrepabat ab Ebraica 171. a. inter Ægyptiam & Ebraicam media erat, juxta Hieronymum 171. a.
Chananæa literæ Græcas peperere 176. b.
Chananæi characteres iidem ac Samaritani 176. a.
Chanethothes sicarius ad interficiendum Mosem submissus, ab ipso Mose interficitur 67. b.
Chaos ex verbis Mosis Hesiodus confinxit 51. a. Chaos Hesiodi, juxta Aristotelem, nihil est ibid. Chaos & Spiritum prima rerum principia ponit Sanchoniathon 70. a.
Charondas Thurinorum legislator, pingitur cornutus in vetustis nummis 54. b. ei placuit Talionis lex 163. a. Charondæ dictum e Psalmo quinquagesimo petitum 237. b.
Chaster codex pervetustus, Religionis Indorum Guzarattensium dogmata complexus 97. a. Bremavio Patriarchæ a Deo traditus, ut opinantur Indi ibid.
חשה, quid 454. b.
Chemia cur dicta est Ægyptus 113. a.
Chenebron. vide *Chenephres*.
Chenephres superioris Ægypti rex Merrhin Palmenothis Ægypti regis filiam ducit 67. b. Apim nominat taurum, eique templum extrui jubet 83. b. Mosem adversus Æthiopes mittit cum exercitu 120. a. Mosis virtuti invidet 67. b.
Chenerag Insularum incolæ ignem adorantes, seque vivos cremantes 95. a.
חרא, quid 197. b.
Childerici Francorum regis sepulcro inclusum fuit Tornaci insigne monumentum Ægyptiacæ religionis, ad Germanos & Gallos propagatæ 103. a.
Chiron Æsculapii præceptor, typus fuisse videtur Jethronis, qui fuit Mosis socer 114. a.
Chna primus Phœnix appellatus 199. b. Chna, Phœnice; Chnai, Phœnices, unde dicti 199. b.
Chnubis, postremus Decanus signi Cancri 85. a. quid significet ibid.
χνῦβος, quid significet 85. a.
Chones Lucaniæ populi, unde dicti 199. b.
Christianæ religionis incrementa 42. b. Christianam doctrinam corruptos hominum mores emendaturam Prophetæ prædixerunt 673. sq. Christiani dogmatis præstantia 641. b.
Christiani ob fortitudinem & constantiam Desperati dicti, & Paraboli, & Parabolani, & Confectores, & παραχεκινδυνευμένοι 41. a. olim magiæ ab Ethnicis accusabantur 39. b. secessione solum facta Romano Imperio plurimum nocere poterant 42. b. eorum martyria 41. a. b. virtutes ab Ethnicis prædicantur 41. a. b. eos a Judæis olim Ethnici neutiquam distinguebant 39. b. 42. a. 44. a. eos conquiri vetuit Trajanus, delatores puniri jussit 41. b. Christiani Balsarenses Sancti Johannis 74. b.
Christus bellator 350. b. 366. a. despectus 368. b. germen 357. a. 378. a. 396. b. justitia sempiterna est 386. a. 387. b. lapis 363. a. 384. b.

Digitized by Google

lux 366. a. 398. a. manſuetus 350. b. mons 384. b. Oriens 378. a. 396. b. pacificus 351. b. 392. b. 395. a. 396. a. 424. a. paſtor 383. a. 392. b. 393. b. pax 392. b. princeps & rex 383. b. 393. a. propheta 398. b. rex 346. a. 352. ſq. rex gloriæ 395. b. Salvator 390. a. Sanctus ſanctorum 386. a. ſequeſter fœderis Deum inter & homines iniri 387. a. ſervus 364. b. 368. a. 396. b. ſervus Dei 383. b. ſignaculum 396. a. ſignum 372. a. Sol 396. b. ſtella 342. a. 396. b. tabernaculum Davidis appellatur 388. b. Zorobabel appellatur 384. a. cur a Veteribus quibusdam dictus eſt Chriſtus, aliis χρυσὸς 42. a. Jacobi & Iſraelis nominibus ſignatur 364. b. ignis ſymbolo ſæpe notatur 389. b. naſci debuit alta pace per orbem totum vigente 440. a. b. ſq. florente Romanor. Imper. 441. a. peccata hominum eluit 357. b. pluviæ & roris ſymbolo notatur 351. b. 388. a. quo tempore venit, ab Ethnicis, perinde ut a Judæis expectabatur 398. b. radicis, & germinis, & virgæ, & ſurculi ſymbolo denotatur 342. b. 368. b. ejus adventus tempus, non ex Scriptura ſacra, ſed ex Cabala cognoſci poſſe Judæi quidam affirmarunt 438. b. divinitatem agnoverunt priſci Judæi 488. b. gloria 357. a. imperio ejus totum orbem ſubjectum iri prædixerunt Prophetæ 352. a. ejus magnificentia 392. b. ortus æternus 351. b. potentia & majeſtas 385. a. b. proprium munus eſt, diſperſos Iſraelitas congregare 390. a. regnum æternum 384. a. b. regnum temporarium expectant Judæi 458. a. b. vera definitio ejusdem χριστιανοῖς continetur 402. a. ei altiſſimi nomen convenit 353. a. eo regnante juſtitia & pax æterna ſpondentur 351. b. eum eſſe natum veteſti Rabbini crediderunt 438. a. b. in Paradiſi ambulacris mulieris capillis devinctum jacere, Rabbini quidam opinati ſunt 369. a. in rubo ardente Moſi locutum eſſe plerique cenſent 389. b. inter Deos admittere renuit Senatus Romanus 43. a. inter Deus referendum cenſuerunt Imperatores aliquot Romani 43. a. in horto Eden latitare Judæi quidam fingunt 438. b. in Veteri Teſtamento fuiſſe prædictum qui negarint 340. b. lepris laborare, & inter ægros in porta Romæ ſedere Judæi fingunt 368. b. 438. b. nexas hominum laturum Judæi cum Chriſtianis ſentiunt 635. a. eum venturum eſſe ſtante templo ſecundo priſci Ebræi ſenſerunt 439. a. ad Chriſtum res ſpectantes Judæi fatentur eſſe ſpirituales ac cœleſtes 525. b.

Chronologia Moſis conſentit cum Chronologia variarum gentium 159. b.

Chryſippus fabularem hiſtoriam ad phyſiologiam traduxit 715. b.

Chryſor, ſive Vulcanus, ζεὺς μειλίχιος 86. b.

Chryſoſtomus notatur 49. a. 392. b.

Chus, quid 120. a. quandoque Æthiopiam, ſæpius Arabiam notat 65. a. 91. a. populos ad utrumque maris rubri littus pertinentes ſignificat 126 a.

Chymiæ artis ſtudio dediti Ægyptii & Sinæ 100. a. b.

Cicero artis etymologicæ imperitus 174. b. emendatur 76. b. 84. b. 109. a.

Cimbri taurum æneum, tanquam præſens numen circumferebant, per eumque jurabant 103. b.

Cynira eſt כנר 79. a.

Circe virga cur tribuitur 155. b.

Circumciſio Ægyptiaca differebat a Judaica 159. a. Chriſti, quæ 571. b. cordis Deo acceptiſſima 582. a. Circumciſionis inſtitutum ad Saturnum referunt Phœnices 158. b. Circumciſionis ritus quomodo ad Arabes & Ægyptios tranſiit 159. a. eum ab Ægyptiis Phœnices & Syri non acceperunt, ut vult Herodotus 158. b. ſoli Judæi eum in Syria ſervabant Joſephi ævo 158. b. Circumcidebantur ii tantum, apud Ægyptios & Troglodytas, qui literis aut ſacris operam dabant 159. a. Circumciduntur Americani quidam 104. b.

Ciſtarum, quas in feſtis ſuis adhibuerunt Ægyptii & Græci, origo 163. b.

Claudicatio ſymbolum ἐνδοιασμοῦ 87. b.

Claudius Imperator Chriſtianos exiliis multavit 42. b.

Claves κατομαδίαι 563. b. curvatæ Veteribus fuerunt in uſu 563. a. Laconicæ 563. b.

Clavis inſigne ſacerdotii Cereris, & aliarum quoque Dearum 563. b. Clavis David, quid 345. a.

Clearcus Ariſtotelis Diſcipulus 58. b.

Clemens Alexandrinus emendatur 92. a. 274. b. refellitur 83. a. 84. a. 131. a. 258. a. 274. b. 275. b. 297. a. 321. b.

Clemens Romanus Epiſtolam ad Ebræos ex Ebræo Græce reddidiſſe creditus eſt Euſebio 23. b. Paulo memoratus 20. a.

Cleodemus cognomento Malchus, Propheta dictus 61. a. hiſtoriam Judæorum juxta Moſis narrationem ſcripſit 61. b.

Cleomedes Aſtypalæenſis 61. b. an ad vitam redierit 629. a. Heroum poſtremus 629. a.

Cneph cur alato capite pingebatur 85. b. cur ſic dictus ibid. idem ac Cnuphis 85. a. opifex rerum, pater Phtha ibid.

Κνεφαῖος fit a Cneph 85. b.

Cnoſſos a Minoe ædificata 119. b.

Cnuphis 85. a. ejus templum erat Syene ibid.

כוכב Cabaliſtice Dei nomen continet 404. b.

Cœleſtis eadem ac Luna 150. b. ambigui ſexus fuit ibid. ejus ſignum Carthaginem illatum a Didone ibid.

Cœli & terræ commotio adventante Meſſia 396. a.

כהן Sacerdotum & Principem ſonat 282. b. 354. a. 355. b.

Columbus (Chriſtoph.) ab Alphonſo Sanctio adeundæ Americæ rationem & iter didicit 104. b.

Columna dicta λογεῖς 109. a. aurea in templo Junonis Laciniæ 196. b. in templo Triphylii Jovis ibid. in Tyrio Jovis templo ab Iromo rege cur collocata 196. a. hæc donum fuit Salomonis, juxta Eupolemum ibid. Bacchi in lapidem quadratum mutata 196. b. dux Ebræorum, per duas columnas cur ab aliquibus expreſſa 196. a. locum habuit in templo Delphico, & in Bacchi myſteriis 155. b. ignea, Jeſu typus 697. a.

columnæ

Digitized by Google

columnæ symbolo Bacchus & Apollo expressi 51. b. 196. b.
Columnæ ad determinandos regionum fines positæ 56. b. ab Hercule & Baccho in India positæ 196. b. æreæ in porticu templi Salomonici unde ab Hiramo artifice collocatæ 196. a. duæ Tyri, Igni & Vento consecratæ, & adoratæ 195. b. Gaditanæ in domo Parcarum ab Hercule positæ, aliæ a Columnis Herculeis 57. a. Herculis quot fuerunt 105. b. 196. b. earum origo multiplex 195. b. 197. a. 202. b. multiformes 81. b. præforibus domorum positæ, Apollini, vel, ut alii volunt, Baccho sacræ 109. a. templi Gaditani Herculis 195. b. templi Tyrii Herculis 195. b. earum consecrandarum ritus ad gentes multas manavit 196. b. eas ad motus Solis explorandos a Mose Heliopoli positas scripsit Apion 197. a eas Hercules in Ponto & in Hispania statuit 196. b. iis fœdera incidebantur 56. b. inscriptæ ducum victoriæ ibid.
Comæ consecratio Ebræis & Græcis in usu fuit 162. b.
a *Commentariis* qui dicti apud Ebræos 207. b.
Comorin, promontorium Indicum 99. b.
Confarreationis genus quoddam apud Judæos & Brachmanes 98. b.
Confectores 41. a.
Confutius, Philosophus Sinensis, scripta quædam reliquit, quæ videntur Christum signare 398. b. septuaginta discipulos, & duodecim in his præcipuos delegit 511. b.
קנא vox Chaldæa facta ex κανωσσὼν 85. b.
Consolatio quid apud Thalmudistas 438. a. Consolatio Israel, quid ibid.
Constantinus l'Empereur castigatur, refellitur 443. b. sq.
Conuphidem in Ægypto audiit Eudoxus Cnidius 59. a.
Cornutus Græcorum mythologiam naturæ rationibus accommodavit 715. b.
Cotelerius (Joh. Bapt.) laudatur 243. a.
Crassetius (Joh.) laudatur 716. b.
Creditoribus tradendorum in nexum liberorum mos, unde ad Athenienses & Romanos pervenit 211. a.
Creta, cur Deos genuisse, artes invenisse, bona donasse dicta 118. a. sæpe Palæstinam exprimit 117. a.
Cretenses cum Palæstinis confunduntur 117. a. cur primi religionum auctores dicti 129. b. suilla abstinebant 162. b. Britomartis ædem nudis pedibus subibant 161. b. Cretenses & Lacedæmonii simillimis moribus & institutis usi 120. b. Cretensium legibus usi Spartani 120. b.
Christna, Christi typus apud Indos Coromandelenses 99. a.
Ctesias emendatur 128. a.
Cubar, vide *Cubar* 128. a. & *Chobar* 150. a.
Cuneus (Petr.) laudatur 695. a.
Curetes cur homines coegisse & mansuefeciisse dicti 118. a. cur ignis usum invenisse dicti ibid. cur oves coegisse, cicurasse pecudes, & mellificium docuisse dicti 118. a. cur saltatores fingantur ibid.
Cybele est Ceres 148. b. est Pandora ibid. cur ei tympanum tribuitur 152. a. sacra ejus fiebant nudis pedibus 161. b.
Cyclopia Labyrinthi Nauplienses 119. b.
Cymbalum alatum, quid 152. a.
Cyparissi casus, quem Apollini adscribit Ovidius, ad Sylvanum refert Servius 141. a.
Cyrene Aristæi mater cur Libyæ portionem legibus temperasse fingitur 127. a.
Cyrenius, vide *Quirinius*.
Cyrillus explicatur 307. emendatur 311. b. notatur 62. b. 84. a. 131. a. 304. b. 311. b. 358. b.
Cyrus mirabiliter ab Isaia prædictus 336. b.

D.

Dæmon est Apollo 142. b. 146. a.
Damis Ninivita scriptor subolestæ fidei 641. b. refellitur 642. a. ejus commentarios recognovit Philostratus, & in ordinem digessit 641. a. b.
Dan fons & rivulus 184. a.
Danaus & Cadmus primam Mosis notitiam Græcis tradiderunt 106. b. 136. b.
Daniel an fuerit Eunuchus 279. b. an Propheta 278. b. sq. unicus, an duo in libro Danielis memorentur 281. a. Hierosolymam rediisse, & Synagogæ magnæ interfuisse non videtur 281. a. 288. a. in Susiana videtur egregia ædificia extruxisse 280. b. in Susiana videtur obiisse 280. b. non est Belesis 279. b. per reguum ferreum, Romanorum designat Imperium 441. b. unde dictus Sacerdos 282. a. utrum Ecbatanis, an Susis insignem illam turrim extruxerit 280. a. b. eum erroris insimulare ausi sunt Judæi quidam 458. a. non tam ventura dixisse, quam præterita narrasse, jactabat Porphyrius 384. b. ei titulum Prophetæ invident Judæi 310. b. Danielis additamenta scatent Ebraismis 283. b. Danielis ædificia 280. a. Danielis ecquod caput Alexandro prælegit Jaddus 332. b. Danielis hebdomades septuaginta explicantur 442. b. sq. Danielis Liber cur partim Ebraice, partim Chaldaice, partim Græce scriptus est 283. a. hujus interpretatio Græca, Septuaginta Interpretibus adscripta, ψευδεπιγραφος esse videtur 282. a. Danielis Libri partes quo ordine fuerint sitæ 282. b. Danielis Librum Antiochi Epiphanis temporibus scriptum finxit Porphyrius 458. a. b. a Synagogæ magnæ viris compositum fuisse, falso asseverant Thalmudistæ 288. a. suppositicium esse contendit Porphyrius 286. a. Danielis Prophetiis cognitis Alexander Hierosolymitis tributorum partem remisit 286. a. Danielis reliquiæ concertationes Susis pepererunt 280. b. Danielis sepulchrum ibid. Danielis somnialia, liber suppositicius & impius 284. b. Latini hominis opus ibid.
Dardanus Arcas fuit 136. b. Cabyrorum mysteria Trojam attulit 137. a.
Dario Notho multa ad Mosem pertinentia adsumserunt Persæ 96. b.
דרשנים Scripturæ sacræ allegorias interpretabantur 712. b.

Digitized by Google

Dau literam Copti videntur habuisse a Macedonibus Alexandrinis 600. a.
David appellatur Christus 365. a. 371. b. 380. b. 383. b. 387. b. typus Christi 371. b. 701. a. b. ejus regnum, typus regni Christi 421. a. ejus nomen Jesu tribuitur 436. Propheta videtur dictus, non ob vaticinia solum, sed & ob psallendi facultatem 298. b. futurorum præscium fuisse, negabant Hæretici plerique 298. b. auctor partis cujusdam Librorum Samuelis creditur ab Isidoro 203. b. sacrorum Psalmorum numerum valde auxit 232. b. omnem musicum templi apparatum instruxit ibid. Davide prognati Principes per Europam semper extiterunt, juxta Judæos nonnullos 427. b. Davidis posteris summus honor habitus apud Persas, juxta nonnullos 427. a.
David, *El David* Pseudo-Christus 401. a.
R. David Ganz refellitur 217. b.
R. David Kimchi refellitur 570. a. 593. a.
Dea Syria eadem ac Rhea 150. b. Minervæ sive Veneris Victricis habitu exhibita 149. b. omnium Deorum species gerens 147. b.
Dee barbatæ 149. a. Deæ omnes fabulares unica Dea sunt 148. a. sunt Sephora 148. a. Deæ pleræque fabulares Mariam Mosis sororem referunt 151. b.
רבר גדול quid 713. a.
רבר קטן quid 713. a.
Decimarum apud Romanos origo 164. b. Deo offerendarum ritus ab Ebræis ortus est 161. b. Diis impertiendarum ritum Hercules Italis tradidit 137. a. Diis solvendarum ritus a plurimis usurparus 158. a. Decimas proventuum suorum Diis vovent Pelasgi 137. a.
Dei Coptica litera videtur esse Ægyptiacæ originis 600. a.
in *Delphico* templo perpetuus ignis ardebat 95. a.
Δημήτηρ, quasi γῆ μήτηρ 148. b.
Demetrius Judæus Mosis ac Judæorum ἀρχαιογονίαν demonstravit 61. a. ejus ætas 60. a. 61. a. liber de Judæorum regibus 61. a.
Demetrius Phalereus cum Demetrio Judæo perperam confunditur 59. b. Interpretationi a Septuginta Senibus procuratæ causam præbuit ibid.
Democritus ad comparandam divinarum rerum scientiam exilia potius quam peregrinationes suscepit 92. b. a Moscho doctrinam suam petiit 53. a. Canones Demonstrationibus oppositi 4. a. ex Columna Acicari sua descripsit 57. a.
Demonstrationis definitio 3. a. vocabulum, pro ἀποδείξει, purioris Latinitatis studiosis non probatur ibid. Demonstrationes oppugnaverunt Democritus & Sextus Empiricus 4. a.
Desanaus Hercules 199. a.
Desideratus gentibus, quis 395. b.
Desperati 41. a.
Deucalion Minois filius 118. b. Noachi typus 154. a. eum primum templa Diis constituisse ait Apollonius 114. b. pater ejus cur dictus Prometheus 115. b.
Deus absconditus 86. b. perfecte amari vult ab hominibus, aliqua ex parte cognosci, nullo modo sentiri 709. b. quid, juxta Thaletem 52. b. incertus Judæorum 67. a. Dei effigies nulla Romæ fuit centum & septuaginta prioribus Romani regni annis 53. b. Dei filii dici solent viri pii 87. a. Dei nomen multis ob virtutem tributum 36. b. Dei nomine ad aurem suam a Mose insusurrato, corruit mortuo similis Rex Ægypti 68. a. Dei simulacrum Romæ nullum fuit per multos annos 164. b. Deo ἀνωνύμῳ templum in monte Garizim exstructum 67. a. Deum unicum esse sæpe declararunt Poetæ veteres 146. b.
Deuteronomium, Legis totius breviarium 49. a.
Deuterosis Scripturæ sacræ ænigmata solvere studebant 712. b.
Dextræ Dei assidere, id significat, divinæ naturæ consortem esse 482. b.
Diana cur prius nata esse dicta est quam Apollo 71. b. cur viis & portubus præficitur 152. a. dicta, quasi Diva Jana 137. b. cur ei draconum volumina tribuuntur 152. a. cur ei sexaginta saltatrices tribuuntur ibid. πολύμαστος, eadem ac Ceres mammosa 150. a. πολυώνυμος 151. a.
Διάνοια quid 713. a.
Διάσια instituta in honorem Jovis μειλιχίου 86. b.
Didonis lectus aureus 182. b.
Dies initium in occasu Solis constituebant Ebræi & Græci veteres 71. b. Diem a media nocte inchoabant Ægyptii ibid. Diem nocte satam cur dixerit Hesiodus 51. a.
Diebs vox antiqua Germanica, quid sonat 103. a.
Dii ἐνόδιοι, qui 142. b. Græcorum plerique Mose recentiores sunt 175. a. habiti sunt ab Ethnicis, qui erga genus humanum benefici fuerant 36. a. b. homines invisere unde olim dicti & credit 160. a. in Libris sacris dicuntur Magistratus 37. a. Dii occidentalium gentium numinibus Græcorum recentiores sunt 175. a. Dii omnes, Deæque, apud Spartanos armis erant instructi 149. a. & sexum utrumque gerebant ibid. Dii omnes fabulares unus Deus sunt 144. b. 145. a. ab Ethnicis conficti, sunt Moses 144. a. Dii plerique alato capite & humeris pingebantur 85. b. Deorum Ethnicorum vis infracta est, ex quo Jesus coli cœptus est, Porphyrio teste 502. b. Deos quosdam ad Mosis exemplar a Phœnicibus & Ægyptiis confictos Græci sumserunt 106. b. Deos adversos videri nolle cur Ethnici crediderunt 155. b.
Diipoliorum celebrandorum ritum unde habuerunt Athenienses 163. a.
Diipotes, qui 154. a.
Diluvium Ethnicis notum 154. b. Ante Diluvium Asia excelsisse quemquam verisimile non est 58. b.
Diodas Hercules 199. a.
Diodorus Siculus explicatur 62. b. 176. b.
Diodorus Tharsensis refellitur 408. a.

Diogenes

Digitized by Google

Diogenes Babylonius fabularem historiam ad Physiologiam traduxit 715. b.
Dionysius Halicarnassæus refellitur 139. b.
Discipulorum Jesu claritas & gloria 557.
Dixi Cassiopæ uxor 98. a.
Divortii jus apud Romanos, unde 165. b.
Dius laudatur 209. b.
Domitianus cur Davidis reliquias extinguere conatus est 468. a. cur se Minerva natum finxit ibid. Messiæ dignitatem videtur affectasse ibid. sororem Flaviam Domitillam, patruelem Flavium Clementem, aliosque propter Christianismum vexat 42. b. ei interitum conflavit Clementis & Domitillæ calamitas 43. a.
Donec, non semper cessationem rei, sed ejus aliquando continuationem cum alterius interventu significat 416. a.
Dorotheus, auctor ψευδώνυμος libri de vitis Prophetarum, emendatur 294. a. castigatur 304. b. refellitur 296. b. 302. a. 304. a.
Dositheus Pseudo-Christus 400. b.
Drusilla cur post obitum Panthea dicta 151. a.
Drusius (Joh.) refellitur 443. b.
Dugbimi ignem perpetuum servabant & adorabant 95. a.

E.

עבר significat Trans & Cis 180. a.
Ebion Pauli epistolas repudiabat 23. a.
Ebionitæ probabant Evangelium secundum Ebræos, reliqua aspernabantur 26. b.
Ebræi acta diurna in litteras diligentissime referebant 207. b. a Diodoro Syri dicti 176. b. Ægyptiorum progenies a multis creditι 89. b. Indicum mare lustrarunt 99. b. Phœniciæ impietatis labe immunes se non præstiterunt 69. a. ritus plerosque ab Ægyptiis acceperunt 98. a. positivum usurpant pro comparativo 451. b. Ebræorum nullus serviebat 55. b. Ebræorum religionem Ethnici fabulis obsepserunt 69. b. Ebræorum ritus ad gentes universas manarunt 165. a. b. Ebræos cum Phœnicibus Scriptores posterioris ævi confuderunt 69. a. Epistola Pauli ad Hebræos scripta, vide *Epistola*. add. *Judæi*.
Ebraica lingua aliis linguis recentior a quibusdam credita 170. b. ea non est, quæ ante Babelicam confusionem vulgo usurpabatur 170. a. multum ab Assyria discrepabat 171. a. nihil aut parum discrepabat a Chananæa 170. b. quomodo passim disseminata 175. a. valde verecunda 358. a. unde dicta 172. a. ejus parens non est Assyria ibid. ei quidam nimis tribuunt 174. a. eam nihil ab aliis linguis sumsisse demonstrari non potest 175. b. Ebraicæ quædam voces in America 105. a. Ebraicæ linguæ veteris voces omnes nobis cognitæ non sunt 247. b.
Ebraice litera, earum origo 169. b. seq. Ebraici characteres hodierni ex Assyriorum & Chananæorum permistione conflati 176. a. Ebraicorum characterum usum invexit Esdras 176. a.
Ecclesia domus symbolo exprimitur 435. b. Ecclesiæ instauratio per Christum futura prædicitur 393. b. Ecclesiæ typus est regina Saba 701. b. Ecclesia Jesu a Prophetis prædicta 649. Ecclesiam Jesu veracem fore, a Prophetis prædictum est 653.
Ecclesiastis liber ab Hæreticis quibusdam rejectus est 245. a. a Judæis pene repudiatus est 244. h. cujus auctoris 243. a. cur Ezechiæ a Thalmudistis adscriptus 246. b. cur peregrinis vocabulis scatet 247. b. Ezechiæ adscribitur a Thalmudistis 249. b. multas sententias Ethnicis suppeditavit 244. a. eo Physices præcepta contineri volunt Scripturæ sacræ Interpretes 249. a. ejus scopus, quis 245. a.
Ecclesiasticus, ejus auctor, quis 245. a. Ebraice primum scriptus 256. a. ex Salomonis scriptis videtur excerptus 253. a. versibus scriptus fuit 253. b. concinnatus est a Jesu Sirachida 255. a. multas mutationes passus est 255. b. quo tempore Græce redditus 254. b. Salomoni a Patribus plerisque adscribitur 253. b. cur Salomonis esse negat Hieronymus 257. a. ei vim Legis tribuit Josephus 545. a. Ecclesiastici Interpres Latinus cur lacinioſam adeo interpretationem dedit 255. a. Ecclesiastici Ebraica exemplaria nupera unde orta 255. b.
Echa rabbathi refellitur 638.
Eclipsis notat sideris deliquium, tam ordinarium, quam extraordinarium 29. b.
Ἔκτασις, quid 706. b.
Egnatia ignis sacer sponte ignem corripere credebatur 156. a.
Ei Delphica inscriptio quid sibi vult 110. a.
אל, quid significat 487. a.
Elagabali lecti argentei 182. b.
Elcesaite Pauli epistolas rejiciebant 26. b.
Elcesi ubi sita 302. a.
Eldad Danita notatur 427. a.
Eleazarus Pontifex, auctor libri Josuæ creditus a nonnullis 188. a.
Elei ignem sacrum apud se lignum corripere & victimas absumere credebant 156. a.
Eleuthera urbs a Baccho condita 81. a.
Eliachimus Pontifex, auctor libri Judith creditus a nonnullis 218. b.
Eliacimus, Christi typus 562. a. 702. b. sq. gazæ regiæ custos 563. b. cur ei clavis domus David tribuitur 563. a.
Eliæ holocaustum igne cœlesti esse consumtum fassus est Julianus Apostata 209. b.
אליון, Elion Dei cognomen 352. b.
Elion Pater Cœli & Terræ 352. b.
Ἕλληνες dicuntur ab Helleniſtis, non Græci solum, sed & Ethnici omnes 37. b.
Emesa urbs soli sacra 73. b.
Emmanuelis nomen de Jesu prædictum 476. sq.
Empanda est Ceres 151. b.
Empedocles ad divinarum rerum scientiam comparandam exilia potius quam peregrinationes suscepit 92. b.
l'Empereur, vide *Constantinus*.
Enacai, sive Enaci filii, Inachidis nomen & originem dederunt 156. a.

Digitized by Google

Enocho cur affingitur Liber ejus nomine inſcriptus 116. b. Enochum Veteres Aſtronomiæ inventorem crediderunt ibid.
Ἐνυάλιος, Belus 155. a.
Enyo eſt Luna 150. a.
Ἕως non ſemper rei ceſſationem deſignat, ſed aliquando ejus continuationem, cum alterius interventu 416. b.
Epheſii magicarum artium ſtudiis infames 502. b.
Ephialtes eſt Pan 146. a.
Epicurus ratiocinandi artem & Mathematicas artes aſpernabatur 4. a.
Epimenides Cretenſis, Propheta 7. b. animam emittere & revocare dictus eſt 629. b. ſacrificiis poſt mortem a Cretenſibus cultus 629. b. eum plus quam quinquaginta annos dormiiſſe falſum eſt 629. b.
Epiphanius emendatur 48. b. notatur 83. a. 257. a. 325. a. b. 326. a.
Pſeudo-Epiphanius, auctor libri de Vitis Prophetarum, emendatur 279. b. 302. a. refellitur 294. a. 296. b. 302. a. 304. a.
Epiſtola ad Ebræos ab omnibus vetuſtis Eccleſiis ut germanus Pauli fœtus admiſſa, ſicuta Hieronymum 24. a. Græce primum videtur fuiſſe ſcripta 23. b. in Canonem admiſſa non erat a Latinis tempore Hieronymi 24. a. ejus Auctor olim controverſus fuit ibid. eam ab Hæreticis depravatam queritur Philaſtrius ibid. a Paulo compoſitam, a Luca ſcriptam cenſuit Clemens Alexandrinus 23. b. Paulo adſcribit Catholica Eccleſia 24. a. adſcribit etiam Origenes 23. b.
Epithalamiorum modum, formamque ex Cantico Canticorum ſumſerunt Ethnici 465. a.
Eraſmus (Deſid.) notatur 122. b.
Erebum Heſiodus ex Moſis verbis confinxit 51. a.
Erem Pamphylum, Harmonii filium, ad vitam rediiſſe falſum eſt 630. a.
Ἐρμῆς unde ſic dictus 75. a. Ἑρμοῦ ὄπιον in Bithynia, unde ſic dicta 101. a.
Erycini ignem ſacrum apud ſe ſponte lignum corripere, & victimas abſumere credebant 156. a.
Erythras Perſei filius 126. a. Rhadamanthyos filius ibid.
Eſau, typus perduellium Eccleſiæ 390. a.
Eſca omne eſculentum ac potulentum ſignificat 610. b.
Eſdræ liber, cujus auctoris & ætatis 213. b. Eſdræ libri initium & Paralipomena ſunt unius Auctoris 211. b. Eſdræ libri initium incerti eſt Auctoris 211. b. 213. b.
Eſdras, vir doctiſſimus, legis peritiſſimus 320. b. ſq. auctor libri Joſuæ creditus eſt a nonnullis 188. a. auctor libri Judicum creditus eſt a nonnullis 200. b. auctor libri Ruth creditus eſt a plerisque 203. b. in libros ſacros nonnulla inſarſit 183. b. 187. b. 191. b. 192. b. 193. a. Librorum Regum auctor creditur a nonnullis 207. b. librum Proverbiorum in ordinem digeſſit 240. b. Paralipomenon auctor creditur ab Ebræis 211. a. 212. a. Pſalmorum numerum determinavit, eorumque volumen in Canonem dedicavit 233. b. quo ſenſu dici poteſt Judaicas literas reperiſſe 176. a. ſcripturam ſacram reparavit 321. a. 323. b. eam in varias lectiones diſtinxit, octodecimque locis emendavit, juxta Rabbinorum opinionem 323. a. eum libros ſacros penitus conſumtos reparaſſe multi crediderunt 187. a. videtur libros Regum ex vetuſtiorum Scriptorum commentariis excerpſiſſe 207. b. 208. b. ejus ſepulchrum 214. a.
Eſmunus idem qui Æſculapius 148. b. quid ſignificet 112. b. Eſmuno evirato vim genitalem reſtituiſſe fingitur Aſtronoe 148. b.
Eſſæi Judæi 67. a.
Eſtheræ liber cur potiſſimum ſcriptus 222. b. opus eſſe videtur Synagogæ magnæ ibid. ejus Auctor controverſus 222. a. eum magna ex parte interpretatus eſt Lyſimachus 223. b. interpretatio ejus cujus Auctoris 224. a. eſt lacinioſa 224. a. b. ſex poſtrema illius capita unde prodierint 224. a. ea interpretati ſunt Septuaginta Senes ibid. Eſtheræ hiſtoriam eſſe fictitiam arbitrantur Anabaptiſtæ 223. a. qualis habetur ab Ebræis, Dei nullam habet mentionem 249. b.
Et, non ſemper copulam ſignificat 277. b. nonnunquam libris præfigitur ibid.
Ethan Ezrahites alter ab Ethane Levita 235. a.
Etymologica ars valde lubrica 174. b.
Etymologicum magnum refellitur 85. b.
Eve typus eſt Ate 154. a. & Pandora ibid.
Evander idem ac Saturnus 146. a. cur æquiſſimus, ſapientiſſimus, & fortiſſimus fuiſſe dicitur 143. b. ſq. cur agriculturam Italos docuiſſe dicitur 141. b. cur Arcas fuiſſe dicitur ibid. cur futura noſſe dicitur ibid. cur inter Deos relatus 142. a. cur Italis leges dixiſſe fertur 141. b. Italos literarum uſum, & muſicorum quorundam inſtrumentorum docuit 137. a. cur Italos Muſicam docuiſſe fertur 141. b. cur literas dictus eſt transtuliſſe in Italiam ibid. cur Italos ad artes plurimas inſtituiſſe fingitur ibid. cur Mercurii ac Themidis filius eſſe fingitur ibid. Mercurii & Panis cultum in Italiam invexiſſe fingitur 137. a. 110. b. 142. a. cujus fabulæ origo aperitur 142. a. cur regnum tenuiſſe dicitur 142. a. cur religionum ceremonias in Italia fanxiſſe fingitur 142. a. in Italiam veniens, perperam a Fauno Aborigiuum rege exceptus fingitur 139 b. Italorum mores legibus latis manſuefecit 137. a. nullus fuit 142. a. primus Herculem ut Deum coluit 141. b. ejus nomen quid ſonet 141. b. Moſi congruit ibid. ejus mater Carmenta cur Ladonis fluvii filia fingitur ibid.
Evangelia plurima olim circumferebantur 25. a. b. Evangelia ſua totius Eccleſiæ communia eſſe voluerunt quatuor Evangeliſtæ 608. a. Evangelii promulgatio a Prophetis prædicta 655. Evangelium ſecundum Ebræos probabant Ebionitæ 26. b.
Euclides notatur 11. a. 12. a. 17. b. 18. a. παραλογισμῶν accuſatus 18. b.
Eudoxus Cnidius Conuphidem in Ægypto audiit 59. a. ex Columnis Mercurii Philoſophiam arripuit

Digitized by Google

arripuit 54. b. 59. a. refellitur 90. b.
Eubemerus ex quibus commentariis historiam suam compilavit 196. b.
Evilmerodachus Ethnicis celebratus 209. b.
Eulogius eos damnavit, qui alteri quam Christo Jesu addicerent prædictionem Deut. 18, 15. & seq. 343. a.
Eumolpus cur a matre infans in mare dejectus & a Neptuno exceptus, in Æthiopiam delatus esse, & apud Thracum regem exulasse, eique in regnum successisse fingitur 134. b. cur Herculem fidibus docuisse dicitur 134. b. cur Herculem initiasse fingitur Eleusiniis ibid. cur Herculem purgasse dicitur cæsi Centauri crimine ibid. cur Musices & Philosophiæ peritus fingitur 135. a. cur Neptuni filius dictus ibid. cur pastor fuisse fingitur ibid. cur Thrax ab aliquibus dictus 134. b. cur Tiresiæ opera victus ab Athenienſibus fuisse fingitur 135. a. Eumolpos duos quidam faciunt ibid.
Eunapius Pythagoricis opinionibus imbutus 646. a. notatur 641. a. 646. a.
Evæ, & *Evan*, & *Evantes*, & *Evius*, unde dicantur 82. b. sq.
Eupolemus historicus, idem qui a Juda Macchabæo ad Romanos missus est 60. b. inter Græcos positus a Josepho, quem Hieronymus Judæum fuisse docet 60. b. qua ætate vixerit ibid. quo tempore historiam suam scripserit ibid. notatur 61. a. refellitur 77. a.
Europa eadem ac Astarte 151. a. eadem ac Luna 150. a. Asterio nupsit 117. b.
Eurypilus unde post visum Bacchi simulacrum in Arca Trojæ reperta, ceritus extitisse fingitur 207. a.
Eusebius defenditur 39. a. emendatur 32. b. 118. b. explicatur 85. a. notatur 41. a. 144. b. refellitur 57. b. 130. b. 172. a. 281. a. 408. b.
Eustathius allegoriis scatet 715. a. refellitur 122. a. b. 128. a.
Euthymius refellitur 392. a.
Ἐξωτικοὶ 474. a.
Ezechias, auctor libri Judicum creditur a nonnullis 200. b. autor libri Ruth creditur a nonnullis 203. b. Messias habitus a Judæis quibusdam 438. b. ei adscribitur liber Ecclesiastes a nonnullis 243. a. 249. b. ei ipsiusque familiaribus Canticum Canticorum adscribunt Thalmudistæ, cujus ratio affertur 248. b. 249. b. Ezechiæ viri, de quibus Prov XXV, 1. qui 239. b.
Ezechiel, ejus genus, parentes, patria, ætas, res gestæ, obitus, sepulcrum 274. a. b. idem, qui Zarathus Pythagoræ præceptor merito creditus a nonnullis 274. b. Pythagoræ notus fuisse videtur 275. a. a quo tempore annos computat 277. b. eum cum Zoroastre quidam confuderunt 91. b. Ezechielis & Zoroastris acta comparantur 275. a. b. Prophetiæ ei adscriptæ quis auctor 276. a. caput ejus tricesimum primum ante scriptum, quam quartum Danielis 276. a. nomen ejus cur Psalmo sexagesimo quarto cum aliis præfixum 277. a. sententiæ ejus quædam Mosis effatis videntur repugnare 277. a. vaticinia ejus omnia scripta non sunt, neque hoc quod habemus volumine continentur quæcunque ab eo scripta sunt 278. a. duo Prophetiarum volumina falso edidisse fertur 276. b. volumen, manu ipsius descriptum, extabat Benjamini Tudelensis temporibus, si huic creditur 274. b. Ezechielis liber a Synagogæ magnæ Magistris emendatus, descriptus, & publicatus 278. a. distinctus olim fuit in duas partes 276. b. ejus lucubrationem viris Synagogæ magnæ adscribunt Thalmudistæ 278. a. eum rejicere cogitarunt Rabbini 277. a.
Ezekieli poetæ ætas 60. a. eum de numero Septuaginta Interpretum fuisse credunt quidam 60. a.

F.

F*Aber* (Tan.) refellitur 35. b.
Fabulæ Græcorum ex Mose depromptæ 153. b.
Fabulari persone uni & eidem diversæ significationes insunt 153. b.
Fagius (Paul) refellitur 255. b.
Far cur sacrificiis adhibitum 163. a. non nisi tostum in sacrificiis Romani adhibebant 164. a.
Farina & vino sacra fiebant Romæ, tempore Numæ 164. b.
Fatuellus Deus idem ac Pan 146. a.
Fatuus Deus idem ac Pan 146. a.
Fauna eadem ac Maja 140. a.
Faunus idem ac Moses 139. a. idem ac Ephialtes 139. b. idem ac Fatuellus ibid. idem ac Fatuus ibid. idem ac incubo ibid. idem ac Inuus ibid. Idem ac Mercurius 140 a. idem ac Pan 139. b. idem ac Silvanus 140. b. Bacchi comes 139. a. cur Ægyptios locupletasse fingitur 140. a. cur Astronomus fuisse fingitur ibid. cur cives suos mansuefeciſſe fingitur 140. b. cur fratrum insidiis appetitus in Ægyptum fugisse, ibique regnasse fingitur 140. a. cur Faunam Fatuam sororem duxisse fingitur 139. b. cur Magus fuisse dicitur 140. a. cur oracula post mortem edere dictus 140. b. cur prudens dictus 140. a. cur primus fanorum auctor dictus 140. b. cur religionum institutor dictus ibid. cur rex fuisse fingitur 140. a. cur vafer, disertus, Philosophus, & futurorum præscius fingitur 140. a. fatidicus 139. b. metallorum fundendorum auctor 140. a. omnes formas induere fingitur 140. b. Panicorum terriculorum auctor 139. a. per Evandrum in Italia cultus est 139. b. Fauni sacra primus in Italiam intulit Evander ibid.
Fermento abstinebant Flamines apud Romanos 164. a.
Fides per scientiam, tanquam per extraneum adminiculum, gignitur in nobis, nutritur & defenditur 6. a. Fidem, sine qua Deo placere non possumus, solius gratiæ Christi ope consequimur 5. a. Fidei alicujus necessitatem in Philosophia & rebus civilibus Plato agnoscit ibid. Ne fidem aspernaremur, rationem nostram Deus excœcavit 5. b.

Digitized by Google

Filia ἐπιλήψεως gentili suo nubere jubebatur legibus Atticis 163. a.
Filii Dei appellantur viri pii 87. a. præcipue vero qui præter pietatem sunt mansueti 87. a. 117. b. dicuntur optimates 117. b.
Filius Dei cur ad dextram Dei sedere dicitur 482. b.
Flamini Dialis mortuum tangere vel aspicere non licebat 165. a. Flaminum pilea unde originem duxerunt 165. a.
Flaminicæ uti non licebat veste lana & lino contexta 165. a.
Flavia Domitilla, Domitiani soror, propter Christianismum in exilium acta 42. b.
Flavius Clemens, Domitiani patruelis, propter Christianismum sævitiam Cæsaris expertus ibid.
Fœderum per hostiarum sectionem pangendorum ritus unde ortus 161. b.
Fortis Dei cognomen 360. a.
Foveam excavare quatenus liceret apud Romanos 165. b.
Freculphus notatur 400. b.
Fulgentius Planciades allegoriarum mythicarum allegorias explicavit 715. b.
Fundum avitum alienare vetabat Locrensium lex 162. b.
Funeribus interesse cur vetabantur Pythagorei & Sacerdotes Græcorum 162. b.
Furem nocturnum interficere licebat legibus Athenienſium 163. a.
Futura significari a natura stolidum est credere 36. b. Futurorum præsensionem a Deo detraxerunt Epicurei, & Marcion. 15. a. & Aristoteles ac Peripatetici 15. b. Futurorum vates, præsensionem eorum a Deo sibi immitti putabant 16. b.

G.

גדר, quid 446. a.
Gaditanæ columnæ ex auro & argento conflatæ 57. a.
Gaditanum Herculis Templum eximium 157. b. trabibus, non saxis constabat 157. b. eo sues arcebantur 157. b. Phœnicio ritu colebatur 158. a. Herculi Tyrio condiderunt Phœnices juxta nonnullos; Ægyptio, juxta alios 199. b. Gaditanorum Herculis Sacerdotum ritus 157. b.
Galeni de Mose & Judæis testimonium 65. a.
Galgal & Golgatha, voces ejusdem originis 700. b.
Galazora, Christi in sancto Eucharistiæ sacramento delitescentis typus 99. a.
Galli cum Romam ceperunt, multa veterum templorum monumenta aboleverunt 143. a. Mercurium maxime coluerunt 103. a. eorum sacra apud Britannos deprehensa 103. b.
Galli Syri cadavere conspecto lustrabantur, antequam templum subirent 157. b. consanguineos mortuos per triginta dies lugebant, nec nisi raso capite in templum intrabant ibid. post sepultum aliquem templo per septem dies abstinebant 157. a. eorum ritus quidam Mosaicis consimiles sunt ibid.
Gallica vetus lingua Armoricæ hodiernæ & Britannicæ veteris fons 103. a.
Gautherius (Joh.) notatur 7. a.
Gaza Minoa dicta 117. a.
Gebal, regio sub Libano 284. b.
R. *Gedalias* emendatur 72. b.
Gedeon, Hierombalus 50. b. 70. a.
Gehennæ nomina septem 617. b.
Γενὰ, quid 129. a.
Genebrardus refellitur 317. b. 327. b. 406. b.
Γενικὰ τῇ ἑρμῇ, quid 57. b.
Genitalis est Venus 150. b.
Genius cur albus & ater ab Horatio dictus 108. b. est Sol 139. a. vultu mutabilis ibid.
Geographica Mosis, ejus vetustatem indicant 156. b.
Geometræ ea definiunt & considerant, quæ neque sunt, neque humana industria esse possunt 8. b. ea definiunt, quæ neque imaginari, neque animo percipere possumus 8. b. 9. b. Geometrarum Definitiones multiplici vitio laborant 8. b. 9. b. 10. b. infinitæ altercationes 17. a. Postulata a Sexto Empirico confutata 17. a. Postulata iniqua 11. b.
Geometria laudatur 19. a. ejus principia a multis in dubium vocata sunt 4. b. Geometriam & Mathematicas artes falsas esse docebat Epicurus 4. a. imperfectam esse geometriam docebat Zeno Epicureus ibid.
Geometrica principia ab Apollonio demonstrata, ac proinde pro principiis ab eo non sunt habita 17. b. certiora non sunt moralibus quibusdam principiis 19. b. debent esse *ἐναπόδεικτα* 17. b. pauciores assentientes habent, quam principia quædam moralia 4. a. repudiant Academici & Sceptici 4. a. pleraque, præter ea, quæ assumsit Euclides, desiderari Geometræ quidam tradiderunt 17. a. Geometricorum Axiomatum incertus numerus 17. b. Geometricorum Postulatorum & Axiomatum discrimen controversum 17. a.
Georgius Syncellus notatur 50. b. refellitur 57. b.
Germani cur sic dicti 103. a. virgis sortes ducebant 102. b. Mercurium impense coluerunt 102. b. templa & simulacra Deorum an habuerint ibid. unde Theutoni dicti 103. a. tempora noctium computabant, non dierum 102. b.
Germanicæ linguæ & Græcæ vocabula multa communia sunt 175. a. Germanicæ linguæ & Persicæ vocabula multa communia sunt 175. a.
Geryon cur tricorpor dictus 198. a. ejus boves cur abegisse dicitur Hercules ibid.
Γέρων, Senem & Senatorem significat 284. a.
Gigantes 154. a. cur adversus Jovem, & Osiridem, & Herculem bella gessisse dicuntur 198. a. cur in bello adversus Deos terrore perculsi finguntur ibid. cur *πολυπνεύματοι* finguntur ibid. sexto Geneseos capite memoratos, sine patribus natos plerique crediderunt 466. b. Gigantum ac Titanum fabulam ab Ægyptiis Græci acceperunt 107. a. Gigantum bellum adversus Deos typus ædificationis turris Babelicæ 154. b.
Γίγγρου, tibiæ genus 79. a.
Gingras est Adonis 79. a.

Digitized by Google

Glabrio propter Christianismum Domitiani fævitiam expertus 42. b.
Gnostici libros multos supposuerunt, & falsis nominibus inscripserunt 96. b. negabant in Psalmis haberi prophetias de Christo 345. a.
גג, quid 344. b.
in *Golgatha* arietem ab Abrahamo immolatum fuisse Judæi tradunt 695. b. Golgathæ montis pars excisa est, ad extructionem templi superimpositi 623. b.
Goropius Becanus notatur 174. b.
Græca lingua a magna Ægypti parte, ac maritima præsertim, usurpabatur 317. a. Græcæ linguæ & Germanicæ vocabula multa communia sunt 175. a.
Græcanicæ Theologiæ fons Ægyptus 167. b.
Græci Ægyptiorum discipuli 52. a. 83. b. Ægyptiorum narrationibus mirifice capiebantur 167. a. a Phœnicibus literarum characteres acceperunt 176. a. characteres ex Samaritanis detorti ibid. characteres Samaritanorum similes ibid. chronologiam ad mythologiam accommodarunt 135. a. condiscendæ Philosophiæ gratia sæpe in Ægyptum commearunt 83. b. illustres quosque Ægyptiorum Deos ac Heroas sibi sumserunt 107. a. natales suos ad Deos referre solebant 200. a. Persicam & Ægyptiam linguam facile condiscebant 167. b. per Phœnices & Ægyptios Ebraica religione imbuti 69. b. primævæ rerum originis notitia a Phœnicibus & Ægyptiis imbuti 106. a. ritus suos plerosque, leges, & historias a Mose sumserunt 156. a. b. sacrorum librorum quomodo notitiam habuerint 166. a. semper pueri, nunquam senes 106. a. veram historiam fabulis infuscarunt ibid. historiæ veteris ignari ibid. Græcorum & Ægyptiorum crebra fuere commercia 167. b.
Græcie urbes omnes ignem perpetuum servabant 95. b.
Grammaticam a se repertam Ebræis tradidisse Mosem, Ebræos Phœnicibus, Phœnices Græcis, quidam affirmarunt 77. a.
Gregentius refellitur 261. b.
Gregorius Abulpharagius. vide *Abulpharagius.*
Gregorius Nyssenus notatur 235. b.
Grœnlandos veteres inter & Norwegos florens olim commercium gravi pestilentia solutum est 104. b.
Grotius notatur 397. b. refellitur 103. a. 122. a. 188. a. 220. b. 243. a. 247. a. 298. a. 324. a. 336. b. 344. b. 362. a. b. 367. b. 370. a. 372. a. 375. a. 376. b. 378. b. 380. b. 384. a. 385. b. 387. b. 388. b. 391. a. 392. b. 396. b. 397. a. b. 404. a. 435. b. 442. a. 451. a. 478. a. 488. a. 588. a. 595. b. 603. b. 638. b.
γυνὴ etiam de virgine dicitur 469. a.
Gustavus Persarum rex acceptam a Zoroastre religionem in Perside propagasse dicitur 90. b.
Gwodam. vide *Wodan.*

H.

Habacuc geminus fuit, Danielis obsonator, & hic cujus Prophetiæ extant 288. b. 305. b. seq. Danielis obsonator, fuit de tribu Levi 288. b. cujus Prophetiæ extant, fuit de tribu Simeon 289. a. ejus ætas 305. a. patria 304. b. liber apocryphus, quis 282. a. 306. a.
Hackspan (Theod.) refellitur 481. b.
Hadrianus Imperator Templa sine Idolis, Christo consecranda extruxit 44. a. templa nomini suo condidit ibid. ejus rescriptum de Christianis 40. b. Hadriani Templa dicuntur ea, quæ Christo Jesu Hadrianus extruxerat 44. a. ei afficta miracula, commentitia sunt 504. b.
Hagiographa duplicis modi 219. a.
Halonius Pœnis Deus dicitur 352. b.
Hannibal cur buculam auream Junoni Laciniæ conflavit 196 b.
Hazael Syriæ rex divinis honoribus cultus apud Damascenos 209. b.
Hebdomadum intervallis tempora distinxerunt olim gentes multæ 159. a. 165. a.
Heber, unum e nominibus Mosis 72. b. eum Babelicæ conspirationis participem non fuisse, gratis dicitur 172. b. Hebri fabula unde orta 156. a.
Hecataeus Abderita falso scripsit, nullum Oratorem vel Poetam, vel Historicum, Ebraicæ Legis meminisse 68. b. eum religionem Judaicam amplexum esse, vel librum ejus de Judæis esse suppositum, falso suspicatus est Herennius Philo 59. a. ejus liber de Abrahamo videtur pars fuisse libri ejus de Judæis 58. b.
Hegesippus ψευδώνυμος notatur 400. b.
Helcias Pontifex Pentateuchum, an Deuteronomium solum in domo Domini repererit 48. a. librum legis, Mosis manu scriptum, unde ereuerit 327. a.
Helladius Besantinous Mosem Alpha dictum fuisse scripsit 67. b.
Hellanico cognitæ scriptiones Mosis 54. b.
Hellenistæ Ægyptienses 529. a. fere omnes Ebraicæ loquelæ satis rudes erant 251. a. 317. a. Hellenismi non accurate periti erant 225. a. libris ex aliena persona lucubrandis industriam suam exercebant 238. b. eorum loquela & stilus impurus 35. a.
Helvidius adulteratum esse Lucæ Evangelium opinabatur 469. b.
Hemisphærium, sive Scaphe, quid 125. a.
Henricus Archiepiscopus Dublinienſis ignis perpetui alendi ritum a Kildarienſibus virginibus servatum sustulit 95. b.
Heraclidarum amplissima familia 200. a.
Heraclidis Pontici Homericæ allegoriæ 715. a.
Hercules idem ac Josue 194. a. Samsonis typus 202. b. idem ac Sol, juxta Græcos 195. a. idem ac Saturnus 146. a. idem ac Mars ibid. idem ac Melicerta 199. a. idem a Thasiis & a Tyriis cultus 197. a. quot fuerint 198. b. seq. an tantum unicus 198. b. Ægyptium, cur Veteres Chona appellaverunt 199. b. Alexicacus 197. a. κλήμων 197. a. Astrologus 195. a. Conservator 197. a. Defensor ibid. Defanaus 199. a. Dipdas 199. a. Idæus, Παραστάτης 195. b. Ἰπποπόνος 197. a. Comes, custos 197. a.

Κερυ-

Digitized by Google

Κορυκαῖον 197. a. Magnus custos ibid. Musarum 195. b. Μυσαγέτης ibid. Ophiuchus 197. b. Πεδιμαχος 195. b. Cur Ἐπιτὸ a Thasiis cur dictus 197. a. cur Acheloum fracto cornu domuisse fingitur 197. b. cur ad ripam Rhodani pugnans imbre lapideo a Jove adjutus fertur 194. b. cur adversus Antæum cum filiis Abrahami profectus esse fingitur 195. b. cur adversus Indos & Æthiopas bella gessisse dicitur ibid. cur Ægyptius dictus 194. b. cur anguem ad Sagarim fingitur extinxisse 197. b. cur Antæum in Africa vicisse fingitur 199. b. cur Antæo devicto coronatus dicitur fuisse a Mercurio 195. b. cur arcum fertur in Solem intendisse 195. a. cur arma a Mercurio, Apolline & Vulcano accepisse dicitur 195. a. cur Atlantis oneri succesisse fingitur ibid. cur Cadmo oriundus & Thebis natus fingitur 199. a. b. ejus canis cur purpuræ repertor fingitur 195. a. ejus clava cur repullulasse dicitur 198. b. cur Cretensis dictus 195. a. ejus cultum Cadmus in Græciam intulisse cur dictus est 199. b. cur Diis adversus Gigantes opem tulisse dictus 194. b. cur Diis duodecim post debellatos Gigantes aras erexisse fingitur 198. b. cur Draconem, Hesperidum mala servantem, interfecisse fingitur 197. b. cur Eurystheo obtemperasse fingitur ibid. cur fontem dicitur reperisse 198. b. cur Geryonis boves dicitur abegisse 198. a. cur Hesperidum mala decerpsisse dicitur 198. a. cur Idæus dictus 18. a. 195. b. Indicus cur Belus cognominatus 198. b. cur Indos bello appetiisse dictus 194. b. cur Jovi Ἀποµυίῳ in Olympia sacrificare dictus 197. a. cur Lernæam Hydram contudisse dictus est 197. b. cur Magus & præstigiator fingitur 195. a. cur eum Μάλικα Amathusii appellant 199. a. cur Mercurii socius fingitur 195. a. cur Mercurio clavam post cæsos Gigantes consecrasse traditur 198. b. Hercules, Mercurius & Silvanus, cur σύναοι fuerunt 141. a. cur multiplex fuisse fingitur, cum unicus fuerit 199. b. cur multos Neptuni filios & nepotes domuisse fingitur 198. a. cur Olbio fluvio alveum excavasse fingitur 197. b. cur Osiridis copiis præfectus fuisse fingitur 195. a. cur Osiridis exercitum duxisse dicitur 81. a. cur Philosophus eximius fuisse fingitur 195. b. cur Prometheum vinculis Caucaseis exemisse narratur 197. b. cur serpentes in cunis elisisse fingitur 197. b. ei sitienti cur flumen e terra erupisse fertur 198. b. cur Tempe & Stymphali paludes fertur exsiccasse 197. b. cur trinoctio genitus fingitur 195. a. cur Tyrius fuisse fingitur ibid. cur Vates & rerum naturalium peritus fuisse fingitur 195. b. ex Ægypto venit in Græciam 167. a. Italis ritum decimarum Diis impertiendarum tradidit 137. a. Creticus & Thasius Tyri templum habuerunt 197. b. 199. b. ejus statuæ cur in triviis 195. b. ejus fabula ex Jobi historia multa depromta habet 229. a. ejus historia fabulosa 199. a. nulla ejus effigies fuit in Gaditano templo 196. a. ei casum Jonæ a ceto absorpti tribuunt Græci 297. b. seq. ei Iromus Tyri rex statuam primus posuit 196. a. Herculi vespere & mane sacra fiebant ad ritum jugis sacrificii 164. b. Herculis & Omphales fabula unde orta 202. b. Herculis Tyrium templum quando conditum 199. b. Gaditanum templum 157. b. in Herculis Gaditano templo ignis perpetuus ardebat 95. a. Herculi Tyrio Gaditanum templum condiderunt Phœnices, juxta nonnullos; Herculi Ægyptio, juxta alios 199. b. Herculi Tyrio primitiæ & decumæ a Carthaginensibus missæ 158. a.

Herculis Columnæ, vide *Columnæ*.

Hermæ capite tantum & pene constare dicebantur 111. b.

Herman & *Irmin* Germanis est Mercurius 102. b.

Hermanubis, Hermathena, Hermeracla, Hermeros, Hermopan, unde dicti 147. b.

Hermathena, 149. a.

Hermippus adscriptos Zoroastri libellos explanavit 96. a. refellitur 90. b.

Hermodorus Platonicus refellitur 90. b.

Hermontimum Clazomenium ad vitam rediisse falsum est 629. a. b. ejus templum ingredi non licebat mulieribus 629. b.

Herodes Ascalonita Herodianorum, a quibus Messias habebatur, sectam de se vocabulum habere passus est 490. b. Judæis prognatus fuit, non extraneus 409. b. Herodis παιδοκτονία a Prophetis prædicta 477. Herodis sævitiam adversus infantes, ipsiusque filium, memorabili dicto Augustus prosecutus est 28. a.

Herodianus emendatur 150. b.

Herodotus explicatur 199. b. refellitur 159. a.

Hesiodus magnam Græcanicæ Theologiæ partem excogitavit 106. a. multa habet ex Mose depromta 51. a.

Hesperidum mala cur ab Hercule dicuntur esse detracta 198. a.

Hesychius refellitur 85 b.

Hevæi in Græciam Cadmo duce profugerunt, a Josua patria sua depulsi 197. b.

Hiberni ignem perpetuum servabant 95. b.

Hierocles auctor φιλαλήθους λόγου, scriptor eruditus, sed parum verax 644. a. Christianos suppliciis & scriptis vexavit 641. b.

Hieroglyphica scribendi ratio ab Ægyptiis ad Sinas videtur manasse 100. a. Hieroglyphicæ inscriptiones pleræque, parietinis Ægyptiis insculptæ, supersunt ad hunc diem 56. a. b.

Hierombalus idem qui Gideon 50. b. 70. a. 203. a. Sanchoniathonis æqualis 50. b. 203. a.

Hieronymus Chaldaïci sermonis fuit satis rudis 219. b. incola Bethlehemiticæ speluncæ, in qua natus est Christus 28. a. defenditur 38. a. explicatur 181. b. 257. a. 600. a. 175. a. 211. b. 218. b. 235. a. 241. b. 258. a. 269. a. 280. a. 282. a. 283. b. 295. b. 312. b. 314. a. 360. b. 603. a.

Hierosolymæ solum fere est ὑπόπεδον 625. a. b. 622. a. Hierosolymitani templi eversio a Prophetis prædicta 686. Hierosolymitanum excidium a Prophetis prædictum 333. a. 458. b. 685. a. b. Hierosolymæ & Hierosolymitani templi

Digitized by Google

templi instaurandi spes omnis Judæis ademta 686.
Hilarius notatur 235. a.
Hippolyti fabula unde orta 156. a.
Hircus ἐπισκομπώδης, typus Jesu 612. a. 698. a.
Hispani Mercurium coluerunt 104. a.
Histiæus Milesius historiæ Phœniciæ scriptor 68. a.
Historia quid 7. a. diversas narrationes congerit, prout rerum postulat varietas, nulla quæsita argumentorum commissura 35. a. propria est rerum earum, quibus interfuit is, qui narrat 7. a. ordinem temporum, non rerum persequi solet 35. a. verax, quæ 13. a.
Hobbesius (Thom.) refellitur 190. b. 206. a. 288. a. 293. b. 306. a. 307. b.
Homerus a plurimis Ægyptius habitus est 51. a. Aristeæ Proconnesii discipulus habitus est a nonnullis 51. b. Græcanicæ Theogoniæ fere architectus 51. a. b. 106. a. Græco legis nomine usus non est 106. a. multa habet ex Mose depromta 51. a. studiorum causa Ægyptum petiit 51. a. explicatur 118. b. ejus poemata δι' ὑπονοίων jam olim explicabantur 712. b. ejus præceptor Aristæas, juxta nonnullos 128. a. Homeri & Hesiodi scriptis nullum antiquius habent Græci 51. a. Homericis temporibus res naturales, morales, politicæ & aliæ quævis, fabulis implicari solebant 715. a.
Homicidio admisso, cujus ignorabatur auctor, totum vicinæ civitatis populum purgari jubebant leges Atticæ 163. a.
Hominem luto fictum, & Dei similem esse, Græci sentiebant 154. a.
Honorius Augustodunensis notatur 200. a. 317. b.
Horæ nascentem Mercurium exceperunt & aluerunt 75. b.
Horatius explicatur 108. b. 210. b.
Horologium Achazi 125. b. Mosis, juxta Apionem 125. a. Rabbinicum 125. b.
Hortus, quid 112. a. Hortorum Deus cur Priapus dicitur 112. a. cur Venus Dea 112. b.
Hycsos Ægyptio vocabulo dicti Israelitæ 75. b.

I.

JOta in Codicibus manuscriptis productum & bene longum pingebatur 595. a.
Jacobi ἀδελφοθέου cædes caussa fuit, juxta Josephum, cur Deus Hierosolyma exscinderet 30 b.
Jacobi Epistola dubiæ olim fuit auctoritatis 24. a.
Jacobi nomine signatur Christus 365. b.
Jacobi prædictio de Christo clarissima Origeni visa 342. b. de Christo explicatur 406. a.
Jamblichus Chalcidensis, Porphyrii auditor, librum suum de mysteriis Ægyptiorum decerpsit ex columnis Mercurii 67. a. laudatur 15. b. emendatur 53. a.
Jamchil, unum e nominibus Mosis 72. b.
Jana, Luna 137. b.
Janus idem ac Anubis 146. a. idem ac Apollo Didymeus 108. b. idem ac Jupiter 137. b. idem ac Mars 146. a. idem ac Mercurius 138. a. b. idem ac Mose 137. b. idem ac Sol 137. b. Solem & annum notat 153. b. idem ac Vertumnus 146. a. Noachi effigies 154. a. nomen ejus unde factum 137. b. cur agrestes homines mansuefeciisse dicitur 137. b. cur aquam de rupe elicere fingitur 155. b. cur bifrons pingitur 108. b. 137. b. cur Dæmon dicitur 137. b. cur Camesen sororem duxisse fingitur 137. b. ex ejus æde erupisse aquæ bello Sabino cur finguntur, multosque hostes obruisse 138. b. cur exhibebatur, baculum tenens quo saxum percutere, & ex illo aquam educere videbatur 138. b. cur Græcæ & Latinæ linguæ peritus fingitur 137. b. numismata ejus cur navim prætulerint 138. b. cur præteritorum & futurorum providus fingitur 138. a. cur rex fuisse fingitur 138. b. cur viam pandere ad Deorum audientiam fingitur 138. a. cur Italorum legumlator fuisse narratur 138. b. cur θυρεώτης dicitur 138. a. viis præest 138. a. Janus Patulcius & Clusivius 138. a. Janus nullus unquam fuit 138. b.
Jao, supremus Deorum 144. b.
Japetus est Japheth 154. b.
Japhethi typus Neptunus 154. b.
Japonenses Ægyptiaca multa habent 99. b. idola colunt bubulo capite, quædam etiam canino 100. b. Mosaica multa habent 99. a.
Jarbas Getulus, ignis cultor 95. a.
ירכה quid sonat 97. a.
Jared dictus Moses 72. b.
Jason Cyrenæus Græce scripsit 316. b.
Idæi & Judæi sæpe confunduntur 111. b. 118. a. 130. b. 195. a.
Idæi Dactyli cur mysteriis Deorum vacare dicti 118. a. cur præstigiatores dicti 118. a.
Idolorum eversio a Prophetis prædicta 675.
Idomeneus filium ex voto sacrificasse cur dictus 202. b.
Idumæis cur Prophetæ multi Ebræi infensi 295. a.
Jechonias cur vir sterilis dictus 266. b.
Jechothiel a matre sua dictus Moses 72. b.
Jedidei liber de temporibus in multis discrepat a Philonis ψευδωνύμου Breviario temporum 218. b.
Jedidæus Philonem sonat 173. a.
Jehu Propheta & Historicus 208. a. est יהוד 70. a. videtur Auctor librorum Regum Israel 208. a.
Jekothiel a parentibus dictus Moses 72. b.
Jeremias typus Jesu 703. a. pene puer Prophetias auspicatus est 261. a. ad describendas Prophetias suas Baruchi opera usus est 261. b. auctor quatuor librorum Regum creditur a nonnullis 203. b. 207. b. 209. a. tertii solum & quarti ab Ebræis 203. b. 212. b. 262. a. eum sparsas Regum historias in unum corpus coegisse vult Isidorus 208. b. ejus scriptiones superstites, quæ 262. b. ejus descriptiones legisse videtur Alexander Polyhistor 265. a. ejus filius existimatur Ben-Sira a nonnullis 255. b. ejus obitus 261. b. eum superesse ad hoc tempus opinati sunt quidam 261. b. ejus Lamentationes in Josiæ funere cantari solitæ interciderunt 269. a. cum vaticiniis unicum librum efficiunt 267. b.

Digitized by Google

non eo continebantur libro, qui a Joakimo rege crematus est 268. a. cur versus Lamentationum literarum Ebraicarum numerum & ordinem retinent 267. b. præfixa iis exigua Præfatio, cujus Auctoris 268. b. adscripta ei Epistola cujus Auctoris 273. a. cur ψευδέγραφος dicta Hieronymo 273. b. cur in Canone locum non habuit 273. b. ejus Prophetia variis temporibus elaborata est 262. a. una cum Lamentationibus & Epistola, unicum efficiebat e Canonicis Libris 273. b. Jeremiæ Prophetiarum series ordini temporum non respondet 262. b.

Jerombalus, vide *Hierombalus*.

Ἱερογραμματεὺς capite alas gerens 86. a.

Jerusalem prius Salem dicta 201. b. quando sic dicta 202. a. unde sic dicta 201. b. vide *Hierosolyma*.

Jesu Discipuli, juxta Prophetas, contemti, vexati, & contumeliis affecti 542. divites 561. filii Dei 483. germina, plantæ, palmites, & rami 519. lapides 531. lux 516. pauperes & humiles 546. reges 554. Jesu testes 658. eorum claritas & gloria 557. concordia 662. pax & securitas 526.

Jesus est, secundum prophetarum prædictiones, agnus, pascha, ovis 549. bellator & victor 435. b. 528. caput 535. concionator, doctor, & magister 497. Deus 485. dives 560. dominus & rex æternus 550. dux 531. electus 536. filius Dei 481. fons 519. frater hominum 491. germen sive oriens, radix, flos, virga 518. homo 489. genitus de semine Abrahami 463. de semine Davidis 433. de semine Jacobi 403. de semine Jesse 453. de semine Isaaci 404. de semine Judæ 405. de semine Salomonis 436. humilis 538. ignis 517. judex 687. justitia 536. justus καθ' ἐξοχήν 536. lapis, fundamentum, mons 530. legumlator 562. leo 550. lux 515. mansuetus & misericors 548. novi & æterni fœderis, a Deo cum hominibus pacti, sequester & finis 457. a. 521. obediens 549. ostium 532. pacificus 435. b. 523. panis 587. pastor 495. pauper 545. primogenitus 484. princeps 550. principium & finis, primus & novissimus, alpha & omega 534. propheta 492. sacerdos 491. sanctus καθ' ἐξοχήν 537. sapientia 533. scandalum & ruina 531. servator 690. servus 547. signum 435. b. 604. sol 518. stella 518. testis Dei 538. verbum Dei 480. veritas, via, vita 532. unctus a Deo 480. ejus adventus tempus 430. a. agonia 587. claritas & gloria 555. delectus & vocatio initium est salutis 508. fortitudo & potestas 558. fuga in Ægyptum 477. labores & angustiæ 548. lex spiritualis & æterna 573. miracula 499. vid. *Miracula*. mors vide *Mors*. nomen 475. patria 470. sq. potestas 690. regnum spirituale & æternum 578. sessio ad dexteram Dei patris 647. sepulcrum 614. sepultura 614. sermonum vis & efficacia 499. typi varii in V. T. 685. vestimenta forte dividuntur 606. ejus memineruntin scriptis huc ethnici plerique 27. b. cognominatus est Christus, non a Christianis solum, sed a Judæis etiam & ethnicis 32. a. b. cum natus est, tunc nasci debere Messiam credebant Judæi & ethnici 438. a. eum virgine matre natum esse, temporibus ejus creditum est 467. b. eum adulterio natum impii Judæi mentiuntur 467. a. eum in sacerdotum numerum cooptatum fuisse falso tradit Suidas 468. b. eum adorarunt Magi 477. Nazarethi domicilium habuit, & Nazareus vocatus est 478. ei testimonium a Deo patre perhibetur 479. super eum recens baptizatum descendit Spiritus Sanctus 435. b. 479. ei ministrant angeli 496. jejunat & esurit 480. in Galilæam & Capharnaum venit 496. in Galilæa de Deo prædicat 498. inter homines frequenter versatur 497. parabolis utitur 499. cæcis visum reddit 505. surdorum aures apertit 505. claudos & debiles sanat 506. mutorum linguam solvit 506. esurientes cibo reficit 507. mortuos ad vitam revocat 507. apostolos, discipulos & sectatores de gente Judaica deligit & ad se vocat, ab iisque propagata Christiana religio 508. paucos numero deligit 511. clavem gerit domus David 562. asino pullo comitata vectus Hierosolymam intrat 582. ei Hosanna præcinitur 583. venditores & emtores templo ejicit aliaque in eo miranda opera edit 583. hominum vitia reprehendit 584. sacrificium incruentum instituit 586. homines peccatis absolvit 631. eorum peccata ipse portavit 635. eos sanguine suo redemit 635. baptismum instituit 638. adversus eum congregati principes Judæorum 585. proditur a Juda 585. a discipulis suis relictus, a Petro palam ejuratus 588. a falsis testibus accusatur 589. accusatus silet 590. comprehensus & funibus constrictus 587. consputus & cæsus 593. contemtus & odio habitus 539. contumeliis affectus 590. venditus 594. a Judæis & ethnicis capitis damnatus 596. cruci suffixus 596. inter duos latrones 604. subsannatus a prætereuntibus 605. latus ejus perfossum 614. ejus crura fractum non iri præsignificavit lex Mosis 614. pro hominibus mortuus 456. b. moriens adversariis suis veniam a Deo precatur 605. ejus corpus e sepulcro raptum fuisse nulla ratione dici potest 621. a. a morte surrexit 618. descendit ad inferos liberavitque patriarchas 615. in cælum ascendit 640. suspensus cognomine dictus a Judæis & Græcis 28. b. ei addicitur Zach. XI, 12. 13. 594. seq. ei conveniunt prophetiæ omnes ac typi V. T. nemini vero præterea 704. a. b. ei falso adscribitur liber magicus 502. a. in eo omnia sunt condita 535.

Jesus Ben Sirach Salomonis assecla 253. b. idem ac Ben Sira 255. a. an Ecclesiastici auctor est, interpretis avus; an interpres ipse Auctoris nepos 254. a. b. existimatur a nonnullis nepos Jesu Josedecidæ 255. a.

Digitized by Google

Jesus Josedecides typus Christi Jesu 703. b.
יהוה non qualitatem solum, sed & quantitatem notat 411. a.
Jether unum e nominibus Mosis 72. b.
Ignatius Christum a mortuis suscitatum vidisse se gloriabatur 20. a.
Ignis, Christi symbolum 389. b., divinitatis simulacrum juxta priscos Persas & Brachmanes 96. a. a Curetibus cur inventus esse dicitur 118. a. de cœlo subreptus typus est arboris scientiæ boni & mali 154. a. cur de cœlo sæpe lapsus ad consumendas victimas ab ethnicis fingitur 156. a. sua sponte sacrificia corripiens fausta portendere a veteribus credebatur 210. b. ignem de cœlo ad consumenda sacrificia mitti, unde veteres crediderunt 210. b. ignem de cœlo missum ad cremandas Salomonis victimas a Manasse extinctum fuisse docetur in Thalmude, vel a Chaldæis, ut volunt alii Judæi 211. a. ignem de cœlo missum ad devorandum holocaustum Mosis ad Salomonem usque perseverasse traditur in Thalmude 211. a. ignis colendi ritus hominibus a Zoroastre traditus juxta nonnullos 94. a. Nemrodo a nonnullis tribuitur 92. a. ignis perpetuus in Ætnæo Vulcani templo alebatur 95. b. alebatur & Pani 110. b. eum alunt Indi 98. b. & Mexicani 104. b. ignis perpetui præceptum apud Persas adventitium est, non apud ipsos natum 90. a. 94. b. legis Zoroastri velut χαρακτηριστικὸν est 94. b. ignis perpetui servandi ritus unde ortus 156. a. vetustissimus apud Chaldæos 94. b. a Mose manavit 95. a. eum a Judæis acceperunt gentes propemodum universæ 95. a. b. eum pleræque gentes retinuerunt 95. a. ignem sacrum sibi præferri voluerunt Persarum reges & Romanorum Imperatores 95. b. ignis Brigidæ 95. b. ignis templi primi Leoni similis, cani vero ignis templi secundi, juxta Thalmudem 211. a.
Il est אל 70. a. Saturnus dictus a Phœnicibus 70. a.
Ilithia Dea eadem ac Genitalis 150. b.
Imbramus idem ac Amramus Mosis pater 75. a. 101. a. Imbramum Cares Mercurium appellabant 75. a. 101. b.
Imbrasia dicta est Samos insula 101. b.
Imbrasius fluvius in Samo insula unde dictus 101. b.
Imbrus insula a Caribus occupata 101. a. Mercurium coluit ibid. unde dicta ibid.
Inachidis nomen & origo unde 156. a.
Indi sectas habent plurimas 98. a. in certas tribus distinguuntur 97. b. 100. a. quomodo mysteriis Ebraicis fuerint imbuti 99. b. a Persis ebraica religione instructi 98. b. cum Ægyptiis crebra agitaverunt commercia 100. a. similes cum iis habuerunt ritus 100. a. boum capita vexillis suis appingebant 103. b. ab Ægyptiis bovis cultum acceperunt 103. b. decimas diis solvebant 158. a. patriæ suæ Osiridis ortum adscripserunt 99. b. quidam eam Mosis legem servant, qua fratris sine liberis defuncti uxorem frater ducere tenetur 157. a. mystici eorum characteres 100. a. eorum regibus in publicum prodeuntibus cur tympana cum tintinnabulis præibant 82. b.
Indi Bengalenses, aliique, Adami, Evæ, Caini & Abelis nomina noverunt 98. a.
Indi Coromandelenses a Guzarattensibus religione & moribus discrepant 98. a. multa retinent Mosaicæ doctrinæ vestigia 98. a. coram idolis suis saltant 98. b. eorum religio Guzarattensi recentior 98. b. religionem Christianam olet 99. a.
Indi Guzarattenses, eorum religio vetustissima est 96. a. ex libris Mosis fluxit 97. a.
Indiæ nomine appellabant Græci terras omnes ultra mare mediterraneum sitas 194. b.
יחן unum esse ex Messiæ nominibus prisci Judæi crediderunt 483. a.
Inscriptiones antiquæ emendantur 140. b.
Inspectores qui 474. a.
Insulas appellant Scriptores sacri regiones ad occasum sitas 367. b.
In *intellectu* nihil est, quod non fuerit in sensu 9. b. 10. b.
Interpretationis, quæ septuaginta Senibus tribuitur, auctores vocantur in controversiam 59. b. ea usus est Tertullianus 600. b.
Interpretum oratio nativum quid sapere debet 221. a.
Io eadem est ac Anna Peranna 151. b.
Joachimus a patre dictus est Moses 73. a.
Joachimus Pontifex autor libri Esther creditus a nonnullis 222. b. nec non libri Judith 218. b.
Job Propheta 344. b. Mose vetustior fuit 229. b. ejus historia vera est, sed poetice digesta 227. a. Jobi liber, a quo compositus 225. b. cur ex Syriaca lingua translatus esse dicitur 229. b. cur nullam habet Mosaicæ Legis, vel rerum ab Israelitis gestarum mentionem 228. b. cur Pentateucho adjunctus ab Hieronymo 230. a. scriptus a Mose 226. a. etiam tum juvene 226. b. cum esset apud socerum Jethro ibid. qua de causa ibid. stylo similis est Librorum Mosis 226. b. unde Arabismis, Syriasmis & Chaldaismis inquinatus 226. b. ejus argumentum, juxta Thalmudistas, Anabaptistas & alios, mera parabola est 227. a. posteriora ejus undecim capita in νοθείας suspicionem vocata 226. a. ei accusa clausula in septuaginta Senum interpretatione, cujus Auctoris 229. a.
R. *Joel* ben Suib refellitur 429. b.
Joelis Prophetæ patria & ætas 291. sq.
Johannes Christi præcursor a Prophetis prædictus 479.
Johannes Ephesinus Episcopus Evangelii Johannis postremam partem scripsisse a nonnullis creditus est 21. a.
Johannes Evangelista barbarus appellatur ab Amelio 21. b. Evangelium suum jam magno natu scripsit 21. a. in gratiam Græcorum 603. a. illud spernebant alogi 26. b. Evangelistarum postremus res Christi scripsit 21. b. septuaginta interpretes videtur secutus 603. a. ipsius Evangelii postremam partem quidam adscripse-

Digitized by Google

runt Johanni Ephesino Episcopo 21. a. Evangelium ipsius manu scriptum Ephesi servatum fuisse, quidam prodiderunt 25. a. Johannis postremarum duarum Epistolarum & Apocalypseos auctorem olim fuisse controversum docet Eusebius 22. a. Johannes cognomento Marcus, Apocalypseos auctor juxta nonnullos 22. b.

Johanni Presbytero, Johannis Apostoli æquali, adscribuntur a nonnullis postremæ duæ hujus Epistolæ 21. b. eum Apocalypseos auctorem faciunt quidam 22. b.

Johannes Chrysostomus. vide *Chrysostomus*.

Johannes Damascenus refellitur 257. a. b.

Johannes Hircanus Machabaici prioris auctor existimatur a nonnullis 315. b.

Johannes Philoponus Procium confutavit 67. b.

Johannes Sarisberiensis notatur 400. b.

Jonas cur Sareptanæ viduæ filius creditus ab Ebræis 296. b. typus Jesu 702. a. ejus ætas 297. a. patria 296. b. ejus prophetiæ omnes literis consignatæ non sunt 299. b. Jonæ a cete absorpti casus Herculi tribuitur a Græcis 297. b.

Jonathan ben Uziel, Paraphrastes Chaldæus, cur Hagiographa interpretatus non est 458. a. refellitur 300. b. 638. a.

Iones & Cares a Psammeticho in Ægypto collocati 167. a. ab Amasi Memphim translati 167. a.

Ionica gens in partes duodecim distributa 161. a.

Jor fons & rivulus 184. a.

Jorami Regis Juda, & Jorami Regis Israel tempora conciliantur 210. a.

Jordanis flumen & nomen unde orta 184. a.

Josaphatus & Ochozias reges, cum Thracibus & Ponticis gentibus commercia habuerunt 102. a. 167. a.

Josephi Patriarchæ historia, origo est fabulæ Bellerophontis, Hebri, Tanis, Myrtili, Pelei & Hippolyti 156. a.

Josephi ben Gorion historia, recentis Judæi fœtus est 34. b.

Josephus cæcus Paraphraseos Chaldaicæ Hagiographorum auctor, incertæ ætatis 68. b.

Josephus Comes templum Tiberiadense purgat & Christo restituit 44. a.

R. *Joseph Jachiades* refellitur 386. b.

Josephus historicus Ebraicæ linguæ satis rudis 223. b. 251. a. Persicæ linguæ prorsus ignarus 223. b. historica multa habet Novo Testamento consentanea 27. b. in gratiam Romanorum ἐγκωμιαστὴν suam scripsit 37. b. laudes suas & errores candide prædicat 183. b. res multas memoria dignas in libris suis silentio pressit 221. b. 478. a. Sirachidæ parabolas Græce reddidit 254. b. vix alia retulit, quam quæ habebantur in libris Canonicis 121. b. defenditur 36. a. explicatur 31. a. 276. b. emendatur 125. a. notatur 61. a. 224. a. 280. a. 399. a. 400. b. refellitur 61. a. 62. a. b. 121. b. 172. a. 241. b. 269. a. insigne ejus de Christo Jesu testimonium explicatur & defenditur 30. b. ejus libros adulterasse videntur Judæi 31. a.

Josiam propter gentis suæ nequitiam interiisse nullis testibus probatur 367. a.

Josue, Christi Jesu typus 188. a. 343. b. 699. a. Mosi suffectus, symbolum est legis Christi Mosaicam Legem abrogantis 571. b. a Phœnicibus latro dictus 119. b. a quibusdam latro, Deus ab aliis habitus est 199. a. auctor est Libri, nomine ipsius inscripti 188. a. b. Librum hunc Josua longe recentiorem esse, viri quidam eruditi opinati sunt 190. a. Josuæ Liber adventitia quædam habet & insititia 192. b.

Josue Josedeci filius auctor libri Judith creditur a nonnullis 218. b.

Joves olim & Jovis filii vocabantur Reges omnes 117. b. Jovis sceptrum dictum est sceptrum Mosis 119. a.

Iphigeniæ Dianæ immolatæ fabula unde orta 202. b.

Ireneus notatur 22. a.

Irmin dicitur Mercurius apud Germanos 102. b.

R. *Isaac* Abrabaniel. vide *Abrabaniel*.

Isaacus, typus Jesu 695. a. Isaaci Abrahamo a Deo promissi typus est Orion Hyrieo patri a Diis promissus 155. b.

Isaias, regia stirpe ortus juxta nonnullos 258. b. Oziæ regis historiam scripsit 208. a. non tam prophetiam Hieronymo texere visus est, quam evangelium 356. a. juxta nonnullos autor est cantici canticorum 239. b. 248. b. 258. b. libri Josue 188. a. libri ecclesiastis 239. b. 244. a. 258. b. & libri proverbiorum 239. b. 258. b. ejus ætas, uxor, liberi, obitus, sepulchrum 258. b. ei adscripta prophetia cujus autoris 257. b. ejus insignis prophetia de ortu Christi exponitur 357. a. b. seq. Haiæ lectio Cyrum ad Israelitas in integrum restituendos impulit 259. b. Isaiæ caput LIII plerosque ad fidem Christianam convertit 371. a. Isaiæ LIII, 12. Christo addicitur 617. a. Isaiæ anabaticus, apocryphum, visio 258. b.

Isiacorum serpens argentea 158. b.

Isis, Ceres Pharia dicta 151. corniculata 151. b. radiata 151. b. eadem ac Cybele, Minerva, Diana, Proserpina, Ceres, Juno, Bellona, Hecate, Nemesis, Luna, Sirius, Justitia & Sapientia 151. a. b. est Astarte 151. b. muliebrem sexum naturæ significat 151. a. est natura ibid. est omnia ibid. gestat tricuspidem virgam, cui circumvolutus est anguis 151. b. Osiridis uxor, & soror, & mater 151. b. Prometheo, an Mercurio nata sit, ambigitur 151. b. quare Myrionymus dicta 151. a. quare prima Musarum dicta 153. b. spicis redimita 151. b. ei Svevi sacrificabant 102. b. Isidis & Osiridis sepulcris additæ columnæ 56. b. Isidis Sacerdotes cur linigeri 158. b.

Isidorus refellitur 77. a. 174. b. 208. b. 255. b.

Israel dictus Saturnus 70. a. Israelis nomine signatur Christus 365. a.

Issacharite insigni Legis peritia præstabant 411. a.

Italia Baccho sacra 158. a.

Itanus

Digitized by Google

Ianus Cretæ urbs unde dicta 154. b.
Ithyphallus 112. a.
Itona Minois conjux, unde dicta 117. a. 155. b.
Jubalis typus Apollo 154. a.
Jubileum & sabbathum observant Mexicani 104. b.
Judæ vocabulo totam gentem Ebræam notari censuit Percrius 409. a. Judæ an πρωτοτόκια dignitatis, Rubeno ablata, sint tributa 410. a. 413. a. Judæ nepotes cur priore loco numerantur in Paralipomenis 412. a. Judæ avi nomen tribuitur Messiæ nepoti 422. a.
Judæ sceptrum, quid 409. a.
Judæ tribules cur seorsum numerantur a Saule 411. b.
Judæ tribus an inter Judæos primas semper tenuerit 408. b. numerosissima & fortissima 411. b. cur in castris metandis & movendis, & in muneribus offerendis prior recensetur 411. b. cur in divisione Chananææ Terræ prima numeratur 411. b. cur numeratur in recensendis erciscundæ Terræ præfectis, & in designatione urbium Leviticarum ibid. cur præire jubetur Israelitis bella gerentibus ibid. nullum præ reliquis tribubus videtur habuisse jus prærogativæ, priscis Ebraicæ Reip. temporibus 412. a. post solutam Captivitatem Babylonicam nihil eximium habuit aliud, quam pristinæ dignitatis memoriam 412. a. quod in tribuum recensione prior nonnunquam numeratur, nullum inde prærogativæ jus habet 410. b. sceptro non potiebatur priscis Reip. Ebraicæ temporibus 412. a. cur aliis quibusdam tribubus nomen de se fecit 412. a.
Judæi complures in Ægyptum traducti 166. b. sæpe confunduntur cum Phœnicibus 52. b. 194. b. & cum Idæis 111. b. 195. a. doctrinæ Christi Jesu veritatem confirmant, cum oppugnant 680. a. falsarii 31. a. 34. a. gens a reliquis gentibus ex instituto suo discreta 166. a. gens vulgo odiosa, tempore Taciti 65. a. in iis, quæ ad naturam pertinent, veteribus Græcis consentiebant 97. b. jus sceptri nullibi gentium obtinent 428. a. legum suarum retinentes 59. a. lepris obnoxii dicti 65. a. literarum usum Phœnicibus tradidisse falso creditι 176. b. Magorum discipuli juxta nonnullos 92. b. monumenta nequitiæ majorum suorum studiose abolent 283. b. olim Chaldæi dicti 39. b. pertinaciæ suæ sibi conscii 680. a. pessimi Scripturæ interpretes 401. a. singuli Legis exemplar habere tenebantur 167. b. sub Persarum signis militarunt 167. b. Synagogas, Scholas & privilegia intra Muhammedanorum fines non habent, nisi de Principum licentia 428. b. Testamentum Dei anilibus fabulis deformaverunt 2. b. iis cum vicinis gentibus commercia intercesserunt 166. b. iis jam olim ademtum jus gladii 428. a. magna iis cum Græcis intercessit consuetudo ab Alexandri temporibus 58. b. Judæis Palæstinis extra terram Chananæam judicia capitalia exercere fas olim non erat, sed intra eam jure gladii pollebant, quo nunc penitus exciderunt 428. seq. Judæorum omnis error κριτηρίων Messiæ dijudicatione versatur 401. a. eorum pertinacia, perfidia & cæcitas a Prophetis prædicta 678. eorum regna in Asia commentitia sunt 426. b. etiam Judæis ipsis fatentibus 427. b. 428. b. eorum rejectio & dispersio, eorumque abolenda sacrificia 681. eorum temporarium regnum in æternum conversum est per Messiam 419. a. eorum tribus permistæ & confusæ 427. b. Judæos Ethnici credebant arte comparare scientiam vaticinandi per somnia 54. a. Judæos in exercitu suo habuit Alexander 166. b. Judæos inter & Græcos usus fuit jam inde a vetustis temporibus 166. b. Judæos nobilitate generis & Abrahamo patre superbientes castigat Deus 416. Judæos Phœnicibus, Phœnices Græcis literarum usum tradidisse, docuit Eupolemus 61. a. vid. *Ebræi*.
Judaica gens infamis habita a Romanis 42. a.
Judaicæ scripturæ Angelum auctorem fingunt Judæi quidam 178. b. Judaicam scripturam hodiernam olim rebus sacris destinatam fuisse, falso dicunt Judæi quidam 178. b.
Judaicarum literarum origo 175. b.
Judas, *Jacobi filius*, eum inter fratres fuisse delectum qui rex designaretur, David pronunciat apud Josephum 412. a.
Judas Machabæus canonem recognovit 325. a.
Judas Apostolus, ejus epistola dubiæ olim autoritatis 24. b. idem tractat argumentum ac secunda Petri ibid. ejus non multi ex veteribus meminerunt 25. a.
Judas proditor, ejus mors & æternus interitus 585. 594.
Judices apud Tyrios, Ithobalo & Baali regibus successerunt 158. a.
Judithæ facinus quo tempore editum 220. a. historia fictitia habetur a Grotio ibid.
Judithæ Liber Antiochi Epiphanis temporibus assignatur a Grotio 220. a. Chaldaice scriptus 218. b. cur in Canone locum non habuit 222. a. inter Hagiographa collocatur ab Ebræis 218. b. 219. a. ejus auctor & ætas 218. b. Græca interpretatio ab Hellenistis Ægyptiis elaborata 219. b. Hieronymiana interpretatio multum differt a Græca ibid. Latina interpretatio Hieronymiana vetustior 220. a. Syriaca interpretatio 220. a.
Julia Severi Imperatoris uxor Apollonii historiam a Philostrato scribi voluit 642. a. Philosophiæ deditissima ibid.
Julianus Magus 39. b.
Julianus Imperator Platonicorum librorum frequentiorem lectionem Christianis objiciebat 56 a. emendatur 73. b. refellitur 404. a. 501. b. 503. a.
Julianus Africanus laudatur 453. a. notatur 30. a.
Juno a Pœnis culta 150. a. eadem ac Latona 150. b. eadem ac Venus 150. a. armata 149. a. Sarrana cur dicta 150. a. unde dicta 137. b. 174. b. Junoni lecti ferrei & ærei dedicati 182. a. Junonis lac fuxisse cur fingitur Mercurius 75. b.

Digitized by Google

Juppiter alatus 85. b. ἄξυρος 149. a. ἀκτόμυος unde dictus 197. a. ἀρσενόθηλυς 149. a. Chami typus 154. b. Dæmon 146. a. Deos omnes continet 145. a. idem ac Bacchus 86. b. idem ac Juno 149. a. idem ac Pan 145. b. idem ac Sol 137. a. 146. a. idem ac Vulcanus 86. b. imberbis 149. a. μειλίχιος 145. a. multarum rerum symbolum est 153. b. Sabazius 145. b. Serapis 145. b. unde dictus 174. b.
Justinus Historicus explicatur 449. a.
Justinus Martyr explicatur 413. b. notatur 63. a. refellitur 131. a. 408. a.
Justitiam Christi temporibus spondent Prophetæ 440. a.
Justus Tiberiensis 64. b.

K.

Keplerus (Joh.) laudatur 453. a. notatur 29. a.
Kildarienses Virgines Deo sacræ ignem perpetuum non ita pridem servabant 95. b.
Kippod, Angelus mortis, Gehennæ præfectus 617. b.
Kircherus (Athan.) refellitur 85. a. 145. a. 173. b.

L.

ל præfixum, non dativum solum, sed genitivum etiam & accusativum aliquando notat 249. b.
Labyrinthi Nauplienses 119. b.
Labyrinthus Ægyptius Cretici exemplar 119. b.
Labyrinthus Creticus carcer fuit, juxta quosdam Auctores 119. b. Latomiæ quædam fuerunt 119. b. spelunca sinuosa fuit, juxta quosdam 119. b. cur a Minoe in Creta ædificatus dicitur 119. b. in Creta nullus fuit, juxta quosdam ibid. unde in Creta fuisse dictus ibid.
Lac candorem morum allegorice denotat 425. b.
Lacedæmon a Cecrope condita, juxta Honorium Augustodunensem 200. a.
Lacedæmonii cur fratres Judæorum dicti in priore Machabaico 120. b. 200. a. urbes multas in Creta condidere 120. b. usi legibus Creticis 120. b. Lacedæmonii & Cretenses similimis moribus & institutis usi 120. b. Lacedæmoniorum ἰυφημία Diis gratissima 581. b.
Laconica Lunæ 164. a.
Lactantius notatur 77. b. 644. a. refellitur 54. a. 57. a. 489. a.
Lamiæ cur Turricolæ dictæ 108. b.
Lampadephoriæ Pani, Vulcano & Prometheo institutæ 110. b.
Lampridius defenditur 43. b.
Lamuel quis 240. a.
Λαξύριον quid 624. b.
Lapis, Christi symbolum 363. a. 384. b. Lapis Brachthan Arabum 82. a. simulacrum Bacchi ibid. niger ibid. olim candidus, juxta opinionem Arabum ibid. Lapis candidus a Persis cultus Hispahani 82. a. Lapides ab Arabibus Meccæ culti ibid. Lapides vivi 155. b. Lapidum in triviis ungendorum ritus unde ortus 161. b. Lapidum informium, vel in umbilicum fastigiatorum, vel quadratorum figura olim Dii exprimebantur 82. a.
Lappones Mosaicos plerosque ritus habent 157. b.
Lares cur canina pelle amiciebantur 143. a. cur Curetes & Dactyli Idæi finguntur a nonnullis 142. b. cur filii Mercurii dicuntur 142. b. cur Manes esse dicuntur ibid. ἐνόδιοι ibid. compitales ibid. Permarini 143. a. Viales 142. b. Laribus cur Silvanus jungitur 143. a.
Latium dictum, quod in eo latuerit Saturnus, Romani censuerunt 174. b.
Λατομῶν quid 624. b.
Latomiæ Creticæ videntur carceris usum præstitisse, itidem ut Syracusanæ 119. b.
Latona eadem ac Juno 150. b.
Lavationum usum in sacris gentes omnes receperunt 164. b.
Lecti ferrei, ærei, argentei, & aurei Veteribus in usu 182. a. b.
Legum Romanorum magna cum Mosaicis affinitas 164. a.
Legumlatores cornuti pingebantur ad exemplum Mosis 75. b. Legumlatores omnes Græcorum præ Mose novelli sunt 106. a.
Leonis Nemæi fabula unde orta 202. b.
Leucippi & Leucophryos historia ex illa Mosis detorta 120. a.
R. *Levi* ben Gherson refellitur 239. b. 432. a.
Levitas a Lysio, vel ab Evio dictos censet Plutarchus 82. b.
Lex Græcum nomen apud Homerum non reperitur 106. a.
Lex Mosis quatenus perfecta 572. b. olim unicus versus fuit 180. b. in capsula ad Arcæ latus exterius reposita erat 48. b. eam æternam fore, ne Judæi quidem omnes crediderunt 571. b. in Arca inclusam fuisse Judæi plerique censent 48. b. quatenus eam impleverit Christus, vel abrogaverit 572. b. ejus abrogatio prædicta a Prophetis 380. b. 381. b. ejus summa in pietate & amore erga Deum posita est 580. a. 581. b. ejus exemplar habere tenebantur Judæi singuli 167. b. tredecim ejus exemplaria Mosen instante morte descripsisse, legitur in Debarim rabba 48. b. finis ejus quæ 572. a. Legis novæ sanctio 567.
Liba. vide Ψωσά.
Liber idem qui Sol & Osiris 113. a. 146. a. Liber & Ceres rebus his inferioribus præsunt, juxta Ægyptios 146. b.
Liber Ægyptius de Agricultura, fœtus Sabiorum 74. b.
Liber Bellorum Dei 185. b. idem ac Liber Judicum, juxta nonnullos 200. b.
Liber Fœderis 185. b.
Liber grandis apud Isaiam quid 358. a.
Liber Judicum cujus Auctoris 200. b. scriptus in Tabernaculo, juxta Pseudo-Dorotheum 200. b. unius texturæ opus 201. a.
Liber Justorum quid 188. b. 190. a. eum quidam putant esse Librum Exodi, alii Pentateuchum 46. b. ex eo librum Josuæ excerptum fuisse putat Theodoretus 188. a.
Liber Legis Dei 185. b.

Liber

Digitized by Google

Liber verborum dierum Regum Juda, & Liber verborum dierum Regum Iſrael, quid 211. b.
Libri coætanei definitio 7. a. Libri genuini definitio 6. b. 12. a.
Libri ἐκκεκρυφοι, ἀκανόνιστοι, ἀντιλεγόμενοι 325. a. Libri multi ſuppoſiti a Chriſtianis, Plotini temporibus, juxta Porphyrium, ſed verius a Gnoſticis 96. b. Librorum ſuppoſitiones Reipublicæ Chriſtianæ plurimum nocuerunt 96. b. Libris ſacris adventitia nonnulla inſerta ſunt 204. b. Librorum ſacrorum notitiam quomodo Græci habuerint 106. a.
Libitina eſt Venus 148. b.
Libra olim in Aſtrotheſia ſimul cum Libripende pingebatur 126. b.
Lilith eſt Luna 128. a.
Lingua majoribus obnoxia eſt mutationibus quam ſcriptura 176. a. quæ uſurpabatur ante Confuſionem Babelicam, quid factum ſit, incertum eſt 170. a. Linguarum affinitas penitus ad Babelem extincta non eſt 175. a. Linguas novas in Confuſione Babelica a Deo conditas fuiſſe, quidam perperam negarunt 170. a.
Linus idem ac Moſes 54. b. 133. a. Ægyptius 133. b. Apollinis ſagittis confoſſus 134. a. Bacchi res geſtas cur Pelasgicis literis ſcripſiſſe fertur 133. b. de principiis rerum ſcripſiſſe fingitur 133. a. ex Phœnice in Græciam literas cur intuliſſe dictus 133. b. Herculis præceptor cur dictus 133. b. inter ſapientes collocatus 133. a. lyræ repertor creditus ibid. Maneros ab Ægyptiis dictus 133. b. Orphei frater 133. a. Orphei præceptor ibid. poeta, muſicus, & citharœdus fuiſſe dicitur ibid. verſus ei falſo adſcripti 133. a. b. Theologus fuiſſe, & Theologica ſcripſiſſe fertur 133. a. vates fuiſſe fingitur ibid. a Lini deploratione cantores omnes ordiebantur, & in ea deſinebant 133. b. lugubre cantionis genus 133. b.
R. *Lipman* refellitur 342. b. 599. a.
Literæ aſſiduo ſcribendi uſu mutantur & degenerant 176. b. Literarum inventio Moſi aut Abrahamo falſo tribuitur ibid. Literarum inventio Phœnicibus tributa a veteribus ibid. Literarum Samariticarum & Judaicarum origo 175. b.
Lithuani ignem perpetuum non ita pridem ſervabant 95. b.
T. *Livius* explicatur 475. a.
Locrenſium lex, ne quis avitum fundum alienaret, unde orta 162. b.
Longinus Criticæ artis princeps 65. b. Moſem egregio exornat elogio ibid. Moſaici ſtyli ἀδεξότητα perperam laudat 65. b. eum audivit Porphyrius 66. b.
Loti, ejusque uxoris typus Philemon & Baucis 155. b. Loti uxor in ſtatuam ſalis converſa, quam hodieque ſupereſſe quidam affirmant 155. b.
Lucas Evangelium ſuum ſcripſit, ut illud apocryphis lucubrationibus opponeret 25. b. in gratiam Helleniſtarum evangelium ſuum ſcripſit 603. a. Lucæ Evangelium a Marcioniſtis, aliisque Hæreticis corruptum 473. b. repudiabant Cerinthus & Carpocrates; partes tantum quasdam probabant Marcioniſtæ 26. b. ſolum, repudiatis cæteris, admittebat Marcion 469. b. vitiatum eſſe, cenſebant Marcion & Helvidius 469. b. Lucæ prima capita duo inſincera eſſe credidit Marcion, cujus opinationis cauſſa affertur 469. b. Lucæ primorum duorum capitum γνησιότης defenditur 469. b.
Lucianus inſcius & invitus Chriſtianam religionem extollit 41. b. Moſaica quædam habet 65. b. Luciani operibus adjunctus Dialogus, cui titulus Philopatris, quo tempore ſcriptus 65. b.
Lucidus (Joh.) refellitur 447. b.
Lucius Ampelius. vide *Ampelius*.
Lucorum conſerendorum ad obeundos Deorum ritus conſuetudo unde orta 161. b.
Luctus Romanorum triginta diebus definitus 71. b.
Lucullus lectos aureos in triumpho traduxit 182. b.
Luna ab Arabibus & Turcis culta 150. a. ambigui ſexus 150. a. Cabar & Cubar ab Arabibus unde dicta 128. a. 150. a. cur Alilat ab Arabibus dicta 128. a. eadem ac Enyo 150. a. cum Venere aliquando confunditur ibid. inſigne Arabum & Turcarum ibid. 202. b. eam Arabes olim colebant 128. b. 202. b. ejus motum cur ſpectant Arabes & Turcæ in temporibus mutandis 150. a. ex ſidere Lunæ Deæ complures exiterunt ibid. Lunæ cultui deditæ gentes per Orientem videntur anni ſui formam juxta ejus curſus digeſſiſſe 454. Lunæ cultum aliqua ex parte retinent Muhammedani 128. a.
Lunala caput Eſuvaræ cur inſigniebant Brachmanes 202. b.
Lunulas geſtabant olim Madianitæ 202. b. & Lunam colebant 128. a.
Lunus Deus 150. a.
Lupercalia Fauni ſacra 139. b.
Lutherus (Mart.) refellitur 248. a.
Lycaſtus Minois filius, & alterius Minois pater 120. b.
Lycurgus Lacedæmonius de legibus Ægyptiorum in leges ſuas multa transtulit 52. b. leges ſuas a Deo ſe accepiſſe finxit 63. a. ex Creta leges Spartam retulit 120. b. non Thracum, ſed Arabum rex a quibusdam dictus 130. a.
Lycurgus Thrax Bacchas in Syria βασιλίγι infectatus eſſe cur fingitur 202. b.
Lyſimachus Alexandrinus Thebaicorum auctor 68. a.
Lyſimachus Hiſtoricus, a quo Moſes calumniis proſciſſus eſt, incertæ originis & ætatis 68. a.
Lyſimachus libri Eſther interpres emendatur 224. b. notatur 225. a.

M.

M*Acedo* cur dictus Aman in interpretationibus libri Eſther 224. b.
Macedonum nomen diu obſcurum fuit in Perſide 224. b. Græcis omnibus tributum aliquando videtur 225. a.
Machabæorum hiſtoria Ebraice primum deſcripta eſt 315. a. publica auctoritate videtur eſſe conſcripta

Digitized by Google

ſcripta 315. a. eam ex Ebraicis fontibus Græce deſcripſerunt Helleniſtæ Ægyptienſes 317. a.

Machabæorum liber prior Ebraice primum ſcriptus eſt 315. a. b. multa Libri poſterioris Auctori ſuppeditaſſe videtur 315. b. 316. b. ejus Auctor incertus eſt 315. b. Latina ejus interpretatio an ex Ebraico exemplari, an ex Græca interpretatione profluxerit, incertum eſt 315. b. primus ejus interpres Theodotion falſo creditur 316. a. ejus titulus exponitur 315. b.

Machabæorum Liber ſecundus cur Joſepho adſcriptus eſt 317. b. Epiſtola una eſſe falſo a multis creditus eſt 317. a. b. Græce ſcriptus 317. a. multis partibus conflatus eſt 316. b. Auctor ejus, quis 317. b.

Machabæos fuiſſe de Tribu Juda, falſo quidam opinati ſunt 406. b.

Macris Ariſtæi filia eadem ac Merrhis filia Pharaonis 81. a.

Macrobius explicatur 478. a. b. refellitur 108. b.

Madianitæ Lunæ cultui dediti 128. a. Lunulas olim geſtabant 202. b.

Magia, curioſa ars dicta 502. b. vetus barbarorum Philoſophorum multum deflexit a recentiore 647. a. Magiæ non præſtigiatricis, ſed divinæ, inventio Zoroaſtri adſcripta eſt 92. b. Magiam non omnes Judæi repudiant 501. b. Magicæ artis Auctores, juxta Plinium 92. b.

Magogi typus Prometheus 155. a.

Magus, *& Mog.*, nomina unde facta 92. b.

Magus Sacerdotem ſonat, juxta Apulejum 93. a. Magos appellant Perſæ divinarum rerum peritos, & Dei cultores, Philoſophos, & Theologos 93. a. Magos veniſſe ad Jeſum recens natum fatetur Julianus 28. a. Magorum diſcipuli Judæi, juxta nonnullos 92. b. Magorum princeps & auctor Zoroaſtres ibid.

Maia, quæ 140. a. Fauni filia 140. a. eadem ac Fauna 140. a.

Maimonides notatur 227. a. refellitur 270 a. Maimonidæ More Nevochim, liber ad Scripturæ ſacræ intelligentiam utilis 343. a.

Malachias ab aliquibus Esdras eſſe creditur 314. b. cur Angelus dictus 314. a. ex albo Prophetarum ab Ebræis quibusdam expunctus 314. b. ejus patria, ætas, ſepulcrum 313. a. b.

Mamlucorum Dynaſtæ cur ſupra caput ſuum avem & conopeum geſtari vellent 86. a.

Mammonas Deus Hiſpaniolenſium Americanorum 105. a.

Manaſſes extinxiſſe ignem dicitur, ad cremandas Salomonis victimas de cœlo miſſum 211. a. Manaſſe capto, veriſimile eſt Aſſyrios templi ſanctitatem violaſſe 221. b.

R. *Manaſſe* ben Iſrael notatur 427. a. refellitur 348. b. 409. a. 427. b. 431. a.

Maneros ab Ægyptiis dicitur Linus 117. b. 133. b. idem ac Monimos & Monios 117. b. idem qui Mneves 62. b.

Manes unde dicti 142. b.

Manethos de rebus Moſaicis luculenter diſſeruit 60. a. ex ſacris Ægyptiorum libris commentaria ſua deſcripſit 58. a. Moſis nominatim meminit 60. a.

Manie, Larum matris, ſacrificiorum origo 142. b.

Manichæi negabant in Pſalmis haberi Prophetias de Chriſto 345. a. Meſſiam negabant fuiſſe in Veteri Teſtamento prædictum 340. b. partes quasdam Novi Teſtamenti ſuæ cauſſæ opportunas admittebant, reliquas repudiabant 26. b.

Manis 142. b.

Manna typus Chriſti 342. a. 697. a. panis appellatur 111. a.

Marcion Deo futurorum cognitionem detraxit 15. a. Evangelium Lucæ vitiatum eſſe cenſebat 469. b. Evangelii Lucæ capita priora duo ſuppoſititia eſſe opinabatur 469. b. Evangelium Lucæ, repudiatis cæteris, ſolum admittebat 469. b. in Pauli Epiſtolas temere graſſatus eſt 23. b. negabat, Jeſum eſſe Meſſiam in Veteri Teſtamento prædictum 340. b.

Marcioniſta, eorumque gregales, partes tantum quasdam Evangelii ſecundum Lucam admittebant 26. b.

Marcus Aurelius delatos Chriſtianismi nomine abſolvi jubet, delatores puniri 41. b. Magia nunquam delectatus eſt 40. a. ei imbres de cœlo Chriſtiani impetrant 39. a. ejus literæ, quæ habentur ad calcem ſecundæ Juſtini Apologiæ, ſuppoſitæ ſunt 40. a. ejus opus τῶν εἰς ἑαυτὸν laudatur 40. a.

Marcus Evangeliſta Evangelium ſuum in gratiam Romanorum ſcripſit 603. eum ex iis, quæ Petrum prædicantem audierat, Evangelium ſuum conflaſſe tradit Irenæus 20. b.

Mardocheus hiſtoriam conſcripſit 208. a. libri Eſther auctor a multis creditus 222. b.

Mare intra Tropicos ab ortu in occaſum perpetuo fluit 104. a.

Mare rubrum Ebræis tranſitum præbuiſſe, Ichthyophagi per nebulam noverant 159. b.

Mareſa, ubi ſita 300. b.

Maria Moſis ſoror cum Sephora glore ſæpe confunditur 151. b. ejus typus eſt Venus 152. a.

Maria, mater Chriſti, virgo ἐπίλεκτος fuit 467. a. ejus virginitatem faſſus eſt Muhammedus 468. a. eam jam Jeſum enixam ante virgines in templo conſtitiſſe narrant Origenes & Baſilius 468. b. eam ornatricem fuiſſe impii Judæi mentiuntur 467. a.

Marmora Oxonienſia, egregia vetuſtatis monumenta 56. b.

Marnas Gazenſium Deus, qui 117. a. eſt Moſes 73. a. idem ac Juppiter Cretenſis ibid. idem ac Maneros 117. b.

Mars idem ac Hercules 146. a. idem ac Janus ibid. idem ac Silvanus 146. a. Nemrodi typus 155. a. Thurræ typus ibid. Martis ſimulacrum in Pantheo, multorum Deorum imagines continebat 146. a.

Marſyæ ſimulacrum ἐντεταμένον exhibebatur 111. b.

Martinus Martinius laudatur 159. b.

Martyria Diſcipulorum Jeſu a Prophetis prædicta 659.

Martyrium,

Digitized by Google

Martyrium, templum a Conſtantino ad ſepulcrum Chriſti Jeſu extructum, a Sophonia prædictum 615.
ad *Martyrum* ſepulcra miracula edita eſſe agnoſcunt Ethnici 40. a.
Maſius (Andr.) refellitur 190. a. 191. b.
Materna familia nullo numero habetur a Judæis 406. b. 468. b.
Matrimonii ritus apud Peruvianos 105. a.
Matthæus defenditur, apud quem pro Zacharia Jeremiam citatum eſſe cauſſantur Adverſarii 595. a. b. Evangelium ſuum in Judæorum gratiam ſcripſit 603. a. ejus Evangelium ſolum probabat Cerinthus 20. b. eum patria lingua Evangelium ſcripſiſſe cenſet Irenæus 20. b.
מחקק, quid 407. a. 423. a.
Medea eadem ac Bona Dea 148. b.
Medi ignem perpetuum ſervabant 95. a.
Medicinam reperiſſe Apis, promoviſſe Æſculapius cur fingitur 114. a.
Medicis cur angues tribuuntur 114. a.
Megaſthenes Alexandri temporibus apud ipſos Indorum reges hiſtoriam ſuam concinnabat 97. b. Oſiridis expeditionem contra Indos veram eſſe cenſuit 99. b.
Melampus Bacchi ſacra ex Ægypto in Græciam transtulit 167. a. διονυσιακὴν τελεταργίαν, & φαλληφορίαν, & Mercurii fabulam ad Græcos transtulit, juxta Diodorum 89. a.
Melas a Græcis Nilus dicitur 113. a. 127. b.
Melicærthus, Hercules Phœnix 199. a.
Melchi in cœlo dictus Moſes, juxta Myſtarum doctrinam 73. a.
Melchias dictus Moſes 73. a.
Melchiſedecus, typus Jeſu 492. a. 694. b.
Melicerta, Hercules eſt 146. a. 199. a.
in *Melo* inſula ingens ara, bubulis capitibus exornata 103. b.
Melo, Nilus 113. a. 127. b.
Mem clauſum in medio dictionis apud Iſaiam 466.
Memnon cur Auroræ filius dictus 108.
Μὴν eſt Genius 108. b. eſt Sol ibid.
Menagius (Ægid.) laudatur 284. b.
Menander Epheſius, unde Hiſtoriam ſuam depromſit 209. a.
Menelaus appuliſſe dicitur in Ægyptum 167. a.
Menſes Ebræorum ante Babylonicam Captivitatem appellabantur vulgo ex ordine & numero, quem inter ſe habebant 189. a. Menſium Chaldaica nomina uſurpare cœperunt Ebræi, cum Babylone captivi eſſent 189. b. 216. b. 452. b.
Mercuriales libri Ægyptiorum 58. a.
Mercurii ſenes & barbati Priapi 111. b. ſeniores cur pedibus manibusque truncati & ἐντετμένοι exhibebantur 79. b. cur ſacri montes & Mercuriales dicti 75. b.
Mercurii columnæ quid 56. a. 57. b. ſacris notis inſcriptæ 70. a. eas cum columnis nepotum Sethi perperam confundit Euſebius 58. a. ex iis librum ſuum de myſteriis Ægyptiorum decerpſit Jamblichus 67. a. ex iis philoſophiam didicerunt Eudoxus Cnidius, Plato & Pythagoras 54. b. iis inſcripta erant mundi principia & Moſis doctrina 57. b. 60. a. iis Moſis leges & doctrina ut inſcriptæ fuerint quomodo factum eſt 167. a.
Mercurii oraculum 79. b.
Mercurii ſimulacrum ἐντετμένον 111. b. Simulacra quædam barbata 107. b.
Mercurii ſtatuæ aquas habens ad lævam in labrum defluentes 77. a. ſtatuæ cur præ domorum foribus poſitæ 76. b. cur partim atra facie, partim aureæ pingebantur 78. b.
Mercurii templum in mediis Boſphori Thracii anguſtiis 101. a.
Mercurius Chananæi typus 155. a. idem qui Anubis 145. b. idem qui Faunus ibid. idem qui Taautus Phœnicum, & Thoyth Ægyptiorum 69. b. anguicida 76. a. ἀργιφόντης 76. a. Camillus 76. a. χθόνιος cur Bacchus dictus 81. a. κριοφόρος 78. b. κυνοπρόσωπος 145. b. ἡγεμόνιος 76. b. ἐνόδιος ibid. Fatalis 79. b. ἱερογραμματεὺς Oſiridis 77. a. Imbramus dictus a Caribûs 101. a. Miniſtrator 76. a. μηλοσσόος 75. b. νόμιος ibid. petaſatus 78. b. paſtor 75. b. præſtigiator 76. a. προπυλαῖος 138. a. Semitalis Deus 76. b. σφηνοπώγων 147. b. τροφαῖος 76. b. 138. a. σῶκος 76. b. Thebæus 75. a. τριπόφαλος 78. b. Vius, Viacus, & Trivius cur dictus 77. a. Wodan & Gwodam dictus a Germanis 102. b. ad inferos cur legatus mitti fertur 79. a. Ægyptiis leges cur tradidiſſe dictus 77. a. ab Apolline divinandi artem accepiſſe fingitur 79. b. Apollinis boves cur abegiſſe dicitur 76. b. Arcas cur creditus 75. b. Argum Jovis juſſu interfeciſſe cur dictus 76. b. armi pecudum cur ei conſecrati 163. a. ei Bacchum recens natum a Jove traditum fuiſſe, Veteres finxerunt 79. b. Caduceum cur tenere fingitur 76. a. Canis ſymbolo cur expreſſus 79. b. Cyllenius cur dictus 79. b. furum Deus cur habetur 76. b. eum Germani ut colerent, quomodo factum eſt 102. b. Herculem ſocium habere cur dictus eſt 79. b. hirco ſeſe aſſimilaſſe cur dictus 78. b. hortorum tutor 112. a. infans cum eſſet, cur venuſtus fuiſſe, & omnibus arriſiſſe fingitur 75. a. inventor rerum omnium cur fingitur ab Ægyptiis 77. b. Jovis fulmen cur ſubripere voluiſſe dictus eſt a Luciano 79. a. Junonis lac ſuxiſſe dictus eſt 75. b. lacte & melle cur placari dictus 75. b. legationum ac fœderum repertor cur creditur 79. a. mercimoniis præfectus & ponderum ac menſurarum repertor cur dicitur 79. a. miniſteria infima in cœlo cur obire dictus 76. a. Muſicæ repertor cur dicitur 79. a. Nilo patre natus cur fingitur 75. a. nuntius Deorum & hominum cur dictus 78. b. paſtorum Deus cur habitus 75. b. Poeticæ inventor cur fingitur 130. b. Saturni & Oſiridis, & Iſidis conſiliarius & ſcriba fuiſſe cur dicitur 78. b. ei Septembrem menſem cur conſecrarunt Ægyptii 81. b. ſexum utrumque habuiſſe cur dicitur 75. b. cur in Tricrenis lotus

Digitized by Google

lotus fuisse a Nymphis creditus est 75. a. virgam tenere cur dictus est 155. b. ei vitulum Veteres cur sacrificabant 79. b. Apollini citharam dedit 107. b. Cabirorum unus fuit 76. a. 77. a. 102. a. futura homines monere dictus 79. b. a Britannis cultus 103. b. a Gallis 103. a. a Germanis 102. b. ab Hispanis 104. a. a Thracibus 100. b. ejus historiam Græci partim acceperunt ab Ægyptiis, partim ipsi confinxerunt 89. a. in Imbro insula colebatur 75. a. 101. a. eum Itali ut colerent, effecit Evander 110. b. nascens ab Horis exceptus & educatus fuisse cur dictus est 75. b. cur piscatorum Deus & litorum præses dictus 75. b. 76. a. ei porcus & vitulus cur cæsi 79. b. cur juxta Venerem & Gratias collocatur 152. a. cum Prometheo confundirur 114. b. Mercurius & Hercules communes statuas habuerunt 79. b. Mercurius, Hercules, & Silvanus cur φίννακοι fuerunt 141. a. Mercurii petasus cur media parte albus, media niger fuisse scribitur 78. b. Mercurio & Penelope cur natus Pan esse fingitur 78. b. Mercurii Ægyptii cultus in Septentrione & occasu propagatus 101. a. Mercurio Ægyptio scriptiones multæ falso adscriptæ sunt 77. b. Mercurii Teutatis tumulum prope Carthaginem Novam extitisse, falsum est 104. a. Mercurio Trismegisto perperam tribuuntur libri Pœmandræ & Asclepii nominibus inscripti 77. b.

Merlinus sine patre genitus esse fertur 466. b.

Meropurbateus mons, in quem Brachmanes Deum delapsum credunt, idem esse videtur ac Meros 97. a.

Meros, mons Indicus, Nysæ proximus, Baccho sacer, juxta Dionysiacorum scriptores 97. a. mons commentitius ibid.

Μῆρος quid sonet 97. a.

Merowva, mons sacer apud Indos 98. b.

Merrhis & Merrhina dicta est Thermuthis 73. a. Palmenotis Ægypti regis filia, Chenephris regis uxor 67. b. cum sterilis esset, Mosem adoptavit, juxta Artapanum ibid.

Messias, ejus definitio 8. a. auctor vocationis gentium 492. b. cruentæ ejus vestes quid significent 425. a. dentibus ejus cur candor tribuitur 425. b. oculis ejus cur rubor tribuitur 425. b. ei θεότητα adscribunt Judæi 36. a. ei propheticam facultatem tribuunt Thalmudistæ 494. a. eum sine patre proditurum Judæi quidam crediderunt 466. b. eum patrandorum miraculorum facultate præditum fore affirmant Judæi 501. a. eum in vitam rediturum Judæi crediderunt 620. b. eum Romæ inter leprosos degere tradunt Judæi 368. b. Messias tamdiu cur moretur, causam hanc esse putant Thalmudistæ, quod stupra Nahardææ virginibus a gentilibus suis oblata sint 455. b. Messiam hominem Deum qui negant, hominem tamen divinum fatentur 8. a. Messias duos Judæi sunt commenti 541. b. Messiam unicum, sed bis venturum esse, Rabbini quidam consentiunt 541. Messiam Davidis filium opprobriis & doloribus affectum iri, censuit R. Moses Alschech 542. b. pauperem futurum, docetur in Bereschith rabba 542. a. Messias Davidis stirpe oriturus asino exprimitur apud Isaiam, juxta Judæos 542. a. Messias Josephi stirpe oriturus, pede bovis exprimitur apud Isaiam, juxta Judæos 542. a. vide *Christus*.

Metempsychoseos doctrina, ab Ægyptiis profecta, in Indiam & Sinenses tractus manavit 100. b. eam pertinaciter defendunt Brachmanes 645. b.

Metrodori Lampsaceni Homericæ allegoriæ 715. a.

Mexicani circumcidebantur 104. b. ignem perpetuum servabant 95. b. 104. b. eorum religio & sacrificia, unde orta 104. a. eorum Sabbatum & Jubilæum 104. b. eorum humana sacrificia 104. b.

Michæ idolum quando periit 201. b.

Michææ ætas 300. a. patria ibid. sepulcrum 301. a.

Michael Psellus. vide *Psellus*.

Michael Apostolius. vide *Apostolius*.

מדרשים 713. a.

מימרא, quid 481. a.

Minæi Arabiæ populi a Minos originem trahere crediti 117. b.

Minerva ἐνδρόγυνος apud Ægyptios 149. b. cur post debellatos Titanas Pyrrhicam saltasse fingitur 152. a. est Luna 150. a. Νεμανὶς 154. a. Noemæ typus 154. a. in Minervæ Poliadis templo ignis perpetuus ardebat 95. b.

Minoa dicta est urbs Gaza 117. a. urbs in Arabia ibid.

Minois oppidum 117. a.

Minoes duo, avus & nepos juxta quosdam; unicus juxta alios 120. b.

Minos, dictio facta ex Monios 117. b. ab aliquibus sapiens & justus, ab aliis violentus & imperitus cur fingitur 119. a. ejus antiquitas 117. a. ei Atticam vastanti Dii succenturiati 120. a. apud inferos jus dicere cur fingitur 119. a. ejus conjux Itona 117. a. 155. a. famulus Jovis cur dictus 117. b. ejus historia valde incerta, juxta Strabon. 120. a. in Creta regnasse cur dictus 117. a. in Idæ montis antro cum Jove fabulari dictus 118. b. Jovis δαίτης 109. b. 118. b. ejus leges in tabulis exaratæ fuisse cur dicuntur 119. a. ejus leges omnium antiquissimæ, juxta Platonem 117. a. leges suas sibi a Deo traditas finxit 63. a. legum inventor 118. b. ejus liberi ibid. maris imperium tenuisse cur dictus ibid. Mosi a Strabone & Josepho comparatur 120. a ejus mater cur Phœnissa dicta 117. a. piraticam exercuisse cur dictus 119. b. rex 119. a. ei sceptrum aureum cur tribuitur 119. a. solus a Jove eruditus fuisse cur dicitur 118. b.

Minutius Felix explicatur 152. b.

Miracula Christi a prophetis prædicta 499. ethnicis & Muhammedanis cognita & memorata 501. a. b. ea non inficiantur Thalmudistæ nec Celsus, nec Julianus Imperator, nec Porphyrius 28. a.

Misagenis nomen unde 81. a.

Misericordiæ Ara 165. a.

Digitized by Google

Miſes, Bacchus 80. a. Iſidis filius, in Lini licore tripudians cur exhibetur 80. b.
Miſſus, cognomen Meſſiæ 423. a.
Mneves, & Mnevis, bos, & Deus Heliopolitanus 83. b. Mneves idem ac Moſes 62. b. 83. b. idem ac Menas 62. b. idem ac Monios 75. a. 83. b. idem ac Oſiris 62. b. leges Ægyptiis primus poſuiſſe dicitur 63. a. leges ſuas ſibi a Deo traditas finxit 63. a. Mneves, ſeu Menas, ab aliis Men, ab aliis Minæus, ab aliis Minis, ab aliis Menis, ab aliis Maneros appellatur 62. b.
Moabitæ idolorum cultui impenſe dediti 404. b.
Mœragenes ſcriptor leviſſimæ fidei 642. a.
Mog, Zoroaſtris proprium nomen, juxta nonnullos, quid ſignificet 92. b.
Molæ ſalſæ ritus unde ortus 162. a.
Molus Minois filius 118. b.
Monachius (Steph.) laudatur 57. b.
Monimos, dictio Ægyptiaca, ad Emeſenos tranſiit 75. a. exponitur ibid. Emeſæ cum Sole cultus 73. b.
Monios, Ægyptiaca vox, exponitur 74. a. b. Ebraice redditur Moſes 73. a. 74. a. 173. b. perperam exponitur a R. Iſaaco Abrabaniele 74. a. eadem dictio ac Mnevis 75. a.
Mors, Chriſti ſymbolum 356. b. 384. b.
Morraſthi, ubi ſita 300. a. b.
Morbi aliqui ſolo quorundam hominum contactu ſanantur 504. b.
Moriia, mons, unde ſic dictus 181. b.
Morinus (Steph.) laudatur 78. a.
Mors Jeſu a prophetis prædicta 456. b. 610. cauſa Hieroſolymitani excidii 457. varii ejus typi 612.
Mortuo elato lavabant Athenienſes 163. b.
Μᾶς, ſive *μᾶ*, ſive *μᾶν*, Ægyptiace aquam ſonat 74. b.
Moſcha, portus Arabiæ Felicis, a Moſe videtur dictus 117. b.
Μόχος, unde facta dictio 83. b.
Moſchovitæ ignem perpetuum non ita pridem ſervabant 95. b.
Moſchus Phyſiologus, idem ac Moſes 53. a. idem ac Moſchus Sidonius 53. a. Moſchi doctrinam ſecutus eſt Democritus 53. a.
משה, vox Ebraica eſt, non Ægyptia 153. a.
Moſes ſcriptionibus ſuis originem dedit plurimis variarum gentium legibus ac ritibus præcipue Græcorum, maxime Athenienſium, tum & Romanorum 157. a. eum Ægyptii ſibi vindicant 88. b. ejus ætas 67. a. Æthiopas bello appetit 67. b. Alpha dictus, juxta nonnullos 65. a. 67. b. eum ſolum annos centum viginti quinque vixiſſe, nec quenquam alium præterea, Mathematicorum doctiſſimi crediderunt, juxta Trebellium Pollionem 67. a. inter aſtra relatus 126. a. Aſtronomiæ peritus 78. a. 131. b. Aſtronomiam ab Ægyptiis & Chaldæis didicit, juxta Clementem Alexandrinum 128. b. Aſtronomicum inſtrumentum Heliopoli ſtatuit, juxta Apionem 125. a. *βραδύγλωσσος* dictus 65. b. canus, capillatus, majeſtate oris venerandus fuit, juxta Artapanum 68. a. Cadmi & Danai opera, a Græcis videtur primum fuiſſe cognitus 106. b. cum Calebo a quibusdam confunditur 84. b. Chenephris imperium optimis inſtitutis fundavit 67. b. ejus Chronologia conſentit cum Chronologia variarum gentium 159. b. conſiliarius prudentiſſimus 82. a. Deus habitus eſt ab Ægyptiis 67. b. 72. a. 80. a. 88. b. etiam cum viveret 89. a. divinos honores cur conſecutus eſt 140. a. ei Deorum & Heroum perſonæ variæ a Græcis ſunt impoſitæ 106. b. Deorum fere omnium fabularium exemplar 144. a. Deorum quorundam a Phœnicibus & Ægyptiis confictorum exemplar fuit, quos Græci deinde ad ſe transtulerunt 106. b. dux egregius 139. a. ejus eruditio 128. b. eruditus omni ſapientia Ægyptiorum 70. a. Evander merito dici poteſt 141. b. ejus Geographica 156. b. ei Græci de rerum principiis conſentiunt 153. b. eum Grammaticam Judæis tradidiſſe ſcripſit Eupolemus 141. b. eum Heliopoliten fuiſſe volunt Ægyptii 89. a. Hermopolim condidit, juxta Artapanum 80. a. idem ac Adonis 70. b. idem ac Æacus 123. a. idem ac Æſculapius 112. b. idem ac Amphion 134. a. idem ac Anubis 84. b. idem ac Apis 83. b. idem ac Apollo 107. a. idem ac Ariſtæus 126. b. idem ac Bacchus 80. a. idem ac Cecrops 116. b. idem ac Evander 141. a. idem ac Eumolpus 134. b. idem ac Faunus 139. a. idem ac Janus 137. b. idem ac Linus 133. a. idem ac Marnas 73. a. idem ac Mercurius 73. b. idem ac Minos 117. a. idem ac Mnevis 83. b. idem ac Muſæus 128. a. idem ac Orpheus 129. a. idem ac Orus 84. b. idem ac Oſiris 80. a. idem ac Pan 110. a. in Penatum ac Larium fabula delitefcit 142. a. idem ac Perſeus 126. a. idem ac Priapus 111. b. idem ac Prometheus 114. a. idem ac Proteus 123. b. idem ac Rhadamanthis 122. b. Moſis ſimilis Romulus in multis confictus eſt 143. a. idem ac Serapis 84. a. idem ac Silvanus 140. b. idem ac Thammuz 72. a. idem ac Theuth 73. b. idem ac Tireſias 135. a. idem ac Typhon 88. b. idem ac Vertumnus 138. b. idem ac Vulcanus 84. b. Jeſu typus 698. b. inventor rerum plurimarum 77. a. Jobi librum compoſuit 226. a. 230. a. cum Joſue a quibusdam confunditur 84. b. eum de Judæis veriſſima ſcripſiſſe, agnoſcit Porphyrius 66. b. ejus Legibus uſi ſunt Ægyptii 52. b. Legumlator vetuſtiſſimus habitus eſt apud Ægyptios 57. b. propter Leges latas major natura ſua exiſtimatus eſt 89. a. ejus lenitas inſignis 87. a. Libræ inter aſtra geſtandæ a Veteribus adhibitus 126. b. litterarum inventor creditus 50. a. 70. a. 176. b. litterarum Ebraicarum inventor ab aliquibus, reformator ab aliis habitus eſt 169. b. eum litteras Judæis tradidiſſe, Judæos Phœnicibus, Phœnices Græcis, quidam ſcripſerunt 61. a. Magiæ accuſatus 65. a. 125. a. 132. a. Meſſias primus fuit, juxta Judæos quosdam 426. a. 429. a. Medicinæ peritus 127. b. 128. b. eum morientem anno ætatis centeſimo viceſimo quinto, queſtum

Digitized by Google

quæſtum eſſe, quod juvenis morcretur, ſcripſit Trebellius Pollio 67. a. eum mortem ſuam κατὰ πρόληψιν ſcripſiſſe probabile non eſt 183. b. Muſæus a Græcis dictus 65. b 67. b. Muſices peritus 128. b. Nacheroti boum uſum ad terræ cultionem oſtendiſſe dicitur 67. b. Nacheroti quærenti, quid hominibus in vita eſſet imprimis utile, boum genus reſpondiſſe dicitur 83. b. ejus nomen Ebraicum eſt 173. b. nomina multa geſſit 107. a. b. ſeq. nomina exotica gentium ac locorum ad linguæ ſuæ modum ac genium flexit 174. a. nominum propriorum multorum ſignificatum, quem in primæva lingua obtinuerant, Ebraice retulit 174. a. Orphæi præceptor, juxta Artapanum 67. b. 129. b. Oſarſiphus dictus 60. a. 78. a. Pentateuchum eum ſcripſit, jam Rubenitæ, Gaditæ, & Manaſſæorum pars, ſedes occupaverant Amorrhæorum & Baſanitarum 186. a. Pentateuchum Iſraelitis cur ſcripſit in deſerto 227. a. ejus Pentateuchus librorum omnium, qui ſuperſunt, antiquiſſimus 45. a. Philoſophiæ ſymbolicæ peritus 131. a. Philoſophorum omnium antiquiſſimus 130. b. eum Prophetam fuiſſe agnoſcit Strabo 135. b. ejus prophetiam & miracula illis Prophetarum reliquorum quatuor rebus præſtare docet Maimonides 343. a. prudentia 140. b. Ægypti regem mortuo ſimilem ſanat 68. a. regio jure præfuit Ebræis 130. a. 138. b. rex 69. b. 114. b. 116. b. 130. a. 139. b. rufus 68. a. 123. a. ſapientia omnes anteceſſit, qui ipſo fuerunt vetuſtiores, ejusque ſapientiam imitati ſunt, qui inter Ethnicos clariſſimi fuerunt Sapientes & Philoſophi 68. b. 106. b. ſapiens primus fuit juxta nonnullos 61. a. 77. a. ſervus Dei quaſi proprio cognomento dictus eſt 76. a. 117. b. ei ſexus uterque tributus eſt ab exoticis Scriptoribus 62. a. 116. b. ejus ſtilus hiſtoricus, ſimplex ſ. humilis; licet in ſublimi quoque genere dicendi fuerit exercitatiſſimus 66. a. ei ſtatices inventio adſcribitur 126. b. Theologiæ Ethnicæ fons 69. a. 89. b. 97. b. θεόπνευς dictus 67. a. eum Thermuthis paterni regni ſucceſſorem deſtinaverat, eique rex ipſe Ægypti Thermuthidis pater, diadema ſuum impoſuerat 69. b. in vincula conjectus a rege Ægypti, juxta Artapanum, divinitus iis ſolvitur 68. a. virtutes ſuas ac errata ingenue prædicavit 183. a. ejus virtutes & merita Ægyptio regi ab uno ex Hierogrammateis prædicta 89. a. ejus virtuti invidet Chenephres 67. b. poſt eum vitæ terminus centum & viginti annorum ſpatio circumſcriptus, juxta Joſephum 67. a. unigena creditus a quibusdam 131. b. ὐδρογενὴς dictus 131. b. Moſis Libri Græcanicæ Mythologiæ fons 106. a. 153. b. 156. a. an ante Alexandrum Græce ſint redditi 168. a. eorum pars aliqua ante Perſici imperii excidium Græce reddita eſt 167. b. eos Phœnices quaquaverſus circumtulerunt 167. a. ex Moſis libris aut rebus geſtis, Dii Ethnicorum complures, Heroes, urbium conditores, & Legumlatores, totaque adeo propemodum profana Theologia conficta eſt 69. a. Moſis Libri præter Pentateuchum 185. b.

R. *Moſes ben Maimon.* vide *Maimonides.*

R. *Moſes ben Nachman* refellitur 429. b.

R. *Moſes Kimchi* refellitur 244. a.

משלים, qui 208. a.

Moſo mulierem Ebræam Judæorum leges ſcripſiſſe tradidit Alexander Polyhiſtor 62. a.

Moymin filius Taauthe, juxta Perſas 90. a.

Moyſes. vide *Moſes.*

Muhammedani Vetus Teſtamentum penitus depravatum eſſe cenſent 187. b.

Muhammedo prophetias aliquas accommodare conati ſunt Iſſamitæ 704. b.

Mulier etiam virgo appellatur 469. a.

Mulieres poſt congreſſum virilem lavare juſſit Numa 164. b.

Mundi tempus ut definitur ab Eliæ Schola 438. a.

Muſa portus Arabiæ Felicis, a Moſe videtur dictus 117. b.

Μοῦσα, dictio unde orta 153. a.

Muſæ unde dictæ 153. a. dictæ ſunt Ægyptiæ, Oſiridis ſociæ 153. a. Muſarum fabula unde orta 108. b. 153. a.

Muſica unde dicta juxta Kircherum 153. a. uſus ejus vetuſtiſſimus 232. a. Deo homines conjungere credita 232. a.

Muſicæ inſtrumenta pleraque ex Oriente prodierunt 79. a.

Muſeus Moſes eſt 128. a. cur Ægyptum adiiſſe dicitur 128. b. futurorum præſcius cur fuiſſe dicitur 128. b. cur a Gigantibus dicitur defeciſſe ibid. oracula & expiationum ritus cur docuiſſe dictus eſt 128. b. Orphei vel diſcipulus, vel imitator, vel filius fuiſſe dicitur 129. a. Philoſophus & Theologus fuiſſe cur fingitur 128. b. Theogoniam & Sphæram primus cur docuiſſe fingitur ibid. Thrax cur ab aliquibus dictus 129. a. ei Eleuſinia adſcribit Tertullianus 134. b. ei Muſices & Poeſeos ſtudium cur tribuitur 128. b. ejus nomine editi χρησμοὶ ab Onomacrito 132 a. ejus parentes, patria, & ætas incerta 129. a.

Muthis dicta Thermuthis Cedreno 73. a.

Myeni fabula unde orta 156. a.

Myiagrum Deum cur Hercules imprecatum eſſe dicitur 197. a.

Mylirta Venus 149. b.

Myoharbum quid 147. a.

Myoparones naves unde dictæ 147. a.

Myrtili fabula unde orta 156. a.

Mythologi fabulas ſuas ex Libris ſacris, præcipue vero ex Pentateucho hauſerunt 155. a. multorum hominum geſta uni ex ſuis Diis tribuerunt 155. a. varia ac diſcrepantia de Diis ſuis ſenſerunt 155. a. uni perſonæ varias adjunxerunt ſignificationes, alias φυσικὰς, alias ἱστορικὰς 153. b. unius hominis geſta in plures Deos partiti ſunt 155. a.

Mythologiæ Græcanicæ pars debetur Ægyptiis 157. a.

Nabal,

Digitized by Google

N.

Nabal, 78.
Nabuchodonosor in Judithæ libro memoratus quis 220. a. ejus meminerunt Ethnici Scriptores 209. b.
Nacheroti boum usum ad terræ cultionem ostendit Moses 67. b. Nacheroti quærenti, quid hominibus valde esset utile, boum genus respondit Moses 83. b.
Nahumi patria 302. a. ætas 302. b.
Nanidos & Cyri historia, ex illa Mosis detorta 120. a.
Nasamones alas in capite cur gestant 86. a.
Nasci posse homines ex terra sine patre & matre, quidam existimarunt 160. b.
נשיא. 407. b.
Nasi Judæorum sui juris non fuit 408. a. de tribu Juda delectum fuisse non constat inter Rabbinos 407. b.
Nathan & Gadus Prophetæ, auctores partis cujusdam librorum Samuelis 203. b.
Navigabant crebro Veteres in Oceano Atlantico versus Austrum 104. a.
Nazaratus 91. b. vide *Zaratus*.
Neapolim Romanis ad mortem damnatis tutus receptus fuit 165. a.
נביא, Prophetam & fidicinem sonat 298. a.
Nechephris. vide *Chenephres*.
Necosi victoria de Judæis, ab Herodoto celebrata 209. b.
Nehemias Uzielis filius, nomen Messiæ ex Josephi stirpe orituri, juxta Judæos 541. a.
Nehemias unus fuit e Synagogæ magnæ συνέδροις 214. b. longævus fuit 215. a. b. ad lucubranda Paralipomena operam suam contulisse creditur 214. b. Canonem recognovit ibid. ejus ætas 214. b.
Nehemiæ Liber, cujus auctoris ac ætatis 214. b. cur Esdræ Secundus appellatur 213. b.
Νεμανῆς Minerva 154. a.
Nemrodus idem qui Belus 154. b. eum eundem esse ac Zoroastrem quidam censent 92. a. ei ignis colendi ritum adscribunt nonnulli 92. b. ejus typus Bacchus 155. a. & Mars 155. a.
Neoma a Sinis coli solita 154. a.
Neomeniæ Græcis sacræ 165. a.
Nephes-ogli apud Turcas qui 466. b.
Nepotes ab Ebræis filiorum nomine continentur 311. b.
Neptunalibus frondeas casas extruebant Romani 164. b.
Neptunus Japheti typus 154. b.
Nero Imperator Christianos teterrimis suppliciis vexavit 42. b. ejus adversus Christianos sævitia vulgo damnata fuit etiam ab Ethnicis 42. b.
Nicephorus Callisti notatur 400. b.
Nicolaitæ negabant in Psalmis haberi Prophetias de Christo 345. a.
Nicolaus Damascenus, Herodis & Augusti familiaris, Mosis in Historia sua meminit 63. b.
Niger Idumææ Rector περαίτης dictus 172. a.
Nilus annus cur dicebatur ab Ægyptiis 113. b. cœli æmulus 113. a. Deorum maximus, juxta Ægyptios ibid. Melas dictus & Melo 113. a. 127. b. Osiris est & Orus 113. a. שיחור dictus 127. b. simulacra ex nigro lapide fiebant 127. b. Sirio astro nomen dedit 127. b. Siris appellatur Æthiopum lingua 58. b. 113. a. ejus fontes versus ortum Veteres collocabant 91. a.
Νῖμ, Ægyptia lingua, ex significat 75. a.
Ninive aqua & ignibus erumpentibus subversa non est, ut quidam putant 304. a.
Ninus Beli filius cum patre aliquando confunditur 155. a. significationem habet juventutis 155. a.
Nisus. vide *Scylla*.
Noachus typus Jesu 694. a. ejus typus Bacchus 155. a. Janus 154. b. Saturnus ibid.
ex *Noctibus* non ex diebus tempora sua computant gentes pleræque 71. b.
Noctiluca est Venus 149. b.
Noema typus Minerva 154. a.
Nomina exotica Græci & Latini ad linguæ suæ genium refingebant 173. b. 174. a. Nomina exotica locorum ac gentium Moses ad linguæ modum accommodavit 174. a. Nomina patronymica gerebant Ægyptii 72. a. Nomina plurima gentium ac locorum, quæ commemorat Moses, nihil plane in Ebraica lingua significant 174. a. Nomina propria a Librariis sæpe vitiantur 213. a. Nomina propria erroribus & corruptelis obnoxia 213. a. Nomina propria ex una lingua in aliam dum transeunt sæpe converruntur, significatu tantum, quem in primæva lingua obtinuerant, servato; verbo ipso verbique sono ac syllabis penitus mutatis 172. b. Nominum propriorum multorum significatum, quem in primæva lingua obtinuerant, Moses Ebraice retulit 172. b. Nominum propriorum pars aliqua sæpissime in coagmentatione & conjunctione excidit 75. a. Nominum Græcorum contradictionibus delectabantur Horatii ætate 210. b.
Nominativum pro Vocativo usurpant Attici 350. b.
Νόμος & Νομοθεσία aliquando differunt, aliquando confunduntur 168. b.
Νοὺς, Ægyptia dictio, quid significet 85. a.
Novi Testamenti Scriptores in Vetere explicando receptas sua ætate interpretationes sequebantur 395. a. Septuaginta Senum interpretationem sæpe sequuntur, ebraico vero exemplari raro adhærent 603. b.
in *Nubibus* Deos locare cur solent Poetæ 160. a.
Nudipedalia Paulus Apostolus exercuit 162. a. Nudipedaliorum origo 161. b.
Numa de Deo quid senserit 164. b. Deum ad hominis vel animalis cujuscunque formam exprimi vetuit 53. b. effigiem Dei ullam pingi vel sculpi vetuit 137. a. ejus dogmata quædam ex Mosis legibus expressa 53. b. iis pleraque Pythagoræ dogmata consentanea sunt 53. b.
Numenius libros suos Mosaica doctrina locupletavit 65. b. Platonem, Mosem Atticissantem esse dixit 65. b.

Digitized by Google

Numerorum decupla progressio, in numerando vulgo usurpari solita, unde orta 177. b. Numerorum notæ a Librariis sæpe vitiatæ & corruptæ 177. a. Numerorum notæ, quæ Romanæ vocantur, quintanam progressionem servant 177. b. Numerorum notæ vulgares, quibus utimur, meri sunt characteres Græci 177. b. Numerorum notas cum ipsa Arithmetica scientia Arabes a Græcis acceperunt 177. b.
Numidæ Mosis doctrina videntur fuisse imbuti 157.
Νόμφαι cur dictæ novæ nuptæ 463. a.
Nuptæ, apud Romanos, cur e matris gremio rapiebatur 463. a. ei munera dabantur a Propinquis, cum primum videri se patiebatur 463. a.
Nuptiarum ritus oriza profusa apud Brachmanes, frumento apud Judæos perficitur 98. b.
Nysa mons idem ac Sinai 81. b.

R.

R. *Obadias* Saphornus refellitur 430. a.
Oblatio munda apud Malachiam quid 570. b.
Obscuritas nominatur regio quædam Septentrionalis 124. b.
Ochosias & Josaphatus cum Thracibus & Ponticis gentibus commercia habuerunt 167. a.
עור quid significat 441. a.
Odomantes Judæi, gens Thracia 130. a.
Oeagrus 130. a.
Og, Basanitidis rex, Tityi simulacro expressus 110. a. idem ac Typhon, sive Typhæus 173. a. 194. b. unde dictus 173. a. 194. b.
עולם quid significat 435. a. non infinitum tempus, ut sæpe, sed diuturnum, ut quandocunque, significat 354. a.
Olbio fluvio alveum excavasse cur fingitur Hercules 197. b.
Oleurius (Adam) laudatur 95. b.
Omphales & Herculis fabula unde orta 202. b.
Onæ Templum Leontopoli conditum, ab Isaia prædictum 330. b.
Onomacritus Pisistrati coævus 132. a.
Ononychites 112. a.
Ophiuchus Hercules 197. b.
Oromasus, sive Ormasdes, Zoroastris pater, idem ac Amramus 91. b.
Oraculorum defectus unde 503. a. vanitatem Ethnici agnoverunt 716. a.
Oratio simplex & nativa ad persuadendum & delectandum efficacissima 425. b.
Oriens Christi cognomen 519. a.
Origenem ad allegorias inclinarunt Chæremon & Cornutus 715. b.
Origenes defenditur 595. a. explicatur 217. b. 219. a. notatur 30. b. 401. b. refellitur 171. a. 314. a. 406. b. 410. a. 458. b. 595. a.
Orion filius Hyrieo patri a Diis promissus, typus est Isaaci Abrahamo a Deo promissi 155. a. b.
Ornatrices olim parum pudicæ 467. a.
Orpheas duos veteres finxerunt 129. a.
Orpheus Ægyptum adiisse, & Ægyptiorum disciplinas hausisse cur fingitur 130. a. Agyrta cur fuisse dicitur 130. a. ei Apollinem tradidisse lyram cur Veteres finxerunt 132. a. Arcas fuisse cur dicitur a nonnullis 129. b. ei adscripta sunt Argonautica Orphei Crotoniatæ 132. a. Astronomus fuisse cur fingitur 130. a. cantu feras mansuefeciisse cur dicitur 132. a. ejus caput in Hebrum projectum cur loquax & fatidicum fuisse fingitur 132. b. ejus caput invadens serpens cur in lapidem mutatus fuisse fingitur 132. b. ejus commentarii cur tabulis inscripti, & in monte Hæmo positi dicuntur 131. a. Deorum colendorum, expiandorum scelerum, & morborum curandorum ritus invenisse cur dicitur 130. b. διονυσιακὴν τελεστουργίαν & φαλλοφορίαν, & Mercurii fabulam ad Græcos transtulit, juxta Diodorum 89. a. ejus doctrina arcana 131. a. Eleusinia Athenas dicitur detulisse 131. a. fulmine percussus interiisse cur fingitur 132. b. cur grandinem & nives repressisse, fluvios esse moratus, & mare pacasse dictus est 132. a. cur multa vitæ utilia regendisque hominibus commoda invenisse creditus est 132. a. ei adscripti sunt Hymni Onomacriti 132. a. ei Jason cur denuntiat, sine eo Argonautas in Colchidem pervenire non posse 132. b. Idæorum Dactylorum disciplinam hausisse cur dicitur 130. b. 132. a. ἱεροφάντης cognomento dictus 130. b. inferos bis adiisse cur dicitur 132. b. Isidis & Osiridis sacra in Cereris & Liberi orgia dicitur convertisse 131. a. legumlator 130. a. ei liber de lapidibus vulgo adscriptus, est Onomacriti 132. a. ei adscripti Libri 130. b. 131. a. Magus fuisse cur dicitur 132. a. ejus mortem cur Bistonides flevisse finguntur 132. b. Moses est 129. a. Musicus fuisse cur dicitur 130. b. ejus præceptor Moses dictus est a quibusdam 129. b. Mosis doctrina imbutus fuisse dicitur a Justino 131. a. Poeta fuisse cur dicitur 129. b. 130. b. mysteriis doctrinam suam occultavit 131. a. nomen ejus unde 130. a. 132. a. nullam unquam fuisse Orpheum, docent Aristoteles & alii 133. a. Æagri fluvii filius cur dictus 132. b. in Olympo monte sepultus fuisse cur fingitur 132. b. Panathenæa Athenas dicitur detulisse 131. a. Philosophus cur habetur 130. b. Poetarum omnium antiquissimus dicitur 129. b. rex fuisse cur creditur 129. b. Sacerdos cur dictus 130. a. Spiritu sancto afflatus fuisse dicitur a Celso 132. a. tiaram gestare cur fingitur 130. a. Theologus cognomento dictus 130. b. Theologus vetustissimus 129. b. Thesmophoria Athenas detulisse dicitur 131. a. Thrax fuisse cur vulgo creditur 129. b. vates futurorum præscius 132. a. versus ei adscripti ab Aristobulo, Justino, & aliis, a Veteribus Christianis videntur esse conficti 131. a. vixisse novem ætates fingitur 129. b. uxorem interemtam ad vitam revocasse cur fingitur 132. b.
Orpheus Crotoniata Pisistrati æqualis 132. a.
Orphica, Bacchi orgia 130. b. Pisistrati ævo antiquiora non sunt 132. a.
Orphici hymni emendantur 149. b.

Digitized by Google

Orphicus appellatur symbolicus de rebus divinis differendi modus 131. a.
Orus idem ac Moses 84. b. idem ac Priapus 84. b. 111. b. Osiridis filius, vel, juxta alios, frater; vel, juxta quosdam, idem qui Osiris 84. b. 107. a. quomodo pingi solitus 84. b.
Osarsiph dictus est Moses 60. a. 73. a. 78. a. Osarsiph quid significet 78. a.
Osee patria 290. a.
Osirapis 78. a.
Osiris Apollinis pater 107. a. idem ac Adonis 71. a. idem ac Bacchus 71. b. 107. a. idem ac Moses 80. a. idem qui Sirius & Siris 113. a. Sol est 71. b. symbolum est rerum multarum 153. b. unde dictus 84. a. Tauros aratri usum docuit 102. b. Danubii fontes adiit 102. b. ejus exercitum cur Hercules duxisse dicitur 81. a. Indiam multis Ægyptiorum coloniis frequentavit 99. b. Poetices inventor cur fingitur 130. b. eum Indi in patria sua natum volunt 99. b. ejus in Indiam expeditio, juxta Eratosthenem & Strabonem, fabulosa est 99. b. ejus mors & reditus ad vitam apud Ægyptios celebrantur 71. b. eum nigro colore Ægyptii inficiunt 113. a. partem ejus obscenam Priapum esse fabulantur Ægyptii 112. a. sepulcrum ejus ignotum 83. a. ejus simulacra cur velamine flammeo obtecta 83. a. 165. a. ejus simulacrum cur ἐξοχθίζον τῷ αἰδοίῳ 111. b.
Ovidius explicatur 123. a. refellitur 174. b.
Oxartes cum Nino confixit, juxta Ctesiam; non Zoroastres 91. a.
Oxydracæ cur orgia cum cymbalis celebrabant 82. b.
Oxylus agros pignori opponi cur vetuit 162. b.

P.

Pagninus (Sant.) notatur 459. a.
Παλαιὸς Græca vox, unde orta 194.
Palephatus Abydenus, Aristotelis amasius, idem videtur qui Abydenus 59. b. Fabularum Interpres 59. b. 715. b.
Palæstina Phœnice dicta 194. b.
Palæstini כרתים dicti 117. a. cum Cretensibus confunduntur 117. a.
Paletyrus 199. b.
Palladi virga cur tribuitur 155. b.
Palmenothes Ægypti rex 67. b.
Pamphilia & Pilidia, Phœnice dictæ 101. b.
Pan ἀγρεὺς 110. a. 111. b. ἁλιπλαγκτος cur dictus 110. b. Apollo nominatur 107. a. 110. b. Arcadibus magno in honore erat 136. b. 139. b. Bacchi socius & διασώτης 111. a. bellator 111. a. Cererem in Arcadiæ specubus latitantem reperisse cur fingitur 111. a. cornua aurea & ad cœlum pertinentia cur ei affinguntur 110. b. Deorum antiquissimus ab Ægyptiis & Arcadiis habitus est 110. a. 137. a. 139. b. Deorum & hominum μεσίτης ac sequester 99. a. deserta loca habitare cur fingitur 110. b. facie miniata cur pingi solebat 110. b. futurorum præscius cur fingitur 110. a. Gigantes conchæ sonitu exterruisse & in fugam dedisse cur dictus est 111. a. 198. a. hircinam formam gerere cur dicitur 110. b. idem ac Ephialtes 139. b. idem ac Fatuus & Fatuellus 139. b. idem ac Faunus 139. a. b. idem ac Inuus 139. b. idem ac Moses 110. b. idem ac Priapus 111. b. idem ac Saturnus 146. a. idem ac Silvanus 146. a. idem ac Sol 110. b. ei ignis perpetuus cur alebatur 110. b. eum Itali cur colerent, Evandri opera effectum est 110. b. ei Lampadephoria instituta 110. b. ejus pater Mercurius esse cur dicitur 75. b. 78. b. ei & Mercurio communia multa sunt 110. b. montivagus cur fingitur 110. a. b. mundi Harmoniam fistula concinere cur fingitur 111. a. Musarum ductor cur dicitur 153. a. naturæ symbolum 614. b. νόμιος 110. a. Nympharum dux & comes 110. a. σκοπτηλὶς 111. b. φιλοσκήλυγξ 111. b. φόξιος 109. a. saltator 111. a. Satyros & Musas secum ducere cur dicitur 110. b. Scoliæ 111. a. speculans longinqua cur fingitur 111. b. verus fuit Christus Jesus 614. b. ei virga & fistula cur tribuuntur 110. b. Pan & Vulcanus communia habent quædam 110. b.
Παναφέτης & Παναφέτης σοφίας nomen, quibus Scripturæ sacræ libris tribuitur 243. a.
Panchaica columna aurea 57. a.
Panchaicæ literæ 57. a.
Pandora eadem est quæ Cybele 148. b. Evæ typus 51. b. 115. b. 154. a.
Panthea signa 148. a.
Panthea nomen cur Drusillæ post mortem tributum 151. a.
Pantheon Romæ templum, unde dictum 146. a. 148. a. 151. a.
Pantheum unde dictum est Myobarbum Ausonii 148. a.
Panther, cognomen Jacobi, qui fuit Josephi pater, juxta Epiphanium 467. a. Joachimi pater, Mariæ virginis avus, juxta Johannem Damascenum 467. a. Josephus Mariæ virginis maritus, cognomento videtur fuisse dictus 467. a.
Panthera, Mariæ matris Jesu maritus, Jesu pater, juxta Thalmudistas & alios 467. a.
Παραβαπτισταὶ, qui 40. b.
Paraboli, sive Parabolani qui 41. a.
Paradisi terrestris typus est ætas aurea 154. a. ejus notitiam habuerunt Brachmanes 97. b. eum refert Hortus Jovis, Platoni commemoratus 55. b.
Παραπεκδυνευμένοι qui 41. a.
Paralipomena collecta ex Actis diurnis, & Prophetarum scriptionibus, & vetustioribus Libris Scripturæ 211. a. quando scripta 211. b. post Librum Esdræ scripta esse, opinantur Ebræi 211. b. ea Esdræ adscribunt Ebræi 211. b. eorum Auctor quo tempore vixerit 214. a. Paralipomena & initium Libri Esdræ unius esse videntur Auctoris 211 b. Paralipomenon nomen ostendit posteriora ea esse Libris Regum 212. a.
Parcæ eædem ac Luna 150. a.
Παρέκτασις quid 706. b.
Paris appulisse dicitur in Ægyptum 167. a.

Digitized by Google

Παρώνυμα Ebraica Græci Interpretes Græcis παρωνύμοις aliquando repræsentarunt 174. a.
Paſcha typus quidam apud Peruvianos 105. a. Paſchæ tempore ſe a Meſſia redemtum iri ſperant Judæi 696. b.
Paſiphaes adulterium unde confictum 119. b.
Paſiphaes taurus Vituli aurei Aaronis typus ibid.
פשוט quid 713. a.
Pateneit, Saiticus Sacerdos 106. a.
Pater Jedor, unum e nominibus Moſis 72. b.
Patria appellatur, non in qua quis natus eſt, ſed in qua educatus 471. a. b.
Pauli & *Theclæ* periodi 35.
Paulus apoſtolus nudipedalia exercuit 162. a. ejus epiſtolas repudiabant Elceſaitæ 26. b. nec non Ebion & Severus 23. a. in eas temere graſſati ſunt Marcion & Baſilides 23. b. Pauli Epiſtolas ad Timotheum repudiabat Tatianus 23. a. Pauli Epiſtolæ quædam, præter Canonicas olim circumferebantur 25. b. ſuppoſititiæ ad Laodicenſes 25. b. Epiſtolæ ſuppoſititiæ ad Senecam 25. b.
Paulus Samoſatenus Pſalmos poſt Chriſtum compoſitos credidit 233. b.
Pauſanias refellitur 110. a.
Pax duplex hominibus per Jeſum Chriſtum parta, temporaria, & æterna 440. b. per Chriſtum Jeſum parta qualis 525. a. b. per Chriſtum oritura, ab Iſaia prædicta 441. a. 525. a. b. Pacis princeps Chriſtus 360. a. 383. b.
Pedibus nudis ad eliciendas aquas Deo ſupplicatur 162. a. Pedibus nudis ſacrorum faciendorum mos a Judæis ortus 161. vide *Nudipedalia*.
Πεζῇ unde dicta 85. a.
Pelasgi Aboriginum cognati 136. b. in Italia Diis voverunt proventuum omnium ſuorum decimas 136. b. Pelasgorum coloniæ in Italia 136. b.
Pelasgia dicta eſt Arcadia 136. b.
Pelasgicæ literæ 137. a.
Pelei fabula unde orta 156. a.
Penetes an iidem ac Lares 142. a. Moſem diſſimulant 142. b. Dii Romanorum proprii 142. a. qui 142. b.
Pentateuchus Moſis, Librorum omnium, qui ſuperſunt, antiquiſſimus 45. a. ſummarium Legis Judaicæ 187. b. Pentateuchum Moſes Iſraelitis cur ſcripſit in deſerto 227. a. Pentateuchi exemplar penes ſe habere unumquemque debere docent Rabbini 187. b. Peutateuchi velut appendices ſunt reliqui Libri ſacri 187. b. Pentateuchi pars aliqua ſcripta eſt, poſtquam Rubenitæ, Gaditæ & pars Manaſſæorum, ſedes Amorrhæorum & Baſanitarum occupaverunt 186. a.
Pentateuchus Samaritanus 51. b.
Perequatores 474. a.
Pererius (Bened.) refellitur 408. a. 421. a. 432. b.
Peripatetica Philoſophia ex Moſe & Prophetis manavit 58. b.
Perſæ acta diurna in literas diligenter referebant 207. b. adipem cur adolent in ſacrificiis 94. b. Iſraelitica religione imbuti 90. b. Iſraeliticis militibus uſi ſunt 167. b. Judæorum Libros ſacros cognoverunt & legerunt 167. b. Judaicis rebus imbuti 167. b. quidam Moſis Legem ſervant, qua fratris absque liberis defuncti uxorem frater ducere tenetur 157. a. eorum priſca religio e libris Moſis profluxit 89. b. qui eam hodie retineant 89. b. eorum reges ad bella extra Perſidem gerenda proficiſcentes, regni hæredem deſignare ſolebant 448. a. Perſarum veterum dogmata a recentioribus dijudicanda ſunt 89. b.
Perſæ Carmanienſes religionem majorum ſuorum fidelius retinuerunt, quam Perſæ Indienſes 90. b.
Perſica lingua & Germanicæ vocabula multa communia ſunt 175. a. Perſicam linguam Græci facile condiſcebant 167. b. eam Themiſtocles facile didicit 167. b.
Perſicarum rerum Collectio facta, idem fortaſſe liber fuit ac Zundavaſtaw 96. a.
Perſeus Ægyptius fuiſſe cur fingitur 126. a. Andromedem Cephei Æthiopum regis filiam duxiſſe cur fingitur 126. a. arcæ ſtatim ab ortu incluſus, & in mare abjectus cur fingitur 126. a. idem ac Moſes 126. a. Magus fuiſſe cur dicitur 126. a. in Polydectæ regia educatus cur fingitur 126. a. ſpeculator cur dictus ibid. Perſei ſpecula ibid. Perſei filius Erythras ibid.
Peruviani Africanis orti videntur 104. a. Paſchæ typum quendam retinent 105. a.
Petavius (Dion.) caſtigatur 215. b. refellitur 445. a. b. 448. a. 452. a. 453. a.
Πέτρα, quid 624. a.
Petrus & Paulus Apoſtoli, Magiæ accuſati 502. a. b. Petri ſecunda Epiſtola inter dubios & controverſos Scripturæ ſacræ Libros olim ab aliquibus poſita 24. b.
Phallephoria unde orta 82. a. 207. a.
Phallus 112. a.
Phaltiel, unum ex nominibus Moſis 72. b.
Pharao, quo regnante natus eſt Moſes, idem videtur ac Thammuz, ſive Themoſis, ſive Tethmoſis 72. a. Pharao Crocodilum ſignificat 108. b.
Pharcis & *Pharia* dicta eſt Thermuthis filia Pharaonis 73. a.
Pherchydes Ægyptiorum & Chaldæorum diſcipulus 52. b.
Philemon & Baucis, typi Lothi & uxoris 155. b.
Philo Ebraice redditur Jedidæus 173. a.
Philo Byblius Sanchoniathonem fideliter non eſt interpretatus 70. b. emendatur 69. b.
Philo Judæus allegorice Scripturam ſacram interpretatus eſt 712. b. Ebraicæ linguæ rudis 251. a.
Philo Senior carmina ſcripſit de rebus Judæorum 61. b. Helleniſta videtur fuiſſe 251. a. Judæus fuit 61. b. & tamen inter Græcos poſitus eſt a Joſepho 60. b. libros Moſis compilavit 61. b. librum Sapientiæ Græce expoſuit 251. a. librum Sapientiæ liberiori interpretatione explanavit 251. a.
Philochorus Moſis meminit 60. a. ejus ætas ibid.

Digitized by Google

Philoponus emendatur 29. b.
Philosophia Christiana Ethnicam Philosophiam illustravit 15. b. Philosophiæ distribuendæ in partes quatuor rationem ex Salomone Græcos sumsisse tradit Origenes 249. b.
Philosophorum disciplinæ, quæ sustinent se ab omni assensu, minus adversantur Christianismo, ac vulgo creditur 5. b.
Philostratus antiquitatis testimonium commodat Evangelicæ historiæ & Actis Apostolorum 21. a. Apollonii vitam cur scripsit 641. a. 642. a. Apollonium suum ad Christi Jesu simulacrum effingere conatus est 642. b. contradicit ipse sibi & repugnat 644. b. eruditionem suam gratis ostentat 642. b. notatur & refellitur 100. b. 641. a. b. 646. a. Pythagoricæ sectæ addictus 645. b. scriptor eruditus, sed parum verax 644. a. ejus historia de Apollonio nullis idoneis nititur testimoniis 641. b. refellitur 641. a.
Phlegontis testimonium de Solis defectione & motu terræ, quæ moriente Christo contigerunt 28. b.
Phocylidi adscriptum poema ψευδεπιγραφον, Mosaicis præceptis perspersum 68. b. Hellenistæ, vel Christiani satis recentis fœtus 68. b. nullus Patrum veterum ejus meminit 68. a.
Phœnice dicta est Palæstina 194. b.
Phœnices a Josua exterminati, in quæ loca profugerint 199. a. a Judæis Grammaticam accepisse, & Græcis tradidisse scribit Eupolemus 141. b. eos cum Ebræis recentiores Scriptores confuderunt 69. a. 194. b. Græcis literarum characteres tradiderunt 176. a. in Bithynia, Thracia, Rhodo & finitimis locis 101. b. in Samo ibid. in Occidentem Ebraismum disseminarunt 175. a. Mosis libros per universum orbem circumtulerunt 167. a. ψωλοι ab Aristophane cur dicti 195. a. scribebant in saxis 56. b. se a Mari rubro venisse dicebant 69. a. veram historiam fabulis inquinarunt 106. b. iis literarum inventio a Veteribus tributa 176. b. eorum coloniis gentes pleræque Theologiam suam debent 175. a. eorum navigationes Abrahamo recentiores 175. a. eorum Theologia Mosaicis dogmatis imbuta 69. a. Phœnices & Ægyptii universis hominibus Theologiæ principia tradiderunt, juxta Philonem Byblium 106. a.
Phœnicia lingua. vide *Chananæa.*
Phœnix avis Sinarum fabulis celebratus 100. a. b.
Photius totius Josephi ἐγχειρολογίας epitomen dare propositum non habuit 34. b.
Phryges ignis cultores 95. a.
Phrygii amictus origo 165. a.
Phtha 145. cur sic dictus 86. b. idem ac Mercurius, Suada, Taautus, Thoth, ac Vulcanus 85. a. patrem habuit Cnephum 85. a.
Phurim dies, sive Sortium Hamanæa dicta, & Mardochaica 223. a.
Phurim dici origo ut cognosceretur, Liber Esther præcipue videtur esse scriptus 223. b.
φυλον recte dici potest Secta Christianorum 35. a.
Phili vocati sunt a Romanis, qui Britanni a suis 173. a.
Pindarus explicatur 627. a. Pindari Scholiastes refellitur 627. a.
ΠΙΠΠ in veteri Codice Marchallsem per ponitur pro יהוה 380. a.
Piscibus, qui squamosi non essent, pollucere vetuit Numa 164. b.
Pisidices & Achillis historia ex historia Mosis detorta est 130. a.
Plagæ quadragenæ 165. b.
Plato ad divinarum rerum comparandam scientiam exilia potius quam peregrinationes suscepit 92. b. Ægyptiam linguam didicit 167. b. Ægyptios Hierophantas adiit 54. b. Apolline & Perictyone natus fingitur 466. a. cum Judæis conversatus 56. a. Deum definit, ut Moses 56. a. Deum unicum esse demonstrat 55. b. ex Columnis Mercurii doctrinam suam hausit 54. b. eum Jeremiæ consuetudine usum perperam aliquando credidit Augustinus 55. a. in assignanda rerum caussa Mosem videtur esse secutus 56. a. in legum suarum descriptione eundem ordinem tenuit ac Moses 55. a. materiam mundi προϋπάρχουσαν & æternam statuit 55. a. Mercuriales libros compilavit ibid. Mosis Atticissans 56. a. Mosis libros involavit 56. a. Mosis libros legit diligenter ibid. mundum a Deo conditum & conservatum cum cerneret, Dei vocem audire sibi videbatur 55. b. Socratis supplicio absterritus est, quo minus aperte de Deo dissereret 56. a. emendatur 630. a.
Platonici habiti sunt prisci Christiani 56. a. Platonicorum librorum frequentiorem lectionem Christianis objiciebat Julianus 56. a.
Plautus explicatur 152. b.
Plinius notatur 65. a.
Plutarchus columbæ ex arca emissæ meminit 64. b. multa sumsit vel a Mose, vel ab iis, qui a Mose sumserunt 64. b. emendatur 279. b. refellitur 90. b. 161. a. 466. b.
Pluto Semi typus 154. b.
Pluto Sinopensis 145. b.
Pluviæ Christi symbolum 388. a.
Pocockius (Ed.) laudatur 150. a.
Pœnæ reciproci 165. b. Pœnas scelerum quo sensu Deus a nepotibus dicitur esse expeticturus 277. a.
Poetæ multi a Deo afflati futura prædixerunt 232. a.
Polemon Mosis meminit in historia sua 60. b.
Polycarpus primam Apostolorum successionem attigisse se jactabat 20. b.
Ponticarum gentium commercia cum Judæis 167. a.
Pontifex apud Romanos quomodo sanguine aspergebatur 164. b. Pontificis Judæorum mors, typus fuit mortis Christi Jesu 613. a.
Pontus Euxinus cur mare nigrum dictus 124. b.
Porphyrius Christianos libris suis oppugnavit 66. b.

Digitized by Google

Danielis librum refellere instituit 286. b. Longini discipulus 66. b. Mosem de Judæis verissima nunciasse agnoscit 66. b. emendatur 69. b. 70. a. notatur 15. b. castigatur 458. a. b. refellitur 332. b. 384. b. Porphyrii Homericæ allegoriæ 715. a.

Posidonius Geometriam adversus Zenonem Epicureum defendit 4. b.

Præda Diis offerendæ ritus unde ortus 161. b.

Prædictiones. vide *Prophetæ.*

Prænestæ Romanis ad mortem damnatis tutus receptus fuit 165. a.

Πρεσβύτερος Senem & Sacerdotem sonat 284. a.

Priapus alatus cur fingebatur 112. b. bellator 111. b. cornu copiæ gestare, & vites custodire cur fingitur 112. a. fontium index cur dictus 112. a. genitalium custos cur fingitur ibid. hortorum custos cur dicitur ibid. idem ac Moses 111. b. idem ac Osiris 112. a. idem ac Pan 112. a. idem ac Sol 145. b. idem ac Typhon 112. a. 146. a. infans a matre expositus cur dicitur 112. a. liberalis 112. a. cum Mercurio quædam habet communia 111. b. 112. b. Osiridis pars oscœna 112. a. puerili ætate quandoque exhibebatur 111. b. rusticus Deus 111. b. saltator ibid. unus ex Idæis Dactylis ibid. Priapo natura duplex cur tributa est 112. b. ei asini effigies cur adjungebatur 112. a. ei cum Baccho magna erat affinitas 111. b. ejus barba & caput canis albicabant 111. b.

Principia quædam moralia plures assentientes habent, quam principia Geometrica 3. b. Principiis moralibus nemo adhuc fidem detraxit 4. b. Principiis quam claritatem inesse debere censuerint Speusippus & Proclus 18. a. Principiorum omnium, tam ἐπιστημονικῶν, quam moralium fides, pendet a nativa ipsorum evidentia & claritate 3. a.

Proclus a Johanne Philipono confutatus 67. b. nudis pedibus sacra faciebat 161. b. & seq. perperam censuit, ita nos imaginari posse puncta, lineas & superficies, ut ab ἀμερίστοις ad μέριστα fieret progressio 9. b. refellitur 9. a. 11. a.

Procopius castigatur 258. b. refellitur 358. b.

Prodici Philosophi sectatores librum in arcanis habebant Zoroastri adscriptum, sed falsa 96. a.

Descensus ad Inferos Orpheo adscriptus 628. a.

Prologus ἐνενηκοντάδος libri Ecclesiastici explicatur 257. a. refellitur ibid.

Prometheus idem ac Alzazel 116. a. idem ac Moses 114. a. Magogi typus 155. a. Cabirorum unus 114. b. Asiæ maritus cur dictus 114. b. Deucalionis pater cur dictus 115. b. viarum index cur dictus 115. a. confunditur cum Æsculapio 114. b. cum Mercurio 114. a. b. futuri præscius cur fingitur 115. a. hominem de luto finxisse cur dictus est 115. a. ignem de cœlo rapuisse cur dictus est 115. a. cum Jove colloquia habuisse cur fingitur 115. a. eluvione Nili in magnas angustias redactus, & ab Hercule adjutus fuisse fingitur 114. b. Caucasi rupibus affixus, & ab Aquila depastus, & ab Hercule liberatus cur fingitur 116. a. 197. b. remedia morborum cur reperisse dictus 114. b. bovem in duas partes divisisse, & hinc ossa adipe tecta, inde carnes Jovi, tentandi causa apposuisse cur fingitur 115. a. 116. b. metallicæ, astronomicæ aliarumque artium inventor cur fingitur 115. a. ei Aruspicinæ artis inventio cur tribuitur 115. a. sapientia & providentia cur ei adscribitur 114. b. cur ei sceptrum tribuitur 114. b. Promethei, an Æsculapii esset Panopense simulacrum, incertum fuit 114. b. Promethei furtum Jovi indicasse homines, iisque Juventam fuisse datam, quam cum veheret asinus, serpenti hunc ipsam dedisse ad impetrandam bibendi veniam cur fingitur 115. b. Prometheus & Vulcanus simul & iisdem religionibus placabantur 115. b. Prometheo & Vulcano communis erat ara 115. a. b.

Prophetæ de rebus futuris, tanquam præteritis solent differere 296. a. a Pseudoprophetis quid discrepent 706. a. b. historias sæpe scribebant 208. b. in vaticiniorum suorum libris historica pleraque admiscebant 208. a. res aliter narrant ac Historici 610. a. post Christum extiterunt 503. a. ea fere conscribebant, quæ pertinebant in longitudinem 299. b. dicuntur Poetæ & cantores 298. a. 299. a. Prophetæ & Poetæ multa habent communia 299. a. Prophetæ fere musici 232. a. Prophetæ priores ab Ebræis qui & cur dicti 343. b. Prophetarum dignitati non officit, aliorum Scriptorum verba ac sententias usurpare 318. b. Prophetarum duodecim libri a viris Synagogæ magnæ in ordinem digesti pro ratione temporum 289. b. quo ordine inter se disponendi ibid. Prophetarum ingenio afflatus suos accommodavit Spiritus S. 319. a. Prophetarum libris præfixæ Inscriptiones a Prophetis ipsis additæ sunt 324. a. Prophetarum mos non est, res ordine referre 260. a. 262. b. 377. b. Prophetarum oratio scabra, salebrosa ac diffipata esse solet 706. a. Prophetarum parentes in Scriptura nominati Prophetæ ipsi quoque fuerunt, juxta Ebræos 370. b. Prophetarum prædictiones sunt certissimum ad probandam Religionis Christianæ veritatem argumentum 5. a. Prophetas Ægyptii appellant quorumlibet sacrorum ministros 298. b.

Prophetia quid 7. b. verax quæ 13. b. Prophetia etiam est præteritorum & præsentium 7. b. Prophetiæ donum ad postremum usque Christi adventum in Ecclesia non desiturum, docet Scriptor vetus apud Eusebium 503. a. Prophetiæ munus temere usurpare, capitale fuit, juxta legem Mosis 602. a. Prophetiæ secundus gradus quis 299. a. Prophetiæ universim potius quam sigillatim spectandæ sunt 705. a. Prophetiæ quædam non solitariæ, sed cum toto, unde prodierunt, contextu spectari debent 705. b. Prophetiæ pleræque veteris Testa-

Digitized by Google

Testamenti in unum Jesum conveniunt 705. a. Prophetiæ post Jesum desitæ 495. Prophetias extra Terram sanctam literis tradere non licere, falso asseverarunt Thalmudistæ 278. a. 288. b. Prophetias simulacris quibusdam adumbrare solet Spiritus S. 334. a. Prophetias non semper claras & distinctas esse oportuit 709. a. 710. a. b. Prophetias ac typos Christi Jesu, qui extant in novo Testamento, non necesse est in eandem sententiam ac antecedentia & consequentia conspirare 705. b. Prophetiarum collectiones a centonibus quid discrepent 708. b. Prophetiarum duplex genus, per signa & per verba 334. b. Prophetiarum finis Christus 386. b. seq. Prophetiarum, quæ fiunt per verba, multiplex est genus 335. b. Prophetiarum triplex genus est in Libris sacris, quod Christum mere respicit; quod Christum respicit κατὰ λέξιν, alia κατὰ σχῆμα; quod Christum κατὰ σχῆμα, alia κατὰ λέξιν 711. b. Prophetiis inest vis argumenti, contra quam credidit Grotius 336. b. Prophetiis multis duplex inest significatio, quorum primaria pertinet ad Christum, contra quam credidit Grotius 336. a. Prophetiis præ cæteris argumentis, ad probandam Christianæ religionis veritatem utendum est 337. & seq.

Prophetica facultas a solo Deo est 13. b. ejus caussam in animi motione ponit Porphyrius 16. a. eam concessam non esse a natura hominibus, communis opinio est 14. a.

Propontis cur Mare album dicta 124. b.

Propter viam sacrificium unde originem habuit 164. a.

Proserpina eadem ac Bona Dea 148. b. eadem ac Maja 148. b. eadem ac Medea 148. b.

Protei columnæ quid 125. a.

Proteus Ægyptius fuisse cur fingitur a nonnullis 123. b. æquitatis laus cur ei tribuitur 125. b. Astrologiæ peritus cur fuisse fingitur 125. a. ei divini honores in Ægypto cur tribuuntur 126. a. filios duos habere cur dictus est 124. b. fortissimus & invictissimus fuisse cur fingitur 125. b. idem ac Moses 123. b. in omnia rerum miracula cur sese fingitur transformasse 124. b. Jovis filius cur dictus 123. a. ἀπατεωμένης cur dictus 125. a. Magus & præstigiator cur fingitur 125. a. ei maris claves cur tribuuntur 124. a. naturæ principia cur aperuisse dictus est 125. b. Neptuni armenta pascere cur fingitur 125. b. Neptuni filius, vel juxta Homerum, famulus 124. a. ei Neptunum sub mari alveum parasse, per quem ex Pallene in Ægyptum siccus penetraret, cur Veteres finxerunt 124. a. Phœnices filius 124. a. πολύβιλος 125. b. præterita, præsentia & futura callere cur dictus 125. a. rex Ægypti 124. a. saltator 125. b. ei Memphi templum cur conditum in Castris Tyriorum 124. a. Thrax cur ab aliquibus dictus est 123. b. 129. b.

Proverbiorum Liber a Rabbinis e sacrorum Librorum censu fere expunctus 242. b. ejus Auctor quis 239. a. eo Ethicam tradi volunt Scripturæ sacræ interpretes 249. a.

Prudentia prophetia quædam est 7. b.

Ψαλὰ quid 163. a. Ψαλτὴν origo 163. a.

Psalmi aliquot in Babylonica captivitate, quidam & post eam compositi 233. a. b. aliquot cur ἀνεπίγραφοι & ἀδέσποτοι 232. a. ἀνεπίγραφοι cujus sunt Auctoris 235. a. post Esdram nulli ad priscos adjecti sunt 233. b. Psalmos post Christum Jesum compositos esse credidit Paulus Samosatenus, & deinde Anabaptistæ 233. b. Psalmorum Auctores varii fuerunt 232. a. Psalmorum numerus ab Esdra fuit determinatus, eorumque Volumen in Canonem ab eo dedicatum 233. b. Psalmorum ordo a temporum ordine cur discrepet 235. b.

Psalmus XXI. Christo addicitur 598. a.

Psalmus LXIV. cur Davidis, Jeremiæ, & Ezechielis nominibus inscriptus 277. a.

Psalmi LXVII, v. 5. 7. & 19. Christo Jesu addicuntur 616. b.

Psalmi LXVIII, v. 22. Christo Jesu addicitur 609. a.

Psalmos LXXIV, LXXVIII, & LXXIX, Esdræ temporibus adscribunt quidam 233. b.

Psalmus LXXVII, Messiæ prænuntius 499. b. eum ab antecedente haudquaquam esse disjungendum, Judæi quædam tradiderunt 499. a.

Psalmus LXXXIX, & sequentes decem, Mosi adscribuntur 234. b.

Psalmus XCII, Adamo adscribitur ab Ebræis 235. a.

Psalmi XCV, v. 10. genuina scriptura agnoscitur 604. a.

Psalmus CIX, clarissimas de Messia prædictiones continet 353. b.

Psalmus CXVII, in Judæorum Synagogis creberrime legi solitus 235.

Psalmus, quem extra centum & quinquaginta Canonicorum numerum exhibent Septuaginta Interpretes, fœtus esse videtur Helleniſtæ alicujus 239. a.

Psalterium cur Davidis nomine inscriptum 237. b. in quinque Libros divisum 235. b. quando 236. a.

Psalterium Salomonis a Johan. Lud. de la Cerda editum fœtus esse videtur Helleniſtæ alicujus 238. b.

Psammiticbus Ionibus & Caribus agrum in Ægypto habitandum concessit 167. a.

Psellus (Michael) fabularum anagogas scripsit 715. b.

Psenophis sacerdos Ægyptius 52. b.

Pseudo-Dorotheus auctor libri de vitis Prophetarum 280. b.

Psonthomphanech dictus est Moses, perinde ut Josephus 79. b.

Pterelas regnum & vitam cum aureo capillo a Cômætho filia abscisso amisit 202. b.

Πτερὸν quid 85. a.

Ptolemæus Chennus notatur 65. a.

Digitized by Google

Ptolemæus Lagides Judæos complures traduxit in Ægyptum 166. b. ei Serapis in somniis visus 84. a.
Ptolemæus Mendesius Mosis in Historia sua meminit 64. a. b.
Puerperæ immundæ habebantur apud Athenienses 163. b. eas quadraginta diebus templo abstinere jussit Numa 164. b.
Pyramides apud Sinas, itidem ut apud Ægyptios, sepulchris impositæ 100. a.
Pyramis quædam a Brachmanibus culta 100. a.
Pythagoras ab animatorum esu quamvis abstineret, certas tamen victimarum partes comedebat 83. b. Ægyptiam linguam didicit 167. b. Arabes, Chaldæos & Ebræos præceptores habuit 53. a. circumcisus fuit, juxta nonnullos 53. a. ex Columnis Mercurii doctrinam suam hausit 54. a. Danielem videtur audisse 286. a. ad divinarum rerum comparandam scientiam exilia potius quam peregrinationes suscepit 92. b. ejus dogmata pleraque Numæ dogmatis consentanea 53. b. Ezechielem videtur audisse 275. b. 286 a. eum Judæis prognatum cur plerique crediderunt 54. a. Judæos adiit 54. a. cum Judæis conversatus est 56. a. Mercuriales libros compilavit 58. a. cum Moschi Physiologi successoribus congressus est 83. a. Mosis Leges in suam Philosophiam transtulit 83. a. ex Mosis Libris multa sumsit 168. b. mundum a Deo conditum & conservatum cum cerneret, Dei vocem audire sibi videbatur 55. b. nudis pedibus sacra faciebat 161. b. Orphei imitator 131. a. Orpheo scriptiones quasdam supposuit 628. a. ejus præceptor Zaras 91. b. Syrus fuit juxta Jamblichum 53. a. ejus τετρακτὺς quid 53. b. ei Thales auctor fuit instituendæ peregrinationis 53. a. Thracum opinionibus imbutus fuisse cur dicitur 130. a.
Pythagorei Philosophi libros falsis nominibus inscribere soliti 627. b. mendaces & creduli 627. b. iis vetitum erat funeribus interesse 162. b.
Pythagoricæ Philosophiæ præcipua capita Brachmanes retinent 100. b.
Pythonis ab Apolline interfecti fabula unde orta 76. b. 109. b.

Q.

Quirinii census expenditur 472. a.

R.

R & S in fine permutantur 279. b.
Rabanus Maurus refellitur 317. b.
Radix appellatur Christus 342. b. 368. b.
Raguel Mosis socer, toparcha in Arabia 67. b.
Rationem cœcam nobis dedit Deus, ne fidem aspernaremur 5. b. Rationis ac sensuum ope res certo cognoscere non possumus 5. b.
Recensus a Julio Cæsare actus 474. b.
Redemtio Israel quid 438. a.
Regnum Dei, supposititius liber sub nomine Zoroastris 96. b.
Regnum Dei & Regnum cœlorum quid 438. a.
Regum Libri, a quo scripti 207. b. seq. Jeremiæ adscribuntur a Judæis 207. b. 263. a. eos integræ esse fidei, agnoscit Julianus Apostata 209. b.
Religio vera quid 8. a. Christiana quid 8. a. ejus veritas demonstrari potest ex iis principiis, quæ a nemine adhuc in dubium vocata sint 3. a.
Religiones omnes præter Christianam falsæ sunt & impiæ 717. b. Religiones externas recipi vetuit Senatus Romanus 43. a.
Rescomoran unde dictum Promontorium Comorinense 99. b.
Rex Reipublicæ totius personam sustinet 200. a.
Rhadamanes 123. a.
Rhadamanthys Asiæ maritimæ terras multas imperio suo subjecisse cur dictus 122. b. ejus filius Erythras 123. a. 126. a. flavus fuisse cur fingitur 123. a. Gazam vixisse cur dicitur 123. a. ob fratrem interfectum patria exulasse cur dicitur 123. a. idem ac Moses 122. a. Inferis jura dare cur dictus 122. b. legem dedit, ne quis per Deum juraret 122. b. legumlator, & primus legum repertor ibid. ei placuit talionis lex 162. b. Tytion adiisse dictus 110. a. virgam, dum jura reddit, tenere cur dictus 122. b. unde dictus 122. a. b. Rhadamanthyos juramentum 122. b.
Rhamanitæ 123. a.
Rhamnei, gens Arabica, a Rhadamanthe dicti 123. a. iidem, qui Rhadamanes & Rhamanitæ 123. a.
Rhodos redditur Ophiusa 173. a.
Romani Deos Græcorum plerosque asciverunt & coluerunt 137. a. eos Græci Ebraica religione imbuerunt 137. a.
Romulus Bar-Cochebæ nepos 401. a.
Romulus Gabiis egregie institutus 143. a. ejus historia, falsa multa admixta habet 143. a. ignis perpetui servandi, Vestaliumque consecrandarum ritum instituit 143. b. religiosus, & rerum divinarum peritus 143. b.
Rubenitica tribus in magnum numerum non excrevit 411. a.
Rubri maris observato a Mose recessu, incolumes Ebræos trajecisse memorant Memphitæ 68. a.
Rufus Bar-Cochebæ filius 401. a.
Rupes aquas in deserto profundens, typus Christi 342. a. 697. b.
Ruth liber, aditus ad Libros Samuelis 203. a. appendix libri Judicum 203. a. ætatis dubiæ, & Auctoris controversi 203. a.

S.

S & *R* in fine permutantur 279. b.
R. *Saadias* Gaon refellitur 387. a. 459. b.
Saba Regina, quæ Salomonem adiit, Ecclesiæ typus est 701. b.
Sabaziis sacris qui initiantur, cur eorum symbolum serpens est 80. b.
Sabazius Bacchi cognomentum 129. b. 145. b. 158. a.
Sabbathium flumen 427. a.

Sabbathum

Digitized by Google

Sabbathum per universum orbem celebratur 159. a. observant Mexicani 104. b. meram esse βακχείαν, censuit Plutarchus 82. b. Sabbathi nomen a Sabo derivat Plutarchus 82. b. Sabbathi origo frustra Ægyptiis tribuitur a Tacito 159. a. b. Sabbathi ritus vetustissimus 159. b. Sabbathi colendi consuetudo quando desita 159. b. Sabbatha Romanis peculiari ritu observata 165. a.

Sabbi dicuntur Christiani Balsarenses Sancti Johannis 74. b. priscarum religionum transfugæ 74. b.

Sabbus cognomen Bacchi 158. a.

Sabii idem qui Sabbi 74. b. ex Chaldæa primum profecti 74. b.

Sabini Hercule prognatos cur se ferebant 137. a. sacrificiorum Græcanicorum ritus Romanis tradidere 137. a. Sabinorum agri cur Baccho sacri 158. a.

Sabinus. vide *Sabbus.*

Sabis Arabum Deus 158. a. est Bacchus ibid. unde dictus ibid.

Sabium, Sethi filium, disciplinæ suæ auctorem jactant Sabii 74. b.

Sabos, Arabiæ rex, unde dictus 158. a.

Sabus idem ac Sabazius 158. a. Sabus sive Sabinus, Sabinorum Deus 158. a.

ככן quid 563. b. 703. a.

Sacellum Angeli in templo sepulchri Christi 623. a. 625. a.

Sacerdos, Atticis legibus, virginem & civem ducere uxorem, ipse casto & integro corpore esse debebat 163. a.

Sacerdotes uncti apud Ebræos 492. b. iis, veteri Lege Ebræorum, jus non erat sedendi in sella regia 396. b. iis regnum capessere non licebat legibus Ebræorum 406. b. Sacerdotes Jesu a Propheta prædicti 653. Sacerdotibus Romanis funestam domum ingredi, aut attrectare piacula non licebat 165. a.

Sacerdotii dignitatem a se propter peccata ablatam fuisse, & ad gentes translatam fatentur Judæi 492. b.

Sacrificantes Athenienses partes quasdam victimæ Diis offerebant 163. a.

Sacrificia Mosaica quid spectaverint 581. b. Sacrificia Romæ Græcanico ritu fieri solita 137. a. Sacrificiorum Græcanicorum ritus a Sabinis Romani acceperunt 137. a. Sacrificiorum Judaicorum abrogatio prædicta 457. b. Sacrificiorum reliquiæ apud Athenienses Sacerdotum erant 163. a.

Sacrificium incruentum a Malachia significatum 571. a. Jesus instituit 586.

Said Ebn Batrix refellitur 305. a.

Σαΐφι, Ægyptiaca dictio, quid significet 84. a.

שלג quid 617. a.

Salebdei Coptica litera 600. a.

Salem urbs ea est, quæ Jerusalem deinde fuit dicta 181. b. 201. b.

Salmanasaris expeditio in Syriam Phœnicum Annalibus continebatur 209. b.

Salmasius refellitur 113. b. 622. b.

Salomon typus Jesu 701. b. auctor libri Job a multis creditur 226. a. 229. b. carmina multa scripsit 248. b. ejus carminum cur magna pars perierit 233. a. ejus Epistolas quasdam retulit Alexander Polyhistor 209. b. quibus ætatis suæ temporibus libros suos scripserit, juxta Rabbinos 246. b. 248. b. residuum ex Templi fabrica aurum ad Tyrium regem dono misit 196. b. Psalmorum sacrorum numerum valde auxit 232. b. ejus Libris totam Philosophiam contineri volunt Ebræi 249. a. ejus Parabolæ 241. a. b. eas compilarunt Ethnici 242. a. ejus Psalmi intercederunt 238. b. Salomonis & Hirami meminerunt Phœnicum Historici 209. b.

Saltatio sacra coram idolis pervetusta est apud omnes propemodum gentes 98. b.

Samaritanæ literæ 171. b. ab Assyriis diversæ 176. b. eædem sunt ac Chananææ 175. b. 176. a. Græcarum similes 176. a. earum inventio, Setho nonnullis, Abrahamo ab aliis tribuitur 170. a. earum origo 175. b.

Samaritanam scripturam rebus profanis olim fuisse destinatam, jactatur a Judæis quibusdam 178. b.

Samaritani Pentateuchum solum cur admiserint 194. a. Samaritanorum & Judæorum dissociatio unde orta 51. b.

Sambuca nomen habet a סבכא 79. a.

Samogitii ignem perpetuum non ita pridem servabant 95. b.

Samon Mercurii & Rhenes filius 102. a.

Samos unde Imbrasia dicta 101. b.

Samothracæ prius Leucosia dicebatur 102. a. unde dicta 102. a.

Samuelis liber, fons Græcorum quorundam rituum & fabularum 207. a. ejus dubia est ætas, & controversus auctor 203. b.

Samsonis nomen quid significat 701. a. typus Hercules 202. b.

Samuel auctor libri Josuæ creditur a nonnullis 188. a. auctor libri Judicum esse videtur 200. b. auctor libri Ruth creditur a nonnullis 203. a. auctor partis cujusdam librorum Samuelis 203. b. Samuel, vel Esdras obitum Josuæ ad calcem Libri, qui nomen ejus præfert, adscripserunt 188. a. b.

Samson, Jesu typus 700. b.

Sanchoniathon, ejus ætas 203. a. Chaos & Spiritum prima esse vult rerum exordia 70. a. ejus commentarios cum Libris Mosis confligens Porphyrius, verissima Mosem de Judæis narrasse fatetur 66. b. a Gedeone libros Mosis accepit 50. b. ab Hierombalo commentarios accepit 70. a. de Judæis summa fide disseruit 70. a. Mosaicorum Librorum unde notitiam habuit 167. a. ex Mose ea tantum sumsit, quæ cum gentis suæ religionibus & dogmatis consentirent 70. b. Mosem sæpe sequitur & describit, nonnunquam deserit 70. b. e Mosis Libris plurima hausit 50. b. Tauti libros evolvit 50. b.

Sanguinis circa aram fundendi mos unde ortus apud Romanos 162. a. 164. a.

Digitized by Google

Sanctius. Vide *Alphonsus Sanctius.*
Sanctus Dei, quis 347. b.
Sanctus Sanctorum, quis 347. b.
Sancus auctor Sabinæ gentis 137. a. idem qui Hercules ibid.
Sapientiæ Liber, cujus Auctoris 250. a. b. in Canone cur positus non fuerit 250. b. 253. a. carmine adstrictus fuit, juxta nonnullos 250. a. b. Chaldaice conversus fuit 250. b. ex Ebraico vel conversus est, vel collectus 250. a. Ebraismos habet ibid. multa habet, quorum consimilia in Libro Proverbiorum reperiuntur ibid. eum Philo Senior Græce exposuit 61. b. eum a Salomone scriptum esse cur veterum quidam inficiantur 253. a. Sapientiæ nomen omnibus Salomonis Libris præfixum est 243. a.
Sarmaticæ gentes ignis colendi ritum a Persis acceperunt 95. b.
Sarpedon Jovis & Laodamiæ filius 118. a.
Saturnalia quædam apud Ebræos 165. b. Saturnaliorum origo ibid.
Saturnus, Abrahami typus 70. a. Adami typus 154. b. Chami typus ibid. idem qui Belus, juxta nonnullos 154. b. idem ac Evander 146. a. idem ac Hercules ibid. idem ac Janus ibid. Il dictus a Phœnicibus 70. a. Israel dictus ibid. temporum rector, & Tempus dictus 154. b. unde dictus 174. b. Planetam cognomine & Noachum notat 153. b. Cœlo patri filium unigenam sacrificat, tum circumcidit sibi virilia, suosque ad idem faciendum adigit 70. a. eum Circumcisionis auctorem esse volunt Phœnices 158. b. ei oculos quatuor Phœnices tribuebant 154. b. eo regnante carnibus homines abstinebant ibid. Saturnus, filiique ejus, Noachi filiorumque ejus sunt typi 154. b.
Saus Mercurii, & Rhenes filius 102. a.
Scaliger (Jos.) castigatur 315. b. notatur 30. a. 59. b. 148. a. 168. a. 325. b. 473. a. refellitur 147. a. 172. a. 214. b. 215. b. 219. a. 309. a. 310. a. 444. a. 452. a. 599. b.
Scaphe, sive Hemisphærium, quid 185. a.
Scarabæi mystici Ægyptiorum discus alatus, quid significet 85. b.
Sceptici repudiant Geometrica principia 4. b. Scepticorum argumenta imbecilla sunt adversus Christianam disciplinam 6. a. Scepticorum argumentis feliciter usi sunt quidam, ad eradicandam Philosophiam, & muniendam viam doctrinæ Christi 6. a.
Sceptrum recte appellatur jus ad sceptrum 421. a.
R. *Schem tob* notatur 227. a.
Schemaia ab Israelitis dictus fuit Moses 72. b.
Scribe Tabernaculi creduntur a Pseudo-Dorotheo auctores libri Ruth 203. b.
Scribendi ars ante Diluvium vel Babelicam confusionem reperta fuerit, nec ne, incertum est 175. b. Scribebant veteres in saxis, in lateribus, in metallis, & in ligno 56. a. 57. a.
Scriptor Itinerarii Hierosolymitani refellitur 274. b.
Scripturæ non tantis obnoxiæ est mutationibus; ac lingua 176. a.
Scriptura Sacra additamentis nonnullis aucta ab Esdra & Synagoga magna 183. b. 324. a. divinitus eam esse inspiratam, ex eventu Prophetiarum optime probatur 716. b. eam sub Ptolemæo Philadelpho Græce redditam esse constat 59. b. eam post bella recognoscere solebant Judæi 322. a. Ex ea exciderunt nonnulla, sed levia 26. a. ex ea loca citantur aliquando a Patribus, quæ vel in ea non extant, vel aliter in ea concepta extant ibid. ex ea testimonia sæpe asserunt Patres, neglectis verbis, servata solum sententia 26. b. ejus contextus in nominibus quibusdam propriis & numeris luxatus est 213. b. eundem leviculæ quædam mendæ insederunt 187. b. in eum quædam videntur e limbo irrepsisse 184. a. Scripturæ Sacræ librorum variæ partitiones fuerunt 230. a.
Ser fluvius 58. b.
Seraphim unde dicti 84. a.
Serapis cornutus cur pingitur 84. a. idem ac Æsculapius 112. b. idem ac Jupiter 145. b. idem qui Moses 84. a. idem ac Osiris ibid. modium capite gestat 145. b. Ptolemæo Lagidæ in somniis visus 84. a. unde factum, ut in cœlum igne plurimo tolli visus sit 203. a. radiatus cur pingitur 84. a. virgam tricuspidem angue circumplicatam gestans 84. a. unde dictus ibid. Serapidis simulacrum ex Ponto accivit Ptolemæus Lagi 101. b. Serapidis templum in Thracia 101. b.
Serarius refellitur 317. b.
Serenius Granianus in gratiam Christianorum scribit ad Hadrianum 40. b.
Seres, gens Æthiopica 58. b. Seres oppidum 58. b.
Σήρ, & Σῆρες Ægyptiis quid 113. b.
Seria Insula 58. b.
Serpens æneus, Jesu Christi typus 698. a. Serpentis ænei mysterium quomodo exponant Judæi 698. b. Serpens malorum aureorum custos, typus serpentis, qui Evam ad peccatum pellexit 154. a.
Servetani Vetus Testamentum penitus depravatum esse censent 187. b.
Servius emendatur 139. b. refellitur 56. b.
Σὴς Ægyptiace quid significat 75. a.
Sesostri duce Scythas & Thraces Ægyptii domuerunt 102. b.
Sethus Samariticarum literarum auctor, juxta nonnullos 170. a. Sethi filii, qui 404. b. Sethi nepotes astronomicam doctrinam duabus columnis inciderunt 57. a. 58. a. Sethi nepotum lapideam columnam sua ætate mansisse affirmat Josephus 58. a.
Severiani Acta Apostolorum & Pauli Epistolas rejiciebant 26. b.
Severus Actis Apostolorum fidem haberi vetuit 21. a. Epistolas Pauli rejiciebat 23. a.

Digitized by Google

Sextus Empiricus adversus Demonstrationes multa collegit 4. a.
Σ) Ægyptiace quid significat 75. a.
Sibylla a Virgilio cur Alma dicta 463. a.
Sibyllina carmina vanitatis plena 716. b.
Siciliam quasi Sicilitam dictam Latini censuerunt 174. b.
Sidonius Apollinaris notatur 641. a.
Sileni cornuti cur sæpe exhibeantur 141. a.
Silenus asino vehi cur fingitur 141. a. futura prædicere cur fingitur ibid. idem ac Moses ibid. idem ac Silvanus ibid. juvenilior suis annis cur dicitur ab Ovidio 141. a. mundi ortum canere cur fingitur a Virgilio 111. a. Sileni sepulcrum cur in Ebræorum regione esse fingitur 141. a.
Siloh, quid 431. a. Moses est per Gematricam artem 429. b.
Silvani tres 140. b.
Silvanus Agrestis cognominatus 140. b. Herculi cur sæpe adjungitur in inscriptionibus 141. a. idem ac Apollo 140. b. idem ac Aristæus 141. a. idem ac Faunus 140. b. idem ac Inuus 140. b. idem ac Mars 146. a. idem ac Moses 140. b. idem ac Pan ibid. idem ac Silenus ibid. Laribus cur jungitur 143. a. unde sic dictus 143. a. Silvano Cypariſſi casus adscribitur 141. a. Silvanus, Hercules, & Mercurius cur ὁμώνυμοι fuere 141. a.
Simon Justus unus fuit e Synagogæ magnæ συνέδροις 321. b.
Simon Magus virgine natum cur se dixit 467. b. Pseudo-Christus 400. b.
Simplicius fabulosa, & ex fabulis Ægyptiorum expressa credidit, quæ Moses scripsit de rerum creatione 89. a. b. notatur & refellitur 89. a. b.
Sine Eclipseos, quæ moriente Christo contigit, notitiam habuerunt 29. a. Hieroglyphicam scribendi rationem videntur ab Ægyptiis accepisse 100. a. ignis cultores 95. b. longe ante Christum aliqua Veteris Testamenti aura fuerant afflati 399. a. Ægyptiaca multa habent 159. b. pedes feminarum citra naturalem modum cogunt, ut domum servent 100. a.
Sinensis Chronologia congruit cum Mosaica 159. b.
Sinensis magistratus quidam vestibus utitur, quarum infima pars tintinnabulis redimita est 157. a.
Sinoe Panos nutrix 110. a.
Sinope eadem videtur ac Sephora 108.
Sion, Ecclesiæ typus 389. b. Sione exire debuit Lex, ac Verbum Domini per Christum 389. b.
Σιφ) Ægyptiis, quid 113. b.
Siris est Nilus 58. b. 127. b. est Sol 113. a.
Sirius est Astarte 151. b. est Canicula, & Sol, & Nilus 113. a. 127. b.
Sistrum ad hirundinem, quid 152. b. Sistrum, Ægypti Cymbalum 152. a. Sistrorum variæ fuerunt formæ 152. b.
Sixtus Senensis refellitur 224. a. 262. b.
Socrates Mosaicarum sententiarum aura afflatus 54. b. mundum a Deo conditum & conservatum cum cerneret, Dei vocem audire sibi videbatur 55. b.
Sodomiticus interitus Græcis & Latinis notus 160. b.
Sol, Dei & hominum sequester, juxta Proclum 109. a. Solis defectus, qui moriente Christo contigit, ab Ethnicis commemoratus 28. b. 29. b. Solis defectum, & terræ motum, quæ moriente Jesu contigerunt, prædixerunt Prophetæ 606. Solis pectines 108. b.
Solon Ægyptum adiit 52. b. Ægyptiorum leges plerasque in Legum suarum Collectionem transtulit 52. b. 162. b. pro Ægyptiis nominibus Græca nomina in carminibus suis supposuit 173. a. agnum anniculo minorem offerri vetuit 163. a. versibus suis politica multa & historica intexuit 208. a. victimas integras & perfectas offerri jussit 163. a. Solonis instituta Romam delata 163. b. Solonis sententia, e Psalmo quinquagesimo petita 237. b.
Solymi non sunt Judæ, sed Pisidæ 101. b. Phœnicum soboles 101. b.
Sonchis Sacerdos Ægyptius, Archipropheta 53. a.
Sopher unum e nominibus Mosis 72. b.
Σοφίαι nomen, quibus Scripturæ libris tribuitur 243. a.
Sophonias an regio genere ortus 307. a. quando futura prædixerit 307. b. seq. ejus ætas 307. b. patria & tribus 307. a.
Sortes portionum Terræ sanctæ, non statim ut singulis tribubus assignatæ sunt a Josua, in earum ditionem continuo cesserunt 192. b.
Sozomenus explicatur 301. a.
Spanhemius (Frid.) laudatur 226. a. 231. a.
Spartani. vide *Lacedæmonii*.
Sparto Judæus 121. a.
Sparto Phoronei filius 121. a.
Spiritus Domini, qui ferebatur super aquas, quid, juxta Anaxagoram 153. b.
Spiritus Sanctus appellabatur a Judæis afflatus quidam divinus 250. b. Spiritum Sanctum ad Discipulos suos missurum Jesum prædixerunt Prophetæ 647.
Spolia appellat Scriptura Sacra eorum animos, qui mortem effugerunt 617. a. Spolia fortium, apud Isaiam, quid 617. a.
Stele apud Ægyptios, quid 57. b.
Στήλη, columnam & statuam significat 196. a.
Stella appellatur Christus 342. b. Jesu Christi symbolum 405. b. Stellam novam nato Christo apparuisse Magis, fatetur Julianus 28. a.
Stemmata Deorum, quid 57. b.
Stephanus, Ethnicorum Auctor, emendatur 101. a.
Stoici, censuerunt sola cogitatione existere puncta, lineas, & superficies, reipsa vero corpora esse 9. a. Deo soli futurorum cognitionem tribuerunt 15. b.
Strabo de Mose & Judæis summo candore disseruit 64. a. falso nonnulla veris miscuit 64. a. laudatur 64. a. notatur 159. a.

Stygis

Digitized by Google

Stygis fabula, cujus Dii timent jurare numen & fallere, prodiit ex lege Zelotypiæ 162. b.
Stylus hominis apud Ilaiam quid 358. a.
Suem Libero & Lunæ mactabant Ægyptii 158. b. Sues in Arabiam invectos interire quidam tradunt 159. b.
Suevi Isidi sacrificabant 102. b.
Suffetes Carthaginensium 158. b.
Suffimentis gentes omnes in sacris usæ sunt 165. b.
Suidas notatur 50. b. refellitur 91. a. 109. b. 468. b.
Sulla abstinebant Ægyptii & Phœnices 158. b. Arabes 159. b. Cretenses 162. b. Pessinuntii Galatæ 157. b.
Sulamitis a Salomone dicta 248. b.
Sulpitius Severus refellitur 443. b.
Supponendarum scriptionum mos vetus 628. a.
Susanne historiam Græco homine scriptam fingebant Judæi 283. b. Ebraice scriptam suppressisse videntur Judæi 284. a. ex Libris sacris Judæorum dolo detractam fuisse queritur Origenes 31. a. Susannæ proci senes, qua arte Ebræarum mulierum pudicitiæ illudebant 284. a. eorum nomina ibid.
Susis ædificium perelegans & vetustum erat, tempore Benjamini Tudelensis 280. b.
Symmachus Samaritanus sub Commodo, & iterum sub Severo Scripturam Sacram Græce interpretatus est 68. b.
Synagoga & *Ecclesia* typi in Veteri Testamento 673. a.
Synagoga Magna diuturna fuit 321. b. ex Sapientibus, non Prophetis, conflata erat 320. b. 320. b. proprie dicta, viguit temporibus Artaxerxis μακρόχιρος 321. b. quando conflata 321. a.
Synagoge Magnæ opus esse videtur Estheræ liber 222. b.
Synedrium Magnum an viris tribu Juda ortis fuerit conflatum 407. a. Synedrii Magni in medio sceptrum suspensum fuit, juxta Thalmudistas 407. b. Synedrii Magni Princeps ibid.
Syri a Diodoro appellantur Ebræi 176. b. nulla olim in templis suis habebant Deorum simulacra 100. b. Syrorum characteres ex Judaicis detorti 176. b.
Syria ad Cophenem fluvium 58. b.
Syriaca appellatur Ebraica lingua 230. a. Syriaca lingua ex Chananæa & Assyriæ permistione conflata 171. b. 172. a.
Syria Dea Dearum omnium formas continebat 150. b.
Syringes prope Thebas Ægyptias 56. a.
Syrus Apollinis filius ex Sinope 108. a.
Syrus Interpres Ecclesiastici castigatur 255. a.

T.

T. Frequenter e medio vocabulorum exteritur 279. b.
Taautes idem ac Harpocrates 146. a. idem ac Saturnus 146. a. idem ac Serapis ibid. latet in Diis Samothracum ibid.
Taauthe inter Deos princeps a Persis ponitur 90. a.
Taauthus, Ægypti rex 69. b. idem ac Mercurius 50. b. idem ac Moses ibid. idem ac Thoyth ibid. literarum inventor cur dicitur 50. b. 70. a. sapiens 69. b. Deus habitus a Phœnicibus ibid. disciplinarum multarum cur auctor dictus 77. a. serpentibus divinitatem adscripsit 70. b. ad cultum Deorum quæ pertinerent, primus retulit in literas 70. a. ejus frater Æsculapius fuisse dicitur 112. b. Commentarios primus reliquit 50. b. ejus Commentarii, Sanchoniathoni traditi ab Hierombalo, fuerunt. Commentarii Mosis 70. a. ejus Commentariis Cosmogonia continebatur 70. a. 50. b. ejus libros Porphyrius sacros appellat 70. a.
Tabernaculorum festum imitantur βακχεῖαι & ϑυρσοφορίαι Græcorum 161. a. ϑυρσοφορίαν & Bacchicam celebritatem esse censuit Plutarchus 82. b.
Tabernaculum & Tabernaculi vasa in Gazophylaciis templi recondita fuisse verisimile est 48. b.
Tacitus (Corn.) Judaicæ gentis historiam fabulis infuscavit 65. a.
Taith, lingua veteri Gallica, quid significat 103. a.
Talionis lex 165. b. Rhadamanthyi & Charondæ placuit 162. b.
Talus Legum Minois custos 119. a.
Tanguthenses filios suos redimunt ariete, quem & sacrificant ritu Ebraico 99. b.
Tanis fabula unde orta 156. a.
Tao apud Sinas supremi Dei nomen 100. a.
Taprobanensium rex in causis capitalibus septuaginta consiliariis cur utebatur 157. a.
Tartari, decem Tribuum propago, juxta nonnullos 427. a. ignis cultores 95. b. Mosaicos ritus plerosque retinent 160. a. quidam Mosis Legem servant, qua fratris absque liberis defuncti uxorem frater ducere tenetur 157. a.
Tat, lingua veteri Gallica, quid significat 103. a.
Tatianus Pauli Epistolas ad Timotheum non admittebat 23. b. castigatur 129. b.
Tegyrius, Thracum rex 134. b.
Teixeira refellitur 95. b.
Templorum in vestibulis altaria collocare, cum signa intus essent, unde mos fuit Græcis 162. a.
Templum Hierosolymitanum reparare conantes Judæi, flammis erumpentibus repressi sunt 458. a. 687. Templi Hierosolymitani nunquam instaurandi prædictio 458. b. 686. Templum primum Hierosolymitanum quibus rebus secundo antecelluit 439. a. Templum secundum Hierosolymitanum an primo augustius fuerit & splendidius 395. b. Templo secundo promissa gloria per Christum ipsi concilianda erat 439. a.
Termini Dei, & Terminalis Jovis, & Terminalium origo 164. b. Termini simulacrum ἐντετραμένον exhibebatur 111. b. Terminos agrorum moveri vetuit Numa 164. b.
Ternarius numerus masculus 160. b.
Tertullianus emendatur 489. b. notatur 30. a. refellitur 459. a.
Testamentum Vetus, forma & apparatus Novi 335. a. occultatio Novi 402. b.

Digitized by Google

Teſtamentum Novum, revelatio veteris 402. b.
Tethmoſis dictus Moſes 72. a. b. Tethmoſis, vel Thammuz, vel Themoſis, videtur dictus fuiſſe Pharao, quo regnante natus eſt Moſes 72. a.
Τετρακτὺς Pythagorica, quid 285. b.
Teutates, Gallorum Deus ſupremus 103. a. ſanguine humano placari ſolitus 103. a. unde nomen habuit ibid.
Teutl, Dei nomen apud Mexicanos, unde factum 104. a. idem videtur ac Taautus Phœnicum, & Theuth Ægyptiorum 104. a.
Thalami deſcriptio 462. a. b.
Thales, Ægyptiorum & Chaldæorum diſcipulus 52. a. Ægyptum adiit 52. a. Deum ut deſiniverit 52. b. olearum uberem proventum prædixit 7. b. Phœnix oriundo fuit 52. a. Pythagoræ auctor fuit peregrinationis inſtituendæ 53. a. ejus Epiſtola ad Pherecydem, quæ eſt apud Laertium, *κιβδηλίας* ſuſpecta 52. a. ejus Philoſophia multa ex Moſis Lege petita habuit 52. b.
Thallus in Syriaca Hiſtoria, Moſis meminit 68. a. defenditur 30. a.
Thalmud explicatur 214. b. refellitur 227. a. 229. b. 243. a. 249. b. 260. a. 278. a. 288. a. 459. b.
Thammuz Ezechielis, qui 72. a. Thammuz vel Tethmoſis, vel Themoſis, videtur dictus Pharao, quo regnante natus eſt Moſes 72. a. Thammuz nomen, de nomine Themoſeos fieri potuit 72. a.
Thamum Ægypti regem Theuth adiit 72. a. Thamo Ægyptio mors Chriſti Jeſu ſignificatur 613. b. ſeq.
Tharbis, Æthiopum regis filia, Moſi patriam prodit, eique nubit, juxta Joſephum 135. a.
Tharops, Thracum rex 130. a.
Thaſii Phœnicum coloni 197. a.
Thau Ezechielis, crucis Chriſti ſymbolum 599. b. Thau litera Samaritica *ταυροειδὴς* 600. a. Thau, literæ *ταυροειδοῦς* formam ſuppreſſerunt Samaritæ 600. a. Thau *ταυροειδὴς*, apud varias gentes 600. a.
Thebit ben Corrah, Sabius 74. a.
Thecua ſitus 293. a.
Themis eadem ac Adonis 148. b. eadem ac Attis 148. b. eadem ac Bacchus ibid. eadem ac Priapus ibid. eadem ac Proſerpina ibid. eadem ac Veſta ibid.
Themiſtius notatur 39. b.
Themiſtocles Perſicam linguam brevi dedicit 167. b.
Themoſis, Ægyptiorum rex, Moſe antiquior juxta nonnullos 72. a. Themoſis Pharao dictus eſt, juxta nonnullos, quo regnante Ægypto exceſſerunt Ebræi 72. a. Themoſis, vel Tethmoſis, vel Thammuz, Pharao videtur fuiſſe dictus, quo regnante natus eſt Moſes ibid.
Theocriti Scholiaſtes refellitur 109. a.
Theodectes Moſis Libros temere attigit 54. b. 169. a.
Theodobaldus, Theodomannus, aliaque hujusmodi nomina Theutonica, unde facta 103. a.
Theodoretus notatur 321. b. refellitur 77. a. 192. a. 201. a. 204. a. 292. b. 304. a. 396. a.
Theodorus Mopſueſtenus Metliam negabat fuiſſe in Veteri Teſtamento prædictum 340. b. Scripturæ Sacræ teſtimonia Chriſti prænuntia in perverſum ſenſum deflectebat 345. a. notatur 338. a. 340. b. refellitur 592 a. 599. b. 609. b.
Theodoſius Eugenium & Arbogaſten magis orando quam feriendo vicit 40. a.
Theodotion, Scripturæ Sacræ Interpres 68. b. primus Libri prioris Machabæorum Interpres falſo creditus 316. a. notatur 465. b.
Theodotus, Moſis Interpres, metricam expoſitionem Moſaicæ hiſtoriæ ſcripſit 61. b. videtur alius a Theodoto continuatore Sanchoniathonis 61. b.
Theodotus, *Sanchoniathonis continuator*, Phœniciam hiſtoriam Phœnicia lingua ſcripſit, & a Læto Græce redditus eſt 61. b.
Theogonia Græcanicæ magna pars ab Homero & Heſiodo excogitata eſt 106. a.
Theophylactus refellitur 392. b.
Theopompus Moſis libros temere attigit 54. b. 169. a.
Θεὸς, vox Græca, unde facta 103. b.
Therapeuta Scripturam Sacram per allegorias interpretabantur 712. b.
Thermuthis nomen habere potuit a Thammuz 72. a. Thermuthidis nomen Aſpidem ſonat 72. b. Thermuthidis nomina varia 72. a.
Theſeo conditum delubrum, quod tenuioris fortunæ hominibus perfugium erat, unde originem habuit 163. b.
Theuth Ægyptiorum Deus, cum Cœlo & Saturno a Varrone perperam confunditur 73. b. Theuth, Græcis cognita vox, unde dictio *θεὸς*, 103. b. idem ac Taautus, Phœnicum 69. b. literarum inventor, & primus Commentariorum ſcriptor cur fingitur 77. b. Theuth, ſive Thoyth, ſive Thoth, ſive Taautus, ſive Mercurius, idem ac Moſes 73. b. Theuthi nomen ad Germanos & Gallos tranſiit 103. a.
Theutoni unde dicti Germani 103. a.
Thoyth eſt תחות 73. b.
Thraſcias ventus, Niger vocatur 124. b.
Thraces cum Judæis habebant commercia 167. a. literarum nullam olim notitiam dicuntur habuiſſe 133. a. Mercurium coluerunt 101. a. Muſices ſtudio impenſe addicti 133. a. cum Palæſtinis cur confunduntur 129. b.
Thracia pro Palæſtina aliquando ſumitur 91. a.
Thuanus (Jac. Aug.) nominum propriorum ſignificationem in Hiſtoria ſua ſæpe Latine retulit 173. b.
Thurræ Mars typus eſt 155. a.
Θυλήμασι tantum Dii vetuſtis temporibus placabantur 163. a.
Θυλήματα in ſacrificiis offerebant Athenienſes 163. a.

Digitized by Google

●υρροθοείον Græcorum ex Ebræorum Scenopegia ortæ 161. a.

Tiberiadense Templum Christo ab Hadriano extructum 44. a.

Tiberius Christianos accusari vetat 43. a. retulit ad Senatum, ut inter Deos Christus allegeretur 43. a.

Tibur Romanis ad mortem damnatis tutus receptus fuit 165. a.

Tiis, Mercurii nomen, apud Danos & finitimas gentes 103. a.

Tikkun Sopherim Scripturam Sacram variis locis corrupit 599. a.

Timæus, Ægypti rex 72. a.

Tiresias angues baculo percussisse cur fingitur 135. b. Astrologus cur fingitur 135. b. coronam auream, primitias spoliorum retulisse cur fingitur 135. a. Cretam adiisse cur fingitur 135. b. Diis sacer fuisse cur fingitur ibid. ei divini honores post mortem tributi 136. a. ad Eumolpum vincendum Athenienses suppetias tulisse cur fingitur 135. a. excæcatus cur fingitur 135. b. ei firmam mentem cur Homerus tribuit ibid. idem ac Moses 135. a. a Jove & Junone altercantibus Judex delectus esse cur dicitur 135. b. post mortem prudentiæ laude cur celebratus est 136. a. Musicæ peritus cur fingitur 135. b. nomen ejus unde factum ibid. Palladem nudam vidisse cur fingitur ibid. purissima vivendi ratione usus esse cur fingitur 135. b. sexus ambigui fuisse cur dicitur ibid. Tilphotii montis ad radices extorris obiisse cur fingitur 136. a. stellarum alias masculas, alias femineas esse dixit 135. b. vates futurorum cur fingitur ibid. vitam longam vixisse cur dicitur 136. a.

Tisithes dictus fuit Moses 72. a.

Titanes unde dicti 154. a.

Tityus ab Apolline interfectus cur fingitur 110. a. Ogi Basanæorum regis typus 110. a. unde dictus ibid.

טיב dictus Moses 72. b.

Tobia dictus Moses 72. b. Tobiæ Libri auctor & ætas 216. a. b.

Tobiæ Liber Chaldaice scriptus 216. b. in Canonem cur relatus non est 218. a. inter Hagiographos ab Ebræis positus 216. b. 218. a. 219. a. a Judæis Palæstinam incolentibus lucubratus non est 216. b. Tobiæ Libri interpretationes Ebraicæ tres, a Latina & Græca multum discrepant 217. b. Tobiæ Libri Interpretatio Græca septuaginta Interpretibus accepta referenda non est, neque Theodotioni, sed Ægyptiis Hellenistis 218. a. Tobiæ Libri Interpretationum omnium antiquissima & purissima est Græca 217. b.

Totum sua parte majus esse negarunt Philosophi quidam 18. a.

Trajanus Christianos conquiri vetuit, delatos puniri jussit 40. b.

Tribus decem excreverunt in immensam multitudinem 427. b. quo confederint, varie disputant Judæi ibid.

Triclinia argentea 182. b.

Triginta dies luctui destinati 157. b.

Triphallus 112. a.

Trivius Deus 77. a.

Trogus Pompejus falsa quædam de Mose profert 63. b.

Trojani Arcadicæ crane originis 136. b.

Tubalcaini typus Vulcanus 154. a.

Turcæ, decem Tribuum propago, juxta nonnullos 427. a. Lunæ corniculatæ effigiem, velut sacrum insigne, eus præferunt 150. a.

Turnebus (Hadr.) castigatur 147. a. refellitur 129. a.

Turris gregis Bethlehemi 391. a.

Tympanum fit ex תפף 79. a.

Typhœus in Arimis campis profligatus jacuisse cur fingitur 194. b.

Typhon idem ac Moses 88. b. Isaaci filius, juxta Plutarchum 65. a. rufus, & asinino colore fuisse cur dicitur 108. a. eum Ægyptii sacrificiis aliquando placabant 88. b. ejus filius Anubis 84. b. Typhonis fabula pertinet ad Mosem 64. b.

Tyrii Acta diurna in literas diligenter referebant 207. b. Musicæ impense dediti 79. a. Tyriorum Judices 158. a. tabularia 209. a. Tyriorum Regis Epistolas retulit Alexander Polyhistor 209. b.

Tyrus quando condita 199. b. Tyri vastitas clarissime a Prophetis prædicta 332. b.

Tzetzes (Joh.) notatur 641. a.

V.

V*Acca rufa* sacrificium, typus mortis Christi Jesu 612. b.

Vaccarum reverentia ab Ægyptiis ad Indos manavit 100. a.

Vafræ Ægyptiorum Regis Epistolas retulit Alexander Polyhistor 209. b.

Varro artis etymologicæ imperitus 174. b. notatur 73. b.

Vela in Templis quibusdam Græcorum cur prætensa 162. a.

Velato capite cur sacra Romani Flamines faciebant 165. a.

Venti in ortum ferentes ab occasu fere flant circa vicesimum septimum gradum ab Æquinoctiali 104. b. intra Tropicos ab ortu in occasum perpetuo flantes 104. a.

Venturus, cognomen Messiæ 423. b.

Venus armata est Minerva 149. b. Bacchi comes, & festis gaudere cur dicitur 152. a. barbata 149. a. Chabar & Cubar ab Arabibus dicta 150. a. Veneri Deorum multorum notæ inerant 151. a. eadem ac Juno 149. a. 150. a. b. eadem ac Pitho 149. a. ἔγχιος 148. b. In Veneris Erycino Templo ignis perpetuus ardebat 95. b. Hortorum Dea cur dicta 112. b. Veneris Junonis commune simulacrum in Laconica 149. a. 150. b. est Libitina 148. b. ex mari orta cur fingitur 152. a. cum Luna confunditur 150. a. mas & fœmina 149. a. 181. a. ut mater Deorum culta 148. a.

Nocti-

Digitized by Google

Noctiluca 149. b. Noctuvigila ibid. *Φιλόργιος* cur dicta 152. a. *Φιλορμίστιμα* cur dicta 152. a. Veneris nomen unde factum 150. b. Veneri numerus senarius attribuitur 160. b. Sephora est 87. b. 148. b. olim Veneris dicta, nominandi casu 150. b. Victrix 148. b. Victrix in signum annuli & bellicam tesseram a Julio Cæsare adhibita 148. b. Vulcani uxor cur dicitur 87. b.

Veriores dicendæ sunt res, quæ plurimum hominum fidem demerentur 3. a.

Veritas appellabatur sigillum sapphirinum, suspensum de collo Pontificis Ægyptiorum 158. b. Veritatis *κριτήριον* 3. a. Veritatis occultorum facinorum aqua vel igne explorandæ ritus unde ortus 162. b.

Vertumnus arma sulisse cur fingitur 139. a. Etruriæ dux 139. a. frugum primitias cur sibi vindicat ibid. idem ac Janus 138. b. mentibus hominum præest, eorumque cogitationes vertit ac mutat 139. a. mercaturæ Deus 139. a. idem ac Moses 138. b. sexum mutat 139. a. Vertumni simulacra erant ambiguo vultu 139. a.

Vespasiano afficta miracula commentitia sunt 504. a.

Vesta βυλαία cur dicta 148. b. eadem ac Adonis ibid. eadem ac Attis 148. b. eadem ac Bacchus 148. b. eadem ac Priapus ibid. infantem gremio fovens cur pingitur ibid. Vestæ nomen unde factum 174. b.

Vestalium igni perpetuo servando præficiendarum mos unde ortus 95. a.

Veste contexta lino & lana Flaminicæ cur uti non licebat 165. a. Vestium in luctu scindendarum mos ab Ebræis venit ad Græcos 162. b.

Vetus Testamentum penitus depravatum censent Muhammedani & alii 187. b.

Viacus Deus 77. a.

Victimas ἀποτροπαίους qui attigisset, corpus & vestes aqua abluere cur jubebant Græci 162. b. integras & perfectas esse juffit Solon 163. a. integras & vitio carentes Diis offerri jubebant Græci 162. a. quæ diebus octo majores non essent, mactari vetabant Romani 165. b. Victimarum supremæ partes Diis cœlestibus cur oblatæ sunt 162. a.

Vinum, ardentis virtutis typus 425. b.

Virga ab Ægyptiis in singulis templis cur consecrata 196. a. appellatur Jesus Christus 405. b. Circe cur tribuitur 155. b. Mercurio cur tribuitur ibid. Palladi cur tribuitur ibid.

Virgæ pro Diis quare cultæ 196. a. Usoo & Hypsuranio consecratæ 195. b. Virgæ Brachmanum portentificæ 97. b.

Virgilius emendatur 149. a.

Virgines a Veteribus magna diligentia asservabantur 461. b. intra turres a Veteribus concludebantur 462. a. Virginibus prognatæ plerique jactantur ab Ethnicis 466. a.

Virgo signata 463. b.

Virgula divina unde in Proverbium abiit 155. b.

Virtutem per principia Geometricorum similia tradi posse censuerunt Plato & Cicero 4. b.

Vitæ terminus annorum centum & viginti spatio circumscriptus post Mosem, juxta Josephum 67. a.

Vitis, ad quam asina & pullus religantur, quid significant 425. a.

Vitulus aureus ab Aarone conflatus, non integer fuit, sed vituli tantum caput, juxta plerosque e Patribus 103. b. Vituli cultum ab Ægyptiis Ebræi acceperunt 103. b.

Vius Deus, quis 77. a. Vii arcanum, quid ibid.

Ulpianus Christianum dogma confutare instituit 43. a.

Umbras extruebant Romani festo Annæ Perennæ 164. b.

Unctionis cerimoniis, inter Ebræos, consecrabantur Sacerdotes, Reges ac Prophetæ 492. a.

Unigena in Orphicis commemoratus, quis 131. b.

Vocatio gentium a Prophetis prædicta 662.

Vopiscus refellitur 63. b.

Urania. vid. *Cælestis*.

Urbes perfugii a Mose constitutæ, Asylorum origo fuerunt apud Ethnicos 163. b. Urbium everlarum instauratoribus imprecandi mala mos, a Victoribus usitatus, unde ortus 189. b.

Usous Hypsuranii frater 195. b. unde sic dictus 196. a.

Vossius (Ger. Joh.) laudatur 178. a. refellitur 30. a.

Vossius (Is.) laudatur 58. b.

Vulcanus Ægypti primus rex & custos cur dictus 87. b. *ἐνδέγυιος* cur creditus 87. a. 149. a. Apollinis pater 107. a. arma Jovi adversus Gigantes formasse & subministrasse cur dictus est 88. a. Canem æneum vivum cur fabrefeciisse dicitur 88. a. claudus fuisse cur dicitur 87. b. de cœlo præcipitatus esse cur dicitur 87. b. Diis domos in cœlos extruxisse, & homines domorum ædificandarum rationem docuisse cur fingitur 88. a. ignem & præclara opera, omnesque artes reperisse cur fingitur 88. a. ignem & Tubalcainum notat 153. b. Jovi parturienti obstetricis officium præstitisse cur dicitur 88. a. Junone natus cur fingitur sine patre 87. a. idem ac Moses 84. b. Nili filius cur dictus 87. a. Vulcani nomen unde factum 88. a. Opas, vel potius Phthas, vel Aphthas 84. b. Pandoram e luto finxisse cur dicitur 88. a. Philosophiæ Ægyptiorum auctor cur dicitur 87. b. Tubalcaini typus 153. b. In Vulcani Ætnæo Templo ignis perpetuus ardebat 95. b. Vulcanus & Prometheus simul & iisdem religionibus placabantur 115. b. Vulcano & Promethèo ara communis erat ibid. Vulcani uxor Venus esse dicitur 87. b.

Vulgata editio Scripturæ Sacræ defenditur 152. b. 201. b. notatur 379. a.

Uvodan Mercurius est 102. b.

Uxoribus abstinebant Romani sacris operaturi 165. a.

X.

Xerxes an Artaxerxem filium anno regni duodecimo in regni societatem asciverit 447. b.

Xiphilinus (Joh.) notatur 41. a.

Ξυλοφόρια, Judæorum festivitas, unde orta 95. a.

Digitized by Google

Y.

Υπόνοια quid 713. b.

Υτος Ægyptiace *Servatum* significat 75. a.

Z.

Z. Quomodo pingi solita fuerit in MSS. Codicibus Græcis 595. a.

Zabratus. vid. *Zaratus.*

Zabulonite insigni Legis peritia præstabant 411. b.

Zacharie duo, Barachiæ filii 311. a. 312. b.

Zacharias Prophetarum ex albo a Judæis quibusdam expunctus est 310. b. e Synagogæ Magnæ assessoribus unus fuisse creditur 311. b. Judæi cur eum interfecerunt, juxta Origenem & Basilium 468. a. ejus sepulcrum 311. a. Zachariæ pater, an avus Addo 311. b.

Zacharias Baruchi filius 312. b.

Zacharias Jojadæ filius 312. b.

Zamoxis leges suas a Deo se accepisse finxit 63. a.

Zaradas, Zoroastres 91. b. Zarades idem qui Zaras Pythagoræ præceptor 91. b. vid. *Zaratus.*

Zaratas 91. b.

Zaratus Pythagoræ præceptor 274. b.

Zaratus Assyrius. vid. *Zoroastres.*

Zarduſt, quid significat 91. b. Zarduſt, Zoroastres ibid.

Zarduſtus Eliæ discipulus a nonnullis creditus 93. a. idola fustulisse cur dictus est a nonnullis ibid. veterum Magorum, duo rerum principia ponentium, doctrinam reformasse dictus est 93. a. Zarduſti vaticiniis præmoniti Magi, stellam Messiæ nuntiam cur agnovisse dicti sunt a nonnullis 93. a.

Zares 91. b.

Zarœs 91. b.

Zathraustes Arimasporum legumlator 91. b. leges suas se a Deo accepisse finxit 63. a.

זקן Senem, & Principem sonat 284. b.

Zeno Epicureus Geometriam imperfectam esse docuit 4. a. fabularem historiam ad Physiologiam traduxit 715. b.

Zenobius notatur 122. b.

Zerateuchi cur dictus Zoroastres 92. a.

Zind, liber Zoroastri adscriptus, suppositicius est 96. a.

Zonaras notatur 41. a. 400. b.

Ζοφασμοί, quid significat 78.

Ζόφος sit a חשך 124.

Zopyri Heracleotæ Crater Orpheo adscriptus 628. a.

Zoroadus, Zoroastres 91. b.

Zorobabel appellatur Christus 383. b. 396. a. Jesu typus 703. b. ei Ecclesiastis librum quidam tribuunt 243. a. Zorobabeles duo fuerunt 396. a.

Zoroastres Æthiops cur creditur 91. a. Azonacis discipulus 91. b. in cœlum raptus fuisse cur fingitur 94. a. creationis rerum mysteria a Deo didicisse cur dicitur 93. a. Zoroastrem cum Ezechiele quidam confuderunt 91. b. fulmine interiisse cur dicitur 94. a. futurorum præscius cur fingitur 93. a. ignem de cœlo in terras detulisse cur dicitur 94. a. ignes sibi paratos cur evasisse dictus est 94. a. ignis colendi auctor creditus 92. a. ignis perpetui præceptum, velut Legis suæ χαρακτηριστικὸν proposuisse dicitur 94. b. idem ac Moses 90. a. idem ac Nemrodus a nonnullis creditus 92. a. ei libri quidam falso adscripti 78. a. Magicarum artium inventor creditur 92. b. de mundi principiis disseruisse cur dicitur 92. b. speluncam fontibus scatentem Mithræ consecrasse cur fingitur 93. b. ei prodigia pleraque adscripta sunt, quæ a Mose vere patrata fuerunt 94. a. risisse eo quo natus est die, cur fingitur 91. b. apud Sinas natus fingitur 93. b. eum Sinensium Rex ad mortem quæsisse, cur fingitur 93. b. Thraciæ Rex fuisse cur fingitur 91. a. Zarduſt a Persis appellatur 91. b. Zoroastres unus, an plures fuerint, non convenit inter Auctores 91. a.

Zoroastres Proconnesius 91. a.

Zoroastris ætas incerta 90. b. 275. b. apocalypsis 96. b. historia multiplex est & incerta 90. a. b. leges cum Mosaicis conveniunt 94. b. libri Chaldaici, a Pico commemorati, suppositicii sunt 96. a. liber cui titulus est regnum Dei, suppositicius 96. b. nomen quid significet 91. b. oracula magica quæ nunc extant, suppositicia sunt 96. a. oracula vetusta suppositicia fuerunt 96. a. patria incerta 91. a. poemata ab Hermippo illustrata, suppositicia fuerunt 96. a. Zoroastris & Ezechielis acta conferuntur 274. b. sq.

Zundavaſtæw, Codex pervetustus Persicarum Legum, Zoroastri a Deo traditus fuisse cur dicitur 84. a. suppositicius est 96. a. videtur esse idem, qui ab Eusebio Persicarum rerum sacra collectio appellatur 96. a.

FINIS.


Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google


Digitized by Google

Digitized by Google